8
4 N
3

Digitized by Google

GLOSSA
IN SACRAM SCRIPTURAM.
TOMUS TERTIUS.

Digitized by Google

Dom. Prof. Rom. S.I. Bibl. Com. Catal. Inscrip.

A.R.P. BARTHOLOMÆI DE BARBERIIS A CASTRO-VETRO

PROVINCIÆ CAPUCCINORUM Lombardiæ Definitoris, & S. Theologiæ Lectoris;

GLOSSA SEU

SUMMA EX OMNIBUS S. BONAVENTURÆ expoſitionibus in Sacram Scripturam exactè collecta, & in facilem uſum Studioſis, ac Concionatoribus ſecundùm ordinem biblicum concinnata.

TOMUS TERTIUS.

CONTINENS LIBROS SAPIENTIALES ET omnes Prophetas, necnon duos libros Machabæorum.

LUGDUNI;

Apud ANISSONIOS, JOAN. POSUEL, & CLAUD. RIGAUD.

M. DC. LXXXV.

CUM APPROBATIONE SUPERIORUM.

Digitized by Google

9.4.11.3

Digitized by Google

EXPOSITIONES IN LIBRUM PROVERBIORUM SALOMONIS.

PRÆFATIO.

LIBER iſte à Salomone fuit compoſitus, in quo ex proœmiis, ſtrophis, Parabolis, & ænigmatibus (ut putant S. Baſilius, & S. Athanaſius) tradit abſolutiſſimè tres moralis doctrinæ partes, Ethicam, œconomicam & politicam, in quibus etiam copioſam ſegetem ad conciones ſpectantem proponit: In hoc autem libro figuratur Chriſtus ut doctor ſpecialis virtutis imitandæ, ſicut in Eccleſiaſte, ut doctor ſuadens mundi contemptum: In Canticis ad guſtum ſuavitatis, & exemplum charitatis: In ſapientia ad ſpeculationes veritatis: & in Eccleſiaſtico, ut doctor univerſalis. *op. princip. S. Scrip. & proœm. in Eccleſ. & Sap.* Reliqua, quæ ad hunc & ad alios libros Salomonis ſpectant præcognoſcenda, poſſunt videri apud D. Hieron. Gloſſam, Hugonem, alioſque Expoſitores.

CAPUT PRIMUM.

1. *Quid ſit Parabola, & ad quid à Salomone propoſita.*

PARABOLÆ Salomonis filii David regis Iſrael: ad ſciendam ſapientiam, & diſciplinam & intelligenda verba ſapientiæ. Nota quod parabola, Græcè, Latinè dicitur ſimilitudo, & eſt ſententia valdè utilis, & iſtis Parabolis ſæpe uſus eſt Salomon ad ſcientiam, prudentiam, & eruditionem, doctrinæ multiplicis edocendam: & hinc patet quàm prudenter Chriſtus Jeſus in ſuis concionibus parabolis uteretur; in ipſis enim non tantùm voces, verùm etiam res ſunt ſigna ad manuducendum intellectum parvulorum, & ſimplicium ad concipiendum in ſe multiformitàtem myſteriorum divinorum, & ideo tali modo optimè inſtruitur prædicator, qua arte populum ſimplicem inſtituere debeat. *Eccleſ. c. 11. & in Lucam c. 15. v. 3.*

2. *Sapientia & diſciplina qualiter differant; & in quali pretio habenda.*

Ad ſciendam ſapientiam, & diſciplinam. Hic quæritur qualiter differant ad invicem ſapientia, & diſciplina: videtur enim idem ſignificare, cum diſciplina ſit ſapientia à magiſtro percepta; ſed nota quòd differunt ad invicem per hoc, quod ſapientia eſt cognitio divinarum, & humanarum legum, in quantum mentem interius delectabiliter afficit, eſtque ſcientia cæleſtis, ſapore virtutum condita: Diſciplina in quantum actiones exteriores ordinat, & diſponit, ideo exercetur in præceptis; unde conſiſtit in ipſis præceptis per obedientiam, in tentamentis per conſtantiam, & in flagellis per patientiam. *Pſal. 17. & 86. in ſapien. c. 6. & in Lucam c. 6. v. 10.*

3. *Prudentia dirigit omnes virtutes politicas: & quàm neceſſaria Prælatis.*

Ad intelligenda verba prudentiæ, & ſuſcipiendam eruditionem doctrinæ, iuſtitiam &c. Vide quomodo ſapiens primo loco proponit prudentiam, & deinde eruditionem, & juſtitiam, & judicium, & æquitatem, ut cognoſcatur qualis virtus ſit prudentia, & quàm neceſſaria Prælatis: eſt enim prima ex virtutibus Cardinalibus, eſtque notitia eorum, quæ ſunt agenda, & vitanda, & conſequenter regens omnes virtutes politicas nempe Ethicam, œconomicam, & politicam,

Google

cognoſcitque præſentia, memoratur præterita, prævidet futura, vitaque peccata, & virtutes amplectitur. *Op. declarat. termin. Et opuſ. de 4. virtutib. Cardin. Et opuſc. Comp. theolog. l. 5. c. 34.*

4. *Ad exercitium prudentiæ debet attendi ad verba ſacræ ſcripturæ.*

Ad intelligenda verba prudentiæ: Cur non dicit ad intelligendam prudentiam, ſed verba prudentiæ? Nota quod dicit verba prudentiæ: ſcilicet homo ſollicite attendat ad verba Dei ex quorum apprehenſione addiſcitur prudentia, & modus rectè vivendi: ut videas, quod ex perceptione verbi Dei dependet acquiſitio prudentiæ Chriſtianæ. *Pſal.* 118. *c.* 2. *v.* 12.

5. *Audiens attente Dei verbum, veram ſapientiam recipiet.*

Audiens ſapiens ſapientior erit. Nota quod dicit: audiens, quia verba Dei debent audiri non carnaliter, ſed ſpiritualiter & ejus myſteria perſcrutari: ſic enim introducitur vera ſapientia in animam. *In Lucam c.* 14. *v.* 35. *& in Ioan. c.* 1. *v.* 40.

6. *Audire conſilium aliorum quam fructuoſum etiam doctis & Prælatis.*

Audiens ſapiens ſapientior erit, & intelligens gubernacula poſſidebit. Sed ad quid vult quod ſapiens alios audiat? ſi eſt ſapiens, ergo non indiget aliorum conſilio? ſed attende quid doceat hic ſacer textus, nempe quod quicumque etiam doctus, & ſapiens, maximéque Prælatus, debet alios interrogare, & audire aliorum etiam imperitorum ſenſus; ſic enim ſæpe ab imperitis inſtruitur, & addiſcit, quod ignorabat. *Op. de Eccleſ. Hier. p.* 2. *c.* 3. *in Lucam c.* 2. *v.* 38. *& c.* 8. *v.* 9. *& c.* 12. *v.* 41. *ſic & D. Hieron. & Ugo Victor.* patet hoc experientiâ: nam ut plurimum qui ſine conſilio aliquid agit, quantumcumque doctus, & expertus Prælatus, invenit præcipitium, vel incidit in peſſimum exitum contra id, quod intendebat: unde legitur de Socrate, quod ad diſcendum ſe pauperem ſemper credidit; & ideo ad docendum fecit ſe locupletiſſimum; nec unquam ceſſavit uſque ad mortem, alios interrogare, & ab aliis audire. *Ser.* 2. *de S. Gregor.*

7. *Timor Domini initium eſt ſapientiæ.*

Ergo qui vult veram ſapientiam acquirere, timeat Deum, & ejus mandata obſervet. *Ser.* 2. *de S. Greg. & ſap. c.* 10. Timor Domini initium ſapientiæ dicitur; quia ſicut virgâ diſciplinæ caſtigatur puer, inſtruitur, & informatur; ſic per timorem Domini omnes motus ſenſuales, & puériles extirpantur; & ſub iſto pedagogo ad rationem reducuntur. *Op. diet. ſalut. tit.* 6. *c.* 1.

8. *Effectus timoris Dei in anima quàm mirabiles.*

Initium ſapientiæ timor Domini: Sed quomodo dicitur timor initium ſapientiæ? Ergone habitâ ſapientiâ, recedit timor? minimè: Nota igitur, quod timor Domini dicitur initium ſapientiæ; nempe timor Domini ſocius eſt indiviſibilis ſapientiæ: quia nunquam à ſapientia recedit, ſed cum ea quotidie creſcit: inchoat enim tanquam mane, deducit tanquam meridiem, & tanquam veſperam conſûmat; creſcens, & proficiens uſque in perfectum diem. Dicitur autem ſocius ſapientiæ, quia ſaporem ſapidum de Deo in intimo mentis ſecreto, multipliciter reficit totam mentis familiam, totum regnum animæ juſtificat, pacificat, & lætificat. Vide ergo quales effectus gignit in anima timor Domini filialis. *Op. de* 7. *donis cap.* 3. *&* 4.

9. *Timorem Domini ſtulti ſolùm rejiciunt.*

Sapientiam, atque doctrinam ſtulti deſpiciunt. Nota, quòd ſapientiæ opponit ſacer textus ſtultitiam; & vult dicere; quod ſi timor Domini reddit hominem ſapientem, ſtulti timorem Domini deſerentes, ſapientiam cæleſtem deſpiciunt: tales autem ſunt, qui deſerentes æterna pro temporalibus, finaliter amittunt cæleſtia bona. *Op. Phar. l.* 3. *c.* 30. *ſerm.* 5. *in Pente. & ſerm.* 3. *Dom.* 2. *poſt Pentec.*

10. *Iuſti timentes Deum, ejus præcepta, & S. Matris Eccleſiæ cuſtodiunt.*

Audi fili mi diſciplinam Patris, & ne dimittas legem matris tuæ. Ad quid addit ſacer textus ad præcepta Patris legem matris? ſed attende, quod per hoc dat intelligere; quod vir juſtus non ſolùm eſt diligens obſervator præceptorum Dei, ſed & ſanctæ Matris Eccleſiæ Chriſti Jeſu dilectiſſimæ ſponſæ, reverentiam ſpecialem exhibet, obſervando ipſius leges: *Ser. in die S. Lucæ Evang. Pſal.* 118. *c.* 9. *n.* 8.

11. *Honor parentum Deo, quàm charus, & homini quàm utilis.*

Audi fili mi diſciplinam Patris; & ne dimittas legem matris tuæ. Ecce, quod præmiſſo timore Dei in anima, adjicit etiam honorem debitum parentibus; honorandi enim ſunt à filiis, & quia eos genuerunt, & quia nutrierunt, & quia inſtruxerunt: Nota tamen, quòd dicit, audi diſciplinam Patris; quia filii præcipuè per diſciplinam, ſcilicet per actus, & interiores, & exteriores debent eis honorem debitum rependere; nempe corde eos diligere: linguâ, cum eis reverenter loquendo, & benedicendo: auribus, eorum præcepta, & monita percipiendo: manibus eis ſerviendo; ſic enim, & Dei voluntatem faciunt, & ſibi ipſis cumulum meritorum, & divinam protectionem acquirunt. *Op. diat. tit.* 3. *c.* 3. *& ſer.* 3. *in op. de decem præcept.*

12. *Honor, & cultus Beatæ Virgini quàm Deo charus, & nobis proficuus.*

Et ne dimittas legem Matris tuæ; ut addatur corona capiti tuo, & torques collo tuo. Cur ſimul cum diſciplina patri debita à filiis, ſuperaddit legem Matris? Sed nota quod B. Virgo Maria eſt hæc Mater noſtra; & ideo poſt præcepta Dei, obſervanda nobis proponitur lex matris Mariæ? Audi ipſam dicentem. *Ego diligentes me diligo, & qui mane vigilât ad me, invenient me; & qui me invenerit inveniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino*

&

& ideo Beati, qui ipſam amant, imitantur, & ipſi conformantur; ſic enim ſe diſponunt ad recipiendum maxima beneficia à Deo. *Op. ſtim. p.3. c.15.& 16.*

13. *Societas malorum, maximè ſcandaloſorum quàm ſollicitè vitanda.*

Fili mi,ſi te lactaverint peccatores, ne acquieſcas eis: ſi dixerint: veni nobiſcum. Vide quo ordine procedit ſacer ſcriptor, prius enim ſuadet, ut conſilia, & præcepta Patris & Matris, tanquam lac ſugantur à filio: poſtea advertit à quo lacte abſtinere debeant; nempe à lacte peccatorum,& quinam ſunt iſti lactantes peccatores? ſunt homines ſcandaloſi, qui lacte malæ perſuaſionis, & mali exempli alliciunt bonos ad malum: dicit igitur, *ſi te lactaverint peccatores*: nempè ſi fallaciæ, compoſitores te lactaverint per apparentiam veritatis, ne acquieſcas eis propter latentiam veritatis. *Pſal.118.c.7.v.14.& c.4.v.5.& in Lucam c.11.n.13.*

14. *Malorum Societas quàm perniculoſa, & noxia.*

Si dixerint veni,&c.ne ambules cũ eis: Ecce quàm ſollicitè Spiritus ſanctus ſuadet nobis,ut vitemus ſocietatem malorum,& meritò quia verè periculoſa eſt ubique: Periculoſa eſt in cœlo, unde ſocii Luciferi cum eo corruerunt: item in Mundo, quia per malos boni mali fiunt,& ad malum trahuntur: item in inferno,quia ipſorum ſocietas eſt ad cumulum pœnarum. *Ser.3. Dom.3.poſt Oct. Epiphan.*

15. *Peccator de vitio in vitium uſque in infernum ſaltat.*

Pedes eorum ad malum currunt. Quid eſt ad malum? ad quodnam malum? Nota myſterium: dicit ad malum indefinitè; ſcilicet ad malum,& peccatum, & de peccato in peccatum; ſicut equi diaboli, donec ad malum locum; ſcilicet ad infernum deſcendant, & ſaltent: ecce curſus peccatorum,& qualis ipſius terminus. *Ser.3.Dom.Pal.*

16. *Quale eſt Caput,& Prælatus, tales ſunt ſubditi, & ſequaces.*

Prohibe pedem tuum à ſemitis malorum; pedes eorum ad malum currunt. Nota quòd hic vetat Spiritus ſanctus, ne ſequamur veſtigia malorum; dat enim intelligere quòd quale eſt Caput & Dux, tales ſunt ſequaces, & ſubditi: vadunt enim poſt Simonem ſimoniaci omnes: poſt Machometem omnes Luxurioſi: poſt Antichriſtum omnes ſuperbi, & ambitioſi; quia tales omnes ſunt adverſarii Chriſti, imitatoreſque ſuorum Prælatorum malorum. *In Lucam c.21.n.8.*

17. *Qui foveam ruinæ proximo effodit, ſæpe juſto Dei judicio ipſe primus in illam incidit.*

Pedes eorum ad malum currunt; & feſtinant, ut effundant ſanguinem. Nota ordinem horum verborum, & obſerva myſterium: primò enim dicitur quod mali alios perſequentes ad malum currunt, & deinde ſubdit, ut effundant ſanguinem; ut videas, quòd proximi perſecutores primò malum ſibi ipſis inferunt, quàm proximo noceant: antequam mortem proximo inferant, ipſi mortem in animabus ſuis inveniunt, & ſæpe etiam in corpore. *In Lucam c.22. n.2. & in Ioan. collat. 28.*

18. *Peccatum in corde eſt veluti funis, vel magnes trahens hominem tanquam beſtiam ad actus exteriores.*

Pedes eorum ad malum currunt. Quomodò currunt, & qua vi? quia prius in corde fovent malum, & ſic cum Diabolo veluti beſtiæ ad actus malos trahuntur, donec deſcendant ad infernum. *Serm. 3. Dom. Palm. & Pſalm. 118. c.4. v.11.* Vide igitur quòd peccatum in corde reſidens eſt veluti magnes, vel potius funis trahens hominem ad actus exteriores peſſimos.

19. *Per exercitium vitæ contemplativæ anima volat ad Deum,& ſecura redditur à tentationibus, & doloſitatibus Diaboli, & perverſorum.*

Fruſtra jacitur rete ante oculos pennatorum. Ergone immunes erunt à retium captura aves omnes pennati? nonne quotidie experientia patet oppoſitum? Sed obſerva, quod figuratè loquitur ſacer textus de animabus noſtris: aliquæ enim ſunt pennatæ,aliæ ſine pennis: pennatæ ſunt, quæ ad ſtatum contemplationis, & vitæ unitivæ perductæ ſunt: ſunt enim præditæ pennis tutiſſimis, & ideo etiam volare facile poſſunt ad Deum; contra iſtas fruſtra à diabolo,& malis hominibus jacitur rete, quia citò, & facilè per ſapientiam inditam à Deo cognoſcunt dolos, & tentamenta,& ab ipſis aufugientes, & volantes ad Deum eripiuntur. *Op.medit.vitæ Chriſti c.4.& op.Myſtic.Theolog.c.3.p.1.& in Lucam c.13.v.19.*

20. *Expenditur iterum citatus textus in gratiam fructus verbi Dei in cordibus ſimplicibus.*

Fruſtra jacitur rete ante oculos pennatorum. Quodnam eſt hoc rete, & quinam aves pennati? ſed Nota quod per rete ſignificatur prædicatio verbi Dei, quæ à Miniſtris Chriſti tenditur ad capturam animarum.Per pennatos ſignificantur viri ſapiẽtes hujus Mundi, datquè per hoc intelligere, quod verbi Dei prædicatio, ut plurimum non capit pennatos iſtos qui vivunt immerſi in dogmatibus ſapientiæ mundanæ; ſed facilè capiuntur illi, qui ſunt nudi, & immunes ab iſtis ſcientiis; ſcilicèt ſimplices & idiotæ. *In Lucam c.5.v.7.*

21. *Perſecutores proximi contra Sanguinem Chriſti,& proprium inſidias parant.*

Ipſi contra ſanguinem ſuum inſidiantur. Qui ſunt iſti inſidiantes contra ſanguinem ſuum? Contra ſanguinem ſuum inſidiantur qui proximum perſequuntur,inſidiaſque parant verbis, & malis exemplis; Chriſto enim adverſantur, &

proximo ſuo ; quia proximus eſt ſanguis Chriſti, & ſanguis ipſorum inſidiatorum : quia omnes ſumus unum in Chriſto. *Pſal.118.c.6.v.5.*

22 *Doctrina catholica in publicum prædicatur : doctrina ſuſpecta in occulto.*

Sapientia foris prædicat : in plateis dat vocem ſuam : in capite turbarum clamitat, in foribus portarum urbis verba profert. Ecce diſcrimen inter verba veritatis catholicæ & doctrinam ſuſpectam hæreticorum, & malorum hominum : illa enim prædicantur in plateis, & publicè ad omnes : iſta in occulto, tanquam doloſa, & deceptoria : & ideo Chriſtus prædicabat ſemper publicè, & in plateis *In Lucam c.4.v.15.& c.6.v.16. & in Ioan.collat.7.& 51.*

23 *Divina mandata primæ tabulæ ſunt de dictamine naturali.*

Sapientia in foribus portarum verba profert. In quibuſnam foribus portarum verba profert ? ſed attende, quod loquitur de foribus, ſcilicèt potentiis animæ, cui ſapientia divina irradiationem ſupernam immittit ad fores, & portas, ut facile percipiat dogmata, quæ reſpiciunt divinam ſapientiam ; quæ maximè conſiſtit in obſervantia præceptorum primæ tabulæ, quæ ſunt de dictamine naturali, in quibus non datur excuſatio. *Ser.1.Hexam.*

24. *Deus per creaturas nobis prædicat ſapientiam, & attributa ſua.*

Sapientia foris prædicat. Quomodo foris ? ergone aliquid poteſt inveniri, quod extra Deum, & foris poſſit dici ? minimè : Sed attende quod foris eſſe dicuntur creaturæ, quia ſunt effectus proceſſionum divinarum ad extra : Per creaturas igitur prædicare dicitur ſapientia divina : ſed quid ? qualem doctrinam ? Ecce qualis doctrina, & ſublimiſſima nobis proponitur : Creaturæ enim ſive per veſtigium, ſive per imaginem ſunt ſcala, per quam mens noſtra aſcendere poteſt ad notitiam ſummæ potentiæ, ſapientiæ, & bonitatis divinæ, & ſimul ad amorem ipſius. Hoc eſt quod nobis prædicat ſapientia de foris. *Op. Itin.ment.Præfat. & c.1 ſeq. & l.1.d.3.p.1.a.1. qu.2 & 3.*

25. *Stulti ad vanitates, ſapientes ad veritates ſpirituales intendunt cor, & opera.*

Uſquequo parvuli diligitis infantiam, & ſtulti ea, quæ ſibi ſunt noxia cupiunt ? ſed quid prætendit ſapiens loquens parvulis ? Nota quod hic loquitur ad adultos ; datque intelligere diſcrimen inter curantes, & amantes temporalia, & propter temporalia, ſpiritualia deſerentes : & ſe exercentes in ſpiritualibus. Illi enim ad temporalia inhiant, nihil curantes æterna bona ; ſuntque veluti parvuli, imo ſtulti, quærentes ea, quæ ſibi noxia ſunt : ſapientes vero ad Deum, & ſpiritualia totam aciem mentis dirigunt. *Pſal. 118. c.9.v.1.& c.12.v.3.in Eccleſ.c.1.*

26. *Pœnitentia advocat ſpiritum Dei : & omnia aſpera, & dura levia, & ſuavia reddit.*

Convertimini ad correptionem meam : en proferam vobis ſpiritum meum. Ecce quod promittit Deus verè ad ſe convertentibus : en proferam ſpiritum meum, ait Dominus : quiſnam eſt iſte ſpiritus ? Spiritus iſte eſt amoris ſpiritus, quo omnia quantumcumque aſpera, & dura levia facit, & ſuavia, amemus igitur Chriſtum, & facile reddemus omne difficile, & aſperum. *Ser. 4.in die cinerum.*

27. *Pœnitentiam noſtram quanti Deus æſtimet.*

Convertimini ad converſionem meam : en proferam vobis ſpiritum meum : quæ eſt hæc converſio, quam Deus appellat ſuam ? Converſio hæc eſt pœnitentia, qua corrigitur anima, quæ eſt ſedes Dei. *Ser.4.in die ciner.* Vide ergo quanti Deus æſtimet pœnitentiam noſtram, quam ſuam appellat.

28. *Pœnitens ad quid attendere debeat.*

Convertimini ad converſionem meam, en proferam vobis ſpiritum meum. Jam dictum eſt, Deum in his verbis invitare peccatores ad pœnitentiam, ſed cur addit : en proferam vobis ſpiritum meum ? Adverte, quod intendit Deus docere pœnitentem ad quid primò reſpicere debeat, ut ordinatè agat pœnitentiam, nempe ad auxiliũ Dei & præmium gloriæ : unde meritò ſubdit : en proferam ſpiritum meum, ut videas, quod neceſſarius eſt ſpiritus Dei, & auxilium gratiæ Dei ; ſcilicet ut Deo humiliter ſe ſubjiciat, & ad ipſum fidenter recurrat pro obtinenda gratia, ſine quâ nihil boni agere poteſt. *Ser.4.in die Ciner.*

29. *Deus nos vocat inceſſanter multiplici vocatione, & auxilio.*

Quia vocavi & renuiſtis : extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret. Quæſtio hic proponitur, de qua vocatione hic loquitur Deus, & qualis differentia inter vocationem, & extenſionem manuum Dei : Caietanus docet hic primo loco innui gratiam excitantem, & ſecundo loco gratiam adjuvantem : ſed communis ſenſus eſt, quod cum ſit una, eademque gratia excitans, & adjuvans, Deus indicat ſe vocare peccatores inceſſanter, eos ſimul excitando, & adjuvando multiplici vocatione, ut pateat quam preſto ſit, & promptum nobis auxilium, nec ex parte Dei poſſe dari excuſationem. Dicit igitur : vocavi vos per exteriorem vocationem, ad prædicationem verbi Dei, & exemplorum ſanctorum exhibitionem : Vocavi item vos per bona fortunæ, & naturæ : manus extendi per gratiæ, & auxiliorum, beneficiorumque largitionem : vocavi item per conſilium, internam ſcilicet inſpirationem ; & increpavi vos per flagellorum immiſſionem : Vide ergo quam magna, & multiplex, & prompta ſit divina miſericordia in nos, ut pateat quod nulla datur excuſatio in peccatore. *Ser.1.de uno Confeſſ.& ſer.1.de Apoſtol.*

30. *Vocatio divina per verbi prædicationem, & Filii Dei incarnationem expenditur.*

Quia vocavi. Nota quod oſtenditur in his verbis nunquam Deum ceſſaſſe à principio Mundi exhibere ſua auxilia cuicumque homini peccatori: dicit enim vocavi vos: datque intelligere, quòd nunquam defecit in Eccleſia prædicatio verbi Dei per ſanctos Prophetas, & Dei Miniſtros facta: addit extendi manum meam; ſcilicet miſi filium meum in Mundum, ut doctrina, & exemplo bonorum operum, ſanctitate, & gratiarum largitione ad ſe nos vocaret: vide igitur qualem miſericordiam Deus in nos inceſſanter exercet. *Ser.1.Dom.2.poſt Pentec.*

31. *Chriſtus ante iudicii univerſalis diem nos citat continuè ut noſtris neceſſitatibus provideamus.*

Vocavi & renuiſtis. Sed quomodo fuit iſta vocatio? ſed nota quod hæc vocatio eſt citatio, quæ antecedenter fit à Deo per ſe, & ſuos Prophetas, & Apoſtolos ad judicium, ut provideamus noſtris neceſſitatibus, & ante ultimam citationem peremptoriam ad ipſum convertamur. *Op.Comp.Theol.l.7.c.17.*

32. *Verbi Dei prædicatio eſt una ex præcipuis vocationibus Dei nobis facta.*

Quia vocavi vos, & renuiſtis. Quomodo nos vocavit, & quando? ſed nota quod cum ſuprà dixerit ſapientia foris clamat: in his verbis innuit prædicationem verbi Dei, per quam mediantibus Prophetis, & ſervis ſuis omnes ſemper vocavit, & vocat ad ſe: & ideo qui renuit audire verbum Dei, maximum impedimentum opponit ſuæ converſioni: & prorſus inexcuſabilis eſt: unde ſubdit: ego quoque in interitu veſtro ridebo. *In Lucam c.16.v.29.*

33. *Chriſtus de Cruce nos vocat & in Cruce expandit manus ad amplexandum.*

Vocavi vos; extendi manum meam: Quænam eſt manus Dei? Eſt Chriſtus incarnatus, qui ut manum ſe Patris oſtenderet extendit manus ſuas in cruce, ut de cruce nos vocaret, & amplexaretur: extendamus ergo & manus noſtras ad ſubventionem pauperum pro Chriſto. *In Ioan. collat.83.& ſerm.1.de S.Andrea in addit.*

34. *Deſpiciens vocationem verbi Dei, & obedire renuens vocibus Dei, ab ipſo deſpicitur.*

Vocavi, & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret: ego quoque in interitu veſtro ridebo: Vide ad qualem miſeriam redigitur, qui vocationi per prædicationem verbi Dei non conſentit, & qui Chriſti gratiæ renuit obedire: ait enim ſacer textus, quia vocavi vos per prædicationem: extendi manum meam per incarnationem, exhibitionemque omnis veritatis, exemplorum, & ſanctitatis; & non fuit qui aſpiceret: ego quoque in interitu veſtro ridebo. *Serm.1. Dom.2.poſt Pentecoſt.*

35. *Homo Deo non obediens, peior beſtiis.*

Quia vocavi, & non audiſtis. Nota quod hic meritò Deus conqueritur de homine ipſi non obediente, cum omnes creaturæ, excepto homine, ipſi obedientes ſint: dicit igitur quia vocavi vos: & quomodo vocavit? vocavit, & nos vocat inceſſanter per bonorum naturæ, & fortunæ exhibitionem, per collationem gratiæ, & ſeipſum totum nobis dando: & tamen non audiſtis, nec obediſtis. Ecce quale vituperium noſtrum non obedire Deo, cum omnes creaturæ obediunt: Unde meritò ſubdit: ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo. *Serm.1. de Apoſtol.*

36. *Qui in hoc Mundo ridet in voluptatibus, & vocationes Dei contemnit, irridebitur in alia vita.*

Ego quoque in interitu veſtro ridebo. Cur deridebuntur? quia vocavit eos Deus multipliciter ad pœnitentiam, ſed vocationes Dei contempſerunt; ridendo, & voluptuosè vitam agendo; ideo in alia vita irridebuntur à Deo, & ab ipſis dæmonibus æternaliter; quia nunc tu vivendo rides; Chriſtus in judicio te irridebit. *Ser.5. Dom.2. Adv.Et op.Diet.tit.9.c.1.* Nota autem quod dicit Deus, *ego quoque in interitu veſtro ridebo*; ſcilicet in quantum punitio erit effectus ſuæ juſtitiæ; delectabor. *In ſapientia c.1.*

37. *Qualis fueris cum Deo, talis erit tibi Deus in judicio.*

Vocavi, & renuiſtis: ego quoque in interitu veſtro ridebo & ſubſannabo cum irruerit repentina calamitas. Vide quàm verum ſit, quod qualis erit homo cum Deo, talis erit ei Deus; & ideo, quia nunc deridet vocationes Dei, deridebitur & ipſe à Deo, quia contemnit vocationes, ideo & calamitates ei immittit. *Sap.c.19.*

38. *Qui non audit nunc Deum vocantem, non audietur in morte.*

Tunc invocabunt me, & non exaudiam eos, mane conſurgent, & me non invenient. Ecce fructus inobedientiæ, & contemptus vocationum Dei; qui enim non audit nunc Deum vocantem, in morte non audiet Deum exaudientem. *In Lucam c.13.n.25.*

39. *Qualem fructum tibi paraveris in via, tali ſaturaberis in altera.*

Comedent igitur fructus viæ ſuæ, ſuiſque conſiliis ſaturabuntur: Ecce quid tibi eveniet in altera vita ô homo, qualem enim fructum tibi præparaveris in hac vita, tali ſaturaberis in altera; ſi ergo fructus peccatorum præparaveris, & tali fructu, ſcilicet pœnarum, ſaturaberis in alia vita. *Serm.4.Dom.6.poſt Pentec.*

40. *Adoleſcentia in peccatis ducta, ſæpe obtruncat vitam.*

Averſio parvulorum interficiet eos, & proſperitas ſtultorum perdet eos. Quænam eſt averſio parvulorum tam noxia? ſed nota quod dat hic in-

telligere , quod qui incipiet diabolo ſervire in adoleſcentia , ſæpe tali modo vivendi, vitam ducit uſque ad mortem, & eo maximè quia ut plurimum ob vitia , & peccata abbreviatur homini vita, & qui malè incipit, ſæpe totum tempus vitæ malè expendit. *In Thren. c.1.*

41 *Beati qui audiunt Deum , ipſique obediunt.*

Qui autem me audierit, abſque terrore requieſcet, & abundantia perfruetur , timore ſublato. Quaſi dicat : qui autem me audiet , & obediet liberabitur ab omni malo , & beatus erit in omni abundantia bonorum. *In Lucam c.1.v.74.*

CAP. II.

NOTA quod in hoc capitulo hortatur ſapientia filios ſuos ſuſcipere ſermones ſuos ad inveniendam ſcientiam , repetitque nomen filii : ut intelligatur totum procedere ex effectu paterno.

42 *Ad ſapientiam cæleſtem obtinendam invitat Deus ; & quænam requiratur ad ipſam aſſequendam.*

Fili mi ſi ſuſceperis ſermones meos , & mandata mea abſcondas penes te , ut audiat ſapientiam auris tua , inclina cor tuum. Vide quomodo quælibet anima invitatur à Deo ad quærendam ; & ſuſcipiendam ſapientiam cæleſtem , & ne decipiatur in hac inquiſitione , dat modum dicens : ſi ſapientiam invocaveris, ſcilicet per ſanctitatem vitæ quæſieris, ut in te , ut in habitaculo digno recipiatur : ſi inclinaveris cor tuum prudentiæ, ſcilicet per rigorem diſciplinæ, & humiliationem animæ ; ſi quæſieris eam quaſi pecuniam cum aviditate concupiſcentiæ ; & quaſi theſauros effoderis eam, ſcilicet per ſollicitudinem diligentiæ tunc intelliges, ſcilicet practice, timorem Domini initium omnis boni , per quem omnis homo declinat à malo , & ſcientiam Dei invenies, cujus dictamine dirigitur : relinquamus igitur omnia , ut ſolum Deum quæramus. *ſer.4. Dom.14. poſt Pentec. in Ioan. collat.88.*

43. *Inclinatio cordis ad obtinendam ſapientiam , conſiſtit in humilitate , & obſervantia præceptorum.*

Inclina cor tuum ad cognoſcendam prudentiam. Ad quid hæc inclinatio cordis, & qualiter facienda ? nota quod homo creatus eſt cum plena libertate , à qua debet homo declinare , & ſe inclinare per humilitatem coram Deo , & ſe totaliter transferre ad obſervantiam præceptorum, quodque maximè requiritur in religioſis , ſe expoliando libertate poſſeſſionis terrenorum per votum paupertatis , cum rebellione voluntatis per obedientiam , & ſenſualitatis per caſtitatem. *Pſal.118.c.7.v.16. & in Ioan. collat.88.*

44 *Invitatur anima ad cæleſtia diligenter quærenda ex conſideratione ſtudii in terrenis rebus à carnalibus exhibiti.*

Si Sapientiam invocaveris. Nota quod hic ſacer textus proponit exemplum de effodientibus theſauros ; ut ex eorum induſtria , diligentia, excitetur anima ad ſollicitudinem adhibendam in perquiſitione bonorum cæleſtium : ſic etiam fecit Chriſtus *Luca 16.* dicens quod filii hujus ſæculi prudentiores filiis lucis ſunt. *In Lucam c.16. v.8.*

45. *Sapientia cæleſtis eſt theſaurus inæſtimabilis.*

Si quæſieris ſapientiam quaſi pecuniam , & ſicut theſauros. Nota quod deſiderantibus ſapientiam cæleſtem , proponit ſacer textus effodientes è viſceribus terræ aurum & theſauros : ut addiſcant , quod prius ſe debent coram Deo humiliare , cætera omnia deſpicere ; quia ſapientia non intrat in cor terrenis rebus infectum. *ſer. 4. Dom.14. poſt Pentec.*

46. *In cordis terrâ fodiendum, ut inveniatur theſaurus virtutum.*

Si quæſieris eam quaſi pecuniam , & ſicut theſauros effoderis. Ecce, quid tibi faciendum eſt , ſi vis invenire theſaurum virtutum: fode igitur ſtudioſè in terra proprii cordis, quære, ſi de facili vis invenire theſaurum virtutum ; fode inquam in corde, & molam cogitationum terrenarum à te repelle : ſicut qui theſauros quærit, & effodit, terram rejicit , foveam in altum fodit, ſedulus inſiſtit donec inveniat quod quærit : ſic tu ſi deſideras theſaurum ſapientiæ invenire , omne pondus terrenum à te rejice, in te foveam humilitatis fac, nec quieſcas, donec invenias. *Op. de dono ſap. c.3. ſer.3. Dom.14. poſt Pentec.*

47. *Per ſacram negotiationem obtinetur margarita ſapientiæ, & charitatis.*

Si quæſieris eam quaſi pecuniam , & ſicut theſauros. Nota quod hic Spiritus ſanctus ſuadet hominem ad quærendam ſapientiam ; ſed quænam eſt hæc ſapientia ? eſt ſapida ſcientia , ſcilicet cognitio Dei , dilectio virtutum , & amplexus charitatis; ſed cur quærenda eſt quaſi pecunia ? quænam comparatio eſt iſta? optima & ſublimis: dat intelligere , quòd ſicut negotiatores quærunt pecuniam, & theſauros per maria, per terram, & per tot pericula corporis, & rerum; ſic homo debet, veluti bonus negotiator quærere bonas margaritas virtutum ſollicitè , ſtudioſè , & cum labore , & præcipuè inhiare ad poſſeſſionem illius unicæ in qua conſiſtit tota ſumma perfectionis, ſcilicet ſapientiæ, & charitatis divinæ; plus enim diligit charitas verbum Dei, quàm cupiditas millia auri , & argenti. O quàm negotiator quærit merces vili pretio ! quid autem ſpecioſius gemmis virtutum ? & quid vilius ſtercore temporalium ? ſic bonus mercator inventa charitatis margarita, dat omnia ſua temporalia. *Serm.3. Dom.14. poſt Pentec. & ſer.2. de S. Greg.*

48. *Qui deſiderat theſaurum virtutum ad orationem confugiat, & labores.*

Si ſapientiam invocaveris , & inclinaveris cor tuum. Nota hanc particulam , *ſi invocaveris:* quis eſt, qui invocari debet ? invocaveris , ſcilicet oraveris ad Deum ; ut detur intelligi quod qui

deſiderat

deſiderat poſſeſſionem ſapientiæ, charitatis, & virtutum, debet, & vigilare, & laborare, & devotè orare, & eas à Deo lachrymis poſtulare: unde qui hæc non habet; non eſt defectus ex parte dantis, ſed potius ex negligentia hominis laborare nolentis. *Ser.2.de S.Greg.*

49. *In ſacra Scriptura continentur theſauri ſapientiæ Dei.*

Si quæſieris eam quaſi theſaurum. Sed ubi quærenda eſt hæc ſapientia cœleſtis? quære illam in ſacra Scriptura, effode illam, ut ad theſauros ibi exiſtentes penetres, & ſic in ſtudio ſacræ Scripturæ eam invenies. *In Ioan.c.5.v.40.*

50. *A ſolo Deo expectanda eſt ſapientia cœleſtis.*

Si quæſieris illam. Sed in quo loco, & à quonam fonte expectanda eſt? Adverte quod ſubdit ſacer textus: Dominus dat ſapientiam, & ex ore ejus prudentia, & ſcientia: quia à ſolo Deo eſt petenda, & expectanda. *In Lucam c.1.v.7.*

51. *Sapientia armat animam cum armis conſilii, & prudentiæ, eamque defendit ab omni malo.*

Conſilium cuſtodiet te, & prudentia ſervabit te, ut eruaris à via mala, & ab homine qui loquitur perverſa: Ecce quomodo ſapientia armis conſilii, & prudentiæ defendit animam ab omni malo, melius quàm arma corporalia. *In Eccleſ.c.9. ad finem & c.7.* Arma autem iſta ſunt divinorum ſapientia, humanorum ſcientia, & agendorum conſilia. *Pſal.118.c.1.v.10.& c.5.v.5.*

52. *Superiores exercitia virtutum ſubditis imponant.*

Servabit te, ut eruaris à via mala, & ab homine, qui perverſa loquitur. Quid eſt quod ſervabit te? Nota quod de ſapientia, prudentia, & conſilio hic agitur, & hæc propria ſunt prælatorum, qui ſubditos debent regere, & in exercitio virtutum conſiliis ſuis, & directione eos exercere, ſic enim expedit ut ſubditi, & maxime imperfecti, ſuperiorum magiſterio ſubjiciantur, ut cuſtodiantur, ne in peccatum labantur, aut minus diſcrete in virtutum operibus exerceantur, & à periculis liberentur. *Op. de ſex alis Seraph.c.1.*

53. *Propalatio peccati alia eſt ad provocandam iram divinam, alia ad ſedandam.*

Qui lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus peſſimis. Nota quòd Spiritus Sãctus hic invehit contra eos, qui gloriantur, & lætantur in malo, qui jactabundè publicant ſua ipſorum facinora, ut tales impios vitemus; ne ſimul cum ipſis iram Dei provocemus. Advertendum tamen, quod in horum impiorum numero non ſunt adnumerandi illi qui vel in confeſſione, vel ad propriam confuſionem, humilitatis gratia, proprias culpas revelant: quia tales actus ſunt Deo maximè chari. *l.4.d.17.p.2.a.1.qu.1.ad arg.& op.ſolil.c.2.*

54. *Qui lætantur in malo, & de peccato ſimiles ſunt damnatis.*

Qui lætantur cum male fecerint: Si hoc? ergo & damnati lætitiam habebunt in inferno? nonne ab eis lætitia omnis exulat? ſed attende, quod in damnatis eſt duplex conſideratio; ſcilicet pœnæ ob peccatum, & ipſius culpæ; damnati abhorrent pœnam, ſed obſtinati ſunt in malo, quaſi lætantes de peccato perpetrato: Unde his ſimiles ſunt homines perverſi, qui lætantur de malo, & de operibus malis. *l.4.d.50.p.2.a.2.qu.2.*

55. *Lætitia, & delectatio in peccati commiſſione quàm vana, & vacua, & veluti ſiliqua porcorum.*

Qui lætantur cum male fecerint & exultant in rebus peſſimis. Quomodo in patratione peccati acquiritur lætitia, & exultatio? & qualis lætitia? imo, & triſtitia tunc abundat? Nota quòd hæc lætitia in vitiis eſt ſolùm exterior, nec tranſit ad interius; quia eſt veluti eorum, qui eſurientes ſomniant ſe comedere; expergefacti autem ſentiunt ſe vacuos, & laſſi adhoc fame, & ſiti torqueri: peccata enim ſunt ſiliquæ porcorum, onerantes, & non reficientes. *In Lucam c.15.v.16.*

56. *Impii lætantur in malo præſenti quia non attendunt ad futurum judicium, ſicut juſti & ideo lætantes ſaltant de vitio in vitium, & tandem in infernum.*

Lætantur cum malè fecerint. Cur lætantur? quia non attendunt ad futurum judicium; & ideo in his delectationibus præſentibus ſe perdunt uti fecit ſaltatrix puella: non ſic juſti; quia iſta præſentia deſpiciunt & proſpiciunt ad æterna. *In Lucam c.19. v.43. & ſerm.2. de S. Ioan.Baptiſtæ Nativit. ſer.2.in addit.*

57. *Qui lætantur de malitia ſimiles ſunt Principibus Synagogæ qui de venditione Iudæ lætati ſunt.*

Lætantur cum male fecerint: Ecce qualis perverſitas malorum, qui de malitia, lætantur, ſicut Principes Synagogæ, qui de venditione Judæ, facta de Chriſto lætati ſunt. *In Lucam c.22. n.5. in Ioan.c.17.v.14.& collat.28.In Eccl.c.1.*

58. *Via voluptatis ducit ad mortem, & ad infernum.*

Ut eruaris à muliere aliena, & extranea: inclinata enim eſt ad mortem domus ejus, & ad inferos ſemita ipſius. Quæ eſt hæc mulier extranea? Hæc eſt voluptas; dicitur autem extranea; quia nobis debet eſſe extranea; unde hanc evitare debes ô homo, quia ad inferos, & ad mortem tendit ſemita ejus *Pſal.118.c.3.v.3.*

59. *Laſcivia inducit oblivionem mandatorum Dei.*

Reliquit ducem pubertatis ſuæ, & pacti Dei ſui oblita eſt. Quis eſt iſte dux pubertatis, ſcilicet virginitatis Mulieris, quæ facta meretrix, ipſum reliquit, & oblita eſt pacti cum Deo initi? Nota quòd hic loquitur de Muliere laſciva, & meretri-

ce;

ce, hæc enim ob laſciviam reliquit Deum ducem pubertatis, & caſtitatis, & oblita eſt pacti cum Deo initi in baptiſmo: nullum enim vitium eſt, quod magis inducat oblivionem Dei, ejuſque præceptorum, quàm luxuria. *Pſal.* 118. *c.*4. *v.*13.*&* *c.*9.*v.*13.

60. *Obedientes Deo, ab ipſo mirabiliter protecti; inobedientes à Deo derelicti.*

Ambula in via bona. & calles juſtorum cuſtodi; qui enim recti ſunt habitabunt in terra; & ſimplices permanebunt: impii verò perdentur. Quænam eſt hæc via bona, & callis juſtorum: Hæc via obediētiæ, per quam qui ambulat, verba Dei devotè recipiens, à Deo cuſtodietur, & ſimplex, ſcilicet, ut legit Caldæus, immaculatus, & Septuaginta, ſanctus permanebit, vitā à Deo recipiens *Ioan.col.*35. Impii verò inobedientes perduntur per culpam in præſenti, & per pœnam in futuro *in Sap.c.*5.

CAP. III.

61. *Cuſtodiens mandata Dei, immunis redditur ab omni malo.*

FILI mi ne obliviſcaris legis meæ; præcepta mea cuſtodiat cor tuum; longitudinem enim dierum, & annos. vitæ apponent tibi: Ecce quod Spiritus ſanctus inſinuat fructus obſervantiæ mandatorum Dei, nempe immunitatem ab omni malo, & longitudinem vitæ. *In Lucam* *c.*18.*v.*21.

62 *Præcepta Dei non obliviſcenda, ſed cuſtodienda.*

Fili mi ne obliviſcaris legis meæ. & præcepta mea cuſtodias. Vide quàm Deus ſit ſollicitus, ut nos audiamus ajus verba, & legem, & in memoria retineamus, eaque cuſtodiamus qui enim hæc facit, vitam in præſenti, & in futuro habebit. *in Ioan.collat.* 64 *&* 35.

63. *Cordis tabulæ quænam ſint in quibus deſcribenda eſt lex Dei.*

Deſcribe eam in tabulis cordis. Vult ergo Deus, ut deſcribatur lex Dei in tabulis cordis. Sed quænam ſunt iſtæ tabulæ? tabulæ iſtæ ſunt intellectus, memoria & voluntas: unde vult Deus, ut ſcribatur lex ſua in intelligentia per ſtudioſam acquiſitionem, in memoria per firmam retentionem; & in voluntate per dilectionem: qui hæc obſervaverit beatus erit. *in Sap. Proœm.*

64. *Miſericordia in proximum, & vitæ ſanctitas, inveniunt gratiam apud Deum, & homines.*

Miſericordia & veritas non deſerant te, & invenies gratiam bonam coram Deo. & hominibus. Vide effectus mirabiles miſericordiæ, & pietatis in proximum; hæc enim meretur gratiam in Mundo, in extremo fiduciam, & in cælo gloriam: ſubdit enim habe fiduciā in Deo, ſcilicet obtinebis à Deo omnia iſta bona. *ſer.* 2.*Dom.*1.*poſt Pent. in Lucam* *c.*2.*in fine.& v.*19. Nota etiam quòd dicit, invenies gratiam bonam: quæ eſt hæc gratia bona? Hæc eſt gratia Sapientiæ & divinæ cognitionis: dicitur bona, quia mentem illuminat, & intuitum animæ ad Deum videndum per fidem habilitat, & informat, abſtrahens animam à ſenſu carnali ad Deum videndum. *Op. de Eccleſ. Hier.p.*1.*c.*1.

65. *In Deo non in hominibus fidendum.*

Habe fiduciam in Domino Deo tuo. & ne innitaris prudentiæ tuæ. Ecce quid prætendit a nobis Deus poſt obſervantiam ſuorum mandatorum, nempe, ut habeamus fiduciam, & confidentiam in ipſo Deo, & non in nobis, nec in cæteris hominibus: & cur? quia omnes creaturæ ſunt vanæ, ſed Deus eſt invincibilis, & fidelis, promptus ſemper ad noſtrum auxilium. *In Ioan. collat.* 74. *Pſal.*118.*c.*4.*v.*10.*in Lucam c.*6.*v.*14.

66. *Qui totam intentionem ſuam dirigit ad obſervantiam mandatorum Dei, dirigitur à Deo in omnibus operibus ſuis:* Unde hic dicitur: In omnibus viis tuis cogita illum, & ipſe diriget greſſus tuos. *in Lucam c.*3.*v.*4.

67. *Qui cum exercitio præſentiæ Dei vitam ſuam inſtituit, à Deo protectionem, & directionem in omnibus viis ſuis accipit.*

In omnibus viis tuis cogita illum. Ergo na ſemper poteſt homo cogitare de Deo, cum ſit ut pluſimum tot variis objectis, & actionibus diſtractus? ſed attende quod hic Spiritus ſanctus intendit ſuadere exercitium divinæ præſentiæ ſcilicet vel actualis, vel habitualis: in omnibus viis tuis cogita illum, ſcilicet Deum: quaſi dicat: ſervus Dei deberet ſemper ita ſe gerere, ac ſi Deum facie ad faciem videret; quia ſic movebitur ad timorem, ad amorem, ad reverentiam Dei, & dirigetur in omnibus greſſibus ſuis. *Op. ſtim.div.amor.p.*2.*c.*9.*in Lucam c.*3.*in fine.*

68. *Faſtus & ſui nimia exiſtimatio Deo exoſa.*

Ne ſis ſapiens apud temetipſum. Quid eſt ſapiens eſſe apud ſeipſum? ergone vir doctus ſibi ipſi non debet credere, cum de doctrina & ſapientia cognita ſit certus? ſeu attende, quòd tota vis ſtat in illo verbo; *apud temetipſum*, & aſpice ad Phariſæum, qui apud ſe orabat; ſcilicet ſibi ipſi placens, & confidens in ſuis meritis, non in Deo, ſic enim dat intelligere Deus, quod faſtus, exiſtimatio ſui, & confidentia in propriis perfectionibus, ipſi maximè exoſus eſt. Humilitas enim eſt virtus propria Chriſtianorum, qua prætermiſſa, in vacuum laboratur. *In Lucam c.* 18. *v.* 10.

69. *Eleemoſinam de proprio dans, opus Deo charum facit.*

Honora Dominum de tua ſubſtantia, Nota quod dicit de tua ſubſtantia, non de aliena, quia eleamoſina collata de re aliena, à Deo non acceptatur; ſed debet eſſe de rebus in tua poſſeſſione, & dominio exiſtentibus. *l.*4. *d.*15.*p.*2.*dub.*7.*&* *a.*2. *qu.*1.

70. *Conditiones eleemoſynæ expenduntur.*

Honora Dominum de tua ſubſtantia, & implebuntur horrea tua ſaturitate, & vino redundabunt torcularia tua. Ecce, quòd Deus præcipit divitibus eleemoſynam. Sed nota quòd cum dicit honora Dominum, intendit exprimere conditiones neceſſarias ad hoc ut ſit in honorem Dei, Deoque accepta: debet enim dari modo juſto, ſcilicet de ſuo, non de alieno; quia ſicut aqua munda purgat, & immunda coinquinat; ſic eleemoſyna munda, quæ eſt ſine peccato uſuræ, vel rapinæ, mundat dantem; facta verò de re ex rapina, vel uſura, divitem inficit, proximum lædit & Deum offendit. Debet eſſe facta modo grato, ſcilicet oſtendendo ſimul pauperi vultum lætum, dulce verbum, & promptam manum; quia hilarem datorem diligit Deus: debet & fieri modo pio, ſcilicet ſine ſuperbia, & præſumptione, & ſine deſpectu ipſius pauperis: debet & fieri modo ordinato, ſcilicet, ut prius ſibi ipſi miſereatur dives. *Op. dict. tit. 1. c. 7. in Lucam c. 3. v. 11.*

71. *Per pauperem Deus petit, & recipit eleemoſynam.*

Honora Deum de tua ſubſtantia. Quomodo dicitur honorare Dominum de ſua ſubſtantia, qui eleemoſynam facit, & non potius pauperem? Quia licet exterius videatur ipſam pauper petere, & accipere, tamen verè eſt Deus, qui per pauperem petit, & accipit; cum pro amore Dei eam pauper petat: quicquid enim facit homo propter amorem Dei, ipſe Deus ſibi factum reputat; tum etiam quia Deus per pauperem petit quod ſuum eſt, non noſtrum, & hoc petit ad mutuandum ad centuplas uſuras. *Op. dict. tit. 2. c. 7.*

72. *Fructus eleemoſynæ item expenduntur.*

Honora Dominum de tua ſubſtantia, & implebuntur horrea tua ſaturitate. Ecce quod Deus promittit fructus multiplices pro eleemoſyna amore ſui elargita: fæneratur enim Domino, qui miſeretur proximo centuplum accepturus. *Dict. tit. 2. c. 7. Vide Op. Phar. l. 2. c. 49. & 50. Et op. Bibl. paup. c. 72.*

73. *Miſericordia in pauperes, ſaturitatem, & divitias affert: crudelitas famem, & miſerias.*

Honora Dominum de tua ſubſtantia, & implebuntur horrea tua ſaturitate. Vide quomodo ex promiſſione Dei miſericordia in pauperes ſaturitatem, & abundantiam omnium bonorum affert: è contra avaritia famem, & penuriam; unde avarus eſt ſicut canis, qui ſemper rapit, & nunquam ſatiatur. *Ser. 4. Dom. 6. poſt Pentec.*

74. *Qui fatigatur, & tædio afficitur ob diſciplinam, & correptionem Domini, excluditur de numero filiorum Dei.*

Diſciplinam Domini fili mi noli negligere, neque fatigeris, dum ab eo argueris. Nota quòd Spiritus ſanctus in his verbis loquitur ad filios Dei, & ut conſervent hanc filiationem eos advertit ne fatigentur, vel tædio afficiantur de correptione, & diſciplina Domini, alioquin de numero filiorum ejicientur *Ser. 1. Dom. poſt oct. Paſcha Pſ. 118. c. 6. v. 2. in ſap. c. 12.*

75. *Tribulationes ſunt ſignum maximum divini amoris.*

Quia quem Dominus diligit corripit, & caſtigat. Ecce quomodo hominem ab hoc errore eximere prætendit Spiritus ſanctus, & eos qui credunt tribulationes eſſe effectus iræ divinæ: ſunt enim effectus paternæ pietatis; quia ait ſapiens: *Deus quem diligit corripit, & caſtigat*; caſtigat enim filium, quem diligit, & relinquit, & deſerit adulterinum, & extraneum; ideo inferentes tribulationes nobis debemus diligere, veluti Miniſtros Dei Patris. *Op. ſtim. p. 2. c. 1. ſap. c. 11.*

76. *Pater externus propter amorem in filium, diligit peccatores.*

Quem enim diligit corripit, & quaſi pater in filio complacet ſibi. Nota quòd in prima parte hujus ſententiæ non nominat filium, ſed tantum in ſecunda; ait enim, *quem diligit corripit*, & poſtea ſubdit, quod ut Pater complacet ſibi; id eſt ſimpliciter filius ſibi placet; per quod dat intelligere, quod propter amorem, & merita filii ſui, Pater quem corripit diligit; diligit ſcilicet peccatores, qui licet ſint odioſi ob ipſorum peccata, tamen ob amorem filii ſui, eos dilectos habet, & ob id eos ad ſalutem corripit. *In Lucam c. 3. v. 21.*

77. *Dei ira terribilis eſt non caſtigans: ira Dei miſericors dum caſtigat peccatorem.*

Quem enim diligit Deus corripit: ergo quem non corripit non diligit; ergo terribilis eſt ira Dei, quando propter obſtinationem peccatoris, ipſum non caſtigat, ſed dimittit in peccatis: è contra ira Dei caſtigans maxima eſt miſericordia, & ſignum divinæ prædeſtinationis, ideo merito dicit pſalmiſta: *cum iratus fueris miſericordiæ recordaberis.* Et in hoc ſenſu copulat Evangeliſta amorem Chriſti cum infirmitate Lazari: *quem amas infirmatur*; quia amicorum Dei eſt pati. *In Ioan. c. 3. in fine & c. 11. v. 3. & 5.*

78. *Qui invenit ſapientiam, & Deum ſuper omnia diligit verè homo eſt: & è contra peccator Deum amittens non eſt homo.*

Beatus homo qui invenit ſapientiam: Nota illam particulam *homo*, & confer cum illo ſenſu *Ioan. 1. fuit homo miſſus à Deo:* dat enim per hoc intelligere, quod verè eſt homo qui invenit ſapientiam; ſcilicet qui elevatus ſuper omnes concupiſcentias, vivit ut homo, habens in ſe imaginem, & ſimilitudinem Dei; homo enim convenit cum Angelis, & ſuperat beſtias; & ideo eſt intelligibilis, habens virtutes viſivas ad ſuperius, & formam erectam, & principatum ſuper iraſcibilem, & concupiſcibilem, & minimum habet de ſenſu reſpectu brutorum, & ſuperat in virtute rationali: E contra qui magis convenit cum brutis non eſt homo. *In Ioan. collat. 3.*

79. *Inventio ſapientiæ Chriſtianæ quale bonum; & quid ad hoc requiratur.*

Beatus qui invenit ſapientiam; melior eſt acquiſitio ejus auri, & argenti primi. Vide quale bonum ſit invenire ſapientiam Chriſtianam, quæ eſt cognitio Dei, dilectio virtutum, & deteſtatio peccati: eſt enim inventio theſauri inæſtimabilis ſuper omnia bona creata: ſed adverte quod debet inveniri; ideſt primo quæri cum ſollicitudine, toto velle, toto poſſe, & ſine negligentia; & ad hoc debet præcedere perfecta purgatio domus conſcientiæ, quia non poſſunt eſſe ſimul culpa mortalis, & ſapientia Chriſti: Item requiritur deſertio perfecta mundanæ ſubſtantiæ; ideo præferri debet acquiſitioni auri, & argenti; item perfecta humiliatio; quia aquæ iſtæ currunt ad concavum, non ad Montes ſuperbiæ. *Ser.2.de S.Greg.*

80. *Prudentia neceſſaria ſervienti Deo.*

Beatus homo qui affluit prudentia: melior eſt acquiſitio eius auri. Non ſolùm ſapientia Chriſtiana, ſed & prudentia: hæc enim dirigit hominis actionem in ordine ad Deum, & ad ſeipſum, & proximum, & facit vilipendere propter Deum omnia creata. *In Pſal.118.c.5.v.8.*

81. *Fructus ſapientiæ Chriſtianæ expenduntur.*

Primi, & puriſſimi fructus eius; ſcilicet ſapientiæ. Quinam ſunt iſti fructus? ſunt fructus figurati in fructibus Paradiſi; qui enim invenit ſapientiam chriſtianam acquirit chariſmata gratiarum per modum roris deſcendentis in corde humili: item exercitium perfectæ obedientiæ, & altiſſimæ paupertatis, propriæ Apoſtolicorum virorum; ſcilicet vitæ, quam Deus dedit in Paradiſo, in quo omnia fuiſſent communia: item contemplationum cœleſtium myſteriorum; & hoc eſt perfectorum. *Ser. 17. Hexam. & in Lucam c.13.v.9.*

82. *Expenduntur denuo fælicitates quærentium, & invenientium ſapientiam Chriſtianam.*

Beatus qui invenit ſapientiam: melior eſt acquiſitio eius auri, &c. Expende iterum, quod ſapientia ſolùm datur ipſam invenientibus; & ob id ipſam quærentibus: ad hoc autem requiritur debita præparatio cordis: nempe extirpatio à ſpinis peccatorum, irrigatio per aquas lachrymarum, & compunctionis, & inflammatio incendii divinorum deſideriorum, deinde requiritur divini verbi ſuſceptio cum reverentia, & fide, & executione: & hinc ſequitur productio fructuum optimorum: gignuntur enim fructus ſpectabilis puritatis, munditiæ pulchrificantis: & fructus utiles claritatis intelligentiæ gratiæ illuminantis: & fructus delectabiles familiaritatis divinæ dulcorantis animam: primi fructus conſiſtunt in unitate gratiæ, & trinitate virtutum theologicarum, per quas anima redditur Deo amabilis, angelis deſiderabilis, & dæmonibus terribilis, ex quibus ſequitur poſtea deguſtatio aliorum fructuum hujus Paradiſi. *Ser.1. Dom. ſexag. in Lucam c.13.verſ.9.*

83. *Inventio ſapientiæ Chriſtianæ ſuper omnia bona deſiderabilis.*

Omnia quæ deſiderantur huic non valent comparari. Scilicet inventioni ſapientiæ chriſtianæ: & meritò, quia ſicut non eſt comparatio inter umbram, & ſimilitudinem ad veritatem, ſic nec inter creaturam, & divinam ſapientiam; nam omnis creatura eſt umbra, & ſimilitudo divinæ veritatis. *Ser.1.Dom.1.Adv.in ſap.c.7.*

84. *Sapiens à Deo ſolo expectat bona ſpiritualia, & temporalia*; Scit enim, quòd dicitur hic longitudo dierum; ſcilicet vitæ æternæ, bona in dextera Domini, & in ſiniſtra illius divitiæ, & gloria. *In Lucam c.1.v.11.& in Ecclen.c.6.*

85. *Viæ Domini ſunt rectæ, faciles, & pulchræ: è contra viæ Mundi obliquæ, difficiles, & immundæ.*

Viæ ejus viæ pulchræ, & ſemitæ ejus pacificæ. Ecce quomodo proponit nobis dominus, ut ad ſapientiam chriſtianam quærendam, greſſus, & intentiones dirigamus: nempe quia in hac inquiſitione inveniemus vias ejus rectas, ideo breviores; puras ideo leviores; & pulchras, & ideo ſuaviores: ergo viæ mundi ſunt è contra obliquæ, impuræ, & immundæ, & difficiles: ſed quæ ſunt viæ Dei? ſunt obſervantiæ mandatorum, & conſiliorum ſuorum. *Pſal.118.c. 1.v.3.in ſap.c.6. Op. comp. Theol.l.5.c.6.*

86. *In via Dei pax invenitur: in via Mundi bellum.*

Viæ ejus viæ pulchræ & ſemitæ ejus pacificæ. Quomodo dicitur quod in ſervitio Dei ſemitæ ſunt pacificæ, ſi ſemper bellum urget contra hoſtes? Nota quod hoc dicitur ad differentiam viarum mundi; nam in via Dei ſemper eſt pax interior, ac etiam exterior, & licet non videatur eſſe ſemper exterius; quia pugnandum eſt cum Diabolo, Mundo, & carne: ſed in via mundi ſemper eſt bellum exterius, & interius, quia multiplicantur pericula, hoſteſque nos ſpoliantes. *Ser. 3. fer. 3. Paſcha.in Ecclen. proœm. Op. Diet. tit.7.c.6.*

87. *In poſſeſſione ſolius ſapientiæ Chriſtianæ eſt beatitudo.*

Lignum vitæ eſt qui apprehenderit ſapientiam; & qui tenuerit eam beatus. Ecce quomodo in hac vita, & perfectius in alia, poſſumus beatitudinem conſequi: cum enim ſit aggregatio omnium bonorum, ergo ſolùm in eo qui habet affluentiam omnium bonorum poteſt poſſideri: hoc autem ſit acquiſitione ſapientiæ quæ eſt Chriſtus Jeſus. *In Ecclen. proœm. & c.7. Pſal.118. c.1.v.1. ſap.c.8. & 11.*

88. *Non ſufficit invenire Chriſtum, ſed oportet ipſum detinere apud ſe.*

Lignum vitæ his, qui apprehenderint ſapientiam: ſcilicet Chriſtum, *& qui tenuerit illam, beatus.* Cur addit, & qui tenuerit illam? Nonne ſufficit apprehendere? Minime: quia non ſufficit invenire, & apprehendere Chriſtum; ſed oportet ipſum apud ſe detinere: multi enim ipſum inveniunt; ſed quia non ipſum detinent; ideo perdunt fructus ejus. *In Lucam c.4.v.42.* Notent hoc

hoc diligenter qui pœnitentiam aſſumunt: ad hoc enim neceſſaria eſt perſeverantia.

89. *Chriſtus lignum vitæ: Peccator, & Diabolus lignum mortis.*

Lignum vitæ eſt qui apprehenderit illam: Nota quod hoc dicitur de ſapientia divina, quæ eſt Chriſtus, qui eſt lignum vitæ ſcilicet viride, quia vivum & fons vitæ, lignum pulchrum, & fructuoſum: E contra peccator eſt lignum aridum, carens vitâ gratiæ, fructu juſtitiæ, & virtute conſtantiæ. *In Lucam c. 23. v. 31. ſer. 11. Hexam.*

90. *Sapientia donum ſpiritus ſancti, lignum vitæ.*

Lignum vitæ eſt his, qui apprehenderint ſapientiam. Quam ſapientiam? ſapientiam donum ſpiritus ſancti; quæ apprehenditur aſcendendo per acquiſitionem, & exercitium aliorum ſex donorum, quorum primum eſt timor Domini; dicitur autem lignum vitæ; quia facit, quod animus pacatus, & tranquillus Deo vero fonte vitæ perfruitur: ad hanc menſam ligni vitæ beati quieſcunt perpetuò, & dulciter reficiuntur. *Op. de dono ſap. c. 11. in fine.*

91 *Lignum vitæ eſt Sancta Crux.*

Lignum vitæ eſt his, qui apprehenderint illam. Quodnam eſt hoc lignum vitæ promiſſum iis qui ſapientiam chriſtianam invenerunt, & tenuerunt? ſed Nota quod ſapientia, & doctrina chriſtiana nobis exponit virtutes ligni ſanctiſſimæ Crucis quæ ſunt eædem virtutes crucifixi Jeſu: & dat nobis intelligere, quod crux nobis vitam peperit, ſic & confert, & conſervat, ſicut lignum vitæ; conſervativam virtutem habebat reſpectu vitæ corporalis, ipſam præſervando à morte: ſed notandum quod licèt crux fuerit expoſita in medio Eccleſiæ pro omnibus ſufficienter, tamen efficaciter ſolùm confert vitam, defendendo nos ab omni malo corporis, & animæ, iis, qui apprehenderint, & tenuerint illam, ſcilicet per amorem, & imitationem. *ſer. 1. de Inven. ſanctæ Crucis.*

92. *Idem de Ligno Sanctæ Crucis.*

Lignum vitæ. Cur lignum vitæ? quia ſicut lignum vitæ in Paradiſi medio plantatum, virtutem vitalem habebat præſervandi à morte, quodque fuit figurâ ligni ſanctæ Crucis, quod dicitur vitæ; quia in ipſo vita Mundi Dominus Jeſus Chriſtus pependit; & per quod vitam Mundo dedit; & ſine cujus beneficio nullus vitam gratiæ habet. *Ser. 1. in Invent. S. Crucis.*

93. *Lignum vitæ Chriſtus eſt Beatis in gloria.*

Lignum vitæ eſt his qui apprehenderint eam: Et qui ſunt quia pprehendunt hanc cœleſtem ſapientiam? ſunt qui intrant in gloriam. Iſtis, ſcilicet beatis Chriſtus eſt lignum vitæ, quod deguſtatum adeo eſt dulce; ut ipſo deguſtato, amplius nec fameſcet, nec ſitiet in æternum homo: Beati igitur qui hoc lignum vitæ apprehenderint: Infelix qui ſeparatur ab hoc ligno, quia privabitur in fine vita gratiæ, & gloriæ, & incurret damnationis æternæ mortem, ubi erit vita ſemper moriens, & mors ſemper vivens, vita mortalis, & mors vitalis. *Ser. 1. in Invent. S. Crucis. In Ioan. c. 20. v. 17.*

94. *Chriſtus in Euchariſtia lignum vitæ.*

Lignum vitæ eſt his qui apprehenderint illam: Scilicet ſapientiam divinam: quæ eſt ſapientia divina, niſi filius Dei incarnatus? & qui ſunt; qui ipſum apprehendunt, niſi ipſum percipientes in Euchariſtia, quæ poſita eſt ab ipſo, ut ſit lignum vitæ plantatum in medio Paradiſi ſanctæ Eccleſiæ. Panis ergo iſte eſt lignum vitæ dans vitam veram his, qui dignè ipſam perceperint; nempe recta fide, ordinata charitate, affectuoſa devotione *In Ioan. collat. 33. ſeq.*

95. *In Fundatione Terræ eluceſcit potentia, ſapientiaque divina.*

Dominus ſapientiâ fundavit terram. Nota quod in fundatione terræ maxime eluceſcit ſapientia, & conſequenter potentia Dei; quod hic notatur à ſacro ſcriptore; nam ſtabilire infirmitatem, & rem infirmiſſimam, ita ut in æternum maneat firma, proprium eſt divinæ potentiæ, & ſapientiæ. *Pſal. 118. c. 6. v. 10.*

96. *Apoſtolorum doctrina, & prædicatio quàm proficua Eccleſiæ.*

Nubes rore concreſcunt: Quomodo nubes rore concreſcunt; & non potius diſtillant? ſed nota, quod per nubes intelliguntur Apoſtoli, qui veluti nubes aëris rorem diſtillaverunt cœleſtis doctrinæ; per ipſamque concreſcunt, ideſt concreſcere faciunt fideles, eos imbuentes, & inſtruentes, & dirigentes in via Domini, nubes inquam, nunc tonando minis; nunc pluendo doctrinis, nunc miraculis coruſcando corda ſopitorum in peccatis commoverunt. *Op. de Eccleſ. Hier. p. 4. c. 2.*

97. *Prius incumbendum eſt ſaluti propriæ, quàm alienæ.*

Fili mi ne effluant hæc ab oculis tuis. Nota quod dicit ne effluant hæc, non dicit affluant: cur hoc? quia effluere importat exitum. v. 9. aquæ à fonte: Iſta documenta à ſpiritu ſancto data, vult Deus, ut in corde, & anima recipiantur, & per totam animam affluant; ita ut; v 9. Prælatus, Doctor, & Prædicator ſuæ ſaluti priùs ſibi incumbere, poſtea aliis, alienæque ſaluti ſtudeat, & hæc eſt ordinata charitas. *Op. medit. vitæ Chriſti c. 47.*

98. *Legis divinæ obſervantia quales fructus pariat.*

Cuſtodi legem meam, & erit vita animæ tuæ. Nota quod ſupra propoſuit lignum vitæ his qui apprehendunt ſapientiam Chriſti: ſed quia talis apprehenſio involvit obſervantiam legis divinæ, ſubdit hic cuſtodi legem meam, & erit vita animæ tuæ, quaſi dicat: numquam poſſidebis hoc lignum vitæ, niſi cuſtodias legem meam; & quia hoc lignum confert vitam, ſic & legis divinæ obſervantia confert tibi vitam: Advertte autem,

autem, quod lex Chriſti eſt lex libertatis, liberum faciens obſervantem à ſervitute diaboli, Mundi, & carnis, & perducens ad libertatem regni ubi eſt ſecura vita, ideo rectè infert, *& erit vita animæ tuæ. Ser. de S. Luca.*

99. *Prædicator non conjungens exempla vitæ cum verbis, retrahit auditores à bonis operibus.*

Noli prohibere benefacere eum, qui poteſt: ſi vales, & ipſe benefac. Quis eſt, qui prohibet benefacere? certe eſt qui verba cum exemplo vitæ non copulat; iſte enim dicitur prohibere auditores, ne benefaciant: hoc attendant prædicatores. *In Lucam c. 11. v. 52.*

100. *Qui vocantur à Deo ad ſtatum perfectionis, non ſunt retrahendi ab ipſius ſervitio.*

Noli prohibere benefacere eum, qui poteſt: Nota quod dicitur contra eos, qui à religioſa vocatione retrahunt ſub prætextu pietatis, vel alterius rationis humanæ; ſic enim & Chriſtus increpavit eos, qui vetabant pueros adduci ad ipſum Chriſtum *In Lucam c. 18. v. 16.*

101. *Qui citò dat, bis dat eleemoſinam.*

Ne dicas amico tuo: vade, & revertere cras dabo tibi: cum ſtatim poſſis dare. Nota quod in his verbis ſpiritus ſanctus ſuadet divitibus, ut eleemoſinam prompte dent, & celeriter, quando poſſunt; quia qui cito dat, bis dat; ſcilicet gratior Deo eſt talis donatio, & veluti duplicata eleemoſina. *L. 4. d. 15. p. 2. dub. 7. & Op. Diat. Sal. tit. 2. c. 7. in Lucam c. 11. v. 41. & c. 19. v. 8.* Addimus, quod tales ſunt ſimiles Angelis noſtris cuſtodibus, qui velociſſimi ſunt in ſubveniendo noſtris neceſſitatibus; ſic & nos prompti manum adjutricem tanquam venti porrigere debemus pauperibus. *Op. Eccleſ. Hier. p. 3. v. 3.* Ut videas quod eleemoſinarius eſt veluti Angelus cuſtos pauperum.

102. *Vocanti Deo ſollicite obtemperandum.*

Ne dicas amico tuo: vade, & revertere: Ecce quomodo vult Deus obedientiam ſollicitam, quando ad ſuum ſervitium vocat: quia moram, & negligentiam odio habet. *In Lucam c. 5. v. 30.*

103. *Deus amplexatur ſimplices, humileſque: & abominatur duplices, & ſuperbos*

Ne amuleris hominem injuſtum, nec imiteris vias ejus; quia abominatio Domini eſt omnis illuſor: & cum ſimplicibus ſermocinatio ejus. Nota ô homo hoc documentum ſpiritus ſancti, intendit enim docere nos quam abominabilis ſit Deo duplicitas cordis, & ſuperbia; & quàm ſibi ſit grata ſimplicitas: nam duplices cordeà ſe rejicit, & ſimplices, humileſque amplexatur; & iſtis ſua arcana revelat; quod & apoſtolis, & Diſcipulis factis oſtendit, quibus ut ſimplicibus, & parvulis revelavit ſua myſteria, eaque ſuperbis abſcondit. *In Lucam c. 2. v. 9. & c. 3. v. 10. & Ser. de S. Marco.*

104. *Ubi non eſt Deus, ibi egeſtas: ubi Deus eſt, ibi omnis benedictio.*

Egeſtas in domo impii à Domino: habitacula autem juſtorum benedicentur. Ecce unde advenit penuria, & egeſtas; nempe ab impietate: ubi enim Deus non eſt, ibi omnis egeſtas, ubi Deus adeſt, ibi omnis benedictio. *In Lucam c. 15. v. 14.*

105. *Præſente ſapientia Chriſtiana, & divinâ, ibi eſt affluentia omnium bonorum: abſente gratia, ibi omnis egeſtas.*

Egeſtas à Domino in domo impii. Cur egeſtas, & quomodo? nonne multi impii abundant omnibus bonis temporalibus; & è contra multi juſti fame, & egeſtate torquentur? Sed nota quod loquitur de penuria ſpirituali, quæ oritur ex culpa mortali; ubi enim reſidet peccatum, ibi locus famis, & egeſtas omnium bonorum ſpiritualium, è contra cum ſapientia chriſtiana, & gratia venit benedictio divina omnium bonorum; & ideo mirum non eſt, ſi filius prodigus invenerit famem validam in terra peccati. *In Lucam c. 15. v. 14.*

106. *Chriſtus illuſionibus toleratis deluſit illuſores ſuos.*

Ipſe deludet illuſores ſuos: Quomodo Deus deludet illuſores ſuos? & quinam ſunt iſti illuſores Dei? Nota quod illuſores illudentes Deo, ſunt Diabolus primo, deinde peccatores, & tandem Judæi, qui illuſerunt Chriſtum: Chriſtus deluſit has illuſiones, tolerando varias illuſiones ab inimicis in paſſione, ut ſatisfaceret pro peccatis noſtris. *Ser. 2. Dom. quinquag.*

107. *Diabolus quomodo illudit homines.*

Ipſe deludet illuſores ſuos. Nota quòd præcipuus illuſor contra Deum eſt diabolus, qui artibus ſuis illudit homini in proſperitatibus, & hoc in cognoſcendis, ligans oculos per velamen ignorantiæ; in agendis item per hypocriſim: item in appetendis, inducendo homines ad relinquenda æterna pro temporalibus. *Ser. 2. in Dom. quinquag.*

108. *Deus ſuperbis reſiſtit; humilibus dat gratiam.*

Ipſe deludet illuſores ſuos: manſuetis autem dat gratiam. Vide quàm ſit verum quòd Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam: ſuperbi autem ſunt qui illudere tentant Deo, exaltantes ſe ſuper ſe, & ſupra Deum: manſuetis autem dat gratiam. *Op. de prof. religioſ. l. 2. c. 33. Ex op. de ſex alis Cherub.*

109. *Differentia qualis inter ſapientem, & ſtultum.*

Gloriam ſapientes poſſidebunt: ſtultorum exultatio ignominia. Vide quodnam præmium paratum eſt ſapientibus; & quænam pœna ſtultis? ſed quinam ſunt iſti ſapientes, & qui ſtulti? ſapiens eſt verè pauper ſpiritu, qui æterna temporalibus præfert, iſta contemnit propter illa: iſtis datur gloria, ſcilicet æternorum ſapor, & recta æſtimatio: ſtultus vero eſt qui pro temporalibus contemnit

eootemnit æterna, & iſti hæreditant ignominiam æternam. *In Eccleſ.c.2.& 6.*

110. *Sapientia mundana, & cæleſtis qualiter differant.*

Gloriam ſapientes poſſidebunt: Ergone omnibus ſapientibus gloria eſt exhibita? indocti ergo excluduntur à gloria? Minimè: ſed attende, quod alia eſt ſapientia mundana, alia eſt cœleſtis; iſla reſpicit commodum præſentis vitæ; & eſt otilis ante mortem; ſed in morte nihil juvat: iſta reſpicit remunerationem æternam, ob quam deſpicit temporalia, & iſta eſt utilis ad operationem boni; ad augmentum gratiæ, & gloriæ: & de hac loquitur ſacer textus. *In Eccleſ.c.2. Et ſerm.1. de S.Catharina V.in addit.*

CAP. IV.

111. *Audiendum eſt verbum Dei ad acquirendam prudentiam: & quid ſit hæc prudentia.*

A*Vdite filii diſciplinam Patris; & attendite ut ſciatis prudentiam.* Quomodo vult Deus, ut totum cor noſtrum intendamus ad hoc, ut addiſcamus prudentiam? & cur non addit etiam, obſervantiam ipſius legis. Iiuò & hoc eſt quod vult Deus; nam vera prudentia à Deo intenta nihil aliud eſt, niſi obſervantia mandatorum ipſius: vult igitur Deus, ut ſollicitè audiamus ejus verba, & legem, ut ſecundùm ipſa operemur, & in ipſius obedientia nos ipſos exerceamus. *Ser.4.de una S. Virgine.*

112. *Quale præmium promittatur obſervantibus mandata Dei.*

Donum bonum tribuam vobis, legem meum ne derelinquatis. Vide quomodo primo loco proponit præmium, deinde obſervantiam legis ſuæ, ut nos ad ipſam alliciat; ſed quodnam eſt hoc donum bonum? donum bonum eſt aliquid continens omnia bona; ſcilicet eſt ipſemet Deus, qui obſervantibus legem ſuam ſe donat. *Pſal.118. c.4.v.5.*

113. *Puerorum inſtructio in ſapientia Chriſtiana ſummè neceſſaria à Parentibus facienda.*

Nam & ego tenellus fui Patris mei, tenellus, & unigenitus coram Matre mea, & docebat me, & dicebat: ſuſcipiat verba mea cor tuum; cuſtodi præcepta mea, & vives. Nota quòd ad litteram dat intelligere Salomon ſe fuiſſe unigenitum ex Berſabea, quia primogenitus jam mortuus erat ante octavum diem, antequam Salomon in lucem ederetur: ſic ex *Gloſſa: & l.4.d.9. p.2.a.3. qu.2.* Sed myſticè docet littera, quòd Salomon habuit ſapientiam, partim ex revelatione & partim ex exercitio; nam adhuc parvulus inſtruebatur à Patre, & Matre, ſimulque alliciebatur ad obedientiam Dei, & parentum: ut videas quàm neceſſaria ſit inſtructio à Parentibus facienda ſuorum filiorum dum adhuc tenelli ſunt. *In Eccleſ.c.1.Pſal.118.c.11.v.5.*

114. *Doctrina Chriſtiana quales fructus.*

Accipe illam, & exaltabit te. & glorificaberis ab ea, cum illam fueris amplexatus: Dabit capiti tuo augmenta gratiarum, & corona inclita proteget te. Ecce quales fructus mirabiles promittit Spiritus ſanctus pueris, & omnibus qui ſapientiam, & doctrinam Chriſtianam perceperint: qui ad quatuor capita reducuntur: primo enim affert exaltationem; quia hæc exaltat animam ſuper ſe; ſcilicet ad divina: ſecundò affert glorificationem, ſcilicèt contemplationem myſteriorum Dei: tertiò gratiarum abundantiam: quartò viriditatis perpetuæ immarceſſibilem coronam: *In Eccleſ.c.3.& præfat. in Pſalt.B. Virg. & ſerm. de S. Paulo ſeorſim in addit. & ſerm.1.de S.Iacob. & ſer.de Apoſtol.ibid.ſer.de SS.Sim.& Iuda ibid.*

115. *Devotio B. Virginis, quam utilis & qualiter exercenda.*

Accipe illam, & exaltabit te. Nota quòd verba iſta dicuntur ad litteram de ſapientiâ divinâ: ab Ecclesia tamen, dictante Spiritu ſancto myſticè applicantur B.Virgini: Prætendit enim nos allicere, & attrahere ad ipſius amorem, & devotionem variis promiſſionibus, ut nexu ſpirituali tam præclara puella nobis conjungatur, ut nos brachiis deſideriorum ferventium cum magna reverentia, & devotione eam amplexemur: Promiſſiones igitur continent quatuor donaria excellentiſſima: primum eſt exaltatio animæ, dicens: *& exaltabit te.* ſcilicet ad Dei notitiam, & amorem: ſecundum eſt glorificatio in præſenti; dicens: *& glorificabit te*; nam veri devoti B. Virginis participationem cœleſtium donorum in hac vita obtinent, &c. Tertium eſt gratiarum abundantia, dicens: *dabit capiti tuo gratiarum abundantiam*; ſcilicet ſpiritualium, & temporalium: quartum eſt viriditatis perpetuæ immarceſſibilis corona dicens; *corona inclita proteget te:* Vide igitur quomodo Spiritus ſanctus nos ad multiplicem devotionem B. Virginis invitat; & ideo quilibet invitatur ad extendendum ſinum mentis, ad præparandum cor, ad laxandam linguam, ipſamque laudandam & glorificandam, ac celeri famulatu ad illi placendum in ejus obſequiis. *Op.Pſalt.B.Virgin.in præfat.*

116. *Vita ſpiritualis, & virtutum facilis, ſuavis, & lata: via vitiorum anguſta, difficilis, & laborioſa.*

Ducam te per ſemitas juſtitiæ, quas cum ingreſſus fueris, non arctabuntur greſſus tui: Notanda ſunt iſta verba diligenter: quomodo dicit Spiritus ſanctus, quòd ſemitæ juſtitiæ ſint tam faciles, quòd ambulans per eas nullam anguſtiam, & difficultatem inveniet? Nonne in via Dei occurrunt continuè infiniti ſcopuli difficultatum, tentationum, & periculorum? ſed attende quòd hoc dicit ad differentiam ambulantium per viam vitiorum: dat enim intelligere, quòd in via juſtitiæ, & virtutum non invenitur, niſi facilitas, ſuavitas, & quies: & licet videantur occurrere difficultates, omnes ſunt apparentes; & tota difficultas eſt in ingreſſu tantùm: quia Chriſtus in ea dicit: venite ad me qui laboratis; jugum enim meum ſuave eſt: è contra, via vitiorum laborioſa, & difficilis. *In Lucam c.13.v.24.* Docet igitur Spiritus ſanctus, quod via mandatorum Dei eſt plana, lata, ſuavis, facilis; & ratio

Digitized by Google

eſt, quia ſicut lineæ quo magis à centro ad circumferentiam accedunt, eò minus anguſtantur, imò magis dilatantur; & è contra quo magis à circumferentia ad centrum accedunt, & in centro terminant, eò magis comprimuntur; ſic & animæ, quo à terrenis ad cœleſtia magis exaltantur, eò majorem dilatationem, latitudinem, & ſuavitatem inveniunt; & è contra in centro terrenarum affectionum, & vitioſitatum anguſtias, & difficultates inveniunt; quia jugum Chriſti ſuave, & jugum mundi aſperum: *Sic ad ſenſum Seraph. D.*

117. *Aſcenſus ad perfectionem eſt dies creſcens ab Aurora uſque ad perfectum Lumen.*

Juſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit uſque ad perfectum diem: Nota quòd hîc exprimitur gradualis proceſſus tendentium ad perfectionem virtutum, & ipſorum fœlicitas: tanguntur que tria; ſcilicet lux, ſplendor, & perfectus dies: nempe tres partes contemplationis, ſcilicet cogitationis, meditationis, & contemplationis: per primam vagatur anima per plura: per ſecundam unitatem invenit: per tertiam elevatur in Deum omnia relinquens, etiam ſeipſam; & tunc animæ eſt dies perfectus. *Ser.4. Dom.inf.octav.Epiph.*

118. *Gradus Deo ſervientium expenduntur.*

Juſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit uſque ad perfectum diem. Nota quòd in his verbis gradus vitæ ſpiritualis innuuntur; nam gradus incipientium notatur in primis verbis & comparatur luci ſplendenti; quando ſcilicet poſt auroram incipit ſol illuminare orbem, tunc enim eſt lux, ſed immixta etiam tenebris: inde proficit, ſignificatque proficientium ſtatum, qui adhuc eſt etiam cum aliqua imperfectione; & deinde in perfectis eſt dies perfectus, & tunc anima ingreditur ad Chriſtum, induta regalibus indumentis, ideſt virtutibus: *Serm.1. in vigil. Nativ.*

119. *Donum pietatis facit menti juſtorum diem perfectum.*

Juſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit uſque ad perfectum diem. Nota quod juſtis dies perfectus promittitur, ſed tamen per donum pietatis, quod facit primo mane, dum ſol æternus irradiat mentem ad hoc ut cognoſcat ſtatum ſuum, & miſeriam quam incurrit, ſeparando ſe à Deo, neceſſitatemque extendendi ſuas operationes ad Deum, & in Deum: deinde proficit in hac luce, dum ſe in cultu Dei exercet, & tandem perfectum diem experitur, dum etiam ad proximi ſubſidium ſe applicat. *Op. de dono piet.c.2.*

120. *Fides eſt lux animæ causans diem perfectum: & quomodo.*

Juſtorum ſemita quaſi lux ſplendens. Nota etiam quòd hæc lux eſt fides, quæ ſemitam, & viam illuminat juſtis, & dum ſe in practica fidei exercent, creſcit hoc lumen cauſans perfectum diem menti, ipſam illuminando mirabiliter. *In Lucam c.2.v.21.in ſap.c.6.*

121. *Aſcenſus ad perfectionem eſt menti dies perfectus.*

Juſtorum ſemita quaſi lux ſplendens: Ideſt iter juſtorum dum eſt de virtute in virtutem, menti cauſat mane, ſcilicet initium, meridiem, ideſt progreſſum, & veſperam, ideſt complementum: tales enim mirabiliter illuminantur. *In Ioan c.4. v.4.& op.ſpec.diſcip.p.2.c.6.Et op.Apol.paup.reſp. 1.c.3.& ſap.c.5.*

122. *Mandatorum obſervantia affert lucem animæ, & victoriam tentationum: inobſervantia vituperationem, obſcuritatem, & inde præcipitium æternum.*

Juſtorum ſemita quaſi lux ſplendens: Via impiorum tenebroſa, neſciunt ubi corruant: Ecce quid facit obſervantia mandatorum Dei, nempe illuminat animam, ut ſecurè incedat: & è contra inobſervantia tenebroſitatem & ob id conſequenter vituperationem, & præcipitium; quia per obſervantiam triumphat anima de diabolo, & procedit de virtute in virtutem, de luce in lucem: è contra inobſervantia periculum, & ruinam. *In Ioan. c.4.v.4. In Lucam c.6. in fine & ſer.3.Dom.10 poſt Pentec.*

123. *Via peccatorum tenebroſa, & præceps.*

Via peccatorum tenebroſa, neſciunt ubi corruant. Ecce quomodo via impiorum, nempè peccatorum eſt tenebroſa, tenebras, & obſcuritates inferens animæ; & hoc maximè dicitur de peccato ſuperbiæ; & ideo mirum eſt, ſi incedentes per has vias extollantur in altum, ut lapſu graviore ruant. *Pſal.118.c.1.v.9.& c.2.v.10.*

124. *Obedientia vera quid exigat, & quales fructus gignat.*

Fili auſculta ſermones meos, & ad eloquia mea inclina aurem tuam; nec recedant ab oculis tuis: & cuſtodi ea in medio cordis tui: quia vita ſunt invenientibus ea. Vide ex hoc textu quid exigat Deus à nobis: nempe ut auditu exteriori, & interiori percipiamus ejus præcepta, ſcilicet per obedientiam, & executionem; quia vita ſunt, ait Dominus, invenientibus ea; ideſt quia obedientia facit ſanctè vivere, ſecurè mori, & jucundè ad gratiam pergere. *Ser.4.de una Virgine.*

125. *Ad caſtitatis cuſtodiam, cuſtodia ſenſuum externorum, & interiorum neceſſaria.*

Fili auſculta ſermones meos, nec recedant ab oculis tuis: cuſtodi ea in medio cordis tui: remove à te os pravum. Vide quid exigat Deus ad hoc ut anima cuſtodiat ſua præcepta; & hoc præcipuè in ordine ad caſtitatem: nempe cuſtodiam ſenſuum exteriorum, ita ut aures, & oculi fixi ſint ad divina mandata; item os cuſtodiendum à detractione, & omni immunditia, ſed magis expurgatio cordis ab immundis cogitationibus. *Op.de prof.relig.l.1.c.39.Op.ſtim.div.am.p.2.c.15. In Ioan.c.4.v.3.Pſal.118.cap.3.v.11.*

126. Pruden

126. *Prudentia adſpicit ad præſentia, & futura, dirigens animam in cognoſcendis, & eligendis.*

Oculi tui videant recta; & palpebræ tuæ præcedant greſſus tuos. Nota quod hic loquitur de ſenſibus internis, quorum actus ſpectant ad prudentiæ exercitium; nam ſicut debet præcedere viſio, ne in profundum fiat lapſus, ſic & judicium debet dirigi à prudentia adſpiciendo, non ſolùm ad præterita, ſed ad præſentia, & futura, ut cognoſcat anima quæ deſideranda, & eligenda, & quæ reſpuenda: *In Ecclen.c.6.& Pſal.118. c.9.v.9.& Op.de 4.virtu.Cardinal.*

127. *Via Chriſti quales, & qualiter dirigenda.*

Dirige ſemitam pedibus tuis, ut non declines ad dexteram, vel ſiniſtram. Quid eſt dirigere ſemitam pedibus? Hoc eſt dirigere greſſus noſtros per vias Chriſti, quæ ſunt pax, humilitas, patientia, innocentia, & pænitentia; per iſtas debemus incedere, & dirigere greſſus noſtros in rectum à diſtorto, rectificandos, ne declinemus ad dexteram per proſperitates, vel ad ſiniſtram per adverſitates: & de iſtis dicebat Joan. Baptiſ. dirigite viam Domini. *In Ioan.collat.7.*

128. *Deus ſolùm novit dexteram, non verò ſiniſtram.*

Vias quæ à dextris ſunt novit Dominus: perverſæ verò ſunt quæ à ſiniſtris ſunt: ideſt Deus approbat ſolum, quæ à dextris ſunt. *Dict.tit.10.c.6.*

CAP. V.

129. *Concupiſcentiæ, & Meretricis blandimenta, quam fugienda.*

Fili mi attende ad ſapientiam meam, & prudentiæ meæ inclina aures tuas. Ne attendas fallaciæ Mulieris, favus diſtillans labia Meretricis; & nitidius oleo guttur ejus. Noviſſima autem illius amara quaſi abſynthium, & acuta quaſi gladius biceps: pedes ejus deſcendunt in mortem; & ad inferos greſſus illius penetrant. Nota quod divina ſapientia valdè ſollicita de ſalute noſtra, intendit nos inſtruere quàm noxia ſit concupiſcentia, ideo ſollicite vitanda; nam ipſa pertrahit ad maximam amaritudinem ſub ſpecie dulcedinis; & quia habuit ortum à Muliere, & in Muliere fomentum; quia ſua pulchritudine illaqueat per delectationem, tanquam venatrix dæmonum; illaqueat & verbis, & aſpectibus, & occidit animam; ideo ſub nomine Mulieris malæ à conſortio meretricis ſimul & à concupiſcentia nos cavere docet. *In Ecclen.c.7.& Op.Incend.c.2.*

130. *Hæretici, & hæreſes quam vitandæ.*

Nota etiam quod nomine Meretricis intelligi poteſt hæreticus, & hæreſes, qui ſub ſpecie dulcedinis ad amaritudinem trahit, & illaqueat animam verbis, & factis, & occidit ſpiritualiter. *In Lucam c.2.v.35.*

131. *Qui Deum mortaliter offendit, ſeipſum dat Diabolo; & qui degit vitam in peccatis dat Diabolo honorem, & annos ſuos.*

Ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli. Qui ſunt iſti alieni quibus ſuadet ſpiritus ſanctus ne det homo honorem ſuum, & annos? Nota quod iſti alieni crudeles, ſunt dæmones quibus ſe conſecrat, & exhibet homo, dum recedit à Deo, & Diabolo obtemperat: & tunc Peccator non eſt ſui juris, ſed fit ſervus captivuſque Diaboli hoſtis crudelis: dicitur autem crudelis, quia in ſuos Mancipios inducit alios Diabolos, ut in ipſum tirannidem exerceant. *In Lucam c.11.v.24.*

132. *Quomodo peccator dicitur tribuere honorem ſuum Diabolo.*

Ne des alienis honorem tuum. Quis eſt qui ſuum honorem tribuit Diabolo? Nota quod verus honor eſt imago, & ſimilitudo Dei: dedecus eſt ſimilitudo peccati, & Diaboli: homo igitur, peccans, ſuum honorem renunciat Diabolo, & induit ſimilitudinem Diaboli; & ideo honorem ſuum perdit; & in dedecus Diaboli tranſit. *In Ioan.c.12.v.26.*

133. *Qui tempus vitæ ſuæ in peccatis conſumit, dat Annos ſuos Dæmoni.*

Ne des alienis honorem; & annos tuos crudeli: ſcilicet ne expendas vitam tuam in peccatis, alioquin annos tuos in obſequium Diaboli expendes. *In Thren.c.1.*

134. *Conſcientiæ puritas quietem perfectam animæ adfert.*

Bibe aquam de ciſterna tua: Cur id præcipit ſapiens? Nonne & ad alios fontes poteſt pergere ad extinguendam ſitim. Sed nota quod per ciſternam intelligitur bona conſcientia, eo quia ſciebat amaritudinem, quam adfert animæ mala conſcientia: & è contra, qualem dulcedinem bona, ait, *bibe aquam*, ſcilicèt juſtitiæ reficientis, & dulcorantis, de tua conſcientia pura, & purgata; ſic enim extinguetur, & diſſipabitur omnis amaritudo. *In Ioan.Collat.38.*

135. *Studium Prædicatoris debet dirigi ad aliorum profectum exemplo Chriſti.*

Deriventur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas divide. Nota hæc dirigi ad prædicatores, qui in ſe impleri debent aquis doctrinarum cæleſtium; ſed tamen debent influere ad alios: ſic & faciebat Chriſtus, qui in omni loco prædicabat & per hoc datur intelligi quod Prædicator debet eſſe perſona communis omnibus gentibus ſine acceptione perſonarum. *In Lucam c.4.v.41.*

136. *Chriſtus debet relucere in Prædicatoribus, & Religioſis.*

Deriventur fontes tui foras; & in plateis aquas tuas divide: Et ſcientia abſcondita, & theſaurus inviſus, quæ utilitas utriuſque? Nota quod hæc propriè diriguntur ad Prædicatores, & religioſos,

ſos, quibus præcipitur ut in ſpiritualibus ſtudeant, & manum porrigant ſibi invicem, aperiendo theſauros virtutum, quos abſconditos habent in anima, hoc enim exigit bona voluntas fraterna, hoc cognatus amor, hoc ſincera affectio: væ igitur abſcondentibus talentum à Chriſto receptum. *In Ioan.c.1. v.40.& Collat.39.*

137. *Converſatio intima cum infidelibus, & impiis fugienda.*

Habeto eas ſolus, nec ſint participes alieni. Mirum eſt, quomodo ſupra exhortatur Prædicatores ad communicandum alienis Doctrinam ſuam; nunc verò ſuader, ut alieni non participent ipſam; quomodo ſubſiſtunt iſti duo textus? ſed reſpondetur quod hic non vetat prædicationem impiis faciendam à Prædicatoribus, ſed ſuadet, ut ab ipſorum converſatione intima ſe abſtineant ob periculum ſcandali, & infectionis. *In Ioan.c.4.v.15.*

138. *Religio à ſuis Filiis diligenda tanquam propria ſponſa vel mater.*

Sit vena tua benedicta: lætare cum Muliere adoleſcentiæ tuæ: Nota hæc poſſunt intelligi de ſponſa, & uxore corporali, per quæ ſuadetur viro, ut ipſam cuſtodiat, & amet, ut ex ipſa naſcantur Filii Deum timentes: & appellatur nomine venæ, quia ex ipſa derivant Filii: ſpiritualiter intelligi poteſt de religione, in qua vacandum eſt contemplationi, & ſerviendum Deo fideliter, & ipſa diligenda eſt à religioſis tanquam propria ſponſa vel mater. *In Ecclen.c.1.in ſap.c.8.*

139. *Maria Virgo eſt vena, & fontana benedicta, ex qua effluunt omnia bona.*

Sit vena tua benedicta. Quæ eſt hæc vena, & ex quo fonte emanat ſervis Dei? ſupponit autem ſacer textus, quod hæc vena ſit communis omnibus, ad quos diriguntur hæc verba: Nota quod ſubdit, *& lætare cum Mulitre adoleſcentiæ tuæ:* ergo loquitur de muliere: & ideo rectè hæc verba aptantur B. Virgini Mariæ: Ipſa enim eſt tamquam vera fontana, quæ ſemper ſuis effluit ſemper larga, & ideo benedicta: In tempore alibus vena illa fuit ſemper larga, quia largè, & perfectè omnia contempſit: ex ipſa omnes gratiæ ad homines defluxerunt; & ideo vena fuit Eccleſiæ, vena nobilis, vena Spiritu ſancto plena, vena fontis vitæ, vena ſalutis noſtræ; per ipſam venam nobis fons vitæ Chriſtus ad nos venit; & per hanc nos ad fontem vitæ Jeſum Chriſtum venimus. *Opuſc ec.B.Virg lec.13.*

140 *Contemplationis perquiſitio, & fructus expenduntur.*

Cerva chariſſima & gratiſſimus hinnulus: ubera ejus inebrient te omni tempore, & in amore ejus delectare jugiter. Verba iſta ſunt prima facie obſcuriſſima; nam quomodo prætendit Spiritus ſanctus, quod tam ardenter diligatur cerva, & quòd ex ejus uberibus lac ſugamus? Attamen intelligenda ſunt myſticè de contemplatione divinæ ſapientiæ; ſicut enim cerva perquiritur in Montibus; ſic debet contemplativa anima ad montes æternos ſecedere, & perquirere hanc divinam ſapientiam ſua perſpicacia: gratiſſimus hinnulus eſt radius veritatis in myſterio abſconditus: ubera ſapientiæ ſunt varia contemplationum genera, hæc inebriant hominem per mentis alienationem: in amore illius hinnuli jugiter delectantur, qui die, ac nocte in lege Domini meditantur, & inter figurarum fruteta veritatis, radium perſcrutantur aſſiduè; ideo dicebat Propheta: *in via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum. Pſal.118.c.1.v.14.In Lucam cap.11.v.28.*

141. *Inhians ad uxorem proximi ſui, ignem in ſinu ſuo colligit & immunditiam.*

Quare ſeduceris fili mi ab aliena, & foveris in ſinu alterius? Nota quòd hæc verba diriguntur ad adulteros, contra quos dicit Prov. c.6. quod iſti colligunt in ſinu ignem devorantem, & immunditiam. *In Lucam c.16.v.12.*

142. *Peccator addens peccatum peccato reſtem facit ſibi, qua à diabolo ligatur, & flagellatur à Deo.*

Iniquitates ſuæ capiunt impium; & funibus peccatorum conſtringitur. Ecce quid facit peccator dum addit peccatum peccato; nihil aliud, niſi reſtem, & funem, qua conſtringitur à diabolo, & à Deo flagellatur: peccans enim ponit flagellum in manu Domini: *In Ioan.c.2.v.16.in Lucam c.19.v.31.& c.11.v.44.*

143. *Diabolus hamo voluptatum capit animas.*

Iniquitates ſuæ capiunt impium. Sed à quo capitur impius? à Diabolo piſcatore, & mercatore animarum, qui eſcâ voluptatum capit homines, eoſque captivat vinculis peccatorum. *Ser.3. Dom.4. poſt Pentec.*

144. *Peccator eſt velnti inſanus, & beſtia à diabolo ligata.*

Et funibus peccatorum impius conſtringitur. Quis eſt homo, qui funibus conſtringitur, & à quo? nonne hoc eſt proprium beſtiæ, & inſani? maximè: ſed nota quòd homo peccans transformatur in beſtiam, & uſum rationis amittit: hoc maximè verificatur de Luxurioſis, qui ſiunt ex peccatis luxuriæ, veluti inſenſati: Hoſque diabolus capit eſca voluptatum, poſtea ut beſtias eos ligat, & conſtringit, ne poſſint in bonum exire: Vide quàm ſit infelix ſtatus peccatorum. *ſer.3.Dom.18. poſt Pentec. Op. Diet. tit.8.c.1.* & hinc addit ſacer textus: & in multitudine ſtultitiæ ſuæ decipietur: q. d. quò magis multiplicat peccata, eò magis auget ſtultitiam, & deceptionibus diaboli ſubjicitur. *Pſal.118. c.11. v.3.& ſap.c.17.& Ecclen. c.7. op. comp. Theolog. l.3.c.10.*

CAP. VI.

145. *Obligatio graviſſima Prælatorum erga ſubditos expenditur.*

FIli mi, *ſi ſpoponderis pro amico tuo; defixiſti pro extraneo animam tuam.* Nota quòd literaliter inſinuat ſacer textus obligationem ſervandi promiſſa, ſed ſpiritualiter dirigitur ad Prælatos: qui dum in poſſeſſionem Prælaturæ ingrediuntur, ſpondent ſe eſſe mediatores Dei ad hominem, & hominis ad Deum: ſtat anima ipſorum defixa, & obligata pro anima ſubditorum; quia tenentur reddere rationem de cura ipſis commiſſa. *Op. Apolog.Paup.reſp.*4.*c.*3.

146. *Idem expenditur.*

Fac fili mi quod dico: diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum; ne dederis ſomnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ. Ecce quomodo denuò refricat ſacer textus graviſſimam obligationem Prælatorum erga ſubditos, maximè dormitantes in officio ſuo: docetque qualis ſit ipſorum obligatio, dicens: diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum: docens per hoc quàm ſolliciti debeant eſſe in viſitando, vegetando, & ſuſcitando: primum pertinet ad exempla: ſecundum ad eloquia: tertium ad ſuffragia: exemplis enim laudabilibus debent eos excitare: item ſacris eloquiis eos vegetare, & inde quotidianis ſuffragiis, & orationibus à morte animæ liberare: qui contra faciunt ſunt veluti dormitantes in officio ſuo, & perditi. *Pſal.*118.*c.*2.*v.*12.

147. *Unuſquiſque debet laborare pro ſalute proximi.*

Diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum. Nota quòd etiam ad omnes diriguntur hæc verba; ut ſciat unuſquiſque, quod laborare tenetur inceſſanter, & evigilare pro ſalute proximi. *In Lucam c.*13. *v.*16.*&* 22. quia ut ait S.Bernardus, unuſquiſque noſtrum juravit in proximo ſuo.

148. *In ſchola formicæ qualis ſapientia, & prudentia diſcitur.*

Vade ad formicam piger, conſidera vias ejus & diſce ſapientiam, & prudentiam. Sed qualis ſapientia, & prudentia poteſt ineſſe in animalculo tam pauco, & deſpecto? nonne hoc eſt proprium tantùm rationalium? reſpondetur quòd ſapientia, & prudentia propriè eſt tantum rationalium; attamen ob inſtinctum particularem quem habet formica oſtendit aliqualem prudentiam, & ſapientiam, ad quam mittitur homo, ut per ipſam elevetur ad actus proprios rationales: Vide ergo, quòd formica tam exigua carne, ſine oſſibus prudentiſſimam ſe oſtendit ſine duce, & Doctore, acervos ſibi faciendo, quàm prudentiſſima ſit, grana ſibi in cibum quærendo, & inter grana, non ordeacea, ſed frumentina potius eligendo, & colligendo, & conſervando: ſic & diſcere debes quomodo eligenda tibi ſunt verba divina, & in mente conſervanda: item in congregando bona opera, & merita, unde æternaliter vivere poſſis. O qualem confuſionem habebit homo, cum habeat non formicam, non irrationalia, ſed Chriſtum præceptorem, & ducem in omnibus viis ſuis. *Ser.*4. *Dom.*3. *poſt oct. Paſch. ſer.*1. *in feſt. S.Petri ad vinc. ſer.* 2. *de uno S.Doct.op.Diet.tit.*1.*c.*7.*ſer.*13. *Hexam. In Ioan. c.*4.*v.*36.

149. *Dormitatio, & ſomnus in peccato quàm periculoſus; & maximè Prælatorum.*

Uſquequo piger dormies; quando conſurges à ſomno tuo? Nota quòd hîc reprehenditur dormitio, dormitatio, & ſomnus ſpiritualis in peccato: ſunt enim periculoſiſſima animæ, quia in tali pigritia ſpirituali advenit ligatio ſenſuum, ne in proprias operationes dirigantur: peccata enim ſunt funes ligantes animam, item advenit immobilitatio, & aggravatio in peccatis: item infrigidatio intima in rebus ſpiritualibus: item ignorantia malorum, & periculorum inconſideratio: ad unumquemque igitur noſtrum diriguntur hæc verba, ut talem ſomnum, & dormitationem fugiamus; & hoc maximè ad Prælatos dormitantes in cura ſubditorum. *In Ioan. collat.* 51.*ſer.*2. *Dom.*4. *poſt oct. Epiph. & op. Diet.tit.*1. *cap.*7.

150. *Dormitanti in ſervitio Dei, conſequitur egeſtas, & privatio omnium bonorum.*

Veniet tibi quaſi viator egeſtas, & pauperies. Ecce quid dormitationi in Dei ſervitio conſequitur, ſcilicet egeſtas, & pauperies, privatioque bonorum ſpiritualium in tempore neceſſitatis, & mortis. *In Ioan.collat.*51.*In Eccleſ.c.*5.

151. *Tranſgrediens vota religioſa quam Deo exoſus.*

Homo apoſtata vir inutilis, graditur ore perverſo. Vide quomodo eſt exoſus Deo homo tranſgreſſor votorum religioſorum; iſte enim, ut apoſtata à Deo deſpicitur. *Op.ſer.*3.*de decem præcep.*

152. *Deficiens à ſtatu perfectionis religioſus veluti apoſtata à Deo tractatur.*

Homo apoſtata vir inutilis, graditur ore perverſo. Quid eſt gradiri ore perverſo, niſi deficere à via perfectionis? Religioſus igitur, qui bene incipit, ſed poſtea deflectit à via perfectionis, vir veluti apoſtata eſt inutilis ſibi, & cæteris ob malum exemplum noxium: *in Lucam c.* 14. *in fine. Pſal.*118.*c.*3.*v.*11. Addit etiam *op. diſcipli. p.* 1.*c.*7. Homo apoſtata, ſcilicet deficiens ab interiori diſciplina, ſubſequenter etiam foris in inconſtantiam motionis defluit, atque in exteriori mobilitate indicat, quòd nulla interius radice ſubſiſtit, ut patet in his ſapientis verbis.

153. *Detractor fit ſimilis diabolo.*

Homo apoſtata. &c. Notandum etiam, quod in Hebræo legitur: Homo Belial, & diabolus: In Græco homo detractor: unde in Ep. ad Thim. habet in illis verbis: habemus mulieres non detrahentes; non diabolicas: ſed quomodo ſubſiſtunt iſti textus? ergone idem eſt dicere diabolus, & detractor? maximè: quia ſicut primus detractor fuit diabolus, qui lingua ſerpentis

 cum

cum Eva loquutus eſt; ſic & lingua detractoris à diabolo movetur, & per ipſam dettahit famæ proaimi: Vide igitut quàm grave malum eſt detractio, & qualitet reddit detractotem ſimilem diabolo. *Ser.11.in Pentec.*

154. *Lingua inſtrumentum aptius cæteris ſenſibus ad mala perpetranda.*

Sex ſunt quæ odit Dominus. Nota ea his verbis quòd inter ſenſus omnes lingua alios eacedit in miniſtrando vim inſtrumentatiam animæ in Deum offendendo: cum enim hic Salomon deſcribat vitia oculorum, pedum, manuum cordis, linguæ, cujuſlibet unum vitium, ſolius verò linguæ infeliciſſimæ tria vitia diſtribuens, videlicet mendacium, falſum teſtimonium, diſcordiæ ſeminatorem, ait: ſex ſunt quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſtatur anima ejus. *Ser.3. Dom. ſexag. ſer.1. ſer.2. Pentec. & ſer.1. p. Dom. Trinit. & ſer.1. de Apoſt. in addit.*

155. *Honor Parentum à Deo præcipitur.*

Conſerva fili præcepta Patris tui: & legem Matris ne dimittas. In quibus verbis repetit præceptum decalogi de honore parentibus præſtando à filiis, ut videas quàm à Deo æſtimetur obſervantia hujus præcepti. *In Lucam c.2. v.47.*

Honor, & cultus Beatæ Virgini debetur. Vide ſupra ad c.1.n.12.

156. *Parentum obligatio in filios qualis.*

Conſerva fili præcepta patris tui, & ne dimittas legem Matris tuæ. Cur monita Patris appellat præcepta, & Matris legem? Nota quòd per hoc dat intelligere, quod in quacumque domo bene inſtructa debet exerceri ſchola Chriſti, in qua Pater, & Mater ſunt legis datores: Pater autem debet inſtruere in fidei præceptis: & Matet fovere familiam in lege educationis, & bonorum morum undè debitum Patris eſt inſtruere filios in iis, quæ in fide ſcitu neceſſaria ſunt: Mater verò debet præſidere moribus, & vitæ Chriſtianæ filiorum. *In Lucam c.8.v.51.*

157. *Lex divina liganda in corde veluti in codice.*

Ne dimittas legem Matris tuæ, liga eam in corde: Cur dicit liga eam in corde: ergone cor erit volumen quod ligatur? maximè. Codex enim ligatur, ut ſervetur: ſic cor eſt liber, qui debet ligari lege; nempe qua omnes partes animæ; intellectus, memoria & voluntas debent connecti, & ligari in anima lege divina; ita ut tota feratur in ipſius obſervantia. *Pſalm.118. cap.1. verſ.11.*

158. *Omnis veritatis cognitio à divina Scriptura, & eloquiis Dei exordium accipit.*

Mandatum Domini lucerna eſt. & lex lux: Nota hæc verba, & videbis quàm ſit verum, quòd cognitio veritatis eſt à lege Dei, & quòd lex Dei, & ſacra Scriptura eloquia divina ſunt veluti Cœlum, vel Sol, à quo omnis alia lux veritatis pullulat: ita ut quicquid edocetur in mundanis ſcientiis, ſi veritati S.Scripturæ non conſonat, totum eſt tenebra, & falſitas. *Op. de Eccleſ. Hier. p.4. c.4. Pſ.118. c.3. v.18. c.4. v.5. c.21. v.16. & ſap. c.18.*

159. *Verbum Dei lux, & lucerna dirigens animam in cognoſcendis, & agendis.*

Mandatum lucerna eſt, & lex lux. Vide quomodo animæ proponitur lucerna, ut videat quæ cognoſcenda, & quæ agenda in via ſalutis: hæc autem eſt lex ſcilicet verbum divinum: ideo à nobis curandum ſollicitè, ut hæc lucerna ante nos accendatur, quod fit quando cordi noſtro intelligentia verbi divini proponitur: Hinc inferendum eſt, quòd qui caret verbi Dei intelligentia, in obſcuritate incedit, & manet. *Sap. c.18. in Lucam c.8. v.16.* ſumamus igitur in manibus per obſervantiam legis hanc lucernam, & ſecuri incedemus ad cœlum. *In Lucam cap.11. verſ.34.*

160. *Concupiſcentia non poteſt ſatiare animam; ſed ſolùm gratia, & verbum Dei.*

Pretium ſcorti vix eſt unius panis: Mulier autem viri pretioſam animam capit. Nota quòd ſub hac metaphora dat Spiritus ſanctus intelligere diſcrimen, quod eſt inter bona carnalia, & ſpiritualia, nam carnalia ſunt deficientia, nec poſſunt ſatiare animam; unde dicit pretium ſcorti, ſcilicet concupiſcentiæ via eſt unius panis; ſed tantùm bona ſpiritualia, quæ capiunt, & ſatiant appetitum animæ. *In Thren, cap.1.* Nota autem quòd de bonis carnalibus dicit; via eſt unius panis: quaſi dicat, quòd nihil ſubſtantiale continet, ſed in mera apparentia habent ſuum eſſe.

161. *Mercator fatuus pro vili pretio vendit animam ſuam diabolo.*

Pretium ſcorti vix eſt unius panis. Nota illud verbum pretium ſcorti, per quod dat intelligere qualitatem mercaturæ, quæ fit cum diabolo: nam mercator fatuus dat animam ſuam, quæ eſt pretioſiſſima, diabolo pro viliſſimo pretio, in quo facit maximam injuriam Chriſto, qui cariſſimè emerat eam. Cum igitur ô homo venit diabolus empturus animam tuam dic quod prius Chriſtus eam emit ſuo ſanguine; alioquin amittes totum capitale omnium bonorum. *Op. Diet. tit.1. c.9.*

162. *Scandaloſi captores & venatores ſunt diaboli.*

Mulier autem viri animam pretioſam capit. Quæ eſt hæc Mulier, quæ talem capturam facit, niſi meretrix laſciva, ſcandaloſus, malus conſiliarius? Nam iſti ſunt venatores capientes animas, eas Chriſto furantes, & tradentes Diabolo: ô quàm infelix eſt hæc venatio, & captura: *Ser.3. Dom.4. poſt Pentec.*

163. *Ignis Luxuriæ eſt ignis infernalis à Diabolo accenſus.*

Numquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, ut non ardeant veſtimenta? aut ambulare ſuper prunas, ut non comburentur plantæ ejus: ſic qui ingreditur ad Mulierem alienam. Nota quòd in his verbis dat intelligere Spiritus ſanctus, quòd luxuria & concupiſcentia eſt ignis comburens omnia bona, ignis inquam obſcurus, & infernalis, qui à Diabolo habitu tentationum accenditur: unde luxurioſus fert ſecum ſemper ignem infernalem. *In Ioan collat.80. in Lucam c.16. v.22.*

164 *Mulierum converſatio, & familiaritas fugienda tamquam ignis inferni.*

Nomquid poteſt homo ambulare ſuper prunas? Nota quod ſeraphicus P. S. Franciſcus verbo, & exemplo docẽs nos fugere familiaritatem mulierum, afferebat hunc textum S. ſcripturæ, quia cognoſcebat, quòd ſicut impoſſibile eſt ſine læſione ambulare ſuper prunas, ſic eſt impoſſibile converſari cum mulieribus abſque læſione, & ſine combuſtione Spirituali. *Op.legendaS.Fran.c.5. Vide Op.Bibl.paup.c.128.*

165. *Qui à Deo ad ſui perfectum obſequium trahitur, omnem ſubſtantiam ſuam, & omnia mundana relinquere debet.*

Unde hic dicitur: *Qui autem deprehenſus fuerit.* Scilicet à Deo, omnem ſubſtantiam Domus ſuæ trader, ſcilicet evitando, & renunciando omnia ſuperflua. *Op.Determ.ſuper regul.qu.4.*

166. *Adulterii corporalis, & Spiritualis peſſimi effectus.*

Qui Adulter eſt propter cordis inopiam perdet animam ſuam: turpitudinem, & ignominiam congregat ſibi; & opprobrium illius non delebitur. Nota quòd iſta dicuntur de adulteris: nam ultra damna ſpiritualia, etiam in ignominiam, & opprobrium, infamiamque incidunt: loquitur etiam de iis, qui propter delectationem creaturarum relinquunt Deum; iſti enim verè fornicatores, & adulteri ſunt, & incidunt in mala temporalia, & ſpiritualia. *Ser.0.Dom.3.poſt Pentec.*

167. *Chriſti furor in judicio univerſali expenditur.*

Zelus, & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquieſcet cujoſquam precibus, nec ſuſcipiet pro redemptione dona plurima. Quis eſt Vir de quo panditur furor, & zelus in die vindictæ? Nota, quòd hic loquitur de Chriſto homine, & Deo; & de ipſius furore, & zelo, quem exhibebit in judicio univerſali: ſed cur furens appellabitur Chriſtus in judicio, cum ſit paſſio exeedere faciens mentem iracundi? ſed hoc dicitur per aliqualem ſimilitudinem: ſicut enim homo furens magnos, & parvulos indifferenter percutit, neque preces, neque munera accipit ad parcendum; ita Chriſtus in judicio neque Papæ, neque Imperatoris, neque alterius perſonam accipiet; item preces non admittet, neque munera; unde ſolùm tunc valebunt pura corda, & bona conſcientia. *Ser.4.Dom.3.Adu.*

168. *Idem expenditur.*

Zelus, & furor viri. Nota in his verbis nobis indicari ſublimiſſimam poteſtatem Chriſti in judicio ſedentis, ejus ſapientiam & juſtitiam, inflexibilitatem: unde tunc non valebit potentia Imperatorum, Philoſophia Platonis, & Ariſtotelis vel rethorica Ciceronis: nec valebunt munera regum, advocationes judicum, ſophiſmata logicorum, nec verſutia perfidorum: Judex enim non flectetur timore, quia omnipotens, nec ſermone, quia ſapientiſſimus, nec corrumpi munere poterit, quia juſtiſſimus eſt; ſolum autem valebit bona conſcientia. *Ser.1.de Apoſtol. & ſer.3.de Angelis.*

169. *Judicii univerſalis terribilitas expenditur, ſuadeturque compoſitio facienda à peccatore coram confeſſario.*

Zelus, & furor viri non parcet in die vindictæ. Nota quòd in iſtis verbis proponitur terribilitas Chriſti judicis, & judicii univerſalis; quod appellatur nomine diei vindictæ: in quibus dat intelligere, primò cauſæ immenſitatem, quæ non erit circa pecuniam, vel poſſeſſionem terrenam ſed circa damnationem, vel ſalvationem æternam: ex illa enim ſententia pendebit poſſeſſio æterna vel gloriæ vel pœnæ æternæ: ſecundò auditorum multitudinem; quia non erit in ſecreto, ſed coram toto Mundo: Tertiò ſeveritatem, & inflexibilitatem judicis; nam non juvabit oratio, vel ſuffragium etiam B. Virginis, & ſanctorum: Hinc qui de jure ſuo diffidit, ante diem judicii periculoſi, coram ſacerdote de compoſitione tractet. *Op.Diet.tit.9.c.1. In Lucam c.3.v.9. & c.13.v.25. & in Ioan.c.3. in fine & c.12. in fine & Op.comp.Theol.l.7.c.17.*

170. *Chriſtus nemini parcit ſine pænitentia.*

Zelus, & furor viri in die vindictæ: Ecce quòd Chriſtus non eſt acceptator perſonarum; nemini que parcit peccatori ſine pænitentia, alioquin in die judicii vindictam de omnibus peccatis ſumet. *Pſal.118.c.6.v.4.*

171. *Sola eleemoſyna in die judicii exorabit pro nobis.*

Nec acquieſcet in die vindictæ cujuſquam precibus. Vide quòd preces Mariæ Virginis, vel etiam omnium ſanctorum nihil valebunt in judicio ad placandum judicem: ſed quid valebit tunc? ad hoc reſpondet Spiritus ſanctus. *Eccli. 29. conclude eleemoſynam in ſinu pauperis,* & hæc pro te orabit ad Dominum: & *Prov.21. Munus abſconditum extinguet iram Dei:* Ecce quòd ſola miſericordia in pauperes in illa die valebit: Redime igitur, te, dum vivis, redime teipſum dum potes, redime te, ne mors amara te præveniat, & vitam, & pretium ſimul perdas. *Ser.0.Dom.1.poſt Pentec.*

CAPUT VII.

172. *Quanta utilitas in obſervantia mandatorum Dei proveniat: & qualis auctoritas in ipſis reſpectu mandantis.*

Fili cuſtodi ſermones meos, & præcepta mea reconde tibi: Fili ſerva mandata mea, & vives. Nota ordinem horum verborum, quibus Spiritus ſanctus intendit nos excitare ad obſervantiam ſuorum præceptorum: nam in prima parte præcipit abſolutè obſervantiam: & ſecundò promittit vitam, repetens, *ſerva mandata mea, & vives.* Hocque facit; quia motivum primarium hujus obſervantiæ eſt ſola autoritas mandantis: quia Deus ſumme potens, ſapiens, & bonus hoc præcipit, ideo ex hoc motivo debemus excitari ad talem obſervantiam: & poſtea ſecundo loco promittit obſervantibus vitam, & liberationem à morte, di-

cens ; *& vives* ; per quod excitat nos ex maxima utilitate inde reſultante : *vives* ait ; ſcilicet non ſubjacebis morti ſpirituali , ſed vitam æternam acquires. *Op. de decem præcep. ſer. 1. in Ioan. c.8.v.51. Pſal.*118.*c*.8.*v*.16.

173. *Lex Dei ligat cor , & manus ; & fugat abuſus peccatorum.*

Liga eam in digitis tuis , & ſcribe in tabulis cordis. Quomodo liganda eſt in digitis & ſcribenda in corde ? Nota quòd lex dicitur à ligando, quia ligat cor , & manus ne effluant in opera mala: qui ergo ante oculos , & mentem habet ligatam legem Dei , proculdubio evitabit omnes abuſus contra ipſam. *Pſal.*118.*c*.3.*v*.1.

174. *Prudentia , & ſapientia quam neceſſaria ad obſervantiam mandatorum Dei.*

Prudentiam voca amicam , ut cuſtodiat te à muliere extranea : dic ſapientia ſoror mea es. Ecce quomodo poſtquam invitavit Spiritus ſanctus ad obſervantiam mandatorum Dei , proponit prudentiam , tamquam medium aptius ad iſtam obſervantiam : nam prudentia dirigit ad rationis regulam univerſa quæ cogitat , & agit ; & elevat animam ad divina , inducendo ad contemptum omnium temporalium. *Op.de 4.virtut.Cardin.Pſal.*118.*c*.7.*v*.7. Nota etiam quòd hic dicit. *Dic ſapientia ſoror mea es :* quia juſtus vocat ſapientiam divinam tamquam ſororem , ratione amoris , quo ardet juſtus in ſapientiam divinam, quæ eſt Chriſtus ; item amat tamquam ſponſam, ratione dilectionis ; nihil enim magis delectat animam quàm unio cum Chriſto. *In ſapient. cap.*8.

175. *Qui ſequitur Mundum , carnem , & Diabolum graditur nocte , nec diem habet.*

Conſidero vecordem juvenem : graditur in obſcuro. Nota quòd hæc dicuntur de homine exiſtente in peccato mortali ; de quo dicit quòd graditur in obſcuro, ſcilicet de nocte, non de die, quia vita peccatoris eſt tota nox : nox eſt peccatum , & qui in peccato vivit , graditur de nocte ; unde non eſt mirum ſi in præcipitium ruit. *In Ioan. c.*13.*v*.30.*& c*.11.*v*.10. Sic autem poſſunt dicere peccatores, Præceptor per totam noctem laborantes, nihil cæpimus.

176. *Mulier impatiens ſolitudinis, & vagabunda reprehenditur.*

Mulier vaga , quietis impatiens , nec valens in domo conſiſtere. Ecce quale diſcrimen Mulieris bonæ , & perverſæ : iſta enim vult vagari per plateas , & domos alienas, abhorrens cuſtodiam propriæ domus : è contra bona , amica ſolitudinis , tota converſa ad cuſtodiam domus , & familiæ. *In Lucam c*.1.*v*.40.

177. *Vitia , & mores meretricis & Mulieris procacis expenduntur.*

Mulier vaga. Notat hic ſacer textus varia vitia Mulieris procacis, quæ præcipuè patent in nutibus & evagatione oculorum ; in capillorum ſuperflua præparatione; in voluptatibus oſculorum , & in ſuavitatibus unguentorum : cave igitur ab iſtis retibus ô homo , ne irretiaris , & ſic te præcipites in multa horrenda peccata. *In Lucam c.*7.*v*.38.

178. *Concupiſcentia , & carnalitas quàm periculoſa, & vitanda : ſic & Mulier perverſa.*

Intexui funibus lectum meum. Nota quòd per lectum intelligit conſcientiam, per mulierem vel Meretricem, vel concupiſcentiam , vel carnalitatem : hæc occurrit juveni in habitu meretricio, præparata ad decipiendas animas , vaga, garrula: Hæcque eſt, quæ decepit Sampſonem, & decipit quotidie multos, occurritque juveni, ſcilicet ſpiritui, ut ipſum liget funibus malarum cogitationum, conſenſuum, operationumque; ſicque veluti beſtia ducitur de vitio in vitium ad mortem. *Ser.*3.*Dom.*18.*poſt Pentec.*

179. *Scandaloſi verbis , & perſuaſionibus , promiſſiſque alios ligant , & ducunt ad infernum.*

Irretivit eum multis ſermonibus , & blanditiis labiorum protraxit illum . ſtatim eam ſequitur quaſi bos ductus ad victimam ; ignorans quod ad vincula trahatur ſtultus. Ecce quid facit Mulier iniqua , vel homo ſcandaloſus : iſte enim ad modum funis ligat ſermonibus blandis , perſuaſionibus, & promiſſis ſtultum ; & ad victimam veluti bovem ligatum , vel agnum laſcivientem ad infernum trahit : væ igitur ſcandaloſis, qui ad fornicationem, ad rapinam , ad quodcumque vitium alios trahunt , tales autem in ſemetipſis Miniſtri dæmonum ſunt ; quamvis per naturam dæmones non ſint, ſed ſimiles, & Miniſtri dæmonum. *Ser.*2.*fer.*4.*Pentec.in Ecclen. cap.*12.*in Ioan. c.*21. *v*.19. Nota autem quòd iſti ſunt piſcatores , & venatores diaboli : ſicut è contra , piſcatores , venatoreſque Chriſti, qui alios ad bonum trahunt. *In Lucam c.*5. *v*.7.

180. *Caro numquam ceſſat incitare nos ad bona apparentia, & ad delicias noxias.*

Veni fruamur capitis amplexibus. Nota quòd hæc ſunt voces ad animam noſtram à carne, Mundo, & diabolo directæ, invitantes , & excitantes nos ad delicias carnis, quæ ſunt noxiæ, & ad interitum tuere facientes, & ligantes nos tanquam beſtias. *In Ecclen.c.*2.*& c*.3.*& c*.9. *& ſer.*2. *fer.*4. *Pentec.*

181. *Diabolus ut decipiat , & præcipitet in vitia, conatur tollere à mente noſtra præſentia divina exercitium.*

Non eſt vir in domo ſua . abiit viâ longiſſimâ. Hæc dicuntur juveni à meretrice conante trahere ipſum ad peccandum : non eſt vir in domo ſua : veni , ut in amplexibus carnis delectemur, quia non eſt vir in domo ; quia non adeſt teſtis nos videns : ſed tamen hæc inſinuat diabolus, conans auferre exercitium præſentiæ Dei, dicens: non eſt vir , ſcilicet Chriſtus nos videns , jam abiit viâ longiſſimâ , ſcilicet in Cœlum, nec nos proſpicit : ut videas quòd defectus hujus præſentiæ eſt origo omnium malorum. *In Lucam c.*19.*v*.12.*ſer.*3.*in Aſcenſ.*

182. *Miſeri*

181. *Miſericordia Dei per Mariam effuſa eſt in domo Eccleſiæ.*

Non eſt vir in domo ſua, abiit via longiſſima, in die plenæ lunæ reverſurus. Quis eſt iſte vir, qui abiit via longiſſima, reverſurus in die plenæ lunæ. Nota quòd exprimit infelicitatem hominum ante incarnationem; & è contra felicitatem Eccleſiæ per Mariam nobis communicatam: Benè enim poterat dicere homo ante incarnationem: non eſt vir, ſcilicet Chriſtus in domo ſua, dum dimiſerat domum, & hæreditatem ſuam, ſacculum pecuniæ, ſcilicet theſaurum miſericordiæ, & gratiæ abſcondens, quia tunc erat Deus ignis conſumens, totus zelus, & rigor in homines: ſed ecce in die lunæ plenæ, ſcilicet Mariæ orientis in Mundo reverſus eſt per ipſam illuminans totum Mundum; gratiam, & omnia bona nobis conferens: ò verè mirabilis hujus lunæ plenitudo illuminatrix totius Mundi. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 7.*

183. *Chriſtus abiit in Cœlum, reverſurus in die judicii; ut ardentius à nobis quæratur.*

Non eſt vir in domo ſua, abiit via longiſſima, reverſurus in die plena luna, ſaccum pecuniæ tulit. Nota quòd hic vir eſt Chriſtus, qui abiit in Aſcenſione in cœlum via longa ſupra primam Hierarchiam, longiore ſupra ſecundam; longiſſima ſupra tertiam: ſaccum, ſcilicet corpus, in quo eſt divinitas, ſecum tulit in die plenæ lunæ reverſurus, ſcilicet in die judicii, quando luna, id eſt Eccleſia erit plena numero electorum: Et ſi abiit, ergo ardenter à nobis quærendus majori deſiderio. *Ser. 3. in die Aſcenſ.*

184. *Per Mariam terra habet commercium cum Cœlo; & præſentiam Chriſti.*

Non eſt vir in domo ſua, abiit, &c. in die plena luna reverſurus. Ecce quomodo per Mariam Myſticam lunam, Deus, qui poterat dici diſtans, terra acquiſivit commercium cum Cœlo: dum verbum in ipſa plena gratia poſuit tabernaculum ſuum, & dum in ipſa conceptum eſt, ſe exhibens præſentem ſpecialiſſimo modo ſingulare cum ipſo commercium nobis dedit; copulans ſimul cœlum & terram divinitatem & humanitatem. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 13.*

185. *Ordo quo diabolus per carnales delectationes, & Mulieres hominem à minimis ducit in perditionem expenditur.*

Irretivit juvenem. Nota, quòd iterum expenduntur verba meretricis, in quibus aſſignatur ordo, quo homo in præcipitium ruit ex blandimentis carnalitatis. Primò enim dicit, quod juvenis eſt velati bos ductus ad victimam, ſcilicet primò vinculatur, & neſcit; quia ſcilicet lentus eſt in principio tentationis: ſecundò ſequitur blandimenta carnis lætus, quaſi laſciviens agnus, & tunc ſagittatur, & non fugit: tertiò cæcatur ut non videat vincula ſua; quartò occiditur, & ſic perit: vinculatur primò mala affectione: ſagittatur ſecundò in occaſionis acceptione, ſicut in riſu, vel in aſpectu oculorum, & ſimilibus: & tertiò excæcatur, & tandem occiditur in peccati perpetratione; ecce quomodo à minimis ad maxima peccata dilabitur homo, non evitans occaſiones. *Ser. de SS. Petro & Paulo: in Lucam c. 15. v. 28.*

186. *Mulier laqueus venatorum ligans hominem ſuis blanditiis.*

Quaſi bos ductus ad victimam. Ecce quàm verum quod Mulier iniqua laqueus eſt venatorum dæmonum: ergo qui vult effugere laqueos montis, fugiat à facie Mulieris, quaſi à facie colubri, & ſerpentis. *Ser. 2. Invent. S. Crucis.*

CAPUT VIII.

187. *Prælati ad exemplum ſapientia divina debent ſtare in medio.*

NUMQUID non ſapientia clamitat, & prudentia dat vocem ſuam? in ſummis, excelſiſque verticibus ſupra viam in mediis ſemitis ſtans juxta portas civitatis in ipſis foribus loquitur: ò viri ad vos clamito: & vox mea ad filios hominum. Notandum quòd in his verbis myſticis docet ſapientia divina, quòd ipſa in medio, ideſt in mediis ſemitis ſtat, omnibus communis, & ſine acceptione perſonarum, omneſque æqualiter invitans: ſic & Chriſtus ſemper in medio ſtabat, dum loquebatur diſcipulis, dum aliquod prodigium patrare volebat; & hoc ad inſtructionem noſtram, maximéque Prælatorum, qui in medio ſemper debent ſtare, non in angulis: ideſt in medio per humilitatem, per communitatem, per omnium diligentem conſiderationem: per pacis conſervationem, confirmationem, & ſine acceptione perſonarum; ſicque erunt perfecti imitatores Chriſti. *In Thren. c. 1.*

188. *Virtus ſtat in medio faciens diem feſtum animæ: vitium in angulis.*

In mediis ſemitis ſtans juxta portas civitatis. Cur ſapientia ex medio ſemitarum clamitat, & invitat? quia virtus ſtat in medio, invitat autem ad medium, ne perdamus medium, in quo anima diem feſtum obtinet: vitium verò eſt in angulis. *In Ioan. collat. 36.*

189. *Verba Sacra ſcriptura, & inſpirationes bona ſunt voces divina ſapientia nos illuminantes:* unde hic dicit: *& vox mea ad filios hominum*, quia vox ſapientiæ divinæ eſt ſua illuminatio illuminans animam mirabiliter: felix igitur qui recipit has voces Chriſti. *In Ioan. collat. 4.*

190. *Sapientia divina nobis loquens vult nos eſſe ſollicitos, benevolos, attentos.*

Unde dicit: *Vox mea ad vos, quoniam de rebus magnis locutura ſum.* Deus enim Pater, & Filius, & Spiritus S. inceſſanter nobis loquuntur, & magna proponunt. *Pſal. 77. Pſal. 118. c. 9. v. 9. & c. 11. v. 11.*

BIBLIOTECA NAZ. ...

191. *Prædicatio concionatorum commenſuretur prædicationi Chriſti.*

Aperientur labia mea: veritatem meditabitur guttur meum: juſti, & recti ſunt ſermones mei. Vide quomodo Chriſtus proponit ſuam prædicationem imitandam à prædicatoribus; nam ipſe habuit veritatem in cogitatione cordis per puram intentionem: unde dicit veritatem meditabitur guttur meum, ſcilicet non carnis, ſed cordis per puritatem intentionis, & affectionis, relegando de Deo omnem falſitatem vitioſitatis, & deceptionis & puritatem locutionis, & honeſtæ converſationis: unde dicit, quòd juſti, & recti ſunt ſermones ejus. *Ser.* 1. *Dom.* 22. *poſt Pentec. Pſal.* 118. *c.* 9. *v.* 9. *c.* 10. *v.* 4. *c.* 11. *v.* 11. *Ecclen. c.* 12. *in Lucam c.* 3. *v.* 4.

192. *Prædicatio divini verbi exigit exemplum vitæ.*

Accipite diſciplinam meam, magis quàm pecuniam: & doctrinam magis eligite, quàm theſaurum, melior eſt ſapientia cunctis opibus. Nota quòd ſapientia divina, quæ eſt Chriſtus, volens omnibus prædicare divinum verbum, primò proponit exemplaritatem vitæ dicens: *accipite diſciplinam meam*; poſtea proponit doctrinam; ut ſciamus quòd prædicatio verbi Dei præexigit exemplum bonæ vitæ, quia ſine hoc ad nihil juvat prædicatio; deinde exemplaritati connectit doctrinam; quia illa ſine iſta parum nimis efficit & ſic utraque præponenda cunctis opibus, & terrenis rebus; ut addiſcant concionatores qualiter ſe gerere debeant in hoc miniſterio. *Ser.* 1. *Dom.* 4. *poſt Oct. Paſchæ. Pſal.* 118. *c.* 5. *v.* 2. *Ecclen. c.* 1. *& c.* 7. *In Lucam c.* 19. *v.* 2.

193. *A Deo ſolo eſt virtus advocans ipſum ad cohabitandum cum homine: & neminem diligit, niſi eum qui ſapientiam ejus recipit, & cum ipſa inhabitat*; unde hic dicit: *ego ſapientia habito, & eruditis interſum cogitationibus. Sap. c.* 7. Additque: *meum eſt conſilium, & æquitas, & fortitudo*, ut videas quod Deus ſolus eſt origo omnis virtutis. *Sap. c.* 8.

194. *Timor Dei in anima conſtituit Capitulum culparum, ut fit in Religionibus.*

Timor Domini odit malum, arrogantiam, & ſuperbiam, & viam pravam, & os bilingue deteſtor, meum eſt conſilium, & æquitas. Nota ordinem horum verborum; primò enim proponitur timor Dei contra peccatum, deinde conſilium, & æquitas divinæ ſapientiæ conſequens ad exercitium timoris Dei: ut videas quòd timor Dei in anima exercet judicium rectum contra culpas ad modum judicii, & capituli, eo modo, quo in religionibus benè ordinatis fiunt capitula ad correctionem culparum, & promotionem virtutum. Nam in capitulo increpatur, & recognoſcitur culpa, & punitur: ita in hoc capitulo timoris corriguntur peccata; undè dicitur: *timor Domini odit malum*: Et ſicut religio nulla eſſet ſi correctio Capituli deficeret? ſic ſi timor in capitulo cordis non eſſet, totum veritatis ædificium deperiret: & ſicut in Capitulo religioſus genua primò flectit: Secundò culpam recognoſcit: tertiò ſpoliat ſe, & veſtem deponit: quartò diſciplinam accipit; ſic timor Domini primò hominem pœnitentem humiliter facit genuflectere: ſecundò facit humiliter culpam recognoſcere: tertiò facit hominem veterem, ſicut veſtem deponere: quartò diſciplinam acceptare, & carnem laſcivam, & rebellem caſtigare: & hoc eſt ambulare ſecundùm conſilium, & æquitatem Domini. *Op. Diet. tit.* 6. *c.* 1.

195. *Maria conciſtorium cauſarum & mediatrix inter Deum, & homines, ſicut Chriſtus fons omnium virtutum.*

Meum eſt conſilium, & æquitas: Nota quòd ab Eccleſia iſta verba applicantur Mariæ Virgini; ſed quid eſt quod dicit ipſa; meum eſt conſilium? quia ipſa eſt conciſtorium cauſarum Imperatoris ſummi, ipſa eſt jus dirimens lites *Op. ſpec. B. V. lec.* 7. *&* 9. *&* 14. *& in Sap. c.* 8.

Nota tamen quòd primò hæc verba dicuntur de ſapientia divina; ut ſcias, quòd nemo virtutes habet niſi à Chriſto, qui eſt origo omnium bonorum: ſecundariò poſtea dicuntur de Maria Virgine unde pro, ly, *& æquitas*, legit Hebr. ſuſtentaculum vitæ, & fortuna: quod veriſſimè competit mariæ.

196. *Maria ſuos inebriat, & regnare facit in cælo, ſicut ſapientia divina.*

Per me reges regnant: per me principes imperant, &c. Nota quòd hæc verba de ſapientia divina prolata, Eccleſia deflectit myſticè ad laudem B. Virginis: *Op. Pſalt. min. B. Virg. Præfat.* & ideo dicit Maria: per me reges regnant &c. quomodo per Mariam reges regnant? quia ipſa ſuos inebriat in Cœlo, & in patria regnare facit, & coronat ob gloriæ decorem, & regni cœleſtis infinitatem, quæ corona eſt lucidiſſima, & perfectiſſima. *Op. de dono ſapientiæ cap.* 11.

197. *A Deo ut à fonte originali, ob idque & à lege æterna omnes leges ordinatæ in Mundo procedunt.*

Per me reges regnant, & legum conditores juſta decernunt. Ex quibus verbis patet, quòd omnes leges ordinatæ, & juſtæ factæ à principibus, à Deo, ut cauſa efficiente, & exemplari ortum habent: leges autem ordinatæ, & juſtæ factæ à principibus, à Deo, ut cauſa efficiente, & exemplari ortum habent: leges autem inordinatæ, vel injuſtæ à Deo nequaquam proveniunt. *op. princip. S. ſcript. & in ſap. c.* 6. Notent hoc Principes, ut ſuas leges conforment cum Deo, & ordinent ad bonum commune.

198. *Leges juſta facta à Principibus à Deo ſunt, & digna remuneratione temporali, & æterna.*

Per me reges regnant, & legum conditores juſta decernunt. Per hoc patet quòd principes, & Prælati juſtas leges facientes, & decernentes, à Deo diriguntur, & remuneratione in temporalibus bonis, & æternis digni ſunt; ſic enim ſapientia ſuos chariſſimos inebriat, & in patria regnare facit, & coronat. *In ſap. c.* 9. *& op. de dono ſap. c.* 11.

199. Leges

199. *Leges principum debent eſſe mixtæ cum miſericordiâ, & juſtitiâ.*

Per me reges regnant, & legum conditores juſta decernunt. Ergo ad imitationem regis regum Principes leges juſtas debent facere: ſed adverte quòd juſtitia in legibus Chriſti eſt mixta cum miſericordia; ideo juſtitia, ad quam debent aſpicere Principes exigit ſecum miſericordiam: imò debet miſericordia ſuperexaltare judicium, in condemnando; quia clementiâ roboratur thronus Principis, ait ſacer textus hîc *c.20. v.28.* hinc addiſcant Principes, quòd duriſſimum judicium fiet ipſis, qui non faciunt miſericordiam. *Ser.1.Dom.Palm.*

200. *Iudices, & Principes debent callere ſcientiam juſtitiæ, & legum.*

Per me reges regnant. Ideſt per me tanquam magiſtrum omnis peritiæ judicandi, reges regnant, & legum conditores juſta decernunt; ideo ad Chriſti imitationem debent eſſe inſtructi in lege Dei, & in juſtis regulis judicandi, præſidendi, & regnandi. *In Ioan.c.3.v.12.*

201. *Nemo poteſt diligere Deum propter ſe, & ſuper omnia ſine dono gratuito.*

Ego diligentes me diligo. Si dilectionem Dei debet præcedere dilectio hominis in Deum, ergo videtur, quòd quis poteſt diligere Deum propter ſe, & ſuper omnia ſine Dei gratia, & ſolo amore naturali; & ſic videtur approbari hæreſis Pelagii? ſed adverte, quòd, ly, diligentes ſtat pro dilectione charitatis, quæ præſupponit in anima donum gratuitum, & ſupernaturalem virtutem: unde dat intelligere, quòd Deus nobis confert dona gratuita, per quæ poſſumus accepta, & exculta mereri dilectionem Dei. *l.2.d.29.a.1.qu.1.ad 3.*

202. *Qui maximè diligunt Deum uſque ad odium ſui; maximè ab eo diliguntur.*

Ego diligentes me diligo.] Vide quòd amor noſter in Deum eſt veluti magnes, qui attrahit Deum ad nos diligendum: unde ſi velis à Deo amari, ama tu Deum, & tibi dabit dona ſua. *Op. de dono ſap. c.7.* Hinc nota, quòd ad menſuram dilectionis tuæ in Deum, etiam proportionata dona recipies; & ſi amor tuus perveniet uſque ad odium tui, tunc ſummè à Deo diligeris. *In Lucam c.17.v.34.*

203. *Idem confirmatur.*

Ego diligentes me diligo. Nota quòd hîc eſt ſenſus horum verborum: vis ut Deus te amet, & amando, tibi conferat quicquid deſideras? ama tu ipſum Deum tuum: nihil enim magis excitat Deum ad nos amandum, ſicuti amor noſter in ipſum, ut videas, quòd amor noſter maximè excitat Deum ad conferendum omnia deſiderabilia. *Op.de 7.itiner.ætern.d.7.& op.ſtim.div. am.p.2.c.2. ſap.c.4.* ergo amor Dei eſt omnium affectionum condimentum: & tantò plus Deo ſapiunt cæteræ virtutum affectiones, quantò plus habuerint de hoc condimento; nec poſſunt eſſe virtutes, vel devotio, quæ ex amoris Dei radice non pullulant. *Op. de prof. religio. l.1. c.73. ſer.3. Dom.4.poſt oct. Paſcha.ſer.1.fer.2.Pentec.in Lucam c.7.v.4.In Ioan.c.21.v.22.& collat.55.& 61.*

204. *Charitas Mariæ in ſuos devotos qualis.*

Ego diligentes me diligo. Hæc verba ab Eccleſia Mariæ Virgini applicantur, ut dictum eſt ſupra: per quæ datur intelligi qualis, & quanta ſit ejus charitas in omnes, maximè in diligentes ſe: diligit enim ſe diligentes; quia ardentiſſima charitas reſidet in ipſius corde, non ſolùm ad Deum, ſed etiam ad proximum, quod & patet ex viſitatione ipſius ad Eliſabet: in ſubventione facta in nuptiis, quod & quotidie manifeſtatur in exercitio ſuæ charitatis, & amoris. *Op. ſpecu.B.Virg.lec.4.*

205. *Sollicitam converſionem exigit Dominus.*

Qui manè vigilaverint ad me invenient me. Cur mane, & non ad meridiem, vel ad veſperam? Quia Deus exigit ſollicitam pœnitentiam: unde ad hoc ſignificandum Chriſtus reſurrexit, in mane, ut nos inſtrueret, non ſero, ſed mane reſurgere nos debere; ne differamus converti ad Dominum. *Ser.6. in die Paſcha. & in Lucam c.2.v.9.*

206. *Deus quàm gratam habeat vigiliam in oratione nocturna.*

Qui mane vigilaverint ad me, invenient me. Vide quomodo Deus exigit à nobis orationem nocturnam, dans intelligere, quòd oratio nocturna, dum alii dormiunt, ſummopere illi eſt grata; & hoc maximè dirigitur ad illos, qui intendunt ſe communicare, & invenire Chriſtum in Euchariſtiâ: ſi igitur dignè, & fructuosè communionem Euchariſticam intendis recipere, ſummo mane vigila in oratione, & invenies Chriſtum. *Op. regul. Novit. cap. 4. In Lucam c.2.v.9.*

207. *Quales vigilias exigat Deus in ſui obſequio.*

Qui mane vigilaverint ad me, invenient me. Ergone tantùm mane vigilandum? nonne etiam in nocte, ſicut Propheta profitetur ſe media nocte ad orationem, & ad divinas laudes ſurrexiſſe? ſed notandum quòd per illud verbum, *mane,* dat intelligere ſollicitudinem, quam exigit in omni tempore Deus à nobis: notanter autem dicit *vigilaverint*, ideſt vigiliam fecerint alludens ad vigilias, quas antiquitus faciebant fideles in oratione, erantque quatuor: prima dicebatur concinium: ſecunda intempeſtum: tertiâ gallicantus: quarta ante Lucanum: quarum quælibet habebat tres horas; in prima ſolebant vigilare pueri, in ſecunda adoleſcentes: in tertia juvenes; in quartâ ſenes: In Dei autem obſequio quatuor vigiliæ ſpirituales debent obſervari: nempe per contemptum Mundi: per macerationem carnis: per exercitium virtutum; & per deſiderium benedictionum divinarum: vel prima vigilia eſt agnitio mali: ſecunda eſt derelictio ipſius: tertia eſt bonum inchoare: & quar-

ta

ta eſt perſeverantia. *In thren. cap. 2. in ſap. cap. 6.*

208. *Quàm Deo charum ſtudium perfectionis in juventute.*

Qui mane vigilaverint ad me. Per mane intelligitur iuventus; unde in quatuor vigiliis, in quibus fiebant ſtationes ad orationem nocturnam ab antiquis fidelibus, tres deputatæ erant juventuti, ut dictum eſt: ex hoc quod ſtudium virtutum, & perfectionis in juventute arreptum, eſt valde Deo gratum. *In thren. c. 2. ſap. c. 8.*

209. *Oratio nocturna Deo ſummè chara.*

Qui mane vigilaverint ad me. Cur mane, & non in die? ſed attende, quòd Deus præcepit Iſraelitis, ut ante ortum ſolis colligerent manna, quia oriente ſole liquefiebat: ut daret intelligere, quòd ſicut dicit Eccleſia: non ſit vobis vanum mane ſurgere ante lucem, quia promiſit Dominus coronam vigilantibus; ſic docet quòd qui vult coronam gratiæ, & benedictionis divinæ, oportet, ut præveniat ſolem, & de nocte ſurgat ad orationem; quia talis oratio eſt ſummopere Deo grata. *Sap. c. 16. Op. ſpec. Diſcipl. p. 2. c. 1.*

210. *Qui vult invenire Chriſtum, ad Crucem recurrat ſollicitè.*

Qui mane vigilaverint ad me, invenient me. Sed ubi invenient? Nota quòd hæc verba ſunt ſapientiæ crucifixæ: dat enim intelligere, quòd qui vult invenire Chriſtum, quærat eum in tempore opportuno, ſcilicet mane, nempe ſollicitè; & in tempore hujus vitæ, & in loco ubi manet, ideſt in Cruce: quære ergo anima crucem pœnitentiæ & ibi invenies Chriſtum, ibi enim cubat, & parcit. *Ser. 2. de Invent. S. Crucis.*

211 *Qui vitam æternam vult invenire, quærat, & ambulet per Chriſtum.*

Qui mane vigilaverint ad me. Nota quòd dicit vigilaverint ad me, quid eſt ad me? vult dicere, quòd qui iter perfectionis arripit, rendat omnes ſuos actus, ſollicitudinem, & diligentiam ad Chriſtum inveniendum: dicit etiam ad me, nempe ambulet, ſequendo veſtigia mea: quia Verbum, aſſumendo hominem, factum eſt via: ambula igitur per hominem Chriſtum, & pervenies ad Deum; quia ipſe eſt veritas, per quam pervenies ad vitam æternam, in qua permanebis in æternum. *Op. de 7. Itiner. æternit. itin. 7. d. 7.*

212. *Qui invenit Mariam, invenit Chriſtum per Mariam: & hoc maximè in juventute.*

Qui mane vigilaverint ad me invenient me. Nota quòd hæc verba ſunt Mariæ: ſed cur dicit invenient me, & non potius invenient Chriſtum? optimè autem dicit invenient me, abſque alia additione: nam qui invenit Mariam, invenit Chriſtum: adverte etiam quòd dicit: qui mane vigilaverint ad me, quia omnes ſenſus devotionis debent dirigi ad colendam Mariam; ſic enim omnes amantes, eamque colentes tantum à Maria amantur, quòd dilectiſſimum filium ſuum eis communicat: Vis ergo ô homo invenire Chriſtum? quære Mariam: nam per ipſam invenitur Chriſtus, & cum Chriſto vita. *Ser. 4. Dom. infra octav. Nativit. & ſer. 1. de B. Virgine.* Nota autem, quòd dicit: *qui mane vigilaverint:* ideſt à juventute, quia ab adoleſcentibus cultus præſtitus ipſi ſummoperè placet. *Op. Pſalt. B. Virg. Pſal. 10.*

213 *Qui audit Mariam, invenit vitam.*

Beatus homo qui audit me. Quid eſt quòd prædicat Maria, & quid à nobis audiendum? Nota quòd de Mariâ dicitur in Canticis c. 4. favus diſtillans labia tua; eo quod eloquium ipſius dulce eſt ſuper mel: ejus enim verba, quæ referuntur in Evangelio dicta ad Angelum, ad hominem, & ad Deum, ſunt verba humilitatis, caſtitatis, charitatis, veritatis, & compaſſionis: Beatus igitur eſt qui per imitationem audit verba iſta melliflua Mariæ. *Op. ſpecu. B. Virg. lect. 6.*

214. *Beatus qui devote audit verba Dei.*

Beatus homo qui audit me. Nota quòd hæc verba primò dicuntur à ſapientia æterna: per quæ dat intelligere, quòd auditio devota verbi Dei affert animæ participationem beatitudinis. *In Lucam c. 8. v. 5. 19. & 21. & c. 19. v. 25.*

215. *Qui Chriſtum habet, omne bonum habet: Sine Chriſto eſt omnis miſeria.*

Mecum ſunt divitiæ & gloria: & opes ſuperbæ & juſtitia. Quomodo dicit Chriſtus, quòd ſecum, vel ab ipſo ſunt opes ſuperbæ: ergone Chriſtus jactantiam divitiarum ſecum affert? ſed adverte quòd in textu Græco legitur à Beda: opes deſuper apparentes, ſcilicet cæleſtia dona; per quæ verba datur intelligi, quòd in Chriſto ſunt omnes theſauri virtutum, honorum, dignitatum, divitiarum, tum temporalium, tum ſpiritualium; & ab ipſo nobis derivantur; ut videas, quòd qui habet, & poſſidet Chriſtum, omne bonum deſiderabile habet; ideo cave ne dimittas Chriſtum, vel ab ipſo te ſepares, quia in ipſo, & cum ipſo ſunt omnia bona: è contra qui Chriſtum non habet nullum bonum habet, & ſine ipſo omnis miſeria advenit. *In Ioan. collat. 78.* Vide ergo quòd nimis dives eſt Chriſtiana religio, cui datum eſt in Chriſto omnium poſſeſſore omnia poſſidere. *Sap. c. 8.*

216. *In Maria, & per Mariam omnis opulentia.*

Mecum ſunt divitiæ, & gloria. Hæc dicit B. Virgo, & meritò; nam cum ipſa eſt Dominus opulentiſſimus, & ditiſſimus, opulentiſſimè, & ditiſſimè; ideo ipſa ſupergreſſa eſt omnes animas, quæ congregaverunt ſibi divitias. Maria ergo eſt ſuper omnes dives in gloria, in anima, & in corpore; ideo ab ipſa petere debemus divitias, opes, & omne bonum. *Opus ſpec. B. Virg. lect. 8. ſic & Ruper. abbas.*

217. *Sapientiæ fructus quàm pretioſi.*

Melior eſt fructus meus auro, & lapide pretioſo. Nota, hæc dicuntur à ſapientia divina, ut videas

deas quales fructus ejus ſint; ſcilicet pulcherrimi ad videndum, fragrantiſſimi ad odorandum, ſapidiſſimi ad deguſtandum, pretioſiſſimi ad poſſidendum, & ſempiterni ad perdurandum; ideo præponendi auro, & omnibus lapidibus pretioſis. *Luc. c. 13. v. 10.*

218. *Fructus ventris Mariæ pretioſitas expenditur.*

Melior eſt fructus ejus auro, & lapide pretioſo. Hæc dicuntur à Spiritu ſancto loquente de fructu ventris Mariæ: cum enim ſit delitioſiſſimus, ſublimiſſimus, virtuoſiſſimus, utiliſſimus, & copioſiſſimus, & cum ſit fructus Mariæ, hinc ad Mariam recurrendum, & à Maria expectandum, & pro ipſo obtinendo, omnibus terrenis renunciandum. *Op. ſpec. B. Virg. lec.* 16. 17. & 18. Charitas igitur Mariæ melior cunctis divitiis, & gratia ejus ſuper aurum, & lapidem pretioſum. *Op. Pſalt. B. Virg. Pſal.* 107.

219. *Spiritus ſancti adventus in animam replet theſauros cordis opibus ſpiritualibus.*

In viis juſtitiæ ambulo, ut ditem diligentes me. Notandum, quòd hæc verba ſunt Spiritus ſancti, quibus dat intelligere, quòd ipſe ambulat in viis juſtitiæ, ſcilicet ad animam advenit ambulantem per vias juſtitiæ, & timoris Dei, & per adventum ſuum replet theſauros diligentium Deum: theſauri autem iſti ſunt bona voluntas, virtutes, & merita, quibus per Spiritum ſanctum repletur arca cordis: quia ante oculos Dei nunquam eſt vacua manus à munere, ſi arca cordis repleta eſt bona voluntate: cæcitas ergo deteſtanda eſt quando triſtatur homo ſi perdit theſaurum Mundi, & non curat, ſi perdit fidem, charitatem, juſtitiam, patientiam, theſaurum pretioſiſſimum Spiritus ſancti. *Serm. 3. fer. 2. Pentec.*

220. *Chriſtus quærit mercatores, ut per ſua talenta negotientur, & divites fiant.*

In viis juſtitiæ ambulo, ut ditem diligentes me. Ad quid Chriſtus ambulat vias juſtitiæ, ut ditet diligentes ſe? cur non alibi, quàm in viis juſtitiæ. Dicitur ambulare in viis juſtitiæ, nempe, ut talenta ſuorum donorum diſtribuat nobis, & ut nos ambulantes per vias juſtitiæ negotiemur, & divites fiamus: committit ergo nobis ſua dona, ut mercatoribus ad augenda lucra meritorum; de quo lucro examinabitur anima in die judicii: væ igitur iis, qui pecuniam ſuam, ſive materialem ſive ſpiritualem turpiter expendunt, ut filius prodigus in vitiis, & peccatis. *Ser. 3. Dom. 13. poſt Pentec.*

221. *Dei amor multiplicat gratiam, & ditat animam.*

In viis juſtitiæ ambulo, ut ditem diligentes me. Nota quòd Deus ſe paratum exhibet ad ditandum ſolùm diligentes ſe: ergo ubi non eſt Dei amor, ibi eſt miſerabilis paupertas: & è contra ſola Dei dilectio ditat animam, & ipſam Deus replet gratia virtutibus, & meritis. *Ser. 3. Dom. 21. poſt Pentec.*

222. *Mariæ viæ ſunt juſtitiæ, & per has ditat diligentes ſe.*

In viis juſtitiæ ambulo, ut ditem diligentes me. Hæc ſunt verba Mariæ; datque intelligere, quò d via innocentiæ, & juſtitiæ, prudentiæque eſt via, quam nobis oſtendit Maria Virgo, & per quam invitat nos, & quòd melior eſt charitas ejus cunctis opibus, & divitiis, & gratia ejus ſuper aurum, & lapidem pretioſum, & per quam ditat & implet diligentes ſe. *Op. Pſalt. Min. Pſal.* 104. 106. & 107.

223. *Verbi productio hic innuitur.*

Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum ab æterno ordinata ſum: & cum ipſo eram. Certum eſt quòd hic agitur de productione Verbi: attamen ingerit difficultatem illud verbum: poſſedit; quia poſſeſſio eſt rei inferioris, cum Verbum ſit æquale Patri: item illud verbum ordinata ſum; cum ordinatio ſit rei poſterioris: & tamen Verbum eſt ſimul cum Patre ab æterno: item illud verbum: ego parturiebar, & concepta eram, cum conceptio, & partus ſonent in ſexu fragilitatem: At reſpondetur, quòd hic ſapientia deſcribitur per comparationem ad effectus, & ad principium: per comparationem ad effectus, habet in ſe theſaurum infinitum in numeroſitate, & ordinem in diſcuſſione in ordine ad creaturas: per comparationem ad principium, à quo emanat emanatione intrinſeca, in eo quod eſt de ſubſtantia emanantis; ideò primo modo deſcribitur per verbum poſſidendi, & ordinandi; & ſecundo modo per verbum conceptionis, & parturitionis. *l. 1. d. 2. dub.* 10.

224. *Maria Virgo ante omnem creaturam præventa, præordinata, & in mente divina præparata ſingulariſſimo modo.*

Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum antequam quidquam faceret, ab æterno ordinata ſum. Hæc verba dicuntur in perſona B. Virginis, quæ tamen ingerunt non parvam difficultatem: quomodo hæc verè poſſit dicere, cum etiam cæteræ creaturæ præordinatæ fuerint ab æterno à Deo? ſed attende quòd Spiritus ſanctus intendit ſignificare privilegium ſpecialiſſimum B. Virgini factum ſuper omnes creaturas; nempe quod ante omnes creaturas fuerit præordinata, prædeſtinata tanquam caput, & compendium perfectionum omnium creaturarum, ut eſſet digna Mater Dei in tempore præfixo. *Op. de Eccleſia. Hierar. p. 4. c. 7.* Unde ex Hebræo legitur Dominus conſtituit me initium, & caput creaturarum quia Maria Virgo fuit compendium, ſumma, & myſterium omnium creaturarum, in qua conjunctæ fuerunt omnes perfectiones ipſarum eminentialiter, ſine admixtione imperfectionis.

225. *Incarnatio facta convenientiùs in Verbo, quàm in cæteris perſonis ex Maria Virgine.*

Nondum erant abyſſi, & ego concepta eram, ante colles ego parturiebar. Vide quomodo productio Verbi appellatur conceptio, & parturitio; ex quo clareſcit quòd convenientiùs incarnatio in ejus perſona facta eſt ut conceptio temporalis ex Maria Virgine reſponderet conceptioni æternæ in mente patris. *l.3.d.4.a.1.q.1.in fundam.*

226. *Productio Verbi ab æterno cur explicatur aliquando tempore præterito, aliquando præſenti, aliquando futuro.*

Nondum erant abyſſi, & ego concepta eram: ante colles ego parturiebar. Nota hîc, quod aliquando tempore præterito exprimitur generatio Verbi, ut importetur duratio divina ſine principio: aliquando tempore præſenti, ut ſignificetur eadem generatio ſine intervallo, & per modum quietis, & eſſe perfecti: & aliquando tempore futuro; ut importetur generatio ſine termino. *l.1. d.9. dub.8. & d.2. dub.8. & ſer.11. Hexam. & op. de reduct. artium.*

227. *Apoſtoli figurati nomine Cælorum, & Ætheris.*

Quando præparabat cœlos aderam, quando æthera firmabat ſurſum. Cur ſapientia divina Chriſtus dicit ſe adfuiſſe quando præparabat cœlos, & æthera? ſed attende, quod dicit Chriſtus ſe adfuiſſe tunc in præparatione cœlorum, non in creatione cœlorum ſed in præparatione, quia præparabat cœlos veluti figuram Apoſtolorum, quos collocavit in fundatione Eccleſiæ, tanquam cœlos quoad puritatem vitæ, & quoad influentias emittendas ab eis in animas per prædicationem, miracula, & alia opera virtuoſa: verè enim cœli puriſſimi ſunt. *Op. de Eccleſ. Hierar. p.4.c.2.*

228. *Cur terra dicitur fundamentum orbis: ſcilicet terra appenſum; & non potius fundata ſuper ſtabilitatem ſuam.*

Quando appendebat fundamenta terræ. Nota, quod terra, cum ſit fundata ſuper ſtabilitatem ſuam dicitur appenſa, ſcilicet tribus digitis, ut addit Iſaias c.40. quia ſecundum exiſtimationem imaginationis videtur appenſa ſuper aqoas; ſed tamen hoc propriè dicitur, quia tribus elementis intermediis diſtat à cœli circumferentia, & mediantibus illis, videtur quaſi appenſa. *l.2. d.2. dub.1.*

229. *Anima juſta libratur à Deo, ut fons aquarum librâ devotionis cœlicæ.*

Quando librabat fontes aquarum. Quænam libratio eſt iſta? Reſpoodetur quòd myſticè ſignificantur animæ juſtæ, quæ fundunt aquas lachrymarum, & quas Deus librat cœlica devotione. *In Ioan. collat.55.* Vide ergo, quòd ad menſuram lachrymarum & compunctionis, Deus commenſurabit ſua dona, & gratias tibi conferendas.

230. *Mariæ privilegia figurata in præparatione cælorum.*

Quando præparabat cælos aderam. Quomodo aderat Maria Virgo in principio creationis cœlorum? nonne ſolùm poſt multa ſæcula concepta, & nata eſt? ſed reſpondetur, quòd ideo hoc dicit Maria, non quòd verè perſonaliter tunc adfuerit præſens; ſed quia præerat in cœlorum formatione tanquam figurata in ipſis: quia Maria fuit cœlum nobiliſſimum aëreum per utriuſque luminis puritatem omnimodam, quia nullam maculam unquam contraxit: cœlum item igneum per ardentiſſimam charitatem: cœlum item ſydereum per patientiæ firmitatem, & gratiarum tanquam ſtellarum copioſitatem: cœlum item aqueum per frigidiſſimam caſtitatem: ſi cœlum item empyreum per continentiam totius ſapientiæ, & claritatis, luciſque divinæ. *Serm.1. de B.Virgine.*

231. *Quomodo dicitur divina ſapientia delectari ludens cum hominibus.*

Et delectabar per ſingulos dies, ludens coram eo omni tempore. Nota quòd per iſta verba ſapientia divina dicitur delectari cum hominibus, ludendo; ſcilicet delectationes animabus juſtis immittendo: videturque ludere coram Deo, de paucis verbis Sacræ ſcripturæ, multiformes ſapientias, & intelligentias & myſteria eruendo: & hoc eſt privilegium contemplativorum; in quorum mentibus divina ſapientia infundit ſemper, & ſemper novas intelligentias, dum incumbunt continuè meditationi legis divinæ, & verborum Sacræ ſcripturæ: & in hoc ſenſu dicebat Propheta: *memor fui Dei & delectatus ſum. Pſ.118. c.1.v.14.* Nota etiam quòd hic ludus dirigitur ad varia myſteria Sacræ Scripturæ; poteſt enim dici cum eodem Seraphico Doct. & Hugone Cardin. quod Verbum Dei ab initio Mundi incarnationem ſuam, vitam, & mortem, quam seriò apud nos acturus erat in carne ludrre cœpit, imagines plures, umbras, & figuras præmittens; & deinde in plenitudine temporum verè nobiſcum habitare voluit; unde ſubdit: *& deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum.*

232. *Deliciæ quales à Deo cohabitante in anima, in ipſa infundantur.*

Et deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum: Quomodo hoc poteſt verè dicere Deus, qui de ſe eſt ſibi ipſi ſummè beatus; nec a creaturis poteſt ipſi ſuperaddi vel minima felicitas, vel gaudium? ſed attende, quòd licèt hoc veriſſimum ſit, nihilominus tam ardens eſt ipſius Dei deſiderium noſtræ ſalutis, & boni, quòd noſtro modo loquendi utens, fatetur ipſi eſſe ſummè in deliciis ipſius cohabitatio ſpiritualis per gratiam in animabus noſtris. *l.1. d.21. dub.2. & ſer. 4. Dom.2. quadrag.*

233. *Deus quàm ardenter deſideret unionem animæ noſtræ: & in quo conſiſtat talis unio.*

Et deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum. Nota illam particulam: *Cum;* non enim dicit *in filiis*, ſed

cum

Google

cum filiis hominum; per quod exprimit, primò quod non tantùm deſiderat eſſe, & cohabitare in juſtis per eſſentiam, præſentiam, & potentiam; ſicuti eſt in cæteris omnibus creaturis; ſed vult eſſe in ipſis per gratiam, & cum ipſis per unionem mutuam mutuæ dilectionis; quia hæc particula, cum, importat aſſociationem, & conſequenter mutuum auxilium, & conformitatem voluntatis, quia juſtus ſolùm vult quod Deus vult. *L. 1. d. 21. dub. 2. & l. 1. d. 37. p. 1. dub. 1. & ſer. 4. Dom. 2. quadrag. op. de dono conſil. c. 4. & de reduct. artium.*

234. *Deus propriè non dicitur eſſe cum peccatoribus, ſed tantum cum juſtis.*

Et deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum. Si hæc præpoſitio, *cum*, importat mutuam conformitatem voluntatis Dei cum voluntate hominis, & è converſo, quomodo poteſt dici hoc de omnibus filiis hominum, cum multi ſint impii, & voluntati divinæ adverſarii? ſed nota quòd hic loquitur, non de omnibus hominibus, quia multi ipſorum ſunt tantùm homines nomine, & re, moribuſque beſtiæ; ſed tantùm de iis, qui vivunt ſecundùm rectas regulas rationis, & legis divinæ, daique intelligere facet textus, quòd Deus propriè non dicitur eſſe cum malis, & impiis, licèt ſit in ipſis per eſſentiam, ſed tantùm cum juſtis ſe conformantibus per gratiam cum Dei voluntate. *L. 1. d. 37. p. 1. dub. 1. & d. 21. dub. 2. & l. 2. d. 4. a. 1. qu. 2.*

235. *Deus, ut delicietur cum hominibus juſtis, domum ſibi ædificavit in ipſis.*

Deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum. Vide quanta ſit bonitas Dei in nos, dum qui ſibi ſolus ſufficiens eſt & beatus, tamen ſe proteſtatur deliciari, dum cum homine habitat: ſed adverte, quod ut cohabitet continuè in iſtis deliciis, ædificavit ſibi domum in homine, nempe animam per gratiam, & dona, virtuteſque eam ornando, & hoc eſt ad convivandum, ſcilicet ad illuſtrandum intellectum, & inflammandum affectum: cum enim paſcit nos ſuis deliciis, gaudet, ac ſi ipſe paſceretur *In ſan. c. 8. ſer. 2. Hexam. Op. medit. c. 34. in Lucam c. 10. v. 38.*

236. *Dei deliciæ ſunt habitare cum tribulatis.*

Deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum. Ergone Deus deliciatur cum omnibus hominibus, etiam inimicis, & impiis? Minimè: ſed attende quid dicit in Pſal. 90. *Cum ipſo ſum in tribulatione:* ergo deliciæ ejus ſunt eſſe cum filiis hominum exiſtentibus, & patientibus in tribulatione: Deſcendit igitur Deus, ut prope ſit iis, qui tribulato ſunt corde; ut nobiſcum ſit in tribulatione noſtra: Bonum eſt ergo mihi, ô Jeſu mi tribulari, dummodo ipſe ſis mecum, quàm regnare ſine te, epulari ſine te, ſine te gloriari: quid ergo trepidamus? Quid cunctamur? quid refugimus hunc caminum? ſævit ignis, ſed Dominus nobiſcum eſt in tribulatione? & ſi Dominus nobiſcum eſt, quis contra nos poteſt. *Op. medit. vitæ Chriſti c. 36.*

237. *Felicitas animæ expenditur, in qua Deus hoſpitatur.*

Deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum. Ergone creatura poterit addere delicias Deo? Nota quòd hæc à ſapientia divinâ dicuntur, ut pateat deſiderium, quod reſidet in corde Dei, inhabitandi in animâ noſtrâ, & qualis ſit hujus felicitas: gaude igitur ô anima felix quòd potes eſſe tanti hoſpitis hoſpita: ô felix anima, quæ quotidie cor ſuum mundat, ut inhabitantem Deum ſuſcipiat? cujus hoſpes nullo bono indiget, quia auctorem omnium bonorum habet in ſe: ô quam beata anima, apud quam Deus requiem ſibi invenit: ô anima conſidera felicitatem tuam, dum Rex, cujus pulchritudinem ſol, & luna mirantur, cujus magnitudinem Cælum, & terra reverentur; de cujus ſapientia cæleſtium ſpirituum agmina illuminantur; de cujus clementiâ omnium beatorum collegia ſatiantur, talis tuum hoſpitium deſiderat, tuum cœnaculum pluſquam cæleſte palatium appetit, & exoptat: præbe igitur, & aperi cor tuum mundum Deo, ut ibi intret. *Op. ſolil. cap. 1.*

238. *Dei deliciæ ſunt eſſe cum adoleſcentibus ipſi ſervientibus, maximeque novitiis religioſis.*

Deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum. Cur dicit cum filiis hominum, & non cum hominibus? Cum filiis ait, ideſt cum adoleſcentibus; quia ſervitium Deo præſtitum ab adoleſcentia eſt ſummè gratum Deo? iſtis enim Deus libenter impartitur delicias ſuas. *Op. de prof. religioſ. l. 2. c. 1.* Audiant, & hæc notent Novitii religioſi, & accendant corda, ipſaque præparent in hoſpitium Deo dignum.

239. *Verbum incarnatum eſt cum hominibus inhabitando delicians.*

Deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum. Nota quòd hoc ante incarnationem dicebat divina ſapientia, ut oſtenderet deſiderium, quod in corde ſuo ardebat ſumendi carnem, & inhabitandi cum homine; ideo propter nimiam charitatem homo factus eſt; & humanas indigentias libenter ſuſcepit, & pertulit inter homines, quaſi inter eos luderet & ludendo deliciaret. *In Lucam c. 7. v. 36. & c. 10. v. 38.*

240. *Mariæ Virginis deliciæ eſt eſſe in adjutorium hominum.*

Deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum. Nota quòd hæc ab Eccleſia applicantur veluti dicta à Mariâ Virgine: ut detur intelligi, quòd ipſi in deliciis eſt clementiam, adjutorium, pietatem, dulcedinem oſtendere indigentibus, pœnitentibus, laborantibus, exorantibus, & omnibus miſeris ipſam invocantibus. *Op. in ſalve regina & Op. ſtim. p. 3. c. 19.*

241. *Qualem diſciplinam à nobis Deus exigat ſimul cum ſapientia.*

Nunc ergo Filii audite me: audite diſciplinam & eſtote ſapientes. Nota quòd hic Deus à nobis exigit ſapientiam, & diſciplinam; ſed quid eſt

D 2 hæc

hæc ſapientia, & diſciplina? qualiter inter ſe differunt? Reſpondetur quòd colere Deum, atque ei ſubditum eſſe ſapientia eſt: abſtinere autem à peccatis, diſciplina eſt: eſtque ordinata morum connexio, & majorum præcedentium regularis obſervatio, & imitatio. O quam compoſitum reddit omnem puellaris corporis ſtatum; necnon mentis habitum diſciplina: cervicem ſubmittit, deponit ſupercilia, componit vultum, ligat oculos, cohibet cachinnos, moderatur linguam, frenat gulam, ſedat iram, format inceſſum: talibus decet pudicitiæ veſtem diſtingui margaritis. *Op.Phar.l.4.c.9.*

242. *Verbi Dei auditio, & præcipuè Evangelii maximè ducit ad vitam æternam.*

Nunc ergo filii audite me: beati qui cuſtodiunt vias meas. Vide quàm ſollicitus ſit Deus, ut libenter, avidè, & devotè audiamus ipſius verba, & maximè doctrinam evangelicam, quia immediatiùs ducit animam ad vitam æternam; & in hac vita confert participationem beatitudinis *In Ioann.c.20.in fine: in Lucam c.19.in fine & c.12. v.37.& c.10. v.23. & c.21. in fine & op. de dono ſap.c.2.& 3.*

243. *Quærenda, & invenienda à nobis ſapientia cæleſtis.*

Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino. Vide quomodò Deus, ſapientia æterna nobis ſuadet, ut ipſam inveniamus: ſed adverte, quod invenire importat ſtudium, & diligentiam quærendi; ergo prius eſt ſtudio, & ſollicitudine quærenda, ut inveniatur: ſed quomodo cognoſcitur inventa ſapientia? attende quæ dicit S. Bernardus: inveniſti ſanè ſapientiam, ſi prioris vitæ peccata defleas, ſi hujus ſæculi delectabilia parvi pendas, ſi æternam beatitudinem toto deſiderio concupiſcas: inveniſti ſapientiam ſi tibi hæc ſapias: *Op.de dono ſap.c.3. ſer.2.de invent.S.Crucis.*

244. *Qui invenit Chriſtum, invenit veram vitam.*

Qui me invenerit, inveniet vitam. Hæc dicuntur à Chriſto dans intelligere, quod cum ipſe ſit via, veritas, & vita; qui ipſum invenit, invenit viam ducentem ad vitam, & haurit ſalutem à Domino: nempe viam per quam homo tutiſſimè ibit, & veritatem, per quam certiſſimè ibit, cum ſit finis ænigmatis; & vitam obtinet, in qua æternaliter permanebit. *Op. itiner. 5. d.7. & itiner.7. d.7.*

245. *Per Chriſtum oſtium invenitur ſapientia, & vita cæleſtis.*

Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet ſalutem. Vide quo pacto poteris invenire ſapientiam, & vitam cæleſtem, & ſalutem æternam; nempe per Chriſtum qui eſt oſtium, per quod primò habetur ingreſſus in unitatem Eccleſiæ, & conſequenter in ſapientiam, & intelligentiam abditorum Sacræ ſcripturæ: unde ſubdit: *Beatus homo, qui obſervat ad poſtes oſtii mei. In Ioan.collat.48.*

246. *Qui vult invenire Chriſtum, quærat prius Crucem.*

Qui me invenerit, &c. Sed ubi invenire poſſumus Chriſtum? In Cruce, & per Crucem inveniemus ipſum Chriſtum, nec alibi unquam poterimus invenire ipſum, quia in Cruce dormit, & cubat. *Ser.2.de invent.S.Crucis.*

247. *Peccatum fert ſecum inſeparabiliter vermem interiorem.*

Qui autem in me peccaverint lædent animam ſuam. In quonam lædent animam ſuam? nempè in cruciatu vermis interioris, quem inſeparabiliter fert ſecum peccatum. *Pſalm. 118. c.1. v.11.* Unde peccatum eſt pœna ſui, & eſſentialiter eſt alienatio, & privatio boni, activè, & paſſivè. *l.2. d.35.a.1.qu.2.*

248. *Mariæ devotio exigit imitationem ſuarum virtutum.*

Beati qui cuſtodiunt vias meas: audite diſciplinam. Nota quod hæc verba ab Eccleſia applicantur Mariæ: per quæ datur intelligi, quod vera devotio ipſique ſummè chara eſt ipſius virtutum imitatio: vis ergo, ó anima devotè colere Mariam? ſume exemplum converſationis ejus, & æmulare ſtudia charitatis, & humilitatis ejus, obedientiæque, & manſuetudinis; ſicque eris beata, & felix. *Op.Pſalt. B. Virg. Pſal.16. & 33. & 80.& 118.*

249. *Qui invenit Mariam invenit Chriſtum.*

Qui me invenerit, inveniet vitam. Quomodo hoc poteſt dicere Maria? eſtne ipſa vita eſſentialiter? nonne Chriſtus ipſe dicit de ſe: ego ſum via, & vita? ſed attende quod ad perveniendum ad finem, qui eſt Chriſtus, & vita beata, requiritur inceſſus per viam: via autem perveniendi ad Chriſtum eſt appropinquare ad Mariam: & è contra, qui fugerit hanc viam, non inveniet vitam. *Op. Pſalt.B.Virg.Pſal.117.& ſpecul. B.Virg. cap.6.*

250. *Devotio ad Mariam exercenda eſt quotidie.*

Beatus homo, qui vigilat ad fores meas quotidie. Nota illud verbum quotidie; nam vera devotio ad Mariam exercenda eſt tali pacto; nempe ipſi fidere omnia ſua, & eam quotidie colere, ipſamque imitari. *Op. 23. memoralia.* Non igitur prætermittas quotidiè teipſum, & tua Mariæ fidere, & confidere, ſi vis, ut proſpera ſint tibi omnia.

251. *Mariæ auxilium eſt tam promptum, quod ſæpe prævenit noſtras petitiones.*

Et hauriet ſalutem à Domino. Septuaginta legunt: & præparabitur voluntas à Domino; quaſi dicat: Maria prævenit ſæpe petitiones noſtras antequam rogata, & invocata; ut patefit in nuptiis; in quibus compatiens verecundiæ ſponſorum, petiit non invocata, auxilium à Chriſto. *Op. ſpecu.B.Virg.lec.6.*

252. *Quinam*

252. *Quinam ſunt qui in Mariam peccant.*

Qui autem in me peccaverit lædet animam ſuam. Nota quod per hæc verba Mariæ, notantur qui blaſphemant, contemnunt, & inhonorant Mariam; imo & qui ipſi non ſerviunt, ipſam non invocant, & non colunt: iſti enim inveniunt mortem æternam. *Op.Pſalt.B.Virg.Pſal.*86.*&* 16. *&* 117.*&* 118.

CAPUT IX.

253. *Anima juſti à Chriſto ſumma arte in domum ſuam ædificatur.*

SAPIENTIA *ædificavit ſibi domum.* Certum eſt quod hic loquitur ſacer textus de ſapientiâ increata: ſed hæc quali domo indiget? Reſpondetur, quòd domus iſta eſt anima juſti, quæ eſt ſedes, & locus ſapientiæ divinæ; hanc ſibi ædificat Deus, & inſtruit omnibus qualitatibus Dei habitaculo condignis: nam excidit, ſeu ſupponit ipſi ſeptem columnas ad ejus ſtabilitatem: primaque columna eſt pudicitia in carne; non enim in malevolam animam intrat ſapientia: ſecunda eſt ſimplex innocentia mentis, per quam anima reverenter ſe ſubjicit ſuperiori, & æquanimiter ſe habet ad parem, diſcretè ad inferiorem, & hæc eſt pax vera: tertia eſt modeſtia in ſermone, quam exigit ſapientia: quarta eſt ſuadibilitas in affectu in bono: quinta eſt liberalitas in effectu, ſeu miſericordia in proximum: ſexta eſt maturitas in judicio; ſeptima eſt ſancta ſimplicitas in intentione, judicans ſine ſimulatione: felix igitur illa anima, in qua relucent hæc dona: *Ser.*2.*Hexam. In Lucam c.*19.*v.*8.

254. *Eccleſia eſt domus fabricata à Chriſto: columnæ ſunt ſacramenta, ad quæ invitatur anima, & præcipue ad Euchariſtiam.*

Sapientia ædificavit ſibi domum: excidit columnas ſeptem. Ecce quod ſapientia incarnata ſibi ædificavit domum, quæ eſt Eccleſia, locuſque ſacramentalis refectionis perficientis, & terminantis appetitum, ejuſque fluxibilitatem dulcedine incomprehenſibili: unde rectè dicit quod ædificavit ſibi domum Eccleſiæ; excidit; id eſt profundè, & firmiter in ea collocavit columnas ſeptem ſacramentorum; immolavit victimas ſuas proprii corporis, & ſanguinis, qui exivit de ejus latere; & propoſuit menſam ſuam in altari crucis: & inſipientibus hujus ſæculi, qui nolunt humana ratione in cognitionem hujus ſacramenti devenire, locuta eſt, tam interiori inſpiratione, quàm exteriori prædicatione: venite comedite panem meum cæleſtem, habentem omne delectamentum, & omnis ſaporis ſuavitatem: & bibite vinum ſapientialis ſapientiæ: unde qui vult comedere panem vitæ & potare vinum ſapientiæ, neceſſe habet venire ad ſacramentum Euchariſtiæ; ibi enim ſentiet quomodo ſapientia ſecundum nomen ſuum ſit ſapida ſcientia, & guſtabit ſenſibiliter quomodo ejus guſtus eſt ſuper mel dulcis; cujus immenſa magnitudo dulcedinis, quam in ea abſcondit, appetitum animæ, qui eſt ad infinita abſorbet, & quietat; in nullo enim alio fluxibilitas appetitus, & inſtabilitas mentis poteſt terminari, & quietari. *Ser.* 4.*Dom.*9. *poſt Pentec. in Lucam c.*5.*v.*26.*& c.*14. *v.*8. *& op.comp.Theol.l.*4.*c.*5.

255. *Felicitates Domus Dei expenduntur.*

Sapientia ædificavit ſibi domum, excidit columnas. Hæc domus Dei eſt domus cæleſtis patriæ à Deo ædificatæ cum omnibus conditionibus deſiderabilibus; eſt enim opulentiſſima omnibus divitiis, & lucidiſſima, ſejuncta ab omnibus malis, firmiſſima, & ſecuriſſima; ornatiſſima omnibus gratiis, mundiſſima, jucundiſſima, & gaudioſiſſima. *Ser.*1.*de omnib.ſanct.*

256. *Eccleſia fulcitur per ſeptem dona Spiritus ſancti: ſic & anima, in qua convivium paratum eſt.*

Sapientia ædificavit ſibi domum; excidit columnas ſeptem? Quæ domus, quæ columnæ, quodnam convivium? Nota quod hæc eſt vel Eccleſia, vel anima, verè domus Dei, quæ à Spiritu ſancto ornata, & fulcita eſt ſeptem columnis, ſcilicet ſeptem donis ſuis, & per eadem dulciſſima convivia ſpiritualia miniſtrat habitantibus cum divina ſapientia, quorum copiam, & dulcedinem nemo ſcit, niſi qui accipit per experientiam, vel per revelationem. *Op.de ſept.donis in communi.c.*2.

257. *Maria Virgo domus eſt Dei ædificata cum ſeptem Columnis.*

Sapientia ædificavit ſibi domum. Cor ſibi ſapientia increata, non potius nobis ædificavit domum? Nota quod ſibi dicitur ædificata à Verbo: quia hæc fuit B.Virgo Maria, quam Verbum ſibi ædificavit, ut in ipſa carnem ſumeret: hancque replevit omnibus bonis, & gratiis; & ſubmiſit ei ſeptem columnas, ſcilicet dona Spiritus ſancti, ſuper quæ fundata eſt, & exaltata. *Op.ſpecul. B.Virg.lec.*6.*& ſer.*1. *in feſt.Omn. Sanct.*

258. *Maria Virgo Domus, & conciſtorium cauſarum ædificata à Deo.*

Sapientia ædificavit ſibi domum. Ad quid hæc domus inſervire debebat? Nota quod hæc eſt Maria, quam ædificavit ſibi Verbum, ut eſſet domus, & conciſtorium cauſarum ſummi Imperatoris, ut in ea dirimerentur lites; in hanc intravit Dominus Jeſus, quando incarnatus eſt; & ideo mirum non eſt ſi hanc domum replevit donis, & plenitudine gratiarum omnium. *Op.ſpecul.B.Virg.lec.*7.

259. *Maria ſola inventa digna, ut Deus in illa habitaret.*

Sapientia ædificavit ſibi domum. Nota quod ſi ſibi Deus Mariam ædificavit, ergo ſola inter omnes creaturas inventa eſt digna, ut in ſe reciperet, & in ea habitaret rex regum, & dominus dominantium. *Op.ſpec.B.Virg.lec.*10. *& in Lucam c.*19.*c.*7.*& op.Pſalter.min.quinq.*1.*&* 2.

260. *In Maria Deus ſibi conduxit uterum, & mentem,ut eſſet domus ſibi, proportionata.*

Sapientia ædificavit ſibi domum: Sed in quo loco? in Mariæ utero, in quo area Dei, ſcilicet Chriſtus cum Manna, & urna aurea collocata; nempe cum humanitate, & divinitate: verè domus benedicta, ex qua omnium procellit vita. *Op.ſpec.B.Virg.lect.14.& Laus B.Virg.ſig.12.* Nota autem, quod in Maria pars hujus domus fuit venter à Deo ſibi ædificatus; ſed alia pars, ſcilicet voluntas,& mens,quam ſibi à Virgine veluti locata conduxit verbum, ut ſolus eam inhabitaret: Non ſolum enim ventrem, ſed etiam mentem Mariæ divina ſapientia cæpit, ut integram domum tantus Dominus obtineret; ideo dictum eſt ad illam: Dominus tecum; ideſt tecum in mente,tecum in ventre, nihil tui vacat, omnem conclavem implevit. *Op.ſpec.B.Virg. lec.10.11.& 7.* ſed qualem penſionem accepit Virgo à Deo pro iſta domus ſuæ locatione? Attende quid dixerit Angelus Mariæ: nempe Dominus tecum: Dominus potentiſſimus, opulentiſſimus, ideo ipſam potentiſſimam, opulentiſſimam, & pleniſſimam omnibus gratiis, & hæreditate filii fecit. *ibid. lec.8.& 9.*

261. *Maria Triclinium Trinitatis.*

Sapientia ædificavit ſibi domum. Domum ſcilicet Mariam: ſed qualem domum? non ſolum ut domum cauſatum,ſicut habent reges, & Imperatores,ſed & cœnaculum ciborum; ideo verè fuit Maria Triclinium SS. Trinitatis dives triplici lecto,nempe intellectu, memoria, & voluntate; & menſa ciborum, ideſt virtutum: in quo triclinio tota Trinitas lautiſſimè epulatur, & jucundiſſimè decumbit: Hinc ad Mariam verè poſſumus dicere: tu ô Maria ſponſa, & Mater regis æterni: Tu templum, & ſacrarium Spiritus ſancti, totius Trinitatis beatiſſimæ Triclinium. *Op. Laus Virg.ſig.12.& ſpecu. B.Virg.lec.1. & 10. hymn.de Matris Dei laud.& Lytaniæ.*

262. *In Mariæ utero præparata Euchariſtia.*

Miſcuit vinum, & poſuit menſam. Ecce quod ſuppoſita ædificatione domus, offertur vinum, & menſa panis: ut videas, quod in utero Virginis præparatum fuit Corpus, & ſanguis Chriſti, ut in Euchariſtia toti Mundo exhiberetur. *Pſalm. 138.& op. medit. cap.4. & de perfec. vita cap.8.*

263. *Prædicatores ſunt Miniſtri à Chriſto miſſi, ut ad Eccleſiam convocent homines ad convivium.*

Miſit ancillas ſuas, ut vocarent ad arcem. Iſtæ ancillæ ſunt Prædicatores, qui à Chriſto mittuntur, ut invitent homines ad Eccleſiam, & ad convivium recipiendum ſacramentorum & verbum Dei. *In Ioan.c.4.v.30. in Lucam c.13.v.13. & cap.14.v.17.c.18.v.16.*

264. *Mariæ Virginis Ancillæ quænam: in cujus manibus debent ſua offerre, & ex ipſis expectare omnia bona.*

Miſit ancillas ſuas,ut vocarent ad arcem. Quænam ſunt iſtæ Ancillæ? Nota. quod quælibet anima fidelis, imo & ipſa Eccleſia univerſalis ancilla Mariæ eſt: oculi hujus ancillæ in manibus dominæ ſuæ ſemper debent eſſe; ſemper ad manus Mariæ debent reſpicere, ut per manus illius aliquid boni accipiamus, & per manus ejus quidquid boni agimus, Domino offeramus: Per manus enim hujus Dominæ habemus quicquid poſſidemus: modicum igitur illud quod offerre deſideras, gratiſſimis illis, & omni acceptione digniſſimis Mariæ manibus tradere cura, ſi non vis ſuſtinere repulſam. *Op.ſpecu B.Virg.lec. 3.*

265. *Oculi ſervorum Mariæ ad manus ipſius reſpiciunt,ut ejus opera imitentur.*

Miſit ancillas ſuas, ut vocarent ad arcem. Ad quid miſit Deus iſtas ancillas ſuas? ut vocarent, ait,ad arcem: ſed quid eſt hoc? quænam eſt iſta vocatio ad arcem? ſed nota quod iſtæ ancillæ Mariæ ad manus Mariæ reſpicere debent; ſcilicet ut opera ejus imitentur, & imitando Mariæ virtutes alios excitent ad eadem opera. Vera enim devotio ad Mariam conſiſtit in hoc, quod quis lætatur corde,ipſam amat, ipſam imitatur, ipſique conformatur. *Op.ſtim.p.3.c.16.*

266. *Pueri, & adoleſcentes invitandi maxima cura ad Dei obſequium.*

Si quis parvulus eſt veniat ad me. Ecce quomodo ſapientia increata maximo ſtudio invitat ad ſui obſequium parvulos, & adoleſcentes: ut addiſcant Majores qua diligentia ſint educandi in Dei timore. *In Lucam c.18.v.16.in Thren. c.4. & ſer.2.in ſexageſ.*

267. *Sacræ ſcripturæ arcanorum cognitio difficilis,& ſimul facilis.*

Venite comedite panem meum; & bibite vinum quod miſcui vobis. Nota hanc conjunctionem panis, & vini; per quam ſapientia divina invitat animas noſtras ad perſcrutationem myſteriorum Sacræ Scripturæ, quæ primò proponit ſub nomine panis; ut det intelligere, quod talis cognitio eſt difficilis, cum ſit de rebus obſcuriſſimis, & poſtea ſub nomine vini dat intelligere, quod arrepto labore, & ſuperatis, auxilio Dei, difficultatibus,redditur ſuavis, & facilis, dulciſſimaque palato animæ: *in Ecclen. c.3. & 9.* Nec mirum quia ſtudium Sacræ Scripturæ mirabiliter reficit animam,illuſtrans intellectum, & inflammans affectum. *In ſapient. cap. 8. In Ioan. collat.30.*

268. *Panis qualis Chriſti, & qualis diaboli, & Mundi.*

Venite comedite panem meum & bibite vinum quod miſcui vobis. Nota quod ad ſumendum de ſuo pane, & vino invitat nos Chriſtus:& è contra diabolus idem dicit ad ſuos: Et quid eſt panis, & vinum Chriſti, & quid diaboli? Reſpondeo quod in menſa Eccleſiæ multiplex panis à Chriſto

Chriſto exhibetur ſuis: primò panis doloris pœnitentiæ, ſecundò panis laboris, & juſtitiæ: tertiò panis inſtructionis, & doctrinæ, & hic maximè neceſſarius eſt parvulis: quartò panis Sacramenti Euchariſtiæ: quintò panis conſolationis internæ: ſextò panis contemplationis ſupernæ: per quos tandem pervenitur ad panem refectionis æternæ, qui eſt verbum increatum, & incarnatum. *In Lucam c.14. v.15. in Ioan. collat.31.* Panis verò, quem ſuis offert diabolus ſunt luxuria, detractio, invidia, perverſa doctrina, delectationes, voluptates, mala deſideria. *In Ioan. collat.31.*

269. *Vinum quale Chriſti, & quale diaboli.*

Venite comedite panem meum, & bibite vinum quod miſcui vobis. Hoc vinum exhibitum à Chriſto eſt multiplex: ideſt lachrymæ pœnitentis, item charitas, item dulcedo ſpiritualis animæ: item evangelica doctrina, quibus mirabiliter reficitur anima: Vinum verò diaboli eſt vinum carnalis delectationis, malorum deſideriorum, proſperitatis infatuantis, ſeducentis erroris. *In Ioan. collat.12. & 13. & ſer.2. Dom.1. poſt octa. Epiph.*

270. *Idem confirmatur.*

Venite comedite panem meum, & bibite vinum. Nota quod dicit panem, & vinum meum, ad differentiam panis, & vini Mundi: quia valde differunt, & diverſos effectus producunt: panis enim, & vinum Dei puriſſimum, & ſolidiſſimum eſt; quia fortius eſt ad nutriendum, & inebriandum: Vinum Mundi impuriſſimum quia mixtum eſt cum impuritatibus terrenis & affert remorſum conſcientiæ, & ſollicitudinem cruciantem: Vinum item Chriſti eſt de botro Cipri, ſcilicet de ſanguine Chriſti expreſſo in torculari Crucis, ideo plenum gaudio ſpirituali: item eſt continuum, & ſecurum; vinum Mundi breve, & tranſitorium: Vinum item Chriſti eſt de rebus magnis, ideſt de Deo, de bonis cœleſtibus: Vinum Mundi de rebus indignis, ſcilicet de voluptatibus carnis: Vinum item Chriſti eſt ſalubre, & ſtudioſum, quia facit carnem deſpicere, diabolum vincere, & Mundum contemnere: Vinum Mundi noxium, quia affert ruinam animæ. *Op. Diat. tit.8. c.1.*

271. *Vini à Chriſto exhibiti dulcedo, & pretioſitas expenditur.*

Venite, & bibite vinum quod miſcui vobis. Ecce quid exhibet, & offert ſapientia increata nobis, ſcilicet vinum ſuum: quodnam eſt hoc vinum? vinum hoc eſt de botro Cipri, expreſſum de ſanguine Chriſti in torculari Crucis; ideo eſt purum, ſanum, tranquillum, & confectum inſtar nectaris, ſpeciebus cæleſtibus, & gariophalis; in quo nectare benedicto quatuor ſunt à Chriſto immixta: ideſt vinum illud myrratum, quo fuit potatus in Cruce: clavi pro gariophalis, quibus fuit confoſſus: charitas pro ſacchato, & miſericordia, qua pro nobis fuit paſſus, & mortuus: lignum crucis pro cynamomo, in quo fuit ſuſpenſus: ex quibus extractum eſt nectar dulciſſimum, afferens animæ gaudium jucundiſſimum. *Op. Diat. tit.6. c.1.*

272. *In domo ſapientiæ cæleſtis vinum puriſſimum exhibetur: In taberna Mundi immundiſſimum.*

Et bibite vinum quod miſcui vobis. Si in hac domo Eccleſiæ exhibet Chriſtus vinum, ergo cum ſit ab ipſo Chriſto mixtum erit puriſſimum, & afferens munditiam carnis, & cordis, caſtitatem, humilitatem & omnia bona: E contra in Taberna Mundi venditur vinum, quod hominem infatuat & ducit in oblivionem ſapientiæ cæleſtis. *Ser.2. Hexam.*

273. *Vinum à Chriſto exhibitum cur dicitur mixtum.*

Bibite vinum, quod miſcui vobis. Cur mixtum dicitur hoc vinum à Chriſto oblatum? & ſi eſt mixtum cum aqua, ergo non eſt purum? ſed nota, quod hoc dicitur mixtum nempe quia eſt vinum ſpirituale, & exhibetur ſervientibus Deo, ideo ut afferat dulcedinem, nutrimentum, & ſalutem; exigitur, ut ſit pænitentibus mixtum cum aqua contritionis, & compunctionis: item proficientibus debet eſſe mixtum cum lacte devotionis; & perfectis mixtum cum pulvere, & ſpeciebus virtutum: ſed attende, quod tale vinum datur tantum aperientibus os in oratione. *Ser.2. Dom.1. poſt oct. Epiph.*

274. *Vinum Chriſti verum, & ſaluberrimum: Vinum Mundi apparens, & felleum, venenoſumque.*

Bibite vinum, quod miſcui vobis. Adverte quod hæc dicuntur à Chriſto ſuis; & eadem à Mundo ſuis amatoribus? ſed tamen Mundus exhibet vinum draconum amariſſimum habetque tantum ſubſiſtentiam, & dulcedinem apparentem; & bibentibus illud eſt veluti ſomniantium, qui ſurgentes in ſomno ad bibendum ſe præcipitant de turri: ſic qui ſumunt tale vinum præcipitium, & mortem inveniunt: at bibentes vinum Chriſti, & nutrimentum, & dulcedinem, & omne bonum hauriunt. *Ser.2. Dom.1. poſt oct. Epiph. & in Ioan. collat.13.*

275. *Accedentibus ad poculum Chriſti aqua convertitur in vinum.*

Et bibite vinum, quod miſcui vobis. Nota, quod dicitur mixtum hoc vinum Chriſti: at quid immiſcetur à Chriſto cum ſuo vino? Reſpondi, quod accedentibus ad poculum à Chriſto exhibitum, aqua prius offertur? ſed tamen hæc aqua ſtatim convertitur in vinum dulciſſimum; aqua ſcilicet pænitentiæ, contritionis convertitur in vinum dilectionis, & lachrymæ timoris, in vinum amoris mutantur. *Ser.2. & 3. Dom.1. poſt oct. Epiph.*

276. *Invitantur fideles ad perceptionem Euchariſtiæ.*

Venite comedite panem meum, & bibite vinum. Ecce quod à Chriſto invitantur fideles ad ſumendum panem Chriſti: dicit enim, quod hic panis eſt ſuus; ideſt continens ipſum Chriſtum, corpus nempe, ſanguinem, & divinitatem: venite igitur, ait Chriſtus, & comedite panem meum habentem

bentem omne delectamentum, & omnis ſaporis ſuavitatem, & vinum ſapientiæ cæleſtis, ſumentes meum corpus, & ſanguinem in Euchariſtia, vobis parata *Ser.4. Dom.9.poſt Pentec.& in Ioan. collat.33.& ſeq.*

277. *In vino à Chriſto exhibito recipitur Spiritus ſanctus cum ſuis donis, & Filius cum Patre.*

Venite, & bibite vinum, quod miſcui vobis. Nota, quod in vino, quod ſapientia cæleſtis exhibet, continentur omnia bona; quia enim vinum extinguit ſitim terrenam, ideo cum hoc vino confertur Spiritus S.cum ſuis donis; & quia etiam nutrit, ideo confertur pariter corpus, & ſangui.Chriſti, & per conſequens etiam advenit Pater *L.1.d.14.dub.5.*

278. *Idem confirmatur de S.Euchariſtia,ubi de digna præparatione.*

Venite comedite panem meum &c. Notandum, quod hæc verba à ſapientia increata dicuntur,& ideo in primo verbo venite, involuitur digna præparatio: venite ait, ſcilicet, elevando vos ab amore inferiorum,& ſublevando vos ad amorem ſuperiorum; ſicque poteritis percipere panem meum afferentem vitam animæ. *In Ioan. collat.89.*

279. *Prius in via Dei comedendus eſt panis ſapientiæ cæleſtis poſtea bibendum vinum, ex quo ſequatur inebriatio: ubi de gradibus vitæ ſpiritualis.*

Venite comedite panem meum, & bibite vinum; & deinde, ut ait Cant.5. inebriatio ſequitur. Nota hunc ordinem, qui à ſapientiâ divinâ proponitur: nempe primò panis offertur, deinde vinum. Quid eſt hoc? quare talis ordo? ſed advertendum quod panis cum aliqua difficultate comeditur, vinum verò bibitur cum facilitate: quia primò proponitur Deo ſervientibus meditatio myſteriorum Dei, quæ eſt propria incipientium, in quibus aliquis gradus charitatis invenitur: ut autem iſti mundum deſpiciant indigent à ſapientiâ refici per aliquam degustationem ſpiritualis conſolationis; æſtum concupiſcentiæ refrigerantis: hinc poſtea conſequitur potatio vini,quæ charioribus datur, qui in cellam vinariam introducuntur ad deguſtationem intimiorem myſteriorum Dei, quorum mens reficitur, & lætificatur mirabiliter,& deinde ſequitur inebriatio animæ per vinum fortiſſimum dilectionis ignitæ, & charitatis perfectiſſimæ: primum competit incipientibus: ſecundum proficientibus: tertium perfectis. *Op.de dono ſap.c.5.& 6.*

280. *Invitantur chariſſimi à Chriſto, & à Maria Virgine ad ſumendum panem, & vinum Euchariſtiæ.*

Venite comedite panem meum, & bibite vinum, quod miſcui vobis. Attende, quod hæc dicuntur à Chriſto: ſed quis eſt iſte panis,quod vinum? ſi loquitur de corpore, & ſanguine ſuo,cur appellatur panis, & vinum? Reſpond. quod dicitur panis, & vinum corpus,& ſanguis Chriſti, quia panis fuit compactus ex farina candidiſſima carnis, & ſanguine B.Virginis coagulatus, & à Spiritu ſancto charitatis igne concoctus in clibano uteri virginalis; & quia à verbo aſſumptus fuit,ideo appellat ſuum iſtum panem, & vinum, ideſt ſanguinem: & quia etiam panis,& vinum Mariæ ideo à Chriſto, & à Maria invitantur fideles ad ipſum percipiendum. *Op. de dono ſap.c.5.Pſal.40.& 53.* Nota etiam, quod dicitur vinum mixtum materiâ ſanguinis, quia ad litteram Chriſtus miſcuit aquam cum vino. *l.4. d.11.p.2.a.1.qu.3.*

281. *Euchariſtia dicitur panis, & vinum B. Virginis Mariæ.*

Venite,comedite panem, & bibite, &c. Si hæc verba aptantur ab Eccleſia B.Virgini, qua veritate poteſt appellari Euchariſtia à Virgine Maria ſuus panis, & ſuum vinum, cum tantum fuerit cooperata incarnationi Verbi? ſed adverte, quod merito dicitur à B. Virgine ſuus panis, & ſuum vinum; quia tota materia, vel præcipua Euchariſtiæ fuit parata, compacta, & concocta in ipſius utero ex ſua carne, & ſanguine, & lacte operâ Spiritus ſancti, ut ſupra dictum eſt: eſt enim una caro, & unus ſanguis Matris, & filii;tum etiam quia una erat voluntas Matris, & filii,& Maria cum Patre concurrit ad perfectam donationem filii generi humano factam, non ſolum in carne, ſed & in Euchariſtia: tum quia, ut multi SS. Patres docent Chriſtus confecit corpus, & ſanguinem in Euchariſtia ad eum modum, quo in utero Virginis ſe concluſit & ideo dicunt quod Chriſtus inſtituit Euchariſtiam optante, & orante B. Virgine: ſic apud Cornelium à Lapide. De his rationibus vide Salazar in Prov. hic hæc fusè diſſerentem,& Novarum de Eminent. Virg. *ſic ex Seraph.Doct.ſupra cit.*

282. *Ad dignam receptionem Euchariſtiæ cuncta puerilia, & terrena relinquenda.*

Relinquite infantiam & vivite,& ambulate per vias prudentiæ. Ecce quid faciendum ab iis, qui ad Chriſti ſequelam, & ad panem vitæ ſumendum dignè accedere volunt; nempe debent relinquere infantiam, id eſt puerilesmores,& ſæculares, terrenaque cuncta, & ſecundum vitam rationalem vivere. *In Luc.c.5.v.28.*

283. *Non eſt dandum ſanctum canibus; nec mittendæ Margaritæ ante porcos.*

Qui erudit deriſorem, ipſe iniuriam ſibi facit, & qui arguit impium, ſibi maculam generat Quomodo hic Spiritus Sanctus vetat eruditionem & per conſequens converſionem impiorum? nonne converſio ab omnibus facienda? nonne prædicatores debent impios arguere, ut à viis malis recedant? ſed attende, quod hic loquitur de impiis, obſtinatis, & deriſoribus ſuperbis, qui ſunt incorrigibiles; docetque iſtos eſſe relinquendos in ſua obſtinatione; non eſt enim dandum ſanctum canibus, neque mittendæ ſunt margaritæ ante porcos; & ubi non eſt auditus, non eſt fruſtra effundendus ſermo Dei. *In Luc. c.11.in fin.& c.16.v.14.& c.22. v.70.* Sed quomodo dicitur, quod corrigens talem impium injuriam

injuriam ſibi facit ; vel ut legunt 70. ignominiam? Reſpond. quod ſenſus eſt, talem correctorem irrogare ſibi ignominiam, ideſt ipſe ſibi plurimarum injuriarum author eſt, quibus ab homine tali affici eum neceſſe eſt; ut de Diotrephe ſibi eveniſſe ſcribit Apoſtolus Joannes. *Epiſtol.3. verſ.9.*

284. *Sapientis eſt recipere correctionem: impii verò rejicere: ubi de correctionis obligatione.*

Noli arguere deriſorem, ne oderit te: argue ſapientem, & te diliget. Iſta verba continent aliquam difficultatem, dum videntur diſſuadere correctionem fraternam, quæ eſt de jure divino & eo maxime, quia affert pro ratione, ne te oderit; ſcilicet odium, quod correctus concepturus eſt in correctorem? ſed Reſpond. quod hic loquitur de incorrigibili: dum enim cognoſcitur talis, non debes ipſum corripere, ſed delictum immediatè deferre Prælato, vel Judici: & in hoc differt impius incorrigibilis à ſapiente, quod ille non vult ſuſtinere correctionem aliorum; iſte verò patienter eam accipit, quia ſapientia, quæ deſurſum eſt, eſt bonis ſuadibilis: quando enim ſapientis diſciplina corrigeris, ornaris ornamento pulcherrimo margaritarum; ſed quando diſciplinam contemnis, margaritam conculcas. *Ser. 2. Hexam. In Luc. c.17. v.4. Ioan.c.15.v.21.& collat.76.*

285. *Sapientis, & probi eſt non omittere ullam occaſionem, ut ſapientior fiat.*

Da ſapienti occaſionem, & addetur ei ſapientia: doce juſtum, & feſtinabit accipere. Ecce quale diſcrimen inter ſapientem, & inſipientem impium: nam ſapiens, qui eſt boni ſuaſibilis ex quacumque occaſione, etiam levi, materiam ſumit altioris ſapientiæ, qui etiam plerumque per alterius ſtultitiam fit eruditior, ſic enim Spiritus ſanctus mittit nos ad brutorum ſolertiam, ut addiſcamus veram ſapientiam. *Op. de ſex alis Seraph. in Apol. & in Luc.c.2.v.16. & c.6. v.18. op. ſpec. diſcipl. in prolog. & ſer.2. in Invent. S. Crucis.*

286. *Qui bonus eſt, ſibi ipſi eſt bonus: qui malus ſibi malus.*

Si ſapiens eris tibimet ipſi eris; ſi autem illuſor, ſolus portabis malum. Nota quod in ſecunda parte hujus ſententiæ ingerit difficultatem illud dictum, quod malus ſibi ſoli eſt malus: videmus enim quod etiam ſæpe filii puniuntur ob iniquitates Patrum; & totum genus humanum punitum ob peccatum Adæ? ſed Reſpond. quod hic loquitur de peccato quoad reatum culpæ perſonalis: in ordine enim ad ipſam culpam perſonalem ſolum peccans punitur, non quoad pœnam; unde ſemper verum eſt, quod qui bonus eſt ſibi bonus erit: & è contra qui malus eſt, ſibi eſt malus. *l.2.d.30.a.1.q.2.*

287. *Doctrinam catholicam boni non in occulto, ſed palam tradunt: è contra hæretici in occulto.*

Aquæ furtivæ dulciores ſunt, & panis abſconditus ſuavior; quænam ſunt iſtæ aquæ furtivæ, & panis abſconditus dulcior? Nota quod hæc eſt doctrina hæreticorum, quæ dulcioribus verbis; nempè ſenſui, & carni plauſibilioribus ab ipſis traditur: non ſic eſt doctrina Chriſti, quæ non in occulto, ſed palam traditur per comminationes, & verba aſpera. *Pſal. 76. In Luc. c.4. v.15 & In Ioan. collat. 21. & 31.*

CAP. X.

288. CHRISTUS *Filius Patris tantùm ipſius gloriam quærebat;* Quia ſecundum quod dicitur hic: gloria Patris filius ſapiens: ut doceret filios Dei omnia ad ipſius gloriam debere ordinare. *Sap. c.8. & ſer.1. Dom infra oct. Nativi.*

289. Filii, ut gaudio ſint Patri, ſapientes, & Dei amatores ſint; quia hic dicitur: quod Filius ſapiens lætificat Patrem: ſic & S. Joannes Baptiſta lætificavit parentes. *In Luc. c.1. v.14.*

290. *Chriſtus lætitia, & gloria Patris; item & Matris.*

Filius ſapiens lætificat Patrem. Nota, quod hoc maximè verificatum eſt in Chriſto Filio Dei Patris, & B. Mariæ Virginis; quia ſecundum divinitatem eſt lætitia gloriaque Patris, eo quod eſt ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus: ſecundum humanitatem verò aſſumptam eſt lætitia Matris Mariæ per glorioſam in Mundo converſationem, eo quod ſapienter docuit, ſapientiùs vixit, & ſapientiſſimè mala pœnæ toleravit. *Ser. 1. Dom. infra oct. Epiph.*

291. *Boni religioſi qualem lætitiam, mali qualem mœſtitiam afferant Matri Religioni.*

Filius ſapiens lætificat Patrem (intellige & Matrem) Filius verò ſtultus mœſtitia eſt Matri. Cur lætitia attribuitur Patri, mœſtitia Matri? Id dicitur, non quod uterque affectus non redundet tàm Patri quam Matri; ſed quia magis Mater mæſtitiâ afficitur in malis filiorū, quàm Pater ut conſtantior, & quia Mater magis amat filios, quā Pater, ſuum enim filium ipſa verè cognoſcit, ille putat ait Ariſtoteles. Nota tamē, quod iſta optimè aptantur Religioni, quæ locū patris, & Matris tenet. Verū enim eſt, quod religioſi tractabiles, ſimplices, devoti, timoroſi, obedientes, Chriſtum diligentes, diſciplinati, & humiles ſunt filii altiſſimi, fideles ſanctæ religionis propagines, fratrum, & conſociorum ſolatium, ſui gloria inſtitutoris, & religionis Matris lætitia: È contra illi qui duræ cervicis ſunt, indiſciplinati, tepidi, curioſi, ſuperbi, qui depoſuerunt tantùm habitum ſæcularem materialiter, non affectu, hi ſunt Filii diffidentiæ, adulterina plantatio, fructus inutiles, & acerbi, ſociorum onus, & ſcandalum, ſui afflictio, inſtructionis confuſio; iſti mæſtitiam maximam afferunt Matri religioni, & in proximo periculo ſunt, ut ex ore Dei evomantur. *Op. ſpecul. ad Novit. p.2. c.5.*

292. *Chriſtus quales theſauros ſuis aperit; & quales Diabolus impiis.*

Non proderunt theſauri impietatis; juſtitia autem liberabit à morte. Quinam ſunt iſti theſauri impietatis;

impietatis, & in cujus poſſeſſione? & ſi aſſignantur theſauri impietatis, ergo è contra dantur theſauri pietatis, & juſtitiæ? Hoc veriſſimum eſt: nam Chriſtus habet theſauros ſuos, habet & Diabolus: Chriſtus autem aperit theſauros ſuos, nempè gratiarum, & donorum ſpiritualium ſuis fideliter ipſi ſervientibus, quibus pauperiem ipſorum ditat indeficientibus bonis: Diabolus è contrà ſuperbis, avaris, luxurioſis aperit theſauros ſuos, qui ſunt pleni impietate, & injuſtitia, quibus tamen nil proſunt; ſed ſolùm redundant in ruinam. *Ser. 10. rogat.*

293. *In die Iudicii ſola juſtitia liberabit à damnatione.*

Non proderunt theſauri impietatis: juſtitia verò liberabit à morte. Quæritur hic quinam ſunt theſauri impietatis? Aliqui dicunt eſſe bona fortunæ cum injuſtitia acquiſita: Alii ut Hugo, eſſe quæcunque bona fortunæ, & naturæ, ſive cum juſtitia, ſive cum injuſtitia acquiſita; ſed tamen expenſa in Dei offenſam, iſta, ait ſacer textus) non proderunt in die judicii, & mortis; ſed tantùm juſtitia, & opera bona liberabunt à damnatione. *In Eccleſ. c. 8. Pſal. 118. c. 1. v. 7. Op. Comp. Theol. l. 5. c. 37.*

294. *Peccatum eſt dives theſaurus omnium malorum: Gratia omnium bonorum.*

Non proderunt theſauri impietatis: Quomodò connectuntur ſimul nomen theſauri, in quo continentur omnia bona, & nomen impietatis, quæ importat omnia mala? ſed attende quod hoc dicitur per quandam ſimilitudinem, ut videas, quod ſicuti gratia eſt theſaurus omnium bonorum, & totius felicitatis, ut dictum eſt ſupra ex ſer. 10. in rogat. ſic è contrà peccatum eſt dives malorum omnium, idest ſpiritualium, corporalium, & temporalium theſaurus, & veluti ſeminarium, ex quo emanant omnes miſeriæ, & calamitates. *Op. comp. Theol. l. 3. c. 7. Idem & Tertullian.*

295. *Spes in Deum ſuadetur; maximè in tempore neceſſitatis.*

Non affliget Dominus fame animam juſti. Vide hic, quod Deus nos ad ſpem, & fiduciam in ipſo excitat, maximè tempore neceſſitatis: debet enim homo confidere de Dei bonitate, & ſperare ab ipſo conſequi in præſenti gratiam, & in futuro gloriam, & etiam temporalem ſuſtentationem, ſicut expedit; & liberationem à malo conſervationemque in bono: contra illos qui vel ſpem confuſam habent, vel minus ſperant, quàm debent, vel pluſquam juſtum eſt: primi ſunt, qui ſperant ſalutem, etiam ſi peccata non relinquant contra veritatem, & juſtitiam Dei: ſecundi ſunt qui etiam ſi ſe converterint ad pœnitentiam, credunt Deum illis nolle dare perſeverantiam: hocque maximè attendant recidivi. Tertii ſunt qui ſi ſe converterint, Deus nolit illis dare ſuſtentationem corporalem, & eos velit fame perire: Iſti omnes peccant in ſpe; & contra ipſos ait ſacer textus, quod non affliget Dominus fame, ſcilicet ſpirituali vel temporali, animam juſti. *Op. de prof. relig. l. 1. c. 20.*

296. *Nuſquam, & numquam aliquis, volens Deo ſervire, periit defectu cibi: ubi de paupertate fratrum minorum.*

Non affliget Dominus, Alii legunt (non occidet Dominus) *fame animam juſti.* Vide quàm Deus ſit providus Pater ſuorum juſtorum, etiam in ſubſidiis temporalibus, & ideo nuſquam, & numquam legitur, quod aliquis, volens Deo fideliter ſervire, fame perierit, quia quotidianus panis numquam juſto deeſſe poteſt: cum enim omnia ſint Dei, habenti Deum, nihil deerit, ſi ipſe Deo non deſit: & ideo confiſus S. P. Franciſcus in hac promiſſione facta à Deo voluit, ut ſui filii omnibus renunciarent, & ſe totos divinæ providentiæ committerent, ideoque non eſt periculum, ſed refugium, ſpretis omnibus totaliter ſe dedicare ad Deum colendum, ut præcipit regula fratrum minorum. *Op. de paupert. Chriſti a. 1. ad finem & op. expoſit. regul. frat Minor. c. 4. & 5. & Apol. paup. reſp. 4. c. 3.*

297. *Iuſti à fame canina liberi impii vero afflicti.*

Non affliget Dominus fame animam juſti. Ergone juſti nunquàm torquentur fame? Hoc certè videtur falſum; ſicuti patet experientia continuà: ſed adverte, quod litteraliter loquendo, non intelligendum eſt de fame quacumque corporali, ſed de tali fame, quæ mortem, ob carentiam cibi inferat, ut ſupra dictum eſt: ſpiritualiter autem poteſt intelligi de fame canina, mala iniquorum; qua inhiant ad paſcendum appetitum ſenſualem ſiliquis vitiorum: unde ſeptuaginta ex textu Græco legunt pro fame limoctoniam, quæ eſt fames canina, ardens, & areſcere faciens guttur, & fauces: Hinc Ugo Cardi. ait quid eſt luxuria, niſi fames inſatiabilis voluptatum? ſuperbia fames inſatiabilis dignitatum? Avaritia fames inſatiabilis facultatum? De hac fame ait *Pſal. 58.* famem patientur ut canes, famem, id eſt deſiderii; & ab hac eadem liberantur juſti *Pſal. 58.* item, & de hac dicitur *Luc. 15. v. 14.* facta eſt fames valida, ſcilicet ſic divina ulciſcente juſtitia, facta eſt inopia ſpiritualium bonorum. *In Luc. c. 15. v. 14.*

298. *Iuſtus verè dives quia Deus eſt ſemper cum eo.*

Non affliget Dominus animam juſtorum fame. Nota etiam, quod poteſt intelligi pro fame penuria verbi Dei; quia cum juſto eſt ſemper Deus; & quia habenti Deum, omnia bona ſemper ſunt cum eo. *Op. de paup. Chriſti. a. 1. ad 2. & 4.*

299. *Euchariſtia aufert famem, & ſitim concupiſcentiæ, & reficit mirabiliter animam.*

Non affliget Dominus animam juſtorum fame: Sed quo medio tollitur hæc fames? tollitur media ſumptione ſacramenti Euchariſtiæ: quia tollit famem, & ſitim concupiſcentiæ, & mirabiliter reficit, & delectat animam. *l. 4. d. 11. p. 2. qu. 1. ad 8. & qu. 2. Idem & D. Thom. in op. de Sacram.*

300. *Accidia*

Digitized by Google

300. *Accidia affert paupertatem ſpiritualem, & corporalem.*

Egeſtatem operata eſt manus remiſſa; ideſt accidioſa; quia accidia affert egeſtatem ſpiritualem animæ ob carentiam conſequentem multorum meritorum: item & temporalem, quia privat hominem multis fructibus conſequentibus ex ſtudio, & labore. *Op. Diet. tit. 1. c. 7.*

301. *Idem de accidia effectibus peſſimis: & è contra de fructibus laborantium, & ſtudioſorum.*

Egeſtatem operata eſt manus remiſſa, ideſt accidioſa, & pigra: manus autem fortium divitias parat. Vide qualem egeſtatem cauſat accidia, & pigritia, nam affert ſecum deficientiam luminis, divinæ dilectionis, & devotionis, & ob id aciditatem, & impotentiam ſicuti ſebris Ethica; ex qua conſequitur fames in omnibus ſenſibus: os namque accidioſi eſurit cibaria delicata: lingua verba vana: manus vilia: Cor honores: auris rumores; & oculi vanitates: affert & refugium in corde, ſin anima malas herbas; quia qui non ſe exercet in bonis operibus, ſuccumbit vitiis, & vincitur tentatione: è contra ſtudioſus evitat hæc mala. *Op. Diet. tit. 1. c. 7.*

302. *Fortitudinis, & diligentiæ in operando effectus quales.*

Manus autem fortium divitias parat. Quas divitias? Ecce quales effectus fortitudinis, & diligentiæ in operando: nam de hoſtibus triumphat, ditat animam virtutibus, bona homini conſervat; regnum cœlorum expugnat, in extremis ſecurum reddit, & remunerationem in alia vita expectat. *Op. Comp. Theol. l. 5. c. 36.*

303. *Eleemoſynam negans qualem inopiam incurrit: Eleemoſynarius qualia bona meretur.*

Manus remiſſa operata eſt egeſtatem: manus fortium divitias parat. Nota quod hic innuuntur effectus avaritiæ, & miſericordiæ; nam tenacitas in elargiendo eleemoſynam pauperibus affert egeſtatem multiplicem, ſcilicet ſpiritualem, & temporalem: ſed è contra miſericordia liberat à peccatis, auget merita in operando, & beatificat in præmio: item & auget divitias temporales: *Ser. 1. Dom. 1. poſt oct. Pentec. & in Luc. cap. 16.*

304. *Impii, vitiis deditis, replentur ventis.*

Qui nititur mendaciis, hic paſcit ventos; & idem ſequitur aves volantes, ideſt qui ſe ſuperbiæ & elationi, luxuriæque, vel vitiis applicat, hic paſcit ventos, ideſt, vel ventis ſe in cibum, paſtumque præbet; ſic S. Auguſtinus: vel ventos ipſe paſcit, haurit, & devorat, repletque: vel ventos ipſos ad paſtum ducit: ſequiturque aves volantes; ſcilicet bona, quæ ipſe ſectatur, cum ſint vana, aſſequi non poterit: *Sap. c. 5.* vult dicere ſacer textus, quod qui injuſta lucra ſectatur, qui ad honores inhiat, qui in luxuriam, aliáque vitia ſe præcipitat, credens ſe ditari, vel impleri bonis; quia delectationes vitiorum, licèt aliquid exteriùs ſonare videantur, tamen interiùs nihil ſunt; ſimileſque ſomniis, hic paſcit ſe ventis, remanetque anima ejus vacua. *In Luc. c. 15. v. 16.*

305. *Fèlix qui bona opera, & merita congregat in hac vita: infelix qui hac omittit.*

Qui congregat in meſſe, filius ſapiens, qui autem ſtertit æſtate filius confuſionis. Vide quomodo ſacer textus ab exemplo laborantis, & colligentis fructus tempore æſtatis: & negligentis fructus congregare tempore ſuo, invitat nos ad laborandum ſtrenuè in via Domini: ex hoc quod, ut dixit Chriſtus; oportet operari donec dies eſt, ſcilicet tempore hujus vitæ; quæ eſt meriti tempus, ut in alia vita poſſimus perfrui fructibus laborum noſtrorum in cœlo: qui enim negligit, & correptus æſto, omittit opera meritoria, & hoc tempus meriti labi permittit, hic filius confuſionis eſt, & erit: *In Joan. c. 9. verſ. 6. & cap. 4. verſ. 36. & ſer. de anim. Purgat.*

306. *Spiritus ſanctus æſtu ſuo nobis meſſes maturavit, ut poſſemus colligere eas pro alia vita.*

Qui congregat in meſſe, filius ſapiens eſt: Sed quomodo vult ſacer textus, ut colligamus meſſem abſque eo, quod antecedenter laboremus? ergone nos in labores aliorum introire debemus? Hoc verum eſt: Nam Chriſtus pro nobis laboravit; & Spiritus ſanctus, cum deſcendit ſuper Eccleſiam maturavit ſuo fervore charitatis omnes meſſes Eccleſiæ, ut nos pauco labore eas colligeremus. *in Luc. c. 11. v. 56.*

307. *Benedictio Domini deſcendit ſuper caput rectè confitentium peccata: maledictio autem ſuper celantes ea.*

Benedictio Domini ſuper caput juſti: os autem impiorum operit iniquitas. Cur in hac antitheſi ſacer textus opponit benedictioni juſtorum, os impiorum? ad quid hoc os impiorum alludit? ſed nota, quod rectè os impiorum proponit: quia alluſio fit ad confeſſionem peccatorum: & ob id rectè confitens dicitur juſtus; quia juſtitia conſiſtit in pondere contritionis, in numero confeſſionis, & in menſura ſatisfactionis: ſuper talem juſtum igitur deſcendit benedictio Domini, quando abſolvitur à Confeſſario: è contra os impiorum operit iniquitatem, ſcilicet mali amoris, vel timoris, quia vel celant, vel negant peccata, abſcondentes ea. *Serm. 4. Dom. in Trinitat. & Pſalm. 118. cap. 7. verſ. 11.*

308. *Sanctitas vera meretur encomia: Impietas ea demeretur, & extinguit.*

Memoria juſti cum laudibus (vel ut legunt 70. cum encomiis) & nomen impiorum putreſcet. Vide quidnam ſit, quod meretur encomia, & laudes: nempe opus bonum, meritum, & ſanctitas eorum qui non appetunt hanc famam: & propter hoc bonum nomen apud Deum, & ſæpe apud ho-

mines, ſemper viget, & conſervatur; & è contra qui ipſam nimis ſectantur, & appetunt, & malitias operantur, infames reputantur; ſicque Lucæ c.16. Lazarus juſtus nomine proprio nominatur, ut dignus honore, nomen divitis tacetur, ut infamis. *L.4.d.25.dub.6. In Luc.c.16.v.20.in Ecclen. c.1.in ſap.c.2.& 4. & 8.*

309. *Studium S. Scripturæ, & bonarum ſcientiarum qualiter exercendum: inſtruiturque Prædicator.*

Sapiens corde præcepta ſuſcipiet: ſtultus autem cæditur labiis. Nota, quod in his verbis ſacer textus inſtruit ſtudiis S. ſcripturæ, & bonarum ſcientiarum incumbentes: nam per hoc differt ſtudens ordinatè à ſtulto, & inordinato: nam ſapiens corde, præcepta ſuſcipit; id eſt (ut exponunt Doctores) prius adjiciet animum ad audienda aliorum præcepta, quam accedat ad docendum alios: ſtultus verò contrarium facit. Non affectes igitur fieri Prædicator, vel Confeſſor, vel Magiſter; quia ſi indignus & non idoneus es, erit tibi confuſio major; quia te tuo cerebro injeciſti in hoc munus: ſtude ergo te ipſum priùs componere in bonis moribus exteriùs, & interiùs ſanctis cogitationibus, & affectibus ordinare; tunc demum utiliter procedes ad alios in ſana doctrina: quia nemo præſumit docere artem aliquam quam non prius habuerit addiſcendo. *Op. Inſtitut. Novit. p.1.c.15.* Addit vero ſapiens: ſtultus autem cæditur labiis: legit hic textus hebræus apud Rabi Salomonem, labiis claudicabit; id eſt modò huc, modò illuc inordinatè ſe vertit, ſemper ſibi diſſimilis: & meritò ſtudentem inordinatum ſtultum claudicantem appellat. Quia illi qui non ordinant ſtudium, ſunt ſicut pulli equorum, qui modò currunt huc, modò illuc; ſed jumentum plano paſſu vadit: qui vult ergo in ſtudio proficere, oportet, ut habeat ſanctitatem, ut poſſit ſtudere ad habendam vitam timoratam, impollutam, religioſam, ædificatoriam: & deinde ne plus ſe extendat, quàm ingenium poſſit aſcendere, nec infra manere debet, ſed ordinatè procedat. *Ser.19.Hexam.*

310. *Qui ambulat ſimpliciter: ambulat confidenter: ubi de conſtitutionum religioſarum obſervantia.*

Qui ambulat &c. Hæc verba variè à Doctoribus exponuntur: Aliqui enim dicunt, quod eſt ſenſus: qui ambulat ſimpliciter, ideſt qui ſecundùm virtutem ſe vivere novit, & nullius ſibi mali conſcius eſt, is ambulat confidenter, expectans æterna præmia, *ſic Beda*: Alii ſic: ambulat confidenter, ſcilicet audacter agit, quia non veretur alicujus correptionem, *ſic Lyran.* Alii ſic: qui ambulat ſimpliciter, ideſt humiliter per ſui contemptum, ambulat confidenter, quia non timet honoris depreſſionem, vel jacturam, vel quia una tantum via, quæ eſt Chriſtus incedit, *ſic Hugo Card.* Alii ſic qui ambulat ſimpliciter, ideſt converſatur candidè, & ſine dolo, atque aſtu, ambulat tutiſſimè, & abſque metu incedit, non metuens in fraudè deprehendi: & è contra, qui aſtutè, & callidè agit, in aſtutiâ ſua deprehendetur, *ſic Janſen. Rodulph. Seraphicus Doct.* trahit iſta ad obſervantiam ſtatutorum Religionis: qui ambulat ſimpliciter, incedens viâ rectâ in mandatis Dei, & religionis, ambulat confidenter, ſcilicet non metuens, ut ſtatuta, & ordinationes religionis ipſum arctent: quia etiam ſi ſtatutum ſibi illud non eſſet, tamen etiam ſibi caveret ab omni, quod ſibi expediens non eſſet: non enim ordinationes, & conſtitutiones ſibi in faſtidio ſunt: è contra qui depravat vias ſuas, manifeſtus erit, ſcilicet tranſgreſſor, & punietur; quia per talia ſtatuta tantùm reprimitur eorum exceſſus qui metas diſciplinæ tranſgrediuntur. *Op. de Inſtit. Novit. p.1.c.3.*

311. *Ex aſpectu exteriori, ſæpe cognoſcitur interior ſtatus cordis.*

Qui annuit oculo dabit dolorem, & ſtultus labiis verberabitur. Nota, quod in his verbis Salomon dat intelligere, quod ſæpe ex aſpectu exteriori cognoſcitur ſtatus interior cordis: unde frequens nutatio, vel clauſio oculorum ſignum eſt mobilitatis animi; oculus impudici nuncius eſt impudicitiæ cordis: & è contrà pudicus oculus, ſignum pudici cordis: nam ſicut in naturalibus humorum interiorum diſpoſitio faciem exteriùs colorat, & quaſi æquè, quantum ſibi poteſt, aſſimilat, ſic interiorum motuum diſpoſitio, exteriorem hominem ordinat: undè non eſt credendum ordinatum eſſe interiùs, qui ſit deordinatus exteriùs, taliſque ut ſtultus reputatur, & vitioſus. *Ser.1.de S.Gregor.*

312. *Confeſſio peccatorum vitam confert: reticentia mortem æternam.*

Undè hic dicitur vena vitæ os juſti. Scilicèt qui aperit confeſſatio peccata hic hauriet vitam: è contra, qui ea reticet dolorem, & mortem æternam merebitur. *Ser.10.rogat.*

313. *Odii peſſimi effectus: Dilectionis proximi optimi effectus.*

Odium ſuſcitat iras. O quàm hoc verum eſt; nam odium in proximum ſuſcitat primò iram Dei in animam: fruſtra enim propitiari ſibi Deum quærit qui citò placari in proximo negligit. *Ser.3. Dom.poſt Pentec.* Odium igitur ſuſcitat iras, contentiones, & homicidia: nam odiens fratrem ſuum, prius ſibi homicidium infert, deinde mala proximo: è contra dilectio proximi operit multitudinem peccatorum; quia Deus eam præmiat; & diligit. *In Ioan.c.15.v.17. & 21.& collat.70.*

314. *Iuſtorum conceptio, & partus expenditur.*

In labiis ſapientis invenitur ſapientia; & virga in dorſo ejus, qui indiget corde. Quomodo in ore ſapientis invenitur ſapientia, & non potius in intellectu? ſed connecte hanc ſententiam cum ſuprapoſita, vena vitæ os juſti, vel ut alii legunt, os juſti parturit ſapientiam: ut videas, quod anima, & os juſti velut Mulier parturit, velut in matrice, ideſt in memoriâ divinum verbum ſuſcipiendo, & retinendo, ex quo bonum organizatur meditando, vivificatur conſentiendo, & parturitur operando. *In Ioan. c. 16. v. 21.*

Subdit

Subdit autem: & virga in dorſo ejus, qui indiget corde, ſcilicet intellectu, ut legit Chaldæus: ut videas, quod ſapientis eſt frenare linguam, eaque uti in bonum ad utilitatem ſui, proximi, & laudem Dei: ſtulti autem eſt, eam adhibere in Dei, & proximi offenſam: ex ipſaque dependere bonum, & malum, vitam, & mortem; eſt enim fomes ferè omnium iniquitatum. *In Luc. c. 16. v. 24 & ſer. 11. in Pentec. & ſer. 2. & 3. Dom. ſexag.*

315. *Sapiens cavet ab adulatione, & revelatione ſecreti: ſtultus nequaquam.*

Sapientes abſcondunt ſcientiam: os autem ſtulti confuſioni proximum. Quomodo dicitur quod actus ſapientiæ ſit abſcondere ſcientiam, & non potius ipſam communicare? ſed nota quod loquitur de iis, qui prudenter ſcientiam, & abſcondunt, & revelant ſecundum opportunitatem, & neceſſitatem; ſtulti verò è contra neſciunt abſcondere ipſam & præcipue ſecreta ipſis commiſſa: *ſic Hugo, Janſen. aliique*: præcipue tamen verificatur id de adulatione: nam ſapientes cavent, & abhorrent maximè adulationem, nec in verba adulatoria exeunt, ſicut ſtulti. *Pſal. 118. c. 1. v. 11.*

316. *Eleemoſyna quàm Deo chara, & homini proficua.*

Subſtantia divitis urbs fortitudinis ejus: pavor pauperum egeſtas eorum. Quomodò dicitur, quòd ſubſtantia divitum eſt urbs fortitudinis eorum? ſed attende, quod hic extollit miſericordiam, & eleemoſynæ utilitatem: datque intelligere, quod divites facilè poſſunt rapere regnum cœlorum, mediante eleemoſynâ: ſicut è contra egeſtas pauperem deprimit. Docet igitur, quòd maxima retributio datur à Domino viris miſericordibus, nullúſque ad æternam beatitudinem pervenire poteſt, niſi per miſericordiam; hæcque eſt virtus, quæ multiplicat bona ſpiritualia, & temporalia, & etiam levat in ſublimem locum gloriæ. *Ser. 1. Dom. 1. poſt Pentec. & in Luc. c. 14. v. 14.*

317. *Intentio bona bonitatem operis vel tribuit, vel auget: mala inficit.*

Opus juſti ad vitam: fructus impii ad peccatum. Notandum hic, quòd ſacer textus intendit explicare qualem vim habeat bona, vel mala intentio in qualificando opera noſtra: & ſumit ſimilitudinem ab agriculturâ; unde ex hebræo plures legunt: proventus autem impii eſt ad peccatum: datque intelligere, quod ex bona intentione directa ad vitam, ſcilicèt per gratiam ad Deum, & ad cœlum, erit ipſius cœleſtis gloriæ meritoria: è contra, mala intentio, etiam in opere bono reddit opus peccaminoſum; ut pateat, quod quæ ſeminaverit homo, hæc & metet: ſi bonum, bonum, ſi malum, malum: unde qualecumque ſit opus dum ſit malâ intentione, illud eſt malum; dum ſit bona intentione dummodò cadat ſupra materiam debitam, & capacem bonitatis, & adſit ordinario bona; tunc illud opus eſt bonum, & meritorium ad vitam æternam. *L. 2. d. 40. qu. 1. & ſeq. & ſer. 2. Dom. ſexag. & ſer. 4. Dom. 21.*

318. *Tolerantia tribulationum, & diſciplinæ cuſtodia via tuta ad cœlum: impatientia via ad perditionem.*

Via vitæ cuſtodienti diſciplinam: qui autem increpationes relinquit errat. Quænam eſt hæc diſciplina, quam ſapiens opponit increpationibus? ſed nota, quod hic nomine diſciplinæ venit omnis cuſtodia legis Domini, & tolerantia tribulationum, quas Deus hominibus immittit ad ipſorum profectum, ducens, quod hæc eſt via tuta, & ſecura ducens ad fruitionem veræ vitæ: è contra ipſas deſerens, in errores, & peccata incidere neceſſe eſt. *L. 3. d. 33. dub. 5. in Luc. c. 16. v. 25. & Pſal. 118. c. 4. v. 15.*

319. *Verborum inanium & otioſorum effectus peſſimi expenduntur: ubi de cuſtodia linguæ dantur documenta.*

In multiloquio non deerit peccatum: qui autem moderatur labia prudentiſſimus eſt. Cur in multiloquio non deerit peccatum? ergone non poterit quis ſe diffundere in multa verba abſque Dei offenſa & maxime caute loquendo? ſed adverte quod hic intendit ſacer textus reprehendere verba inutilia, otioſa, vana, & noxia: Ad hoc enim ut evitentur peccata in locutione, tria requiruntur: primum, ut homo tardus ſit ad loquendum, ut locutio fiat ob utilitatem, vel neceſſitatem: ſecundò ut fiat circumſpectè ſcilicet conſiderando quid loquendum, qualiter & coram quo: tertium eſt, ut breviter fiat locutio, & ne ſine utilitate vel neceſſitate multiplicentur verba: quia neceſſitas ſapienti cito inſinuatur: utilitas erit oneroſa, & faſtidioſa, ſi per nimia verba ſermo diffundatur. Inſipienti vero nulla verba ſufficiunt *Op. de profec. relig. l. 2. c. 10. In Ecclen. c. 5. in ſap. c. 8.* Hocque documentum maximè dirigitur ad religioſos, ne ſe effluant in multiloquio, cum incumbunt alicui ſervitio eis ex obedientiæ præcepto. *Op. regul. Novit. c. 7. & de perfec. vita c. 4.*

320. *Qui in cuſtodia linguæ ſe ab illicitis cuſtodire cupit, à licitis etiam ſe abſtineat.*

In multiloquio non deerit peccatum. Ergone etiam in multiloquio licito: ſed attende, quod etiam in multiloquio licito non deerit periculum labendi in verba inutilia, vana, otioſa, noxia loquenti, & aliis: ergo qui vult cavere ab illicitis, ſe abſtineat etiam à licitis dempta neceſſitate, & utilitate. *Op. de grad. virt. c. 12.*

321. *Silentii laudes, & fructus expenduntur.*

In multiloquio non deerit peccatum: & qui moderatur labia ſua prudentiſſimus eſt. Cur prudentiſſimus? quia actus excellens prudentiæ eſt ſcire moderari, non ſolùm cor, ſed & linguam ſuam: & ad hoc neceſſarium eſt ſilentium; nempe ad perfectionem acquirendam: ſicut enim ex nimia loquela, ſequitur frequenter injuria tam Dei, quàm proximi; ſic ex ſilentio nutritur juſtitia, ex qua veluti ex arbore colligitur fructus pacis, dicente *Iſaia cap. 32. erit opus juſti-*

tia pax, & cultus juſtitiæ ſilentium. Op. de perfec. vita c.4.

322. *In itinere maxime cuſtodienda lingua.*

In multiloquio non deerit peccatum. Pende hæc verba, & transfer mentem ad illa Chriſti *Luc.* 10. neminem per viam ſalutaveritis: Cur vetat Chriſtus, qui de ſe curialiſſimus, & affabiliſſimus erat, ut ſui diſcipuli neminem per viam ſalutarent? quod nec à perfectis etiam obſervatur? ſed attende, quòd Chriſtus non prohibet affabilitatis hujus iudicium, ſed admonet eos cavere à multiloquio, quòd maximè verſatur in viatoribus, itinerantibus, ſicuti in viâ acciderat tunc diſcipulis, qui in itinere diſputaverant, vetat igitur modum, non rem. *in Luc. c.10. v.4.* Nota etiam quod talis cautela ſervanda eſt maximè in conviviis; ob quam diſſolutionem dives in lingua præcipuè, & acerbè cruciabatur. *in Luc. c.16. v.24.*

323. *Verba colentis ſilentium pretioſa: verba loquacis nullius pretii.*

Argentum electum lingua juſti: Cor impiorum pro nihilo. Cur comparatur argento lingua juſti? ut connectatur hæc ſententia cum antecedentibus, quia enim argentum ſonorum eſt & purgatum, & pretioſum: *ſic in Pſal.* 107. ideo dat intelligere, quod verba colentis ſilentium, & parcè loquentis ſunt pretioſa, utilia, & opportuna: è contra verba loquacis, & multiloqui ſunt nullius momenti, ſcilicet multa, & inepta. *Op. de prof. religioſ. l.2. cap. 10. & de perfec. vita cap.4.*

324. *Verba quæ promuntur in confeſſione peccatorum, laudiſque Dei, cum in prædicatione pretioſa ſunt apud Deum.*

Argentum electum lingua juſti. Nota, quòd cum argentum ſit pretioſum & ſonorum, meritò in Sacra ſcriptura per ipſum ſignificatur, quàm pretioſa ſit apud Deum prædicatio ſonora verbi Dei; item & confeſſio, quæ dupliciter fit Deo; ſcilicet laudatione, & confeſſione peccatorum; & tunc verè poteſt dici argentum electum lingua juſti. *Pſal.* 107.

325. *Ubi adeſt benedictio Domini, ibi omne bonum: benedictio diaboli, & Mundi affert omne malum.*

Benedictio Domini divites facit; nec ſociabitur eis afflictio. O quàm verum eſt hoc dictum Spiritus ſancti: ubi enim concurrit benedictio Domini, ibi omne bonum advenit; bonum inquam gratiæ, & gloriæ: datur autem hæc benedictio confitentibus peccata ſua, Deum laudantibus & pugnantibus contra vitia: E contra, ubi eſt benedictio diaboli, vel Mundi, ibi omne malum, quia eſt benedictio tantùm ſecundum dici; & ſecundum rem maledictio. *Ser.4. Dom. Trinit. & in Luc. c.5. v.7.*

326. *Peccator in hac vitâ ridens per vana gaudia, irridebitur à Deo in aliâ vitâ.*

Quaſi per riſum operatur ſtultus ſcelus: ſapientia autem eſt viro prudentia. Nota quod dicit quaſi per riſum operatur ſtultus ſcelus; quia ridendo præcipitat ſe in peccata, & vanitates: ſed iſte irridebitur à Deo in alia vita, in qua perpetuò planget: prudens verò ſerio agit, agendo pœnitentiam, & cum Chriſto in hac vita flendo peccata, ut rideat, & gaudeat in æternum in altera. *Ser.5. Dom. 2. Adv.*

327. *Voluntatem timentium ſe facit Dominus.*

Deſiderium ſuum dabit Deus juſtis. Vide benignitatem Dei noſtri in ſuos ipſum timentes; nam quod ipſi juſtè deſiderant, ab ipſo obtinent: & ideo in his verbis inducit ſpem, & hinc ſecuritatem, & per hoc aufert puſillanimitatem timoris, & ardorem cupiditatis; & ſic ipſorum cor impletur à Deo bonis omnibus deſiderabilibus. *in Luc. c.12. v.32. & in ſap. c.7.*

328. *In tentationibus juſtus firmiter ſtat: impius cito labitur.*

Quaſi tempeſtas tranſiens non erit impius: Juſtus autem quaſi fundamentum ſempiternum. Ecce diſcrimen inter juſtum fundatum ſupra firmam petram, ideſt Chriſtum; & impium fundatum ſuper arenam vitiorum; nam ille non concutitur ventis, & fluctibus tentationum; quia habet fundamentum firmum divinæ aſſiſtentiæ: E contra impius fundatus ſuper arenam, vel ſuper inſtabilitatem vitiorum, cito evaneſcit: & hoc diſcrimen evenit ratione charitatis veræ, & cupiditatis terrenæ. *In Luc. c.6. v.49.*

329. *Iræ peſſimi effectus.*

Sicut acetum dentibus, & fumus oculis, ſic piger his, qui miſerunt eum. Nota quòd hic iræ effectus peſſimi in iracundo innuuntur; ait enim quòd ſicut acetum, vel aliquid acerbum dentes obſtupeſcit, & ſtridere facit, & fumus lachrymas eruit ab oculis: ſic ira excæcat intellectum, mentem, & cor accendit, ita quod facies inflammatur, inducit iterum, & ruborem, & etiam pallorem, tremorem labiorum, lachrymas extrahit ex oculis, & inquietudinem cauſat in toto corpore, furoremque velut phrenetici, & ideo ſicut fumus hoſpitem de domo expellit, ſic ira Spiritum ſanctum de corde excludit; quia in corde tantùm quieto & tranquillo habitat: Cave ergo à tam pernicioſo vitio ex quo Deus ab homine fugatur, & diabolus advenit. *Op. de profec. religioſ. l. 2. cap. 30. in Ioan. cap. 19. verſ. 30.*

330. *Acetum juſtorum & impiorum quale, & quales effectus.*

Sicut acetum dentibus, ſic piger his qui miſerunt eum. Adverte, quod acetum, aliud eſt juſtorum, aliud impiorum, acetum juſtorum eſt amaritudinis paſſionis Chriſti meditatio; hæc enim ſicut acetum exſiccat malos humores vitiorum, &

venenum

Digitized by Google

venenum peccati: acetum impiorum ſunt iniquitates, & inobſervantiæ mandatorum Dei, quæ Deo veluti bilem movent. *in Ioan. cap. 19. verſ. 30.*

331. *Tempus vitæ iuſtorum longum: impiorum breve.*

Timor Domini apponet dies: & anni impiorum breviabuntur. Ecce diſcrimen in vivendo juſtorum, & impiorum: nam juſtorum vita eſt longa, etiamſi videatur in multis brevis; quia conſumatus in brevi explet tempora multa, & timor Domini vitam elongat: è contra impii dies ſunt breves, quia vita, quæ ſceleribus impenditur, non vivitur ſed perditur, eſtque continua mors. *In Ecclen. c. 8. op. Comp. Theol. l. 5. c. 39.*

332. *Terminus ſpei juſtorum lætitia: impiorum vanitas, & triſtitia.*

Expectatio juſtorum lætitia. Ideſt terminus laborum hominis juſti eſt lætitia in alia vitâ: & in hac mercedis loco ſpes ſuccedit, per quam cumulatiſſimam lætitiam in cælo expectat: ſpes autem impiorum ad vanitatem, & triſtitiam terminat. *In Ecclea. c. 2. in fine.*

333. *Juſtus, gratia Dei adjutus non commovetur quacumque tribulatione: ſtultus, & impius ſemper in turbatione vivit.*

Iuſtus in æternum non commovebitur: impii autem non habitabunt ſuper terram. Hic aſſignat differentiam inter juſtum, & impium verſantes in tribulationibus, & varietatibus hujus vitæ: nam juſtus, qui eſt ſapiens, licèt in medio tribulationum vivat, retinet tamen de his, quæ debet effugere rationabiliter, vel eligere ſtabilem inconcuſſa mente ſententiam: impius autem, & ſtultus cedit paſſionibus, & ſemper in turbatione vivit. *In Ioan. c. 11. v. 37. & c. 14. v. 4.*

334. *Quale diſcrimen inter linguam juſtorum, & impiorum.*

Os juſti parturiet ſapientiam, & lingua impiorum peribit: labia juſti conſiderant placita, & os impiorum perverſa. Ecce tandem quòd ſapiens aſſignat diſcrimen inter linguam juſtorum, & impiorum: nam lingua juſtorum parturit quod in corde conceptum eſt, ſcilicet ſcientiam, & ſanam doctrinam ad informandos, & erudiendos alios: lingua autem impii dolos, & verſutias ad inducendum alios in errorem; & hoc eſt quia ſapientes cogitant bona, & ſtulti cogitant mala. *Pſal. 118. c. 1. v. 13. & c. 7. v. 12. in Ecclen. c. 1. & c. 10.*

CAPUT XI.

335. *Stateras falſificare in mercium permutatione vel venditione, quàm Deo abominabile: è contra quàm Deo charum juſtè negotiari.*

STATERA *doloſa abominatio eſt apud Deum: pondus æquum voluntas ejus.* Nota quòd hic reprehenduntur qui in negotiis mercium adulterant menſuras, & pondera: hoc eſt enim peccatum graviſſimum, & Deo abominabile: Unde *in Levit. c. 19. ait Dominus:* nolite facere iniquum aliquid in judicio, in regula, in pondere, in menſura: ſicuti faciunt iniqui mercatores. Et licet ſæpe tali modo iniquo domus impiorum replentur injuſtis bonis, & divitiis; tamen per juſtum Dei judicium igne æterno flagellabuntur in inferno, & ſæpe etiam à Dei juſtitia flagellantur in mundo temporaliter: Has fraudes, licet non videat qui decipitur, tamen videt, qui decipi non poteſt: utinam igitur ſaperet miſer mercator, & intelligeret: cum theſauro pecuniæ theſaurum iræ divinæ cumulari: quia talis dolus eſt ſumme abominabilis Deo. *Ser. 3. Dom. 1. poſt oct. Pentec.* Hinc diſcant mercatores ſua negotia exercere cum juſtitia; quia ſic à Deo proſperabuntur etiam in hac vita.

336. *Statera doloſa eſt illius, qui ob multa peccata minimam ſatisfactionem exhibet Deo.*

Nota etiam, quòd ſtatera doloſa eſt illius, qui plura, & maxima peccata commiſit, & renuit condignam ſatisfactionem facere Deo: ſecundùm enim menſuram delicti debet eſſe plagarum, & pœnitentiæ modus. *Pſal. 118. c. 1. v. 5.* Hoc attendant & Judices in puniendo delicta. *Ser. 3. Dom. 1. poſt oct. Pentec.*

337. *Statera doloſa Deo abominabilis eſt Prælatorum, qui ſibi ipſis ſunt indulgentes: ſubditis crudeles.*

Statera doloſa abominatio eſt apud Deum. Hoc etiam dicitur de Prælatis, qui ſibi ipſis ſunt miſericordes, & proximo, ſubditiſque duri, cum nihil ponderis ipſi portare volunt, ſed totum aliis portandum imponunt: vis igitur apparere, & eſſe ſanctus? contra vitam tuam eſto auſterus, circa alios benignus: audiant te homines parva mandantem, & videant gravia facientem? ſic & fecit Chriſtus *In luc. c. 11. v. 41.*

338. *Idem confirmatur contra Prælatos benè docentes, & malè operantes.*

Statera doloſa abominatio eſt apud Deum: pondus æquum voluntas ejus. Nota etiam, quod ſtateram doloſam habet, & adhibet Prælatus ille, qui benè docet ſubditos, ſed moribus eſt iniquus: bene dicit, & malè operatur: Pondus æquum verò eſt illorum Prælatorum, qui & verbis, & factis Chriſti formes faciunt ſubditos, ideſt ut non

non ſolùm mente eis attendant, ſed & moribus imitentur: Vicarius enim Chriſti vicem Chriſti debet gerere in beneplaciti ejus promotione, in poteſtatis ejus auctoritate, & in ſimilitudinis ejus repræſentatione, ſcilicet, ut ea quæ vult Chriſtus promoveat in ſubditis, & ejus auctoritate illa poſſit, quæ eis expediunt, & ſe imitabilem moribus & vita demonſtret. Ille verò ſeipſum, & non Chriſtum prædicat, qui gloriam propriam quærit, & malis exemplis ſe, potius quàm Chriſtum, ingerit ſubditis imitandum *Op. de ſex alis ſeraph.c.6.*

339. *Prælatus medium locum teneat inter juſtitiam, & miſericordiam: vel ad hanc magis propendeat.*

Statera doloſa abominatio eſt apud Deum: pondus æquum voluntas ejus. Nota quod hæc maxima diſcretio neceſſaria eſt, ut medium valeant tenere, & pondus æquum ſervent: ne ſcilicet ſint nimis triſtes, vel hilares; nimis ſeveri, vel lenes, nimis ſociales, vel alieni; nimis taciti, vel verboſi; nimis durè loquentes, vel blandè; nimis rigidi, vel remiſſi; nimis ſæpe cum hoſpitibus, vel rarò, nimis lautè reficientes, vel tenuiter: nimis foventes aliquos, vel alios parvipendentes, & acceptatores perſonarum. Notent tamen diligenter, quod cum non poſſit ſemper hoc medium teneri, minus deviabunt, ſi ad benignitatis partem plus declinent ad imitationem Chriſti; ſic enim facilius trahent ſubditos ad emendationem, & obedientiam. *Op. de ſex alis ſeraph.c.7.*

340. *Ubi Superbia eſt, ibi humilitas abeſt.*

Ubi fuerit ſuperbia, ibi erit & contumelia: ubi autem eſt humilitas, ibi erit & ſapientia. Vide quomodò hic ſacer textus affert in medium ſuperbiam, & humilitatem, tanquam oppoſitas; datque intelligere, quod ſimul ſtare non poſſunt, eo quòd ſuperbia non poteſt eſſe, ubi non ſit locus aptus ad recipiendum, qui eſt concavum humilitatis, & ideo ubi ſuperbia adeſt, ibi abeſt humilitas, & ſapientia; nam ſuperbia eſt mentis excæcativa, humilitas illuminativa. *Ser.2.de uno Confeſſ. & ſer.2. de S. Greg. & ſer. 2. de uno Doct.& op.Comp.Tueol.l.4.c.6.Pſal.118.c.4.v.2.*

341. *Superbia affert ſecum confuſionem: humilitas ſapientiam.*

Ubi fuerit ſuperbia, ibi contumelia: Scilicet confuſio, ut experti ſunt mali Angeli, qui ob ipſam de Cælo præcipitati ſunt in perpetuam confuſionem: E contra, ubi humilitas ibi ſapientia, ut experti ſunt boni Angeli, qui ad Deum perfectè converſi ſunt, & humili obſequio iram ejus placaverunt; ſicut etiam & S. Antonius expertus eſt: Hinc vide, quòd ubi eſt ſuperbia, ibi contumelia, ſcilicet mala ſunt corda, plena diſcordia, odia venenoſa, in omnibus fraudulenta: mala item verba, maledica, detractoria, ad malum inducentia, vana, & mundana: mala item opera, ideſt homicidia, latrocinia, adulteria, & ſimilia. *Ser.1.de S.Anton.Patav.*

342. *Superbiam ſequitur contumelia, & dedecus.*

Ubi fuerit ſuperbia, ibi & contumelia. Hoc veriſſimum eſt; nempe cum homo in ſui æſtimatione, & jactatione levatur in altum, tunc in Dei, & hominum æſtimatione mira deſpectione deprimitur; quia ſuperbis advenit deſpectio ad tumorem comprimendum. *In ſap.c 17.*

343. *Simplicitas intentionis recta ſecurum hominem reddit: duplicitas ipſum præcipitat.*

Simplicitas juſtorum diriget eos: ſupplantatio perverſorum vaſtabit eos. Clara eſt hæc ſententia, nos docens, quàm apud Deum valeat, & utilis apud homines ſit ſimplicitas intentionis rectæ: nam hæc dirigit hominem in declinando malum, in faciendo bonum, & in corrigendo erratum: E contra, ſupplantatio impiorum, ſeu potius perverſitas, & doloſitas, ut legit textus Hebræus, vaſtabit eos, ſcilicet fraudes, & doli, quibus alios opprimere volunt, in ipſos recident. *Ser.4. Dom.14. poſt Pentec. Pſal.118.c.8.v.16.c.3. v.1.& 2.c.6.v.5.*

344. *Non proderunt divitiæ in die ultionis: juſtitia autem liberabit à morte.* Vide quomodò ſapiens teſtificat hoc dictum, de quo ſupra in principio *cap.10.* Dat autem intelligere, quòd in die mortis, & judicii nihil proderunt divitiæ, & opes, ſed recta vita, & bona opera tantum. *Ser. 1. de uno S.Mart.Vide citatum locum.*

345. *Deus eſt Dux ſimplicium: & duplices corde ſinit ruere in interitum* ſic docet ſacer textus, dicens: *quod juſtitia ſimplicis viam ejus ſternit & ducit;* ſcilicet in vita hac mortali, & tandem in vitam æternam: & in impietate ſua corruet impius; quia in inſidiis ſuis capiuntur impii. *Pſal. 118.c.3.v.1.& c.6.v.5.*

346. *Amicus fictus, & verus quis.*

Simulator ore decipiet amicum ſuum: juſti autem liberabuntur ſcientia. Vide qualiter ſe gerit amicus fictus: nam iſte; tempore proſperitatis ſe amicum verum profitetur, tempore verò adverſitatis ipſum deſerit: non ergo credas umquam tibi amicum fuiſſe, quem vides tibi in adverſitatibus defuiſſe, ideo talis non fuit amicitia, ſed fraudulentia: & hinc juſtus ſuadetur per diſcretionem, & ſcientiam cavere ab his ſimulationibus. *Ser.1.de SS.Phil.& Iacob.& ſer.10. de Apoſtolis.& in Luc.c.20.v.20.*

347. *Conſulens alium ad quid aſpicere debet.*

Ubi non eſt gubernator, populus corruet: ſalus autem ubi multa conſilia. Nota quòd ponit ſalutem in multis conſiliis: quia conſulens ad multa debet reſpicere: nempe ad id, quod expediens, facile, certum, & ſecurum eſt, ut ſcilicet præponat expediens damnoſo; facile difficili, certum incerto; ſecurum periculoſo: & ideo propter hæc omnia dicitur hic; erit ſalus ubi multa conſilia. *Op.Diet.tit.6.c.2.*

348. *Neceſſitas*

348. *Neceſſitas præſidentiæ & Prælaturæ ſuper ſubditos expenditur.*

Ubi non eſt gubernator, ibi corruet Populus. Cur corruet populus, ſi non adſit Prælatus? Nonne omnis homo per naturam eſt liber, & poteſt ſe liberè gubernare? tum etiam, quia lex Evangelii eſt lex libertatis? ergo omnes Chriſtiani, & filii Dei ſunt liberi? Cur igitur Deus impoſuit homines ſuper capita noſtra? ſed attendendum, quod licet in ſtatu innocentiæ fuiſſet quædam poteſtas imperandi in viro reſpectu uxoris, & in Patre reſpectu filii, tamen non ibi adfuiſſet poteſtas coërcendi, & dominativa in ſubditos, & ſervos: quia hæc tantum eſt propria naturæ lapſæ: natura enim ſic dictat, ut homo homini ſubjiciatur, coërceatur, puniatur & præmietur, ſecundùm demerita, vel merita, & hoc ad removendas lites, & contentiones, oppreſſiones, injurias, quæ ſunt fructus concupiſcentiarum militantium in membris noſtris: & hinc meritò conſtituti ſunt reges, Principes, & Prælati; Domini, & ſubditi, & ſervi non ſolùm ſecundùm humanam inſtitutionem, ſed & ſecundùm divinam diſpenſationem: unde meritò dicit hic ſapiens, quòd ubi non eſt gubernator, ibi corruet Populus, ſcilicet ob lites, bella, ſeditiones, &c. *L.2.d.44.a.2.qu.2.& a.3. qu 1.ſap.c.6. in fin. ſic & S. Ioan. Chryſoſtomus hom.34. in Epiſt. ad Hebr.*

349. *Prælati ſunt fidejuſſores pro ſubditis: ſicut fuit Chriſtus pro nobis.*

Affligitur malis, qui fidem facit pro extraneo: qui autem cavet laqueos ſecurus erit. Notandum quod in prima parte hujus ſententiæ ad litteram datur admonitio pro his qui ad fidejuſſionem faciendam in contractibus pro extraneis impelluntur, vel rogantur, ut advertant, ne ſe ære alieno, vel alio malo obſtringantur. Myſticè à pluribus applicatur ad Prælatos, qui fidem faciunt pro populo, quem regendum ſuſcipiunt, quem niſi benè rexerint, affligentur in futuro, quando pro ſingulis oportebit eos reddere rationem. Laborent igitur ſedulo in præſenti, ne aliquem diabolus rapiat: *ſic Ugo Cardinal. idem & S. Bonav. op. de ſex alis Seraph. c.3. ad finem.* Alii applicant hæc myſticè ad Chriſtum, qui ſe ipſum pro nobis fidejuſſorem, & ſponſorem obtulit Patri, & debita noſtra, & pœnas exolvit: *ſic S. Bonav. ſer.7. Dom.1. Adv. & aliis plurimis locis.*

350. *Qui cavet periculum, ſecurus: qui amat periculum peribit in illo.*

Qui cavet laqueos ſecurus erit. Hoc attendant omnes homines, ſed præcipue religioſi, contra quos magis armatur diabolus: & ideo caveant eſſe ſoli cum ſola Muliere; item à tactu, à converſatione; ſi nolunt perire, & incidere in graviſſima peccata. *Op. ſpec. Diſcip. p.1. c.30.*

351. *Anima juſta apud Deum, & homines invenit gratiam, & gloriam, & divitias veras.*

Mulier pretioſa invenit gloriam; & robuſti habebunt divitias. Nota quod ad litteram plures expoſitores docent fieri alluſionem ad morem antiquum Hebræorum, qui emptione celebrabant nuptias, prebendo ipſis uxoribus dotem. Myſticè agitur de anima juſta quæ invenit gloriam apud Deum, & homines; & in hac gloria juſti ſuper ſe opulentiam, & divinitatem inveniunt. *Ser.7. in rogat. in Luc. c.2. v.36.*

352. *Mariæ gratia, & gloria expenditur.*

Mulier gratioſa inveniet gloriam. Quæ eſt hæc mulier gratioſa inventrix gloriæ? Hæc ſola fuit B. Virgo Maria, quia ipſa ſola invenit gratiam ſibi, & nobis: nam gratia delicioſam, miraculoſam, & glorioſam fecit Mariam: delicioſam in mente, miraculoſam in filio, & glorioſam in regno: delicioſam in mente deliciis ſpiritualibus, tanquam Dei vivi ſpiritualem Paradiſum: miraculoſam in filio, quia virgo ante partum, & poſt partum fuit: glorioſam in cœlo, quia invenit gloriam ſuper omnes Angelos. Item gratiam nobis, & gloriam pro nobis: colligit enim malos à culpa, impinguat gratia bonos, & liberat à morte æterna. *Op. ſpec. Beat. Virg. lec.5.*

353. *Idem expenditur de gratiâ, & gloria Mariæ Virginis.*

Mulier gratioſa inveniet gloriam. O quàm verum eſt hoc de B. Virgine. Quæ ſicut præceſſit omnes in gratia, ſic & in gloria; cum nihil aliud ſit gloria, quàm gratia conſummata: quare neceſſe eſt, ut qui vult à Deo gratiam impetrare; ad hanc mediatricem accedat devotiſſimo corde, quia cum ſit regina totius gratiæ, & miſericordiæ, nihil omnino habens in regno juſtitiæ, nihil petenti poterit denegare: accedamus igitur cum fiduciâ ad thronum gratiæ ejus, ſi volumus gratiam filii ejus habere. *Serm.2. de B. Virgine.*

354. *Miſericordia in pauperes quàm lucroſa, & Deo grata.*

Benefacit animæ ſuæ vir miſericors: qui autem crudelis eſt, propinquos abiicit. Ecce quid operatur in viro miſericorde beneficentia, & miſericordia in pauperes: & è contra avaritia in corde avari: nam homo miſericors, dum ſtudet aſſiſtere laborantibus, opem ferre miſeris alere egenos, veſtire nudos, nihilque ſibi præter quotidianum victum reſervans; etiam mirabiliter eleemoſynam animæ ſuæ facit, quia pietas, & bonitas circuit omnes virtutes: & è contra avaritia radix eſt omnium malorum, & crudelitatem exercet in proximos, & ideo excludit & ſeparat animam à regno Chriſti. *Serm. de S. Martino: & ſer.1. de uno S. Confeſſ.*

355. *Fructus juſti ſtabilis, & perpetuus: avari, & impii inſtabilis.*

Impius facit opus inſtabile: ſeminanti autem juſtitiam merces fidelis. Sapiens proſequitur antithesim inter virum miſericordem, & avarum, inter juſtum, & impium, exponitque diſcrimen fructuum, quos ab utriſque reportantur: dicit igitur, quod ſeminanti juſtitiam merces erit fidelis, ſeu veritatis, ut legit Hebræus: quis eſt qui ſeminat juſtitiam? quomodo poteſt ſeminari juſtitia, & in quo agro? ſeminatur juſtitia docendo, operando, & judicando: ſi juſta ſit doctrina, juſta ſit vita, etiam bona temporalia erunt juſta per juſtitiam, & pro juſtitia impenſa: nempe ſi Prælatus, & Prædicator miſericordiam exercebit in ſubditos, eos docendo, dirigendo, inſtruendo, ad bonam frugem reducendo: ſi vir miſericors ſuam opem miſeris tribuet: ſi judex rectè judicabit; iſtis enim merces plena, & magna à Deo dabitur. E contra, avari ſeminant ſemen cupiditatis, & telas araneæ texunt; nempè telas temporalium componunt; venenum quidem cupiditatis per uſuras, rapinas, & illicita lucra ſeminant, ſed turbinem æternæ damnationis metent. *Serm.3. Dom.ſexag. op. Comp. Theol.l.5.c.37.& in Luc. c.6.v.24.*

356. *Quale ſemen ſeminabit homo, talis erit fructus.*

Impius facit opus inſtabile: ſeminanti juſtitiam merces fidelis. Ecce quale ſemen ſeminabis, talis erit fructus, quem metes. Juſtus quidem ſeminat bonum ſemen; ſcilicet orationes, eleemoſynas, jejunia, peregrinationes, & alia bona opera: & ut terra animæ bonos fructus producat, arat ipſam vomere confeſſionis, aperiendo, frangendo contritione duritiam cordis, & humore devotionis, & lachrymarum rigando, & ſic fructum centuplum reportat: è contra impius ſeminat urticam, & zizania vitiorum; & ſic metit in gehenna ignem, vermen, fœtorem, fumum, tenebras, vincula, & frigus. *Ser.2.& 3. Dom. ſexag.* Nota etiam quod prædicatori hæc dicuntur, ſeminanti juſtitiam. *Ser.2.de S.Marco in addit.*

357. *Clementia virtus quàm Deo, & hominibus chara, & fructuoſa: crudelitas è contra quàm noxia.*

Clementia preparat vitam; & ſectatio malorum mortem. Hic opponit ſacer textus clementiam ſectationi, ſeu, ut legunt ſeptuaginta perſecutioni, & crudelitati in proximum: docetque quàm egregia virtus ſit clementia, nam facit quod anima adverſa tolerat, & interiùs, & exteriùs clementer: non enim habet ulciſcendi ſtudium perfecta virtus, nec ulla eſt iracundia, ubi eſt plenitudo charitatis: ſic magna merces ſibi erit præparata, ſi mititatem, & manſuetudinem ſervabis in corde: & è contra ſi crudelis, & iracundus eris in proximum, multis ſuppliciis dignus eris, voluntariè te ipſum in baratra perditionis ferens & ante futuram gehennam hic jam vindictam ſolvens: unde ſubdit ſacer textus: abominabile eſt cor pravum: *v.20.Op. Phar.l.2. c.9.& 40.& Serm.1.de SS.Confeſſor. in addit.*

358. *Carnales veluti porci morantur, & delectantur in ſterquilinio: ubi de Muliere impudica.*

Circulus aureus in naribus ſuis mulier pulchra, & fatua. Nota quod hic infelicitas carnalium explicatur, & maximè mulieris impudicæ: unde 70. legunt: inauris aurea in nare porcæ, ſic mulieri ſtultæ pulchritudo: vult dicere, quod ſicut ſuem injecto naribus circulo trahere facile eſt, ſic etiam mulierem fatuam oblato monili aureo ad libidinem facile eſt trahere. Cum hæc ſit veriſſimum, ut docent interpretes, tamen hæc verba aptari poſſunt cuicumque carnali: vultque dicere ſacer textus, quod porci, id eſt dæmones per carnalitatem trahunt voluptuoſos ad volvendum ſe in ſtercore & luto carnalitatis: ipſi enim maximè delectantur in immunditiis, & ideo carnales maximè paſcunt dæmones; & hinc & ipſi fiunt ſimiles porcis, in quibus maximè regnat ruditas intelligentiæ, carnalitas concupiſcentiæ, cupiditas avaritiæ; & ideo ad modum porcorum non valent ad vitam, ſed ſolum ad interitum. *in Luc.c.15.v.15.*

359. *Juſtorum deſiderium eſt tantum ad bonum: impiorum ad malum.*

Deſiderium juſtorum ad bonum: præſtolatio impiorum furor. Vide quomodo juſti inhiant ad bonum, ſcilicet ad omne bonum; quia bonum deſiderant, omnia intellectualia quidem, & rationalia cognitivè; ſenſibilia ſenſibiliter experta ſenſu naturali motu vivifici deſiderii, carentia autem vità, & tantum exiſtentia aptitudine ad ſolam ſubſtantiæ participationem: juſti autem pro fine ſuorum deſideriorum bonum verum intendunt: è contra impii pro fine principali habent expletionem ſuarum cupiditatum. *Pſal.118.c.8.v.10.*

360. *Eleemoſyna divitem facit: avaritia depauperat.*

Alii dividunt propria, & ditiores fiunt: alii rapiunt non ſua, & ſemper in egeſtate ſunt. Vide quomodò ex oppoſita cauſa oppoſitus effectus provenit: nam ille qui dividit, ſeu ut legit Hebræa lectio, qui diſpergit, & ſeminat propria, ditior fit, ſed ille, qui non ſolum non diſpergit ſed etiam propriis rebus alia ſuperaddit, egeſtatem accumulat: quomodò poſſunt iſta ſubſiſtere? ſed attende, quod in prima parte ſententiæ agit de eleemoſyna, & eleemoſynario, & in alia parte de avaro, & tenaci; datque Spiritus ſanctus intelligere, quod qui miſeris compatiuntur, & pro poſſe eorum neceſſitatibus ſubveniunt, non ſolum depauperantur, ſed divites fiunt, & ſpiritualiter, & temporaliter: eleemoſyna enim numquam paupertatem induxit: è contra avari, non ſolum non dant ſua; ſed nec elargiuntur illa, quæ pauperibus debita ſunt; & ideo dicuntur rapere non ſua, & iſti ſemper in ægeſtate ſunt; quia Dei judicio, nec propriis utuntur, nec ſubſiſtere poſſunt ipſorum divitiæ. *Ser.1.de SS.Philipp. & Iacob. op. Phar. l.2. c.49. Diet.tit.2.c.4.& 7.& tit.7.c.4.in Luc.c.16.v.2 ſeq. & c.19.v.26.* Nota etiam quod ſenſus hujus ſententiæ poteſt explicari exemplo ſtomachi & lienis

Digitized by Google

nis exiſtentium in corpore humano : nam ſtomachus habet ſumere cibum , ipſumque diſtribuere ordinate ad omnes partes corporis : lien vero habet retinere pro ſe ſanguinem ab hepate derivatum ; & ſic ſtomachus rectè diſtribuens aliis membris , quod per os recipit, conſervat ſe; & alia membra:lien verò nimis tenacius retinens ſanguinem abſque eo quod ſinat effluere ad alia membra, ſtatim infirmari facit per opilationem: ſic & viri miſericordes , qui ſunt ſtomachus pauperum , diſtribuendo quod illis Deus dedit, ditiores , ſaniores ſe conſervant , & alios : è contra homo qui eſt veluti lien tenax, & avarus ſemper in ægeſtate , & per opilationem , infirmus redditur: hinc avarus rectè lieni comparatur.

361. *Idem de eleemoſyna.*

Anima,quæ benedicit, impinguabitur ; & qui inebriat inebriabitur. Quid ſibi vult hæc benedictio quæ meretur impinguationem , ſeu benedictionem à Deo ? Nihil aliud niſi diſtributionem eleemoſynæ ; nam qui pauperi porrigit manum, ut ipſum ſua benedictione , & largitione eleemoſynæ ſubveniat , inveniet propitiationem , & benedictionem multiplicem à Deo. *Ser.* 4. *Dom. Trinit.*

362. *Confeſſio peccatorum , & laudis divinæ meretur benedictionem à Deo , & ebrietatem Spiritus.*

Anima, quæ benedicit , impinguabitur. Hic ſuadet ſapiens nobis ad benedicendum Deum confeſſione peccatorum , & laudationis divinæ ; quia talis benedictio meretur à Deo benedictionem divinam. *in Luc.c.*12.*v.*8. Addit , & qui inebriat inebriabitur , nempe qui totum ſe dicat ad laudes Dei , & ad devotionem ſectandam, inebriabitur à Deo : ebrietas autem ſpiritus eſt magna amoris , & gaudii devotio , ex qua,quaſi ex vini fortitudine fervor Spiritus exhilareſcit; quod intra ſe cohibere non valet. *Op. de profec. religioſ.l.*2.*c.*73.

363. *Qui tempore ſterilitatis abſcondunt frumenta , & negant eleemoſynam , maledicti à Deo.*

Qui abſcondit frumenta, maledicetur in populis. In his verbis invehitur ſapiens in eos,qui annonam flagellant ; ſcilicet qui frumentum aſſervantes,& includentes, non prius venum exponunt, quàm inopiâ publicâ pretia auxerint : vel qui tempore neceſſitatis eleemoſynam negant indigentibus , iſti à Deo dicuntur maledicti in Populis. *In Luc.c.*9. *v.*61. Notant autem expoſitores , quod dicuntur maledicti in Populis , vel quia multitudinis querelas , & preces Deus exaudire conſuevit , vel quia contra ipſos à populis maledicta multa jactantur , vel quia incurrunt flagella publica. *Sic D.Chryſoſtomus.*

364. *Cui incumbit onus prædicandi verbum Dei, & ipſum diſtribuere renuit maledictio advenit : è contra benedictio cadit ſuper rectè prædicantem verbum Dei.*

Qui abſcondit frumenta , maledicetur in populis. Nota quod per frumentum intelligitur verbum Dei ; & per hoc dat intelligere , quòd qui idoneus eſt ad prædicandum , & hoc officium renuit , vel omittit , vel negligenter ſe gerit dicens : ſufficit mihi, ut de me rationem reddam, hic maledictioni divinæ ſe ſubjicit ; quia in ſolius ſilentii culpa pro multorum , quos corrigere potuit pœna damnatur. E contra ; benedictio ſuper caput vendentium , ideſt participantium verbum Dei : dicitur autem hæc venditio, quia pretium fidei, & devotionis ab auditoribus recipiunt. *in Luc. c.*9. *v.*61.*c.*16. *v.*9.*c.*19.*v.*10.*ſer.*2. *Dom.*3.*poſt Epiph.& op. medit.vita Chriſti c.*47. *& Pharet.l.*1.*c.*17. *ſic & D.Greg.PP. in Paſtor. & Beda.* Dicit ergo , quod qui abſcondit frumentum , maledicetur : quia prædicator reticens verbum Dei, maius malum facit,quàm denegans eleemoſynam indigenti. *in Luc.c.*9.*v.*61.

365. *Ex bono tantùm bonum conſequitur: ex malo malum.*

Bene conſurgit diluculo qui quærit bona : qui autem inveſtigator malorum eſt opprimetur ab eis. Licèt ſit verum , quod nemo intendens ad malum ; malum operatur , omnes enim intendunt aliquod bonum, attamen ſapiens intendit corrigere hanc ſententiam ; & ideo docet , quod ſolum ex bono ſequitur bonum,ex malo malum; & qui quærit bonum , quod eſt verum bonum, bene conſurgit diluculo , ſcilicet tempeſtivè , quia bonum inveniet. *in Lucam c.*22. *v.*3.*ſerm.*1. *Hexam.*

366. *Confeſſarius ſit cautus in inveſtigatione peccatorum à pœnitente.*

Ne ipſum faciat addiſcere , quod non eſt licitum : & hinc dicit hic , quod inveſtigator malorum opprimetur ab eis ; caveat igitur ne lupum excitet dormientem , ne videlicet peccata nova in animo pœnitentis repræſentet , ſed ſapienter inveſtiget ; & quaſi aſtutè ; ut peccata revelentur , & nova non addiſcantur. *L.*4. *d.*19. *dub.*5.*& op.confeſſion.cap.*2.*p.*1.

367. *Spes in Deo ſoliditatem ſecum , & ſecuritatem affert : ſpes autem in Mundo vacuitatem.*

Qui confidit in divitiis ſuis corruet : Juſti autem quaſi virens folium germinabunt. Nota , quod in his verbis intendit ſacer textus aſſignare diſcrimen inter ſpem , quam habent juſti in Deo, & impii in Mundo : datque intelligere , quod ſpes in Deum ſolida eſt veluti columna fortis, domum animæ ſuſtentans, è contra ſpes in Mundo eſt veluti arundinea , ſcilicet fragilis , & vacua, & ideo facit ædificium ruinoſum. *Op.Dict. tit.*5.*c.*4.*& in Luc.c.*18.*v.*9.

368. *Impatientia in Prælato quàm noxia, & cavenda.*

Qui conturbat domum ſuam poſſidebit ventos;& qui ſtultus eſt ſerviet ſapienti. Quid eſt hæc conturbatio afferens poſſeſſionem ventorum? ſed adverte quod hic loquitur de impatientiâ, qua homo conturbat domum ſuam; & maximè Prælatus: dat enim intelligere, quod ſi non reprimat fervoris impetum, oſtendens impatientiam in voce, aut vultu, aut moribus, hic inter alios peſſimos effectus poſſidebit ventos, ideſt conſpirationum, quæ inſurgent in domo ſua, ex qua mala plurima provenient. *Op. de ſex alis ſeraph. c.5.*

369. *Iuſti Deum timentes, non ſolum ſibi, ſed & aliis dulcedinem ſalutis procurant.*

Fructus Iuſti lignum vitæ; & qui ſuſcipit animas, ſapiens eſt. Quænam comparatio eſt iſta inter lignum vitæ & opera juſtorum? ſed adverte in iſta comparatione, quod ſapiens loquitur de juſtis, qui non tantùm propriæ ſaluti incumbunt, ſed etiam aliorum; conantur enim diligentèr capere animas pro Chriſto: & iſtorum fructus eſt veluti ligni vitæ, qui ex numeroſitate, & dulcedine excellunt alia opera. *In Ioan.collat.57.*

370. *Iuſti in hac vitâ à Deo torquentur: Impii in alia.*

Si juſtus in terra recipit; quanto magis impius, & peccator. Vult dicere: ſi in hac vita Deus juſtos ſuos affligit, ergo magis peccatores in alia torquebit. *in ſap.c.11.* Quaſi dicat, ut exponunt etiam SS. Aug.& Ambroſ. ſi juſti pœnæ atrocioris ſententiam receperunt, quæ Deus ad correptionem, vel ad exercitationem ſuis immittere ſolet; impii quomodò impunitatis ſpem ſibi proponunt, cum ſcriptura dicat: ſi juſtus vix ſalvabitur; peccator, & impius ubi parebunt? gaudeat ergo qui in hoc ſæculo punitur, contremiſcat ille, qui ad futuram vitam reſervatas pœnas conſpicit.

CAPUT XII.

371. *Correptiones divinæ toleratæ illuminant intellectum: ipſarum abjectiò obſcuritatem, & inſipientiam ingerunt.*

QUI diligit diſciplinam, diligit ſcientiam: qui autem odit increpationem inſipiens eſt. Quænam connexio eſt iſta inter diſciplinam, amorem, & perceptionem ſcientiarum? iſtæ enim obtinentur aſſiduo ſtudio, non caſtigationibus? ſed attende, quod licet ab aliquibus expoſitoribus attrahantur ad pueros, & adoleſcentes ſtudiis incumbentes, & virgam, ferulamque adamantes: Attamen communior vult, ut hic ſacer textus loquatur de ſe exercentibus in obſequio Dei; datque intelligere, quod increpationes Dei patienter toleratæ ad viam Dei diſponunt, illuminant quippe intellectum ad cognitionem practicam divinorum arcanorum, quæ eſt ſcientia ſanctorum, ſanctaque diſciplina: E contra qui odit correptiones divinas, à tali ſcientia repellitur. Quia ergo, qui diligit increpationes Dei, motus ſenſuales addiſcit reprimere; ſic etiam ſe diſponit ad ſcientiam capeſcendam ſanctorum; ideo dicitur: qui diligit diſciplinam, diligit ſcientiam: ſic etiam Chryſoſtomus, Nazianzenus, aliique. *Pſal.118.c.8.v.15.*

372. *Humilitas gratiam à Deo exhaurit: Superbia vero odium.*

Qui bonus eſt hauriet gratiam à Domino: qui autem confidit in cogitationibus ſuis impiè agit: Nota quod ait: qui bonus eſt: at de qua bonitate loquitur hic ſapiens? bonitas enim in communi ſumpta variè poteſt intelligi. Sed attende ad anthiteſim: nam cum ſubdat, qui confidit in cogitationibus ſuis, patenter dat intelligere ſe loqui de humili, & ſuperbo, ut oppoſita juxta ſe poſita magis eluceſcant: bonitas ergo circuit omnes virtutes, quarum fundamentum eſt humilitas: vult igitur dicere: qui bonus eſt; ideſt qui non tumet animo, non tonat verbo, non recalcitrat facto, ſed in omni re ſe ſubjicit propter Deum per humilitatem, & ſubjectionem: iſte igitur haurit gratiam à Domino: hæc autem gratia, quæ ſola reſpicit, & cognoſcit humilia, ſola dignificat, & extollit ad ſumma; hæc non ſolum ſuperioribus ex officio paret, ſed etiam inferioribus ex humilitate: E contra faſtuoſitas ſuperbiæ, & arrogantiæ odibilem hominem reddit Deo,& hominibus. *Ser.de S.Martino.*

373. *Bonitas hauriens gratiam à Domino, omnes virtutes complectitur.*

Qui bonus eſt hauriet gratiam à Domino: qui autem confidit in cogitationibus ſuis &c. His verbis dat intelligere ſapiens, quod gratia Spiritus ſancti ſolum habentibus bonitatem infunditur: bonitas autem circuit omnes virtutes; & per oppoſitum, malitia omnia genera vitiorum: & ideo quantò bonitas eſt perfectior, tantò in pluribus actibus reperitur: nempe humilitas in ſubjectione, ut dictum eſt ſupra in compaſſione ad proximum, pietas conſcientiæ, & præcipuè in pauperes, & miſeros: item integritas continentiæ in converſatione; quia verè bonus, non ſolùm actus malos, & turpes cohibet, ſed & appetitum reſtringit: Item in refectione ſobrietas temperantiæ; quia bona eſt oratio cum jejunio & eleemoſyna: oratio enim adjuvat temperantiam, & temperantia orationem: item in contumeliis longanimitas patientiæ: Item charitas in affectione ad Deum, & proximum: Item in operatione ſtrenuitas providentiæ, quæ ad præmium cæleſte ſemper reſpicit: E contra, malitia obviat huic gratiæ humilitatis per faſtuoſitatem arrogantiæ, pietati cupiditas avaritiæ; caſtitati fœditas petulantiæ; ſobrietati voracitas gulæ; vitilitati animoſitas iracondiæ; ſtrenuitati tepiditas negligentiæ. *Ser.de S.Martino.*

374. *Gratia.*

374. *Gratia prædicationis datur à Deo tantum bonitati.*

Qui bonus eſt, hauriet gratiam à Domino. Quam gratiam? hoc poteſt applicari gratiæ prædicationis, de qua loquitur S.Paul. *ad Rom.c.*15. gratia data eſt mihi, ut ſim Miniſter Chriſti in gentibus: hæc autem gratia datur à Deo tantum bonitati; nempe iis, qui virtutes ſectantur. Ergò qui mali ſunt prædicatores, prædicatores ſunt tantùm nomine, non re. *In Ioan.collat.*3.

375. *Bona temporalia ex injuſtitia acquiſita ſunt mobilia, & adjectiva: Spiritualia immobilia, & ſubſtantiva.*

Non roborabitur homo ex impietate: & radix juſtorum non commovebitur. In his verbis, ſapiens aſſignat diſcrimen inter bona temporalia & maximè acquiſita ex injuſtitiâ, & Spiritualia; ait enim: non roborabitur homo, vel ut legit hebræa lectio, non erit ſtabilis homo, & Septuaginta, non proſperabitur, nempe qui ex impietate congregat divitias: bona enim temporalia ſunt bona mobilia, & veluti poſita ſuper rotam, volubilia, & adjectiva, & iſtis non ſatiabitur homo; quia cito dilabuntur: E contra verò, bona ſpiritualia ſunt ſubſtantiva, vera, & omnem delectationem afferentia; quia firma, immobilia, viciſſitudinem non accipientia; ſed ad omne ſæculum ſe extendentia: hoc igitur eſt maximæ inſcitiæ mutantia cum immobilibus commutare. *In ſap.c.*10. *in Ecclen.c.*12. *Pſal.*104. *ſer.*1. *in feſt. omn. ſanctor. S.Chryſoſtom. hom.*2. *in Gen.*

376. *Judicium efformatur in anima Juſti.*

Cogitationes juſtorum judicia. Quomodo cogitationes juſtorum appellantur judicia. At hoc dicitur de juſtis, qui ſuas cogitationes introrſum examinant, quid Deo, quid proximo conveniat; & præcipuè ſibi ipſis: in quo judicio conſcientia accuſat, ratio judicat, timor ligat, dolor excruciat, quod judicium eo certiùs punit, quo interiùs ſævit: juſti igitur ſeipſos diligenter diſcutiunt; & ſuam vitam, & ſua facta dijudicant in domo propria, & propria familia, ubi accuſatores, teſtes, judices, & tortores habent. *In Ioan.c.*11. *ad finem. Pſal.* 82. & 85. & 118. *c.* 101 *v.*10. & *ſer.*7. *in rogat.*

377. *A juſtis, & probis conſilium requirendum, non ab improbis.*

Conſilia impiorum fraudulenta. Notat hic ſacer textus, quod conſilium non petatur ab impiis, ſed à bonis, & probis, & ſapientibus; quia vix ſcit aliis conſilium dare, qui ſibi nequit accipere, & quia cogitationes mortalium ſunt timidæ, & incertæ, ideo ne decipiantur, inquiſitione certiori, & directione nobiliori indigemus, ſcilicet divina. A Deo igitur conſilium primò in oratione exquirere debemus. *ſer.* 2. *Dom.* 3. *poſt octav. Paſchæ. opus de dono conſil.c.*1. *Pſal.*118. *c.*7. *v.*6.

378. *Dæmonum fraudulentia expenditur.*

Conſilia impiorum fraudulenta. Si impiorum conſilia ſunt fraudulenta, ergo multò magis conſilia Diaboli, qui eſt caput omnium iniquorum. Vide qualem fraudulentiam adhibent Dæmones: nam fraudulenti ſunt in promittendo dignitates, voluptates, divitias, longam vitam, finalem pænitentiam, per quod decipiunt homines: Vide iterùm quàm fraudulenti ſunt; modò enim facta noſtra graviora, modò nil eſſe, quod perpetratum eſt demonſtrant; modò miſericordem Deum loquuntur modò ſubſequens tempus ad pænitentiam pollicentur, ut per hoc decepta mens abducatur ab intentione pænitentiæ, & ſuſpendatur: O quanta fraudulentia dæmonum, cum maximè arrident homini in proſperitatibus, ut fallant laſciviis, & blanditiis, & vanitatibus, & tunc maximè timendi ſunt: blandiuntur enim ut fallant, arrident, ut noceant, alliciunt, ut occidant. *Ser.*2. *Dom.*3. *poſt oct. Paſchæ.*

379. *Proſperitas impiorum volubilis, & tranſitoria: Juſtorum permanens.*

Verte impios, & non erunt: domus autem juſtorum permanebit. Ad intelligentiam hujus ſententiæ audi Pſalmiſtam dicentem *in Pſal.* 36. vidi impium ſuperexaltatum, & elevatum ſicut cedros libani, tranſivi, & non erat, & non eſt inventus amplius locus ejus: ut videas quàm tranſitoria ſit voluptas, & proſperitas impiorum, qui cum videantur, ſi te averteris ab ipſis paululum, ecce quod cum iterum in illos intenderis, jam inde non erunt: Dicuntur igitur bona iſta temporalia modica, tum quia ſunt modicæ quantitatis; tum quia ſunt modicæ dominationis, tum quia ſunt modicæ jucunditatis. E contra bona ſpiritualia ſunt multa, quia ſunt ſine corruptione, permanentiâ, ſtabilia, & jucundiſſima. *In Lucam c.*16. *v.*10. *Pſal.*104.

380. *Pænitentia tranſmutat hominem in alium.*

Verte impios, & non erunt. Quid eſt verte? quomodò impii poſſunt verti? verti poſſunt in aliud latus, ſcilicet per contritionem, & pœnitentiam; ſicque ſi vertuntur ad pœnitentiam amplius non erunt impii, ſed pii, & ſancti. *Pſal.*119.

381. *Ex verbis & actibus exterioribus cognoſcitur qualitas perſonæ.*

Doctrinâ ſuâ cognoſcitur vir. Ecce quàm verum eſt hoc; quia ſicut arbor cognoſcitur floribus, foliis, & fructibus; ſic homo cognoſcitur exemplis, verbis, & operibus, quod maximè evenit ex verbis; nam ex ipſis cognoſcitur qualis ſit. *Ser.*1. *de S.Gregor.* Notent hoc diligenter religioſi ut in facie hominis reluceat ſpeculum diſciplinæ, quibus tantò major cuſtodiâ eſt adhibenda, quantò minus quod in ea fuerit, peccatum celari poteſt. *Op. ſpecul. Diſcipl.p.*1. *c.*20. & 31.

382. *A Prælatis diligens cuſtodia adhibenda in ſuis ſermonibus, & locutione, ne ſcandalo ſint aliis.*

Doctrinâ ſuâ cognoſcitur vir: Qui autem vanus eſt, & vecors patebit contemptui. Notent hoc maximè prælati, nec voce, aut vultu, aut moribus vel vanitatem, vel impatientiam oſten-

dant : alioquin per vana verba, vel per impatientiam ſcandizant alios,ſeque reddnnt ſeſoſos, contemptos,& horrendos. *Op. de ſex alis Seraph. c.5. Pſal.*118.*c.*2.*v.*6.

383. *Pauper Spiritu felicior divite.*

Melior eſt pauper, & ſibi ſufficiens, quàm glorioſus, & indigens pane. Vide quomodo hæc ſubſiſtere poſſint ? quomodo paoper quis poteſt, & ſibi ſufficiens eſſe, ideſt abundans, & dives indigens pane ? ſed nota, quod hic extollit paupertatem ſpiritus,datque intelligere, quòd pauper talis eſt ſibi ſufficiens, ſcilicet propter copiam ſufficiemiæ abundantis; quia cum ſit contentus ſua paupettare, ipſi nihil deeſt : E contrà dives avarus, eſt pane indigens,cum avato, omnia deſint,nec qoacumque re umqoam ſit conteotus, quia inſatiabilis. *in Luc.c.*7.*v.*21.

384. *Qui Deum habet, abundat omnibus, etiamſi pauper ſit : E contra, qui Deum non habet nihil habet.*

Melior eſt pauper & ſibi ſufficiens. Advertendum quod hic loquens de paupere juſto, docet ſapiens, quod cum Deum habeat ſibi ſufficiens eſt,quia Deus, & ipſius gratia eſt quies,& terminus omois ipſius appetitus; è contta, qui Deum non habet, cum temporalia non ſatient, nec anima ſibi, nec ei quidquam ſufficit, cecedente ab eo,qui ſolus ſufficit. *in Ioan. c.*14.*v.*12. Nota etiam,qood hæc poſſunt intelligi de ſimplici, & idiota parum habente auti & argenti,ſcilicet eloquentiæ : qui inde hinc vivit, & inde paſcitot, & reficitur, quàm glorioſus in moltis ſcientiis, qui numquam teficitur, ſicuti ſunt multi docti. *Ser.*1.*&* 18. *Hexam.* Hoc attendant illi, qui immerſi vivunt in homanis ſcientiis ſine ullo ſapore vitæ ſpititualis, qui cum omnia ſciant, ſeipſos neſciunt : ô qualis erit ipſotum confeſſio in die judicii.

385. *Juſti miſericordes ſunt, non ſolum in homines, ſed etiam in animantia irrationalia.*

Novit juſtus animas iumentorum ſuorum : viſcera autem impiorum crudelia. Ad quid coguitio juſtotum extenditur ad itrationalia ? Hic ad litteram arguit à minoti ad majus; qui enim miſeticors eſt in irrationalia, multò magis in homines : & ideo ſignum eſt maximæ crudelitatis ſævum eſſe, & crudelem in irrationalia, ut de Nerone legitur. Myſtice verò infert, quod ſicut Paſtoris officium eſt agnoſcere pecora ſua; ſic & Prælatorum agooſcete vultum aoimatom ſibi creditatum.*In Ioan.c.*10.*v.*6.

386. *Principes, & Domini diligere tenentur ſuos ſervos; maximè in ordine ad profectum animæ.*

Novit iuſtus iumentorum ſuorum animas. Quomodò hoc in omnibus juſtis verificatur ? quomodò omnes joſti animæ quidditatem ſuotum jumentorum noſcunt ? ſed attende, quod nomine jumentorum intelliguotur ſervi, Dominis ſuis labores manuum ſuarum impedientes : & ideo præcipitur à Deo principibus, ne obliviſcantur curæ ſuotum ſervorum, & maximè in iis, quæ ſpectant non ſolùm ad ſalutem corporis, ſed magis animæ, & ipſis ne ſint in ſervorum neceſſitatibus oneroſi, ſed chari, & dilecti. *in Luc.c.*7.*v.*1.

387. *Iuſti inhiant ad ſalutem proximi: impii crudeles in proximum.*

Novit iuſtus animas iumentorum ſuorum: viſcera autem impiorum crudelia. Vide hic diſcrimen inter juſtum, & impium;nam juſtus viſcera charitatis ſuæ aperit in oeceſſitatibus aliorum: impius dum agitur de tebus ſuis crudelitatem quamcumque exercet in alios, quod patet in divite damnato, qui petebat Abrahæ, ut mitteret Lazarum ad ſuos fratres; & hoc non motivo charitatis, ſed ut Lazarus, non ſolùm egrederetur ex illo loco quietis, ſed ut ſe transferret in locum periculoſum, *in Luc.c.*17.*v.*28.

388. *Felicitas qualis operantium diligenter in agro cordis : qualis infelicitas otioſorum : ubi de confeſſione peccatorum.*

Qui operatur terram ſuam, ſatiabitur panibus; qui autem ſectatur otium, ſtultiſſimus eſt. Ecce qualiter Deus ſuadere nititur nos ad laborandum in hac vita, & boois operibus ioſudandum, exemplo agricolæ laborantis diligenter in agros datque intelligere, quod qui operatur terram ſuam, ideſt propriæ conſcientiæ evellendo ſpinas peccatorum ex ea, per exterminium confeſſionis,ſatiabitur panibus ſeptiformis gratiæ Spiritus ſancti, habentis omne delectamentum, & omnis ſaporis ſuavitatem : qui autem ſectatur otium, dimittendo terram ſterileſcere malis radicibus vitiorum, ſtultiſſimus eſt : multùm enim deberet quiſque excolere, & operari terram propriæ conſcientiæ, ut ſaltem guſtaret, quàm dulces fructus ſunt iſti panes ſeptiformis gratiæ Spiritus ſancti. *Ser.*1. *Dom.ſexag.*

389. *Idem confirmatur.*

Qui operatur terram ſuam, ſatiabitur panibus. Vide ô homo qoid à te exigit Deus : nam qui operatur terram propriæ animæ evelleodo ex ea vepres vitiorum gladio acutæ compunctioois, extirpando ſpinas peccatotom exeteitio confeſſionis; & amovendo vrticas deſideriorum malorum, exeteitio diſciplinæ, & mortificationis, ſatiabitur panibus bonorum operum : qui autem oppoſitum facit, ſectando otium, ſtultiſſimus eſt : ergo bonum eſt operari terram tuam, ut educas panem bonæ refectionis de terra conſcieotiæ tuæ : & vinum in terra devotionis ad lætificandam animam. *Ser.*1. *Dom. ſexag. in Luc.c.*15.*v.*25. *In Ioan. collat.*30. *& in Eccleſ. c.*1.*& c.*4.

390. *Vini nimius uſus concupiſcentiam accendit.*

Qui ſuavis eſt in vini demorationibus, in ſuis munitionibus relinquit contumeliam. Vide hic quod ſacer textus monet, & ſuadet abſtinentiam à compotationibus vioi : ſciebat enim quod vinum non modicè ſumptum, rationem perturbat, memoriam enervat, oblivionem immittit,

errorem

errorem infundit, ad ignorantiam perducit, luxuriam excitat, concupiſcentiam accendit: quæ omnia dedecus, & contumeliam afferunt; ideo à compotationibus admonet nos cavere: & hæc fuit cauſa, quare S. P. Franciſcus præcepit tot jejunia in ſua regula; ſciebat enim quod religioſus nimius in potatione vini, nunquam virtutibus poterit ditari. *Op. expoſ. in regul. cap. 3. in Ioan. collat. 12. & opuſc. ſpecul. Diſcipl. p. 1. cap. ult.*

391. *Vinum delectationem carnalium, contumeliam, & ignominiam affert.*

Qui ſuavis eſt in vini demorationibus in ſuis munitionibus relinquit, &c. Nota, quod hic dicit in demorationibus, ſeu converſationibus, ut legunt ſeptuaginta; ut videas, quod alluſio fit ad aliud vinum, quàm ad materiale, & ad illos qui commorantur, ſeu jacent in tali vino myſtico: & quodnam eſt hoc vinum? nihil aliud, quàm vinum carnalium delectationum, in quo luxurioſi, tanquam ſues immundi jacent; nam talis commoratio ſecum contumeliam, & ignominiam affert. *In Ioan. collat.* 12.

392. *Qualis fructus multiplex excerpitur à juſtis per os.*

De fructu oris ſui unuſquiſque replebitur. Quis, & qualis eſt fructus ex ore proveniens? multiplex eſt. Iſte fructus oris eſt Jeſus Chriſtus, fructus inquam ventris Mariæ, qui etiam fructus oris dicitur, quia oris prædicatione, oris confeſſione, oris oratione ipſum meremur: ipſum quoque ore exteriori ſumimus ſacramentaliter, & ore ſpirituali ſpiritualiter: de iſto fructu oris unuſquiſque replebitur fidelis bonis ſpiritualium divitiarum, virtutum, & gratiarum: ò verè beata hujus fructus plenitudo, qua repletur ager cordis noſtri. *Op. ſpec. B. Virg. lec.* 18.

393. *Lingua bona, bona arbor: lingua mala, mala arbor.*

De fructu oris ſui unuſquiſque replebitur. Cur attribuit ori productionem fructuum, & non potius manibus? quia lingua eſt arbor, habens radices in voluntate ſi bona eſt, bonos fructus facit; ſi mala, malos; quibus repletur anima, vel in bonum, vel in malum. *in Luc. c. 6. v. 42. in Ioan. collat.* 57.

394. *Sacræ ſcripturæ firmitas: Scientiarum mundanarum vanitas expenditur.*

Labium veritatis firmum erit in perpetuum: qui autem teſtis eſt repentinus concinnat mendacium. Ecce quale diſcrimen inter ſcientiam ſacræ ſcripturæ, & mundanarum ſcientiarum; nam illa veritatem firmam, ſtabilem, & perpetuam continet: ſcientiæ mundanæ vanitatem; quando non ſunt fundatæ in S. ſcriptura. *Op. Eccleſ. Hierar. p. 4. c. 4. Sap. c. 6. Pſal. 118. c. 9. v.* 14.

395. *Qualis triſtitia fuerit in Chriſto, & qualis abfuerit.*

Non contriſtabit juſtum quicquid ei acciderit: impii autem replebuntur malo. Quomodo hoc verè poteſt dici, cum Chriſtus juſtus, & Rex omnium juſtorum contriſtatus fuerit? unde dicebat: triſtis eſt anima mea uſque ad mortem? tum quia flevit: ergo triſtatus eſt? ſed reſpondetur, quod triſtitia triplex invenitur: alia quæ eſt præter rationis imperium: alia eſt contra rationis imperium: alia ſubjecta rationi: prima eſt ex ſubreptione, & eſt actus primo primus: ſecunda eſt ſenſualitatis turbantis, & perturbantis intimum: tertia eſt rationabilis, quæ triſtatur ratione dictante tantùm, & taliter debere triſtari, & hæc fuit in Chriſto Jeſu, qui triſtatus eſt de noſtris peccatis, & malis. *L. 3. d. 15. a. 2. qu. 2. in Ecclen. c.* 7.

396. *Juſtus Dei voluntati conformis, nihil ſiniſtrum patitur: impii verò replentur omni malo.*

Non contriſtabit juſtum quicquid &c. Quomodò id verum eſt? nonne juſti in perſecutionum fluctibus, & tentationum agitantur? ſed attende quod omnes tribulationes, quæ voluntati Dei conformibus eveniunt, ſunt veluti accidentia quæ corpus tantùm non animam valent attingere: unde ſancti viri in auditione ſive temporalium, ſive ſpiritualium præliorum, imperterriti permanent, quia ea quæ ſunt in mundo non poſſunt nocere eis qui ſunt extra mundum; ſicut qui eſt in tabernaculo ſonum quidem tempeſtatis audit, flatum autem non ſentit. *In Luc. c. 21. v. 9. in Ioan. collat. 73. op. de ſeptem itiner. æternit. itin. 2. d. 5. ſer. 18. Hexam.*

397. *Ex contritione pullulat humiliatio.*

Mæror in corde viri, humiliabit illum. Nota connexionem inter contritionem, & humiliationem: nam ſicut ex humiliatione coram Deo gignitur contritio; ſic è converſo ex contritione humiliatio: nam ex conſideratione, & contritione peccatorum, quia pœnitens dolens de peccatis, libenter ſe Deo ſubdens, quem offendit, ſalubriter veniam impetrat; unde ſubdit: & ſermone bono lætificatur. *Ser. 4. Dom. 10. poſt Pentec. in Luc. Proœm. in Ioan. c. 16. v. 6. Pſal. 118. c. 1. v.* 9.

398. *Dilectio proximi quærit ipſi prodeſſe verbo, facto, & facultatibus.*

Qui negligit damnum propter amicum juſtus eſt; iter autem avari decipiet eum. Vide qualis differentia ſit inter verum amicum charitateque in proximum flagrantem, & avarum, fictumque amicum: Nam qui verè diligit proximum propter Deum, non ſolùm verbis & factis prodeſt ipſi; ſed & impendit ſuas facultates in proximi neceſſitatibus libenter: Et è contra, qui ſentit difficultatem, & mærorem in tali ſubventione computatur, eſt avarus, non largitor, nec amicus. *Op. de ſex alis Cher. & in Pſal. 118. c. 9. v. 9. & Pſal.* 84.

399. *Martyres antonomaſticè dicuntur juſti in ſacra ſcriptura, & quare.*

Qui negligit damnum propter amicum, juſtus eſt. Ergone juſtitia perfecta excipit, ut damnum negligatur propter amicum? nonne juſtitia eſt, quæ tribuit ſuum unicuique, non alienum? nonne tribuere propria amico potius eſt actus miſericordiæ

Google

cordiæ quàm juſtitiæ? ſed attende, quod loquitur hic textus de juſto perfecto, & perfectè omnes virtutes continente: & quis iſte juſtus antonomaſticè, niſi Martyr? Martyres enim pro Chriſto negligunt damnum rerum carnalium, & etiam propriorum corporum: *& hinc ſap. c.3. dicitur*: Juſtorum animæ in manu Dei ſunt; non dicit corpora, nec temporalia, quia iſta à martyribus contempta, derelicta in manus impiorum ſunt; animæ verò in manu, & protectione divinæ ſunt. *in Sap.c.3.in prin.*

490. *Rerum temporalium augmentum cum damno proximi Deique offenſa. ſunt medium inveniendi ruinam: è contra qui cum obſervantia divinorum praeceptorum ſua acquirit, ſtabilitatem invenit.*

Non inveniet fraudulentus lucrum ſuum; & ſubſtantia hominis erit auri pretium: in ſemita juſtitia vita: iter autem devium ducit ad mortem. Septuaginta legunt: non inveniet fraudulentus venationem ſuam, loquiturque de iis, qui accumulant divitias, honores, & lucra: quorum alii aſſequuntur damno proximi, & Dei offensâ, alii cum obſervantia præceptorum Dei, & per viam æquitatis ambulantes: primi ſunt veluti venatores, doloſè retia tendentes avibus ad aucupium nocturnum: iſtique ſunt doloſi mercatores, qui ædificant, vel exaltant domum propriam in ſanguinibus, ut ait *Abacuc.c.2.* id eſt dolo, uſurâ, furto; & de iſtis dicitur: non habet eventus ſordida præda bonos: ſic Ovidius: quia quærunt, & inveniunt ruinam animæ, & corporis: è contra, felix qui ambulat per viam juſtitiæ, & acquirit panem, bonaqua temporalia obſervantiâ mandatorum Dei, & ſina damno proximi. *Ser.2.in dedic. Eccleſia.*

CAP. XIII.

401. *Chriſtus filius Patris exemplar dedit imitandum à filiis.*

FILIUS ſapiens doctrina Patris, qui autem illuſor eſt, non audit cum arguitur. Hic ſapiens docet quid faciendum ſit à filiis in ordine ad parentes; debent enim exprimere doctrinam, & ſapientiam, quæ elucet in parentibus, ut ſint veluti imago viva virtutum patrum: & hoc ad exemplum Chriſti Jeſu, qui fuit lætitia cordis Patris, exprimens ipſius naturam, & perfectiones ſecundum divinitatem & quoad perfectiones matris. *Serm. 1. Dom. infra oct. Epiphan.*

402. *Chriſtus quomodo dicitur fructus oris, ſatians animam bonis.*

De fructu oris ſatiabitur homo bonis. Quis eſt iſte fructus oris? fructus oris ſunt verba: ſed commodo dicuntur replere poſſe hominem bonis? attende quod Chriſtus dicitur fructus oris, quia anima ipſius poſſeſſionem poteſt obtinere vi orationis, perceptione doctrinæ Chriſti, & abſtinentia gulæ, ſic enim talibus & mediis anima ſatiabitur omnibus bonis deſiderabilibus? quia poſſeſſionem ipſius Chriſti obtinebit. *Op. ſpecul.B.Virg.lec.17.& 18.*

403. *Chriſtus fructus oris, & ventris Mariæ Virginis.*

De fructu oris homo ſatiabitur bonis. Adverte, quod Chriſtus dicitur, non ſolùm fructus ventris Mariæ ſed & oris ejuſdem; quia per aſſenſum datum illis verbis: Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum; conceptus eſt in ejus utero: unde illud verbum, fiat, fuit prolatum ex radice charitatis, humilitatis & fidei: fiat mihi, ſcilicet non tantùm audibile, ſed & viſibile, & palpabile, & geſtabile, caro de carne mea, corporaliter inviſceratum. *In Luc. c. 1. v.38.* Nota, quod multi Doctores hic extollunt concurſum phiſicum inſtrumentarium, quem exhibuerunt verba Mariæ elevata à Spiritu ſancto ad attingendam incarnationem verbi. *Sic apud Vegam in ſua Theolog. Mariana, & Saavedram de conceptione.*

404. *Os ſapientium, & juſtorum totum reconditur in corde: os ſtultorum totum ad extra diffunditur.*

Qui cuſtodit os ſuum, cuſtodit à periculo animam ſuam: qui autem inconſideratus eſt ad loquendum, ſentiet mala. Textus hebræus legit: qui tegit os ſuum: vultqua dicere, quòd proprium eſt juſtorum tegere, & intus tenere os ſuum: ſtultorum verò foras diffundere: quomodò igitur intelligitur hæc abſconſio, & diffuſio oris? ſed hic datur intelligi diſcrimen inter locutiones juſtorum, & ſtultorum: nam juſti valde circumſpecti ſunt in loquendo; quia os eorum non profert niſi, quod cor eorum prius deliberavit benè eſſe loquendum; diſponuntque ſermones ſuos in judicio, conſiderantes quid, qualiter, & coram quo loqui debeant, ne aliis noceant, vel ſcandalizent, ne aliquid falſum admiſceant: è contra imprudentes cum aperiunt os ſuum effundunt totum, quod habent intus per ſtultitiam. *Op. de prof. relig.l.2.c.10.in Ecclen.c.3.*

405. *Piger quomodò dicitur velle, & non velle.*

Vult, & non vult piger: anima autem operantium impinguabitur. Quomodò poſſunt ſimul ſubſiſtere iſta duo contraria? ſi vult quomodò non vult? Reſpondetur, quod poteſt quis velle aliquid abſolutè, & ſimul velle aliud exiliter, & non plenariè: ut qui eſt in peccato mortali, excitatus ad pœnitentiam, vult permanere in peccato, & vult, vel vellet pœnitentiam; ſed quia pœnitentiam vult tantum ſemiplenè, & non efficaciter; ideo ut piger remanet in peccato, & ſic vivens, tandem damnatur: qui verò abſolutè vult bene operari, ad gratiam ſe diſponit. *L.2. d.28.a.1.qu.1.ad 4 & l.4.d.16.a.1. q.1. Pſal.118. c.11.v.15.in Luc.c.23.n.21.*

406. *Pigritiæ effectus expenduntur.*

Vult, & non vult piger. Sed quodnam malum eſt hoc? nonne libera eſt voluntas? Attende, quod ex anthiteſi hic poſita, dum ſubditur: anima autem operantium impinguabitur; dat intelligere

Digitized by Google

telligere quale malum ſit pigritia in Dei obſequio; nam ſicut ſemi expergefactus volvitur in lecto, partim occupatus à ſomno, & partim à vigilia, & numquam è lecto ſurgit, donec ſomnolentiam repellat; ſic piger, & accidioſus in Dei obſequio: vellet quidem ſurgere à peccato, ſed quia ejus voluntas eſt conditionata, exilis, & ſemiplena, ſic vivit dormiens in peccato: ex qua pigritia oritur tepiditas, mollities, ſomnolentia, otioſitas, dilatio pœnitentiæ, tarditas, negligentia, remiſſio, diſſolutio, ignavia, indevotio, triſtitia; imperſeverantia, tædium vitæ; & tandem deſperatio: ó quam ſtultum vivere in hac ſomnolentiâ, & pigritiâ: onde clamat Apoſtolus: fratres hora eſt jam nos de ſumno ſurgere: quaſi dicat: quid ultra dormitis quid negligitis; quid ultra utilitatis expectatis? operamini dum dies eſt; quia anima operantium, & ſollicitorum bonis impinguabitur. *Op. Dict. tit. 1. c. 7. ſer. S. Petri ad vincula; & aliis locis ſupra citatis.*

407. *Contritio & confeſſio cuſtodit animam in innocentiâ, & præſervat à peccato: omiſſio reddit maculatam.*

Iuſtitia cuſtodit innocentis viam: impietas autem peccatorem ſupplantat. Quænam juſtitia eſt hæc, quæ cuſtodit viam innocentis? Nota, quòd agitur hic de operibus juſtitiæ, quæ ſunt contritio, & confeſſio: iſtæ enim præſervando à peccatis perſeverare faciunt juſtum in ſtatu innocentiæ: qui autem hos actus omittit, & perſeverat in peccatis, de peccato in peccatum præcipitat uſque ad interitum *Pſal. 118. c. 5. v. 3. C. 3. v. 1. & c. 10. v. 2.* Ex his patet quàm utilis, & neceſſaria ſi frequentia confeſſionis volenti tendere ad perfectionem chriſtianam.

408. *Quinam dives pauper, & quis pauper dives.*

Eſt quaſi dives cum nihil habeat: & quaſi pauper cum in multis divitiis ſit. Quid eſt hoc, quod dicit ſapiens? poſſuntne ſimul ſubſiſtere iſta oppoſita? ſed attende, quod loquitur hic de veris pauperibus ſpiritu; datque intelligere, quod inter iſtos adnumerari debent etiam divites, qui in nimia opulentia non confidunt, nec ab affectione nimia divitiarum faſcinantur: è contra, ſi quis verè eſt pauper nimis confidens, & affectum nimium in paucis rebus quas habet ponens; iſte eſt pauper dives, non verè pauper ſpiritu. *in Luc. c. 14. v. 21.*

409. *Divitiæ benè utentibus, quantum proſunt.*

Redemptio animæ viri, divitiæ ſuæ: qui autem pauper eſt, increpationem non ſuſtinet. Si hoc verum eſt, ergo divitiæ de ſe ſunt malæ; dicente ſapiente: *Eccleſ. c. 5.* divitiæ non proſunt poſſeſſori? ſed reſpondetur, quod divitiæ de ſe non ſunt vel bonæ, vel malæ, ſed tantùm in ordine ad utentes: nam malè utenti ſunt malæ: benè utenti verò bonæ, & utiles, ideſt diſtribuendo eas in opera pietatis: valent enim ad redemptionem culpæ, ad augmentum gratiæ; item ad adeptionem gloriæ: & ideo ratione mali uſus melius eſt eſſe pauper, quam dives. *In Eccleſ. c. 5.* Dicit igitur ſacer textus, *redemptio animæ viri, divitiæ*; q. d. Redime te, & animam tuam à debitis per miſericordiam, dum vivis, dum potes, ne dum mors amara te prævenerit, & vitam ſimul & pretium perdas. *Ser. 1. de SS. Sim. & Iuda in addit.*

410. *Quomodò actio exterior ſuperaddat aliquid meriti ad interiorem intentionem.*

Redemptio animæ viri, divitiæ ſuæ; qui autem pauper eſt, increpationem non ſuſtinebit. Ingerit hic textus difficultatem, dum docet, quod dives poteſt, erogando ſuas divitias pauperibus, redimere animam ſuam à peccato; quòd non facere poteſt pauper; & tamen Chriſtus dixit de illa paupercula, quod plus omnibus miſit in gazophilatium, erogando duo tantùm minuta? ſed attende, quòd hoc intelligendum eſt de recta intentione pari, ad quam ſuperadditur major quantitas erogata à divite cum eadem intentione: tunc enim facilius poteſt redimere animam ſuam à peccatis dives, quam pauper: licet ex oppoſito poſſit pauper excedere in intenſione intentionis exemplo viduæ pauperculæ: quod tamen non eſt intelligendum de merito condigno, debito intentionibus paribus; quia in hoc æquales ſunt ſed quoad diſpoſitionem, ad perfectionem paupertatis. *L. 2. d. 40. a. 2. qu. 2.*

411. *Chriſtus lux vera juſtos mirabiliter illuminans in hac, & in alia vita: impii in tenebris remanent.*

Lux juſtorum lætificat: lucerna autem impiorum extinguetur. Quænam eſt hæc lux lætitiam afferens juſtis. Nota quod expoſitores non pauci aſſerunt, ſapientem hic loqui de bona fama orta ex virtuoſis operibus: hæc enim lætificat, quia ſemper durat, & augetur: è contra fama impiorum extinguitur, & tranſit in perpetuam ignominiam: ſed tamen aptius exponitur hoc de Chriſto, qui eſt eſſentialiter lux, & juſtis eſt lux vera illuminans mentem, & ſimul lætitiam admirabilem animæ afferens: e contra, peccatum extinguit omnem lucem impiorum, & in tenebris remanere ſinit: licet enim iſta lux divina ſit eis præſens, tamen eam, ut cæci non comprehendunt. *In Ioan. c. 1. v. 5. & collat. 4.*

412. *Diſcordiæ Mater eſt Superbia.*

Inter ſuperbos ſemper jurgia ſunt: qui autem omnia agunt cum conſilio, reguntur ſapientiâ. Vide qualis ſit radix, & mater diſcordiæ; eſt enim ſuperbia, ex qua oritur ſemper diſcordia; quia ſuperbi cum nullo poſſunt pacificè cohabitare: Hinc S. Pater Franciſcus in regulâ præcipit ſuis fratribus exercitium humilitatis ad conterendam diſcordiam, eliminandamque ab ipſis. *In Luc. c. 9. v. 5 in Ioan. c. 7. v. 4. Op. expoſit. regul. c. 10.*

413. *Dæmones, ſuperbique omnes contra proximum dirigunt omnem induſtriam, etiam contra propriam inclinationem.*

Inter ſuperbos ſemper jurgia ſunt. Si hoc eſt verum, ergo maximè etiam inter dæmones, quorum ſuperbia inviſcerata eſt in ipſis? & ſi hoc, quomodò inducuntur ad obediendum majoribus? Sed reſpondetur quod ſuperbia eſt radix venenoſa omnes actus inficiens; & ideo licèt ſuperbi ſint, præſumptuoſi, odiumque ad invicem gerant, tamen ad aliorum, & hominum damnum libenter ſe ſe ſubjiciunt, non propter amore m humilitatis, ſed ob invidiam, & odium majus in inimicos: ſic Dæmones ſuperbiſſimi exercent inter ſe ſe prælationem ad majus damnum hominum. *L.2.d.6.a.2.qu.2. Pſal.*118. *c.2.v.* 5.*& c.*4. *v.*3.

414. *Spes juſtis, licet ſit cum aliqua afflictione in hac vitâ, in alta tamen portat plenitudinem omnis boni.*

Spes, quæ differtur, affligit animam: lignum vitæ deſiderium veniens. Vide quales effectus producit in anima juſtorum ſpes de obtinenda beatitudine: nam licèt dilata afferat quandam afflictionem, tamen cum ad terminum pervenit, eo majorem voluptatem, & gaudium pro conſecutione præmii diu expectati confert: hincque patet quàm felices ſint animæ beatæ in Cælo, quæ licet expectent reſurrectionem corporum, tamen quia jam perfruuntur in Cælo gloriâ optatâ, fructum ſpei etiam ſentiunt. *L.*3.*d.* 31. *a.*2. *qu.*2.*l.* 4.*d.*21. *p.*1.*a.*3.*qu.*2.

415. *Lex Dei vitam ſpiritualem dirigit; & omne bonum confert.*

Lex ſapientis fons vitæ, ut declinet à ruinâ mortis. Ecce quomodò Deus, ut reſtitueret ex parte immortalitatem, & innocentiam homini, per Adæ peccatum ablatam, dedit nobis legem, eamque obſervandam propoſuit, & præcepit. Lex enim, non ſolùm ligat hominem in iis, quæ ad ſalutem ſpectant; ſed etiam dirigit hominem quoad vitam interiorem, exteriorem, & ſuperiorem, ut ad poſſeſſionem immortalitatis, & beatitudinis perveniat. *Pſal.* 118. *c.* 10. *v.* 9.*& c.*7. *v.*13.

416. *Quare per Gabrielem Arcangelum Deus annunciaverit incarnationem.*

Nuncius impii cadet in malum: legatus autem fidelis, ſanitas. Quàm vera ſit hæc ſententia, patet ex eo quod Diabolus, nuncius impiiſſimus, per ſuggeſtionem factam Euæ, ruinam attulit Mundo: ad cujus reparationem ideo Deus miſit Arcangelum Gabrielem B. Virgini, ut annunciaret Incarnationem Verbi, ut reſponderet lapſui reparatio; nempe ſicut homo lapſus eſt per ſuggeſtionem mali Angeli, ſic reſurgeret per miniſterium boni. *In luc.c.*1.*v.*26. Notant etiam expoſitores in hoc textu fructus varios, qui oriuntur ex infidelitate, & fidelitate nunciorum, qui à Principibus mittuntur ad ſuas legationes.

417. *Diſciplina, & obedientiæ cuſtodia juventuti affert gloriam: ignominiam & egeſtatem inobedientia.*

Egeſtas, & ignominia ei qui deſerit diſciplinam: qui autem acquieſcit arguenti glorificabitur. Hæc verba maximè diriguntur juvenibus, ut ipſis innoteſcat qualem cuſtodiam, diſciplinamque obſervàre teneantur, & obedientiæ debitæ parentibus fructus; iis enim, qui verè diſciplinati ſunt, & obedientes, promittitur gloria, honor, & abundantia rerum: Indiſciplinatis verò remanet ignominia, & egeſtas, ut expertus eſt Filius prodigus., & hoc juſto Dei judicio, quia qui theſauros ſapientiæ, & ſcientiæ Dei divitiarumque cæleſtium altitudinem derelinquit, meritò in ignominiam & egeſtatem incidit; quia omnis locus, abſente Patre, penuria, & ignominia eſt. *In Luc.c.*15.*v.*14.

418. *Sapientum Societas ſectanda à juvenibus.*

Qui cum ſapientibus graditur, ſapiens erit: amicus ſtultorum ſimilis efficitur. Ecce quid facit ſocietas bonorum, & malorum: qui enim cum ſapientibus converſationem ſuam exercet, ſapiens erit: & qui cum impiis, impius efficitur. Hoc maximè advertant Juvenes ſtudioſi. *In Luc. c.*2. *v.*46.*& c.*7.*v.*11.

419. *Qualia opera noſtra erant: talis erit etiam retributio non ſolum in alia; ſed etiam in hac vitâ.*

Peccatores perſequitur malum: & juſti retribuentur bona. Vide quàm ſit verum id, quod alibi dicitur: qui bona egerunt, in reſurrectionem vitæ; qui verò mala in ignem æternum; ibunt inquam, non ſolùm in altera vita, ſed etiam in hac; quia qualia erunt opera noſtra, talis erit retributio: nam malum, & peccatum perſequitur, & punit peccatores, etiam in hac vita; & bonum opus à Deo remuneratur in juſtis. *Pſ.*118. *c.*2.*v.*1.

420. *Pietas opes firmat in domo juſtorum: impietas eas ad juſtos tranſire facit.*

Bonus relinquit heredes filios, & nepotes: & cuſtoditur juſto ſubſtantia peccatoris. Ecce quid ſtabilire facit, & firmate divitias in familia nempe pietas, & juſtitia: nam Deus eas tranſire facit ad filios, & nepotes, quando erunt acquiſitæ ex juſtitia, & obſervantiâ mandatorum Dei: è contra, opes ex injuſtitia partæ, juſto Dei judicio tranſeunt tandem ad juſtos & eos, qui pro ipſis non laboraverint; quod paſſim experientiâ continuâ videtur. *in Ecclen.c.*2.*& c.*6. *in ſap.c.*10.

421. *Punitio malorum, maximè in patribus erga filios, quàm neceſſaria.*

Qui parcit virgæ odit filium: qui autem diligit eum inſtanter erudit illum. Hic reprehenduntur ſuperiores, & Parentes, qui deſides ſunt in correctione ſubditorum, & filiorum etiam ſub ſpecie pietatis: qui enim parcit virgæ, ideſt correctioni, etiam ſub ſpecie pietatis, odit filium, ſcilicet animam ejus ad interitum immittit: qui

autem

autem diligit illum, inſtanter erudit ſeu, ut legunt 70. quærit caſtigationem. *Op. de ſex alis Seraph. c. 7.*

422. *Abſtinentiæ, & guloſitatis effectus expenduntur.*

Iuſtus comedit, & replet animam ſuam: venter autem impiorum inſatiabilis. Ecce quales effectus gignit abſtinentia juſtorum, & guloſorum voracitas: nam juſti paucis contenti, facilè ſaturantur; ſed guloſi torquentur fame canina, quæ nunquam poteſt ſaturari. *Op. Diet. tit. 1. cap. 8.*

423. *Iuſtorum viſcera replentur à Deo omnibus bonis: viſcera autem avarorum, & impiorum non poſſunt ſaturari.*

Iuſtus comedit, & replet, &c. Nota quod hic loquitur de felicitate juſtorum, qui replentur bonis ſpiritualibus à Deo, & in deliciis vitam degunt: E contra avarorum, & impiorum appetitus nunquam poteſt ſaturari, ſed tabe, & fame torquentur. *In Luc. c. 1. verſ. 53. & cap. 9. verſ. 17.*

424. *Euchariſtiæ ſumptionis effectus mirabiles expenduntur.*

Iuſtus comedit, & replet animam ſuam: venter autem impiorum inſatiabilis. Hoc poteſt exponi de manducantibus panem vitæ dignè & ſanctè: ubi notanda eſt differentia inter juſtos, & impios: nam de juſtis comedentibus, dicitur: quod ſatiantur bonis, non mentionem faciens de ventre: de impiis verò mentionem facit de ventre eorum inſatiabili; & quare hoc? Niſi quia diviniſſima Euchariſtia, habens in ſe omne delectamentum etiam omnes ſenſus animæ attingit, & bonis replet: ſenſum enim viſus ſpiritualis excitat ad experiendum æternorum contemplationem: ſenſum auditus ſpiritualis ad experiendum æternorum auditionem: ſenſum olfactus ad æternorum olfactionem: ſenſum tactus ſpiritualis ad experiendum æternorum tentionem: ſenſum guſtus ad experiendum æternorum prælibationem. Attingit igitur omnes ſenſus interiores in tantum, ut in omnibus ipſum manducantibus Chriſtus manet & ipſi in Chriſto, ut non moriantur in æternum, ſed in æternitate vivant, & maneant: E contra, impii fame attenuantur, quia anima eorum nulla interiori ſibi refectione reficitur & fames interna ſenſus mentis extenuat: ideoque foris ſe extendunt ad temporalia, ſpretis æternis; & hinc venter eorum inſatiabilis eſt. *Op. de ſeptem itin. itin. 6. d. 6.*

CAPUT XIV.

425. *Mulieris proprium eſt cuſtodire, & regere domum, & familiam: viri eſt exteriùs operari.*

SAPIENS *mulier ædificat domum: inſipiens etiam manibus extructam deſtruit.* Vide quale diſcrimen inter prudentem mulierem & imprudentem: ſed dum dicit: Mulier ſapiens ædificat domum: ergo ſpectat ad mulierem ædificare, & fabricare domum: quod proprium eſt artificis? ſed quia hic eſt ſermo de muliere ſapiente, & provida circa munus ſuum; hinc transfer mentem ad illud, quod *Gen. c. 2.* dicitur: & ædificavit coſtam in mulierem: Quid eſt ædificavit? ergo mulier ædificata eſt, ut domus? maximè; ut ſcias quod ſicuti ad viros ſpectat exteriora negotiari, ſic proprium mulieris eſt veluti domum ſe exhibere, in domo manere, & regere, gubernatéque domum, & familiam: viri verò ad exteriora ſe extendere: quia mulier prudens, veluti in quadam ſchola Philoſophiæ domi ſedere debet, intellectum congregare in ſe ipſam, orationibus intendere & lectionibus, & gubernationi filiorum, & familiæ: ſicque ædificabit, & conſervabit domum: è contra inſipiens extructam, manibus, & operibus ſuis malis deſtruit. *in Ioan. c. 11. v. 20. Pſal. 118. v. 152. op. Bibli. paup. c. 123. ad 126. & in Luc. c. 15. v. 8. & ſerm. 1. de S. Anton. in addit.*

426. *Per Mariam ædificata Eccleſia à ſapientia divina.*

Sapiens Mulier ædificat domum, &c. Si hæc domus eſt Eccleſia, ut DD. plures exponunt, quænam eſt hæc tam ſapiens mulier ipſam ædificans? Hæc eſt Beata Virgo piiſſima, & fortis, per quam Chriſtus ædificavit & ampliavit Eccleſiam. *in Luc. c. 15. v. 8.*

427. *Homo ſapiens ædificat propriam domum in habitationem Chriſti.*

Sapiens Mulier ædificat domum, &c. Hoc etiam dicitur de anima ſapiente quæ per gratiam Dei ædificat ſuum cor in habitaculum Spiritus ſancti: in hanc domum venit Chriſtus, & docet, & colloquitur nobiſcum. *In Ioan. c. 1. v. 40.*

428. *Iuſti à Deo dilecti ab impiis deſpecti.*

Ambulans recto itinere, & timens Deum deſpicitur ab eo, qui infami graditur via. Hæc ſententia continet manifeſtiſſimam veritatem: ſicut enim diſſimilitudo vitæ, ut plurimùm importat diſſimilitudinem viæ: ſic ſemper ſpirituales, & colentes Deum deridentur, & deſpiciuntur ab amatoribus mundi. *in Luc. c. 9. v. 53.*

429. *Detractoris lingua eſt veluti virgula magorum, transformationem faciens.*

In ore ſtulti virga ſuperbiæ: labia autem ſapientum cuſtodiunt eos. Quomodò in ore ſtulti eſt vir-

ga ſuperbiæ? quæ eſt hæc virga quæ potius in manibus tenetur, non in ore? ſed advertendum, quod metaphora eſt pulcherrima: nam hic loquitur de ſtulto, qui propriè eſt impius, & detractor: ſtultus enim in texu Hebræo eſt idem ac impius, apoſtata, & detractor, ut aliàs obſervatum eſt: datque intelligere, quod lingua detractoris eſt veluti virga, & fuſtis, qua utitur ad percutiendum, & feriendum alios: ſed Theodotion legit ex Græco in ore ſtulti virgula injuriæ: alluditque ad virgulas, quibus utuntur magi ad incantationes ſuas, quibus metamorphoſes, & alia mirabilia operantur: ſic legitur de Circe, quæ tali virgulâ transformabat apparenter homines in beſtias: datque intelligere, quod lingua detractorum, veluti inſtrumentum diaboli, præſtigia, & transformationes facit, quibus res, & perſonas in eas, quas vult formas, verſat, & hinc advertit S. Doctor Prælatos ut caveant ab iſtis linguis detractorum, quia ſuperſtitionibus, detractionibus, dolis, & mendaciis conantur ſubvertere eos, & inducere ad credendum bonum malum, & malum bonum *Op. de ſex alis Seraph. c. 7.* Et ſicut diabolus per tales virgulas operatur talia monſtra, ſic & per linguas detractorum loquitur detractoria verba, & ſcurrilia, & carnalia: in ore autem ſapientum operatur, & loquitur Spiritus ſanctus verba manſueta, & pacifica. *Ser. 11. in Pentec.*

430. *Prælatorum, & Prædicatorum ignavia quàm noxia Eccleſiæ maximè in defectu prædicationis.*

Ubi non ſunt boves, præſepe vacuum eſt: ubi autem plurimæ ſegetes, ibi manifeſta eſt fortitudo boum. Utitur hac metaphora Spiritus ſanctus in gratiam Prædicatorum, Doctorum, & Prælatorum; datque intelligere, quod ſicut in agriculturâ materiali, ubi non ſunt boves arantes, & laborantes, ibi eſt penuria cibi: vice verſa, ubi ſunt boves laborantes, ibi colligitur copia ſegetum: ſic in agriculturâ ſpirituali; nam per boves intelliguntur Prælati, Doctores, & prædicatores quibus incumbit onus ſtudendi S. ſcripturæ, ipſam ſubditis explicandi; & ideo ubi non ſunt tales boves laborantes, ibi terra inculta, vacans, & otians; unde ſubditi, & fideles tunc fame verbi Dei moriuntur: E contra, ubi adeſt agricultura bene exculta, ibi copioſus fructus colligitur. *in Luc. c. 2. v. 46. ſic Beda, Ugo, & alii Doct.*

431. *Ex abundantia cordis os loquitur vel bonum, vel malum.*

Teſtis fidelis non mentietur: profert autem mendacium doloſus teſtis. Hic textus eſt facilis, dat enim intelligere, quod qui fidelis eſt, ideſt cujus cor eſt mundum, & fidele, etiam verba ſunt talia: & cujus cor eſt infidele, & perverſum, etiam verba ſimilia profert, quia ut ait Chriſtus: ex abundantia cordis, os loquitur. *In Luc. c. 6. v. 47. in Ioan. c. 5. v. 33.*

432. *Qui malè quærit Chriſtum ipſiuſque veritates non invenit: E contra, qui bene quærit, invenit quod quærit.*

Quærit deriſor ſapientiam & non invenit: doctrina prudentium facilis. Vide qualiter quærendus eſt Chriſtus, Sapientia Patris; ideſt non joco, non lentè, non doloſè, & deriſoriè, non malo vel temporali fine: alioquin quæres ipſum, & non invenies: è contra, qui ſtudio, labore, ſancto fine prudenterque quærit invenit quod deſiderat. *In Luc. c. 9. v. 9.* De primis verè dicitur: quod quærentes Jeſum, ut Herodes, perdunt Jeſum: de ſecundis: quod quærentes Jeſum, ut Magi, inveniunt feliciter Jeſum.

433. *Compunctio, & contritio mare, ſeu balneum amarum eſt; dulcedinem immenſam animæ afferens.*

Cor, quod novit amaritudinem animæ ſuæ, in gaudio ejus non miſcebitur extraneus. Quomodò intermiſcetur gaudium cum amaritudine cordis? quomodò ſimul ſubſiſtere poſſunt? ſed nota quod loquitur de corde contrito, & compuncto, & præ devotione foras emittente lachrymas, hoc inquam eſt veluti mare, vel balneum plenum aqua amara S. contritione, in quo anima natans repletur dulcedine, qua non poteſt eſſe particeps qui tali via non graditur ad tale gaudium poſſidendum. *Op. Diet. tit. 7. c. 3.* Nota autem, quod non ſunt incompoſſibilia dolor, & gaudium: nam dolor eſt de culpa commiſſa, & gaudium eſt de pœnitentiâ voluntariè pro Chriſto aſſumpta, & effectibus ex tali pœnitentiâ, & dolore conſequentibus. *L. 4. d. 16. p. 1. dub. 10. in Ioan. c. 7. v. 14. in Ecclen. c. 3.*

434. *Juſti per rectam viam, impii per obliquam, ad modum vulpis, tortuoſam incedunt.*

Eſt via, quæ videtur homini recta: ſed noviſſima ejus ducunt ad mortem. Ecce quomodò ſapiens monet nos itinerantes in viâ vitæ mortalis, ne decipiamur in hoc itinere; & ideo advertit, quod adſunt viæ variæ quæ videntur prima facie rectæ & tamen in progreſſu inveniuntur tortuoſæ, & terminantes ad perditionem; taleque eſt iter illorum, qui ſimiles vulpi ſunt, quæ nunquam rectè vadit, ſed ſemper tortuoſis greſſibus incedit: ſic iſti, deſerentes viam rectam divinorum mandatorum, ſe divertunt per diverticula vitiorum, & vanitatem ſæculi, quorum finis, & terminus eſt mors, perditioque æterna. *Ser. 2. de S. Antonio Pat. in Thren. c. 1. op. de 4. virt. Cardin.*

435. *In juſtis dolor riſum præcedit, & in gaudium terminat: in impiis riſus dolorem; & in dolorem ſempiternum terminat.*

Riſus dolore miſcebitur; & extrema gaudii luctus occupat. Ergone omnis riſus? nonne dicitur de juſtis, quod ipſi poſt luctum conſolabuntur? ſed attende, quod hic primo loco ponitur riſus, & ſecundo dolor; quia loquitur de riſu impiorum, qui in hac vitâ rident deliciando; nam talem riſum conſequitur dolor perpetuus: riſus autem, quia præceditur à fletu in juſtis, erit perpetuus: & hinc Salomon *in Ecclen. c. 3. ait:* tempus flendi primo loco, quia iſta vita eſt tempus flendi, & pœnitentiæ, & poſtea in aliâ vita erit tempus ridendi, & gaudendi *In Luc. 6. v. 25.*

436. Delecta

436. *Delectationes carnales ſemper amaritudo conſequitur.*

Riſus dolore miſcebitur: & extrema gaudii luctus occupat. O quàm verum eſt hoc dictum; nam amaritudo ſemper conſequitur delectationem carnalem, cum ſit fundata in Dei offenſa, & vanitate: & de iſtis dicitur *Ioan. c. 2.* quod primùm bonum vinum bibunt in hac vita; ſed in inferno bibunt id quod deterius, & amariſſimum eſt. *In Ioan collat. 12.*

437. *Gaudium mundanum vanum, & breviſſimum: Gaudium Spirituale verum, & durabile.*

Extrema gaudii luctus occupat. Cur luctus occupat extrema gaudii? quia riſus, & gaudium mundanum mixtum eſt amaritudine, nec eſt verum, ſed vanum; & apparens; & ideo ablata apparentia extrinſeca, non apparet niſi luctus, dolor, & afflictio: E contra gaudium ſpirituale, licet videatur mixtum dolore, & pœnalitate; quia pœna eſt tantum apparens, & tranſitoria, ideo purum, verum, ſtabile, & durabile eſt. *In Luc. c. 10. v. 20. c. 16. v. 26. & c. 19. v. 40. in Ioan. c. 12. v. 13. & c. 17. v. 14. & op. de dono timo. c. 4. & ſoliloq. c. 2. comp. Theol. l. 5. c. 10. Pſal. 33.*

438. *Delectatio mundana eſt tantùm exterior: divina interior.*

Riſus dolore miſcebitur: & extrema gaudii &c. Nota, quod hic cum riſu miſcetur dolor: riſus eſt quid exterius: dolor quid interius: ut videas, quod delectatio mundana habet dulcedinem tantùm extrinſecam, ſed verum dolorem intrinſecum: è contra delectatio ſpiritualis, licèt exterius videatur aſſociata cum amaritudine; tamen gaudium verum internum generat. *In Ecclen. c. 2.*

439. *In hoc Mundo continuè fit proceſſio, ut in die Palmarum.*

Riſus dolore miſcebitur & extrema gaudii &c. Adverte hæc ultima verba, extrema gaudii; ſi extremũ gaudii eſt mixtum amaritudine, & fletu; ergo non eſt gaudium? ſed attendendum eſt adhũc ordinem: primò enim ponit riſum, & gaudium, & ſecundò fletum, & amaritudinem; ut innoteſcat quod vita hæc præſens variis amaritudinibus ſemper eſt reſperſa, & quod poſt lætitiam, conſequitur paſſio: & in hujus rei ſignum, in Dominica Palmarum primo fit proceſſio palmarum cum lætitia, & inde conſequitur paſſio; quod ad inſtructionem noſtram expertus eſt ipſe Chriſtus; & continuâ experientiâ patet. *Pſal. 29. in Ioan. c. 12. v. 14.*

Ritus Eccleſiæ diei Palmarum.

440. *Temporalia bona, & delectationes Mundi plus cruciant, quàm delectent: Spiritualia delectant in deſiderio, & in poſſeſſione.*

Viis ſuis replebitur impius; & ſuper eum erit vir bonus. Quomodo dicitur, quod ſtultus repletur viis ſuis? poſſuntne viæ, ſeu itinera replere? ſed attende, quod hic loquitur de ſtudio impiorum in quo laborant pro obtinendis divitiis, voluptatibus, & deliciis mundanis: datque intelligere diſcrimen inter bona temporalia, & ſpiritualia: nam illa nec ſatiant, nec ſatiare poſſunt, ſed potius cruciant, & dum optantur, & dum habentur; hinc dicitur, quod ſtultus; ſcilicet impius repletur viis ſuis, ſcilicet laboribus inutilibus: è contra, juſtus ſuper eum erit: ideſt verè fruitur bonis ſpiritualibus; imo deſideria, & labores ipſorum Deum amantium, nullo modo ſunt oneroſi; ſed dulces, & delectabiles: in eo enim, quod amatur, aut non laboratur, aut amatur labor. *l. 4. d. 20. p. 1. a. 1. qu. 2. in Luc. c. 15. v. 16. Op. de dono ſap. c. 8.* Et hinc in textu hebræo legit Caera: & in; foliis ſuis juſtus ſaturatur; ſcilicet non ſolum fructibus, ſed & foliis, ideſt deſideriis, & laboribus; quia juſtis omnia cooperantur in bonum.

441. *Impatientia, & ira reddit hominem, maximè Prælatum aliis, & ſubditis contemptibilem, & odioſum.*

Impatiens operabitur ſtultitiam & vir verſutus odioſus eſt. Hæc verba conferenda ſunt textui infra poſito ad v. 19. ubi dicitur, quod vir impatiens exaltat ſtultitiam ſuam: per quæ datur intelligi quale malum ſit impatientia, & ira, maximè in Prælatis, hæc enim reddit hominem aliis, maximè ſubditis exoſum, & contemptibilem: Addit, & vir verſutus odioſus eſt: ſcilicet vir, qui ex malitiâ iram diſſimulat, & apud ſe tacitus de vindicta agit; hic eſt peior primo. *Op. de ſex alis Seraph. c. 5.*

442. *Sapientes Mundi ſunt veluti parvuli, & ignorantes: Sapientes cæli ſunt verè docti.*

Poſſidebunt parvuli ſtultitiam, & expectabunt aſtuti ſcientiam. Legit textus hebræus: ſimplices hæreditate acceperunt ſtultitiam, & callidi imponent ſibi coronam ſcientiam, vel coronabunt ſe ſcientiâ: qui ſunt iſti ſimplices, & parvuli, qui hæreditant ſtultitiam? nonne ſimplicitas ſæpe laudatur in ſacra ſcriptura. Sed nota quod hic ſimplicitas, & nomen parvuli ſumitur in malum, & aſtutia in bonum; ſcilicet prudentia, quæ eſt aſtutia virtuoſa: in prima parte igitur ſemper agit de doctis hujus mundi, & dicuntur veluti parvuli abecedarii, ſeu elementarii, qui in libro univerſitatis creaturarum, quæ ſunt veluti litteræ hujus libri, admirantur, & ſtupent, ſenſum autem earum, ideſt Dei potentiam, ſapientiam, bonitatem, & alia attributa omnino non capiunt: E contra, qui prudentiæ, & diſciplinæ Chriſtianæ ſtudent, obtinebunt veram ſcientiam, quod veriſſimum eſt: dat igitur intelligere, quod illi ſunt vere docti, qui in creaturis addiſcunt Dei attributa, & amore in ipſum accenduntur: è contra, ſapientes Mundi permanent in ſua puerili ſtultitia, & ignorantiâ; quia cum cætera ſciant ſeipſos, & Deum ignorant. *Op. Diet. ſal. tit. 6. c. 3. ſic & Ugo Card.*

443. *Impii in hac vitâ deſpiciunt pauperes juſtos : in alia ad ipſos confugient, opem ab iis implorantes.*

Iacebunt mali ante bonos , & impii ante portas juſtorum. Hebræus, & Chaldæus legit : Incurvati ſunt mali ante bonos : & impii colent portas juſtorum. Ecce quomodo fit alterna mutatio , ut dixit Abraham diviti damnato: Nunc autem Lazarus conſolatur , tu verò cruciaris : nam veriſſimum eſt , quod potentes impii , qui in hac vitâ juſtos pauperes perſequuntur , eos odio habent, maleque tractant : in aliâ ad ipſos pro ope confugient, eos honorabunt, imo ante portas eorum corruent, ipſos colentes, ut patet in divite, & Lazaro *In Luc. c.16.v.24. Et hinc in ſapientiâ c.5. dicitur :* ſtabunt juſti in magna conſtantiâ ; ſcilicet illi, qui in hac vitâ videbantur cadere , & jacere in ſterquilinio dedecoris , & malorum , ſtabunt exaltati ad ſublimitatem omnium bonorum : E contra , impii , qui videntur nunc ſtare, tunc jacebunt , & cadent in ſterquilinium miſeriarum. *In ſap. c.5. in prin.* Et hoc etiam ad gloriam virtutis , & ſanctitatis videmus continuè in hoc Mundo , videntes , inquam Principes , & magnates , proſtratos ad pedes pauperum juſtorum , idiotarum , petentes ſuffragia rationum.

444. *In Mundo Potentes, & divites habent multos amicos , & Fratres : & Pauperes deſpecti , & odioſi ſunt etiam ſuis amicis, & conſanguineis : In alia vitâ è contrario.*

Etiam proximo ſuo pauper erit odioſus : amici autem divitum multi. Hoc quàm verum ſit , patet experientiâ ; nam quia charitas refrigeſcit , ideo mundus honorat , & in Mundo coluntur , & aſſociantur divites : E contra pauperes etiam proximi , & conſanguinei contemnuntur , deſeruntur , & apud omnes abominabiles redduntur. Hoc patet exemplo divitis , & Lazari mendici; illum enim omnes honorabant, iſtum omnes deſeruerant : ſed tamen in altera vita facta eſt alterna mutatio. *Ser.1. Dom.24. poſt Pentec. in Luc. c.16.v.19. ſeq.*

445. *Pauperes Deo , & Sanctis exoſi : Divites dilecti.*

Etiam proximo ſuo pauper odioſus erit : amici autem divitum multi. Nota , quod hoc etiam verificatur in diverſo ſenſu à ſupra allato: & facienda eſt vis in illa particula (etiam) per quam datur intelligi , quod pauper odioſus eſt , non ſolum próximo , ſed & fratribus , & amicis , aliiſque. Sed quomodò verificatur univerſaliter hoc dictum , cum Deus ſuper pauperem intelligat , & ipſum protegat ? Hoc intelligendum eſt ſpiritualiter de paupere virtutibus , & operibus bonis : iſte enim exoſus eſt proximo, ideſt Chriſto , Sanctis , & Angelis ; & ideo contra iſtos Diabolus eſt veluti Leo crudeliſſimus : E contra, dives virtutibus , & operibus bonis eſt Deo, & Angelis , ſanctiſque dilectus. *Ser. 2. Dom. 3. poſt oct. Paſche.*

446 *Felicitas miſerentium proximo , & pauperibus : infelicitas deſpicientium expenditur.*

Qui deſpicit proximum ſuum peccat : qui autem miſeretur pauperis , beatus erit. Vide ex hoc textu, quod Deus non vult acceptationem perſonarum , præcepit enim , ut omnes homines indiſcriminatim diligantur , & divites , & pauperes; ideo dicit : qui deſpicit proximum ; quia omnis homo eſt noſter proximus : Sed tamen cum hac univerſalitate vult , ut miſericordia exhibeatur pauperibus , & miſeris ; & qui id facit , beatus erit : dixit enim Chriſtus : beati miſericordes; cur beati ? quia ipſorum miſerebitur Deus: ergo à contrario ſenſu , immiſericordes erunt miſeri : ergo qui deſpiciunt pauperes , abominantur inopes, affligunt humiles , perſequuntur debiles, digni ſunt , ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ipſorum , & demergantur in profundum maris. *Ser.2. in feſto omn. ſanctor.*

447. *Omnis peccans eſt ignarus, maximè qui cum offenſa Dei vult ditari : ſapiens vero omnis recedens à malo , & faciens bonum.*

Errant , qui operantur malum : miſericordia, & veritas præparant bona. Cur dicitur , quod , qui peccat , errat ? nonne hoc veriſſimum eſt etiam lumine naturali ? ſed adverte , quod id profert facer textus , ut homines caveant à laqueis diaboli qui ſemper ſub ſpecie boni proponit malum, ut fecit cum Eva : quia nemo reſpiciens ad malum, malum operatur : caveat igitur homo inſidias , & fraudes diaboli , ne ſeducatur, & hoc maximè inhians ad congregandum divitias : talis enim errat valde , vel ut legit textus hebræus arat ; ideſt in vanum laborat , & deſudat: & è contra , miſericordia , & veritas præparant bona , ſcilicet qui juſtitiam , & miſericordiam exercet , veras divitias aggregat , & theſaurum indeficientem ſibi præparat. *Ser.1. Hexam. in ſap. c.1. & c.19. in Luc. c.12. v.33.*

448. *Deus à nobis exigit facta, non verba.*

In omni opere erit abundantia : ubi autem verba ſunt plurima , ibi frequens egeſtas. Ecce quomodò Deus docet nos , quòd agendo , non dicendo acquiritur ſalus , & quod à nobis exigit facta , non verba , & nugas : unde Chriſtus maledixit illi arbori , in qua invenit tantum folia, & non fructus : fructus enim exigit agricola cœleſtis, non folia verborum apparentia. *Ser.1. Dom.7. Pentec. in Luc. c.13. v.6. & c.11. v.51.* Hinc dicebat B. Ægidius ſocius Seraph. P. Franciſci aliquibus garrulis agricolis : laborate, operamini , non verba nobis date : ſic & à nobis exigit Deus. Sic etiam legitur de Chriſto , quod pertranſiit benefaciendo , & ſanando, non ſolum bene loquendo. *in Luc. c.9. v.11.*

449. *Corona gloriæ ſine miſericordiæ operibus non datur à Deo.*

Corona ſapientum , divitiæ eius. Cur pro corona adipiſcenda fert in medium divitias ? quia exhibitio

exhibitio diviriarum pauperibus, ait S. Chryſoſtomus, eſt neceſſaria ad coronam quamlibet adipiſcendam in cœlo. Triplex enim corona datur à Deo in cœlo, ſeu Laureola; ſcilicet Virginibus, Martyribus & Doctoribus. Virgines autem, quæ ſine oleo miſericordiæ conſpectui Dei apparent, excluduntur à cœlo: Martyres verò ſine effuſione pecuniarum, & eleemoſynarum, ſanguinem proprium non profundent utiliter: nec Doctores verba ſua utiliter proferunt; niſi miſericordiam exhibeant in miſeros: & hoc eſt, quod Chriſtus in die judicii, dum vocabit ad coronas, in medium proferet exercitium operum miſericordiæ: ſic Chryſoſtomus, & Hugo. His verò promittitur corona pretioſiſſima, ſpecioſiſſima, & interminabiliter duratura, & ideo hic dicitur: corona ſapientum, id eſt ſanctorum, deliciæ eorum. *Serm. 3. de uno S. Martyre.*

450. *Timoris Domini effectus mirabiles expenduntur.*

In timore Domini fiducia fortitudinis; & filiis eius erit ſpes: timor Domini fons vitæ, ut declinet à ruina mortis. Ecce quanta bona derivaor ex timore Domini, id eſt ex timore filiali, qui ob amorem in Deum, cavet omnem offenſam Patris cæleſtis; hicque rectè comparatur fonti vitæ, ſeu potius theſauro, ex quo omnia bona emanant: nam curat hominem à culpa perpetrata generando contritionem: cuſtodit à culpa recidiva: abjicit temporalia, & terrena noxia: contemnit, & ſuſtinet temporalia mala, ut evadat æterna: introducit gratiam, & opera bona: & tandem meretur ſtipendium vitæ æternæ, humilians hominem ſub Deo totaliter. *Op. dict. tit. 6. c. 1. & Comp Theolog. l. 5. c. 39.*

451. *In quonam ſit gloria, vel ignominia Principum.*

In multitudine populi dignitas regis: & in paucitate plebis ignominia Principis. Ergonè ſolùm ex multitudine, vel paucitate plebis dependet gloria, vel ignominia Principis, & non potius in juſtitia, æquitate, & benignitate? ſed attende, quod hic non ſumit ſapiens multitudinem, vel paucitatem materialiter; ſed intendit exponere obligationes Principum, & Prælatorum; nempe in recta gubernatione, æquitate, & miſericordiâ, quibus regendi ſunt populi: ſic enim multiplicabuntur ſubditi in numero in divitiis, in virtutibus: & ſi oppoſitum faciant derivabit eis ignominia. *in Sap. c. 6.*

452. *Patientia quàm utilis, maximè in Prælatis: impatientia quàm noxia: ubi datur pulchra inſtructio Prælatis.*

Qui patiens eſt, multa gubernatur ſapientia: qui autem impatiens eſt, exaltat ſtultitiam ſuam. Connectenda ſunt iſta verba cum aliis ſalvatoris *Luc. c. 12. in patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Ex quibus datur intelligentia: effectuum mirabilium patientiæ; nempe, quod eſt radix, & cuſtos virtutum, reddens animam ſui ipſius dominam, & omnium ſuorum affectuum internorum, & externorum: quia ſapientiam dirigit; id eſt rectificat rationalem, temperat iraſcibilem, modificat concupiſcibilem, & exteriorem conſummat operationem, & reſpectu ipſius animæ patientis, & reſpectu Dei, & reſpectu proximi: & ideo maximè neceſſaria eſt in Prælato; tum ob multiplices labores, & curas, & occupationes diverſimodè emergentes, de quibus ſe non poſſet facile expedire ſine maximâ patientiâ tum pro tardo profectu illorum, in quibus continuè fatigatur; ob quas Prælatus tabeſcit, uritur, & non valens ad omnia pro libito providere, in virtute patientiæ mirabiliter exercetur: tum pro ingratitudine plurium ſubditorum, quibus vix, aut numquam ſatisfacit, quin conquærantur, vel reſiſtunt, vel concitant alios, ut ſe ei opponant: ad quod patientia eſt ſummè neceſſaria, ut modeſtè, maturè, & benignè ad ſingula reſpondeat; & impetum fervoris reprimat, ne in voce, vel vultu vel moribus impatientiam oſtendat, ſic enim magis proficit, & tandem devincit quos impetuosè agendo amplius provocaret: commotio enim commotione non ſedatur, & vitium vitio non ſanatur: unde per impatientiam ſe contemptibilem reddit, exoſum, & ſcandaloſum, provocans alios ad impatientiam, & auferens confidentiam ſubditis recurrendi ad ipſum in ſuis neceſſitatibus teneros metore fugat, & puſillanimes reddit: nec aliquis audet eum monere de his, quæ forent emendanda. *Op. de ſex alis ſeraph. c. 5. in Luc. c. 21. v. 19. ſer. 23. Hexam.*

453. *Idem ſtabilitur de Prælatorum patientiâ.*

Qui patiens eſt, multa gubernat ſapientia: qui autem impatiens eſt, exaltat ſtultitiam ſuam. Ecce quid operatur in Prælatis ſapientia, & ſtultitia, nempe patientia, & impatientia: unde patet, quod qui corripit alios debet ſe præparare ad patientiam; & ſi aliquando zelo aliquo ſe movet ad correptionem, ut fecit Chriſtus, quando ſubvertit menſas numulariorum, debet poſtmodum ſe mitem oſtendere; ſic Chriſtus poſt hunc zelum, ſe exhibuit pacificè, quando quærebant eum, ſanando multos infirmos, *ut Matth. c. 21.* unde non eſt dubium, quod illi quorum menſas ſubverterat, poſtea clamaverunt: crucifige eum. Studeat igitur, ut, modeſtè maturè; & benignè ad ſingula reſpondeat, & impetum fervoris reprimat: ſtudeat item eſſe pacificus, ut nec vindicet ſe de illatis injuriis, nec in corde oderit illos, qui ipſi ingratos, & duros ſe oſtendunt; nec curam ſegniùs agat, nec quærat eos à ſe removere, imo libentiùs teneat eos; ut per hoc & ipſos, & alios ædificet benefaciendo ingratis, & ut per ſe virtutis exercitium in eis habeat exemplo ſummi Paſtoris, qui eſt benignus ſuper bonos, & malos. Si enim proprium eſt Paſtoris docere virtutes, ſi vitioſos à ſe removet, quos docebit? Si medicus fugit ægrotos; quos curabit? ſi fortis tyro declinat impetentes in ſe, quomodò aſſequetur triumphum gloriæ? ſi negotiator negligit merces, in quibus magna lucratur, quomodò poterit ditari? Hinc eſt, quod tot ſancti Prælati ad altam perfectionem tam agendo bona, quàm patiendo adverſa & alios ædificando ad alta perfectionis culmina officii ſui occaſione pervenerunt. *Op. de ſex alis ſeraph. c. 5. ſer. 23. Hexam.*

454. *Man*

454. *Manſuetudo ſanitas cordis: invidia putredo oſſium, ſcilicet animæ & corporis.*

Vita carnium, ſanitas cordis: putredo oſſium, invidia. Hunc textum ſic legunt ſeptuaginta: manſuetus vir cordis eſt medicus: tinea autem oſſium cor ſenſitivum, ſeu invidum: in quibus verbis dat intelligere, ait D. Greg. quod manſuetudo depellit à corde omnem infirmitatem ſpiritualem, per quod ipſum hominem interius, & exterius præſervat ab omni malo: E contra, invidia, & cor interius corrodit, & conſumit, turbat animam, & corpus exterit, & labefactat, & corrumpit. *In ſap.c. 6. in Luc.c.14. v.6.& c.15. v.13.*

455. *Pauperem calumnians, & lædens, lædit in imagine Chriſti ipſum Chriſtum: Pauperem honorans, Chriſtum in ipſius imagine honorat.*

Qui calumniatur egentem, exprobrat factori ſuo: honorat autem eum, qui miſeretur pauperis. Cur qui hominem vilem calumniatur, dicitur exprobrare factori ſuo? & è contra quia cum in homine reluceat imago SS. Trinitatis, & ob id lædens proximum, dicitur inhonorare in divina imagine creatorem: multò magis id evenit in pauperum calumniâ, & offenſa: & è contra, qui honorat pauperem, honorat Chriſtum: quia ut dixit Concilium Epheſinum: Chriſtus pauperem Matrem, pauperem cenſum, & omnia denique paupera elegit; & ideo honorans pauperem, Chriſti Dei imagines colit: & inhonorans, Chriſti Dei imagines deſpicit: Caput enim pauperum eſt Chriſtus, & ipſi ejus membra; ob id, & venerabiles ſunt. *Pſal. 118.c. 8.v. 10.& Apol. paup.reſp.1.c.1.idemq.D. Greg.D. Aug.Liran.aliique SS.PP.*

456. *Prudentia dirigit hominem in ordine ad ſe, ad Deum, & ad proximum.*

In corde prudentis requieſcit ſapientia: & indoctos quoque erudiet. Nota ordinem verborum textus: prius ſupponit prudentiam reſidere in corde, & inde ſapientiam emanare, & tandem ad alios derivantem: ut videas, quod prudentia eſt virtus excellentiſſima, faciens hominem rationabiliter operari, & cum hominibus honeſtè converſari, erigit mentem ad cœleſtia, & æterna, & in Deum ipſam figit: omnia hæc facit ſapientia vera. *Op. de 4. virt. Card. Pſal. 118. c.7.v.2.*

457. *Iuſtitiæ divinæ meditatio quales fructus in animâ pariat.*

Iuſtitia elevat gentem: miſeros autem populos facit peccatum. Quomodò juſtitia elevat gentem? qualem gentem? Nota quod hic poteſt ſumi, & intelligi pro juſtitiâ quam exercebit Deus in judicio, & dat intelligere quod ipſius meditatio elevat meditantem animam ad ſtatum ſublimem: nempe reddens ſecurum hominem à culpa, & peccato, miſeros faciente peccantes, & elevat ad adeptionem gloriæ, *Pſal.118.c.1.v.7.*

458. *Cultus Dei, & religio quàm neceſſaria, & utilis.*

Iuſtitia elevat gentem. Qualis juſtitia? univerſalis, an particularis? Adverte, quod hic loquitur de juſtitiâ univerſali, ſecundùm expoſitores, & præcipue de pietate, & cultu in Deum; datque intelligere, quod talis juſtitia eſt ſummè proficua, & neceſſaria ad rectam gubernationem reipublicæ; quia talis virtus dat unicuique quod ſuum eſt; ſcilicet ſibipſi, & proximo, & præcipuè Deo, ad quem ordinatur cultus: nam ſine juſtitia, & cultu Dei, non poſſunt cætera ritè, & rectè peragi qui cultus conſiſtit in laude, & ſacrificio, eſtque de dictamine naturæ: ad quod requiritur æternæ veritatis veridica profeſſio, ſupernæ majeſtatis humilis veneratio, & internæ ſanctitatis virilis cuſtoditio: taliſque juſtitia elevat ad felicitatem gentes, & populos. *Ser.5.& 23.Hexam.*

459. *Miſeriæ peccati expenduntur.*

Miſeros autem populos facit peccatum. O quàm miſeros: quia peccantes facit ſervos vitiorum, & diaboli, hacque ſervitute, nulla peior; & quod pejus eſt, peccatum facit Dei inimicos. *in Ioan.collat.42.in ſap.c.9.& 15.*

460. *Servus fidelis totus incumbit in cognitione, & executione voluntatis ſui Domini.*

Acceptus eſt regi miniſter intelligens: iracundiam ejus inutilis ſuſtinebit. Vide in quonam conſiſtat fidelitas ſervorum, debita ſuis Dominis: nempe debent eſſe intelligentes: ſed in quibuſnam rebus? intelligentes, ſcilicet in cognoſcendo, & agendo voluntatem dominorum ſuorum, & pro poſſe, effectui mandantes omnia, quæ ſciunt placere eis. Sic enim erunt accepti dominis: & è contra, ſervus piger, & ignarus iracundiam provocat. *Ser.2.de S.Marco.*

461. *Chriſti miniſtri oculati: diaboli ſervi Monoculi.*

Acceptus eſt regi Miniſter intelligens. Ideſt Domino Deo regi regum, quid eſt intelligens eſſe? forſan contentus eſt Deus in ſervis ſuis ſola intelligentia? ſed attende, quod hic loquitur de intelligentiâ, & cognitione practica, qua mens dirigitur tota ad cognoſcendum quid exigat Deus; & ad id operandum fideliter, & hinc patet diſcrimen inter ſervos Dei & diaboli: ſervi Dei ſunt oculati, ſcilicet attendentes ad id, quod debetur ab eis fieri in ordine ad Deum, ad proximum, & ad ſeipſos: diaboli verò miniſtri ſunt Monoculi, ideſt cæcutientes ad cæleſtia, & tantum attendentes ad terrena. *in Luc.c. 16. verſ.13. & cap.12.v.42.& ſer.2.de S.Marco.*

CAPUT

CAP. XV.

462. **R**ESPONSIO *mollis frangit iram Dei; & hominum: ſermo durus ſuſcitat furorem.* Sic dicitur à Spiritu ſancto in hoc verſu, ut excitet nos ad manſuetudinem excteendam: ſicut enim globus bombardæ diſploſus in aliquod molle, hebetatur, ac ſiſtitur; è contra in prævalidum murum, vel ſaxum perlatum diſrumpit, ac labefactat; ſic mollis ſermo frangit iram; & è contra, durus ſuſcitat furorem, ſicut ex colliſione duorum corporum elicitur ignis, ut continua experientia patet: Adverte etiam, quod idem evenit cum Deo: nam oratio humiliantis ſe à Deo exauditur: oratio verò cordis duri, & ſuperbi ſuſcitat furorem Dei, quod maximè debet obſervari à Prælatis in tractando cum ſubditis *Ser. de uno Confeſſ. ſer. 17: Hex. un. op. Diet. tit. 7. c. 2. Comp. Theol. l. 3. c. 17. & c. 5. & c. 52. de ſex alis Seraph. c. 5. in Luc. c. 15. v. 31. & in Ioan. collat. 76.*

463. *Oris & linguæ ſapientis, & ſtulti diſcrimen.*

Lingua ſapientum ornat ſcientiam: os fatuorum ebullit ſtultitiam. Ecce quale diſcrimen inter ôs, linguamque ſapientis, & fatui: nam ex ore ſapientis verba ornant ſcientiam, & tale os fructus dignos, & ſanctus parturit: os ſtulti ebollit ſtultitiam, ut patet in iracundo, cujus os eſt veluti olla ebulliens, & emittens verba inordinata. *Pſal. 118. c. 7. v. 12. op. Diet. ſal. tit. 1. c. 5. in Luc. cap. 6. v. 45. & ſerm. 1. de S. Antonio in addit.*

464. *Dei præſentia, & aſpectus ſemper ante oculos mentis habendus:* Spiritus ſanctus hic advertit, quod in omni loco oculi Domini contemplantur bonos, & malos ex quo magna nobis indicitur neceſſitas probitatis, cum omnia agamus in conſpectu Dei. *in Luc. c. 7. v. 39.*

465. *Lingua ſancta, lignum vitæ: lingua impia fons mortis.*

Lingua placabilis lignum vitæ: quæ autem immoderata eſt, conteret ſpiritum. Vide qua comparatione Spiritus ſanctus explicat vim, & fructus linguæ ſanctæ, & mitis; nempe ligni vitæ: & optimè; nam lignum vitæ habebat vim conciliandi quatuor humores contrarios in corpore humano, & ad immortalitatem diſponere: ſic, & lingua mitis, bona, & ſancta ducta à Spiritu ſancto eſt mollis, confringens contrarietates, & duritias impatientiæ, & iræ cordium, & abundanter fructificat in homine bono; & veluti muſica lenit, & dulcorat omnem amaritudinem cordis; per quæ confert ad immortalitatem acquirendam: E contra, mala lingua eſt fons mortis; quia ex ipſa prodeunt ferè omnia peccata, & ideo niſi homo diligentem ori ſuo cuſtodiam adhibeat, & bona gratuita, quæ habet cito diſſipat, & etiam in multa mala corruit. *Pſal. 118. c. 11. v. 12. op. de perfec. vita c. 4.* Nota etiam quod in hebræo legitur: medicina linguæ, lignum vitarum: ſeptuaginta legunt: ſanitas vitæ: ut videas, quod ſicut in arte medicinæ illa maxima currit, ſana lingua ſi eſt, ſanum corpus, infirma lingua ſi eſt, infirmum corpus etiam eſt; quia cum ad linguam extendantur nervi è corde, & cerebro provenientes; ideo ſi lingua eſt ſana, indicium eſt interiorum partium ſanitatis: & è contra &c. idem prorſus currit in medicina ſpirituali animæ: qui enim de terra eſt, de terra loquitur: qui de cœlo eſt, de cœlo loquitur, ait Chriſtus Jeſus.

466. *Scientia mundana Stultum reddit hominem irridentem divina.*

Stultus irridet diſciplinam Patris ſui: qui autem cuſtodit increpationes, aſtutus fiet. Vide quomodò ſapientia mundana contraria eſt divinæ: quia enim ſapientia divina frequenter perſuadet contrarium ſcientiæ mundanæ: hinc hæc mundana ſcientia deridet divinam; & ob id reddit ſtultum hominem ſectantem talem ſcientiam mundanam. *In Luc. c. 8. v. 53. & c. 16. v. 14.*

467. *Religioſorum bonorum, & malorum diſcrimen expenditur: Ubi de obſervantia diſciplinæ regularis.*

Stultus irridet diſciplinam Patris: qui autem cuſtodit increpationes, aſtutus fiet; ideſt cautus, & prudens. Ecce quod in his paucis verbis deſcribitur differentia inter religioſum fidelem, & bonum, & infidelem, malumque: nam qui duræ cervicis eſt diſciplinæ inſuſceptibilis, manſueſcere neſciens, tepidus, curioſus, ſuperbus, deridet diſciplinam; doctrinam, inſtitutioneſque Patris, & ſuæ religionis; negligens quod diſciplinæ, quod morum, quod virtutis perfectio conciliat, ægrêque doctrinam ad talia patitur, doctorem nimis perfectum ironica reſponſione pronuncians; unde ſe ſtultum bonis reputare facit: E contra, qui diſciplinam religionis amplectuntur, qui in exteriori converſatione diſciplinati, & humiles ſunt, ſtudentes ſe in omnibus officioſos, & amabiles exhibere: hi ſunt filii altiſſimi, fideles ſanctæ religionis propagines, fratrum lætitia, conſociorum ſolatium, & gloria ſui inſtructoris. O quàm ſancta aſtutia, prudentia, & ſapientia eſt hæc. *Op. ſpecul. diſcipl. p. 1. c. 5.*

468. *Qualis Sapientia exigatur in Prædicatoribus.*

Labia ſapientum diſſeminabunt ſcientiam: Cor ſtultorum diſſimile erit. In his verbis Spiritus ſanctus dat intelligere, qualis debeat eſſe ſcientia in prædicatoribus diſſeminantibus verbum Dei; & quàm malè ſe gerant, qui ſine debita ſcientiâ, & doctrinâ audent aſſumere hoc miniſterium: dicit autem labia ſapientum; ergo debent eſſe ſapientiâ præditi: ſapientia autem eſt cognitio Dei, & ſacræ ſcripturæ, deteſtatio vitiorum, & dilectio virtutum: Igitur Prædicator debet habere ſcientiam, & mundam conſcientiam: de Chriſto prædicante legitur *Luc. c. 5.* quod ipſe ſtetit, vidit, aſcendit, & ſedit: quia prædica-

cor debet ſtare per rectitudinem intentionis; videre per certitudinem diſcretionis, aſcendere per exercitium actionis, & ſedere per otium contemplationis, & ſtudium ſacræ ſcripturæ, quia qui alios docet, debet pollere ſapientia cæleſti; ut de plenitudine ejus univerſi accipiant: Et è contra, ſtultus eſt, & peccat, qui neſcit, & vult magiſter eſſe, vel qui à Deo, & Prælatis non mittitur. *Ser.2. Dom. ſexag. in Luc.c. 5. v.3. Op. Phar.l.1.c.16.*

469. *Deus reſpicit magis ad cor, quam ad opus externum.*

Victimæ impiorum abominabiles Domino: vota juſtorum placabilia. Dat ſacer textus in his verbis intelligere, quod Deus magis reſpicit ad cor, quàm ad oblationes externas: ideo dicit, quod victimæ, & ſacrificia impiorum habentium cor infectum, vel ſiniſtra intentione, vel immunditia peccati ei abominabilia ſunt: & è contra, vota, ſcilicet cor juſtorum Deo placens, & charum: melior enim eſt obedientia, quàm victimæ; obedire ergo prius debet Deo homo, & poſtea offerre ſuas victimas. *In Ecclen. c.4. in fine ſer.2.Dom.17.poſt Pentec.*

470. *Qui odit corripientem ut peſtilens, & impius, eſt Deo abominabilis.*

Non amat peſtilens eum qui ſe corripit: nec graditur ad ſapientes. Ecce diſcrimen inter impios, & juſtos ab aliis correptos: qui enim odit ſe corripientem peſtilens, & impius, & Deo abominabilis eſt, quia odit lucem, ideſt arguentem: E contra juſti diligunt corripientes, quia diligunt lucem. *in Ioan.c.7.v.7.*

471. *Conſcientia recta gaudium foras erumpit: ſic & conſcientia mala mœror.*

Cor gaudens exhilarat faciem: in mœrore animi dejicitur ſpiritus. Vide diſcrimen inter conſcientiam puram, & peccato infectam: nam in conſcientia pura cum reſideat gratia Dei, & vera lætitia, non poteſt non erumpere foras; quod pariter verificatur de mala conſcientia, quæ foras emittit ſigna mœroris, & mæſtitiæ. *In Luc.c.10.v.17. Pſal.118.c.5.v.16. op. Diet. tit.8. cap.1.*

472. *Labor ſine bona intentione, & directione ad Deum, vanus: ad Deum directus, felicitatem affert.*

Omnes dies pauperis mali: ſecura mens quaſi juge convivium. Nota, quod hic ſumitur nomen pauperis, non materialiter; ſed pro quocumque afflicto, & laboribus inſudante: datque intelligere, quod qui laborat, & fatigat ſolùm pro temporalibus, in vanum laborat, & vitam in malo ducit: qui verò pro æternis, vivit quaſi in jugi convivio. *In Eccleſ.c.2.& in ſap.c.6.*

473. *Conſcientia ſecura, & munda etiam in laboribus fruitur jugi convivio.*

Omnes dies pauperis mali: ſecura mens quaſi juge convivium. Cum hæc vita ſit continua militia, & immixta laboribus, ærumnis, & amaritudinibus; attamen malis eſt tota amaritudo, & afflictio, non bonis, & juſtis habentibus conſcientiam ſecuram, & mundam: ſecura autem conſcientia eſt, quando anima nihil vult, nihil agit, nihil jubet, vel permittit illicitum, & indecens, profeſſionique ſuæ contrarium; in quo ſcandalum, vel peccatum deprehendatur: munda eſt, quando de bonis, quæ facit, vel promovet, gloriam ab omnibus non captat, nec ſibimet exinde immoderatè placet, ſolius Dei in omnibus beneplacitum quærens: talis autem modus operandi, & multiplicandi opera bona, multiplicare etiam facit dilectionem, & delectationem, quæ eſt veluti quoddam condimentum cibi ſpiritualis, hilaritatem, & guſtum, & gaudium in corde: ergo quantumcumque juſtus ſic operans, afflictionibus quatiatur, tamen anima ejus quaſi juge convivium experitur. *Sap. c.6. op. de ſex alis Seraph.c.7. de 7. itiner. ætern. itin.7.d.7. de gradib. virtut.c.30. de dono fortitud. c.3. diet. tit.8. c.1. in Ioan. collat.48.* hocque confirmatur ex eo, quod ſubditur: melius eſt parum cum timore Domini, quàm theſauri magni, & inſatiabiles.

474 *Felix qui Deum habet, etiamſi ſit pauperrimus: infelix qui abundat omnibus ſine Deo.*

Melius eſt parum cum timore Domini, quàm theſauri magni, & inſatiabiles. O quàm melius, imo ô quàm optimum; quia timor Dei facit animam poſſidere Deum: optimum igitur eſt habere Deum etiam cum ſumma paupertate, quàm infinitos theſauros ſine Deo: ratio eſt, quia ſine Deo dives plenus eſt in arca, vacuus in conſcientia, abundat auro, ſed caret Deo, quia omnis locus abſente Deo, penuria, & miſeria, & calamitas eſt. *Ser.5. de un. Mart. & ſer.1. de plurib. confeſſ. & in Luc.c.15.v.14.*

475. *Quale convivium fugiendum: & quale amplexandum.*

Melius eſt vocari ad olera cum charitate, quam ad vitulum ſaginatum cum odio. Hic ſacer textus proponit duplex convivium; aliud eſt pauperum, & juſtorum, aliud divitum, & impiorum; advertitque primum eſſe amplexandum; ſecundum vitandum: ratio eſt, quia primum eſt convivium, in quo exercetur familiaritas humana, & charitas chriſtiana: ſecundum eſt Gaſtrimargiæ, jactantiæ, & malitiæ: in primo aqua miſeriarum convertitur in lætitiam, & in vinum conſolationis; quia ibi adeſt Chriſtus: in ſecundo vinum conſolationum convertitur in aquam miſeriarum, quia abeſt Chriſtus, & adeſt diabolus. *Ser.1. poſt oct. Epiph. in Luc. c.5. v.29. & c.10.v.8. & c.14.v.13. idem D. Chryſoſt. hom.1. in Epiphan. ad Col.*

476. *Ira bona, & ira mala quænam: ubi de patientiæ virtute.*

Vir iracundus ſuſcitat rixas: qui patiens eſt iras mitigat ſuſcitatas. Ergo nunquam iraſcendum? nonne ait Pſaltes: iraſcimini, & nolite peccare? ſed adverte, quod eſt ira vitioſa, & ira virtuoſa: prima ſuſcitat rixas, vultque punitionem perſonæ, ut ſatietur vindicta: ſecunda vult punitionem perſonæ, ut in perſona deſtruat vitium, prima

ma per patientiam, & manſuetudinem extinguitur. *Op. Centil.p.1.ſect.8.*

477. *Ira janua omnium vitiorum.*

Vir iratundus ſuſcitat rixas. Vide ergo à quo fonte derivant rixæ, nempe ex irâ & conſequenter omnia mala: nam ex ira perturbatur oculus rationis, ut animo vidrat, vel diſtorquetur, ut perversè aliud pro alio probet, vel improbet, & falſa pro veris approbet: ſuſcitantur item rixæ, ex quibus tot mala proveniunt. *Ser.1. Dom.5. poſt Pentec.*

478. *Timor Domini evitat peccata: miſericordia in pauperes, & fides cum operibus purgationem peccatorum cauſat*: ut hic dicitur: per miſericordiam, & fidem purgantur peccata: per timorem autem Domini declinat omnis à malo. *L.1. d.28. a.2. qu.1. op. Eccleſ. Hierar. p.3. c.3. in Ioan. c.15. v.2. & 8.*

479 *Avaritia exulare facit omnem pacem.*

Conturbat domum ſuam, qui ſectatur avaritiam. Ecce quale malum avaritia eſt; quia avarus non poteſt habere nec in conſcientiâ, nec in domo propria pacem: eſt enim ſicut canis rabidus, qui dum os rodit, iraſcitur omni appropinquanti ſibi; ſive ſit extraneus, ſive notus. *Op. Diſt. tit. 1. c.6.*

480. *Meditatio eſt negotiatio interior animæ lucroſa.*

Mens juſti meditabitur obedientiam: legis Hebræus: negotiabitur. Et meritò quia meditatio mentis in oratione aſt maxima, & lucroſa negotiatio, qua anima quærit poſſeſſionem juſtitiæ, ſapientiæ, doctrinæ, & delectationum cæleſtium ad quod adhibet opus oris, gutturis, & actuum interiorum potentiarum. *Pſal. 118. c.3. v.15. & c.10. v.4.*

481. *Iuſti, antequam loquantur, prius recogitant in ſilentio: ſtulti ſine iudicio loquuntur.*

Mens juſti meditabitur obedientiam (alii legunt ſapientiam, & fidem ex hebræo) os impiorum redundabit malis. Vide ex hoc, diſcrimen inter juſtum ſapientem, & ſtultum: nam juſti ſapientes, prius cor replent ſancta meditatione, antequam loquantur: ſtulti è contra ſine conſideratione loquuntur: ex abundantiâ cordis os loquitur; ideo omne bonum, & malum ex abundantiâ cordis procedit. *in Luc. c.6. v.46. & ſer.1. de S. Anton. in addit.*

482. *Deus ab impiis longè diſtat: juſtis præſens adeſt.*

Longe eſt Dominus ab impiis: & orationes juſtorum exaudiet. Quomodò poteſt dici, quod Deus longe ſit ab impiis? nonne ubique eſt per eſſentiam, præſentiam, & potentiam? Hoc quidem verum eſt: ſed tamen notandum, quod hic Spiritus ſanctus non loquitur de diſtantia locali, ſed quoad diſſimilitudinem voluntatis: cum enim peccatum ſit iniquitas, elongat voluntatem peccatoris à ſumma bonitate: cum ſit tenebra, elongat à ſumma veritatis luce: cum ſit nihil elongat à ſumma æternitate: ergo quantò quis in pravo opere amplius delinquit, tantò à Dei gratia longius recedit: ergo & peccatum regio valde longinqua eſt: & è contra, juſto prope eſt, ut ſumma bonitas, lux vera, & ſumma æternitas. *in Luc. c.15. v.13.*

483. *Increpationes ſuperioris abiiciens, odit ſeipſum: recipiens patienter fit Dominus ſui.*

Qui abiicit diſciplinam, deſpicit animam ſuam: qui acquieſcit increpationibus, poſſeſſor eſt cordis. In his verbis Spiritus ſanctus intendit nos excitare ad tolerantiam increpationum, & tribulationum, quas in nobis permittit, & immittit Deus, ex fructu uberrimo inde reſultante: nam qui patienter tolerat tribulationes, & increpationes à ſuis Prælatis, iſte acquirit dominium plenum ſui, & ſuarum paſſionum: ſic etiam dixit Chriſtus: in patientiâ veſtra poſſidebitis animas veſtras. Ex quo dominio reſultat rectificatio rationalis vis, temperantia iraſcibilis, & concupiſcibilis, conſummatio perfecta operationum exteriorum; & tandem præmium: E contra verò, qui increpationes, flagella, tentamenta abjicit, iſte deſpicit, & odit animam ſuam. *in Luc. cap.21. verſ.19.*

484. *Timor Domini expellit omne peccatum: humilitas reportat gloriam.*

Sic concludit ſapiens hoc caput, dicens: Timor Domini diſciplina ſapientiæ, & gloriam præcedit humilitas. Quia per timorem Domini anima declinat à malo; per exercitium humilitatis aſcendit merendo ad poſſeſſionem gloriæ. *in Luc. c.2. v.26. Pſal. 118. c.4. v.2. & c.6. v.12.* Vide ergo, quod timor Domini fundamentum eſt omnis boni; quia per eum homo dimittit peccatum, & incipit agere bonum, & aſpirat ad optimum, & impeditur ne recidivet in malum: quis enim peccator non timet judicem omnia cognoſcentem, & omnia mala punientem? *Ser. 2. de uno Doct. in fine.*

CAP. XVI.

485. *Homo ſine ſpeciali adjutorio non poteſt gubernare linguam à peccati labe.*

HOMINIS eſt præparare animam: & Domini gubernare linguam. Quomodò poteſt viribus ſuis præparare animam ad gratiam? videtur enim hoc dictum conſonum errori Pelagii? ſed attende, quod in alio ſenſu in medium proferuntur hæc verba: dat enim intelligere Spiritus ſanctus, quod quantumcumque vir prudens præcogitet, & præmeditetur ea, quæ dicturus eſt: Id tamen non ſatis eſt ad benè loquendum, ſed ulterius requiritur Dei ſpeciale auxilium, frænans, moderans, & gubernans linguam: ſolus enim Deus id poteſt: Unde bene verum eſt, quod dum utilia, & ædificatoria

verba loquimur, Spiritus ſanctus eſt qui in nobis loquitur: E contra, dum mala verba loquimur, Spiritus infernalis eſt in nobis. *Ser. 11. in Pentec.*

486. *Per auxilium gratiæ prævenientis poteſt ſe homo præparare ad bonum opus.*

Hominis eſt præparare animam: & Domini gubernare linguam. Quomodò ſtat in viribus naturæ ſe præparare ad gratiam? nonne hoc eſt incidere in hæreſim Pelagii, qui fretus in hoc textu, docebat: poſſe viribus naturalibus præparare nos ipſos ad divinam gratiam? ſed reſpondetur cum D. Auguſtino, quod, ſuppoſitâ gratiâ præveniente, ſtat in noſtra poteſtate adjuta ab ipsâ gratiâ præparare animam ad gratiam ſanctificantem: tunc enim Domini eſt per gratiam ſubſequentem gubernare linguam, ideſt cuſtodire à peccatis, & tollere impedimenta; ſic D. Auguſtinus: unde infertur, quod qualis erit noſtra hujuſmodi præparatio, talis erit fructus gratiæ divinæ. *In ſap. c. 7. in Luc. c. 1. v. 47. & l. 2. d. 28. per totam, præcipuè quæſt. ult.* Nota etiam quod hic poteſt inferri, & rectè, quod ad gubernandam linguam, neceſſarium eſt auxilium à Deo ſpeciale.

487. *Alia ſunt judicia Dei: alia judicia hominum.*

Omnes viæ hominis patent oculis ejus: Spirituum ponderator eſt Dominus. In his verbis ſacer textus dat intelligere, quod alia ſunt judicia hominum, alia Dei; nam homo tantum quod exterius eſt videt: ſed Deus intus omnia conſpicit, & ponderat ſecundum veritatem quiſnam ſit humilis, quiſve ſuperbus. *In Luc. c. 14. v. 9. c. 15. v. 18. c. 16. v. 14.*

488. *Deus quomodò dicitur Spirituum ponderator.*

Omnes viæ hominis patent oculis ejus: ſpirituum ponderator eſt Dominus. Nota illud pronomen, ejus, per quod alludit ad oculos hominis, quibus patent ſuæ viæ; ſed addit poſtea, quod ſpirituum ponderator eſt Dominus: quid eſt iſtud ponderare? ponderare ſtat pro exiſtimare vel æſtimare, & etiam pondus imponere; datque intelligere, quod alios ſpiritus, ſeu altitudinem Deus valde æſtimat in nobis, & extollit, ſcilicet altitudinem contemplationis, perfectionis, & ſanctitatis: alios Spiritus, ſeu altitudinem deprimit, ideſt ſuperbiam, ambitionem, & exiſtimationem ſui. *In Luc. c. 16. v. 15.*

489. *Confeſſio peccatorum perfecta, reformat opera noſtra apud Deum.*

Revela Domino opera tua, & dirigentur cogitationes tuæ. Ad quid hæc revelatio? nonne Dominus ſcit omnia opera, & cogitationes noſtras? verùm quidem eſt; ſed tamen exigit ab ore noſtro revelationem omnium noſtrorum peccatorum, ſacerdoti ejus vicario faciendam: qui enim perfectè, & ſincerè revelat Confeſſario ſua peccata ultra remiſſionem ipſorum, accipiet directionem cogitationum ſuarum; quia per confeſſionem adjuvamur in bono, ſcilicet in tentatione ad triumphandum, in oratione ad impetrandum, & in operatione ad fructificandum. *Ser. 5. in rogat.*

490. *Qui beneficia à Deo provenientia in Deum per recognitionem revolvit, nova beneficia promeretur.*

Revela Domino opera tua, & dirigentur cogitationes tuæ. In textu hebræo habetur volue ad Dominum opera tua, & firmabuntur cogitationes tuæ: quid eſt volue ad illum, niſi repercuſſione reciprocare, & reſtituere? eo modo, quo in pilæ ludo jacit unus, alter verò refert pilam, & tandiu durat ludus, quo pila jacta, & reciprocata utriuſque manu eſt? datque intelligere, quod dum recipimus beneficia à Deo, ſi ea ad Deum reciprocamus per gratiarum actionem, fiet veluti ludus inter Deum, & nos: Deus nobis confert beneficia, & nos nova per actionem gratiarum mærebimur recipere: *ſic Chryſoſtom. tom. 5. orat.* 8. Et hoc quidem veriſſimum eſt: nam gratiarum actio mæretur bona accepta conſervari, & augeri, & ad majorem profectum converti, & majorem fructum inde haurire: E contrà ingratitudo mæretur amittere quæ habet, nec alia accipere, & quæ retinet, infructuosè retinere, & fraudari præmio, & majus ſupplicium mæreri pro negligentiâ, & contemptu: cui enim plus datum eſt, ait Chriſtus *Luc. c. 7.* plus repetetur ab eo. *Op. de prof. religioſ. l. 2. c. 63.*

491. *Intentio recta in Deum quanti æſtimanda, & qualis.*

Revela Domino opera tua: volue ad Dominum opera tua, legit hebræus. Quid eſt volue, niſi dirige, converte te, & tua opera ad Deum, ſcilicet per rectam intentionem, & dirigentur cogitationes tuæ; ſcilicet rectiſſimè ferentur, non aberrabunt, ad Deum: daturque nobis notitia in hoc textu, quanti in Dei obſequio æſtimanda eſt recta intentio: eſt enim fundamentum totius vitæ ſpiritualis, ſicut obliqua eſt deſtructio. Intentio autem noſtra aliquando movetur pro Deo, faciendo, ſcilicet aliquam actionem pro Deo, licet de ipſo interim non cogitemus: aliquando ad Deum, ſcilicèt faciendo aliquid, quod eſt de Dei gloria: v.g. meditando ipſius magnitudinem: aliquando in Deum, ideſt transferendo omnes actus noſtros in oratione in Deum, tamquam ſummum finem, per quam ei unimur: qui igitur omnia ſua opera voluit, & dirigit in Deum, etiam experietur directiones divinas in ſuis cogitationibus: quia anima per deſiderium quæret Deum; per cognitionem inveniet, & per guſtum tanget: talis intentio pura charitate munita, & veritate omnia temporalia derelinquet, & ad æterna redibit, donec intentio tentio fiat, & dicere poterit: inveni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam: *Cant. 3.* O felix anima, quæ ſe Deo dicat, & ad Deum dirigit ſe, & omnia ſua. *Op. de 7. Itiner. ætern. itin. 1. c. 5. & de Profect. religioſ. l. 2. c. 59.*

492. *Omnia à Deo ordinantur ad ſui gloriam.*

Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Deus: impium quoque ad diem malum. Quomodò poſſunt ſubſiſtere hæc duo contraria: ſi Deus ad ſui gloriam

tiam omnia ordinat, ergo ad bonum? ſed quomodò etiam impietatem noſtram ad bonum ordinat? ſed attende quod Deus ordinat omnia ad ſui gloriam, bonum quidem directè, non ſolùm, quia cunctarum rerum naturam condit, ſed etiam impietatem noſtram ad ſuam gloriam ſubordinat, ſaltem occaſionaliter; quia ex malo ſemper elicit bonum, ideſt magnificentiam, non ſolùm ſuæ potentiæ, & bonitatis, ſed & juſtitiæ. *l.2.d.34.per totam & d.35. qu.2.& d.37. a.1.qu.1.*

493. *Juſti omnia ordinant ad Dei gloriam: impii ad ſui ipſorum.*

Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus: impium quoque ad malum. Si ergo univerſa operatus eſt Deus ad ſui gloriam, ergo non contemnenda ſunt iſta? ergo amanda; ſed adverte, quod duplex eſt amor, alius eſt rerum creatarum, ſed relatus in finem ultimum; ſic juſti his omnibus utuntur; & omnia iſta amant propter Deum, alius eſt non relatus in finem ultimum, ſed ſiſtens in rebus creatis; hicque eſt proprius impiorum, quorum amor terminat in creatura. *In Ecclesiaſt. proœm. in Luc. c.17.v.9. ſap. c.11. l.1.d.1.qu.2.*

494. *Arrogantia, & ſuperbia Deo abominabilis.*

Abominatio Domini eſt omnis arrogans; etiam ſi manus ad manum fuerit, non erit innocens. Vide quomodò Deo abominabilis eſt, & exoſa omnis arrogantia, nempe altitudo ambitionis, præſumptionis, & oſtentationis: & ideo à Deo deprimitur, etiam ſi manus fricat manum, ideſt hominibus videatur innocens, quia Deus videt cor. *In Luc. c.16.v.15.*

495. *Qui vult à Deo miſericordiam, ipſam in proximum exerceat.*

Miſericordia, & veritate redimitur iniquitas: in timore Dei declinat omnis à malo. Cur miſericordiâ redimitur iniquitas, & non potius pœnitentia; ſed attende, quod dicit miſericordia, & veritate, ſcilicet pœnitentia, ſed tamen primo loco ponit miſericordiam, ut ſcias; quod qui miſericordiam à Deo prætendit, debet in proximum miſericordiam facere, & ex ſeipſo cognoſcere quæ ſunt proximi. *Ser.1. Dom.1. Pentec.*

496. *Qui vult animam per peccatum Diabolo venditam, recuperare, miſericordiam, & veritatem exerceat, timoremque Dei habeat.*

Miſericordiâ, & veritate redimitur iniquitas: in timore Dei declinat omnis à malo. Nota conjunctionem miſericordiæ, & veritatis optimam; ut videas, quod qui vult redimere animam Diabolo venditam per peccatum, debet & juſtitiam, & pietatem, & timorem Dei habere; ſcilicet per veritatem juſtitiæ in punitione, & deteſtatione vitiorum per pœnitentiam purgare culpam: per pietatem miſericordiæ in ſubventione pauperum, per eleemoſynas pœnam remittere; & hoc in timore Dei, ut in principio omnis boni per quem declinat omnis à malo; nam qui ſine timore Dei eſt, non juſtificabitur. *Serm. 1. Dom. 1. Pentec.*

497. *Eleemoſyna de juſtè acquiſitis ſolùm, eſt Deo grata.*

Miſericordiâ, & veritate redimitur iniquitas. Iterum nota hanc conjunctionem miſericordiæ & veritatis; ſcilicet juſtitiæ: dat enim intelligere, quod ad hoc, ut eleemoſyna ſit Deo grata, & ſatisfactoria debet eſſe cum juſtitia, ſcilicet de juſtè acquiſitis; nam qui ipſam juſto titulo non poſſidet, tenetur potius reddere, quàm dare. *L.4.d.15.q.2.a.2.qu.1.*

498. *Sine pace cum proximo, & bello cum ſeipſo, homo non poteſt Deo placere.*

Cum placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque ejus convertet ad pacem. Ecce quod, qui vult placere Deo, debet neceſſario pacem habere cum omnibus, maximè cum inimicis: bellum tamen gerere cum ſe ipſo. *Ser.2. fer.3. Paſchæ. & in Ioan. collat.66.*

499. *Qui quærit gratiam ſolùm apud Deum: gratiam etiam, & pacem invenit apud homines.*

Cum placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque ejus convertet ad pacem. Attende ad hæc verba, & connecte ipſa cum iis, quæ protulit B. Virgo Maria *Luc.1.* quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes: nempe quia amabilis fuit Deo; ideo amabilis fuit, & laudabilis apud homines: ſic, ſi placuerint Domino viæ tuæ: ſi gratiam apud Deum quæſieris toto corde, pacem, & amabilitatem invenies cum hominibus, etiam inimicis. *in Luc. c.1.v.48. & ſer.2. fer.3. Paſchæ.*

500. *Lucrum parvum melius cum juſtitiâ; quàm maximum cum Dei offenſa.*

Melius eſt parum cum juſtitiâ; quam multi fructus cum iniquitate. Ideſt melius, & optimum lucrum, etiam minimum cum juſtitiâ; quàm ingens aliquod cum Dei offenſa: talis enim mercator iniquus vendit fidem, & juſtitiam pro eo quod nihil valet; lucrum aggregat in arcâ, damnum in conſcientiâ; acquirit pecuniam, & amittit juſtitiam. *Luc. c.16.v.11.*

501. *Gratia à Deo neceſſaria, & ipſius auxilium ad perficiendum noſtras cogitationes.*

Cor hominis diſponit viam ſuam; ſed Domini eſt dirigere greſſus ejus. Quaſi dicat quantumcumque, & quantumlibet diligentiam adhibueris in tuis rebus, niſi adveniat Dei gratia dirigens, impedimenta auferens, & negotium perficiens, fruſtra laborabis: prius autem requiritur Domini inſpiratio, deinde hominis cooperatio, & tandem directio Dei operantis. *Pſal.118. c.8.v.16. in Luc. c.1.v.79.*

502. *Qui ſolum Deum, ejuſque gratiam quærit, vel opera ſua ad Deum dirigit, & gratiam, & alia bona acquirit.*

Cor hominis diſponit viam ſuam: Septuaginta legunt modo præceptivo. Cor viri diſponat viam ſuam, ut à Deo dirigantur greſſus ejus: vel ut alii legunt ex hebræo: librabit greſſus ejus: quæ tranſlatio nobis moraliſſimum ſenſum ſuppeditat, & conformem illi ſententiæ Salvatoris *Matth.c.6.* quærite primùm regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis quaſi dicat: Hoc agat homo apud ſemetipſum ſerio & conſideratè ſtatuat, quid facto opus ſit, ut à Deo dirigantur greſſus ejus: ut ſcilicet Deus in promptu ſit ad dirigenda opera: nam taliter operanti, Deus librabit greſſus ejus: ideſt viam greſſibus regeodis aptam offeret, & planam abſque impedimentis, quæ greſſus retardare poſſint. Quæramus igitur prius Deum, theſaurum omnium bonorum, & hæc omnia adiicientur nobis; ipſe enim nobis providebit animabus, & corporibus neceſſaria tanquam gratuitus largitor, largiſſimus adminiſtrator, pius conſolator, ſollicitus gubernator, copioſiſſimus redemptor, æternus conſervator, ditator, & glorificator. *Ser. 2. 3. & 4. Dom.24. Pentec.*

503. *Infallibilis veritas Sacræ ſcripturæ expenditur.*

Divinatio in labiis regis, in judicio non errabit os ejus. Divinatio, ideſt divinorum narratio in labiis regis: ſcilicet in libris utriuſque teſtamenti, in judicio non errabit os ejus; ideſt quia ſunt valde correſpondentia, abſque eo, quod in aliqua re etiam minima deficiant. *Op. de invisibilitate Dei ſap.c.5.*

504. *In ſtatera juſta Deus examinat bonos, & malos; & omnia opera noſtra.*

Pondus, & ſtatera judicia Domini ſunt; & opera ejus omnes lapides ſacculi. Nota ad intelligentiam hujus textus, quod pondus eſt ſtatera grandis ad pendenda graviora: & ſtatera idem ac bilanx ad leviora pendenda; de quibus poteſt dici primo, quod licet videantur adinventa à lege humana, tamen judicio, & præcepto id factum eſt divino, unde ipſas violantes, à Principibus temporalibus, & etiam à Deo juſtè, puniuntur; ſed tamen ad Deum propriè ordinatur hic textus; dans nobis intelligere, quod Deus eſt juſtiſſimus ponderator omnium actuum noſtrorum, & bonorum, & malorum, qui in judicio juſtiſſimè ponderat & bonos, & malos in ſtatera ſuæ juſtitiæ; in qua boni inclinabunt ad dexteram, mali ad ſiniſtram: quæramus igitur ponere opera noſtra in parte dextera, ne in judicio propendamus ad ſiniſtram: Docet item, quod Dei opera, omnia ſunt ponderata ſecundùm infinitam, & infallibilem ſuam providentiam, abſque eo, quod poſſit cadere minimus defectus. *Pſal.118.v.153. & c.7.v.6.*

505. *Interceſſio Sanctorum quàm efficax ad placandam iram Dei: ubi de efficacia orationis S. Antonii Patavini.*

Indignatio regis nuncii mortis: & vir ſapiens placabit eam. Ecce quomodò Spiritus ſanctus, quomodo poſſit placari indignatio divina; nempe medio viro ſapiente: ideſt media interceſſione ſanctorum, qui ſuis meritis, & ſanctis actionibus apud Deum plurimum valent: hocque præcipuè quotidiana experientia patet in interceſſione D. Antonii Patavini; qui tamquam bonus miniſter Deo fideliter miniſtravit, & ejus iram erga ſe, & alios ſuis precibus mitigavit. *Ser. 2. de S. Anton. in Vatican. & in ſermon. in addit.*

506. *Impii ſuis malis operibus provocant Deum ad indignationem.*

Indignatio regis nuncii mortis. Unde talis indignatio? ex operibus noſtris malis, quia mala ſunt corda, plena diſcordia, odio venenoſa, in omnibus fraudulenta: mala ſunt noſtra verba, maledica, detractoria, ad malum inducentia, vana, inſuper & mundana: mala item opera, ut probant latrocinia, homicidia, adulteria, & ſimilia, quibus provocatur continuè ira Dei: & væ nobis; ſi per ſanctorum bona, orationes, & interceſſiones non placaretur Deus. *Ser. 2. de S. Anton.*

507. *Sapientia, & prudentia cæleſtis pretioſior auro, & argento:* Sic dicitur hic: poſſide ſapientiam, quia auro melior eſt, & acquire prudentiam, quia argento pretioſior; quia ſapientia, & prudentia ſunt bona moralia, ditantia incomparabiliter animam. *Pſal.118.c.8.v.15.*

508. *Superbia fons, & origo omnis dejectionis, & ruinæ.*

Contritionem præcedit ſuperbia: & ante ruinam exaltatur Spiritus. Vide quale malum eſt ſuperbia: nam ipſa eſt cauſa omnis everſionis, & ruinæ; nec datur dejectio, vel ruina quam non præcedat ſuperbia; & ipſa quo major eſt, eo majoris caſus, & ruinæ eſt cauſa; ut expertus eſt ſpiritus, ideſt Diabolus. Fuge, tamquam à ſerpente ſuperbiam, & ſectare humilitatem, ſi vis à Deo exaltari. *Ser.3. Dom. quadrag. & in Luc. c.18.v.14.* Tu ergo cum te humiliari videris, habeto ſignum illud in bonum, omnino argumentum eſt gratiæ appropinquantis: nam ſicut ante ruinam exaltatur cor; ita ante exaltationem humiliatur: quia Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam, melius ergo eſt humiliari cum mitibus, quam dividere ſpolia, & exaltari cum ſuperbis, ait hic ſapiens *Op. meditat. c.15.*

509. *Verba dulcia ligant, & placant homines: & hoc eſt proprium Sapientis viri.*

Qui ſapiens eſt corde, appellabitur prudens; & qui dulcis eſt eloquio, majora percipiet. Communiter exponitur iſte textus in prima parte de homine ſapiente ſibi ipſi tantum; & ſecunda pars, de homine ſapiente, qui etiam ſuam doctrinam aliis communicat: iſte enim majori laude dignus

nus eſt; ſed tamen exponi poteſt de viro ſapiente, & prudente, qui verbis dulcibus quærit mitigare iram proximi; imo & Deum ipſum: verbum enim dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos, etiam tyrannos crudelitatibus aſſuetos: ſic fertur de Dioniſio tyranno Athenarum, quod cum in quodam convivio, quidam de ipſius tyrannide murmuraſſent, & apud eum accuſati fuiſſent, ille furore plenus, eis vocatis, ſi vera hæc eſſet relatio, requiſivit: tunc unus jucundè ait: niſi nobis defeciſſet vinum; nihil eſt quod diximus, in comparatione ejus, quod dixiſſemus: tunc ille riſit, & placatus eſt. *Ser. 2. de S. Anton.* Hoc notent maximè Prælati, & correctores religioſi in increpationibus, quas faciunt ſuis ſubditis. *Op. ſpecu. diſcipl. p. 1. c. 10.*

510. *Quale eſt deſiderium cordis, tale eſt opus externum: unde hic dicitur: Anima laborantis laborat ſibi, quia compulit os ſuum.* Scilicet deſiderium cordis; & ideo movetur anima ad deſiderium hoc complendum, qui enim deſiderat, quaſi os aperit. *in Ecclen. c. 6.*

511. *Detractio quale malum.*

Vir impius fodit malum; & in labiis illius ignis exardeſcit: Homo perverſus ſuſcitat lites, & verboſus ſeparat Principes. Vide quale vitium ſit detractio; nam reddit hominem impium antonomaſticè, virum diabolicum, qui judiciis ſiniſtris fodit malum, intrans in interiora proximi; & ignem ſecum ferens, ſuſcitat rixas: quia ut perverſus ſimulator vertit ſermones modo in hanc, modo in illam faciem, & partem, concordes animos diſſocians; & verboſus, ſuſurroque deferendo ab uno ad alium, Principes etiam ſeparat ab amicitia: ſic communiter expoſitores. *At S. Bonav.* applicat hæc iis ſubditis, qui detrahunt Prælatis: iſti enim ſeparant ſubditos à Prælatis, & Prælatos à ſubditis; per quod ſpiritualem Eccleſiæ principatum, & regimen impediunt: unde ſicut non decet ſubditum obloqui de Prælato, ſic nec Prælatum decet de facili credere obloquentibus de ſubdito. *Op. de Eccleſ. Hierar. p. 3. c. 1.*

512. *Laudator fictus quàm pernicioſus: ubi de ſcandaloſo.*

Vir iniquus lactat amicum ſuum; & ducit eum per viam non rectam. Quid eſt lactare? Hoc eſt laudare verbis adulationis; his enim intendit decipere amicum ſuum, & ducere eum in præceps: ô quot adulatores hypocritæ animas ad perditionem ducentes. *In Luc. c. 20. v. 21. in Ecclen. c. 7. in Thren. c. 2.*

513. *Senectus venerabilis expenditur: item & ſenectus vituperabilis.*

Corona dignitatis ſenectus, quæ in viis juſtitiæ reperietur. Hic extollit ſapiens ſenectutem venerabilem, quæ ſcilicet eſt cum vita immaculata: ſic enim moribus eſt dulcior, in conciliis utilior, ad conſtantiam ſubeundæ mortis paratior, ad reprimendum libidines fortior: diciturque corona dignitatis: quia, ut etiam Philo apud Anton. Monachum in *Meliſſ. p. 1 ſer. 17.* notavit, canities coronæ vicem gerit; ſignificans ſapientiam, & prudentiam, mentem, & rationem, & conſilium ſanum: hoc dicitur de ſenectute venerabili: de vituperabili autem dicitur oppoſitum: nempe illi, quibus non conſilium, nec prudentia, nec patientia, nec pudicitia eſt; ſed deteriores quaſi in omnibus ſunt, quam juvenes de quibus dicit *Ezec. 15.* quod tenent dorſum contra templum Domini; ſcilicet ſunt querulí, triſtes, impatientes, accidioſi, tenaces, avari, laudantes antiquos, vituperantes modernos, & eo avariores, quo magis ad mortem accedunt, nec curantes de mortuis ſubveniendis parentibus, cum debeant eos breviter ſequi: iſti ſunt vituperium ſenectutis. *In Ioan. collat. 91. in Luc. c. 2. v. 36. ſer. 1. Dom 24 Pentec.*

514. *Victoria ſui in homine glorioſior, quam expugnatio exercituum & urbium.*

Melior eſt patiens viro forti: & qui dominatur animo ſuo expugnatore urbium. Ecce quid operatur in homine patientia, & victoria paſſionum propriarum, contra iracundiam, impatientiam, & amorem proprium: in iſto enim regnum animæ ſecundum imperium rationis dirigitur, & carnis petulantia, & voluptates reluctantur: Hæcque victoria glorioſior quàm expugnatio exercituum, & urbium: nam & dicitur melior; quia in expugnatore urbium, & fortitudine, quam homo exercet bellando in alterum, ira dominatur in ipſo, & ſolum dominium ei advenit rerum temporalium; ſed in miti, & patiente acquiritur dominium ſui, poſſeſſio Dei, & jus ad regnum cælorum. *Op. Diet. tit. 7. c. 2. ſer. de Angel ſer. 5. Hexam.*

515. *Dominium, & abjectio ſui eſt fundamentum totius fabricæ ſpiritualis.*

Melior eſt patiens viro forti; & qui dominatur animo ſuo expugnatore urbium. Nota hunc terminum, melior, ideſt robuſtior, fortior, & perfectior, ut videas, quod qui ex corde & animo vero, non ficto, ita ſe vincit, ac dominatur animo ſuo, ac ſupercilio carnis ſuæ quod nolit aliquid reputari, ſed ſperni, ut abjectus, & vilis; majus eſt hoc, quam vincere urbes: Vide ergo quod donec pervenias ad hunc gradum, nihil tibi videri debet te feciſſe: nam cum in veritate omnes ſimus inutiles, etiam cum omnia fecerimus juxta verbum Domini *Luc. 17:* quouſque in hoc abjectionis gradu non ſumus; adhuc in veritate non ſumus, ſed in vanitate conſiſtimus, & ambulamus: vide ergo quomodo hoc eſt fundamentum totius fabricæ ſpiritualis. *Op. medit. c. 15.*

516. *Qui ſui dominium acquirit triumphat etiam de Mundo, & diabolo.*

Melior eſt patiens viro forti: & qui dominatur animo ſuo, &c. Comparat facet textus & præfert patientem viro forti, & expugnatori urbium: quis eſt iſte vir fortis? iſte eſt diabolus; per orbem intelligitur Mundus; datque intelligere; quod qui acquirit ſui, & ſuarum paſſionum dominium, iſte eſt melior, robuſtior dæmone & mundo quia ſeipſum, carnem, diabolum, & mundum ſuperat. *Op. Eccleſ. Hierar. p. 1. c. 1. ſer. 1. Hexam. in Luc. c. 1. v. 38. & c. 21. v. 19.*

517. *Prælatus*

517. *Prælatus regens alios, debet ſui ipſius dominium prius acquirere.*

Melior eſt patiens viro forti: & qui dominatur animo ſuo expugnatore urbium. Hæc verba diriguntur ad expugnatores, & dominos urbium, & Prælatos populorum: daturque intelligi, quod non eſt bonus Prælatus, nec bene poterit regere ſubditos, ſi ſervus erit vitiorum; & niſi ſui ipſius, & propriarum paſſionum dominium habuerit: quomodò enim poterit recte alios regere, qui ſe ipſum neſcit regere, & qui captivus, & ſervus ſuæ voluntatis propriæ eſt? *Op. Eccleſ. Hierar. p. 2. c. 1.*

518. *Salus & gratia non à diſpoſitione humana; ſed à Deo dependet.*

Sortes mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperantur. Nota, quod per hanc ſimilitudinem dat nobis Deus notitiam veritatis catholicæ; nempe quandiu ſortes in urna, ſeu in ſinu ſunt, incertæ ſunt, & ancipites, quoad extrahantur, & electionem perficiant: ſic & ſalus, & acquiſitio, conſervatioque gratiæ anceps eſt, donec à Deo immittatur, nec ſtat in diſpoſitione humana, ſed in Dei providentia, & bonitate. *in Luc. c. 23. v. 35.*

CAPUT XVII.

519. *Conſcientia vermis rodit, & abigit omnem animæ quietem.*

MELIOR *eſt buccella ſicca cum gaudio; quam domus plena victimis cum jurgio.* Hic textus poteſt intelligi de domo conſcientiæ, & de quiete, vel verme ipſius exiſtentis in ſtatu vel peccati, vel gratiæ: datque intelligere, quod ubi eſt jurgium, ideſt vermis rodens conſcientiam, ibi omnis quies, & gaudium ablegatur: & è contra, ibi reſidet omnis infirmitas, & pœna; ideo remorſus conſcientiæ dicitur morbus regius; eſtque ille, qui rodit carnem: diciturque regius, quia in expenſis ſuperat alios: oportet enim, ut ex gallinis, & ex aliis delicatis cibis paſcatur, qui ſuper morbum ponuntur, ne caro totaliter conſumetur: quo tamen non obſtante, tandem caro ultimatè conſumitur: ſic eſt talis morbus remorſus conſcientiæ, qui plus cruciat quàm delectet dulcedo jucunditatis tranſitoriæ, & mundanæ: quæ autem pœna gravior, quàm interioris vulnus conſcientiæ? Nonne hoc magis fugiendum, quàm mors? quàm diſpendium? quàm exilium? quàm debilitas? quàm dolor? quid prodeſt recondere ſe, & oculos hominum, aureſque evitare? Bona conſcientia turbam advocat; mala autem etiam in ſolitudine anxia, atque ſollicita eſt: ſi honeſta quæ facis, omnes ſciant; ſi turpia quid refert neminem ſcire, cum tu ſcias, & experiris? ô te miſerum, ſi contemnis hunc teſtem, ubicumque enim abieris, reatus tui conſcientia te non derelinquet! *Op. Diet. ſal. tit. 8. c. 1. & Pharet. l. 3. c. 2.* Vide ergo quod melior eſt buccella ſicca, ideſt parva ſubſtantia cum conſcientiâ munda, quàm divitiæ maximæ, & menſa omnibus deliciis refecta cum remorſu conſcientiæ; gaudium enim conſcientiæ mundæ ſuperat incomparabiliter quodlibet aliud mundanum, &c. *Op. Diet. tit. cuat.*

520. *Euchariſtiæ deliciæ ſuperant quaſcumque alias creatas.*

Melior eſt buccella ſicca cum gaudio; quam domus plena victimis cum jurgio. Notandum qoòd D. Thomas, aliique exponunt hunc textum de Euchariſtià, & meritò: dicitur autem buccella ſicca, tum quia eſt incruenta hoſtia, quæ cum gaudio ſummo percipitur; tum quia eſt ſicca quoad efficientiam, ſcilicet exſiccans carnalium appetituum humores: & propter hanc exſiccandi facultatem exponunt illa verba *Cant. 5.* comedi favum, vel panem, ut legunt 70. cum melle meo: quia ut ait Galenus: mel habet hanc vim exſiccativam; *quod & ſeraph. Doct. itidem exponit de ſacram. Euchariſtiæ.* Dicitur igitur hæc buccella, ſeu panis ſiccus, melior quacumque alia re delicioſa, ſeu voluptuoſa, & meritò; nam iſte panis datur nobis ut verus cibus, & verè guſtabilis, ut per guſtum corporis ejus perveniatur ad guſtum divinitatis ejus; quia ipſe eſt via per humanitatem ad divinitatem: ex qua manducatione oritur attingentia ſpiritualis per fidem, & charitatem, vitamque veram; ita ut manducans, poteſt verè dicere: comedi favum, ideſt panem cum melle meo; ſcilicet comedi corpus virgineæ carnis, dulciſſima divinitate repletum. *Op. de 7. itin. æternit. it in 6. d. 5. & 6.*

521. *Pax vera majus bonum, quàm quodcumque aliud.*

Melior eſt buccella ſicca cum gaudio, quàm domus plena victimis cum jurgio. Nota, quod hæc etiam referuntur ab expoſitoribus ad exaltandam pacem: taliſque redditur ſenſus: melior eſt tenuis cenſus cum gaudio pacis; quàm fortunæ immenſæ cum jurgio: & meritò; nam Pax eſt ſtatus, in quo eſt delectatio in Deo abſque contradictione ulla; ideo eſt bonum, quod omnia appetunt, & complementum omnium bonorum, ſine quo nihil eſt bonum. *Op. Comp. Theol. l. 5. c. 54. in Ioan. collat. 66. & l. 3. d. 37. qu. 1. & Op. incendium c. 2.*

522. *Virtus, & probitas vitæ aufert omnem notam contractam ex nativitate.*

Servus ſapiens dominabitur filiis ſtultis; & inter fratres dividet hæreditatem. Quomodò poteſt hoc verificari? ergone ſervi, ſi ſapientes ſint inter hæredes Domini computari debent? ſed attende, quod ad litteram alludit ad morem variarum nationum, in quibus Domini, carentes ſucceſſione, ſolent adoptare in filios aliquem ſervorum, ex magis benemeritis. Myſticè dat intelligere, quod probitas vitæ, & virtus, ſignificata per ſapientiam, tollit omnem notam ex nativitate contractam, & reddit ſervos tales Dominis ſuis charos, ut filios: ſic legitur de ſervo Centurionis, qui ipſi erat pretioſus. *In Luc. c. 7. v. 2.*

523. *Igne tribulationis expurgat Deus ſuos à ſcoria peccati, tamquàm aurum, & argentum.*

Sicut igne probatur argentum, & aurum camino: ita corda probat Dominus. In his verbis traditur multiplex probatio, quæ à Deo in ſuis ſervis fit igne tribulationis, & pulchram affert ſapiens ſimilitudinem auri, & argenti, quæ igne purgantur qui inter omnia elementa maximè eſt activus, & ſummè penetrativus, & ob id ſuper omnia diviſivus & purgativus; ideo ſicut artifex, ut expurget omnem ſcoriam, eamque ſeparet ab auro & argento; ſic Dominus Deus ſuos ſervos, tanquam aurum, & argentum collocat in camino tribulationum; ut ab ipſis frigus tollatur, durities removeatur, rubigo peccati, & vitiorum conſumetur, & pulchritudo inducatur, caloreque inflammentur amoris Dei. *Ser.1.& 2.de S.Laur.*

524. *Contra ignem maculantem, & deformantem, Deus alium ignem illuminantem, & mundantem ponit.*

Sicut igne probatur aurum, & argentum: ſic Deus probat corda hominum. Cur igne probat Dominus ſuos? Hoc dicitur, ut pateſiat, quod Deus contra ignem infernalem peccati inficientem, maculantem, & deformantem animam, oppoſuit ignem purificantem, & illuminantem animam: qui ignis eſt gratia, & charitas divina; iſta enim rubiginem peccatorum conſumit: calefacit calore Spiritus ſancti, mollit dulcedine ſpirituali, reddens animam pulchram, charamque Deo: ô quàm deſiderabilis eſt iſte ignis, qui ſanctos vivificat, lætificat, glorificat, in bono confirmat, & conſervat. *Ser.1.& 2.de S.Lauren.*

525. *Deus ſuos juſtos in Purgatorio, igne purgat & lavat.*

Sicut igne probatur aurum, &c. Iſta poſſunt applicari purgationi, quam facit Dominus in juſtis, exiſtentibus in Purgatorio: ibi enim opera plura, quæ apud nos videntur aurea, tamen quia apud Deum ſunt immixta cum luto, & paleis, in Purgatorio igne mundantur. Si igitur non vis in Purgatorio conflari in igne, purga te in hac vita ab omni ſcoria igne tribulationis, & pœnitentiæ. *Ser.1.de S. Laur.*

526. *Pauperum oppreſſio quàm Deo exoſa: ſubventio quàm chara.*

Qui deſpicit pauperem exprobrat factori ſuo: & qui lætatur de ruina alterius, non erit impunitus. Vide qualem curam habeat Deus, ne pauperes deſpiciantur, & ne proximus lædatur: dat enim in his verbis intelligere, quod qui deſpiciunt pauperes, abominantur inopes, affligunt humiles, perſequuntur debiles, dicuntur Deo exprobrari; quia eos impunitos Deus non relinquit: & è contra qui miſeretur pauperis, beatus erit. *Ser.2.in feſt.omn.Sanc.* Nota autem, quod deſpiciens pauperem, dicitur exprobrari factori ſuo; ſcilicet Deo, qui data opera, & ad ſervandum ordinem ſuæ infinitæ providentiæ, poſuit in Mundo pauperes, quorum ipſe eſt Pater, & protector; vultque in ipſis recognoſci ſpecialiſſimo modo, dicens: quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis: ergo contemptus pauperum eſt veluti contemptus Chriſti; & contra Chriſtum blaſphemia, & exprobratio. *Ser.2. in feſt.omn.ſanc.& ſer.3.Dom.2. poſt oct. Epiphan. & ſer.4. in cœna Domini: & ſer.3. in Paraſce.*

527. *Parentum gloria eſt bona educatio filiorum: & gloria filiorum eſt imitatio virtutum parentum: ubi de religioſis imitantibus mores fundatoris.*

Corona ſenum filii filiorum: gloria filiorum Patres eorum. Quæ corona eſt hæc parentum? & ſi filii ſint pertinaces, & impii, qualis gloria eſt hæc? ſed adverte quod hic loquitur de parentum obligatione in filios: Pater enim eſt filiis cauſa eſſendi, cauſa nutrimenti, & cauſa diſciplinæ; ideo ſi rectè educantur à Parentibus, ipſorum corona erunt filii, & filii filiorum imitatores: ſic etiam, ſi filii erunt imitatores morum parentum bonorum, talis inſtructio, & imitatio erit ipſis filiis gloria: quod maximè verificatur in fundatoribus Religionum, & in filiis imitatoribus ipſorum? non enim eſt gloriandum de profeſſione niſi fuerit operum competentium perfectio. *in Ioan. c.8. v.39. & cap.5. verſ.20.*

528. *Confidentia in Deum quales divitias affert: in mundo quam vana.*

Eius, qui fidelis eſt totus mundus, illius autem, qui infidelis eſt, neque obolus. Nota quod iſta verba, licèt non adſint in textu vulgato, in Biblia Græca tamen poſita ſunt, & à SS. PP. expenduntur, quorum ſenſus eſt talis ſecundùm D. Hierony. ejus qui fidelis eſt, ideſt qui credit, ſpem ſuam in Deo collocans, totus mundus divitiarum eſt, ſcilicet talis fiducia eſt ei veluti mundus plenus divitiis; ei autem, qui non habet in Deo, ſed in mundo confidentiam, neque eſt obolus: & meritò quia confidentia in mundo eſt vana & vacua, & ſicut tela aranearum: confidentia verò in Deo affert omnia bona animæ, & corpori: ideſt lumen menti, delectationem voluntati, liberationem à malis, & exauditionem orationis. *In Ioan. collat.74. ſer.3. Dom.23. Pentec.*

529. *Spes in Deum gemma pretioſiſſima.*

Gemma gratiſſima expectatio præſtolantis: quocumque ſe vertit prudenter intelligit. Quid eſt hæc expectatio præſtolantis, ſcilicet de longè videntis: & quomodò dicitur gemma gratiſſima, ſi expectatio, & ſpes, quæ differtur affligit animam? Nota quod hic loquitur ſacer textus de ſpe in Deum: hæc meritò dicitur gemma pretioſiſſima, & gratiſſima; eſt enim Deo placita, facitque hominem Deo charum, & pretioſum; eſt etiam gratiſſima animæ ſperanti, quia facit videre licèt à longe, & ſperare bona cæleſtia, & ideo rectè ſperans in Deum, quocumque ſe vertit prudenter intelligit, & invenit conſolationem. *Op. Diet.tit. 5.c.4. Pſal.118.c.6.v.15. & in Luc.c.12.v.34.*

530. *Celare, & oblivisci injuriarum eſt conforme juri, & lumini naturali; detegere verò eſt actus contra naturam.*

Qui celat delictum, quærit amicum. Ideſt qui acceptam injuriam, vel aliud delictum cognitum proximi, quærit amicum, ideſt operari ſecundum naturam: contra naturam verò eſt facere oppoſitum, quaſi dicat remittere injurias eſt actus proprius hominis: vindicare verò eſt actus exuens hominem humanitate, & in beſtiam transformans. *l.4.d.17.p.2.a.1.qu.2.*

531. *Qualis circumſpectio in Prælato exigitur circa ſubditorum correctionem.*

Plus proficit correctio apud prudentem: quam centum plagæ apud ſtultum. In his verbis datur norma Prælatis, quod non omnes ſubditi eodem modo debēt tractari in correctionibus; nam ſubditus prudens, ſcilicet cognoſcens bonum, & malum, cum lenitate debet corripi, corripi inquā debet de defectibus commiſſis, ut cognoſcat pondus ſuorum defectuum, & cæteri peccare magis timeant; hoc autem leniter, & clemēter fiat ut propter lenitatem remedii ipſum non pœniteat ſe pœnitētiæ ſubmiſiſſe; ſtultus autem, & protervus debet graviter, & publicè puniri, tum ad aliorum exemplum, tum ad ipſius emendationem: & ſi non prodeſt talis correptio, & caſtigatio, debet ejici, ut ovis putrida, ne ſana membra inficiantur. *Op. de ſex alis Seraph. c.7.*

532. *Vir iracundus antonomaſticè dicitur malus: qualiter à Deo punitur: ubi de iræ effectibus.*

Semper iurgia quærit malus: Rebellis, legit Hebræus: amarus legit Chaldeus: Angelus autem crudelis mittetur contra eum: Angelus ſine viſceribus, ſeu eviſcerans legunt Symmacus, & alii. Quis eſt iſte malus, ſemper jurgia quærens? nonne plures ſunt mali, non quærentes jurgia? ſed attende quod hic loquitur de iracundo, & rixoſo, qui antonomaſtice dicitur malus: cum ferat ſecum alia graviſſima peccata: nam ira eſt accenſio ſanguinis circa cor, ob idque febris ſpiritualis graviſſima, & mortalis, fertque ſecum peccata cordis, ſcilicet perverſum judicium malignæ cogitationis; item dura verba injurioſæ convitiationis in ore, & pravum maleficium fraternæ læſionis in opere, & ideo graviter punitur à Deo: addit enim: Angelus crudelis mittetur contra eum: ſcilicet quia nec ira habet miſericordiam nec erumpens furor; ideo juſto Dei judicio aliquis alius ſuperior viribus, & ſæviſſimus contra illum emittetur: vel dæmon aliquis ſæviſſimus ut meritas ab illo pœnas expoſcat: & ob id ira, & iracundus figuratus eſt in illo obſeſſo à dæmone, de quo dixit Chriſtus *Luc.* 11. quod diabolus aſſumit ſecum ſeptem ſpiritus nequiores ſe. *Ser.3. Dom.3. quadrag. & ſer.1. Dom.5. Pentec. & ſer. de S. Martino.*

533. *Pacis inimici & rixoſi quàm Deo exoſi, & ab ipſo puniti.*

Semper jurgia quærit malus: Angelus autem crudelis mittetur contra eum. Vide quàm exoſi ſint Deo rixoſi inimici pacis: ex hoc quod ſemper quærunt jurgia & rixas, & diſrumpunt pacem cum proximis, ſeminantes diſcordias: contra quos mittetur à Deo Angelus crudelis, eos ſemper perſequens; & meritò: Nam qui pacem frangit, & à ſe abjicit abdicatur à Patre, exheredatur à Filio, & alienus à Spiritu ſancto efficitur. Pacem igitur qui accipit teneat, qui perdidit repetat, & qui amiſit requirat. *Op. Phare. l.4.c.16. ſer. de S. Martino.*

534. *Inſeipſo confidens, incorrigibilis eſt.*

Expedit magis urſæ occurrere raptis catulis, quàm ſtulto confidenti in ſtultitia ſua. Vide quale malum eſt præſumptio, & nimia confidentia in ſua ſapientia; nam magis eſt incorrigibilis, quàm urſa rabida raptis catulis: hæc enim humana arte poteſt caveri, vel ſuperari: at talis præſumptuoſus nullis rationibus poteſt ſuperari. *In Ioan. collat.74.*

535. *Lex Dei, gratiæque: lex mundi, & lex diaboli qualis.*

Qui reddit malum pro bonis, non recedet malum de domo ejus. Hic alluſio fit ad triplicem legem: alia enim eſt lex Chriſti: alia mundi: alia diaboli: nam lex diaboli reddit malum pro bono: lex mundi reddit bonum pro bono, & malum pro malo: at lex Chriſti non ſolùm reddit bonum pro bono, ſed etiam pro malo: & hæc habet triplicem gradum: primus eſt reddens bonum pro bono, & quantum in ſe eſt, nolens nocere alteri: ſecundus non reddit mala pro malis, ſed potius ſuſtinet nocentem: Tertius reddit bonum pro malis: & ſolus hic habet veram pacem: qui verò ſectatur legem diaboli, iſte à Deo graviter punitur. *Op. de dono tim. c.4. l.3. d.35. a.1. qu.2. Pſal.* 118. *c.10. ſer de S. Mart.*

536. *Quale peccatum Judicum condemnantium juſtos, & abſolventium reos.*

Qui iuſtificat impium, & qui condemnat juſtum abominabilis eſt uterque apud Deum. Locus iſte ad judices impios dirigitur: datque intelligere eorum impietatem, dum ob reſpectus humanos condemnant juſtum, & juſtificant impium; quodque eſt Deo ſuper omnia abominabile. *In Ioan. c.5. v.32.*

537. *Judicii temerarii impietas expenditur.*

Qui iuſtificat impium &c. Quis eſt qui juſtificat impium & condemnat juſtum, niſi ille, qui judicat temerariè proximum: dicit enim bonum malum, & malum bonum; & malum ponderat gravius in proximo, quàm in ſeipſo: iſteque dupliciter peccat: nam ſeipſum, cum ſit perverſus, juſtificat, & ſuum proximum condemnat. *in Luc. c.6. v.37. & 42.*

538. *Superbos ſupra ſe, ſe extollentes Deus præcipitat: vel qui ſuper ſe in altum ſe extollit, quærit ruinam.*

Qui altam facit domum, quærit ruinam: & qui evitat diſcere, incidet in mala. Quomodò hoc verum eſt? Nonne plures potentes in altum erigunt

gunt domus, & Palatia, nec in ruinas incidunt? Sed attende ad Luciferum, & vide, quod ipſe voluit erigere ſe ſupra ſe,& ſuper propriam conditionem, ſuperbiendo; & ideo cæcidit, & præcipitatus eſt in infernum: ſic dat omnibus intelligere ſacer textus, quod qui, ſuperbiendo ſe extollit de divinis beneficiis, cum Lucifero quærit ruinam, cum eodem corruendo. Vide igitur, quod ſi ſic aſcendas, etiam paulatim, non paulatim deſcendes, ſed præcipitaberis ſicut fulgur velociter, crudeliter, & irrevocabiliter; cave ergo, & ne quæras alta, ne in ima deſcendas: & ab exemplo Luciferi diſce ruinam ſuperborum: ſic & idem accidit ædificantibus turrim juxta Siloë de quibus loquitur Chriſoſtomus ad hanc rem qui oppreſſi ſunt ruina ipſius, quaſi ex improviſo. *in Luc.cap.10. verſ.18. & cap.13. verſ.4.*

539. *Altitudo præſumptionis, ambitionis, & oſtentationis quàm Deo exoſa.*

Qui altam facit domum ſuam, quærit ruinam. Notandum eſt, quod hic loquitur non de domo materiali, ſed morali: nempè de eo, qui in altum ſe erigit per præſumptionem, nimium in ſe confidens; & qui per ambitionem ſe ſuper alios erigere volens: & qui per oſtentationem ſe oſtendere prætendit quod non eſt: iſte quærit ruinam; quia talis altitudo faſtuoſa ruinoſa eſt, & Deo exoſa. *in Luc.c.16.v.15.*

540. *Qui ædificat cum Dei offenſa, & proximi damno, ædificat ad ruinam.*

Qui altam facit domum quærit ruinam. Nota, quod non loquitur præcisè de ædificatione domus, ſed ſolùm de illa, quæ fit in quacumque attentata materia cum Dei offenſa, & proximi; ſicut fecit Herodes cum ſuis collateralibus, qui Chriſto machinati ſunt mortem, ut ſtabilirent dominii conſervationem: & propter hanc cauſam ad ruinam fabricaverunt. *Ser.1. Dom. infra oct.Nativit.* Vide ergo, quod qui diſpendio proximi, vel ruinâ ædificat, & auget, & multiplicat ſuas fortunas, iſte certiſſimè ad ruinam ſuam ædificat. *Ibid. & ſer.1.Dom.24. Pentec.*

541. *Sine doctrina Chriſti non poteſt quis ſalvari: ubi de ſchola doctrinæ Chriſtianæ.*

Et qui evitat diſcere, incidet in mala. Ergone quilibet tenetur ſcholas frequentare, & ſcientias addiſcere? maximè: ſed attende quod hic ſermo eſt de ſchola doctrinæ Chriſtianæ; & de ſcientiis, quæ ibi addiſcuntur: in iſta autem Chriſti ſchola proponitur cauſa finalis, formalis, & materialis ſcientiarum Chriſtianarum: cauſa finalis eſt non vanitas, non lucrum, non honor; ſed eſt profectus animæ, ad quem facit receſſus à malo, profectus in bonum, & poſſeſſio optimi, ſcilicet virtutum: cauſa formalis eſt ut audiantur lectiones Chriſti humiliter, reverenterque, vivaciter in mente retinendo, & ruminando, meditandóque monita ſalutaria: item, & veraciter, & efficaciter; ſcilicèt operando ſecundùm eadem monita Chriſti: cauſa materialis circa quam exercetur ſtudium eſt timor reverentiæ, amor benevolentiæ ad Deum, & proximum, & rigor juſtitiæ Dei præmiantis, & punientis: qui igitur evitat diſcere iſta, incidet in mala: & qui ex oppoſito, ſtudet diſcere, ſciet vitare malum, & bonum acquirere vitæ æternæ. *ſer.2.de uno S.Doct.*

542. *Chriſtus verus amicus noſter, nos omni tempore, & inceſſanter dilexit, & diligit; ut nos ad ſui amorem attraheret.*

Omni tempore diligit qui amicus eſt: frater in anguſtiis comprobatur. Quis eſt iſte amicus, tam inceſſanter diligens? Advertendum, quod dilectio eſt ſicut mors, & infernus; ſcilicet quòd ſemel ab eis rapitur, nunquam dimittitur, talem amorem exercuit, & exercet in nos amicus noſter, ideſt Chriſtus verus amicus, & amator noſter; qui omni tempore ſemper dilexit nos: omni tempore reſpectu ſui, quia ſemper infinitam ſuam charitatem exercuit in nos ab inſtanti ſuæ conceptionis, uſquè ad mortem; & nunc exiſtens in cœlo: & reſpectu noſtri, ſcilicet à nativitatis tempore noſtræ, uſque ad mortem; nunquam enim aliqua hora præteriit ſine ſuæ dilectionis beneficiis: diligamus ergo & nos ipſum inceſſanter in hoc tempore; ne in aliâ vitâ odium ipſius contrahamus. *Ser.1. fer.2. Pentec.*

543. *Idem confirmatur.*

Omni tempore diligit qui amicus eſt. Nota illud verbum: omni tempore, per quod patefit ipſius Chriſti miſericordia, & amor; nam ſemper, ideſt ab æterno dilexit nos, & in omni tempore cum eſſemus ipſius inimici; quia pro liberatione noſtra in patibulo ſe fecit ſuſpendi, & quotidie in altari pro nobis moritur: quia ibi verè repreſentatur ejus mors, & ideo altè elevatur à ſacerdote, quaſi patibulum de ſuis manibus faciente & tamen nos ingrati vivimus, ut latrones, & protervi, immerſi in voluptatibus, & peccatis. *Ser.2.Dom.12.Pentec.*

544. *Amor noſter in Deum debet eſſe ſicut mors, & infernus.*

Omni tempore diligit, qui amicus eſt. Illud verbum, omni tempore, idem eſt ac ſicut infernus & mors, ut dicitur *Cant.* 8. nempe exigit Deus, tam ardenter nos diligens, & inceſſanter, quod ipſum inceſſanter, continueque, ſine diminutione diligamus ſicut mors, & infernus, quod ſemel rapiunt, numquam dimittunt: ſic exigit à nobis Deus, ut ſemper adimpleamus ejus præcepta per timorem filialis reverentiæ. *Ser. 4. Dom.17.poſt Pentec.& ſer.1.de S.Laurent.in addit.*

545. *Amicus verus Chriſti non ipſum deſerit tempore tribulationis.*

Omni tempore diligit, qui amicus eſt: & frater in anguſtiis comprobatur. Ergo qui amicus eſt Chriſti, non ſolùm ipſum continuè debet diligere, ſed nec ipſum debet deſerere in anguſtiis, & tribulatione: ſic ſancti dilexerunt Chriſtum, ſemper parati pro ipſo mori, ſufferre vulnera, verbera, & verba: hinc fortis eſt dilectio vera ut mors, imo fortior, quia non ſuperatur à morte; ſed ipſa ſuperat mortem. *Ser.1. de S. Iacob.in Luc.c.12.v.30.*

546. *Qui in tempore anguſtiæ deſerit amicum, verè amicus non eſt.*

Omni tempore diligit, qui amicus eſt: & frater in anguſtiis comprobatur. Hoc quidem veriſſimum, & certiſſimum eſt: nam amicus, qui utilitatis cauſa aſſumptus eſt, tandiu durabit, quamdiu utilis eſt: in vera autem amicitia, nihil aliud debet placere, præter ipſam; & amicus verè eſt qui etiam in tempore anguſtiæ talis eſt. *Ser. 1. de S. Iacobo ſer. 10. de Apoſtol. in Luc. c. 16. v. 4. & c. 12. v. 30.*

547. *Sapientia cæleſtis docilis, ſuadibilis, bonis conſentiens: Diabolica rixas meditatur.*

Qui meditatur diſcordias, diligit rixas &c. Compone hunc textum cum ſententia *D. Iacobi c. 3.* ſi zelum amarum habetis, & contentiones ſint in cordibus veſtris; ſapientia iſta eſt terrena, animalis, & Diabolica: ſapientia autem deſurſum, eſt pacifica, ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordiâ: & perſpicies quod hic incuſantur: qui ſtudent aliis contradicere, atque his pugnantia, & adverſa ſentire, numquam alienis ſententiis acquieſcentes; ſed omnibus obloquentes, & contradicentes: iſti rixas diligunt, eorumque ſapientia diabolica eſt, & animalis. *Pſal. 118. c. 1. v. 16.*

548. *Mundus ex Diabolo natus, & ab ipſo educatus.*

Qui perverſi cordis eſt, non inveniet bonum: & qui vertit linguam, incidet in malum. Loquitur hic ſacer textus de homine invido, & proximo averſo: iſte enim, quia in corde machinatur malum proximo ſuo; & ob id utitur lingua ſua & verbis doloſis in damnum proximi, iſte non invenit bonum: quia tales cogitationes ſeparant à Deo; & in malum proximo machinatum incidunt. *Pſal. 118. c. 3. v. 4. in Ecclen. c. 1. Op. Dict. tit. 1. cap. 4.*

549. *Gaudium, & triſtitia animæ redundat quoad effectus in corpore: ubi de Accidia.*

Anima gaudens, floridam ætatem facit, Spiritus triſtis exſiccat oſſa. Quomodò id poteſt verificari? ergo affectus animæ redondant in corpus? maximè: quia cum reſideat ſpiritus in corpore, eique unitus ſit, maximè propter colligantiam redundant ejus effectus in corpore: & ideo non eſt mirum, ſi accidia reſidens in anima, etiam exſiccat oſſa. *L. 4. d. 23. a. 1. qu. 1. ad 3. & ſer. 3. Dom. 3. quadrag.*

550. *Sacramentum extremæ unctionis quomodò alleviet corpus infirmum.*

Anima gaudens, floridam ætatem facit. Hæc verba poſſunt etiam aptari ſacramento extremæ unctionis: quod licet principaliter ordinatum ſit ad bonum ſpirituale animæ, etiam poteſt alleviare corpus infirmum: & ratio eſt, quia cum corpus ſit unitum animæ, per conſequens ipſa ſentiens alleviationem à culpâ, & gaudium ſpirituale per accidens redundat in Corpus, & hoc ex inſtitutione Chriſti. *l. 4. d. 23. a. 1. qu. 1. ad 3:* Pende, ly, ex inſtitutione Chriſti, quia iſte effectus eſt peculiaris, & proprius hujus ſacramenti.

551. *Peccatum non ſolùm inficit animam; ſed etiam Corpus.*

Spiritus triſtis exſiccat oſſa. Per ſpiritum triſtem intelligitur anima peccato infecta, ex quo oritur triſtitia, & licet ſubjectetur in animâ, tamen per conſenſum etiam redundat in corpus. Duo enim ſunt in peccato, ſcilicet culpa, & ſimptomata, ſeu ſequelæ peccati; per primum inficitur, & maculatur anima, per ſecundum inficitur corpus. Vide ergo quam grave malum ſit peccatum, ait S. Chryſoſt. & quam graves ſint animi ſordes. *L. 3. d. 34. qu. 1. a. 1. & in Luc. c. 6. v. 11.*

552. *Cupiditas in corde judicum, eos pervertere facit à rectitudine juſtitiæ.* Unde hic dicitur: munera de ſinu, impius accipit, ſcilicet de ſinu, vel corde cupido, & infecto avaritia, munera accipiens, pervertit ſemitas juſtitiæ. *In Luc. c. 16. v. 22.*

553. *Ex ſignis exterioribus cognoſcitur qualitas bona, vel mala cordis interior.*

In facie prudentis lucet ſapientia: oculi ſtultorum in finibus terræ. Ecce quàm verum eſt, quod alibi dicit Spiritus ſanctus *in Eccl. c. 19.* ex viſu cognoſcitur vir: nempe bonitas, vel malitia apparet ex converſatione, & aſpectu externo: & ideo ſicut medici per aſpectum faciei judicant, qui ſint cholerici, qui melancholici, qui ſanguinei, quive flegmatici: ſic eſt in ſpiritualibus; nam in naturalibus humorum interiorum diſpoſitio, faciem exterius colorat, & quaſi æquè, quantùm poteſt, aſſimilat; ſic interiorum morum diſpoſitio exteriorem hominem ordinat: ergo aſpectus exterior compoſitus indicat rectitudinem: & è contra: Vide igitur quam prudenter antiqui vanos aſpectus mulierum ita deteſtabantur, ut etiam tales uxores à ſe abiicerent. *Ser. 1. de S. Greg. in Ecclen. c. 8.*

554. *Sapiens oculos cordis ad Cælum fixos habet: ſtultus ad fines terræ.*

In facie prudentis lucet ſapientia: oculi ſtultorum in finibus terræ. Vide hic diſcrimen inter ſapientem, juſtumque, & ſtultum, impiumque: nam ille oculos defixos habet ad Cælum; & Deum, iſte ad fines terræ, ſcilicet ad extremitates paſſionum terrenarum: vitium enim reſidet in extremitatibus, virtus in medio. *Pſal. 118. c. 10. v. 1. ſerm. 1. de S. Anton. in addit.*

555. *Qualis diſciplina ſervanda à religioſis in geſtu membrorum.*

In facie ſapientis lucet prudentia: oculi ſtultorum in finibus terræ. Vide hic qualis diſciplina ſervanda in exteriori geſtu membrorum, maximè à religioſis: nam amatores honeſtatis, oculos, os, brachiorum, manuumque officia exterius componunt: Diſſoluti è contra diſſolutionem in membris oſtendunt. Caveant ergo religioſi à nimia

evagatio-

Digitized by Google

evagatione oculorum, à cachinnis, & à quacumque alia diſſolutione; quia ex ſignis exterioribus cognoſcitur qualitas interior mentis. *Op. ſpecul. diſcipl. p. 1. c. 24.*

556. *Filiorum mores boni, vel mali redundant in gaudium, vel mærorem Parentum.*

Ira Patris, Filius ſtultus: & dolor Matris, quæ genuit eum. Ecce quomodò bonitas, vel malitia filiorum redundat etiam in parentes: nam ſicut filius probus, & morigeratus gaudium eſt Patri, & Matri; ſic è contra, filius improbus, & degener, patrem ad iracundiam concitat; ita ut in illum crudeliter ſævire compellitur; doloremque Matri adjungit; ut fert Auguſtinus de Monica Matre ſua, dicens: flebat, & ejulabat mater mea; atque illis cruciatibus arguebatur rea reliquiarum Evæ, cum gemitu reparturiens, quod cum gemitu pepererat: *ſic Aug. lib. 5. confeſſ. ſer. 1. Dom. infra oct. Epiph.*

557 *Silentii laudes; & linguæ moderatio expenduntur.*

Qui moderatur ſermones ſuos doctus, & prudens eſt: & pretioſi ſpiritus vir eruditus. Iterum teſtificat ſapiens ſilentii laudes, & virtutem, moderationemque linguæ: Dat igitur intelligere, quod virtus ſilentii non mediocriter ad perfectionem cooperatur religioſo homini: cum enim in multiloquio non deſit peccatum, ut ſupra c. 10. dictum eſt; quia ex nimia loquela, frequenter ſequitur injuria tam Dei, quàm proximi; ſic ex ſilentio naſcitur juſtitia, prudentia, & ſapientia cæleſtis: ſequitur enim compunctio cordis ex ſilentio; quia homo, cum tacet, cogitat vias ſuas, ſuoſque defectus, & ob id facile excitatur ad compunctionem; ſimulque demonſtratur ſilentio, quod homo ſit cæleſtis, quia fugit, & abhorret converſationem hominum: & ſi cogitur ad loquendum, id facit parcè, cautè, & cum maturitate; per quod oſtendit ſuam prudentiam, & ſapientiam, & pretioſitatem animæ. *Op. de perfec. vitæ c. 4. & regula novit. c. ult.* Nota etiam, quod ſapiens ſubdit: ſtultus quoque ſi tacuerit, ſapiens reputabitur; ut videas quanta ſit vicinitas taciturnitatis, & ſapientiæ: ut etiam ſtulti tacentes digni obſequio reputantur. *Ser. 2. Hexam.*

CAP. XVIII.

558 *Inordinatæ paſſiones animæ convertunt apparenter bonum in malum: & è contra; maximè in electionibus Prælatorum.*

OCCASIONEM quærit, qui vult diſcedere ab amico: omni tempore erit exprobrabilis. Hæc ſententia explicat malam conſuetudinem plurium; qui pertæſi veteris amici ſibi fingunt injurias, contumelias, aliaſque cauſas ob ſtudium diſtrahendæ amicitiæ ut ab amico diſcedant, & ut dicebat *S. Gregor. Nazian. orat. 14.* tali amico ficto heſterno die pius eras, hodie impius es, cum nec verbo, nec re quidquam addideris, vel detraxeris, ſed in eadem ſententia hærens: heſterno die Joſeph eras, Judas, vel Caïphas hodie. Sic & legitur de Paulo Apoſtolo *Act. c. 22. v. 12.* quòd cum una die omnes tam ſcribæ quam Phariſæi clamaſſent: Paulum dignum eſſe morte; altera die cum ſe declaraſſet eſſe Phariſæum, & de genere Phariſæorum: Phariſæi ipſum prædicaverunt innocentem, & ſpiritum, vel Angelum locutum ei fuiſſe: *Act. c. 23. v. 9.* quia has metamorphoſes operatur bona, vel mala affectio, & inordinata in homine: ſic & legitur de Chriſto, quem modo Judæi honorabant, modo mortem ei machinabantur; ut notat *S. Doct. ſer. 1. Dom. infra oct. Nat. in fine.* O qualem vim habet inordinata affectio in anima, quales mutationes, & transformationes cauſat: Utinam hæc peſtis non ſerpat inter religioſos, maximè in electionibus Prælatorum.

559. *Qui ſibi videtur doctus, & magnus; ſtultus eſt, incorrigibiliſque.*

Non recipit ſtultus verba prudentiæ, niſi ea dixeris, quæ verſantur in corde ejus. Ecce quid facit in corde arrogantia, & inordinata æſtimatio ſui; nam qui ſibi videtur doctus, & prudens, ſtultus quidem efficitur, & incorrigibilis; & doctrinam ſanam putat contumeliam, nolens ex ſua ſuperbia reprehendi: cave ergo à tali arrogantia, & præſumptione tam noxia *in Luc. c. 11. v. 45. & c. 8. v. 53. & c. 16. v. 14. in Eccleſ. c. 1.*

560. *Religioſi ſpiritu Dei ducti recipiunt libenter admonitiones, & valde æſtimant minimas obſervantias religionis:* è contra, diſſoluti, ſuperbi, fatui ea contemnunt vocantes tales obſervantias modò ceremonias, modò ſuperſtitiones, vel impugnantes calumniis fucatis: de quibus verificatur hæc ſententia: non recipit ſtultus verba prudentiæ. *Op. ſpec. Diſcipl. in Prolog.*

561. *Peccatorum multiplicationis effectus peſſimi expenduntur: ubi de quatuor dimenſionibus obſtinationis: altitudine, latitudine, longitudine, & profunditate.*

Impius, cum in profundum venerit contemnit: ſed ſequitur eum ignominia, & opprobrium. Quid contemnit? & quodnam eſt hoc profundum? in profundum cadit impius multiplicans peccata, ideſt in profundum obſtinationis per conſuetudinem, & tunc contemnit omnem correctionem Dei, & proximi. *Op. Diæt. tit. 1. c. 2. & Comp. Theol. l. 3. c. 7. Pſal. 72 ſap. c. 16.* Nota autem, quod deſperatio dicitur profundum, per quod alluditur; & refertur etiam ad altitudinem, latitudinem, & longitudinem, quæ ſunt quatuor malitiæ dimenſiones, ac peccati: altitudo malitiæ eſt jactantia; & elatio, cum quis ſe gloriatur de malitia: latitudo eſt inanis præſumptio de divina miſericordia, quia dilatat quicquid timor aſtringit: longitudo eſt conſuetudo, aſſiduitas, & perſeverantia peccandi; ex quibus ſequitur profunditas, ſcilicet obſtinatio, & deſperatio: & quia ex Græco nomine profundi, ſeu imi venit centrum: hic poteſt inferri, quod peccator in hoc profundo ſit velut in centro: & ſicut in centro

eſt quies, conſervatio, & unio rei locatæ; ſic in hoc profundo centro peccator quietem experitur, ideſt tranquille; ſic miſerrimus conquieſcit, abſque eo, quod adnitatur ab ipſo reſurgere: item conſervationem, quia in culpis ſuis ſemper vel diutiùs perſeverat: item & unionem, ſcilicet cum aliis ſceleratis, & conſimilibus impiis: & ideò tales miſeriæ nec peccatorem exturbant, vel agitant & uſque ad obitum perdurant, & repetita coëunt, & veluti conglobata mutuò ſibi hærent: Vide igitur peſſimos effectus multiplicationis peccatorum: *Sic ex Seraph. Doct. cit. & Hugone, Lirano aliiſque.*

562. *Verbum divinum dicitur fons ſapientia, quia procedit à filio Dei*, qui eſt fons ipſe ſapientiæ cœleſtis irrigans totam Eccleſiam: unde hic dicitur aqua profunda, verba ex ore viri, ſcilicet Chriſti: & torrens redundans fons ſapientiæ. *Op. princ. Sacra Scriptura.*

563. *Judices, & Prælati in medio ſtant abſque acceptione perſonarum.*

Accipere perſonam hominum, non eſt bonum, ut declines à veritate judicii. Notent hoc documentum Spiritus ſancti Judices, & Prælati, quorum munus eſt in medio ſtare, qui cauſas, non perſonas debent reſpicere, & non declinando ad extremitates, juſtitiam exhibere ſine acceptione perſonarum. *Op. Eccleſ. Hier. p. 1. c. 4. in Ioan. collat. 72.*

564. *Accidiæ & pigritia effectus peſſimi.*

Pigrum dejicit timor: animæ autem effeminatorum eſurient. Vide quales effectus pariat accidia, & pigrities: nam non ſolùm facit deterere ab operando ob timorem adeundi laboris; ſed etiam augere facit paupertate, & fame; ſicque ſordeſcunt accidioſi in ſua ipſorum miſeriâ. *Pſal. 118. c. 7. v. 13. in Ioan. c. 6. v. 35.*

565. *Stadium perfectionis exigit feſtinantiam, & fervorem: mollities, & negligentia perfectionem tollit.*

Qui mollis, & diſſolutus eſt in opere ſuo, frater eſt ſua opera diſſipantis. Hoc documentum valde notabile advertant, qui iter perfectionis incipiunt, & profitentur: nam ait ſapiens: ſicuti ille, qui ſocordiâ, & pigritiâ ſolutus intercipit, ſimilis eſt illi, qui parta jam bona evertit, ac diſſipat; ſic qui perfectionis iter incipit cum fervore, & poſtea ſe remittit, ex ſocordia, & pigritia: iſte enim contra ſeipſum ſic pugnat, quod directè jam à ſe factum deſtruit; & ideo nunquam tales ſtulti ad cacumen perfectionis pervenient, qui hodie modicum, vel multum aſcendunt, & poſteà tædio affecti ad locum unde venerunt, vel ad ſtatum, unde receſſerant, redeunt ad quieſcendum; & in peccatorum, ſeu vanitatum vallibus, ſeu imperfectionum planitie, credunt ad aſcenſum fieri fortiores; ignorantes, quod vix poterunt ad locum, ſive ſtatum, ad quem jam aſcenderant pervenire: & hæc eſt ratio, quare tam pauci verè ſummitatem perfectionis attingunt; quia diſſipant ſiſtendo, vel molliter, & pigritanter operando, quod magno labore collegerunt: Tu igitur, ô Religioſe, quære ſemper aſcendere, nec deſiſte, & in brevi pervenies quò tendis *Op. ſtim div. amor. p. 3. c. 4. in Luc. 15. v. 13. in Eccleſ. c. 9.*

566. *Fortitudo donum Spiritus ſancti turris fortiſſima contra vitia.*

Turris fortiſſima nomen Domini: ad ipſam currit juſtus, & exaltabitur. Nota quod fortitudo donum Spiritus ſancti eſt turris; quæ talis exhibetur illi, qui nomen Domini invocaverit toto corde: fortiſſima quidem turris eſt hæc; quia eſt habitus negotians circa ardua, & quo habilitatur voluntas ad ſuſtinendum pro Chriſto, ejuſque fide, & veritate omnem pœnam etiam mortem; & ideo per hanc ſancti facti ſunt fortes in bello, tortores domantes, ſpiritum roborantes, virtutibus coruſcantes, terrena deſpicientes & in altum cæleſtia appetentes: occidi poſſunt, flecti non poſſunt. *Op. de dono fortitud. c. 1. in Luc. c. 14. v. 30.*

567. *Turris fortiſſima eſt nomen Jeſu, item & Mariæ.*

Turris fortiſſima, &c. Per hoc nomen intelligunt plures expoſitores nomen ineffabile Jehovah, quod eſt Ieſu, conſtans quatuor litteris, conſtituens turrim quadratam, & fortiſſimam; per quod datur intelligi, quod nomen ſanctiſſimum Ieſus (intellige, & proportionaliter de nomine Mariæ) eſt hæc turris fortiſſima, ad quam qui confugerit, & intraverit, vimque illius hauſerit, velut in turri fortiſſima tutus erit: quia in hoc nomine conſequetur veniam, gratiam, victoriam, & gloriam: ô magna virtus hujus nominis. Idem & intellige proportionaliter de nomine Mariæ, quia ad ejus invocationem Dæmones fugiunt, Angeli accurrunt, & ipſum nomen diligens beatus eſt; quia in ipſo gratia Mariæ propagatur. *Op. ſpecul. B. V. c. 11. & c. 3. & Pſalt. B. Virg. Pſal. 1. ſer. 4. Circum. Pſal. 118.*

568. *Oratio ad Deum in altum perfectionis provehit, & ab omni malo defendit.*

Turris fortiſſima nomen Domini: & ad ipſam currit juſtus, & exaltabitur. In ſacra Scriptura nomen ſæpe ſignificat, & ſumitur pro invocatione, & imploratione ad Deum; daturque intelligi, quod oratio eſt velut turris fortiſſima ob altitudinem, & firmitatem: elevat enim animam ad metam perfectionis, & in tuto collocat eam, defendendo ab inimicis. *In Luc. c. 13. v. 5. op. Incend. c. 2. & de prof. relig. l. 1. c. 25. l. 2. c. 5. & 69.*

569. *Exaltatio, & humiliatio ſemper ſunt conjuncta vel in bonum, vel in malum.*

Antequam conteratur exaltatur cor hominis: & antequam glorificetur, humiliatur. Vide quod ex ſententia Dei ſemper ſunt conjuncta ſimul exaltatio, & humiliatio, in malum quidem ſuperbis, qui poſt exaltationem à Deo humiliantur: in bonum humilibus, qui poſt humiliationem à Deo exaltantur *In Luc. c. 4. v. 9. c. 10. v. 19. c. 18. v. 14.*

570. *Sapientis, & ſtulti reſponſiones expenduntur.*

Qui prius reſpondet, quam audiat; ſtultum ſe eſſe demonſtrat, & dignum confuſione. Ecce qualis differentia inter ſapientis, & ſtulti collocutiones, & reſponſiones, nam ſtultus antequam interrogetur, reſpondet: nempe vel non interrogatus, vel ignarus, vel inconſideratus: è contra, ſapiens, & prudens prius audit interrogationes, & examinat quid dicendum, ut ſapienter reſpondeat. *Pſal.* 118. *c.* 3. *v.* 10. Nota autem, quod in tribus maximè cavenda eſt præcipitata reſponſio: in judiciis ante examen: in conſiliis ante deliberationem, in ſcholis, antequam addiſcatur. *Sic Ugo Cardin.*

571. *Ad Prædicationis vel confeſſionis munus ſtulti ſe conferunt non vocati vel miſſi, vel inhabiles.*

Qui prius reſpondet, quam audiat, &c. Hæc etiam applicantur à SS.PP. illis qui ad prædicationis, & confeſſionis munus ultro, & ex proprio cerebro conferunt non vocati, vel miſſi, vel indocti, & inhabiles. Non igitur affectes fieri Prædicator, vel Confeſſor: quia ſi dignus fueris Dominus ad hoc te vocabit: ſi autem indignus, & non idoneus, erit tibi confuſio major, ideo quia tu injeceris. Inde eſt, quod multi aliquando parum, vel nullum fructum conſequuntur de prædicationibus, vel confeſſionibus; quia non vocati à Deo veniunt, & non miſſi currunt, prius volentes facere fructum in aliis, quàm in ſe fixerint radices virtutis; & ideo fructus eorum non eſt durabilis, quia immaturus producitur. *Op. de inſt. Novit. p.* 1. *c.* 15.

572. *Patiens, & mitis, maximè Prælatus, aliorum imbecillitatem confirmat: impatiens intolerabilis videbitur.*

Spiritus viri ſuſtentat imbecillitatem ſuam: ſpiritum verò ad iraſcendum facilem quis poterit ſuſtinere? Hic ſacer textus intendit ſuadere, maximè Prælatos ad mititatem, & patientiam; eo quia ſua ipſorum patientia cujuſlibet alterius, præcipuè ſubditorum, imbecillitatem confirmant ſcilicèt uſu, alloquio, & exemplo: è contra, impatientes reddunt puſillanimes ſubditos, enervant ipſorum animum, auferunt confidentiam, & ipſi redduntur intolerabiles. *Op. de ſex alis Seraph. c.* 5.

573. *Oratio, & bona opera ſunt munera, quibus via ad Deum nobis aperitur, & ad ſocietatem Angelorum nos transferunt.*

Donum hominis dilatat viam ejus, & ante Principes ſpacium ei facit. Quodnam eſt hoc donum tam efficax. Nota quod ſicut donis, & largitate homo ſibi comparat gratiam principum; ſic & in ordine ad Deum: excipit enim à nobis noſtra dona: & quænam ſunt? ſunt hæc, oratio, charitas, beneficentia, & alia opera bona: iſta nobis aperiunt, & dilatant viam ad Deum adeundum, & faciunt quod & nos inter principes ſuos ſcilicèt Angelos conſortium mæreamur. *Ser.* 1. *Dom.* 16. *poſt Pentec.*

574. *Converſio peccatoris exigit ante omnia confeſſionem peccatorum; per quam poſteà venit Chriſtus ipſum illuminans: Hypochrita è contra ea tegit ne videantur.*

Iuſtus prius accuſator eſt ſui. veniet amicus ejus, & inveſtigabit eum. Nota quod ſapiens ad litteram dirigit litigantem, ut primò præfigat ſibi juſtitiam, ipſamque proponat judici; per quod conciliabit judicem. Myſticè verò dirigit peccatorem ad hoc, ut concilietur cum Chriſto, & ab ipſo illuminetur; dicit igitur, quod peccator, volens juſtitiam acquirere, debet prior, antequam accuſetur in judicio Dei, eſſe ſui accuſator per confeſſionem culpæ claram, integram, & perfectam: ſic enim prior deteget, ut infirmus vulnus medico Chriſto ut curetur, & ſic minuet gravitatem peccatorum; & Chriſtus amicus factus, inveſtigabit eum, ſcilicet curabit, & illuminabit: Hæc autem inveſtigatio debet fieri à confeſſario prudenter: E contrà hypochrita ſuas maculas tegit, ne videantur, & ut appareat bonus; contra quem veniet Judex, & interrogabit, & publicabit ſuam turpitudinem. *Ser.* 1. *de S. Marco ſer.* 4. *Dom. Trinit. op. Diet. tit.* 2. *c.* 3. *in Luc. c.* 5. *v.* 27. *c.* 14. *v.* 18. *c.* 18. *v.* 10. *l.* 4. *d.* 19. *dub.* 5. Nota etiam, quod hac de cauſa, ſacerdos licet ſit legatus, & nuncius Dei, tamen in principio miſſæ, ſe peccatorem confitetur, dicens: Confiteor Deo, &c. ut Deum ſibi, & Populo conciliet ante omnia. *Op. expoſit. miſſæ c.* 2.

575. *Congregatio, in qua viget concordia, eſt civitas firma: ubi diſcordia eſt ibi omne periculum, & ruina.*

Frater, qui adjuvatur à fratre, quaſi civitas firma & judicia quaſi vectes urbium. Ecce quid operatur in Congregatione charitas, & cócordia; & è contra, diſcordia: nam ubi viget charitas, ibi mutuum auxilium in neceſſitatibus corporalibus, & ſpiritualibus; ideſt mutua reluctatio, mutua conſolatio, & mutua defenſio: & ſi hæc exercetur, ecce civitas firma, & fortis, quadrata fundamento omnium virtutum: ſi verò ibi judicia, & lites ſunt, ſic eſt quaſi vectes, ideſt portæ ejus apertæ, & expoſitæ, & liberæ ingreſſui hoſtium. *Op. ſpecul. diſcipl. p.* 1. *c.* 2. *& de ſex alis Cherub. & Ecleſ. Hierar. p.* 4. *cap.* 4. *Pſalm.* 84. *Eccl. c.* 4. *in Luc. cap.* 6. *verſ.* 14.

576. *Mors, & vita in manibus linguæ, ratione guſtus, & loquelæ.*

Mors, & vita in manibus linguæ: & qui diligunt eam, comedent fructus eius. Sed cur manus linguæ tribuuntur? habetne lingua manus? maximè, non quidem materiales, ſed metaphoricas; ideſt guſtum inordinatum in cibo, & potu, vel ordinatum: item verba bona, vel mala: in inordinato quidem guſtu ſtat mors, ut experta eſt Eva; in ordinato vita: ſic dicebat S. P. Franciſcus. In verbis verò malis, mors peccati multiplex: quia impugnat divinam majeſtatem per verba jactantiæ, & blaſphemiæ: item divinam veritatem per mendacium, & dolos: item bonitatem per verba blandientia, & ſcandaloſa: item mutuam charitatem per verba litigantia, provocantia ad malum: item honeſtatem per verba

verba impudica, & infructuoſa, & detractoria: vita verò eſt in manibus linguæ per verba ſancta, pia, fructuoſaque. *in Luc. c.16. v.24. op. legenda S.P.Fran.c.5.*

577. *Qui invenit Mulierem; & uxorem bonam, invenit maximum bonum.*

Qui invenit mulierem bonam, invenit bonum, & hauriet jucunditatem à Domino. Notant hic ſacri expoſitores, quod ſapiens intendit explicare quale bonum ſit viro habere uxorem bonam, ſcilicet pudicam, prudentem, & piam: & obſervandum, quod dicit invenit, non reperit, quia invenire accuratam inquiſitionem, reperire importat id, quod obvio caſu accidit, ut diſcant viri, quod in ducenda uxore, ſtudioſa cura adhibenda eſt pro invenienda muliere bona; quam qui invenit, invenit bonum, ideſt raram, & ſingularem, vel ut legunt 70. gratias, ſcilicet varias, & hauriet jucunditatem, & benevolentiam à Domino Deo; & meritò: nam nihil fortius muliere religioſa, & bona, prudentéque ad deliniendum virum, informandum ejus animum ad quodcumque voluerit. Habemus enim plurima exempla in ſacra Scriptura de fide magna, ſapientia, pietate, & fortitudine mulierum, & bonorum, quæ redundant in familia, viris, & filiis ex ipſarum bonitate. *Op. Phar. l.1. c.8. & Bibl. paup. c.23.24.25 & 26.*

578 *Vir dimittens uxorem bonam dimittit bonum: qui adulteram tenet, impiiſſimus, & ſtultus eſt.*

Qui expellit mulierem bonam &c. Hoc veriſſimum eſt, & patet experientia: nam qui à Deo ditatus eſt uxore bona, & prudenti, eamque dimittit, vel malè tractat, vel inhonorat adulteriis, verè ſtultus eſt, & impiiſſimus; ſtultus, quia non recognoſcit obligationem, quam habet ad Deum, & ſe privat maximo bono: impiiſſimus, quia fidem frangit tanto Sacramento; & hinc eſt, quod Deus eos graviter punit in filiis, in re familiari, & aliis malis. *L.4.d.35.a.1. qu.2. & ſer.1. Dom.24. poſt Pentec.*

579. *Pauper ſit humilis: Dives affabilis.*

Cum obſecrationibus loquitur Pauper: & dives effabitur rigidè. Quaſi dicat: ſolent quidem pauperes boni ſummiſſè, & humiliter, & cum obſecrationibus ad divites confugere, ſed ſæpe divites non affabiles, non benignè, ut deberent, ſed rigidè eis reſpondent: contra quos Deus iratum ſe oſtendit. Deus enim exigit à divitibus pietatem, miſericordiam, patientiam, & humilitatem: à pauperibus verò humilitatem: & ſi illi ſint avari, raptores, ſuperbi, ſine miſericordia; & iſti ſuperbi, bilingues, detractores, fures, malitioſi, otioſi, mendaces, Deo abominabiles ſunt. *Ser.1. Dom.24. poſt Pentec.*

CAP. XIX.

580. *Simplicitas quàm Deo chara: Duplicitas quam exoſa.*

MELIOR eſt pauper, qui ambulat in ſimplicitate ſua; quàm dives torquens labia ſua, & inſipiens. Spiritus ſanctus hic extollit ſimplicitatem cordis, & appellat ſimplicitatem pauperis; ideſt illius, qui doli expers eſt, etiam ſi pauperem vitam degat: & è contra, reprehendit illum, qui doloſè divitias ſuas parat: myſticè autem hoc dicitur de paupere ſpiritu, qui dicitur melior, ſcilicet fortunatior; quia ipſius eſt regnum Cælorum: item & de ſimpliciter audiente verbum, & inſpirationes divinas: & è contra, de illo, qui totum ſuum affectum in terrenis collocat; verbaque Dei, & inſpirationes aſpernatur: ille Deo charus, iſte exoſus. *In Luc. c.6. v.11. & 19. Pſal.118. c.1. v.13.*

581. *Scientia animæ quid doceat.*

Ubi non eſt ſcientia animæ, non eſt bonum: & qui feſtinus eſt, pedibus offendet. Ergonè tanta adeſt neceſſitas ſcientiæ animæ? ergonè omnes incumbere debent ſtudio Philoſophiæ? maximè, ſi de ſtudio Philoſophiæ Chriſtianæ, non mundanæ, agitur, quam docuerunt Sancti: docuerunt quidem, non piſcatoriam, vel aliam artem, non Platonem legere, non Ariſtotelis verſutias inverſare, non ſemper diſcere, & numquam ad veritatis ſcientiam pervenire: ſed quid? docuerunt nos vivere: magnum aliquid, imo maximum eſt hoc: non vivit, qui feſtinus eſt pedibus, ideſt qui ſuperbiâ inflatur, qui luxuriâ ſordidatur, qui cæteris peſtibus ſimilibus inficitur, quoniam non eſt hoc vivere, ſed vitam confundere, & appropinquare uſque ad portas mortis: hæc autem eſt ſcientia animæ, ſcilicet mala pati, & bona facere; & ſic perſeverare uſque ad mortem. *Op. medit. c.48. Pſal.118. c.4. v.11.*

582. *Stultorum eſt adſcribere ſcelera ſua fato, aut ſyderibus; & per conſequens Deo.*

Stultitia hominis ſupplantat greſſus ejus: & contra Deum fervet animo ſuo. Legunt ſeptuaginta: Deum autem accuſat corde ſuo. Notant in hoc textu expoſitores, quod hic Spiritus ſanctus loquitur de illis ſtultis, qui ſua ſcelera adſcribunt vel fato, vel ſyderibus, non ſuæ voluntati; & ob id in Deum culpam conferunt; ex qua ſtultitia oriuntur infinita mala. Dicere autem, quòd mores hominum, & eventus futurorum contingentium liberorum à fato, vel ſyderibus proveniunt, error maximus eſt, & repugnans veritati fidei, & chriſtianæ religioni, & honeſtati morum, & rationi, & ſenſui: tollit enim meritum, & conſequenter præmium, gratiam, & gloriam: culpa item peccantis refunditur in ſyderibus, & licentia malè faciendi ſine reprehenſione conceditur. *L.2. d.14. p.2. qu. ult.*

583. *Amic*

583 *Amici alii veri, alii falſi; & quinam.*

Divitiæ addunt amicos: à paupere autem, & hi, quos habebat, ſeparantur. Litteraliter dat intelligere ſacer textus, quòd in Mundo multi ſunt amici ad menſam, ſcilicet non veri amici; quia iſti deficientibus divitiis, deſerunt ipſos, quos fictè amabant; unde redacti ad paupertatem, deſeruntur à talibus amicis: veri autem amici ſunt qui nec in tribulationibus, & paupertate deſerunt amicum *Ser.10.de Apoſtol.*

584. *Divites ſuadentur ad multiplicandum ſibi ipſis amicos pauperes: ubi de eleemoſyna.*

Divitiæ addunt amicos: à paupere autem, & hi, quos habebat ſeparantur. Suadentur his verbis divites ad multiplicandum ſibi ipſis amicos pauperes de mammona iniquitatis; ſcilicet de divitiis temporalibus, eis pro Chriſto ſubveniendo; ut cum defecerint, recipiant eos in æterna tabernacula: alioquin ſi in hoc deficiant, redigentur in morte ad extremam paupertatem, & deficientiam meritorum; & à talibus receptoribus deſerentur.*Ser.4.Dom.8.poſt Pentec.*

585. *Ubi veræ ſunt divitiæ ſpirituales, ibi multiplicatio amicorum: ubi deſunt, ibi deficientia amicorum auxiliantium in neceſſitate.*

Divitiæ addunt amicos plurimos: à paupere autem, & his, quos habebat, ſeparantur. Hoc poteſt intelligi ſpiritualiter de divitiis ſpiritualibus virtutum; & dat Spiritus ſanctus intelligere, quòd ubi ſunt veræ divitiæ, ſcilicet timor Domini, juſtitia, miſericordia, humilitas, caſtitas, patientia &c. Ibi plurimi amici; ideſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, & Angeli, & ſancti: ubi non ſunt tales divitiæ, ibi paupertas exoſa, & deficientia horum amicorum: & hinc ſicuti ubi multa pauperibus ad portam dantur, ibi ſignum eſt divitis hoſpitii; ſic & talium divitum portis à Deo plura bona exhibentur; & ibi Deus, & Angeli libenter manent. *Serm.2. fer.2. Paſchæ.*

586. *Maria Virgo, quia ſuper omnes dives; ideo in ipſius domo Deus habitavit.*

Divitiæ addunt amicos, &c. ideſt amici in tali domo libenter habitant, & frequentant: ergo quia B.Virgo Maria ſuper omnes creaturas dives fuit abundans veris divitiis ſpiritualibus, ideo meruit ut Deus habitaret in ejus utero, & Angeli ei miniſtrarent. *Ser.1.fer.2. Paſchæ.*

587. *Perjurii peccatum quam grave.*

Teſtis falſus non erit impunitus, & qui mendacia loquitur, non effugiet. Vide quale peccatum ſit perjurium: quia enim deordinat in ordine ad Deum, dum ſummam veritatem contumelioſè adducit ad ejus confirmationem; & in ordine ad proximum dum claudit in ſe mendacium; ideo à legibus, & à Deo graviter punitur. *L.3. d.39. a.1.qu.2.in Luc.c.13.v.3& c.18.v.20.*

588. *Acceptio perſonarum quàm Deo exoſa, tam in Prælatis quàm in ſubditis.*

Multi colunt perſonam potentis: & amici ſunt dona tribuentis Vide qualis ſit praxis mundanorum contraria praxi divinæ, & Angelorum. In mundo enim mundani Principes ſunt acceptatores perſonarum; & amici dona tribuentis: ſubditi item per adulationes, & munera toti ſunt fixi ad conciliandum per fas, & nefas, gratiam Principum: E contra, in ſchola Chriſti, ejus ſequaces ad ſimilitudinem Angelorum; & ipſius Chriſti in medio virtutis ſtant æqualiter ſe exponentes divitibus, & pauperibus. *Op. Eccleſ. Hier.p.1.c.4.*

589. *Multi quærunt Jeſum, non propter Jeſum; ſed ut benè ſit eis in corpore.*

Multi colunt perſonam Principis; & amici ſunt dona tribuentis. Quàm hoc ſit verum; patet experientiâ: & habemus in Evangelio, quod tot millia hominum ſequebantur Chriſtum, non propter ipſum, ideſt non pro favore fidei, nec pro amore ipſius Chriſti, ſed pro panibus, vel deſiderio cibi, vel alimenti, vel ex viſu, vel auditu miraculi: & ideo multi ſunt, qui quærunt Ieſum, dona corporalia tribuentem; ſcilicet ob beneficia Eccleſiaſtica. O quot ſequaces talis generis habet Chriſtus; quot inquam hodie infelices ad ſacros ordines accedunt, & divina myſteria accipiunt, non cæleſtem panem, ſed terrenum quærentes, non ſpiritum, ſed lucrum, non Dei honorem ſed propriam ambitionem, non ſalutem animarum, ſed quæſtum pecuniarum; non Chriſto ſervire mundo corde, & corpore, in ſacris myſteriis, ſed delitiari, ditari, ſuperbire, & luxuriari de patrimonio Chriſti, & de eleemoſynis pauperum, ac Eccleſiaſticas dignitates ambiendo, multis litigiis, & ſimoniis potius rapiunt, quàm aſſequantur: non vocati à Deo, ſed impulſi à diabolo, tanquam Datan, & Abiron. Tu autem homo Dei dirige vota tua, & deſideria ad Deum, & vide quibus affectionibus, & deſideriis trahi debeas ad ſacra myſteria celebranda. *In Ioan.c.6.v.24. op.de præparat.ad Miſſam c.8.*

590. *In ſchola mundi pauperes deſeruntur, divites honorantur: In ſchola Chriſti è contra.*

Fratres hominis pauperis oderunt eum: inſuper, & amici ejus procul receſſerunt ab eo. Vide qualis ſit conſuetudo in ſchola mundi, & Chriſti: in illa enim pauperes deſpiciuntur, derelinquuntur in eorum neceſſitatibus, nec relevatur ipſorum indigentia ut evenit mendico Lazaro: in ſchola Chriſti adjuvantur, foventur, & relevantur pauperes magis, quam divites. *In Luc.c.16.v.21.*

591. *In ſchola Chriſti divites honorantur: pauperes derelinquuntur.*

Fratres hominis pauperis oderunt eum: inſuper & amici ejus procul receſſerunt ab eo. Hæc verba ſumpta myſticè, alium ſenſum à ſuperiori referunt: nam pauperes ſunt peccatores, ut dictum eſt ſupra; pauperes quidem virtutibus, & bonis operibus: divites ſunt, qui abundant virtutibus:

illi ego ſpernuntur à fratribus, ſcilicet ſanctis, ab amicis, ideſt Angelis à proximo, ſcilicet Chriſto: iſti ſunt chari Chriſto, inimici diabolo: honorantur enim, faventur & auxiliantur ab ipſo Chriſto, à ſanctis, & ab Angelis. *Ser. 2. Dom. 3. poſt octa. Paſchæ.*

592. *Amor facit appropinquare ad Chriſtum: tepor procul abſcedere.*

Fratres hominis pauperis oderunt eum: inſuper, & amici ejus procul receſſerunt ab eo. Hoc quidem Chriſto accidit, ut clarum eſt in Evangelio: nam diſcipuli ejus tempore paſſionis, ipſum dereliquerunt; quia amor facit appropinquare Chriſto, tepor amoris abſcedere. *In Luc. c. 22. v. 54.*

593. *Sola B. Virgo non fuit elongata à Chriſto tempore paſſionis.*

Fratres hominis pauperis, &c. Chriſtus ab omnibus, ut pauperrimus, deſpectuſque derelictus fuit ab omnibus, ob teporem amoris; ab omnibus inquam fratribus, ſcilicet Diſcipulis & Apoſtolis, & amicis, & propinquis: ſola B. Virgo Maria non fuit elongata affectu, nec ſitu. *In Luc. c. 23. v. 49.*

594. *Religioſus ſe glorians tantùm de exterioribus, eſt talis tantùm nomine.*

Qui tantùm verba ſectatur, nihil habebit: qui autem poſſeſſor eſt mentis, diligit animam ſuam. & cuſtos prudentiæ inveniet bona. Sapiens in his verbis docet, quinam ſint veri, & perfecti Chriſti ſequaces, & quinam ficti; nam iſti ſunt ſimiles Phariſæis, qui gloriabantur tantùm in exteriori apparentia, & religionis nomine, & in verbis ſcripturæ ſibì laudem, & nomen magiſterii acquirebant: illi ſcilicet veri ſequaces, non verbis tantùm, ſed magis factis, & interioribus actibus ſerviunt Chriſto. Hoc etiam advertant concionatores, ut ſimiles fiant Chriſto, qui factis, & verbis evangelizabat. *Op. de prof. religioſ. l. 2. cap. 69.*

595. *Prædicationis munus eſt docere, & ſimul exemplum patientiæ in ærumnis, & bonorum operum aſſociare.*

Doctrina viri per patientiam dignoſcitur: & gloria ejus eſt iniquè prætergredi. Ecce quale munus eſt Prædicatoris docentis verbum Dei: nempe non ſolùm evangelizare, ſed & in ærumnis, perſecutionibus patienter ſe habere, & omnia iniqua per bona opera, & exemplorum viram prætergredi: ſic S. Ioan. Bapt: contra Herodem fecit, ſic & alii ſancti talique vivendi modo mirabiliter illuminabitur eorum intellectus. *In Luc. c. 3. v. 18. & c. 21. v. 19. & op. de ſex alis Seraph. c. 6.*

596. *Principum, & Prælatorum munus eſt non ſemper rigiditatem, nec ſemper clementiam exhibere ſubditis.*

Sicut fremitus leonis, ita & ira Regis: & ſicut ros ſupra herbam, ita hilaritas ejus. Hoc eſt munus Principum, & Prælatorum, modò ſe oſtendere ut leones, modò, ut Agnos: debent enim reducere populum ſimplicem ad Dei cognitionem, & ad obſervantiam legum, modò per juſtitiam, & ſeveritatem, modò per clementiam, & benignitaten; ut per ſeveritatem formidinem incutiant, & retrahant à malis: & per benignitatem alliciant ad bonum. *Op. Eccleſ. Hierar p. 2. c. 3.* Advertant tamen Prælati Eccleſiaſtici, quod eorum cura potior debet eſſe ut in ſuo regimine magis amentur, quàm timeantur, quia lubentius obeditur Prælato, qui amatur, quàm qui timetur, eo quia obedientia dilectionis propriæ eſt, voluntatis; timoris autem eſt magis coacta, ideo per amorem habet magis de voluntario, & ob id ſublimior in merito. *Op. de ſex alis Seraph. c. 6. & 7.*

597. *Patris familias regimen aſperum, & moleſtum redditur ex filio ſtulto, & malo, & uxore litigioſa.*

Dolor Patris filius ſtultus, & tecta jugiter perſtillantia litigioſa mulier. Jā aliàs ſupradictum eſt, quod ſicut filius ſapiens lætitia eſt Patris: ſic è contra filius ſtultus, & impius dolor eſt ipſi Patri: Addit hìc, quòd mulier litigioſa eſt ſicut tectum jugiter perſtillans, nempe ſicut domus, ex cujus tecto guttæ perſtillant in ipſam, redditur valde incommoda quoad habitandum: ſic & mulier, & uxor litigioſa, & moroſa reddit incommodum, & dolentem jugiter maritum: ſic explicant ſancti Doctores: meritò igitur hoc dicit ſapiens: Nam talis mulier eſt hominis confuſio, inſaturabilis beſtia, ſollicitudo continua, indeſinens pugna, quotidianum damnum, domus tempeſtatis, caſtitatis impedimentum, adulterii vas, viri, & continentiæ naufragium, præcipuum prælium, pondus graviſſimum. *Op. Phar. l. 1. cap. 8.*

598. *Alii ducunt uxorem Deo ſuadente: alii diabolo inſtigante.*

Domus, & divitiæ dantur à parentibus, à Deo autem uxor prudens. Omitto primam partem hujus ſententiæ, quæ eſt per ſe clara: nam certum eſt, quod domus, ſcilicet genus familiæ, & divitiæ derivant à parentibus in filios, quæ tamen à divina providentia ſunt recognoſcendæ: & ſiſto in ſecunda parte textus: *Uxor prudens à Domino:* quæ verba difficultatem ingerunt, cum certum ſit, nuptias à Deo inſtitutas, & ex Dei providentia provenire: quare ergo non etiam dicitur, à Domino uxor ſtulta, & mala? Reſpondetur, quòd, ut ſupra dictum eſt, maximum Dei beneficium eſt quando vir contrahit matrimonium cum uxore prudente: eſt enim ſors maxima: ſecundò, quia, ut notavit Chriſoſtomus *Hom. 1. in c. 1. Matth.* alii accipiunt uxorem ſecundum Deum, & à Deo proviſam in virtute, & cum virtutis, & bonitatis fundamento: Alii ex proviſione diaboli, id eſt non religionis intuitu: In primis nuptiis aſſiſtit Chriſtus, & aqua tribulationum convertitur in vinum dulcedinis, & conſolationis: In iſtis, vinum delectationum convertitur in aquam tribulationum, quia ipſis aſſiſtit diabolus. Vide ergo, ô homo, quid agere debeas, &c. *Ser. 1. Dom. 1. poſt oct. Epiph.*

599. *Pigritia, & accidia in Dei obſequio quàm noxia animæ.*

Pigredo committit ſoporem, & anima diſſoluta eſuriet. Nota quod hîc exprimit Spiritus ſanctus duo incommoda otii, & pigritiæ in Dei ſervitio: primò enim ſoporem, & ſomno nimio inſurgit membrorum omnium laxatio, & languor, quæ ineptos reddunt homines ad laborem, ſic & otium, & pigritia diſſolutionem in ſpiritualibus affert: Alius effectus eſt eſuries, & indigentia, quæ ex otio conſequitur: fuge ergo otium, alioquin anima tua ſterileſcet ſpinis vitiorum, vepribus peccatorum, & urticis malorum deſideriorum. *Pſal.118.c.2.v.9.I.1.Ioan.c.6.v.24.& ſer.1. Dom.ſex.geſ.*

600. *Legis divinæ cuſtodia eſt vita animæ, & removere facit omne malum:* undè hîc dicitur: *qui cuſtodit,* ſcilicet memoriter tenendo, ad ipſius obſervantiam animæ vitam conſervabit, & ab omni malo eruetur. *Pſalm.118. c.1.v.15. & c.4. v.13. & in Ecclen.c.2. & ſerm.1.de SS.Sim. & Iuda in addit.*

601. *Qualem uſuram, & lucrum affert eleemoſyna, & miſericordia.*

Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis, & viciſcitudinem ſuam reddet ei: Hebræus legit, *& retributionem reddet* &c. Nota quod hîc Salomon laudem præclaram memorat, dum exhibitionem miſericordiæ, & eleemoſynæ pauperi appellat fœnus, & uſuram. Sed quomodò poteſt dici datum ad uſuram, quod datur pauperi? In mutuo enim expectatur redditio rei mutuatæ, quod autem datur pauperi, ipſi donatur? ſed reſpondetur: Id quod donatur pauperi, Deo donatur ad uſuram: Unde non à paupere, ſed à Deo expectare debes retributionem: Et qualem? Retributionem ampliſſimam, ſcilicet centuplum in hac, & in alia vita: Teſtimonium hujus pignoris eſt Spiritus ſanctus; & ideo quicquid ſuper hoc facimus, Domino fœneramur: mutuemus ergo Domino, pro minimo enim merito plus recipiemus in cœlo, quàm ſi mille marchos pro uno reciperemus in mundo: quandiù ergo ô Chriſtiane, hoc pignus in arca cordis habeas; ne timeas de bonis tuis Domino accommodatis, pro hæreditate æterna; at non ſolùm in Cœlo, ſed & in mundo locupletaberis, ſcilicet ſpiritualiter in gratia, divitiis ſpiritualibus, & temporalibus. *Ser.8. in Pentec. & ſer.1.Dom.1.poſt oct.Pentec. & in Luc. c.10. v.35. & c.14. ver.14. & c.19. v.6. & Diet.tit.1. c.7. & t.7.cap.4.*

602. *Parentum ſollicitudo in educatione filiorum qualis debeat eſſe.*

Erudi filium tuum, ne deſperes, ad interfectionem autem ejus ne ponas animam tuam. Docent hîc expoſitores inculcari parentibus obligationem graviſſimam, quam habent in educandis filiis: Nec deſiſtendum ab eruditione & correptione aſſidua, etiamſi ſtatim non emendentur; quapropter caveant à malis cogitationibus vel imprecationibus, vel deſideriis quod Deus illos perimat, vel de mundo tollat, ſed ſpē ſemper habeant talis emendationis. *Sic Hugo, Ianſen. aliique. S.Bon.op.Bibl.paup. c.55. ſer.3. de S. Anton. ſerm.1.Dom.24.poſt Pentecoſt. ſerm.2. fer.2. Pentecoſt.*

603. *Impatientia, & iracundia in hominem impatientem damnum potiſſimum redundat: ſed patientia ſervat ſibi ipſi hominem.*

Qui impatiens eſt ſuſtinebit damnum, & cum rapuerit, aliud apponet. Vide hic effectus iracundiæ, & impatientiæ: nam primum damnum, in quod incidit vir iracundus eſt in ſe ipſum, quia ſeipſum rapit ſibi, & ſe perdit, nec in ſeipſo eſt, dum iratus eſt, & deinde perdit æterna bona: E contra patientia ſervat hominem ſibi ipſi, & ſui poſſeſſionem & dominium affert. *Diet. tit.1. c.5. & tit.7.c.7.*

604. *Signum ſalutis eſt libenter audire monita majorum.*

Audi conſilium, & ſuſcipe diſciplinam, ut ſis ſapiens in noviſſimis tuis. Nota, quod hic datur admonitio chriſtianis, ut libenter accurrant ad audiendum verbum Dei, & monita majorum: eſt enim hoc ſignum ſalutis, & prædeſtinationis, & medium appropinquandi ad Jeſum. *Luc. c.5.v.15.*

605. *Idem confirmatur pro junioribus, & adoleſcentibus.*

Notant etiam Interpretes, hæc præcipuè dirigi ad juvenes, ut diligenter, & libenter percipiant monita parentum, & correptiones majorum, ut ea ratione ab initio bonis actibus imbuti, cum ad canos venerint ſapientia atq; prudentia polleant: Nam, ut notat Seraph. D. Qui diſciplinam in novæ converſationis initio negligit, ad eam poſtmodum difficile applicatur; & formam, quam primò quis recipit, vix deponit: ſic etiam pullus equinus nunquam paſſum deſerit, quem juvenculus recepit: Et de Alexandro magno legitur, quod mores vitiorum, & inceſſuum pedagogi ſui, & puerorum, cum quibus crevit, nunquam dimittere potuit. *Op. ſpecul. diſcipl. Præfat. ſer.7.de Apoſt.*

Iuniores diſciplinam & correptionem majorum amplexentur ne ab ipſa in ſenectute recedant.

606. *Punitio delictorum in Republica, & Religionibus quàm neceſſaria.*

Peſtilente flagellato, ſtultus ſapientior erit: ſi autem corripueris ſapientem intelliget diſciplinam. Nota, quod in prima parte Salomon ſuadet flagellationem peſtilentis: In ſecunda parte verò ſuadet correptionem tantùm ſapientis: Cur hoc diſcrimen? Et cur corripiendus eſt ſapiens, ſi correptio eſt tantùm ob opera non recta? ſed attende, quod hic diriguntur, & docentur Prælati, & ſuperiores quomodò ſe gerere debeant cum tranſgreſſoribus legum: quia enim ſunt aliqui peſtilentes, ſcandaloſi, protervi, & impii, iſtis adhibendum eſt flagellum, & caſtigatio dura: Alii ſunt lenti, dociles, & faciles, ut redigantur ad bonam frugem, & iſtis adhibenda correctio mitior: ſic enim non patiens Prælatus aliquid

aliquid inultum abire facit quod, qui malè agit, prohibetur ultra peccare, item à peccato purgatur, ne poſtea à Deo diviſus puniatur, & per hoc alii erudiuntur, ut caveant ſimilia perpetrare: Et propter hoc voluit Deus, ut minoribus majores præeſſent, ut ſi ceciderint in peccatum, vel in aliquo negligentes fuerint, & incauti, per ſuperiorum admonitiones, correctiones, caſtigationes emendentur, quia ſi arbitrio ſuo relinquerentur, fortè nec reatum ſuum agnoſcerent, vel torpentes, diutius in cæno volutarentur, vel profundius mergerentur. *Op.de ſex Alis ſeraph. c.1.& 3.& c.7. Luc.c.13. v.5. In ſap. c.16.*

607. *Pœnæ quales in Inferno paratæ deriſoribus legis Dei.*

Parata ſunt deriſoribus judicia, & mallei percutientes ſtultorum corporibus. Nota, quod hic comminantur pœnæ infernales deriſoribus legis Dei: nam judicium, ſententiaq; damnationis eis ſuperſtat, & in Inferno patientur dura tormentorum infernalium genera: & iſta exprimuntur nomine mallei percutientis: nam ſicut quando ferrum eſt ignitum, tunc à fabro percutitur malleo; ſic peccatores igne inferni ſuperfuſi, & perigniti, tormentis variis malleantur per totum corpus à Diabolo, qui eſt faber crudelis Inferni. *Ser.3. Dom.2.poſt Pentec. & ſer.5. Dom.1.Adu.& Opuſ. Comp. Theol. l.7. c. 22. & ſer.1.de S. Laur. in addit.*

CAP. XX.

608. *Gulæ voracitas immediatum incentivum eſt luxuriæ.*

LUXURIOSA *res vinum, & tumultuoſa ebrietas: quicumq; his delectatur non erit ſapiens.* Nota quod hic pro voracitate vini, & ebrietate venit omnis gulæ libido & exceſſus. Sed cur appellatur luxurioſa res nimia ſumptio cibi, & præcipuè vini? quia ſunt vitia confœderata cum guloſitate, & repletione ventris, quod patet ex vicinitate ventris, & genitalium: Unde cum ebrietas, ſumptio immoderata vini, & ciborum ſint maximum incentivum ad luxuriam; ideo cave ô homo à crapula, ſi vis caſtum te continere. *Op. Diet. tit.1. c.8. & tit.4.c.4.& ſer.3.Dom.2.poſt oct. Paſcha, & ſer.2. Hexam. Ecclen.c.2. In Luc.c.7. v.34.& c.15.v.13.*

609. *In taberna mundi venditur vinum, quod hominem ducit in ſtultitiam.*

Luxurioſa res eſt vinum, & tumultuoſa ebrietas, quicunque his delectatur non erit ſapiens. Si eſt verum, ergo illicitum eſt bibere vinum, quod tamen à Doctoribus non admittitur? ſed attende quomodò hic ebrietas tantùm & exceſſus reprehenditur: Nota ergo, quod in taberna mundi vinum abundat, & vinum exhibetur luxurioſis, & ebrietati deditis, per quod caput offenditur, cerebrum hebetatur, & in ſtoliditatem beſtialem inducit. *Ser.2. Hexam. Diet. tit.1. cap.8.*

610. *In menſa Chriſti apponitur vinum ſapientem reddens hominem: in menſa mundi, diaboli vinum ſtoliditatem, & ſtultitiam afferens.*

Luxurioſa res eſt vinum, &c. Si hoc, cur Chriſtus ſacramentum Euchariſtiæ in cibo, & vino inſtituit? ſed attende quod aliud eſt vinum, quod apponitur in menſa Chriſti, & aliud in menſa mundi, & diaboli: in hac enim apponitur vinum materiale à mundo, & diabolo ſuis, ut excedenter bibendo eorum ratio perturbetur, memoria enervetur, oblivio immittatur, error infundatur, & ſtultitia, atque ignorantia perducatur: Vinum item carnalium deſideriorum, & delectationum: Vinum item infatuantis proſperitatis: quæ omnia inſanire faciunt hominem, & in multa vitia præcipitare. Chriſtus verò in ſua menſa appoſuit vinum, & panem Euchariſticum ad reficiendũ ſuos, & ad compreſſionem carnalium concupiſcentiarum, & germinandum virgines: Item vinum doctrinæ evangelicæ, quod eſt puriſſimum, ſapidum, jucundum, & dulciſſimum: Item & vinum lachrymarum pœnitentibus: Item vinum charitatis, & devotionis per quæ reficitur anima, ſolidatur, illuminatur, & accenditur in Deum. *In Ioan. collat.12. & 13.& l.4.d.11.p.2.a.1.q.1.ad ultim.*

611. *Superbia, & ambitio contentionem parit: humilitas concordiam.*

Honor eſt homini, qui ſeparat ſe à contentionibus: omnes autem ſtulti miſcentur contumeliis. O utinam hæc ſententia Spiritus ſancti in mores atque opiniones hominum tranſiret; ſic enim multæ contentiones fæliciter finirentur, ſed quia ignominiam credunt, & æſtimant ſuſceptas ſemel lites dimittere, eaſque non urgere, ac perſequi: hinc ſacer textus, ut hunc errorẽ eliminet à mente hominum, dicit quod ſeparare ſe à contentionibus eſt maximus honor; ſignumque ſtultitiæ eas proſequi: Et ratio eſt quia talis peſſima conſuetudo oritur ex ſuperbia, & ambitione: idque patet, quia ſicut imminente morte Chriſti, contentio orta eſt inter Apoſtolos de primitate, quia in eis nondum extinctus eſt amor propriæ excellentiæ, ſic & in morte Prælati contentio fit inter prætendentes; & hæc eſt conſuetudo peſſima: nam in ſchola Chriſti humilitas ſuadetur, & charitas. *In Luc.c.22.v.24.*

612. *Averſio à Deo in contentiones inutiles, & ignominioſas inducit: converſio autem in concordiam, & quietem.*

Honor eſt homini, qui ſeparat ſe à contentionibus. Et quis eſt qui ſe ſaparat à contentionibus? & quæ contentiones ſunt iſtæ? Nota quod homo peccando avertitur à Deo, in quo ſolo eſt quies, & hinc ſe præcipitat in contentiones, & quæſtiones ignominioſas: quia dum avertitur à Deo convertit ſe ad creaturas, & quia iſtæ non poſſunt quietare animæ appetitum, hinc in varias quæſtiones, contentiones, & ignominias incidit, quia comparatur beſtiis: E contra convertens

vertens ſe ad Deum, evitat contentiones, & quietem optatam invenit. *l.2.in prol.*

613. *Qui otioſam vitam hic agit, in altera mendicus erit.*

Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo æſtate. Nota, quod ſimilitudine hominis non arantis, & colentis terram in hyeme, & dum tempus eſt ſeminandi, qui in tempore meſſis ſe invenit mendicum, & miſerum, intendit Spiritus ſanctus nos excitare ad laborandum in hac vita, ne inveniamur mendici in alia, quia ſemen jacienus noſtrorum operum talis erit meſſis, quam in morte colligemus *Op. Com. Theol. l.3.c.18.ſer.2.Dom.in Sexag.*

614. *Quænam mendicitas fugienda, quænam amplexanda*

Propter frigus &c. Mendicabit ergo æſtate. Ergone mendicare malum, & otioſum? Attende, quod alia mendicitas eſt bona, alia vitioſa: Vitioſa eſt, quæ inducitur ob pigritiam, & otioſitatem; hæc in hac vita mala, & exitialis, & in alia peſſima: prima eſt abdicantium pro Chriſto omnia, & valde meritoria. *Op. Apol. paup. reſp.4.c.3.*

615. *Fidelis quis dicatur in ſchola Chriſti.*

Multi homines miſericordes vocantur: Virum autem fidelem quis inveniet. Iſta ſententia ſic exponitur communiter: multi vocantur, & apparenter videntur miſericordes, ſed tamen verè non ſunt fideles coram Deo: vel multi miſericordes vocantur, ſcilicet multi faciliter ſua bona pauperibus diſpenſant, ſed difficilius reſtituunt aliena: Dat hic intelligere Spiritus ſanctus, quod pauci Prælati inveniuntur, qui verè ſunt fideles in diſpenſatione myſteriorum Dei, & in exercitio ſui miniſterii: item in multis invenitur fides credulitatis, fides tamen fidelitatis, & perfectæ confidentiæ in Deum, in paucis invenitur. *In Luc.c.12.v.42.& c.18.v.8 & c.19.v.16.*

616. *Quilibet fidelis debet eſſe Rex judicans, & in bello ſe exercens.*

Rex, qui ſedet in ſolio judicii diſſipat omne malum intuitu ſuo. Quis eſt iſte Rex ſedens, & judicans, & judicio diſſipans omne malum? Ergone poteſt omnis Princeps tollere omne malum à Regno ſuo? ſed attende, quod hoc dicitur cuicumque fideli, qui debet eſſe Rex in regno animæ, & regere ſe ſecundùm legem Dei, iſte intuitu ſuo, ſcilicet bellum committendo contra regem ſuperbiæ, ab ipſo diſſentiendo; item cum rege juſtitiæ ſe puniendo pro peccatis; item cum rege prudentiæ, ſe præparans ad conflictum patientiæ, ſic omnia mala expellit à ſuo regno. *Luc.c.14.v.31.*

617. *Rex judicans per ſe mala elongat à Regno ſuo.*

Rex qui ſedet in ſolio judicii diſſipat omne malum intuitu ſuo. Ecce qualis eſt obligatio Principis, ſcilicet debet ipſe, dum poteſt, per ſe judicare, & regere juſtè populos, & non aliis committere mercenariis: Iſte autem ſedet in loco judicii, ut judicium exerceat ſeveriter, ut malitiam diſſipet caſtigando, & clementiam exerceat cum bonis, hicque eſt intuitus ejus, ſcilicet obtinet, quod intendit: quia diſſipat omne malum. *Pſal.118.c.2.v.7.ſer.2.Hexam.*

618. *Nemo ſcit an odio, an amore dignus ſit.*

Quis poteſt dicere, mundum eſt cor meum? purus ſum à peccato? Quaſi dicat: quis ſcit utrum amore, an odio dignus ſit: ſcimus enim nos in Deum peccaſſe, ſed ignoramus an fuerit nobis à Deo condonatum: Idque dicitur contra hæreticos noſtri temporis, dicentes non aliter hominem à veſtris emundari, quàm ſi ſemetipſum certo certius juſtum credat. Tu autem ô homo, ſi vis divinum judicium evadere, mundum contemne, & ſta cum timore, & tremore, quia cujus vult miſeretur, & quem vult Deus indurat. *In Ecclen.c.9. In Luc.c.17.v.35.*

619. *Nemo ſine crimine vivit, excepta Beata Virgine.*

Quis poteſt dicere, mundum eſt cor meum? purus ſum à peccato. Quaſi dicat, nemo: nemo quippe fuit ſine crimine aliquo, dempta Beata Virgine Maria, & hoc maximè in hoc tempore: nam ferè in omnibus immunda ſunt corda, immunda ſunt verba, immunda ſunt opera, & omnis oculata pudicitia: ſola hodie regina luxuria: immundus guſtus, viſus, tactus, odoratus, & auditus: ſola Beata Virgo Maria poteſt dicere verè, mundum eſt cor meum. *Ser.2. de S. Agnete: ſer.2.in conv.S.Pauli: ſer.2. de Apoſt. ſer.1.de una Virg. ſer.1. de B.Virg. In Ioan. cap.9. in princip.*

620. *Parentes ante applicationem filiorum explorent inclinationes eorum ex actibus ſuis.*

Ex ſtudiis ſuis intelligitur puer, ſi munda, & recta ſint opera eorum. Nota, quod dat hîc intelligere ſapiens, quod ex ſtudiis & actibus puerorum poteſt fieri præſagium quales olim futuri ſint cum ad provectam ætatem pervenerint; & hinc parentes antequam filios tradant præceptoribus, debent explorare eorum indolem, & ingenium, ne opera, & ſumptus perdant, perſuaſi, quòd quales ſe exhibent in pueritia, tales erunt in ætate provecta: ſic ſacri expoſitores; Unde, ſi vident pueros rectos in mali declinatione per cuſtodiam innocentiæ, in boni operatione per opera bona, & rerum ſpiritualium dilectione per puram conſcientiam: rectè inferre, & præſagire poſſunt eorum probitatem in ætate adulta. *Ser.1.Dom.17.poſt Pentec. in Luc.c.3.v.5. & c.18.v.16.*

621. *Mercatura terrena, & cæleſtis expenditur.*

Malum eſt, malum eſt dicit omnis emptor, & cum diſceſſerit, gloriabitur. Ecce quid faciunt mercatores terreni, qui cum merces volunt emere, ipſas reprehendunt multis, & calumniantur, ut vilius emant: Cum autem acceperint, gloriantur, ideſt non ſolùm gaudent quod illas vilius emerint, ſed etiam eaſdem commendant, extol-

Digitized by Google

luntque, ut carius vendant : ſic Sacri expoſitores : ſimile quid evenit in mercatura cœleſti, in qua fideles boni mercatores ſciunt benè emere, & benè vendere : emunt enim paucis regnum cœleſte, quo nihil vilius cum emitur, & nihil carius, cum poſſidetur. *Ser.de S.Elizab.*

622. *Res per furtum, & injuſtè acquiſita dulcis in principio, ſed in fine amara, & noxia.*

Suavis eſt panis mendacii, & poſtea implebitur os eius calculo. Nota quòd hic exprimitur id, quod fit à furibus, & per injuſtitiam acquirentibus res temporales; nam iſti ſine ſudore, & labore res acquirunt temporales, & ideo panis, & tales res eis videntur dulces, ſed poſtea redduntur amaræ in fine; nam in morte implebitur os eorum, ſcilicet anima calculo ignito in inferno. *Ser.2.Dom.4.quadrag.*

623. *Idem confirmatur.*

Hæreditas ad quam feſtinatur in principio, in noviſſimo carebit benedictione. Dubium inſurgit in hoc textu: quare hæreditas feſtinatè acquiſita carere debeat in fine benedictione divina? Et ſi talis hæreditas eſt ſine offenſa Dei acquiſita, cur benedictione carebit? ſed attende ad illud verbum (Ad quam feſtinatur) idest ante ætatem capacem, nempe ſi ad dignitates, ad beneficia, ad aliquod lucrum nimis feſtinatè, & ſine meritis, & cum injuſtitia acceſſeris; & intraveris, iſta hæreditas in die judicii benedictione carebit, & in malum tibi adveniet. *Ser.3.Dom.4.Adu.*

624. *Tolerantia in perſecutionibus ſuadetur.*

Ne dicas reddam malum: expecta Dominum, & liberabit te. Vult dicere Spiritus ſanctus, ne reddas malum pro malo, nec malum pro bono, nec te ulciſcaris de injuriis, ſed vindictam remitte ad Deum, & ipſe liberabit te ab adverſario. *In Ioan.c.10.v.32.*

625. *Judicium temerarium abominabile Deo.*

Pondus, & pondus menſura & menſura: utrumq; abominabile eſt apud Dominum. Nota quod hic textus ſic exponitur: pondus unius qualitatis, & pondus diverſæ qualitatis, ſic & menſura abominabilis Deo, ſcilicet qui magis ponderat culpam in alio, quàm in ſe; iſte dupliciter peccat, ſcilicet juſtificando ſe, cum ſit impius, & condemnando proximum rigidius, hoc abominabile eſt valde Deo, & magnum peccatum: ſanum igitur conſilium eſt aliis indulgere, & ſeipſum dijudicare; in alios benignum eſſe & in ſe rigidum. *In Luc.c.6.v.41.*

626. *Prælatus ſubditos aggravans, & ſe ipſum allevians falſus mercator Deo abominabilis.*

Pondus & pondus, menſura & menſura, utrumq; abominabile eſt apud Dominum. Nota quod hæc ſententia ad Prælatos dirigitur, ne ſint falſi mercatores: nempe ne ſibi ipſis ſint indulgentes, & ſubditis rigidi, onerantes eos gravi pondere, & nec ipſi aliquid laboris ſuſtinentes: iſti enim ſunt Deo abominabiles. *In Luc.c.11.v.48.*

627. *Seipſum oſtendens foris, quod non eſt verè interiùs mercator peſſimus.*

Pondus & pondus &c. abominabile &c. Nota quod alio modo exercetur hæc peſſima mercatura, nempe ab illo, qui ſeipſum oſtendit exteriùs ad modum hypocritarum, quod non eſt verè interiùs: ſic enim depretiatur in ſecreto apud ſeipſum veritatis trutina ponderatus, & foris alterius pretii mentiens, majori ſe pondere vendit ipſum videntibus, quàm a veritate accepit: hocque eſt reſiſtere veritati: hoc pergere contra Deum: & hæc eſt mercatura Deo abominabilis. *Op.medit.c.16.In Ioan.coll.1.9.*

628. *Mercator Deo abominabilis, qui minorem ſatisfactionem Deo exhibet, quàm ferant peccata gravia: Item Religioſus cum perfectione alta vitam imperfectam ducens.*

Pondus & pondus &c. abominabile apud Dominum. Nota etiam aliam mercaturam Deo abominabilem: eſtque illorum, qui graviter Deum offendunt, & tamen ipſi Deo minorem, & parvam ſatisfactionem exhibent: hæc etiam mercatura Deo abominabilis: Idem & dicendum eſt de Religioſo, qui altam perfectionem, & ſtatum altum profeſſus eſt, & tamen vitam vivit imperfectam: mercator iſte coram Deo eſt peſſimus. *Pſal.118.c.1.v.5.In Ioan.collat.9.*

629 *Principum munus eſt cum ſapientia iraſci in impios, eoſque punire.*

Diſſipat impios Rex ſapiens, & incurvat ſuper eos fornicem, idest rotam. Nota, quod hic deſcribit qualis debeat eſſe ira, & commotio in impios, & ſceleſtos, nempe non per animi commotionem, ſed per culpæ rigidam punitionem, ſcilicet per odium ad iniquitatem. *In Ecclen.c.5.* Addunt hic Interpretes, quòd præcipuè hic loquitur, non de omnibus impiis, ſed de Judicibus Regi ſubordinatis, qui injuſtè innocentes torquent, contra quos inſurgit Rex ſapiens, & ſuper eos rotam, ſeu pœnam quam injuſtè exercuerunt ſuper innocentes, convertit, ac devolvit, non ſolùm eos exſcindendo, ſed & eorum palatia, domos, moles, & memoriam diruit.

630. *Verbum Dei lucerna, & ſimul ſpiraculum animæ eſt.*

Lucerna Domini ſpiraculum hominis, quæ inveſtigat omnia ſecreta ventris. Quænam eſt hæc lucerna Domini, & ſpiraculum tam penetrans ad intima cordis? Nonne ſolus Deus penetrator eſt cordium? ſed confer hunc textum cum alio *Pſalmi* 118. lucerna pedibus meis verbum tuum. Hoc verbum Dei, ſcilicet inſpiratio divinæ gratiæ; vel verbum Sacræ ſcripturæ eſt lucerna eradians animam, & penetrans ad intima cordis, & ipſam dirigens in actibus ſuis tam internis, quàm externis, ſimulque ſpiraculum, & vita animæ. *Pſal.118.c.7.v.9.& In Ioan.c.6.v.16 in illud: Et qui audierint vivent &c.*

631. *Princeps ad imitationem Chriſti miſceat juſtitiam cum miſericordia, ſed hæc ſuperabundet illam.*

Miſericordia & veritas cuſtodiunt Regem. & roborabitur clementiâ thronus ejus. Nota, quòd Chriſtus ſeipſum poſuit exemplar omnibus Regibus, & Principibus in regendis populis: & in his verbis totum continetur, & exponitur: Dicit ergo miſericordia, & veritas cuſtodiunt Regem à peccato, quia miſericordia ſine juſtitia vitium eſt: nam manus mulierum miſericordium coronant filios ſuos. *4.Reg.c.6. v.*18 Et ſeveritas juſtitiæ ſine miſericordia Deo non eſt placita nec ab eo approbata: & ideo Chriſtus ſe verum exemplar omnibus Principibus exhibuit, cujus viæ univerſæ ſunt miſericordia, & veritas: ſed tamen addit, quod thronus Principis roboratur clementiâ, quia vult Deus, ut miſericordia in parcendo ſuperexaltet judicium in puniendo, ut quicumque peccator quantumcumque magnus, non deſperet per timorem, ſed reſumat vires, & confidat propter benignitatem miſericordiæ, quæ parcit faciliter, & obliviſcitur totaliter, & ſuſcipit benigniter. *Ser.1.Dom. Palm. & op. Brevil.p.5.c.6.& op. Eccl.Hier.p.1.c.4.*

632. *Princeps oppreſſos ſublevet, impios opprimat.*

Miſericordia, & veritas cuſtodiunt Regem., &c. Quomodò fit hæc cuſtodia? hoc dirigitur ad Principes, quorum munus eſt miſericordiam exercere in oppreſſos, & miſeros, & juſtitiam rigoremque in impios aliorum perſecutores. *Pſ.*118. *c.7.v.*10.

633. *Plaga & vulnus contritionis animæ ſanat ipſam ab omni malo.*

Livor vulnerum abſtergit mala, & plaga in ſecretioribus ventris. Quomodò poteſt dici, quod vulnere vulnus ſanetur? ſed nota mirabilia Dei: nam cum vulnus animæ ſit mortiferum, ut ſapientiſſimus medicus voluit, quod vulnera peccati ſanarentur vulnere, & plagis, ſcilicet compunctione, & contritione animam vulnerante, quod fit conſideratione commiſſorum peccatorum, divinorum judiciorum, malorum præſentium, & gloriæ cæleſtis. *In Ioan.collat.*73.

CAP. XXI.

634. *Chriſtus ſua poteſtate corda Regum regit pro nutu ſuo.*

SICUT *diviſiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini. quocumque voluerit inclinabit illud.* Nota hanc ſimilitudinem diviſionis aquarum factæ à Deo, qui aquas ſuperiores ab inferioribus ſejunxit, per quam exprimitur ſumma poteſtas Chriſti in regimine mundi, per quam dividit ſuperiores ab inferioribus, illos in ſublimi collocando, iſtos in inferiori loco, diſcutiens item bonos, & malos, ſpiritualium, & carnalium merita, ideo poteſtas Principum in manu Domini eſt, & cor eorum à Deo abſque eo quod cogat, inclinat ubicumque voluerit. *Op.Eccl.Hier.p.4.c.6.l.2. d.25. p.2.a.1.q.5.ad 3. & Pſal.* 118. *c.3. v.4.* Vide igitur quod diſpoſitiones Principum ſunt diſpoſitiones divinæ providentiæ, vel ad exaltationem, vel ad punitionem ſubditorum.

635. *Chriſtus in judicio dividet bonos à malis.*

Sicut diviſiones aquarum, &c. Scilicet inferiorum à ſuperioribus: ſic Chriſtus Rex videns omnia bona, & mala, in judicio dividet bonos à malis, & diſcernet inter flagella, & præmia. *Op.Eccl.Hier.p.4.c.6.& in Ecclen. cap.9. & ſap. cap.7.*

636. *Deus inclinat, ſed non cogit voluntatem noſtram.*

Quocumque voluerit, inclinabit cor. &c. Nota verbum, inclinabit: inclinabit cor noſtrum, quia proponit motiva, & rationes, ſed non cogit, & ideo data tali inclinatione, etiam in libertate noſtra eſt velle oppoſitum. *L.2.d.25. p.2.q.5. ad 3. & Ecclen.c.*8.

637. *Eleemoſyna eſt actus miſericordiæ, & juſtitiæ ſacrificiumque Deo chariſſimum.*

Facere miſericordiam, & iudicium magis placet Domino, quàm victima, vel ut legunt 70. pluſquam beſtiarum ſanguinis: vel ut Oſeas c.6. pluſ quàm holocauſta. Quomodò hic præfertur miſericordia, & judicium holocauſto, & ſacrificio? Nonne ſacrificium eſt actus latriæ, & Religionis, Deumque immediatè habet pro objecto, non verò facere miſericordiam, & eleemoſynam, quæ habet pro objecto pauperem? ſed attende, quod ſacrificium Deo offertur in ejus cultum, cui nihil boni additur, quia bonorum noſtrorum non indiget: & deficiente ſacrificio, nullum bonum Deo deficit: At eleemoſyna eſt opus miſericordiæ, & juſtitiæ: miſericordiæ, quia pro Chriſto ſublevatur neceſſitas proximi; Juſtitiæ, quia per ipſam fit recompenſatio pro debito offenſæ divinæ, & ſic eſt ſatisfactoria pœnæ: & ideo mirum non eſt, ſi magis Deo placeat, quàm victima, & ſacrificium. *Op.Comp. Theol.l.6.c.30. &* 31. Comparatur autem eleemoſyna ſacrificio, quia ut ait Chryſoſtomus *Hom.*11.*Epiſt. ad Hebr.* quia in ſacrificio offertur ſanguis victimæ: in eleemoſyna ſanguis pecuniarum. Item comparatur quodammodo Euchariſtiæ, quia ſub ſpeciebus adoratur Chriſtus, recolitur ejus paſſio, & per eleemoſynam Chriſtus in paupere recognoſcitur, & ſubvenitur patienti. *Pſal.*118.*c.6.v.*1.

638. *Oculorum evagatio valdè noxia.*

Exaltatio oculorum eſt dilatatio cordis: lucerna impiorum peccatum. Vide quàm vitanda evagatio oculorum à Deo ſervientibus, hæc enim generat dilatationem cordis, ſcilicet appetitionem rerum illicitarum, & impiis eſt lucerna ſcilicet via, & porta ad peccandum: oculus

enim

enim eſt lucerna corporis, totum corpus ditigens ad bonum, & malum. *Op.ſpec. diſcip. p.1, c.24.& c.39.in Luc.c.11.v.34.*

639. *Qualis eſt homo interiùs, talis eſt exteriùs.*

Perverſa via viri aliena eſt: qui autem mundus eſt, rectum opus eſt. Quaſi dicat, qualis eſt rectitudo, & ſtatus interior hominis, talia ſunt opera ejus externa: ſi mundum, & ſimplex eſt cor, etiam opera recta ſunt: è contra, ſi cor eſt infectum mollitia, & à Deo alienum, talis eſt via ejus ſcilicet perverſa. *Pſal.118.c.9.v.9.*

640. *Melius eſt cum pace, & ſine Dei offenſa eſſe pauperem quàm cum Dei offenſa, & rixa eſſe divitem.*

Melius eſt ſedere in angulo domus, quàm cum muliere litigioſa habitare in domo communi. Nota quod ſeſſio in ſacra ſcriptura ſignificat quietem, pacem, & probitatem vitæ: melius igitur eſt, ait ſapiens, frui pace cum paupertate ſignificata per angulum domus, quàm opulens eſſe cum lite, rixa, & Dei offenſa, quia ubi non eſt pax, ibi nullum bonum: & è contra pax fert ſecum fruitionem omnium bonorum. *In Luc. c.2.v.46.*

641. *Mulierum malarum cohabitatio quàm viro noxia, & cavenda.*

Melius eſt ſedere in angulo domus, quàm cum muliere litigioſa habitare in communi. Adde quod infrà ad n.19. melius eſt habitare in terra deſerta, quàm cum muliere rixoſa, & iracunda. Vide quomodò ſapiens intendit abſtrahere hominem à cohabitatione cum muliere litigioſa: ideſt ut legunt Symmachus, & Theodotion, cum meretrice, & rea fæmina, quaſi dicat, melius eſt ſedere in angulo domus, vel etiam ſub Deo manere, quàm intrare in domum meretricis, & reæ fæminæ: & cur? quia talis mulier eſt janua diaboli, via iniquitatis, ſcorpionis percuſſio, genuſque ſummè noxium: Cum proximat ſtipula incendit ignem, flammigero igne percutit fæmina conſcientiam pariter habitantis, fundamentaque montium. *Op Phar.l.1.c.8.*

642. *Societas malorum quàm ſedulò vitanda.*

Anima impii deſiderat malum, non miſerebitur proximo ſuo. Nota, quòd hic detegit ſapiens malitiam hominis impii: & quis eſt iſte impius? Ille eſt, qui in corde malitiam, & malignitatem fovet, & conatur ipſam extendere exterius ad damnum proximi; & tanquam venator diaboli capere animas hominum: Venatores autem diaboli ſunt laſſivæ mulieres, hæretici, mali conſiliarii; iniqui ſocii, prædicatores Diaboli, adulatores, & omnes ad peccatum trahentes, & animas capientes laqueis ſcandali, qui deteriores ſunt, quàm fures, & latrones. *Ser.3. Do. 4. poſt Pentec.* Cave ergo ab iſtis venatoribus diaboli, ne laqueo capiaris, & ducatis ad infernum.

643. *Punitio delictorum neceſſaria in republica, & Religionibus.* Hoc oſtenditur in hoc textu, ubi dicitur *Mulctato peſtilente ſapientior erit parvulus; & ſi ſectetur ſapientiam ſumet ſcientiam.* Nam ex caſtigatione impiorum cæteri corriguntur, & addiſcunt quid ſit ab ipſis faciendum: *Vide ſuprà c. 19. v.21. in Sap. c. 16 & op. de ſex alis Seraph. c. 1. 3. & 7.* Nota etiam, quod in ſecunda parte ſententiæ dat intelligere, quod qualis erit ſocius tuus, tales erunt mores, quibus anima tua imbuetur: ſi enim ſequaris ſapientem, ſapiens eris. *Luc.c.7.v.9.*

644. *Qui clamorem pauperis non audit, nec ipſe ad ſui clamorem exaudietur.* Sic autem hîc notat Spiritus ſanctus dicens: *qui obturat aurem ſuam* ad clamorem pauperis, ipſe clamabit, & non exaudietur. Vide ergo ô homo, quod qualis fueris cum paupere, talis erit tibi Deus: & in hujus veritatis manifeſtationem, vide, & audi divitem in inferno clamantem ad Abraham, nec exauditus eſt, quia hæc lex indiſpenſabilis eſt à Deo facta. *In Luc.c.16.v.24.*

645 *Eleemoſyna eſt munus; quo extinguitur ira Dei.*

Munus abſconditum extinguit iras, & donum in ſinu indignationem maximam. Nota quòd hic extollit ſapiens vim efficaciſſimam eleemoſynæ, quam appellat munus abſconditum, ſcilicet donum in ſinu, ideſt benignitatis, & miſericordiæ: Unde ſi eleemoſyna in ſinu pauperis abſcondatur, ſcilicet fiat non ob vanam gloriam ſed pro amore Chriſti, habet efficaciſſimam vim extinguendi ignem furoris Dei, & redimendi animam à peccatis, & de manu Judicis *Ser.2. Dom.1. poſt Pentec. & in Luc.c. 16. v.21. & ſer.1. de SS.Sim.& Iuda.*

646. *Miſſæ ſacrificium extinguit iram Dei Judicis pro vivis, & pro defunctis.*

Munus abſconditum extinguit iras &c. Nota, quòd per munus abſconditum aliqui Doctores intelligunt ſacrificium miſſæ, ideo dicitur myſterium abſconditum, iſtudque ſub ratione ſacramenti: Ut ſacrificium prodeſt defunctis, quia placat iram Dei, & purgat à pœna. *L.4. d. 45. dub.3.& Centil.p.4.ſec.2.*

647. *Amaritudo pœnitentiæ dulciſſima: dulcedo peccati amariſſima.*

Gaudium eſt juſto facere judicium, & pavor operantibus iniquitatem. Nota, quòd dicitur fieri judicium, cum pœnitens in ſe punit, quod malè geſſit: ſed quomodò connectit gaudium cum triſtitia, & amaritudine pœnæ? Reſpondetur quòd meritò connectitur gaudium cum amaritudine pœnitentiæ: tùm quia pœnitens gaudet de æquitate, nempe quia caro, quæ ſubjecit peccando ſibi ſpiritum, per pœnitentiam, ipſa rationi ſubjicitur per afflictionem, & per hoc reconciliatur, & de inimico vindicta ſumitur: Tum quia pœnitentia eſt tabula liberationis à naufragio, revocat hominem, & ſpiritualia reſtaurat. *L.4. d. 16. p.1. d. 10.* E contra dulcedo peccati amariſſima, quià fert ſecum pœnam inſeparabiliter. *l.2.d.5. a. 2. qu.2. ad 2. l.4.d.46. a.2.qu.4. Pſal.118.c.1.v.3.*

648. *Crapulæ damna ſpiritualia, & corporalia.*

Qui diligit epulas in egeſtate erit, & qui amat vinum & pinguia non ditabitur. Hoc quàm verum ſit, perſpicuum fit in divite Epulone, qui quotidie epulabatur in crapula, & ebrietate, & poſtea juſto Dei judicio redactus eſt ad tantam inopiam, ut nec guttam aquæ haberet ad refrigerandum ſitis ardorem: Crapula enim & ebrietas pariunt inopiam ſapientiæ; & virtutum, & frequenter etiam bonorum temporalium, & tamen videtur quanta ſit ſollicitudo in multis circà expletionem tam immoderatam gulæ. *Luc.c.16. v.19.*

649. *Miſericordia in pauperes conſervat theſauros: immiſericordia deſtruit.*

Theſaurus deſiderabilis, & oleum in habitaculo juſti: imprudens diſſipabit illud. Nota hanc copulationem theſauri, & olei in habitaculo juſti: Ad quid connectit abundantiam olei cum theſauro? Ut videas, quòd theſaurus, & ipſius coacervatio, & conſervatio exigit ſociam miſericordiam in pauperes ſignificatam per oleum, alioquin ſine hoc oleo deficient theſauri, & divitiæ in domo imprudentis avari. *In Luc.c.10.v.34.*

650. *Bona conſcientia theſaurus omnibus bonis repletus: mala theſaurus omnibus malis.*

Theſaurus deſiderabilis, & oleum in habitaculo juſti: Scilicet in conſcientia, vel anima, vel intellectu, & affectu: Ut videas, quòd qui intra conſcientiam recipit habitum interioris perfectionis, ipſamque conſervat, bonum etiam theſaurum continet, ex quo bona opera eruuntur, & bona verba: bonus enim de bono theſauro profert bona: & è contra de malo theſauro, ideſt de conſcientia iniqua profertur malum, ſcilicet mala opera & verba. *In Luc.c.6.v.45.*

651. *Juſtorum eſt proprium cuſtodire linguam ſuam: ſtultorum verò eſt è contra linguam effrenem relinquere.*

Theſaurus deſiderabilis, & pretioſus requieſcit in ore ſapientis. Sic legunt ſeptuaginta: Vide hic de quali theſauro loquitur: ſed qualis eſt iſte theſaurus requieſcens in lingua? Theſaurus pretioſiſſimus, ſcilicet ſapientia, & habitus virtutum, reſidens in corde, & per linguam exiens foras: nempe ſicut avarus pecuniæ, & parcus profundè in abſcondito recondit pecuniam, nec profert eam largiendo, niſi pro urgenti neceſſitate, vel utilitate ſua, & cavet ne obolum ſuperfluè effundat ſupra quam neceſſarium ſit: ſic & juſtus, & Religioſus cordis ſui theſauros abſcondit, rarò loquendo, & niſi pro neceſſaria cauſa vel utili os ad loquendum aperit, & quod cum paucioribus verbis poteſt expedire prout ſufficit ad hoc plura ſuperfluè non effundat: ſic enim augmentum ſument ſuæ divitiæ ſpirituales: cavebit enim à peccatis linguæ: mens ejus magis illuſtrabitur à Deo, gratiam apud Deum, & homines acquiret, & tandem gloriam æternam. E contra per multiloquium diſſipabit theſauros, & omnia bona animæ. *Op. de perfect. religioſ. l. 2. c.10.*

652. *Via regia ad Cœlum dirigens, & via mortua ad Infernum qualis.*

Qui ſequitur juſtitiam, & miſericordiam inveniet vitam, juſtitiam & gloriam: ſeptuaginta legunt, Via juſtitiæ, & miſericordiæ, inveniet vitam, & gloriam. Ecce qualis eſt via regia, & qualis via mortua: nam Juriſperiti dicunt hoc intereſſe inter viam regiam, & viam vicinalem, ſeu mortuam; quòd via regia recta in Urbem, aut Oppidum fertur: Via vicinalis citò deficit, viaque dicitur mortua, nec ad aliquid juvat niſi ad confuſionem, niſi ducat ad viam regiam: Hic autem Salomon nobis proponit viam regiam rectè ducentem ad Cœlum, ſcilicet juſtitiam, & miſericordiam, nempe bonas operationes, quas Chriſtus in hoc mundo exercuit, quæ nomine viarum appellantur, quia ſicut per viam ducitur homo ad Civitatem, ſic per has ducitur homo ad cæleſtem patriam: Cæteræ viæ mundi tortuosè vadunt huc, illucque ſe divertentes, & diſſipantes verſus infernum. *Ser. 1. Dom. 22. poſt Pentec. & ſer. 2. de ſancto Anton.*

653. *Civitas animæ tuta, & ſecura ab hoſtibus quænam exigat.*

Civitatem fortium aſcendit ſapiens, & deſtruxit robur fiduciæ ejus. Ecce quid exigitur ad poſſidendam Civitatem fortem, ſcilicet robur, & ſapientia: ſed quid eſt hoc? Nota, quòd quatuor ſunt, quæ reddunt civitatem animæ fortem, ſecuram, & tutam: Debet enim eſſe alta in ſummis montibus collocata, ſcilicet per comtemptum omnium rerum terrenarum: ſecundò clauſa muroque & vallo præcincta per pudicitiam: Tertiò firma, fundataque non in arena, ſed in ſaxis, ſcilicet per conſtantiam, fortitudinemque contra minas, tentationeſque Diaboli. Quartò fideli, prudentique conſilio gubernata ſcilicet divina fiducia *Ser. 1. de ſancta Agnete.*

654. *Qui cuſtodit os, & linguam ſuam, cuſtodit ab anguſtiis animam ſuam.* Ex quo textu vide qualem connexionem habeant lingua, & cor, ſeu anima: nam ſi lingua cuſtodiatur fideliter, etiam anima liberabitur ab anguſtiis, & malis, quæ ſecum portat multiloquium. *Pſalm. 118. cap.3. verſ.12.*

655. *Qui ſibi ſapiens eſt, verè inſipiens eſt.*

Superbus, & arrogans vocatur indoctus, qui in ira operatur ſuperbiam. Vide quid operatur arrogantia, tumorque ſuperbiæ in eo, qui ſe exiſtimat ſapientem, prudentem, & doctum: nam verè ab aliis exiſtimatur non ſapiens, ſed tumidus, & verè inſipiens eſt, & ſtolidus, & hoc demonſtrant ipſius operationes externæ. *Pſal. 118. c.2. v.5.*

656. *Pigritia, otioſitas, & accidia quale malum.*

Deſideria occidunt pigrum, noluerunt enim quidquam manus ejus operari: tota die concupiſcit, & deſiderat; &c. Sed quomodò verum eſt, quod deſideria occidunt impium? ergone mortem inferunt

ſunt ? nonne multos videmus longam vitam in otioſitate ducentes ? ſed attende, quod non loquitur de occiſione, & morte vera, ſed metaphorica, nempe de anguſtiis, in quas pigritia redigit hominem ob multiplicitatem deſideriorum: quia enim otioſus, & aceidioſus eſt veluti canis famem caninam patiens; hinc ejus ſenſus famem univerſalem patiuntur: os enim ejus eſurit cibaria delicata, lingua verba vana; manus vilia; cor honores; aures rumores; oculi vanitates: dicuntur igitur occidere iſta deſideria pigrum, quia ad anguſtiam reducunt & egeſtatem, & occidunt omnem quietem animæ. *Op. Diat.tit.1.c.7.& Apol.paup.reſp.4.c.3.Pſal.118.c.3.v.8.Ecclen.c.4.*

657. *Eleemoſyna ex malè acquiſitis, vel prava intentione oblata Deo abominabilis.*

Hoſtia impiorum abominabiles, quia offeruntur ex ſcelere. Vide quale ſacrificium offertur, quando offertur ex ſcelere: iſtud enim non placat, ſed irritat iracundiam divinam: ſed quodnam eſt hoc ſacrificium oblatum ex ſcelere ? Nota, quod eleemoſyna ad hoc ut ſit Deo chara, & offerenti proficiat, debet ex parte dantis dari, ſeu procedere ex charitate vera, non ficta: debet eſſe ex intentione recta, ſcilicet, ut Deo placeat, & miſero indigenti ſubveniat, Deoque ſatisfaciat id præcipienti: ex parte ipſius eleemoſynæ, quod de re non aliena, non de rapina proximi, ſed de tua ſubſtantia, alioquin iſtæ oblationes erunt abominabiles Deo. *L.4. d.15. p.2.dub.5.& 7.& art.2.q.1.*

658. *Qui ſua Deo, ſeipſum diabolo offert, ſacrificium abominabile exhibet.*

Hoſtia impiorum abominabiles, quia offeruntur ex ſcelere. Qoid eſt offerri aliquid ex ſcelere ? offert quis ex ſcelere, qui ſua Deo, & pauperibus offert, ſeipſum autem diabolo: non enim rectè dividit cum Deo, ſicut Cain rectè obtulit, rectè autem non diviſit. *Ser. 2. Dom. 5. poſt Pentec.*

659. *Conditiones rectæ, & ſanctæ oblationis expenduntur.*

Hoſtia impiorum abominabiles, quia offeruntur ex ſcelere. Nota autem ut effugias ſcopulos in hac ſententia notatos, conditiones oblationis Deo charæ: nempe quid, cui, quantum, quomodo, ubi, quando offerre debes: quid, quia tuum, non alienum, nec de ſubſtantia pauperum, & proximi, nec deteriora, ſed meliora debes offerre ſicut Abel, alioquin Cain imitatis, viliſſimum denarium, vel viliſſimam prolem Deo dando: cui, ſcilicet Deo, & Dei amore; non plus ventri, quàm Deo, plus meretricibus, ludis, cauponibus, hiſtrionibus, & dæmonibus: quantum, ideſt ſecundùm tuam facultatem; cui enim Deus plus benedixit in naturalibus, vel ſpiritualibus, vel temporalibus donis, plus merito ipſi ſervire debent: Item, quando, videlicet frequenter, & ſollicitè, ante omnia Deum recognoſcendo. *Ser.2.Dom.5.poſt Pentec.*

660. *Teſtis falſus quàm Deo exoſus.*

Teſtis mendax peribit: Cur peribit ? quia obnoxius eſt Deo, quem contemnit, & judici, quem decipit, & proximo, quem lædit. *Op. Diet.tit.3.c.7.*

661. *Obedientis victoria multiplex expenditur.*

Vir obediens loquetur victorias. Nota, quod non dicit Victoriam, ſed Victorias: ut autem pateant vis, & potentia obedientiæ, ipſiuſque victoriæ; Adverte quòd obedientia perfecta debet Deo exhiberi grata, pura, & ſollicita; grata ſine murmuratione in auditione: Item pura non propter, vel carnalis commodi intentione: ſollicita devotáque ſine negligentia, torpore, inordinatione, confuſione, & indevotione: talis obediens loquitur victorias, quia ſuper ſeipſum habet poteſtatem: Vincit enim omnia ſua membra exteriùs, & voluntatem interiùs: quia mandatum non procraſtinat, ſed præparat aures auditui, linguam voci, manus operi, & ſe totum intra ſe colligit, ut mandatum peragat imperantis: Verus ergo obediens debet eſſe ſilens à murmuratione, purus intentione, placens executione, ſilens ore, purus corde, placens opere. *Ser.3.Dom.infr.oct.Epiph.*

662. *Verus obediens vincit ſeipſum, diabolum, mundum, & Deum.*

Vir obediens loquatur victorias. Vide quales victorias: nam vincit ſeipſum, ut ſuprà dictum eſt; vincit omnes hoſtes animæ; vincit & Deum: qui enim obediens eſt pro Chriſto Prælato, & Deus ipſi eſt obediens. *Op. Reg. Novit. c.15. In Luc.c.19.v.34. In Ioan. c.1. v.41. & collat.91.*

663. *Sine Deo abeſt prudentia, ſapientia, conſilium, & adeſt cæcitas, & ignorantia.*

Non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum. Equus paratur ad diem belli, Dominus autem ſalutem tribuit. O quàm hoc verum eſt, nec indiget explicatione hæc ſententia: Certum enim eſt, quòd ſicut cæcitas corporalis oritur ex disjunctione oculorum à ſua origine, ex deordinatione componentium oculos, quæ ſunt tunicæ oculares, & humores; & ex virtutis diffuſione, ex læſione oculi, vel velatione: ſic cæcitas ſpiritualis oritur ex ſeparatione animæ à Deo, quia peccatum fert ſecum perverſam deordinationem, corruptivam læſionem, & infectivam corruſionem, virtutiſque defectionem. *In Ioan. collat.45.* & hinc rectè dicitur, quòd non eſt ſapientia, prudentia, & conſilium contra Deum.

664. *Sine Deo non eſt prudentia, ſapientia, & conſilium: cum Deo eſt prudentia ſapientia, conſilium, & virtus.*

Non eſt ſapientia, non eſt prudentia, &c. Hoc verum eſt: quia ſine Deo ſapientia, prudentia, conſilium, & virtus, non eſt prudentia, ſapientia, conſilium, vel virtus, ſed totum eſt ignorantia

Digitized by Google

tia, & debilitas. *In Ioan. collat. 45. ſer. 1. de ſancta Agnete: Op. de quatuor virtut. Cardin. op. de dono conſil. &c. op. de dono ſap. cap. 1.*

CAP. XXII.

665. *Nomen chriſtiani eſt melius divitiis, & quacumque alia re.*

M*ELIUS eſt nomen bonum, quàm divitiæ multæ: ſuper aurum, & argentum gratia eius.* Quodnam eſt hoc nomen bonum, ideſt melius, quàm divitiæ? ſed attende; quod antiquitùs conſuetudo erat, ut progenitores ponerent nomina ex aliquo Dei beneficio, ut pater in Abraham, Sara, Iſraël, & in pluribus aliis: In lege autem evangelica talis conſuetudo non adeſt, eo quod omnes unum nomen habemus, ſcilicet chriſtianorum, quod eſt melius omnibus aliis, & divitiis quibuſcumque quia tale nomen eſt propriè amicorum, & filiorum Dei, nos animiores reddens ad virtutis operationem. *In Ioan. c. 1. v. 42. & collat. 47.*

666. *Bonum nomen famaque plus divitiis æſtimabilis: ubi de detractione.*

Melius eſt bonum nomen, quàm divitiæ multæ. Hoc verum eſt: nam apud homines major æſtimatio fit de bono nomine, quàm de divitiis: Unde patet, quòd detrahens famæ proximi majus peccatum, & damnum facit, quàm detrahens res alienas. *Op. ſpec. An. c. 1.*

667. *Diviti Deus pauperem proponit, & pauperi divitem pro ſalute, vel ruina utriuſque.*

Dives, & pauper obviaverunt ſibi: utriuſque operator eſt Dominus. Vide quomodo Deus divites, & pauperes in mundo poſuit ad utrorumque ſalutem; nempe divitibus Deus pauperes proponit, ut excitentur ad ipſorum levamen: & pauperibus divites, ut humilient ſe ad eos, & ab his neceſſaria emolumenta recipiant, ut ſic neceſſaria à Deo impetrent: ſic etiam Chriſtus proponit divitem, & mendicum, illum damnatum, iſtum beatificatum: ut ex magnitudine miſeriæ pauperis aggravetur, & innoteſcat immiſericordia, & crudelitas divitis, & ex abundantia divitis augeatur & innoteſcat patientia pauperis: Item ut ex viſione pauperis beatificati, diviti non miſerenti cumulus damnationis inferatur. *In Luc. c. 16. v. 21.* Voluit igitur Deus in hoc mundo implicare ſimul divites, & pauperes ait D. Baſil. ut divites bonæ diſpenſationis, & pauperes patientiæ braviis decorentur.

668. *In via perverſitatis, & ſuperbiæ ſunt arma, rixæ, & bella: In via juſtitiæ, pax, & vera tranquillitas.*

Arma, & gladii in via perverſi: cuſtos autem animæ ſuæ longè recedit ab eis. Hoc verum eſt, & patet experientiâ: nempe in via ſuperbiæ & peccatorum ſemper occurrunt arma, bella, lites

anxietates contra quos Chriſtus gladium & arma ſuorum judiciorum fulminat ut reſipiſcant à via mala: è contra in via juſtitiæ ſalus, quies, & tranquillitas. *Ser. 3. fer. 3. Paſch. Pſal. 118. c. 4. v. 3.*

669. *Conſuetudo eſt veluti altera natura.*

Proverbium eſt: Adoleſcens juxta viam ſuam graditur, etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea. Proverbium, ſcilicet maxima univerſalis ab omnibus recepta eſt, quòd conſuetudo & habitus factus in adoleſcentia veluti altera natura difficillimè eradicatur: ſic etiam rubigo, ſi benè ferro imprimitur etiam ſi limâ amoveatur, ſæpè ad idem revertitur: Et pullus equinus nunquam paſſum deſerit, quem juvenculus aſſueſcit: Advertant hoc juvenes, maximè Religioſi optimam formam vivendi eligere, quam reddit aſſuetudo jucundam: quia qui diſciplinam in novæ converſationis initio negligit, ad eam poſtmodum difficile applicatur, & formam, quam primò quis recipit, vix deponit. *Ser. 7. de Apoſtol. Op. ſpec. diſcipl. præfat. In Thren. c. 3. ſer. de ſancta Elizab.*

670. *Eleemoſyna eſt medium acquirendi à Deo benedictionem, honorem, victoriam, & gloriam: Defectus eleemoſynæ maledictionem portat.*

Qui pronus eſt ad miſericordiam benedicetur: de panibus enim ſuis dedit pauperi, victoriam, & honorem acquiret, qui dat munera: animam autem aufert accipientium. Vide quomodò Spiritus ſanctus toties divitibus inculcat eleemoſynam: hic autem dat intelligere longum præmium eleemoſynæ: nam promittit benedictionem illam, qua Deus in judicio univerſali vocabit electos ſuos dicens: Venite benedicti Patris mei &c. ſic enim viri miſericordes acquirent honorem in conſpectu omnium hominum, & victoriam, & præmium æternum. *Ser. 1. Dom. 1. poſt oct. Pentec. & ſer. 4. Dom. Trinit.*

671. *Munera excæcant oculos Judicum.*

Qui dat munera animam aufert accipientium. Hoc nimis verum eſt, & continua experientia patet, nempe munera excæcare oculos Judicum cupidorum, ne puniant delicta. *Pſal. 118. c. 3. v. 11.*

672. *Principum gratia contrahitur à ſubditis, non ſolùm per obedientiam exactam, ſed & per cordis, & vitæ & verborum munditiam: & quos amplecti, & quinam ejici ab Aula debent à Principe.*

Qui diligit cordis munditiam propter gratiam labiorum habebit amicum Regem. Ecce quid exigitur in ſubditis ad conciliandum amorem Principis, & Prælati, nempe, non ſolùm obedientia, ſed & cordis, & vitæ, & linguæ munditia, ita quòd veracitas, & locutio reſpondeat ſinceritati, & puritati animi: & hinc in antecedente verſu advertit Principes, dicens, ejice deriſorem, & exibit cum eo jurgium, ceſſabuntque cauſæ, & contumelia: Ut videant Principes, & Prælati, quinam ſint admittendi in Au-

la ſua, & quinam ejiciendi: Ejiciendi] ſunt deriſores, callidi, loquaces, impuri, ſuſurratores, adulatores, & admittendi mundi corde, & ſinceri &c *Pſal.118.c.3.v.14. Op.Eccleſ.Hier.p.3.c.2. ſer.2.Hexam & ſer.1. Dom.16.poſt Pentec.*

673. *Deus ad ſui amicitiam admittit tantum mundos corde, & ore.*

Qui diligit cordis munditiam propter gratiam labiorum habebit amicum Regem. Quem Regem, niſi Chriſtum Regem Regum, & Principem univerſi? hinc enim in ſuis exigit cordis munditiam, & gratiam labiorum, ſcilicet, ut verba reſpondeant puritati cordis. & ſimul, ut alios etiam inſtruant eoſdem mores; & qui talis erit habebit amicum Chriſtum Regem. Nota autem quòd primo loco ponit cordis munditiam, quia cordi mundo, omnia ſunt munda: numquam enim aqua rivuli erit munda, ſi fons erit immundus, numquam viriditas eſſe poterit in arbore, ſi defecerit in radice, & ſicut naſcitur rivus ex fonte, ſic omnes in corpore noſtro motus cauſantur ex corde: ergo ſi erit immundum, & omnes actus ſenſuum erunt tales, & ſi fuerit mundum, omnes actus erunt mundi, & Deo chari: Unde ex hoc patet quanta ſit dignatio Dei noſtri, qui vult eſſe amicus pauperis ſervi: Nonne verè pius & fidelis eſſet ille Rex, qui haberet ſervum leproſum, qui curari non poſſet, niſi in ſanguine regali balnearetur, & ipſe Rex ſuum ſanguinem ob hanc cauſam effunderet? ſic & Chriſtus fecit nobiſcum, tanquam charus, & fidelis amicus noſter. *Ser. 4. Dom.8.poſt Pentec.ſer.de ſancta Eliſab.ſer.5.de una Virg. Op. Eccleſ. Hier.p.s.c.1. Pſal.118.c.8.v.15. Ioan collat.69.ſer.1.de SS.Philip.& Iacob.*

674. *Pigritia in ſervis Dei Deo exoſa: facit enim timere, ubi timendum non eſt.*

Dicit piger, leo eſt fortis: in medio platearum occidendus ſum. Nota quòd hæc metaphora dirigitur contra pigros, & accidioſos, qui in ſervitio Dei deſides ſunt, metuentes difficultates, tentationes, & adverſitates occurrentes, timenteſque vanè, ubi timendum non eſt: Contra iſtos Dei judicium imminet. *In Luc. c.19. v. 21.* Quid igitur ultra dormis ô Religioſe, ô fidelis? quid negligis, uſquequò dormis piger, uſquequò non conſurges ex ſomno tuo? quis, niſi ſtultus dormiret, dum bellum inſtarret, dum ignis jam domum invaderet, dum mox ferenda eſſet ſententia mortis? *Ser.de S. Petro ad Vinc.*

675. *Timore Domini veluti virga, & baculo abigitur omnis ſtultitia, ſenſualitas, & omne malum.*

Stultitia colligata eſt in corde pueri. virga diſciplinæ fugabit illam. Ergone ſolùm ſtultitia eſt in corde pueri, & non etiam in adultis? maximè: ſed loquitur hic metaphoricè: ſunt enim multi, & adulti, & ſenes, qui veluti pueri ſtultos ſe demonſtrantes in actibus, & motibus, nempe inſtabiles, inſenſibiles, carentes ratione concupiſcentiæ dediti: quodnam remedium adhibendum ad curandum iſtos ſtultos, & vecordes? hoc eſt remedium: Virga diſciplinæ, ſcilicet timor Domini: ſub iſto enim pedagogo omnis motus ſenſualis, & puerilis ad rationem reducitur, & puerilis extirpatur: Unica quidem medicina ad expellendum peccatum, & omnes peccati occaſiones ſanguinem luxuriæ, fleumæ, accidiæ & melancoliam iræ, & coleram ſuperbiæ. *Diat.tit.6.c.1.& in Luc.c.18.v.16.*

676. *Qui cum ruina, & damno pauperum, & proximi divitias coacervant, coacervant aliis, non ſibi.*

Qui calumniatur pauperem (vel ut legunt ſeptuaginta) *qui extorquet pauperi, ut augeat divitias, dabit ipſi ditiori, & egebit.* Hoc diligenter advertant divites, & anxiosè per fas, & nefas divitias accomulantes: ſi enim uſuris, furtis, injuſtis venditionibus, emptionibuſque & fraudibus divitias paraverint, iſti fructum earum non obtinebunt, ſed ad ruinam ſuam laborant, & aliis parabunt ſudores ſuos, vel ab aliis eandem fraudem patientur. *Ser.3. Dom. 4. Adv. & ſer.2. Dom.4. quadrag.ſic & D. Baſil.orat. 55.de avarit. ſic Caiet.&c.*

677. *Pueri educandi, & corrigendi à parentibus virga diſciplinæ.*

Stultitia colligata eſt in corde pueri. & virga diſciplinæ fugabit illam. Nota, quod hic ſtatum puerorum, & adoleſcentium malum exprimit, & modum, quo emendandus eſt, & corrigendus. Dicit igitur quod ſtultitia colligata eſt in corde pueri: quænam ſtultitia? & qualis colligatio eſt iſta? ſtultitia veluti ebrietas (ait Cajet.) ratione ſanguinis in pueris exæſtuantis, emittentis ſpiritus ad caput, & ligantis ſenſus, & hebetantis, eos ad actus irrationales inducit, & ob id virgâ, & correctione ad mentem, & rationem revocandi ſunt: Alii dicunt, quòd ſtultitia colligata eſt in corde puerorum, eos ad modum jumenti irrationalis movens verberibus coërcenda, ſtultitia, (ait S.Bonavent.) eſt ſtoliditas rationis, & inſenſibilitas, eos ponens in deriſum aliis? Item concupiſcentia in affectione, & inſtabilitas in operatione: Virgâ, & correctione, & timore abigenda, & conſequenter inſtruendi, & informandi ſunt à parentibus. *Diat.tit.6.c.1.& in Luc.c.18.v.16.*

678. *Doctores, & Prædicatores in edocendo, & diſcipuli, & auditores in addiſcendo qualiter ſe gerere debeant.*

Ecce deſcripſi eam tibi tripliciter in cogitationibus, & in ſcientia, ut oſtenderem tibi firmitatem, & eloquia veritatis reſpondere ex his illis qui miſerunt te. Notandum quòd poſtquam ſapiens inſtillaverat ſuam doctrinam auditoribus, & etiam juvenibus, nunc intendit inſtruere, primò Doctores, & prædicatores, & ſecundò auditores quid attendere debeant, & in quo ab ipſis eſt ſtudendum: quod totum ad tria capita reducit: primum reſpicit doctrinam traditam, & tradendam; eſt enim ad informandam rationalem potentiam circa diſcuſſionem boni, & mali; item iraſcibilem circa rejectionem mali; item concupiſcibilem circa dilectionem boni: Item tripliciter doctrina Sacræ Scripturæ eſt deſcripta, nempè,

nempè, præter litteralem ſenſum, exponendâ eſt tribus modis: moraliter, ſcilicet Tropologicè, eſtque quando per illud, quod factum eſt, datur intelligi, quid faciendum ſit: Allegoricè, & eſt quando per illud, quod factum eſt, indicatur illud, quod credendum eſt: & Anagogicè, & eſt quando per illud, quòd factum eſt, datur intelligi, quod expectandum eſt, & deſiderandum eſt. Addit ſacer textus (in cogitationibus, & ſcientia:) dans intelligere, de quo ab auditore eſt conferendum, ſcilicet de audita lectione, ut nempe cogites, quæ audiſti, ea diligenter rumines, ut ſcias ubi audita, & ruminata comprehendas per cognitionem. Addit tertiò, *Ut oſtenderem tibi firmitatem, & eloquia veritatis*: ſicque oſtendit, quid proponendum in prædicatione, ſcilicet præcepta moralia, quæ ſub lege naturæ, ſcriptæ, & gratiæ firma, & immobilia permanſerunt, & præcipuè evangelica, quæ ex ore Altiſſimi prodierunt: Addit quartò *reſpondere ex his illis, qui miſerunt te*, ut advertant, per quid reſpondendum in interrogatione, ſcilicet quia per ea, quæ ſunt ex lectione percepta, in ratione collecta, & prædicatione concepta reſpondere debet auditor, & diſcipulus examinatoribus illis, qui miſſi ſunt, quomodo examinent te: Ecce igitur quid intenditur in tota Sacra ſcriptura, nempe inſtructio Concionatorum, & Doctorum in ſuo ipſorum miniſterio; quid proponere debeat ſuis auditoribus, & quid auditores, & diſcipuli agere debeant, ut fructum multiplicem reportent. *Op. Centill. in proœm. Pſal. 118. c. 3. v. 8. & Op. Incend. am. c. 1. in principio.*

679. *Auditio verbi Dei qualiter facienda.*

Ecce deſcripſi tibi eam tripliciter in cogitationibus, & in ſcientia &c. Cur tripliciter proponitur ſacra doctrina auditoribus? Ut ipſam doctrinam ſacram recipiant in intelligentia per ſtudioſam acquiſitionem, in memoria per firmam retentionem, & in voluntate per dilectionem: hæc tria ſi feceris, eris verus auditor verbi Dei. *In Sap. prol.*

680. *Deus ſtrictiſſimè vindicat oppreſſiones, quas potentes faciunt pauperibus quorum eſt ipſe Deus Judex, & Procurator.*

Non facias violentias pauperi, quia pauper eſt, neque conteras egenum in porta: quia judicabit Dominus cauſam ejus, & configet eos, qui confixerunt animam ejus. Sententia hæc eſt perſpicua, in qua prohibet Salomon, ne quis pauperibus vim, & injuriam faciat, ex eo, quia pauperes ſunt; & ne paupertas, quæ miſericordiam potius extorquere deberet, avaris quidem, & ſuperbis audaciam, & animum ad ipſos nec pauperes ſpoliandos, & diripiendos faciat: & hoc præcipuè ad Judices, & Procuratores, & Principes moventes lites injuſtas, vel ſententiam injuſtam ferentes contra pauperes dirigitur, dum dicitur, *neque conteras egentem in porta*, nempe in ſubſellio, in quo magiſtratus dicunt Jus. Caveant igitur divites, potentes, Procuratores, Advocati, & Judices, ne violentiam pauperibus inferant, quia Deus audit clamores pauperum, afflictionem eorum, etiam ipſis tacentibus clament ad Dominum, ſtrictiſſimèque Deus ſupremus Judex eorum violentias ulciſcetur: & ſicut non fecerunt miſericordiam, ſic nec à Deo fiet eis: & ſicut ſudorem, & ſanguinem eorum biberunt, ſic Dæmones facient in Inferno de eis: & ſicut fecerunt pauperibus, ſic fiet eis & retributio ipſorum convertetur in caput eorumdem. *Ser. 1. Dom. 24. poſt Pentec. & In Luc. c. 18. v. 6. & 7.*

681. *Societas malorum quàm ſedulò cavenda.*

Noli eſſe amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioſo, ne fortè diſcas ſemitas ejus, & ſumas ſcandalum animæ tuæ. Vide quomodò denuò refricat ſapiens hoc conſilium tam neceſſarium, ut evitemus ſocietatem malorum: ſciebat enim; quod malorum amicitia eſt peſſima plurimumque noxia, eo quod virtus unita ſit fortior: eſt enim veluti peſtis venenum ſuum in alios infundens. *Ser. 10. de Apoſtol. ſer. 2. Dom. 3. poſt oct. Paſch. ſer. 2. Dom. 21. & Dom. 23. poſt Pentec.*

682. *Fidejuſſio pro debitis aliorum non facienda temerè, & ſine maxima neceſſitate, & charitatis obligatione, ſed cum maxima cautela ne ruina ſibi, rei familiari incurratur:* ſic advertit nos hic ſapiens dicens: *Noli eſſe*, idest *numerari cum his, qui defigunt manus ſuas*, ſcilicet fidem tradendò aliis, & qui vades ſe offerunt pro debitis: ſi enim non habes, unde reſtituas, quid cauſæ eſt; ut tollas operimentum de cubili tuo? hic autem ad litteram agit de fideijuſſione pro debitis aliorum. *Op. in Pater noſter &c.* Myſticè autem dirigitur ad illos, qui ſponte, & ſine fundamento ſe exhibent ad curam animarum, & conſequenter ſpondent animam ſuam pro animabus aliorum: Taleſque advertit, ne ſine neceſſitate, obedientia, & meritis tale onus ſuſcipiant temerariè: *Sic Beda, & Hugo.*

683. *Nova doctrina, & novitates in expoſitione Sacræ ſcripturæ non fundatæ in ſenſu, & doctrina ſanctorum Patrum vitandæ cum magna cautela à Doctoribus.*

Sic advertit hic Spiritus ſanctus: *Ne tranſgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt Patres tui. In Ioan. prol.* Poteſt & hoc exponi etiam tanquam dictum Religioſis, ne veterum Patrum terminos, ſcilicet doctrinam, ſtatuta, & mores, paupertatemque antiquorum Patrum tranſgrediantur. *Sic D. Bernardus, &c. & S. Bonavent. op. de Inſtitut. Novit. p. 1. c. 3.* *Religioſi non relinquant ſtatuta veterum Patrum ſuorum.*

684. *Promptitudo, & velocitas in Dei obſequio quàm neceſſaria, & Deo chara.*

Vidiſti virum velocem in opere ſuo: coram regibus ſtabit. Vide quomodo ſicut Principes valdè amant ſuos veloces, & promptos in ſuis obſequiis, ſic Chriſtus exigit à ſuis feſtinantiam obedientiæ; promptitudinem executionis præceptorum, iſtique merentur ſtare coram Deo. *in Luc c. 2. v. 16. & cap. 5. v. 28. op. Comp. Theol. l. 6. c. 16.*

CAP. XXIII.

685. *Amor Chriſti à nobis exigit amorem: & charitas charitatem.*

QVANDO ſederis ut comedas cum Principe, diligenter attende, quæ appoſita ſunt ante faciem tuam, & ſtatue cultrum in gutture tuo, ſi tamen habes in poteſtate animam tuam. Notandum, quod Salomon ad litteram monet homines, quid ab ipſis faciendum, cum invitati fuerint ad menſam Principis: nempe quod caveant ab ebrietate: quod ad problemata propoſita ad menſam, uti ſolebant antiqui, ſtatuat cultrum gutturi ſuo, ſcilicet, ut exacuat mentem, & linguam ad rectè reſpondendum, & alia problemata proponendum, dummodo ſit id in tua poteſtate, nec à nimio vini potu impeditus fueris: Unde ſeptuaginta legunt. *Iniice mentem tuam ſciens, quòd oportet te talia præparare*: ſpiritualiter tamen hic ſermo eſt de Chriſto, qui ad menſam Eccleſiæ nos vocavit, & in ipſa tot bona præparavit, oſtendens in hoc ſuam infinitam charitatem ut eandem ipſi rependamus, & exhibeamus nam pro nobis paſſus eſt, nobis relinquens exemplum, ut ſequamur ejus veſtigia: pro charitate igitur, & amore, charitatem, & amorem à nobis exigit. *In Ioan. c. 15. v. 13.*

686. *Quali conſideratione, & præparatione accedendum ad Euchariſtiam.*

Quando ſederis, ut comedas cum Principe, diligenter attende, quæ appoſita ſunt ante faciem tuam, &c. Quis eſt iſte Princeps nos vocans ad ſuam menſam? qui cibi appoſiti ante faciem noſtram? Ad quid attendendum? Nota, quod iſte Princeps eſt Chriſtus Jeſus Rex Regum, qui menſam lautiſſimam nobis præparavit, ſcilicet Sacram Euchariſtiam, in qua appoſuit ante faciem noſtram Corpus, ſanguinem, Animam, & Divinitatem ſuam; & hinc ſubdit, *Attende*, &c. quaſi dicat: Attende quid tibi apponatur in hac menſa, & conſidera eximiam charitatem, quam nobis in hoc convivio oſtendit Chriſtus, ſeipſum nobis dando in cibum, ut per ipſum invitaret nos ad reddendum amorem pro amore, & per talem ſumptionem nos duceret ad Divinitatis poſſeſſionem: Addit, *ſtatue cultrum gutturi tuo*; cui addunt ſeptuaginta: *ſciens, quod oportet te talia præparare:* per quæ datur intelligi quod in hac ſumptione debet acui fervoroſè ipſe appetitus, debet concurrere diſcreta dijudicatio per amorem, intima ſuſceptio, & cibantis in ipſum cibum tranſmutatio: ſicque ſicuti in confectione hujus ſacramenti panis interit, & loco illius ſuccedit Chriſti corpus, ita & tu in hac communione, & ſpirituali converſione ſimilia præpara, ſcilicet corpus tuum demortuum æſtima, ipſumque pro Chriſto, etiam ad mortem paratus ſis offerre: ad quæ omnia; prærequiritur fides, ordinata charitas, affectuoſa devotio. *In Ioan collat. 34. & 89.*

687. *Idem magis exponitur.*

Cum ſederis, ut comedas cum Principe, diligenter attende ad ea, &c. Nota, quòd non dicit: comede; quæ appoſita ſunt: ſed Attende; ergo ad ſolam conſiderationem ordinatur iſte accubitus ad menſam Principis? At reſpondetur, quod, cum hic myſticè loquatur de manducatione Euchariſtæ, dat nobis intelligere, quod non eſt ſola manducatio materialis facienda, ſed requiritur, ut fiat etiam ſpiritualiter: ſicut enim in manducatione corporali concurrit, inter alia, maſticatio, & incorporatio, ſic etiam ſpiritualiter: ſpiritualis autem manducatio eſt recogitatio cibi, ſcilicet carnis pro nobis expoſitæ in pretium ad redimendum, & in cibum ad reficiendum: incorporatio verò attenditur, dum recogitans, charitatis amore ei, quod cogitatur jungitur, & ſic incorporatur, & dum incorporatur reficitur, & magis aſſimilatur. *L. 4. d. 9. a. 1. q. 2.*

688. *Idem de fructu communionis, & præparationis ad Euchariſtiam.*

Statue cultrum gutturi tuo: ſeptuaginta: *ſciens, quòd oportet te talia præparare.* Quomodo pro exhibitione facta à Chriſto corporis, & ſanguinis nos ipſi debemus talia præparare? quæ ſunt iſta talia, & ſimilia? ſed attende, quòd cum inſtitutio Euchariſtiæ, exhibitioque corporis Chriſti, & ſanguinis facta, ab ipſomet nobis in cibum, & potum, ſit maximum omnium beneficium: exigitur etiam in nobis digna, & condebita recognitio: quid igitur exigit à nobis, dum dicit, quòd oportet nos talia præparare? Nota ſequentia: primò in hoc ſacramento nobis ſeipſum exhibet in ſacrificium incruentum: ita & nos ipſos debemus offerre in ſacrificium totale per tolerantiam paſſionum, & tribulationum in hac vita; ſecundò, ut ſicut Chriſtus in hac exhibitione convertit panem, & vinum in corpus, & ſanguinem ſuum, ſic & nos in ejus ſumptione debemus facere perfectam converſionem ex peccatoribus in juſtos, ex carnalibus in ſpirituales, ita ut nihil terreni appareat exterius: Tertiò, ut ſicut Chriſtus totus in tota hoſtia, & totus in qualibet parte, ſicut ipſe nobis indiviſum corpus ſuum obtulit, ſic & totos nos indiviſos, & in diſceſſos in partes debemus offerre: quartò, ut ſicut in ſacramento ſeipſum nobis impaſſibilem exhibet, ſic & nos ipſos veluti impaſſibiles in paſſionibus & pœnis ſibi exhibeamus, ſcilicet ut ſicut inviſibilem, intangibilem ſeipſum nobis exhibet; ſic & nos expoliare debemus omnes operationes ſenſuum, & ſola fide, ſpe, charitate ad ipſum accedere, illum ſumere, nos ipſos ſibi incorporare, & unire, ut nos ipſos totaliter in ipſum ordinemus, & quantum ad intellectum, & quantum ad affectum, & quantum ad effectum. *Op. præparat. ad miſſam. Op. Brevil. p. 6. c. 9. & opſtim. div. am. p. 3. c. 17.*

689. *Euchariſtia aliis eſt panis vitæ, aliis panis mendacii, & mortis.*

Ne deſideres de cibis ejus, in quo eſt panis mendacii. Quomodò ad menſam Principis offeruntur cibi mendacii? & quis eſt iſte panis? Nota, quòd cum dictum ſit, hic ſermonem eſſe de pane, & vino euchariſtico; datur intelligi quòd aliis eſt panis vitæ, aliis panis mendacii, & mortis: panis vitæ, illis, qui dignè illum ſuſcipiunt: panis mendacii, illis, qui indignè. *L.4.d.9. a.2. per totum. Op.praparat.ad miſſ.c.4.& 8.*

690. *Doctrina erronea perverſorum eſt panis mendacii: doctrina vera, & ſancta panis vita.*

Ne deſideres de cibis ejus, in quo panis eſt mendacii. Legunt ſeptuaginta: *In quo eſt vita falſa:* quis eſt panis mendacii, niſi doctrina hæreticorum, & malorum, ad peccatum inducens? In hoc pane eſt panis mendacii, quia ubi ſperatur bonum, malum invenitur, & venenum: Doctrina ſancta è contra eſt panis vitæ. *In. Ioan.collat.31.*

691. *Sollicitudo nimia in parando divitias reprehenditur hic à ſapiente dicente.*

Noli laborare, ut diteris, ſed prudentiæ tuæ pone modum. Ideſt, ne ſis nimium ſollicitus in parandis divitiis, ſed operi tuo, & laboribus pone modum; id enim non ſolùm non prodeſt, ſed magis obeſt. *In Ecclen.c.2.*

692. *Altiora ſe nemo curioſè inveſtiget.*

Ne erigas oculos ad opes, quas non potes habere, quia facient tibi pennas quaſi Aquilæ, & volabunt in Cœlum. Nota, quòd litteraliter ſapiens conatur abſtrahere nos à nimia ſollicitudine, & deſiderio ditandi temporaliter, & hoc, quod divitiæ dantur à Deo, cui placuerit. Myſticè datur intelligi, quòd nemo curioſè debet inhiare ad cognitionem ſupra ſuum poſſe, & excedentem ſuæ ſpheram habilitatis, vel neceſſitatem, quia radius luminis, qui Aquilæ viſum acuit, & confortat, obtundit viſum noctuæ, & excæcat; unde qui debilis eſt intellectu, non debet alta, & inſenſibilia perſcrutari, ne de claritate nimia obtenebretur ejus animus. *Op.Eccleſ.Hier.p.4.c.4.*

693. *Homo noctua obcæcatur ex viſione cæleſtium: homo Aquila elevatur, & illuſtratur.*

Ad opes, quas habere non potes, ne erigas oculos, facient enim tibi pennas quaſi Aquilæ, & volabunt in Cœlum. Quænam ſunt iſtæ opes, quas jubet ſapiens, ne deſideremus? ſed attende, quòd iſta verba diriguntur non ad Aquilas, ſed ad noctuas: ideſt ad hominem terrenis implicitum, & in delectationibus terrenis immerſum: nam talis non debet prætendere volare in altum per contemplationem, & cognitionem divinorum; id enim exigit viſum animæ expurgatum ab omni terrenarum cupiditate; & ideo aquilæ, ſcilicet contemplativi alta petunt; & viſum fixum in cæleſtibus utiliter ponunt, & tenent, viventes potius cum habitatoribus cæleſtibus, quàm in terra cum terrenis. *Op. Eccl. Hier. ibid. & ſer.de ſanctis Sim.& Iuda.*

694. *Societas malorum, & malitioſorum vitanda: Ubi de judicio temerario.*

Ne comedas cum homine invido (*cum habente malum oculum.* Legunt ſeptuaginta) *& ne deſideres cibos ejus, quoniam in ſimilitudinem arioli, & conjectoris æſtimat quod ignorat: comede, & bibe dicet tibi, & mens eius non eſt tecum.* Ecce, quòd ſapiens iterum monet, ut vitemus ſocietatem malitioſorum, quia, ait ipſe, temerariè judicant, & bonum dicunt malum, malum bonum eorumque mos eſt obſervare omnia, & omnes actus proximi per judicium temerarium prævertere: & ipſum damnificare ubi poſſunt. *In Luc. c.4.v.1.& c.7.v.39.*

695. *Diabolus, & impius invitat ad gulam: Chriſtus ad abſtinentiam.*

Comede, & bibe, dicet tibi (ſcilicet invidus) *& mens eius non eſt tecum.* Ergone proprium eſt malorum invitare, & exhibere cibos ad refectionem, & non potius ſervorum Dei: Dicit enim Chriſtus, eſurivi, & dediſtis mihi manducare? Verum quidem eſt, quòd proprium eſt Chriſti, & ſervorum ejus ſubvenire indigenti in neceſſitate, in reliquis verò ſuadet ſobrietatem, & abſtinentiam: proprium tamen diaboli eſt invitare ad crapulam, dicens, comede, & bibe, ſcilicet ad voluptatem, & ad damnum animæ, quia proponitur cibus ad fraudulentiam, & in ruinam animæ: Cave ergo ab iſtis impiorum incitamentis, quia diabolus conatur capere homines per gulam, tanquàm facilius vitium ad omnia vitia, & facinora diſponens: Unde, niſi prius gula refrænetur, fruſtra contra alia vitia laboramus: & hinc docuit Chriſtus, nos hoc vitium vincere per abſtinentiam, & ſpiritualis cibi deguſtationem. *In Luc. c.4.v.3. & ſer.2.Dom.1.quadrag.*

696. *Pupillorum oppreſſores Chriſtus vindicat ſeveriſſimè.*

Ne attingas parvulorum terminos, & agrum pupillorum ne introeas, propinquus enim illorum fortis eſt, & ipſe judicabit cauſam illorum. Quis eſt iſte propinquus pupillorum, & parvulorum, & judicans cauſas ipſorum? Hebræus legit: *Redemptor eorum,* & ideo hic eſt Chriſtus, Judex, Procurator, Protector, & Advocatus parvulorum, & pupillorum: Cave ergo ab ipſorum oppreſſione, quia Deus ſeveriſſimè vindicat ipſorum oppreſſores. *Ser.1.Dom. 15. poſt Pent.*

697. *Filiorum advocatio parentibus ſuadetur, & Prælatis correctio ſubditorum.*

Noli ſubtrahere à puero diſciplinam, ſi enim percuſſeris eum virgâ, non morietur: tu virga percuties eum, & animam ejus ab Inferno liberabis. Vide qua cura Spiritus ſanctus ſuadet educationem filiorum parentibus; docetque ipſos teneri ad educationem, non ſolùm verbis, ſed & correctionibus, eo quod talibus correctionibus, & inſtructionibus à peccatis, & à damnatione æterna liberantur. *In Luc.c.18.v.16.* Nota etiam, quòd

quòd hæc admonitio dirigitur ad Prælatos, ut verbo, & opere corrigant ſubditorum errores, ne in pejus labantur, & citius curentur. *Eccl.Hier. p.4.c.1.& op.de ſex alis Seraph.c.3.ſer.1. S.Andreæ in addit.*

698. *Impiorum fælicitas non invidenda, vel deſideranda, ſed vita in timore Domini ſemper eſt ducenda.*

Sic ſuadet hic ſapiens: *Non æmuletur cor tuum peccatores, ſed in timore Domini eſto tota die, quia habebis ſpem in noviſſimo, & præſtolatio tua nunquam auferetur. Pſal.118.c.7.v.1.*

699. *Ad ſapientiam comparandam, & exercendam gradus aſſignantur.* Nota quod Spiritus ſanctus volens ſuos ſequaces repletos ſapientia cœleſti in his verbis aſſignat gradus, quibus comparanda & exercenda: Dicit igitur primò: *Audi fili mi:* nam non poteſt eſſe bonus magiſter, qui prius non fuerit bonus diſcipulus, nec aliquis ſapiens eſſe, niſi audiat prius magiſtrum, & Chriſtum docentem: Addit: *& eſto ſapiens,* ſcilicet per acquiſitionem habitus ſapientiæ: addit tertiò: *& dirige viam &c.* ut per talem ſapientiam dirigatur in agendis, ſcilicet in converſatione, in motibus, in lingua, & in omnibus actibus. *Ser.1.in feſto ſancti Gregor.*

700. *Comeſſationes, & crapula ſedulò vitandæ à fidelibus.*

Noli eſſe in conviviis potatorum, neque in comeſſationibus eorum, qui carnes ad veſcendum conferunt, quia vacantes potibus, & dantes ſymbola conſumentur, & veſtietur pannis dormitatio. Vide quomodo Spiritus ſanctus in ſuis fidelibus deteſtatur converſationes, & ebrietates, quia in ipſis & detractiones, & conſummatio facultatum uſque ad inopiam incurritur. *In Luc.c.12.v.19.*

701. *Deus ſollicitè quærit à filiis, ut obedientes ſint Patri & matri, & præcipuè ne contemnant matrem ſuam in ſervitute poſitam.* Hinc dicit hic Spiritus ſanctus: *Audi Patrem tuum, qui genuit te, & ne contemnas, cum ſenuerit, matrem tuam.* De qua re in ſuperioribus aliàs dictum eſt.

702. *Veritas ſola deſideranda, & quærenda.*

Veritatem eme, & noli vendere ſapientiam, & doctrinam. Ecce quale bonum eſt veritas; hæc enim quocumque labore, ſtudio, & exercitatione eſt comparanda, & dum ipſam obtinueris, cave ne ipſam perdas ob quodcumque aliud pretium. *In Ioan.c.6 v.1.*

703. *Filiorum probitas quale gaudium afferat parentibus.*

Exultat gaudio Pater juſti, qui ſapientem genuit lætabitur in eo: gaudeat Pater tuus, & mater tua, & exultet quæ genuit te, &c. Ecce quæ cura à filiis adhibenda, ut gaudium afferant parentibus: hoc autem facient, ſi juſtitiam ſervaverint, ſi probitatem conſervaverint, ſi in timore Dei, & obedientia vixerint: eſt enim hæc lætitia parentum inexplicabilis: ſic gaviſi ſunt parentes Sancti Joannis Baptiſtæ: ſic enim & bonitas, & Spiritus filiorum redundat etiam in parentes. *In Luc.c.1.v.14.& 67.*

704. *Deus ſolùm ad poſſeſſionem cordis noſtri adſpirat.*

Præbe mihi fili cor tuum, & oculi tui vias meas cuſtodiant. Ecce quid à nobis prætendit, & petit Dominus, ſcilicet cor noſtrum, ad hoc inhiat, & ſuſpirat, cum ipſe ſolus ſit Dominus cordis noſtri: quod ſi poſſeſſionem cordis ei dederimus, ex conſequenti ſequitur cuſtodia mandatorum ejus ſignificata per cuſtodiam oculorum, ſcilicet appetitus animæ: Nec id mirum, quia ſicut ex fonte immundo immundus rivulus, & ex mundo mundus erit, ſic ex corde omnis motus corporis erit, & ideo ſi cor eſt Deo totum dicatum, & mundum, & actus omnes, & verba & operationes, & ſenſus erunt munda, & conſequenter obſervantia mandatorum Dei perfecta erit. *In Luc.c.19.v.31.ſer.1.in feſto SS.Philip.& Iacob.op. de perfec. vitæ cap.7. Pſalm.118.cap.10. verſ.2.*

705. *Miſeria ebrioſorum, & vinolentorum expenduntur.*

Cui væ? cujus patri væ? cui rixæ? cui foveæ? cui ſine cauſa vulnera? cui ſuffuſio oculorum? nonne his, qui commorantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis? Vide quanta mala temporalia, & ſpiritualia ebrioſorum & vinolentorum: Cui væ, ſcilicet, quis eſt, cui parata ſunt væ, mala, & miſeriæ? Cujus Patri malè educanti filios, eos ſinendo immergi in numero vinolentorum, & malo exemplo eos ad ebrietatem provocando? Cui rixæ multiplicantur? ſcilicet rixæ corporales cum hominibus, ſpirituales cum Angelis ſanctis, & Dæmonibus æternales? Cui foveæ? ſcilicet qui in foveas materialiter ſe præcipitant, & ſpirituales in foveas omnium vitiorum? Cui ſine cauſa, id eſt ultrò vulnera adveniunt ſpiritualia, & corporalia? Cui ſuffuſio? id eſt caligo, & obſcuritas corporalis, ſpiritualis, & æterna? ô quot mala hic aggregata! ſed quibus præſagiuntur? forſan ſuperbis? vel idololatris? vel hæreticis? vel homicidis? minimè, ſed vinolentis: Hæc tot igitur mala ebrioſis, & vinolentis eveniunt: fuge ergo ô homo à crapula, & ebrietate. *Ser.2. Dom.1. poſt oct. Epiph. & ſer.2. Dom.24.poſt Pentec.In Eccleſ.c.2.in fine in Luc.c.6. v.25.& c.17.v.27.In Ioan.c.2.v.10.& collat.12.*

706. *Ebrietas ſpiritualis carnalium voluptatum qualia mala parit.*

Ne intuearis vinum quando flaveſcit, cum ſplenduerit in vitro color ejus, ingreditur blandè, ſed in noviſſimo mordebit ut coluber, & ſicut regulus venena diffundet. Vide quòd ſacer textus proſequitur ſuadendo abſtinentiam ab immoderato uſu vini ob damna innumerabilia, quæ hinc conſequuntur, ſed tamen non tantùm perſuadere intendit abſtinentiam a vino materiali, ſed à myſtico, ſcilicet ab uſu delectationum carnalium, quæ nomine vini flaveſcentis, & ſplendentis in vitro ſignificantur, quia iſtæ pejus, quàm vinum materiale rationem perturbant, memoriam enervant, oblivionem immittunt, errorem infundunt,

dunt, ad ignorantiam perducunt, & venenum læthale animæ inferunt. *In Ioan. collat. 11. ſer. 2. Dom. 1. poſt oct. Epiph. & ſer. 4. Dom. 2. poſt oct. Paſchæ.*

707. *Fovens in corde appetitum voluptatum carnalium, ad extra per verba manifeſtabitur.*

Oculi tui videbunt extranea, & cor tuum loquetur perverſa. Proſequitur hîc Propheta enarrando peſſimos effectus foventium in corde deſideria mala, & amorem illicitum ad mulieres, & voluptates: qui enim tali vino inebriari ſe permittet, iſte ad extra prorumpit in verba, & actus peſſimos, nec poterit cælari. *Pſal.* 118. *cap.* 3. *v.* 5.

708. *Dormientes in voluptatibus immerſi, ſunt veluti letargici, qui dormiendo moriuntur.*

Et erit ſicut dormiens in medio mari, & ſicut ſopitus gubernator amiſſo clavo. Nota, quòd in his verbis proſequens ſacer textus narrationem miſeriarum ebrioſorum, & carnalium, hic innuit præcipuam quamdam ærumnam, ſcilicet rationis naufragium, & ſomnum veternum, ſeu letargicum, quem induxit talis compotatio: nec mirum eſt hoc: nam veluti ſomnus intenſiſſimus fert ſecum Ligamentum ſenſus, privationem operum vigiliæ, hominis immobilitationem; ſic & peccatum maximè ebrietatis, & carnalitatum ligat ſenſus, ne dirigantur in proprias operationes, cauſat ignorantiam imminentium periculorum, aggravationem, & immobilitationem, ſpiritualem infrigidationem in cogitationibus bonis, & cogitationum malarum, & affectionum vanarum, & phantaſticarum ſimulationem, & licèt tales excitentur multipliciter à Deo, tamen veluti inſenſati, ſunt ſimiles Letargicis, qui dormiendo moriuntur. *In Ioan. collat.* 51. & *in Luc. cap.* 22. *verſ.* 46. & *Pſal.* 118. *cap.* 6. *verſ.* 7. & 8. Addo hîc verba Gregorii verè aurea: Et erit quaſi dormiens in medio mari, & quaſi ſopitus gubernator amiſſo clavo. In medio mari dormit, qui in hujus mundi tentationibus poſitus, prævidere motus irruentium vitiorum quaſi imminentes undarum cumulos, negligit: & quaſi clavum gubernator amittit, quando mens ad regendam navem corporis, ſtudium ſollicitudinis perdit: clavum quippe in mari amittere eſt intentionem providam inter procellas hujus ſæculi non tenere. *Sic S. D. paſtor. cura.* 3. *p. adm.* 33.

709. *Ebrietas materialis aufert ſenſum in malum: ſpiritualis in bonum.*

Et dices verberaverunt me, & non dolui, traxerunt me, & ego non ſenſi, quando evigilabo, & rurſus vina reperiam. Ecce ad qualem inſenſibilitatem inducit ebrietas: facit enim ut ebrius nec ſentiat verbera, nec quamcunque excitationem: quodque eſt ſignum læthale: è contra tamen ebrietas ſpiritualis, quæ ex fonte charitatis reddit veluti inſenſibilem hominem ad quamcumque tribulationem, nec etiam mortem timet, quia fortis eſt ut mors dilectio. *In Ioan. collat.* 51. & *op. Diet. ſal. tit.* 5 *c.* 2. De hac ebrietate ſpirituali *V. S. Bonavent. op. de profect. religioſ. l.* 2. *c.* 72.

CAPUT XXIV.

710. *Mercatores fraudulenti vitandi.*

NE *æmuleris viros malos, nec deſideres eſſe cum eis, quia rapinas meditatur mens eorum, & fraudes labia eorum loquuntur.* Vide quomodo ſapiens deteſtatur peſſimam conſuetudinem malorum, & iniquorum negotiatorum, & mercatorum: ab eiſque monet cavendum eſſe tamquam à peſte, quia mens eorum, repleta eſt mendaciis, fraudibus, rapinis, & ad nihil aliud adſpirant, quam ad fraudandum proximum. *Pſal.* 118. *c.* 1. *verſ.* 16.

711. *Sapientia cæleſtis tutum iter oſtendit: Mundana in errores & perditionem conducit.*

Vir ſapiens fortis, & vir doctus robuſtus, & validus, &c. Sed quomodo dicitur fortis vir ſapiens, & doctus? Nonne ſapientia poteſt eſſe etiam in imbecillo: ſed nota, quod loquitur de ſapientia cæleſti, quæ iter tutum ad cœlum oſtendit, & vim etiam confert animæ debellandi hoſtes, & celeriter ad optatum finem perveniendi: E contra ſapientia mundana tortuoſa eſt, fallax, & ducens animam ad interitum. *Ser.* 2. *de S. Anton. Patav.*

712. *Peccator ſtultus, peccatum ſtultitia, maximéque detractio.*

Qui cogitat mala facere, ſtultus vocabitur: cogitatio ſtulti peccatum eſt, & abominatio hominum detractor. Quomodo ſtultitiæ imputatur peccatum? Nonne ad peccatum requiritur plenus uſus rationis? ſed attende, quòd omne peccatum ſtultitia peſſima eſt, quia peccans contra regulas divinæ legis operatur; attendens, non ad malum, ſed ad bonum, is verè decipitur, & contra rationem, uſum rationis exercet; & ideo ſtultitia eſt mala cogitatio, pejor ſtultitia, quæ executionem cogitationi addit, & inter omnes ſtultitias abominabilior eſt detractio. *Pſal.* 118. *c.* 4. *ver.* 11.

713. *Iuſtorum proprium eſt trahere proximum à morte ad vitam: impiorum à vita ad mortem.*

Erue eos, qui ducuntur ad mortem, qui trahuntur ad interitum, liberare ne ceſſes. Nota, quod ſuadet Spiritus ſanctus ſuos ſequaces, præcipuè Doctores, Concionatores, Principes, & Prælatos, ut eruant eos, qui ducuntur ad mortem, & trahuntur ad interitum: ſed quinam ſunt iſti, qui ducuntur, & trahuntur? & à quibuſnam trahuntur? Prætereaquomodò jubet, ut Principes, & Prælati eruant eos, qui ducuntur ad mortem? Nonne potius ipſorum munus eſt malefactores impellere, &

condemnare ad mortem ? ſed hîc nota myſterium horum verborum : nam trahitur homo à Deo, à diabolo, à proximo, & homine : Trahitur homo à Deo à malo ad bonum, à bono ad melius, & hinc ad cœlum : Trahitur, inquam, gratia, flagellis, inſpirationibus : Trahitur item à diabolo inſtigationibus, tentationibus à bono ad malum, & ad Infernum : Trahitur item à proximo, & homine, ſcilicet à Prædicatoribus, & Prælatis à mala vita ad bonam, & hoc verbis, conſiliis, exemplis, & aliis adjutoriis: Ab impiis miniſtris diaboli trahitur homo malis conſiliis, perſuaſionibus peſſimis, ſcandalis, aliiſque modis à diabolo propoſitis. *Ser.2. fer.4. Pentec.& op. Eccleſ.Hier.p.2.c.2.* Advertant hoc divinum præceptum illi, quorum munus ex officio eſt incumbere ſaluti ſubditorum, nec excuſationem habere poterunt apud Deum, dicentes, quod ſequitur ſacer textus : *ſi dixerint, vires non ſuppetunt : qui inſpector eſt cordis, ipſe intelliget, & ſcrutatorem animæ ſuæ nihil fallit, reddetque homini juxta opera ſua.* Quaſi dicat : nullam excuſationem coram Deo validam poteris afferre, quia ipſe eſt, qui inſpector eſt cordium, & hanc tuam peſſimam & omnia jura charitatis violantem excuſationem refellit Deus, qui unicuique mercedem appendit juxta ea, quæ poteſt operari, & ad cor, & ad intentionem tuam reſpiciet. *Op. Eccleſ. Hier. loc. cit. Idem & D. Auguſt. aliique DD.*

714. *Amor, & charitas in Deum mel dulciſſimum animæ.*

Comede fili mi mel, quia bonum eſt, & favum dulciſſimum gutturi tuo : ſic & doctrina ſapientiæ animæ tuæ. Nota, quòd ſapientiam doctrinæ comparat melli : hæc ſapientia eſt ſcientia ſapida, qua illuminatur intellectus, & inflammatur voluntas charitate ardentiſſima in Deum : & meritò fit hæc comparatio : nam dicunt medici, quòd mel eſt valde ſalubre ſanitati, quia parcè ſumptum corruptioni obſiſtit, & prolongat vitam, pituitam frigidam exſiccat, bilem exaurit, vulneribus medetur, & dulcedinem miram palato affert : ſic & hæc ſapida ſcientia, charitas, & amor in Deum, quia dulcedinem cœleſtem animæ confert, ab impuritate mundat, virtutibus adornat, dulcedine cibat, delectatione inebriat, lumine ſerenat, gaudio exhilarat, fidem confirmat, auget ſpem, &c. & participationem cæleſtis beatitudinis confert: Beati igitur, qui ſcholam Chriſti frequentant, & hanc cæleſtem doctrinam addiſcere ſtudent. *Op. de dono pietatis. cap.3. ſerm. 1. in Invent. S.Crucis.*

715. *Ex Crucis, & Crucifixi meditatione mel Paradiſi derivat.*

Comede fili mi mel, quia bonum eſt &c. Et unde ſumendum, vel inveniendum ? Non alibi, niſi ex vulneribus Crucifixi, qui eſt lignum vitæ: ibi enim hauries mel dulciſſimum, & participationem cæleſtis beatitudinis, *Ser. 1. in invent. S. Crucis.*

716. *Mali requiem auferre conantur juſtis & quotuplex ſit requies bona, & mala.*

Ne inſidieris, & quæras iniquitatem in domo juſti, neque vaſtes requiem eius. Vide qua cura Deus ſuadet, ut non inquietentur juſti : ſed cur tam ſollicitus eſt Deus de requie juſtorum? Nota, quòd ad litteram ſuadere nititur Deus, ut non diſquirantur defectus juſtorum nimium exacta inquiſitione : ſubdit enim quòd *ſepties in die cadit juſtus*, ſcilicet nemo ſine crimine vivit, & ideo excuſanda eſt fragilitas noſtra : Myſticè dat intelligere, quòd cum triplex ſit requies, ſcilicet temporalis, & hæc eſt vel ex neceſſitate naturæ quam Deus vult, ut ipſam amplectemur tempore, & modo opportuno : vel eſt vitioſa, & fructus accidiæ, & hæc eſt vitanda ; vel ex laſcivia, & hæc eſt abhorrenda : vel eſt legalis vitæ obſervantia diei feſti : vel eſt moralis ex conſcientia pura : hanc requiem amplexantur juſti, à qua alieni ſunt Dei inimici, qui numquam feſtum habent, imo conantur eam auferre juſtis &c. *Ser.2. in ſab. ſancto & in Ecclen. c.2.*

717. *Impii, & ſimulatores obſervatores defectuum juſtorum provocant iram Dei.*

Ne inſidieris, & quæras impietatem in domo iuſti, neque vaſtes requiem eius &c. Vide quòd Deus valdè abhorret malitiam impiorum, qui cum in ſe ſint maligni, & omni dolo pleni, diligentes obſervatores actionum juſtorum ut inveniant in eis aliquid dignum reprehenſione: iſti enim valdè provocant iram Dei, & ipſe Deus ſuos excuſat, dicens, quòd ſepties in die cadit juſtus. *In Luc. c.14. v.1. & c.10. v.20.*

718. *Iuſti ſemper vivant cum timore, & tremore, & maximè in proſperis ne ruant.* Ideo eos admonet Spiritus ſanctus, dicens, quòd *ſepties in die cadit juſtus, & reſurgit : impii autem corruunt in malum :* Datque intelligere, quòd hoc diſcrimen eſt inter juſtos, & impios : Juſti quidem cadunt, ſed ad ſui profectum, quia citiſſimè reſurgunt : Impii cadunt numquam reſurrecturi: Tum etiam, quia juſtus ſi peccat, venialiter (loquitur enim hic de peccato veniali) id facit non plena determinatione, ſed ex fragilitate, vel negligentia etiam in ſpeciali non volita : At impii ex malitia, & plena determinatione. *L.2. d.4 ... a.2. q.1. & d.42. a.2. q.1. & in Ecclen. c.7.*

719. *Qui cum Chriſto, & ſub Chriſto manet, purgationem peccatorum continuam recipit.*

Septies in die cadit juſtus, & reſurget. Nota, quòd cum caſu juſtorum collocat ex adverſo ſtatim reſurrectionem à peccato, quia cum juſtus ſit homo, ut homo ſubditur imperfectionibus continuis, ſed ut juſtus cum Chriſto, & ſub Chriſti influentiis vivens, etiam ex unione cum ipſo, qui eſt firmamentum ſtabiliſſimum ſuorum recipit virtutis perditæ reſtitutionem, ardoris concupiſcentiæ, & diabolicæ inflammationis repreſſionem, perſecutionis mitigationem, de offenſis remiſſionem, & apud Patrem pro peccatis propitiationem. *Op. Eccleſ. Hier. p.4. c.6. In Ioan. c.15. v.9.* Ne igitur deſperet vir juſtus, ſi aliquando à virtutis propoſito cadit, ſed ad Chriſtum denuò

denuò recurrat ſperans firmiter ab ipſo remedium ſalutare.

720. *Juſtus cadit de die: Impius de nocte: ubi de frequentatione confeſſionis.*

Septies in die cadit juſtus, & reſurget. Cur tam citò reſurgit? Nota quòd dicit, cadit in die, non in nocte: in die dicit, quia illuceſcente ſole divino, ad remedia à Chriſto in Eccleſia poſita ſtatim recurrit: & quænam ſunt iſta remedia? Iſta ſunt quæ collocata ſunt in ſacramentorum uſu, ſed præcipue in confeſſione peccatorum: qui enim juſtum ſe vult conſervare in juſtitia, debet frequenter ad confeſſionis ſacramentum recurrere, per quod reſurgit homo à ſtatu peccati ad vitam gratiæ: qui autem de nocte cadit ſcilicet abſque eo quod ad Chriſtum ſe elevet, iſte ad gratiam non reſurgit. *Op. de gradib. virt. c.23. & In Ioan. c.15. v.9. Pſal.26. & 71. & in ſap. c.11.* Vide igitur, quòd frequens uſus pœnitentiæ ſignum eſt prædeſtinationis: rarus peſſimum ſignum.

721. *Spes firma in Deum remedium ſecurum contra omnia peccata: confidentia in propriis viribus facit corruere impium in malum.*

Septies in die cadit juſtus; & reſurget. Cur ſepties, & non decies? & quomodo reſurget? ſepties, ait per ruinam ſeptiformis culpæ ſcilicet ſuperbiæ, iræ, avaritiæ, accidiæ, gulæ, invidiæ, & luxuriæ, & reſurget per ſpem, quam juſtus habet, & conſervat in ſeptiformi gratia Spiritus ſancti, non confidens in propriis viribus, vel divitiis, ſed ſolùm in Dei gratia: non tamen confidens in propriis viribus; iſte enim corruet in malum. *Op. Diet. tit.10. c.5.*

722. *Detractorum ſocietatem vult à nobis Deus vitari tamquam peſtilentium hominum.* Et hinc notat Spiritus ſanctus: *Time Dominum fili mi, & Regem, & cum detractoribus ne commiſcearis, quoniam repente conſurgit perditio eorum, & ruinam utriuſque quis novit.* Præcipit igitur, ut Deus in primis honoretur, & timeatur: & ſecundò Prælatus, & tandem, ut evitemus ſocietatem, & conſortia hominum detractorum, atque ſeditioſorum: Addit autem, quòd repente conſurget perditio eorum, quia Chriſti ira ſupra ipſos ſicut ſuper dæmones in eos animadvertet. *Op. libell. apologet. quæſt.20. & in Luc. cap.4. verſ.34.*

723. *In via Dei laborandum ab eo, qui vult fabricam perfectionis complere.* Ecce quid Deus exigit à te ô ſerve Dei: primò præparatio materialium, quæ ſunt neceſſaria ad ædificationem domus: poſtea exercitium in agricultura: Dat autem Spiritus ſanctus intelligere, quod qui prætendit complere ædificationem fabricæ ſpiritualis perfectionis, debet primò ſe exercere in cultura agri animæ, nempe extirpando urticas, & ſpinas vitiorum, loe ſterileſcat, & hoc exercendo ſe in virtutibus: ſic enim faciliter complebitur hæc ædificatio ſpiritualis: Unde qui non commoratur in tali agri ſpiritualis cultura, numquam perveniet ad tale complementum. *In Luc. c.15. v.25. & c.17. v.31. ſer. in Dom.5. poſt oct. Epiph. Pſal.118. c.1, v.15.*

724. *Pigritia excutiatur à ſervis Dei ob peſſimos effectus inde provenientes.*

Per agrum hominis pigri tranſivi, & per vineam hominis ſtulti. & ecce totum repleverant urticæ. ſuperficiem ejus repleverant ſpinæ maceria lapidum deſtructa erat; quod cum vidiſſem poſui in corde meo, & exemplo didici diſciplinam. Ecce quòd ſapiens in proſpectu omnium ponit effectus peſſimos pigritiæ, & accidiæ: & ut id intelligatur, ſupponendum, quòd per agrum ſignificatur corpus; per vineam, anima dans vinum devotionis: per maceriam lapidum ædificium, & munimentum virtutum: Dat ergo intelligere quod niſi corpus, & anima excolantur per ſanctam diſciplinam, & bonum exercitium, implentur ſpinis vitiorum, & urticis prurientium deſideriorum, & tunc maceria lapidum deſtruitur, quando munimenta virtutum deſeruntur, quos peſſimos effectus cum videat ſapiens, exemplo didicit; ut expurget ab agro mentalis conſcientiæ, & totius corporis vitiorum ſpinas per exercitium virtuoſæ operationis, & urticas prurientium deſideriorum per diſciplinam continuæ commonitionis, ut impleatur, quod *Zach. c.9.* dicitur: dabit Deus ſingulis annis herbas in agro. *Ser. Dom.5. poſt oct. Epiph. ſer. 2. Dom. ſeptuag. & ſerm.19. Hexam. op. Diet. tit.1. cap.7. & in Luc. c.8. verſ.7. & in Luc. c.1. v.66.*

CAP. XXV.

725. AD Dei gloriam maximè confert abſcondiſſe arcana Sacræ ſcripturæ ſub velamine parabolarum, & proverbiorum, ut ſic excitaret noſtrum intellectum ad ipſa indaganda, & ne vileſceret ejus intelligentia: Unde refricat hîc ſacer textus, quod aliæ parabolæ proponuntur à Salomone expoſitæ ad indicanda nova myſteria fidei. *Sic D. Gregor. Hom.6. in Ezech. & S. Bonavent. in Ioan. c.16. v.28.*

726. *Ordo mundi materialis exprimit ordinem moralis mundi.*

Cælum ſurſum, & terra deorſum: ſic cor Regum inſcrutabile. Quid ſibi vult ſapiens per iſta verba? Nonne notum omnibus eſt, cœlum ſuperiorem locum tenere, & terram inferiorem? & quomodo cordi Regis comparatur? ſed attende, quòd in his verbis dat ſapiens intelligere, quòd non ſolùm in mundo materiali collocavit in ſuperiori loco cælum, in inferiori terram, & alia corpora in medio: ſed hunc ordinem etiam poſuit in mundo morali, ſcilicet in gubernatione Hierarchica mundi, in quo ſuperiorem locum tenent Prælati, & Reges, & inde inferiores ſequuntur uſque ad infimum: per quod elucet mirabiliter divina ſapientia: De hoc mirabili ordine. *V. ſer.8. & 22. Hexam. l.2. d.1. p.1. a.1. q.1. ad 2. & l.4. d.24. p.1. a.2. q.1. in fund. & l.3. d.13. a.2. q.3. in fund. & in Ecclen. c.12.*

727. *Contemplativorum ſtatus in vita ſpirituali eſt ſupremus inter cæteros.*

Cælum ſurſum terra deorſum: ſic cor Regum inſcrutabile. Nota etiam quòd myſticè per cælum intelligitur ſtatus contemplativorum: per terram ſtatus activorum, & ſicut cælum ſupereminet omnibus creatis, & continet abdita ineffabilia, & inſcrutabilia: ſic contemplativi veluti Reges inter alios, ſcientes ſe perfectè regere in gradu ſublimiori prope Deum vivunt, & perfruuntur lumine, cognitione, & dulcedine ſpirituali tanta, & tali, quòd nemo ſcit, niſi qui accipit. *Op. Eccleſ. Hier. p. 4. c. 4.*

728. *Etiam in bonis operibus ſervi Dei caveant ab occaſione ingerendi debilibus ſuſpicionem mali.*

Aufer rubiginem de argento, & egrediatur vas puriſſimum Quænam rubigo eſt hæc, quæ auferenda eſt de argento? Nota quod myſticè argentum eſt opus bonum, & ſanctum: Rubigo eſt apparentia mali, quod in faciendo bonum aliquando apparet: Unde datur admonitio fidelibus, & præcipuè Religioſis, quòd non omnia, licet bona ſemper ſunt coram populo facienda, quia in aliquibus poteſt dari materia aliqua ſcandali, maximè debilibus, & ſimplicibus: Unde vel abſcondenda, vel omittenda ſunt aliquando talia opera, vel reddenda eſt ratio de talibus circunſtantiis, ut appareat pretioſum, quod videbatur vitioſum. *Op. Determinat. circa regulam præfat.*

729. *Concionatores auferunt rubiginem ab argento.*

Aufer rubiginem ab argento, & fiet vas puriſſimum. Nota, quòd per argentum ſonorum intelligitur prædicatio verbi Dei, & poſſeſſio ſapientiæ ſacræ ſcripturæ: Unde concionatoribus dicitur, Aufer ab argento rubiginem, ſcilicet mala opera: & exempla: ſic enim fies vas puriſſimum, & Eccleſiæ utile, ſicut fuit Chriſtus in Paulo, proſternendo ipſum ad terram, & inde elevando ad Cœlum. *Ser. 2. in Converſ. S. Pauli.*

730. *Maria Virgo fuit vas puriſſimum in ortu ſuo primo, & ſecundo, & in tota vita ſua.*

Aufer rubiginem ab argento, & fiet vas puriſſimum. Nota quòd hoc verificatum eſt de Beata Virgine maria, à qua ablata eſt rubigo ſcilicet fomes, & quodcumque incentivum peccati originalis, mortalis, & venialis: & ſic in mundo proceſſit vas puriſſimum ſuper omnes creaturas. *Op. ſpecul. B. Virg. lect. 13.*

731. *Prælati ſint ſubditi Deo fideles, ſi volunt perfectè regere inferiores.*

Aufer impietatem de vultu Regis, & firmabitur juſtitia thronus eius. Ecce quid faciendum à Principibus, ut perfectè regere poſſint ſubditos: primò enim debent auferre impietatem à corde, ſcilicet curent exercere pietatem, & cultum Deo debitum, ſicque ablata impietate, firmabitur juſtitia thronus eorum, ſcilicet perfectè regent etiam inferiores, & ſubditos ſine Dei offenſa. *Pſal. 118. c. 2. v. 6.*

732. *Quilibet juſtus thronus eſt, in quo Deus requieſcit.*

Aufer rubiginem ab argento, & fiet vas puriſſimum: aufer impietatem de vultu Regis, & firmabitur juſtitia thronus eius. Nota, quòd hæc dicuntur cuilibet fideli: Aufer (ait ſapiens) rubiginem, ſcilicet ſcoriam peccati, aufer impietatem, & exerce pietatem, & vultum Dei, & eris thronus aureus per incorruptibilitatem, & inflexibilem juſtitiam, in quo requieſcet Dominus tamquam in throno regio. *Op. Eccleſ. Hier. p. 1. c. 4.*

733. *Humilitas noviſſimi loci ſuadetur.*

Ne glorioſus appareas coram Rege, & in loco magnorum ne ſteteris: melius eſt enim, ut dicatur tibi, aſcende huc, quàm ut humilieris coram Rege. Hæc ſententia perſpicua, & omninò coincidit cum alia Chriſti *Luc. c. 14.* ubi dicit: Cum invitatus fueris ad nuptias, ne diſcumbas in primo loco &c. per quod docet vitandam eſſe vanam gloriam, jactantiam, arrogantiam, ſuperbiam, & diſcubitum in conviviis, & conſeſſibus in primo loco, ne poſtea cogaris illum locum cum rubore relinquere quod quidem contra ſuperbos Chriſtus in judicio ſtrictè exercebit: eſt ergo grande periculum, ſi vel modice plus te exaltas, ſi vel in tua cogitatione te præferas, quem forte te ſuperiorem judicat veritas. *Pſal. 118. v. 14. In Luc. c. 14. v. 9. & 10.*

734. *Non ſemper tacendum, nec ſemper loquendum, ſed omnia fiant ſecundum opportunitatem.*

Mala aurea in lectis argenteis verbum dictum in tempore ſuo. Ecce quòd non ſemper eſt tacendum, nec in quacumque occaſione loquendum ſed ſecundùm exigentiam temporis, loci, perſonarum, & neceſſitatis præferenda locutio taciturnitati, & taciturnitas locutioni: ſic enim ex taciturnitate, & locutione fructum plurimum percipies. *Ecclen. c. 3. Luc. c. 14. v. 7.*

735. *Correctio humiliter accepta aurem perforat, & ſimul in aure aurea ornat: ubi de obedientia.*

Inauris aurea, & margaritum fulgens, qui arguit ſapientem, & aurem obedientem. Vide quali comparatione ſuadere conatur ſapiens ad acceptandam humiliter correctionem, & tali correctioni obtemperandum: licèt enim perforare videatur aurem, ſcilicet aſperitatem præſeferre videatur, tamen magis ad ornamentum inſervit; quàm ſi inaure, vel margarita materiali vellet aures ſuas ornare: ergo quò ſecurior eſt magiſter corrigens, eò glorioſius ac nobilius eſt obſequium acquieſcentis diſcipuli: ſic Beda: ergo (addit S. Bona) quando ſapientis diſciplina corrigeris, ornaris pulcherrimo ornamento: quando diſciplinam contemnis margaritam conculcas. *Ser. 2. Hexam.* Vide quanti apud Deum æſtimatur obedientia fidelis, & quàm ornata compareat

comparear apud Deum anima obediens : hoc enim ſummum eſt ornamentum Religioſorum.

736. *Magna promittens, & non adimplens, veluti levis, & doloſus deriſionem aucupatur apud Deum, & homines.*

Nubes, & ventus, & pluvia non ſequentes, vir glorioſus, & promiſſa non complens. Nota hanc pulchram comparationem inter nubes, & ventos tempore ſiccitatis pluvias copioſas promittentes, ſed tamen quia ſtatim evaneſcunt, pluvia expectata non conſequitur; & inter virum glorioſum, & jactabundum, qui magna pollicetur, ſed poſtea, ex levitate animi promiſſionis ſuæ pertæſus, promiſſa non adimplet; iſte deriſionem, & ignominiam ſibi aucupatur. *In ſap. c.17.* Tales ſunt, qui in oratione Deo multa promittunt, ſed poſt orationem nihil operantur, hinc deriſionem & à Deo, & ab Angelis merentur.

737. *Charitas per patientiam, & verba dulcia vincit omnem duritiam proximi.*

Patientia lenietur Princeps, & lingua mollis confringet duritiam. Nota, quòd primo loco ponit ſacer textus patientiam, & ſecundo loco linguam mollem ad evincendam duritiam Principis, & proximi: ſed attende, quòd hoc totum eſt effectus charitatis, quæ reſidens in corde, impatientiam domat, qua edomota facit, ut per verba dulcia vincatur quæcumque duritia cordis, & impatientia iraque proximi. *Pſal.118.c.11.v.12.* Unde communiter dicitur: Verba ligant homines: Taurorum cornua funes.

738. *Non plus ſapere quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem.*

Mel inveniſti, comede, quod ſufficit tibi, ne forte ſatiatus evomas illud. Quid eſt quod prætendit Spiritus ſanctus nomine mellis? mel ſignificat aliquando doctrinam, & ſcientias: Verè enim ſunt mel ipſas deguſtantibus: ſed numquid omnibus ſunt mel tàm ſuave? non equidem: unde dicit: Comede, quod ſufficit tibi, ſcilicet, vera ſapere ſecundum commenſurationem tui ingenii, & capacitatis, ne plus extendas te quàm ingenium tuum poſſit aſcendere, nec infrà maneas: ſic ſeraphim *Iſai. c.6.* mediis volabant alis; ſic nec ſiſtere debet homo infrà quam poteſt, nec aſcendere ſupra id, quod poteſt, ſicut illi, qui cantant ultra vires, numquam faciunt bonam armoniam: unde addit. *Ne fortè ſatiatus evomas illud*, ideſt, ne totum perdas: ordina ergo ſtudium tuum, ne ſis ſicut pulli equorum, qui modo currunt huc, modo illuc, ſed ſicut jumentum, quod plano paſſu vadit: ſic enim tantum proficit unus dutus, dummodo ordinet ſuum ſtudium, ſicut ingenioſus inordinatè ſtudens. *S.19.Hexam & in Ecclen.c.1.*

739. *Amor nimius divitiarum quàm noxius.*

Mel inveniſti &c. Nota etiam quòd per mel intelliguntur divitiæ: Cave, ait ſapiens ab amore nimio divitiarum, & à nimia anxietate, & ſollicitudine eas adaugendi, ne forte ſatiatus illas evomas, ſcilicet, ne forte ex abundantia Deum offendas; ſic enim perdes omnia *Pſal.72.*

740. *Mel devotionis cum moderatione quærendum, & recipiendum.*

Mel inveniſti, comede, quod ſufficit tibi, ne forte ſatiatus, evomas illud. Quodnam eſt hoc mel? mel eſt gratia devotionis, & dulcedinis ſpiritualis, quam confert Deus ſuis ſervis: In quærendo, & deguſtando hoc mel modus etiam eſt ſervandus, nam in hoc decipiuntur aliqui devoti, qui cum debilitate virium corporis nimia, illud procurant; caveant iſti, ne nimis in ipſo ſe immergant, ſed temperatè ipſi inhæreant, & juxta virium ſuarum menſuram: Utilius enim eſt ad horam temperatiùs frui tali melle, quàm omninò exhauſtis viribus, & deſtructa virtute naturali, totaliter eam perdere, & irrecuperabiliter carere, quia ſic deſtructi, incipiunt poſtea nimis ſibimet compati, & ut recuperent vires amiſſas per indiſcretionem non ſolùm delicatiùs, ſed etiam diſſolutius, quam expedit ſe habere; vaſe enim contrito liquor effunditur. *Op.de perfect.religioſ. l.2. c.76.* Advertant hoc diligenter magiſtri ſpiritualium perſonarum: continua enim experientia patefit talis defectus.

741. *Perjurus, & falſus teſtis quàm Deo exoſus, & qualia mala ſibi inferat.*

Sacculum, & gladius, & ſagitta acuta qui loquitur contra proximum ſuum falſum teſtimonium. Adverte, quod hic deſcribit peccatum falſi teſtis, & perjuri, quàm Deo exoſum, & ipſo falſo teſti, & aliis noxium: nam talis contra ſe provocat tres Perſonas divinas, adducendo in teſtes ſanctos, & Chriſtum; & ideo hoc peccatum, non ſolùm proximum, ſed magis ſeipſum damnificat. *Op.Diat.tit.1.c.2.*

742. *Inimicis benefacere præceptum Domini, cum adeſt neceſſitas, & opportunitas.*

Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum, ſi ſitierit potum tribue illi: prunas enim congregabis ſuper caput eius, & Dominus retribuet tibi. Vide quomod ò Spiritus ſanctus dat regulam cognoſcendi quando adeſt præceptum diligendi inimicum, non ſolùm affectu (hoc enim ſemper obligat) ſed & effectu; nempe quando adeſt neceſſitas: Videns enim inimicum in neceſſitate poſitum, & claudere viſcera ſua ab eo, ſignum eſt, charitatem Dei non manere in illo. *L.3. d.30. a.1.q.5.& Pſal.80. & 101. in Luc. c.6.v.28.* Advertant diligenter illi, qui inimicum habentes, negant ei ſigna exteriora pacis, dicentes, ſe ipſos non teneri, niſi ad ipſum diligendum affectu interiori: nam dum vident ipſos poſitos in gravi neceſſitate, & ſuam ipſorum familiam in ruinam, & diſperſionem abire, tunc tenentur ſub mortali etiam ad ſigna exteriora. *L.3. ibid. & op.de profect.religioſ.l.1.c.28.* Nota etiam quod addit: Hoc faciens iprunas congregabis ſuper caput ejus, ideſt emollies inimici duritiam, & Deus tibi retribuet abundanter. Sic D. Auguſt.

Sic enim fructum ſpiritualem in ſuo inimico cauſabis, & licèt ab hominibus ſibi non retribuatur emolumentum, à Deo tamen abundantiſſimum expectare potes, ſic & D. Auguſt.

743. *Detractorum lingua eſt ventus Aquilo diſſipans omnia.*

Ventus aquilo diſſipat pluvias, & facies triſtis linguam detrahentem. Nota, quòd ſapiens ſe vertit ad linguas detractorum, quas comparat vento aquilonari, qui ſæpe, quia ſævus, & rigidus, grandinem loco pluviæ excitat, & omnia diſſipat: ſic lingua detractoris Deum graviter offendit, & bonum pacis diſſipat: abominabilius enim eſt ad menſam per detractionem evomere aliorum vitia, quàm propria cibaria, & ſi tali linguæ apponatur facies triſtis, tunc fortè detractor ſe abſtinebit à detractione: ſic Sanctus Auguſtinus in menſa hos verſus habuit: Quiſquis amat dictis abſentum rodere vitam, hanc menſam indignam noverit eſſe ſibi. *In Luc.c.16.v.24. & in Ioan. collat. 73. & ſerm. 5. Dom. 2. quadrag.*

744. *Cognitio de Deo aliis eſt in ruinam, aliis in ſalutem.*

Sicut qui mel multum comedit, nòn eſt ei bonum, ſic qui ſcrutator eſt maieſtatis, opprimetur à gloria. Sed quomodo quis poteſt opprimi à gloria Dei? Noone gloria Dei exaltat, non opprimit? ſed attende ſimilitudinem mellis: qui nimis mellis comedit, ſcilicet ſcientiam ſupra capacitatem ſuam conatur adquirere, opprimitur ab ea, ut ſupra dictum eſt: ſic qui nimia curioſitate ſcrutari prætendit abdita Divinitatis penetrare, ſecundùm regulas naturæ ipſe opprimetur à gloria, quia vult comedere de ligno vetito: E contra qui ſobriè, & temperatè ipſam penetrat, comedet de ligno vitæ, eique totum redundat in gloriam. *Ser. 1. Hexam.*

745. *A ſua gloria, non à gloria Dei opprimitur nimius ſcrutator majeſtatis, non verò ſcrutator divinæ voluntatis.*

Qui ſcrutator eſt Divinitatis opprimetur à gloria. A qua gloria? Advertè, quòd qui nimia curioſitate, & per regolas naturæ ſcrutatur majeſtatem Dei, iſte non ad gloriam Dei, ſed ad ſuam propriam inveſtigat, & ob id à propria gloria opprimetur, & confundetur: Nota etiam, quòd dicit ſcrutator majeſtatis, non dicit voluntatis, ideſt qui per meram curioſitatem, non ut voluntatem ejus perfectè impleat, ſcrutatur arcana, tunc iſte opprimetur. *Op. medit. c.53. & leg. S.Fran.c.13.& l.1.q.1.proœm.& in Luc.c.10.v.21. In Ioan.proœm.c.5.v.40.*

746. *Silentium eſt munus defendens animam ab inimicorum irruptione.*

Sicut Vrbs potens, & abſque murorum ambitu: ita vir, qui non poteſt in loquendo cohibere ſpiritum ſuum. Ecce quòd in hoc verſu ultimo ſapiens commendare nititur omnibus fidelibus, & maximè Religioſis cuſtodiam linguæ, & ſilentij, dicens, quòd ſicut Vrbs abſque murorum ambitu pervia eſt inimicis, & quilibet poteſt ſine impedimento inferre & efferre quaſlibet merces: ſic eſt anima ſine cuſtodia linguæ, & fræno ſilentii, ad quam omnium vitiorum genera poſſunt irrumpere, & ad ipſam adſportare vel ab ipſa auferre quodlibet genus mercium: Ex quibus patet qua cura ſilentium ſervandum eſt, quia ſic ſecura erit anima ab omni malo. *Op. de perfect. religioſ. l.2.c.10.*

CAP. XXVI.

747. *Dignitatum, & prælaturarum collatio indignis data qualia mala inferat Reipublicæ.*

QUOMODO nix in æſtate, & pluvia in meſſe: ſic indecora eſt ſtulto gloria. Nota hanc pulchram ſimilitudinem quam affert ſapiens de nive ſeu glacie, quæ intempeſtivè venit è Cœlo, dum ſegetes, & arbores flores, & fructus producunt; tunc enim omnes fructus, & ſegetes deſtruit: ſicut etiam nimia, & continua pluvia tempore meſſium: ſic Reipublicæ advenit, ſi magiſtratus honor, & infulæ digniores inſipientibus ac ſtultis conferentur: ex hoc enim infinita damna eveniunt ipſi Reipublicæ; & hinc Stobæus dicebat: Hoc reputate, quòd ſi munera, & honores paucis, eiſque condignis & ſecundùm leges contuleritis, multos vos habituros eſſe pro virtute certantes: ſi autem cuilibet cupienti, & maximè his, qui nihil metuerint gratificemini, ſtugi etiam ingenia corrupturos. Væ igitur terræ illi ubi ſapientes latent, & deliteſcunt, & pueri regunt & principantur. Notandum tamen, quòd indecora eſt ſtulto gloria? ſtulto inquam, non ſapienti: nam non canities laudabilis, neque juventus culpabilis de ſe exiſtit, ſed canities ſapientiæ; non capilli candidi commendantur, ideo honor debetur virtuti, non ætati. *Op. Phar. l.1.c.30.*

748. *Deus cum impiis pugnat tribulationibus, & infelix, qui tali prælio non vincitur.*

Flagellum equo, chamus Aſino, & virga in dorſo imprudentium. Cur deſignat Deus flagellum, chamum, & virgam beſtiis, & ſtultis? ſed nota, quòd per equum, Aſinum, & imprudentem, ſeu ſtultum intelligit peccatores ſuperbos, luxurioſos, & obſtinatos: his enim Deus præparavit flagella duriora, ut (ait ſanctus Criſoſtomus) qui ſpontè converti nolunt coacti flagellis convertantur à vitiis: ſic enim Beda: nec hoc mirum eſt; nam Deus contra peccatorem præliatur dum ſpina, & jaculis tribulationum ipſum pungit, ut convertatur: ſed infelix anima, quæ in hoc prælio non vincitur, dum caſtigatione non corrigitur: Infelix quidem victoria eſt hæc peccatoris, quia poſtea in judicio diſtricto gladio æternæ damnationis punietur. *Ser. 1. Dom. oct. Paſchæ*

Digitized by Google

749. *Stulto, & impio quandonam, & quomodo reſpondendum.*

Ne reſpondeas stulto juxta ſtultitiam ſuam, ne efficiaris ei ſimilis: Reſponde ſtulto juxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens videatur. Quomodò ſubſiſtunt ſimul iſtæ duæ ſententiæ Spiritus ſancti, cùm videantur contrariæ? quomodò prohibet, & poſtea præcipit reſponſionem dandam ſtulto? ſed tamen non ſunt contrariæ: nam vel diſcrimen ponendum eſt ſecundum temporis opportunitatem ut dicunt aliqui; vel jubet in prima ſententia reſpondendum eſſe ſtulto obſtrepente, ſilentio, & patientiæ exemplo: ſic fecit Chriſtus cum Herode, ne in majorem concitationem, & curioſitatem ipſum inducas? & ſi reſpondere conaris, reſponde ipſi ſecundùm ſuam ſtultitiam, ſcilicet ut ſupra dictum eſt, virga, & flagellis. *In Luc. c. 23. v. 29. & in Ioan. c. 19. v. 9.*

750. *Honorans & eligens ſtultum impium, mittit lapides in acervum mercurii.* Nota, quòd hîc fit alluſio ad morem antiquorum, qui in triviis defigebant ſtatuas Mercurii, quem viis regendis præeſſe credebant, & ideo viatores ſolebant lapides per vias diſperſos coacervare circa tales ſtatuas, credentes ſe honorem tali idolo inferre, ſimulque expurgare vias ad majorem commoditatem itinerantium: Hinc ſacer textus notat, quòd qui indignum, impium, & ſtultum afficit honore, ſimilis eſt viatori, qui lapides aggregat ad ſtatuam mercurii, ſcilicet rem inutilem facit, cum ipſe nec ſentiat, nec cognoſcat, nec æſtimet talem honorem: tum etiam, quia talis honor indecorus eſt ipſi honorato; imò honoris magnitudo eſt additamentum lapidum, ſcilicet pœnæ his, qui non diligunt manere, & vivere ſecundùm honorem; honor enim eſt falſus, qui non procedit ex virtute. *In Ecclen. c. 10. & in Ioan. c. 12. v. 26. & ſerm. 1. de rectoribus in addit.*

751. *Concionator ſit doctus, & prudens in dictanda doctrina auditoribus.*

Quomodo ſi ſpina naſcatur in manu temulenti, ſic parabola in ore ſtultorum. Nota quòd hac ſententia dirigit ſapiens Doctorem, & concionatorem, ut ſcilicet apprehendat rectè ſapientiam, & doctrinam auditoribus promulgandam, ſed tempore opportuno, & non ſicut ebrius, qui ſtimulat boves importunè, & non tempore opportuno, &c. ne magis irritet auditores, quàm ipſis proficiat. *In Ecclen. proœm.*

752. *Pœnitentia non perſeverans parum fructuoſa eſt ad modum canis redeuntis ad vomitum.*

Sicut canis, qui revertitur ad vomitum ſuum, ſic imprudens, qui iterat ſtultitiam ſuam. Notanda eſt diligenter hæc pulchra comparatio inter canem poſt vomitum revertentem ad onerandum ventrem comedendo denuo id, quod prius evomuerat; & hominem, qui per confeſſionem, & pænitentiam evomit peccata, & ſcelera commiſſa, & rurſus poſt pænitentiam revertitur ad eadem peccata: per hoc enim dat intelligere, quòd ſicut canis odibilis, & abominabilis redditur, revertens ad ſuum vomitum, ita peccator Dèo magis odibilis redditur revertens ad eadem peccata, quæ prius depoſuerat, quàm antè eſſet, & ad hoc alludit ad id, quod dixit Chriſtus paralitico: Vade, & noli peccare, ne deterius tibi contingat, ſcilicet ob majorem ingratitudinem, & inexcuſabilitatem. *Ser. 5. Dom. 2. quadrag. in Ioan. c. 7. in fine, & collat. 26. ſic & D. Bernard. ſer. 3. de Aſſumpt. D. Auguſt. in Pſal. 30.*

753. *Qui pænitentia non vera ad Euchariſtiam audet accedere, eſt veluti canis Deo abominabilis.*

Sicut canis, qui revertitur ad vomitum ſuum, ſic imprudens, qui iterat ſtultitiam ſuam. Cur impius iterans ſtultitiam, & impietatem ſuam comparatur cani? quia ſicut intolerabilis redditur canis exonerans ſtomachum per vomitum, & rurſus onerans ſe iiſdem immunditiis: ſic eſt, imò intolerabilior eſt, qui per pœnitentiam fictam evomere ſe fingit, & conſcientiam exonerare per confeſſionem, & cum tali ficta præparatione audet ſumere Corpus Chriſti; tunc enim magis ſe onerat quàm prius: & de his canibus dicitur *Matt. 15.* Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & dare canibus, id eſt iſtis ſordidis peccatoribus: unde ſicut maximum peccatum eſſet, ſi dares Corpus Chriſti canibus, ſic tu luxurioſe, tu invide, tu avare ſordidior es, & fætidior quolibet cane, quia tolerabiliùs canis putridus fætet hominibus, quàm talis anima Deo: ô quanta patientia Domini Ieſu, qui permittit ſe à canibus comedi. *Ser. 5. Dom. 2. quadrag. & in Luc. c. 9. in fine.*

754. *Detractor canis eſt evomens aliorum vitia.*

Sicut canis, qui revertitur ad vomitum ſuum, ſic imprudens iterans ſtultitiam ſuam. Quis eſt iſte imprudens iterans ſtultitiam ſuam, niſi detractor, qui evomit vitia aliorum, & iterum ad talem vomitum per detractionem revertitur? iſte abominabilis eſt Deo magis, & hominibus, quàm apud homines canis revertens ad vomitum ſuum; & ideo de menſa talium detractorum poteſt dici id, quod *Iſai. c. 28.* Omnes menſæ repleræ ſunt vomitu, & ſordibus. *Ser. 5. Dom. quadrag.*

755. *Religioſus revertens ad ſecularium vitam eſt canis revertens ad vomitum: procedens de virtute in virtutem verus Chriſti ſequax.*

Sicut canis revertens ad vomitum ſuum, ſic imprudens iterans ſtultitiam ſuam. Adverte, quòd hoc dicitur de Religioſo, qui ingrediens Religionem evomit ſordes vitæ ſæcularis; ſi revertitur ad eoſdem mores, & vitam, terrena amando, temporanea æternis præponendo, voluptates concupiſcendo, eſt canis revertens ad vomitum ſuum, Deoque abominabilior: nam Chriſtus vult, ut ſui ſequaces procedant ad anteriora de bono in melius, & de virtute in virtutem, ubi eſt impetus ſpiritus ad imitationem quatuor animalium, quorum unumquodque coram facie ſua ambulabat. *In Ioan. c. 7. in fine & in Luc. c. 9. in fine.*

756. Con

756. *Confidere in propria ſua prudentia, & nolle conſilium ab aliis, quàm periculoſum, maximè in Prælatis*

Vidiſti hominem ſapientem ſibi videri, magis illo ſpem habebit inſipiens. Nota quòd hic comparationem facit Spiritus ſanctus inter eum, qui ſapientem ſe credit nimis confidens in ſapientia ſua, nec volens quærere conſilium ab aliis, & inter inſipientem, ſcilicet reprobum, & ſceleratum, & dicitur, quòd iſte in meliori ſtatu eſt &c. Sed quomodo id poteſt dici? Nonne ſapiens melior eſt inſipiente? ſed adverte quod loquitur de eo, qui ſibi ſuoque proprio judicio nimis confidit, & credit, aſpernans conſilia aliorum: certum eſt, quòd iſte eſt in peiori ſtatu, quàm ille, qui de ſe malus eſt, ut patet in Phariſæo, & Publicano: & hæc eſt tentatio periculoſiſſima, maximè in Prælatis, & in omnibus Chriſtianis nimis inniti proprio conſilio; ratio eſt, quia ſtultus, vel inſcius, vel malus homo ſibimet non confidens quærit conſilium à prudentibus ne decipiatur: ille autem, dum de ſe plus quàm debet præſumit, etiam ubi errat, rectè ſe plerumque ſentire deceptus putat, ſicque deceptus à diabolo in alias ſeductiones, & varias ſub ſpecie boni incidit: ſanum igitur conſilium eſt Prælato conſilia libenter audire, & humiliter quærere; ſic enim ſecurior erit à deceptione, ſi alii ſentiunt, quod ipſe: Item & ſi ex conſilio aliorum factum aliquod contrarium patietur, minus ei imputabitur, quàm ſi de ſuo ſenſu id feciſſet: Tum, & maximè, quia meritò talis humilitatis Deus dabit ei cognoſcere vel per ſe, vel per alium, quod prius non cognoſcebat. *Op. de ſex alis Seraph. c.7. & in Luc. c.11. v.46.*

757. *Idem verificatur de Prælatis.*

Vidiſti hominem ſapientem ſibi videri &c. Quis eſt ſapiens ſibi ipſi? Nota, quòd non dicit ſapiens abſolutè, ſed ſapiens ſibi, ſcilicet quoad exiſtimationem ſuam, ut intelligas, quòd ille Prælatus, etiam ſi aliàs ſit ſapiens, doctus, & perſpicacis intelligentiæ, tamen ſi nimium in ſe & in ſua ſapientia confidat, verè non eſt talis, imò ſtultus fit; eſtque ille Prælatus, qui deteſtatur conſilia aliorum, credens ſe omnia ſcire, qui cum ad officium regiminis aſſurgit, ita ſe continuò repletum ſcientiæ reputat, ut omnia anteceſſorum ſuorum facta ſtulta, & malè acta judicat: vel qui abſolvitur ab officio, tunc condemnat ſuorum ſucceſſorum facta, ea deprimendo: Verè periculoſior omnium iſta tentatio; nam iſti repleti ſunt ſpiritu ſuperbiæ, Deoque abominabiliores quocumque ſceleſto homine. *Op. de ſex alis ſeraph. c.7.* Caveant igitur Prælati ab iſta peſte, quæ ut plurimum in multis graſſatur, ut patet experientia, ſignumque eſt maximæ ſtultitiæ, imò & ſuperbiæ. Vide in citato loco ſeraph. D. ubi nota pulcherrima monita ad hanc rem.

758 *Gula, ſuperbia, & luxuria deſtruit diſciplinam chriſtianorum, & maximè Clericorum, & Religioſorum.*

Dicit piger, leo eſt in via, & læna in itineribus. Nota quòd hac metaphora Spiritus ſanctus dat intelligere ſtragem Eccleſiaſticæ diſciplinæ à leone, & à læena, & Urſo factam, ſcilicet à voracitate gulæ, à ſuperbia, & à voluptatibus, ob quas miſeri Chriſtiani, & maximè clerici, & religioſi tepidi fiunt in ſervitio, Deique obſequio, & à diſciplina, & perfectione, incidunt in teporem, & negligentiam. *In Threm. c.3.*

759. *Pigritiæ, & otii natura expenditur, ſicut & ſtatus carnalium hominum.*

Sicut oſtium vertitur in cardine, ita piger in lectulo ſuo. Ecce typus perfectus pigritiæ, & otioſitatis, accidiæque & carnalitatis: ſicut enim oſtium vertitur in cardine, & vertendo ſe numquam extra cardinem exit, ſic piger in lectulo torporis, & pigritiæ: vult enim, & non vult piger: Videturque aliquando velle bonum, ſed ſiſtendo in lectulo ſuæ otioſitatis, non vult efficaciter: & hoc præcipuè verificatur de iis, qui ſunt in carnalitatis lecto immerſi; ſemper enim ſunt, & vivunt in lecto voluptatum, & quocumque ſe vertunt, lectum carnalitatis non relinquunt: ſurge ergo ò piger de lecto, ſurge ad pœnitentiæ labores. *Ser.1. Dom.18. poſt Pent. & in Luc. c.8. v.16.*

760. *Idem confirmatur.*

Abſcondit piger manum ſuam ſub aſcella ſua, & laborat, ſi ad os ſuum illas converterit: Sapientior piger ſibi videtur ſeptem viris loquentibus ſententias. Ecce quod denuò ſapiens refricat miſerias pigri, & accidioſi; quia enim labores odit, & deteſtatur, tenens manus ſub aſcella, ſe excuſare prætendit deceptus, dum laborem fugiens, laudat requiem, ſibique ſapientem ſe exiſtimans, dum ſub ſpecie requiei in otioſitate, & penuria vitam ſordidam ducit. *In Ecclen. c.4.*

761. *Ad iræ remotionem remedia proponuntur: Ubi de ſuſurratione.*

Cum defecerit lingua extinguetur ignis, & ſuſurrone ſublato, jurgia conquieſcant. In hac ſententia prima pars primo loco eſt exponenda, in qua remedium efficax proponitur ad iram ſedandam, dicens: Cum defecerint ligna, extinguetur ignis: nempe ſecurum remedium pro extinctione ignis eſt remotio materiæ combuſtibilis: ſic ſi optas ò homo ſedare ignem iracundiæ aufer materiam combuſtibilem; nempe fuge, & abſtine te ab illis negotiis, & cupiditatibus, quæ ſolent excitare cupiditatem iræ, & impatientiæ, & præcipuè ſuſurrones evita, (eſtque ſecunda pars ſententiæ) quorum munus eſt inſtigare ad lites, & contentiones: & ad hæc evitanda mala, neceſſe eſt te ante pugnam præparare, & hoſtem quaſi in inſidiis paratum expectare, & comprimere labia ſua tacendo, & ſic facile tantum malum effugies. *Op. de perfec. religioſ. l.1. c.31. & l.2. cap.37.*

762. *Suſurratio quàm grande malum.*

Suſurrone ſublato, iurgia conquieſcent: verba ſuſurronis quaſi ſimplicia, & ipſa perveniunt ad intima ventris. Ecce radix ferè omnium rixarum, nempe ſuſurratio: eſt enim voluntas loquendi ſeminans diſcordias inter fratres, ut perſequatur proximum ſuum propter ipſius bonum contriſtans: & ideò eſt hoc unum ex maximis ſceleribus, & malis hujus vitæ; ob idque ſuſurro, & bilinguis à Deo maledictus, & excommunicatus. *Op. de perfec. religioſ. l. 2. c. 37. Centil. p. 1. c. 19. & ſer. 1. Dom. oct. Paſch. & in Luc. c. 8. v. 50.* Infinita igitur mala à ſuſurratione proveniunt, ergo maxima cura, & diligentia eſt vitanda.

763. *Hypocriſis malignitas qualis: Item, & ſuſurronis.*

Quando ſubmiſerit vocem ſuam, ne credideris ei, quoniam ſeptem nequitiæ ſunt in corde illius. Nota, quòd hîc loquitur ſacer textus de eo, qui, ut ſupra dixit: habet labia tumentia cum corde peſſimo; & hic eſt ſuſurro, & hypocrita; ſed quid eſt, quod dicit, quòd ſeptem nequitiæ ſunt in corde illius? quænam ſunt iſtæ ſeptem nequitiæ? & cur ſeptem? ſed attende quid Chriſtus dixerit *Luc. c. 11.* quod diabolus è domo expulſus, volens iterum redire, vadit & aſſumit ſecum ſeptem Spiritus nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi, & fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus: Et qui ſunt ſeptem Spiritus nequiores diabolo? ſunt variæ ſimulationes ſignificatæ in numero ſeptenario ſub ſpecie ſanctitatis & amoris innocentes decipientes, quia quantò minus malitia apparet, tanto minus cognoſcitur, & evitatur, & tantò requieſcit ſecuriùs: poſſunt autem iſtæ nequitiæ ad ſeptem vitia capitalia reduci, quia hypocrita, & ſuſurro utitur ſuperbia, ſed tecta humilitate ſimulata; ira, ut contra proximum illam exerceat; avaritia contra bona fortunæ; luxuria, ut inſidietur thalamo proximi; gula, invidia, & acedia ad damnificandum proximum: Vide ergo quàm peſſimum vitium eſt ſimulatio & ſuſurratio. *In Luc. c. 11. v. 25. Hugo Card.* Nota etiam quòd cum per numerum ſeptenarium ſignificetur univerſitas; ergo & ſeptem nequitiæ ſignificabunt univerſitatem iniquitatum: & cum lingua detractoris; & ſuſurronis à D. Jacobo appelletur univerſitas iniquitatis, ſequitur, quòd ſuſurro eſt beſtia iniquior diabolo, & continens omnem malignitatem.

764. *Diabolus aliquando victus à ſervo Dei ceſſat à tentatione per aliquod tempus, ut ſuper ipſum irruat crudeliùs.*

Quando ſubmiſerit vocem ſuam, ne credideris ei, quoniam ſeptem nequitiæ ſunt in corde illius: qui operit odium fraudulenter, & revelabitur malitia eius in conſilio. Nota, quòd etiam loquitur de diabolo iniquiſſimo ſimulatore, qui die ac nocte circuit, quærens quem devoret: & ut devoret utitur ſuis fraudibus, inter quas notabilior eſt illa, quando aliquando fortiter à ſervo Dei victus eſt; & tunc de eodem vitio non tentat, ut interim homo diſſueſcat pugnare, & tunc ſubitò

improviſus irruit, ut improvidus tantò ſecuriùs proſternat, quanto ad repugnandum invenit imparatos: ſemper ergo ſimus parati hoſtibus viriliter reſiſtere, quia ipſi non quieſcunt nos impugnare, licet videantur ceſſare, quia per illud ceſſare, non eorum clementiæ, vel laſſitudinis, ſed aſtutiæ, & fraudis eſt: Et hinc admonet ſapiens, inimicus cum in corde tractaverit dolos, ſi ſubmiſerit vocem ſuam, ceſſando à ſuggeſtione, ne credas ei, quoniam omnes nequitiæ reſident in corde illius *Op. de perfect. religioſ. l. 2. c. 36.*

765. *Nihil malitiæ & malignitatis ſimulatorum quod non reveletur à Deo.*

Qui operit odium fraudulenter, revelabitur malitia eius in conſilio. In quo conſilio? In conſilio & conſpectu hominum in hac vita, & tandem in noviſſimo in die judicii: Hæc enim eſt lex à Deo lata, quod nihil occultum, quod non reveletur, & maximè malignitas ſimulata in proximum exercita; licèt enim videatur ipſis ſimulatoribus, quòd ſit impoſſibile, ut reveletur, tamen, ſic permittente divino judicio, detegitur quando minus creditur, etiam per vias, & modos inexcogitabiles, ut cognoſcatur malitia, dolus, & malignitas perfidorum. *In Luc. c. 6. v. 8. 18. & c. 21. v. 66.* Nota etiam, quòd D. Auguſtinus hinc infert quòd Deus colligit in locis conſilium Angelorum cuſtodum, ut ſimul tractent de meliori bono animarum, & locorum ſub illorum cuſtodia commiſſorum: in quo concilio cogit etiam, & advocat, licèt invitum diabolum, ut ibi ejus fraudes aperiantur, & manifeſtentur, quod & notatum fuit. *In Iob. cap. 1. verſ. 8.*

766. *Qui alteri foveam parat, ſibi interitum ædificat.*

Qui fodit foveam, incidit in eam, & qui volvit lapidem, revertetur ad eum. Adverte, quòd Deus fecit hanc legem irrevocabilem: qui alteri foveam parat, ut ipſum perimat in eamdem, vel in conſimilem, vel in profundiorem præcipitabitur; & qui lapidem in altum volvit in damnum proximi, cadit ſuper proprium caput: Hoc expertus eſt Aman, quia eadem mẽſura, qua menſi fueritis proximum, eadem inquam remetietur vobis. *In Ecclen. c. 10. ſer. 3. Dom. 1. poſt oct. Pent. & Pſal. 118. c. 7. v. 5.* Hinc dicit Sanctus Petrus Criſol. *ſer. 152. de Herode:* fremit doloſitas ſe deceptam, & in ſe fraus reverſa colliditur: Herodes ſtridet, cadens ipſe in laqueum, quem tetendit: in altum tendens, cadit ab alto, cœlum pulſans intrat profundum, in ſe vadit, qui vadit in Deum. *Vide infrà c. 28. v. 10.*

767. *Linguæ fallacis, & lubricæ mala expenduntur.*

Lingua fallax non amat veritatem, & os lubricum operatur ruinas. Ecce hic duo mala linguæ perverſæ innuuntur, nempe linguæ fallacis, & lubricæ: lingua enim fallax, & doloſa non amat veritatem, ſed dolos in corde celans, ſimulatione veritatem abſcondit: lingua lubrica omnia diſcooperit, & in diſſolutionem ipſum lo-

quentem, & audientes indueit: utrumque extremum eſt malum, ſed præcipuè lubricitas per multiloquium, quæ multa mala facit, & ſcandala præbet. *Pſal.* 118.*c.*3.*v.*31.*& c.*6.*v.*6.

CAP. XXVII.

768. *Operà bona non remittantur in craſtinum, ſed operandum eſt dum tempus habetur.*

Ne glorieris in craſtinum ignorans quid ſuperventura pariat dies. Conferenda eſt hæc ſententia cum alia *D. Iacob.c.*4. Ecce nunc qui dicitis hodie, aut craſtino ibimus in illam civitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus, qui ignoratis, quid erit in craſtina. Spiritus ſanctus igitur nos inſtruit, ne fidamus nos, vel noſtra, vel opera bona remittamus ad tempus futurum. quod non eſt in noſtra poteſtate, ſed in tempore præſenti operemur bonum, quia neſcimus quid dies ſequens parituta ſit: proprium enim ſtultorum eſt remittere opera bona ad tempus futurum, & non prævidere futura pericula: iſtis enim cum dixerint pax, & pax, repentinus ſupervenit interitus. *In Luc.c.*12.*v.*20.*& c.*9.*v.*44.

769. *Laus in ore proprio ſordeſcit, eſtque propria ſtultorum, ideo vitanda à ſapiente, extra tempus neceſſitatis.*

Laudet te alienus, & non os tuum, extraneus, & non labia tua. Vide quomodo Salomon ſuadet, ut caveamus à laude propria, quia in ore proprio ſordeſcit, eſtque proprium tantùm ſtultorum, & ſuperborum ſeipſos laudare, ut faciebat Phariſæus: nec enim ſapiens unquam in laudes proprias prorumpit, niſi ob ſalutem proximi ad id cogatur, ut fecit Apoſtolus 2.*Cor. c.*12. & ob id ſubjunxit, factus ſum inſipiens, vos me coegiſtis: Appellatque ſeipſum inſipientem, quia contra conſilium Salomonis videtur feciſſe. *In Luc.c.*5.*v.*15.*& c.*18.*v.*12.*& c.*20.*v.*8.*In Ioan.c.*8.*v.*13.*& c.*15.*v.*16.*& c.*21.*ad finem.*

770. *Iracundus gravis, & oneroſus, & exoſus ſemper eſt aliis.*

Grave eſt ſaxum, & oneroſa arena, ſed ira ſtulti utroque eſt gravior. Vide qua comparatione explicat ſapiens qualitatem iracundi, nempe ſimilitudine ſaxi, & arenæ, quæ ſunt materiæ graves quidem, ſed tamen ita iracundi, qui ob malam conſuetudinem, non ſolùm in rebus, & eventibus gravibus ſignificatis per ſaxum, ſed etiam in minimis ſignificatis per arenam, ad iram movetur, fitque inſuportabilis, gravis, exoſus aliis in converſationibus, ideoque omnes eum evitare quærunt. *ſer.*1.*Dom.*20.*poſt Pent.*

771. *Ira eſt Spiritus Dæmone pejor.*

Ira non habet miſericordiam, neque erumpens furor. & impetum concitati ſpiritus ferre quis poteris. Nota ó lector verba, ſigna miſteria horum verborum, in quibus dat intelligere effectus diabolicos iræ: hæc enim ad ſimilitudinem diaboli exuit omnem miſericordiam, ſpoliat hominem omni humanitate: Addit, & erumpens furor, quia reddit hominem furioſum atque inſanum: Addit, & impetum concitati furoris ſuſtinere quis poterit? Cur hoc? quia eſt ſpiritus nequior diabolo: Diabolum enim homo ſuſtinere poteſt, & ſigno Crucis ejicere, non verò hominem iracundum. qui poteſt rectè appellari incendiarius, quia nulla domus ferre poteſt incendii timorem, quod ſecum portat ira: ó ſævum vitium, & pernitioſum *Ser.*3.*Dom.*3.*quadrag.*

772. *Iracundus pejor cane rabido, & concitato Leone.*

Ira non habet miſericordiam, neque erumpet furor, & impetum concitati ſpiritus ſuſtinere quis poteris. Vide ad quam miſeriam reducitur iracundus: qui ab ira ſinit ſe abſorbere ad modum canis rabidi, tigris, vel leonis concitati, & immanis exuit miſericordiam, & in rabiem, furoremque concitatur, ita ut nemo poſſit eum ſuſtinere. *Op Diet.tit.*1.*c.*5.

773. *Sapiens ſi iraſcitur, ſtatim iram deponit tanquam grave pondus: Stultus permanet ſic oneratus.*

Oneroſa arena, & grave ſaxum ira &c. nec habet miſericordiam. Vide hic diſcrimen inter ſapientem, & ſtultum, nam ſapiens, ſi iraſcitur, ſtatim iram tanquam pondus graviſſimum deponit: non ſic ſtultus, & impius, qui in ſinu ſuo fovet ipſam. *Ecclen.c.*7.*& in Luc.c.*4.*v.*28.

774. *Correctio eſt medicina ſanans animam.*

Melior eſt correptio manifeſta, quam amor abſconditus. Nota, quòd hoc intereſt inter correctionem, & correptionem, quòd illa fit verbis, iſta flagellis. *In ſap. c.* 1. Hic verò comparat ſacer textus correptionem, & correctionem manifeſtam cum amore amici, ſed abſcondito, nempe inter corripientem proximum, & amicum omittentem correptionem, & contegentem delicta, & dicit quòd melior eſt correctio, ſeu correptio manifeſta, etiam ab hoſte proveniens, quia plus prodeſt perſonæ correptæ, quàm amicus omittens correctionem, & relinquens proximum in ſuis vitiis immerſum: & meritò: nam correctio, & correptio eſt medicina animæ, quæ & ſi ad tempus vulnus mordeat, tamen ſanat, & ideo prudens non odit medentem, imò diligit & ſuſtinet corrigentem. *Op.Eccleſ.Hier.p.*3.*c.*1.

775. *Diabolus blanditur, ut decipiat: Chriſtus corrigit, & flagellat, ut ſanet & ſalvet.*

Meliora ſunt vulnera diligentis, quàm fraudulentia oſcula odientis. Nota, quòd hic ſapiens proſequitur in exaratione fructuum, & effectuum correptionis provenientis ab amico vero, diciturque meliora eſſe vulnera correptionis, & fructuoſiora, quàm oſculum ſcilicet odientis: Et quis eſt iſte fraudulentus odiens, ſimulque oſculans? quis amicus vulnerans? Iſti ſunt Chriſtus, & Diabolus: Diabolus enim oſculatur

culatur

culatur, blanditur ut fallat, arridet ut noceat, allicit ut occidat: oſculatur, inquam, promittendo falſam ſecuritatem peccatori: Chriſtus verò vulnerat ut medeatur, caſtigat ut ſanet. *Ser. 2. Dom. 3. poſt oct. P. ſche.* Vide igitur quàm ſtolidus ſit homo, imò ſtolidior Aſino, qui fugit à fonte, in quo apparet ejus imago, & currit ad leonem ipſum admirans, à quo interficitur: ſic mundus diligit ſuos falſos teſtes, qui ipſum coarguunt & corripiunt, ſed eum eo currunt, & eadem cum ipſo volunt, pluſque approbat inimici oſcula fraudulenta, quàm vulnera diligentis: ó me miſerum, qui inenarrabile bonum, & infinitum, Deum omne bonum, honeſtum, & pulchrum fontem ſplendoris, fontem melodiæ, fontem odoris, dulcoris, & amoris ſperno: & fœtorem, horrorem & dolorem ipſi Deo benigniſſimo amantiſſimo ſponſo præpono: plus me allicit creatura, quàm ſumma fælicitas. *Op. I ſtrat. ſacerdot. & in Ioan. c. 7. v. 7.*

776. *Bonum correctionis denuo expenditur.*

Meliora ſunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oſcula odientis. Quomodo poteſt dici, quod meliora ſint vulnera oſculis? ſed attende, quòd, ut dictum eſt, loquitur ſacer Textus de correptione facienda peccanti: datque intelligere, quòd qui videt proximum peccantem, & non corripit, ſed potius adulatur, iſte peccatorum oleo, ſcilicet adulatione impinguat caput ipſius languidum, & tumidi cordis apoſtema palpat, & damnificat: qui verò procaci hominis duram cervicem ferit corripiendo, non amaci cordis odio ſed tranquillæ mentis æmulatoria charitate, iſte ad ſanitatem vulnerat, & ad ſanitatem, & emendationem confert. *Op. Apolog. paup. in præfat.*

777. *Anima immerſa in voluptatibus carnalibus calcat, & deſpicit æterna bona: E contra anima immerſa in delectationibus cæleſtibus calcat temporalia.*

Anima ſaturata calcabit favum, & anima eſuriens etiam amarum pro dulci ſumet. Nota quòd hæc ſententia ſumi poteſt in bonum, & in malum: ſenſus enim eſt, quòd anima carnalis immerſa, & ſaturata ſiliquis porcorum, ſcilicet voluptatibus carnalibus calcabit favum, deſpiciens omnia bona: E contra anima etiam eſuriens, ſcilicet bona cæleſtia participans calcabit favum voluptatum terrenarum, & ſic etiam amarum pro dulci ſumit, ſcilicet has amaritudines temporalis vitæ patietur libenter pro deguſtatione cæleſtium bonorum, & delectationum. *Ser. 4. Dom. 6. poſt Pent. Pſal. 118. c. 6. v. 1.*

778. *Anima poſt deguſtationem cæleſtium conſolationum calcat, & deſpicit omnia bona terrena.*

Anima ſaturata calcabit favum, & eſuriens etiam amarum pro dulci ſumet. Nota, quòd hic exprimit mirabiles effectus, quos in anima gignit deguſtatio cæleſtium conſolationum, & amoris veri in Deum: cum enim vehementiſſimè Deum deſideret, & ſurſum feratur, jam omne, quod foris, & deorſum videt vertitur ei in faſtidium, unde quaſi ſaturata non poteſt refectionem invenire in aliquo citra ipſum dilectum, & ſicut ſaturatus, ſi cibum ſumat, incurrit potius abominationem, quàm refectionem, ſic in hoc ſtatu charitas facit circa omne creatum & de hoc verificatur dictum: Anima ſaturata calcabit favum. *Op. Incend. c. 2.*

779. *Paupertas reddit, quod eſt amarum dulce: & abundantia dulce reddit amarum.*

Anima ſaturata calcabit favum: & Anima eſuriens etiam amarum pro dulci ſumet. Vide hic qualis differentia inter bona terrena & cæleſtia: & terrena dum habentur, & dum non habentur; ſed deſiderantur: Nam cum ſint ſiliquæ onerantes, dum non habentur dulcia apparent, imò quod de ſe amarum eſt, dulce apparet eſurienti, & pauperi: dum habentur in faſtidio ſunt, & dulce amarum videtur. *In Luc. c. 6. v. 1. & c. 10. v. 8. & c. 15. v. 16. & ſerm. 4. Dom. 6. poſt Pentecoſt.*

780. *Fames bonorum cæleſtium, & voluptatum carnalium qualiter differant.*

Anima ſaturata calcabit favum: & anima eſuriens etiam amarum pro dulci ſumet. Vide hîc qualiter differant fames voluptatum carnalium, & bonorum cæleſtium: nam anima ſaturata, ſcilicet fameſcens cæleſtia, & bonis cœleſtibus repleta calcabit favum, nempe omnia terrena, & eadem fameſcens talia bona, etiam amara, videlicet egeſtatem, nuditatem, jejunia, & alias pœnalitates amaras ejus palato, erunt dulcia, quia ea cum voluptate pro æterna gloria devorat: E contra fameſcens terrena bona, & voluptates carnales, etiamſi ſit repleta, tamen etiam amara, & auſtera cum maxima aviditate tranſmittit. *Ser. 1. Dom. 6. poſt Pent. In Luc. c. 15. v. 6.* An non amarum eſt (ait Chryſoſtomus) noctes inſomnes deducere, gelu rigere, æſtu aduri, & alia hujuſmodi graviſſima perpeti, & tamen hæc omnia juniorum libido non ſine voluptate devorare ſolet; neque humanam gloriam, neque inſaniam curant, ſed & contumelias, & omnia mala cum voluptate magna propter pulchræ faciei amorem facilè devorant, & ſi maledicat, ſi in faciem inſpuat, roſis ſe aſpergi putant: Et quid eſt, quod res adeò arduas, & amaras in ſuavitatem, & dulcedinem vertit? Certè fames: libido, inquam, quæ famis ad inſtar ardentiſſimè illorum inficit præcordia: Hæc unanimè *Chryſoſt. cum Sancto Bonavent. in locis cit.*

781. *Filiorum educatio parentibus inculcatur.*

Sicut avis tranſmigrans de nido ſuo, ſic vir qui derelinquit locum ſuum. Adverte, quòd in iſta ſententia arguuntur parentes negligentes in educatione filiorum: Ait enim Salomon, quòd ſicut avis pullos ſuos implumes ex alendi ſtudio in nido relinquat, & aliò tranſvolet, eos perire neceſſe eſt, ut fertur etiam de Aquila, *ait S. Baſil. Hom. 8. in Hexam.* ita etiam patet, qui parvulos

vulos ſuos educare, atque inſtruere ex negligentia cuntemnit eos omninò perdit: *Sic & Ambroſ.l.5. Hex.c.18.* ô qualis crudelitas deteſtanda multorum Patrum, qui relinquentes filios, nec eos educantes, eos immolant, & tradunt diabolo, & ſub diaboli educatione relinquunt, iſti ſeverè punientur à Deo. *Ser.a. Dom.13. poſt Pent.& ſer.1.fer.2.Pent. & ſerm.1. de S. Antonio &c.*

782. *Deus conſulendus eſt à nobis in noſtris neceſſitatibus tanquam bonus amicus.*

Unguento, & variis odoribus delectatur cor: & bonis amici conſiliis dulcoratur anima. Nota quòd hic ſacer textus explicat utilitates reſultantes ex commercio, & conſiliis veri amici, ex ſimilitudine refectionis redundantis cordi, & capiti ex unguentis, & ſuavibus odoribus, quorum proprium eſt caput confortare, & cor exhilarare: ſic & amici magno in pretio habendi ſunt, quia eorum ſermones, adhortationes, & conſilia unguentis pretioſiſſimis, & utiliora, & jucundiora ſunt; quia cor exhilarant, omnem triſtitiam, & angorem ab animis repellendo, & caput etiam roborant, mentem ab omni ignorantia & inſipientiæ chimera liberam præſtando: ſic Clem. Alexand. De hac amicitia vide *Ser.10. de Apoſtol. & ſer.4.Dom.8.poſt Pent.& Phar. l.4. c.15.* Sed tamen adverte, quòd propriè verus amicus noſter eſt Deus, & ab ipſo in noſtris neceſſitatibus conſilium in oratione petendum, *Pſal.118.c.2.v.8.& op.de dono ſap.c.5.& ſer.2. de SS.Sim.& Iuda.in addit.*

783. *Unguentis noſtris delectatur Deus.*

Unguento & variis odoribus delectatur cor. Quodnam, & cujus cor? Cor Chriſti, qui à nobis expetit unguenta, & odores varios, & ipſis deliniri, & confortari: ſed quomodò hoc verum eſt? ſed recurre ad mulieres, quæ ad viſendum, & ſepeliendum Corpus Chriſti aromata, & unguenta ſecum attulerunt: Unguenta quidem corporalia, ſed magis ſpiritualia: Hæc eadem à nobis expetit non corpus, ſed cor Chriſti, ſcilicet odorem virtutum, opinionem bonorum operum, & ſuavitatem ſanctarum orationum, & unguentum contritionis, quod conficitur ex peccatis noſtris; unguentum compaſſionis, quod conficitur ex miſeriis proximi; unguentum devotionis, quod conficitur ex beneficiis Dei; unguentum item orationis, confeſſionis, & prædicationis, & operum miſericordiæ: In his maximè delectatur cor Chriſti. *In Luc. c. 23. in fine.*

784. *Sapientiæ cæleſtis ſtudium ſuadetur cuicumque ætati.*

Stude ſapientiæ fili mi, & lætifica cor meum, ut poſſis exprobranti reſpondere ſermonem. Nota quòd hæc verba diriguntur à Chriſto omnibus fidelibus ſuis, ut ſtudio ſapientiæ cæleſtis incumbant: Dicit igitur ad filium, ſcilicet quemcumque paterna affectione informat, ſive ſit iuvenis, ſive ſenex: & nota quod dicit ſtude, ideſt vehementi diligentia cura adquirere ſapientiam, quia ſtudium eſt vehemens applicatio animi cum ſumma voluptate ad aliquid agendum, quæ exigit vacationem ab omnibus exterioribus occupationibus, *& lætifica cor meum*, nempe glorificabis Deum tuum, *ut poſſis exprobranti*, ſcilicet inimicis rectè reſpondere, & reddere rationem de omnibus. *In Sap.prol.& in Ecclen.c.2.in fine.*

785. *Laudatio hypocritarum, & adulatorum in maledictionem vertitur.*

Qui benedicit proximo ſuo voce grandi, de nocte conſurgens maledicenti ſimilis eſt. Quid èſt benedicere voce grandi niſi cum favore ſuperfluæ laudis, & extemporaneæ, vel pluſquàm juſtum eſt, vel malis actibus proximi contra juſtitiam facere? Hic maledicenti ſimilis eſt quia lædit potius, quàm juvet; & tales laudes terminant in opprobrium ſempiternum quia in vanum laudata perſona extollitur in altum. *In Luc.c.6. v.26. & c.20. verſ.21.*

786. *Concupiſcentia, & pigritia in Dei obſequio totam domum, & familiam animæ exturbat.*

Tecta perſtillantia in die frigoris, & litigioſa mulier comparantur, qui retinet eam, quaſi qui ventum teneat, & oleum dexteræ ſuæ vocabit. Nota comparationem mirabilem inter mulierem litigioſam, & tecta domus perſtillantia in hyeme: qua ſimilitudine dat Spiritus ſanctus intelligere, quòd ſicut, dum ſtillicidia cadunt è tecto in domum, maximè tempore frigoris, & ejiciunt habitatores de domo: ſic uxor litigioſa exilire de domo propria facit virum: quod quàm ſit verum, ſupra ad hæc eadem verba *In cap.19.v.13.* dictum eſt. Hic addimus ſenſum myſticum: nam per mulierem litigioſam intelligitur concupiſcentia, per tecta perſtillantia, Animæ vanas haurientes voluptates, quæ infrigidatæ ex defectu charitatis ad ignem concupiſcentiæ accedunt, & ſic in tali igne exturbantur, indurantur, & obſcurantur, & ſic tota familia potentiarum exturbatur. *In Ioan. collat.80. Ecclen. c.10.* Nota etiam quòd hæc ſcriptura adaptari poteſt accidioſo, cujus manus remiſſæ perſtillant diſſolutæ in opera carnalia, faciuntque ſubvertere totam domum animæ, & ſicut is, qui tentat ventum continere in domo, vel ſicut ventus continetur in viſceribus terræ totam terram concutit. *Ecclen.c.10.ſic & D.Chriſoſt.*

787. *Collationes ſpirituales inter religioſos valde accendunt animam in amore Dei.*

Ferrum ferro exacuitur, & homo exacuit faciem amici. Nota quòd aliqui expoſitores applicant hunc textum ad maritum, & uxorem ſimul convіventes; quaſi dicat, ſicut duo gladii ſimul colliſi propter utriuſque duritiem alter alterius acies non exerit; ſic ſi vir & uxor invicem ſint rigidi, & duri, alius alium ad iram, & furorem exacuit: Alii dicunt quod ſicut ferrum ferro, non auro, vel terra acuitur, ſic par cum pari nubendum eſt: Communior tamen docet hic alluſionem fieri ad convictum, communicationem, converſationem, & colloquia ſancta, quæ fiunt à viris religioſis: ſic enim ſancta colloquia, exempla, converſationes cum viris ſanctis, etiam ferreos homines climant atque expoliunt;

poliunt : nam talibus colloquiis adeſt ſemper Spiritus Domini tanquam origo omnium bonorum inflammans corda ſic convenientium *In Luc. c.2.v.15. & c.24. v.14. & 26.* Sic etiam Beato Franciſco vox de Cœlo dixit : quando ô Franciſce divina meditaris , divina loqueris , & ſecundùm me operaris, ſervus tunc meus exiſtis:& cum hoc didiciſſet S. Pater idem inculcabat ſuis fratribus , maximè cum eſſent in convictu , & converſatione , ut de Deo ſimul colloquerentur, quia tales collocutiones miro modo accendunt animam amore Dei. *Ser.1.de S. Barthol. & ſer.3. de S.Laurent.*

788. *Colloquia mala miro modo inficiunt converſantes ſimul.*

Ferrum ferro exacuitur &c. Hoc & In malam partem poteſt ſumi:certum enim eſt,etiam experientiâ , quod corrumpunt bonos mores colloquia mala, quia veluti venenum intrant in aures, & ad cor pertingunt , corda , & animas interficientia : Hinc quidam ſanctus Pater videbat Angelos appropinquantes ſuis religioſis , dum loquebantur de Deo , & in medio eorum Chriſtum & è contra dum loquebantur de mundo, Angelos abſcedentes, & Chriſtum. *Ser.1. de S. Laurent.& ſer.1.de S.Barthol.*

789. *Quàm beati , & felices qui verbum Dei audiunt , & ſimul cuſtodiunt : quàm abominabiles, qui audiunt, & non cuſtodiunt illud.*

Qui ſervat ficum , comedet fructus ejus : & qui cuſtos eſt Domini ſui glorificabitur. Adverte, quòd per ficum intelligitur ſacra ſcriptura plantata à Deo in medio Paradiſi, hujus fructus ſunt dulciſſimi,& verba medicinalia animæ, & talia ſunt ſervanti ipſam corde, ore, & opere : Et ſub hoc ficu dicit Chriſtus Natanaeli. Vidi te ſub ficu, quia ipſe erat optimè inſtructus in doctrina ſacræ ſcripturæ, diligens cuſtos , & obſervator eorum, quæ ab ipſa dictantur : Unde qui ſic facit perfectus eſt cuſtos Domini, & glorificabitur: E contra qui ſumit tantùm verba ad ſimilitudinem Adæ tanquam folia , & ſub ſanctis verbis ſuam tegit turpitudinem; iſte non comedit tales fructus , ſed fructus amaros mortis. *In Ioan. c.1. v.48.& Pſal.118.c.11.v.8.ſic & Ugo Card.*

790. *Poſt communionem quali cuſtodia ſtandum.*

Et qui cuſtos eſt Domini ſui glorificabitur. Quis eſt , qui poſſit eſſe cuſtos Dei ? Animadverte, quòd quilibet recipiens communionem corporis Chriſti in domo ſua, debet eſſe cuſtos fidelis , ſi vult glorificari , & vitam recipere ſpiritualem, & gratiam : hoc autem faciet , ſi poſt communionem ſtudio devotionis ſe homo conſervabit, ſi magis innocenter ſtudebit vivere , & devotioni frequentiùs , ſtudioſiùs intendere. *Op. de profect.religioſ. l.2.c.77.* Vide igitur , quòd dum in pectore recepiſti divinum ſacramentum veluti in ſacra cuſtodia illud collocaſti , & ideo ipſius cuſtos conſtitutus , teneris operari , & cuſtodire ſummâ diligentiâ,ne à tanta gratia excidas.

791. *Ex actibus exterioribus cognoſcitur qualis ſit homo :* Unde hìc dicitur , *quomodo in aquis reſplendent vultus proſpicientium , ſic corda hominum manifeſta ſunt prudentibus.* Unde benè dicitur unicuique, loquere , ut te cognoſcam ; nam loquela tua te manifeſtum facit. *Ser.1. de S. Gregorio.*

792. *Nihil creatum poteſt ſatiare cor , niſi ſolus Deus:Unde cor impii eſt ſicut Infernus:ubi de cuſtodia oculorum.*

Infernus , & perditio non replebuntur , ſimiliter, & oculi hominum inſatiabiles. Sententia hæc eſt perſpicua , aliaſque digeſta : Vult dicere , quòd ſicut Infernus , ejuſque perditio , ſcilicet pœnæ infernales ſunt perpetuæ , & inſatiabiles ; ſic oculi hominum , nempe cor & inclinatio nulla re creata poſſunt ſatiari , quia omnia ſunt finita, & cordis capacitas infinita ; & ideo voluptates, non ſatietatem , ſed famem generant : Nota etiam , quòd rectè comparat cor plenum vanitatibus inferno , quia in eo nulla eſt requies ; Nota iterum , quòd dicit , oculos eſſe inſatiabiles, ideò ſunt rectè cuſtodiendi , ne vanitates per ipſos intrent in animam. *Ecclen. c.1. op. de prof. religioſ.l.1.c.39.*

793. *Virtus veluti aurum in fornace probatur ex laudibus, & vituperio aliorum* : Si enim laudibus non extollitur, & vituperio non frangitur, tunc dignoſcitur vera virtus: ſic dicitur hìc : *Sicut probatur in conflaterio argentum, & in fornace aurum, ſic probatur homo ore laudatoris.* Op. Comp. *Theol.l.5.c.7.*

794 *Proprium impiorum eſt quærerè ruinam propriam in proximi ruina : Juſtorum eſt quærere , & invenire ſalutem in ſalute proximi.*

Cor iniqui quærit mala, ut in eis perdatur : Cor juſti quærit ſcientiam. Quo modo hoc eſt verum ? ergone iniqui in ſuis actibus habent pro objecto propriam ruinam , cum nemo intendens ad malum , malum operetur ? ſed attende , quòd hìc ſacer textus dat intelligere errores , & deceptiones impiorum , qui in ruina proximi inveniunt proprium excidium : hic enim eſt fructus, quem reportant homines de factis , & vita proximi curioſi, & tendentes doloſitatibus retia , & laqueos aliis , quia iſti juſto Dei judicio in vitiis ſuis capiuntur , & exterminantur : E contra juſti ſibi ipſis attendentes , à Deo lumen & auxilium tantùm expectant. *Pſal.118. c.1.v. 10. & c.4.v.8.*

795. *Prælatorum obligatio in regimine ſubditorum expenditur.*

Diligenter agnoſce cultum pecoris tui , tuoſque greges conſidera. Nota quòd in his verbis exprimit ſapiens graviſſimam obligationem , qua conſtricti ſunt Prælati in cura ſubditorum : Debent enim cognoſcere , & diligenter diſquirere motus , inclinationes , affectiones , mores , merita, & demerita ipſorum , ne eis contingat errare in eorum regimine. *Eccl.Hier.p.4.c.3.l.4.d.17. p.3.q.2.Op.expoſ.Regul c.9.& in Thren.c.1.In Luc. c.2.v.8.& c.5.v.3.& c.12.v.42. In Ioan.c.10.v.6.* Ut autem ſeriò Prælatus applicet ad executio-

nem hujus muneris addit ſacer textus : *Non enim habebis jugiter poteſtatem, ſed corona tribuetur in generatione, & generationem:* quaſi dicat, diligenter exerce munus tuum ſuper gregem ſubditorum tuorum, quia veniet tempus, in quo non poteris amplius mereri in tanto munere, ſed dabitur corona largiſſima, & ſuperaffluens merenti in futuro, & pœna graviſſima negligenti. *In Luc.c.16.v.3.ſic & Beda.*

796. *Quilibet tenetur regere gregem ſuarum paſſionum animæ.*

Diligenter agnoſce vultum pecoris tui, tuoſque greges conſidera. Nota quòd hoc dicitur, non ſolùm Prælatis, ſed etiam ſubditis, & cuilibet homini : ſed quomodò adaptantur homini privato? quia in quolibet ſunt multa pecora, ſcilicet ſenſus, motus pecorini, & beſtiales, quos diligenter debemus inſpicere, tum ut ſint nobis incentivum humilitatis, tum, ut exhibeamus, & applicemus nos totos ad iſtorum pecorum regimen ſecundùm rectam rationem, dum tempus adeſt merendi. *Pſal.118.c.1.v.15.op. de prof. religioſ.l.2.c.17.*

797. *Spiritus ſanctus invitat Prælatos ad ſuum munus diligenter exercendum, & ſubditos ad obedientiam, & mortificationem motivo remunerationis, & præmii ſupereſfluentis.*

Diligenter agnoſce vultum pecoris tui, & greges tuos,&c. *Aperta ſunt prata, & apparuerunt herbæ virentes, ſeu florentes, & collecta ſunt fæna de montibus : Agni ad veſtimentum tuum, & hædi ad agri pretium : ſufficiat tibi lac caprarum in cibos tuos, & in neceſſaria domus tuæ.* Vide quàm bonus eſt Dominus Deus, qui volens, ut omnes laborent in hoc mundo, nempe Paſtores in cuſtodia ſubditorum, ſubditos in mortificatione appetituum, & omnes in exercitiis virtutum, & ideo omnes excitat ad laborem, offerens etiam remunerationem ampliſſimam, non ſolùm pro alia, ſed etiam pro hac vita præparatam : Dicit igitur, quod *aperta ſunt prata*, ſcilicet cælica myſteria verè paſcua dulciſſima animarum fidelium: aperta ſunt, inquam hæc myſteria per gratiam ſalvatoris : *Apparuerunt herbæ virentes, & flores, & fructus,* ſcilicet parati ſunt cibi in agno, & lacte, ut poſſimus in hac vita deguſtationem cæleſtium myſteriorum, & apertiùs in alia percipere : Vide hic quos flores, quos fructus, quos cibos : nam in hoc campo Eccleſiæ redolet flos uvæ ſignificans Prædicatores doctrinis ſacris inebriatos : flos olivæ ſignificans miſericordes, qui lucent, & refovent debiles: flos roſæ ſignificans martyres exemplis fragrantes : flos violæ ſignificans humiles purpuratos cæleſtis vitæ ſervantes : flos lilii ſignificans Virgines candidam famam ſpirantes : ſpica nardi, ideſt perfectos, & maturos ſignificans, opera bona fructificantes. Quis jam non ſurgat? quis non properat, aut quis non veniat, ubi tot utilitatis inſignia concurrunt? venite, venite, ait Chriſtus, de labore ad requiem, de dolore ad conſolationem, de languore ad impaſſibilitatem. *Op.de ſeptem itinerib. æternit. Itin.3. d.7. In Ioan.c.6.v.10.*

CAP. XXVIII.

798. *Conſcientia onerata peccatis, timorem & pavorem ingerit : conſcientia munda aufert omnem timorem, & ingerit confidentiam.*

FUGIT impius nemine perſequente : *iuſtus autem quaſi leo confidens abſque errore erit.* Quid eſt quod facit fugere impium abſque cauſa & nemine perſequente? & quid eſt, quod omnem timorem aufert à juſto? nonne initium omnis boni eſt timor? ſed attende quòd explicatur peſſimus ſtatus malæ conſcientiæ : licèt enim impius nullum inſequentem habeat, vel qui terrorem ei incutiat, tamen ipſe ſibi terror eſt, quia intus peccata habet, quæ ſunt ſibi validiſſimi, & maximè terrifici hoſtes, ipſum quolibet fugientem inſequentes : E contra juſtus veluti leo impavidus eſt : ſcit enim omnia adverſa ſibi evenientia exteriora eſſe, nec poſſe intrare in ejus conſcientiam, virtutibus, gratiâ divinâ, & confidentiâ in Deum perfectâ occupatam : Vide igitur, quàm grave malum ſit habere conſcientiam peccatis oneratam : quale bonum ipſam habere mundam, Deo plenam, ejuſque gratiâ redundantem, *op. de dono ſcient. c.4. ſer.18. Hexam. Pſal.118.c.10. v.6. In ſap. c. 17. & in Luc. c.21.v.9.*

799. *Peccatum in mundum invexit præſidentiam Principum, & ſubditorum ſervitutem, cum naturâ omnes homines æquales fecerit.*

Propter peccata terræ multi Principes eius. Vide quomodo ſit verum quod Deus fecit omnes homines æquales : Unde ſi homo ſtetiſſet, nullus ordo Principum, & ſubditorum in mundo fuiſſet : At peccato adveniente, introducta eſt ſervitus, & homo homini ſubjici, & famulari cogitur. *L.2.d.44.a.2. q.2.*

800. *Principum vita temporalis ut plurimùm breviſſima ob peccata.*

Propter peccata terræ Principes multi. Cur multi? quia Deus ſeverè punit Principes malos ipſis vitam obtruncans; ſicque multi Principes alii aliis frequenter ſuccedunt : At qui ſapienter, & ſanctè regunt, à Deo obtinent ut plurimùm longam, & dulcem vitam : Unde ſubdit, & propter hominis ſapientiam, & horum ſcientiam, quæ dicuntur, vita dulcis longior erit, &c. *In Luc.c.3.v.1.& c.11.v.17.*

801. Conter

801. ***Concordia, & unitate conſervantur in unum Regna : propter diſcordiam ſcinduntur in partes.***

Propter peccata terræ Principes multi, & propter hominis ſapientiam, & horum ſcientiam, quæ dicuntur vita dulcis longior erit. Vide quàm verum ſit commune adaginm : concordiâ res parvæ creſcunt, diſcordiâ maximæ dilabuntur : nam per concordiam, unitatem, pacem, obſervantiamque Dei mandatorum conſervantur in unum Regna : propter peccata ſcinduntur in partes, ut patet in Judæa, quæ tempore Nativitatis Chriſti diſciſſa erat in varias partes, & dominia. *In Luc.c.3.v.1.& c.11.v.17.*

802. ***Pauper pauperem perſequens quàm Deo exoſus.***

Vir pauper calumnians pauperem, ſimilis eſt imbri vehementi, in quo paratur fames. Vide quomodò cùm è cœlo pluvia vehementior depluit, aquæ omnes è montium cacuminibus ad valles decurrunt, & meſſes omnes inundant, atque convellunt : ſic eſt (ait Salomon) quando pauper, qui naturæ jura violans, & alterius pauperis vicem indolere debuit, ipſum per calumniam, & injuriam opprimit, vel ſpoliat ; iſte ſimilis eſt imbri vehementiori, qui terram inundans, obruenſque ſemina denudat, & ſegetes natas revellit : ſic enim alium ſpoliat pauperem bonis omnibus, atque fortunas ejus depredatur, & ipſe Dei judicio, & væ ſubjacet : talia facit latro cum Chriſto confixus, irridens ipſum Chriſtum, dum potius debuerat compati. *in Luc.c.23.v.43.* Videant igitur, & attendant hoc pauperes, & miſeri alios miſeros pauperes perſequentes : nam ob tale flagitium maximè Deo exoſum in inſidiis ſuis capientur impii.

803. ***Impii teſtes laudant vituperandos, & vituperant laudandos : Iuſti è contra.***

Qui derelinquunt legem laudant impium, qui cuſtodiunt ſuccenduntur contra eum. Sententia hæc clariſſima eſt, & experientia conſtat: certiſſimum enim eſt, quòd viri exleges, & pietatis oſores, tanquam teſtes iniqui laudant vituperandos, & vituperant laudandos : amant enim eos, qui cum impietate pari cum ipſis ſtudio inſectantur ex adverſo contra illos, qui legem Dei cuſtodiunt tanquam diſſimiles inflammantur, & illos impunè oderunt : E contra juſti amant bonos, ldeteſtantur impios. *Serm.2.Dom. infra oct. Aſcenſ. & in Ecclen.c.8.* Hic autem notat S. Doctor, quòd Prædicatores ſint cauti in laudando Clericos, & plebanos malè viventes, ne cogant ſubditos ad ipſorum imitationem, ſed potiùs ſilentio eorum vitia tegant, ne populi ſuſcitentur contra ipſos. *Op.libel.apologet.q.22.*

804. ***Iudicii futuri in morte, & in noviſſimo oblivio quàm noxia : memoria, & conſideratio quàm proficua.***

Viri mali non cogitant juditium : qui autem inquirunt Dominum omnia animadvertunt. Ecce cauſa quare tot homines vivunt effræni in peccatis, & ſine ullo timore, & fræno, quia nihil cogitant, neque timent de futuro judicio Dei : è contra frænum detinens bonos à viis malis, eſt animadverſio judiciorum Dei : hæc enim rectè dirigit hominem in reddendo Deo, quod Dei eſt, & hominibus, quod hominum eſt. *In Ecclen.cap.8.*

805. ***Pauper juſtus ditior eſt divite iniquo.***

Melior eſt pauper ambulans in ſimplicitate ſua, quàm dives in pravis itineribus. Melior eſt pauper (ait ſapiens) bonus & juſtus divite iniquo? Quis de hoc dubitat? ſed nota anthiteſim, quia hîc loquitur de divitiis : & vult dicere, quòd melior eſt, ideſt ditior, & locupletior vir pauper bonus, quàm dives malus, & meritò : nam pauper juſtus eſt dives in Deum (ut ait Chriſtus *Luc.c.12.*) ſcilicet abundans in meritis, virtutibus, & operibus pietatis, & ſpei in Deum: iſte autem eſt dives non in Deum; quia licet theſauros habeat terræ, tamen eſt pauper virtutibus, & meritis, ſed cor ejus vacuum eſt, & ſolùm impletum phantaſticis vanitatibus. *In Luc.c.12.v.18.ad 21. & ſer.1.fer.2.Paſchæ.*

806. ***Filius cuſtodiens præcepta patris, ut ſapiens lætificat patrem ; tranſgrediens confundit patrem.***

Qui cuſtodit legem filius ſapiens eſt: qui autem comeſſatores paſcit confundit patrem ſuum. Vide quomodo cuſtodia præceptorum Dei ſapientem reddit hominem, quia nihil prodeſt notitia veritatis, ubi deficit charitas : Unde cuſtodia legum valdè illuminat mentem *Pſal.118.c.3.v.2.* At hîc advertunt ſacri Expoſitores, quòd ad litteram loquitur Salomon de filio, qui per probam vitam cuſtodit legem, & bona à Patre ei collata, iſte ſapiens eſt, & patrem lætificat : qui verò bona cum ebrioſis in comeſſationibus, & potationibus profundit, ad inopiam redigitur, & poſtea mendicare, aut ſervire compellitur, ſicque dedecore afficit parentes, & familiam, & hinc confunditur ignominiâ pater ; exemplum de hoc patens habemus in filio prodigo, qui conſummatis omnibus, vivendo luxurioſè, ſervire porcis coactus eſt. *In Luc.c.15.*

807. ***Felix, qui per eleemoſynam uſuram cum Deo committit.***

Qui coacervat divitias uſuris & fænore liberali in pauperes eos congregat. Nota quòd multi expoſitores docent hîc Salomonem innuere, quòd illi, qui malis artibus, uſuris, & negotiationibus iniquis coacervant divitias, juſto Dei judicio, non ſibi, ſed illi, qui liberalis fuerit in pauperes, congregant, quia Deus eas facit miſericordibus tranſire, vel eorum filiis : & hoc ſæpe verum eſt. *In Eccleſ.c.2.in fine.* Poteſt tamen hæc ſententia alio ſenſu verti ad miſericordes, qui tribuendo largas eleemoſynas pauperibus, uſuras, & mutuum dant Deo : Utique magno fænore divitias in Cœlo parant, & ib. ditabuntur. *Ser.de SS.Phil.& Iac.*

808. *Qui non audit Deum præcipientem, non auditur à Deo orans, & clamans: & qualis fueris cum Deo, talis erit tibi Deus: Par pari refert Deus.*

Qui declinat aures ſuas, ne audiat legem, oratio ejus fiet execrabilis. Ecce ratio quare Deus non audit orationes noſtras; imò quare orationes noſtræ ſunt in conſpectu ſuo execrabiles, quia non audimus Deum non monentem, exhortantem, præcipientem, imò contemnimus eum; ideò Deus non audit nos orantes: quales enim nos ſumus cum Deo, talis eſt nobis Deus; ergo ſi tu à ſono Dei aures cordis avertis, tunc Deus à ſono tuo aures ſuas avertet: Unde ſi quis cultor eſt Dei, hunc ipſe exaudit. *In Ioan. c.9. v.31. & collat.47. & in Luc. c.13. v.30. & c.16. v.29. & ſer.4. Dom.2. poſt oct. Pentec. & ſer.2. de uno Doct. in addit.*

809. *Idem confirmatur: Ubi de conformitate ad divinam Voluntatem.*

Qui declinat aures ſuas, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis. Si hoc eſt verum, ergo & oppoſita propoſitio: qui inclinat aures ſuas, ut audiat, & obſervet legem Dei, oratio ejus erit amabilis & Deo chara: Unde patet, qui ſuam voluntatem divinæ conformat, iſte verè exaudietur, quia voluntatem timentium ſe Deus facit: ſi in domum noſtram invitabimus Deum, ſed prius à peccato expurgatam, & virtutibus ornatam, & Deus veniet, & habitabit nobiſcum. *In Ioan. collat.47. & ſer.1. fer.2. Paſcha.*

810. *Pauperes Deus poſuit judices futuros operationum divitum, & potentum.*

Sapiens ſibi videtur vir dives, pauper autem prudens ſcrutabitur eum. Qui ſunt iſti pauperes, ad quos vult Deus pertinere perſcrutari divitum opera? Sed attende, quòd Chriſtus dixit divitibus. *Luc. c. 16. facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna Tabernacula:* loquitur igitur de pauperibus, ſpiritu, de iis, qui ſecuti ſunt Chriſtum, ut Apoſtoli, & eorum ſucceſſores: ad iſtos enim ſpectabit in judicio (ſicut nunc in foro conſcientiæ ſpectat exquirere conſcientiam divitum in confeſſione) examinare cauſas divitum, eoſque, vel recipere in æterna Tabernacula, vel excludere: & tunc patebit, quàm ſtulti, & imprudentes fuerint divites impii, & crudeles. *L.4. d.19. dub.5. & in Luc. c.16. v.9.*

811. *Regnantibus bonis Prælatis qualis ſit felicitas Reipublicæ, regnantibus malis qualis infelicitas.*

In exultatione juſtorum multa gloria: regnantibus impiis ruina hominum. Nota quòd hîc deſcribit fælicitatem Reipublicæ, vel congregationis, vel domus, quando exultant, ſcilicet regnant, & regunt boni: & è contra infelicitatem, quando regnant impii: nam juſti, & boni, ad bonum commune ſolùm reſpiciunt: impii ad bonum privatum cum oppreſſione ſubditorum: Boni enim Prælati ſunt vigiles ſuper ſubditorum negotiis ſpiritualiter, & temporaliter, defendentes viduas, pupillos, pauperes nutriendo, & tanquam veri paſtores de eis curant, eos defendunt, in orationibus vigilant, juſtitiam omnibus ſervant, iniquos, & impios puniunt: mali autem è contra ad proprium commodum tantùm reſpiciunt, malos protegunt, permittunt ſuas curias, & palatia repleri uſurariis Judæis, iniquis, adulatoribus, prædatoribus: Hæc cogita & videbis, quàm verum eſt, quòd ubi regnant tales impii, abundant ruinæ hominum. *Ser.1. Dom.24. poſt Pent.*

812. *Palliare peccata quàm Deo exoſum.*

Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur: qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit ea miſericordiam conſequetur. Adverte, quòd iſta dicta ſunt his, qui erant tempore legis ſcriptæ: ergo videtur, quòd confeſſio Sacramentalis fuerit inſtituta tempore legis ſcriptæ, & non ſit propria Evangelii; ſed tamen reſpondetur, quòd hîc non loquitur de confeſſione Sacramentali, ſed de confeſſione peccatorum, quæ fiebat cum contritione ipſi Deo; & ideo hæc verba diriguntur his, qui abſcondebant, & abſcondunt ſcelera ſua, ea palliando, ſicut faciunt hypocritæ, qui volunt apud homines videri juſti, ſed apud Deum ſunt iniqui: & hoc contra legem naturæ, & reſpectu Dei, & reſpectu hominis: ideo maximè exoſum Deo. *L. 4. d.17. p.1. a.1. qu.2.*

813. *Confeſſionis ſacramentalis inſtitutio quàm conveniens ſtatui evangelicæ legis.*

Qui abſcondit ſcelera non dirigetur: qui autem confeſſus fuerit, & ea reliquerit, miſericordiam conſequetur. Hîc inſurgit difficultas: cur cum confeſſio peccatorum in lege naturæ, & ſcriptæ fuerit inſtituta, ut ſoli Deo contritione interveniente fieret? Nunc in evangelica voluit, ut fieret ſuis miniſtris? hoc videtur maximè durum præceptum, & non proprium ſuavitati legis evangelicæ? ſed reſpondetur, quòd convenientiſſimè id inſtituit Chriſtus in lege evangelica, ut magis pateſieret ejus dulcis miſericordia; ratio autem eſt, quia cum ad obtinendam veniam peccatorum à divina clementia ſit neceſſarium ad ipſam recurrere, & ut pateret peritia Chriſti medici in adhibendo remedia contraria, per quæ non tantùm morbus auferatur, ſed etiam præſcindatur cauſa, & cum peccatur in Deum corde, dilectione, ore, conſenſu, & operis perpetratione: hinc prudentiſſimus medicus voluit, ut contra triplicem hanc deordinationem eſſet reformatio pœnitentis ſecundùm triplicem vim, ſcilicet affectivam, interpretativam, & operativam, per dolorem in corde conceptum, per confeſſionem expreſſam in ore, & conſummatam in opere per ſatisfactionem: & quia in hac perfecta curatione manifeſtari debet ipſius Chriſti judicis recta juſtitia; cumque ipſius in propria perſona non ſit judicare ante judicium finale, ideò ad particularia judicia ante finem judices debuit conſtituere: Et quia iſti Judices inter Deum offenſum, & hominem offendentem

ſcendentem ſunt quaſi intermedii, ut proximi Chriſto, præpoſiti populo; & iſti ſunt tales ratione officii, qui ſunt ejus miniſterio ſpeciali conſecrati, ſcilicet ſacerdotes, ideo omnibus, & ſolis ſacerdotibus datur poteſtas duplicis clavis, nempè ſcientiæ ad diſcernendum inter lepram, & lepram; & clavis poteſtatis ligandi, & ſolvendi ad dijudicandum, & abſolutionis beneficium impendendum: Et quia ad confeſſionem vitandam hæc poteſtas judiciaria debet eſſe ordinata in Eccleſiaſtica Hierarchia, ideò uni ſoli primò debuit communicari, cui datum eſt regimen univerſale Eccleſiæ, & deinde ſecundùm particulares Eccleſias dividi in partes; ſcilicet primò Epiſcopis, & deinde deſcendens in alios Præſbyteros: hinc patet quàm conveniens fuerit talis inſtitutio. *Op. Brevil. p.6. c.10. l.4. d.17.& 18. ſparſim.*

814. *Qui in confeſſione ſacerdoti Chriſti Vicario non detegit vulnera animæ non poterit curari.*

Qui abſcondit ſcelera, non dirigetur; qui autem confeſſus fuerit, & ea reliquerit, miſericordiam conſequetur. Quæ ſcelera? ſcelera ſcilicet animæ, quæ ſunt peccata vulnerantia mortaliter animam: nemo ergo ſperet, ſe poſſe curari à talibus vulneribus, niſi ea detegat medico: quod etiam patet in curatione vulnerum corporis: qui ergo celat vulnera medico ſpirituali, qui eſt ſacerdos Chriſti Vicarius, mortem ſibi adjudicabit, & ſui homicida erit: Confitere igitur peccatum tuum, nec abſcondas: ſumma enim ſtultitia eſt perpetuo vituperio confundenda tantam habere curam de vulneribus corporis, & advocare medicos corporis pro modica cauſa doloris, & non curare de vulnere mentis, nec advocare medicum ſalutis: qui autem ad medicum confugit toto corde, miſericordiam, & ſalutem conſequetur. *Ser.3. de uno Confeſſ. & ſer.4. Dom. Trin. Pſal.118.c.10.v.15. In Luc.c.5.v.14. & ſer.2. & 8. in Rogat.*

815. *Qui cum Adam tegit peccata, miſericordiam non conſequetur: qui ea detegeet remiſſionem obtinebit.*

Qui abſcondit ſcelera, non dirigetur; qui autem confitetur, &c. Ergo non abſcondenda ſunt peccata ſicut Adam, qui abſcondit ſe poſt peccatum, & ejectus eſt de Paradiſo: quæ detectio fit, vel negando, vel dividendo, & dimidiando, vel excuſando, vel palliando in confeſſione: peccatum enim proditum citò curatur, tacendo ampliatur. ſi oſtendis tuam miſeriam in confeſſione, oſtendet Dominus ſuam miſericordiam in remiſſione, & ſi non vis oſtendere ſacerdoti Chriſti Vicario, oſtenderis univerſis in judicio, in quo revelabit Deus pudenda tua, & nuditatem tuam. *Ser.2. Dom. 22. poſt Pent. in Luc.c.5.v.28.& ſer.5.& 8. in Rogat.*

816. *Confeſſio peccatorum frequenter fiat.*

Qui abſcondit ſcelera &c. Si ſcelera ſunt vulnera animæ, ergo majori diligentia debemus ea curare ut ſanentur, quàm ſi eſſent vulnera corporis: Et quis eſt, qui velit ſuſtinere per annum, vel menſem vulnera corporis antequàm medicum advocet ipſa curantem? & tamen inveniuntur tam ſtulti, qui audent in anima ſuſtinere vulnera læthalia per menſem, Annum, & plures Annos, & vix in morte de propria morte, & ſalute curant; nec eſt mirum de hominibus rarò confitentibus, ſi confiteri non curant, & ſeipſos negligunt, quia vetuſto vulnere, & neglecto, callus obducitur, & putridæ carnes non dolent; & ideo tales homines rarò confitentes putreſcunt, dum in malis ipſa mala non ſentiunt, ſed ad omnia mala inſenſibiles ſunt: Unde Bernardus ait: ſi doles condoleo, ſi non doles, doleo: & tamen ſcias longè à ſalute eſſe membrum, quod obſtupuit, & ægrum non ſentientem periculoſiùs laborare. *Ser.3. de uno Confeſſ.*

817. *Dei ſervi ſemper cum timore vivunt.*

Beatus eſt homo, qui ſemper eſt pavidus. Quomodò vult Deus, quod ſemper homo ſit pavidus, cum ſupra dixerit v.1. quòd juſtus vivit ſine timore: ſed attende quod ſupra excludit timorem vanum, qui eſt ſine fiducia in Deum. hic ſuadet timorem Dei. qui timor reddit hominem de ſuis viribus diffidentem, & ſolùm in Dei virtute confidentem: hic timor ſemper ſit in corde noſtro, non ſolùm tempore belli, ſed etiam tempore pacis, qui excitet animam ad cuſtodiam ſedulam ſui, ne irruant in ipſum hoſtes, & latrones Inferni ne ipſam diripiant ſive in proſperitate, ſive in adverſitate: ſi enim aliquis in via coram latronibus vivit ſecutus, id provenit vel ex ignorantiâ, vel ex inopia, aut cui, quod poſſit auferri deeſt, vel qui poſſit auferri, abeſſe putatur: Time ergo vel quod te invenis non timentem, vel fac, ut timeas, quod timere te invenis, ideſt oculos aperi, aut pauper eſto. *Op. Diat. tit.6.c.1. & Ser.1. in feſto omn. ſanct.& ſer.18. Hexam.& Pſal.2.& 28.*

818. *Principum violentia in ſubditos damnatur.*

Leo rugiens, & Urſus eſuriens Princeps impius ſuper populum pauperem. Nota hanc comparationem inter Principem tyrannum, & crudelem in ſubditos, & Leonem rugientem, Urſumque eſurientem: Cum enim Leo ſtimulatur fame, tunc grandiores rugitus reddit: & Urſus eſuriens cæteras feras, & animalia crudeliter concutit; & quia per leonem ſævitia, & per Urſum dolus, & fraus ſignificatur, ait S. Ambroſ. hinc notatur immanitas, & doloſitas Principum tyrannorum, quam exercent in ſubditos, & maximè pauperes: ideo væ Dei ſubjecti ſunt. *Ser.1. Dom.16. poſt Pent. & ſer.3. Dom. 15. poſt Pentec. Pſal.118.c.2.v.7.& ſer.1. Dom.14. poſt Pent.*

819. *Diabolus crudelitatem ſuam exercet in pauperes, non in divites.*

Leo rugiens, & Urſus eſuriens Princeps impius ſuper populum pauperem. Cur Princeps impius crudelitatem exercet ſuper populum pauperem, & non potius ſuper divitem, ex quo poteſt dirigere, & rapere ejus bona temporalia? ſed

Digitized by Google

nota, quod hic Tyrannus eſt Diabolus, qui ut devoret hominem circuit ſemper, ut eſuriens, & inhians ad deceptionem: ſed tamen ſuam immanitatem exercet maximè in pauperem: hic pauper eſt homo virtutibus, & bonis operibus carens: Dives, qui abundat gratia, & virtutibus: ſuper pauperes iſtos igitur Diabolus tyrannidem ſuam exercet, non ſuper divites, quos potius timet. *Ser.4. in Nativit.*

820. *Principi neceſſaria eſt prudentia ad rectè gubernandum, & avaritia abjicienda.*

Dux indigens prudentia multos opprimet per calumniam, & qui odit avaritiam longè fient dies ejus. Ecce quid eſt neceſſarium Principi ad rectè gubernandum, nempe prudentia, quæ dirigit omnia opera in finem, & abjectio avaritiæ: ſic enim ducere poterit vitam felicem etiam in hac vita. *Op. Diet. tit.5. cap.5. & Pſalm. 118. cap.3. verſ.4.*

821. *Integritas, & ſimplicitas ſalutem affert: doloſitas ruinam.*

Qui ambulat ſimpliciter ſalvus erit: qui perverſis graditur viis concidet ſemel. Prima pars ſententiæ eſt clara: certum enim eſt, quòd qui integritatem, & ſimplicitatem vitæ ſervat ſine dolo, licet aliquid incommodi aliquandò pati contingat, tandem ſalvus, & indemnis erit: è contra qui doloſè ambulat, ſemel incidet in judicio Dei juſtiſſimo: nota quod dicit, concidet ſemel, non quod non poſſit pœnitentiam iterare, ſed quia talis abhorrens pœnitentiam, in fine damnabitur. *L.4. d.14. p.2. a.1. qu.2.*

822. *Qui vult ſaturari pane cœleſti, laboret: qui ſectatur otium, egeſtatem patietur.*

Qui operatur terram ſuam, ſatiabitur panibus: qui ſectatur otium egeſtate replebitur. Hoc ſicut veriſſimum eſt in cultura terræ materialis, ſic & in ſpirituali: qui enim operatur terram propriæ conſcientiæ evellendo ex ea veptes vitiorum, ſpinas peccatorum, & urticas malorum deſideriorum, ſatiabitur panibus, ſcilicet gratia Spiritus ſancti, meritiſque bonorum operationum: E contra, qui ſectatur otium replebitur egeſtate bonorum: otium enim eſt radix omnium malorum. *Ser.1. Dom. ſexag. & ſer.2. Dom.6. poſt Pentec.*

823. *Fidelitas ad Deum, & ad homines qualis exigitur in juſtis.*

Vir fidelis multum laudabitur, qui autem feſtinat ditari non erit innocens. Legunt ſeptuaginta vir fidelis multum benedicetur, malus autem non erit impunitus. Quid eſt, & quis vir fidelis? quænam hæc fidelitas eſt, quæ benedictionibus cumulatur? ſed nota; quod dicitur vir, & fidelis: Vir à virtute, quia nullis adverſis unquam ſuperatur: Iſte vir eſt fidelis per rectam ordinationem ad Deum, ad ſeipſum, & ad proximum: Ad Deum exercet humilem reverentiam, devotam obedientiam, & veram amicitiam: Ad ſeipſum per innocentiam, continentiamque: ad proximum per veram animi compaſſionem, per rectam inſtructionem, per malorum tolerantiam, & per devotam orationem ad Deum pro proximo fuſam: ſed quis eſt iſte vir fidelis, & laudabimus eum? nam pauciſſimi ſunt fideles in mundo, qui maximè Deo ſervant fidelitatem, & tamen omnes aliæ creaturæ Deo ſunt fideles, & obedientes, ſoluſque homo infidelis, qui plus cæteris debuit eſſe talis. *Ser.1. de uno Confeſſ.*

824. *Inhians ad acquirendas divitias vix poteſt vivere ſine peccato.*

Qui autem feſtinat ditari non erit innocens. Cur hoc? quia ferè impoſſibile eſt inhiare ad lucrandas divitias, & ſine peccato vivere: Unde bene ſeptuaginta legunt; malus autem non erit impunitus; quaſi idem ſit dicere, feſtinum ad divitias, & malum eſſe. *Pſal.118. c.5. v.5. & in Ecclen. c.4. & S. Gregor. admonit.21. curæ paſtorali.*

825. *Corripiens delicta quàm Deo placet: connivens delictis Deo exoſus.*

Qui corripit hominem, gratiam poſtea inveniet apud eum magis quàm ille, qui per lingua blandimenta decipit. Hoc quidem veriſſimum eſt: licet enim corripiens acriter initio videatur diſplicere, tamen cum correptus ad ſe redit, & ſapiens fit, cognoſcens emolumenta correptionis, quæ inde reportat, ſuum monitorem gratia, & benevolentia complectitur: qui verò delictis connivendo adblanditur, quamvis initio placere, & genio inſervire videatur, tamen cum damna, & detrimenta aſſentationis experitur, aſſentatorem ſuum odio habet: Ex quo patet, quòd prudens non odit medentem, imò diligit, & ſuſtinet corripientem: ſtultus è contra murmurat contra diſciplinam. *Op. Eccleſ. Hier. p.3. c.1.* Hocque quàm verum ſit, patet experientiâ: nam videmus homines, qui dum recordantur correptionem à magiſtris, & parentibus habitam, quibus educati ſunt à pueritia benedicunt corripientes; & è contra obloquuntur, & murmurant de iis, qui in educatione ſua defecerunt, eos ſæpe advocantes ad judicium Dei tanquam cauſas, & inſtrumenta principalia ſuæ ruinæ.

826. *Filius parentes deſpiciens, & inhonorans, eorumque bona conſummans, ut homicida à Deo punitur.*

Qui ſubtrahit aliquid à patre, & à matre, & dicit hoc non eſſe peccatum, particeps eſt homicidæ. Quid eſt ſubtrahere à patre, & à matre aliquid? hoc eſt vel diripere bona patris, & matris ad ſimilitudinem filii prodigi, qui vivendo luxurioſè cum meretricibus, conſumpſit bona paterna: Vel potius eſt deſerere parentes poſitos in gravi neceſſitate: Iſti Deum graviſſimè offendunt, & ab ipſo Deo graviſſimè punientur tanquam homicidæ, vel raptores; ſicut evenit cuidam ingratiſſimo filio, qui ditior ex bonis à patre acquiſitis factus, ipſe cum viveret lautè, & oppiparè

oppiparè, patrem ſuum fame dira torquere permittebat, imò à convivio expellebat; & Deus permiſit, quod capo mutaretur in buffonem, & in faciem filii ſe projiceret, & tanta vi in ipſam adhæreret, quod nemo quacumque arte potuit ab ipſa buffonem amovere, & tandem poſt vitam infeliciſſimè ductam in hac miſeria, mala morte vitam finivit. *Op. de decem præceptis ſer. 5. Vide in Luc. c. 15.* de filio prodigo à Deo caſtigato ob ſimile flagitium: hocque attendant filii ingratiſſimi in ſuos parentes.

827. *Confidens in divitiis, & honoribus, ruinas, & lites invenit: qui in Deum, gratiam, & gloriam acquirit.*

Qui ſe jactat, & dilatat, iurgia concitat: qui verò ſperat in Domino ſanabitur. Ecce quid ſacer textus opponit nimiæ confidentiæ ſuperborum, & avarorum, nempe confidentiam juſtorum in Domino: nam qui confidit in honoribus & divitiis, qui ſe jactat, ideſt auram popularem captare contendit vana opum oſtentatione; iſte aliud non inveniet, niſi vanitatem, imò lites, jurgia, & inimicitias: è contra, qui in Domino ſpem ſuam collocat, & in ipſo ſolo confidit, ipſe inveniet gratiam, & gloriam. *Op. Comp. Theol. l. 5. c. 21. in Eccleſ. proœm.*

828. *Nimia confidentia in propriis viribus præcipitium parat: qui ſapienter incedit evitat omne periculum.*

Qui confidit in corde ſuo ſtultus eſt: qui autem graditur ſapienter ſalvabitur. Quis eſt iſte, qui confidit in corde ſuo? ſed hoc petendum à D. Petro, qui ſuo damno ſpirituali hanc in praxim veritatem totum mundum edocuit: quia enim de ſe ipſo nimis præſumebat, ideò in trinam negationem ſtultè cecidit. Cave igitur ô homo à præſumptione, & nimia confidentia in te ipſo; ſed in Deo ſolo fiduciam tuam colloca; ſic enim ſapienter incedes, & omne periculum evitabis *In Luc. c. 22. v. 34.*

829. *Eleemoſyna divitias parat, avaritia egeſtatem, & penuriam.*

Qui dat pauperi, non indigebit, qui deſpicit deprecantem, ſuſtinebit egeſtatem, & penuriam. Ecce quod Deus aſſignat modum hominibus divitias parandi, & modum item, quo quærit, & invenit penuriam, & egeſtatem, & quod mirum eſt id evenit modis omnimodè contrariis: nam erogatione rerum temporalium pauperibus ſubveniendo promittit Deus divitias, & abundantiam; tenacitati autem, & avaritiæ, egeſtatem & penuriam, quod patet in divite damnato, qui ad tantam egeſtatem redactus eſt in inferno, ut guttam aquæ à Lazaro poſtulatam nullo modo potuerit obtinere. *In Luc. cap. 16. verſ. 24.*

CAP. XXIX.

830. *Lingua canum ſanat vulnera: lingua ſerpentum vulnerat.*

VIRO, *qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus ſuperveniet interitus, & eum ſanitas non ſequetur.* Nota hanc ultimam particulam (& eum ſanitas non ſequetur) ubi patet, quod loquitur, de eo, qui infirmus eſt, vel vulneratus; & ſi talis eſt, quomodò mederi, & curari poterit? & ſi curationem contemnit, quid inde ſequetur? Ecce quid dicit ſapiens: Vir, qui ita vulneratus eſt, ſi vult curari, debet correptiones audire, & amplecti; nempe linguâ canum ſinat ſibi lambere vulnera: canes autem iſti ſunt Doctores, & Prælati, qui corripiendo vitia, & amplexantes correctiones linguâ ſuâ curant omnia vulnera: & undè hæc vulnera inflicta? per linguas ſerpentum, perverſorum, & peccatorum: Unde ſequitur, quod correptiones iſtas contemnens, nec ſanabitur, nec ſalvabitur, & ei repentinus ſuperveniet interitus: ô felix, qui cum Lazaro ſuſtinet linguam canum, & linguam ſerpentum evitat. *Ser. 3. Dom. 2. poſt oct. Epiph. & op. de Eccleſ. Hier. p. 3. c. 1.*

831. *Quàm neceſſaria ſit correptio in Republica chriſtiana.*

Viro, qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus ſuperveniet interitus, & eum ſanitas non ſequetur. Cur tam ardenter Spiritus ſanctus, & frequenter inculcat, & præcipit correptiones, & correctiones in ſua Eccleſia, vultque ut acceptentur à ſubditis? Nonne unuſquiſque poteſt corripi à propria conſcientia? Nota cum quali providentia infinita Deus diſpoſuit, ut majores minoribus præeſſent, & iſtos corriperent: quia enim peccatum ſemper trahit ad deterius, & una febris præbet incentivum ſæpe alteri graviori, & vulnus aliquandò generat fiſtulam, niſi medicorum præcaveatur ſolertia: Ita qui labitur in culpam difficulter per ſe corripitur, nec corrigitur, niſi fortioris auxilio fulciatur. propter hoc vult Deus minoribus majores præeſſe, ut ſi ceciderint in peccatum, vel in aliquo negligentes fuerint, & incauti per eorum admonitiones, correptiones, & caſtigationes emendentur, quia ſi arbitrio ſuo relinquerentur, fortè nec reatum ſuum agnoſcerent, vel torpentes diutiùs in cæno volutarentur, vel profundius mergerentur. Neceſſe ergo eſt, eos correptori, & Prælato humiliter eſſe ſubditos, quia niſi medico quis obedienter obtemperet, non poterit ab infirmitate vitiorum ſanari. *Op. de ſex alis ſeraph. c. 2. & Op. Eccleſ. Hier. p. 4. c. 5.* Patet igitur quàm neceſſaria & utilis ſit correptio Prælatorum in Republica chriſtiana.

832. *Prælatorum negligentia in corrigendo malos quàm pernitioſa.*

Viro, qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus ſuperveniet interitus. Nota, quod aliqui Doctores intelligunt hunc Textum de Prælato, qui vitia corripere negligit, & legunt ex hebræo: Vir correptionum indurans cervicem, ſcilicet, qui negligit increpare vitia aliorum, & propria emendare &c. docent, quod talis ſubjacet repentino interitui: & meritò; nam Prælatorum obligatio graviſſima eſt malos punire ſtimulis admonitionum, correctionum, confuſionum, & caſtigationum, ungere etiam fomentis exhortationum, conſolationum, orationum, & promiſſionum, ſi forte convaleſcant de infirmitate, & fortes fiant: & Prælatus Vicarius Dei, ſi non corrigit delinquentes, ſi permittit ſub ſe vitia creſcere, & conſuetudines malas oriri, & jam exortas roborari, & dilatari, ſi videt regulares obſervantias dilabi, & tranſgreſſiones multiplicari, & pro poſſe non obviat tam præſentibus, quàm imminentibus, triplicem Deo reddet rationem: primò pro ſua negligentia, quando non fecit, ad quod tenebatur officium: ſecundò, quia omnia ſubditorum peccata, quæ debuerat, & poterat præcaviſſe, & correxiſſe ei imputabuntur: Tertiò pro abuſione honoris, & poteſtatis ſibi collatæ, quam ad propriam gloriam, & commodum retorſit, & non ad quod data eſt ei: Ideò duriſſimum judicium contra iſtos fiet. *Op. de ſex alis ſeraph. c. 3. & Phar. l. 3. c. 35. & Eccleſ. Hier. p. 2. c. 1 ſeq. & p. 4. c. 3.*

833. *Ex bonitate Prælatorum, & Principum quanta utilitas, & lætitia in ſubditis; & ex malitia quanta pernicies.*

In multiplicatione juſtorum lætabitur vulgus: cum impii ſumpſerint principatum, gemet populus. Nota quod in his verbis (ut dicunt expoſitores) Salomon docet, quod ex bona electione boni Principis, & Prælati dependet lætitia profectus, & utilitas omnis in ſubditis, & populis: E contra ex mala electione mali Principis, & Prælati, conſequenter gemitus, & infinita mala redundant in populos, quod veriſſimum eſt. Nam Prælati ſunt Cœli myſtici, ex quibus promanant omnes influentiæ vel bonæ, & proficuæ, vel malæ, & noxiæ in ſubditos. *Op. Eccleſ. Hier. p. 2. c. 3. & p. 4. c. 3. & ſer. 3. Dom. 15. poſt Pentec. & ſer. 1. Dom. 16. & ſer. 1. Dom. 24. poſt Pent.*

834. *Filius ſapiens lætificat patrem: ſtultus, & prodigus, luxurioſuſque perdit ſubſtantiam, & vitam, & honorem.*

Vir, qui amat ſapientiam, lætificat patrem ſuum, qui autem nutrit ſcorta perdit ſubſtantiam. Adverte, quod hîc loquitur Salomon de filiis probis, & impiis; anthiteſimque ponit inter ſapientem, & prodigum: nam ſapiens virtutes ſectatur, & ſic honor, & lætitia eſt patri: at prodigus vivens luxurioſè, è contra perdit ſubſtantiam: quam ſubſtantiam? ſcilicet non ſolùm bona temporalia, ſed & honorem, & vitam corporalem; nam luxuria, crapula, & ebrietas inficiunt & animam, & corpus. *In Luc. c. 15. v. 13.*

835. *Adulatio, & doloſitas in verbis eſt rete ad capiendum & decipiendum proximum.*

Homo qui blandis, fictiſque ſermonibus loquitur amico ſuo rete expandit pedibus eius. Quaſi dicat cave ab adulatoribus, & doloſis, quia ſub ſpecie amicitiæ blandis, ſed doloſis verbis rete pedibus tuis expandent ad decipiendum te. *In Ioan. c. 21. v. 8.*

836. Qui nimis curioſè rerum cognitionem quærit, in laqueos deceptionis ſæpè incurrit: Unde hîc dicitur, peccantem virum iniquum, ſcilicet peccantem in curioſitate, involvet laqueus. *Pſal. 118. c. 7. v. 14.*

837. *Peccatum eſt vinculum ligans peccatorem: gratia liberum facit.*

Peccantem virum iniquum involuit laqueus: & juſtus laudabit, atque gaudebit. Vide quomodò peccatum eſt laqueus, quo peccator peccans ligatur, ligatur, inquam, pedibus per pravum affectum, manibus per iniquum tactum, collo per nocivum verbum, linguâ per indebitum ſilentium; ſicque ligatus à diabolo trahitur ad patibulum inferni: Juſtus autem tanquam liber ab iſtis vinculis gaudet, & exultat. *Ser. 3. Dom. 11. poſt Pent.*

838. *Pauperum clamor aſcendit ad Deum contra impios iudices, & crudeles divites.*

Novit juſtus cauſam pauperum, impius ignorat ſcientiam, homines peſtilentes diſſipant civitatem, ſapientes verò avertunt furorem. In his verbis aſſignat Salomon diſcrimen inter Judices juſtos, & iniquos: juſti enim cognoſcunt cauſam pauperum: ſed quid in cauſis pauperum agnoſcunt? Agnoſcunt, quod Dominus audit clamores pauperum, & ideò iniquos Judices rigidè punit; non ſic iniquus Judex, ideo contra pauperes crudelis eſt; ſic & dives iniquus, contra quos Deus fulminat iram ſuam. *In Luc. cap. 16. verſ. 1.*

839. *Principum iniquorum ſtatus peſſimus expenditur.*

Princeps qui libenter audit verba mendacii, omnes miniſtros habet impios. Nota, quod hîc innuitur peſſimus ſtatus Principis iniqui; non ſolùm ex eo quod injuſtus eſt, ſed maximè ex malorum hominum adhærentia, & ex indecentia familiæ: quia enim adulatoribus apertas continuè habet aures, ideò impiorum miniſtrorum curia impletur. Sanum igitur conſilium eſt, quod de facili non adhibeat fidem, quando ſiniſtra, vel detractoria verba ei dicuntur de ſubdito, quia qui citò credit, levis eſt corde. *Op. Eccleſ. Hier. p. 1. cap. 4.*

840. Correp

840. *Correptio filiorum quàm neceſſaria: Ubi moraliter agitur de ſubtractione conſolationum ſpiritualium à Deo tyrannibus immiſſa.*

Virga, atque correptio tribuit ſapientiam: puer autem, qui dimittitur voluntati ſuæ, confundit matrem ſuam: confundit parentes, legunt ſeptuaginta. Salomō hic inculcat parentibus correctionem filiorum, eo quod correctio & correptio eos ſapientes, ſcilicet bonos reddit: & quia ſi dimittuntur volūtati ſuæ, quia concupiſcentia in eis maximè viget, ſic confundent ignominiâ, dolore, & afflictionibus parentes: puniendi ergo ſunt à parentibus filii inobedientes, pervicaces, loquaces, blaſphemi, quia peccata, quæ committuntur ab ipſis patribus imputantur. *Ser. 1. Dom. 24. poſt Pent. ſerm. 1. de SS. Phil. & Luc. In Luc. c. 18. v. 16.* Nota etiam, quod hic textus poteſt ſpiritualiter trahi ad Tyrones in Dei ſervitio, qui ſunt veluti pueri; hos quidem Deus replet lacte conſolationum in principio, ne deficiant in via Dei in tentationibus occurrentibus; ſed tamen poſtea Deus eis ſubtrahit tales conſolationes, ne in elationem verſi, in ſuperbiam incidant: ſicque ut bonus pater eos veluti virga ariditatis probat, ut magis confirmentur in ſtudio humilitatis, & ſecurius proficiant. *Op. de prof. relig. l. 4. c. 1.*

841. *Antichriſti tempore lectio, & prædicatio Sacræ ſcripturæ deficiet in maximam perniciem hominum.*

Cum defecerit prophetia, diſſipabitur populus: qui verò cuſtodit legem beatus eſt. Cum defecerit prophetia, ſcilicet expoſitio, lectio, & prædicatio divini verbi, quod erit maximè tempore Antichriſti: tunc enim liber Sacræ ſapientiæ, qui modò omnibus eſt apertus, erit omnibus obvolutus, & clauſus, & tunc montes, & inſulæ movebuntur, quia tam Prælati, quàm ſubditi, tam contemplativi, quàm activi, qui voluerint eſſe ſtabiles in fide, & in lege Dei permanere iniquitatem perſecutionis, dæmonis, & Antichriſti cum ſuis fugere compellentur: & hinc addit, qui verò cuſtodit legem beatus, quia in tanta penuria verbi Dei cuſtodire legem Dei, eſt maximum ſignum prædeſtinationis, & beatitudinis. *Op. Eccleſ. Hier. p. 4. c. 5. Pſal. 118. c. 3. v. 2. & c. 7. v. 5.* Ex hoc poteſt rectè inferri, quàm neceſſaria ſit in Eccleſia prædicatio Sacræ ſcripturæ, & quàm grave malum ſit privatio ipſius, cum enumeretur inter majores perſecutiones Eccleſiæ tempore Antichriſti.

842. *Servi à Dominis qualiter tractandi, quando ſunt contumaces: ubi de ſenſualitate quomodo à ratione ſubjuganda.*

Servus non poteſt verbis erudiri: quod dicis intelligit, & reſpondere contemnit. Nota, quod hīc etiam Salomon dirigit, & docet Dominos ſervos habentes qualiter ipſos tractare debent dum ſunt contumaces: nempe quia nec verbis, nec deliciis, nec minis, nec præceptis & dominiis emolliuntur, ideò ſeverè puniendi ad ipſorum correptionem. Poteſt hoc etiam exponi de parte ſenſuali, quæ eſt inferior; hæc enim debet durè tractari pœnis, mortificationibus, cum nunquam poſſit alio modo emolliri. *Pſal. 118. cap. 9. verſ. 7.*

843. *Corpus, & ſenſualitas, tanquam captiva captivanda, & ſubiicienda rationi, flagellis, & mortificationibus.*

Qui delicatè à pueritia nutrit ſervum, poſtea ſentiet eum contumacem. Adverte, quòd hæc verba potius ad ſenſum allegoricum trahenda ſunt, quia quoad litteralem non verificantur univerſaliter de omnibus ſervis; ſed ſpiritualiter de corpore, carne, & ſenſualitate, quæ à Deo collocata ſunt in nobis, ut rationi ſubjicerentur tanquam Dominæ: Niſi enim homo corpus, & ſenſualitatem jugiter mortificet, duos inimicos contra ſe habebit, nempe concupiſcentiam originalem carnis, & incitamenta per delicias, & voluptates ſuperadditas, & ſic periclitabitur continentia: mortificatio ergo aſſumatur à ſervis Dei, ut ſubjiciatur caro ſpiritui, & ſenſualitas rationi. *Op. de prof. religioſ. l. 1. c. 39. & l. 4. d. 15. p. 2. a. 2. & op. Comp. Theol. l. 3. c. 20. in Luc. c. 16. v. 3.*

844. *Novitii Religioſi inſtruantur in palæſtra religionis.*

Qui delicatè à pueritia nutrit ſervum, poſtea ſentiet eum contumacem. Notent hoc novitii & Tyrones religioſi, qui ſi in ſtudio perfectionis in primo ingreſſu non arripuerint opera pœnalia, & mortificationem carnis, corporis, & ſenſualitatis, ſentient ipſam contumacem, & ipſi in pigritia ſordeſcent, & ad peccata, præcipuéque carnalia, proclivitatem maximam ſentient; quia ex conſuetudine otii homo mollis, & piger efficitur, ut nihil vellet pati, vel facere, niſi quod libet. E contra fidelis ſervus ità debet habilitare ſemetipſum & manſueſcere ſicut joculator catulum ſuum, ut ſtatim cum jubetur ſaltet de lecto ad orationes nocturnas, & quaſi ad nutum rationis ſit promptus ad quæque exercitia ſpiritualia, quæ vel obedientiā juſſerit, vel charitas fraterna requiſierit, vel devotionis ſtudio, exercitioque virtutum aliarum apta ſunt. *Op. de prof. religioſ. l. 2. c. 14. & op. Comp. Theol. l. 3. c. 20.*

845. *Tentatione Deus humiliat ſervos ſuos.*

Qui delicatè nutrit ſervum ſuum à pueritia, poſtea ſentiet eum contumacem. Nota, quod Deus eſt qui tradit nobis hanc doctrinam, & eam nobiſcum etiam in praxi exercet: Videns enim plures ex ſuis ſervis, maximè Tyronibus, quos delicatè in initio vitæ ſpiritualis nutrit conſiderationibus ſpiritualibus, ut alliciantur ad perfectiora, ex tali influentia in elationem inſurgere, eos ariditatibus, & tentationibus probet, ut cognoſcant quid ſunt ex ſeipſis, ſicque coram Deo humilientur etiam in ipſis bonis operibus, & ſic magis ſecuri incedant. *Op. de prof. religioſ. l. 2. c. 1.*

846. *Ira omnium vitiorum janua.*

Vir iracundus procurat rixas , & qui ad indignandum facilis eſt , erit ad peccandum proclivior. Vide quomodò hic Spiritus ſanctus iræ qualitates deſcribit , dum docet , ipſam eſſe originem, & januam rixarum , & jurgiorum , aliorumque malorum. Ira enim provocat rixas cum proximo , affert cæcitatem quoad veritatem diſcernendam in rationali, affert & malignitatis invidiam quantum ad iraſcibilem ex defectu charitatis fraternæ ; item & furorem quantùm ad concupiſcibilem contra proximum : Unde poteſt verè dici janua omnium vitiorum , qua clauſa , & expulſa virtutibus intrinſecùs datur requies, & aperta ad omne facinus armatur , ob id iracundus non homo , ſed potius fera furibunda dicendus eſt , quia ad modum ferarum eſt ſine miſericordia ſugens ſanguinem aliorum. *Ser.1.Dom.5. poſt Pent.in Luc.c.13.v.14.& c.15.v 28.*

847. *Superbia deprimit exaltando : humilitas deprimendo exaltat : Ubi de humilitate Beatæ Virginis.*

Superbum ſequitur humilitas , & humilem ſpiritu ſuſcipiet gloria. O quàm hoc eſt verum : Deus enim qui in altis habitat humilia , & non alta reſpicit , & experit : Unde qui ſe in altum vult exaltare , Deus ipſum deprimit in profundo , ut fecit cum Lucifero , qui non conſideravit de nihilo factum , ſed aſpiciens ſuum decorem , ſe extulit in ſuperbiam , & hinc dejectus eſt de ſede nobilitatis ſuæ in locum , & ſtatum extremæ vilitatis : Et e contra , qui ſe coram Deo humiliat , ipſum recognoſcens auctorem omnium bonorum , & ſeipſum indignum omni bono , ipſe à Deo exaltabitur : ſic evenit Beatiſſimæ Virgini Mariæ , quæ propter humilitatem profundiſſimam , ad maternitatem Dei evecta eſt. *Op. de perf.vitæ c.2. in Luc. c.14. v.10. & c.16. v.23. & c.18.v.14. & Pſal.118.c.6.v.12. & ſer.3.Dom.16. poſt Pent.*

848. *Qui magis timet homines,quàm Deum, cito corruet : qui ſperat in Domino nihil pavebit.*

Hoc veriſſimum eſt : nam qui magis timet homines,quàm Deum,cor habet occupatum à vana complacentia auræ popularis amoris ; & quia talis timor eſt cum Dei offenſa,hinc juſto Dei judicio ſua ſpe fraudabitur : Exemplum patens eſt in Pilato , qui ne populum Judaicum contrarium haberet , ne Cæſaris offenſam incurreret , contra Chriſtum iniquiſſimam protulit ſententiam, & excidium totale incurrit : ergo in ſolo Deo fidendum, qui in ſe ſperantes protegit, & defendit ab omni malo. *In Luc.c.5.v.16.,& c.20. v.19. & c.23.v.25.*

849. *Verbum Dei recipiens.& cuſtodiens ſecurus eſt à perditione:*ſic dicitur hic.*Verbum cuſtodiens filius extra perditionem erit:*hoc enim eſt maximum ſignum prædeſtinationis *Pſal.118.c.4.v.15.*

850. *Verboſus ſubjectus peccatis : parcus in verbis immunis à peccatis.* Unde hic dicitur : *Verbum cuſtodiens extra perditionem erit :* Verbum verò cuſtodit : nota autem , quod dicit Verbum , non Verba, quia paucis, contentus erit : ſciens, quod in multiloqoio non deerit peccatum. *Pſal. 118. cap.3.v.10.*

CAPUT XXX.

851. *Qui facilis eſt ad multiloquium , eſt facilis ad vomitum , & nauſeam aliis generant.*

V*ERBA congregantis filii vomentis, viſio quam locutus eſt vir cum quo eſt Deus,& qui Deo ſecum morante confortatus,ait.* Supponendum hic, quod ſacri Expoſitores inter ſe multùm diſcordes ſunt circa ſenſum horum verborum : nam aliqui in bonum ſenſum hæc verba à Salomone prolata volunt , nempe quatenus ſapientiam , quam paſſim à Deo , paſſim uſu , & experientia adquiſierat ſimul congeſſit in unum librum, & eam in convivio veluti per vomitum , ſcilicet licitum, & virtuoſum aliis expreſſit , quia verbum bonum animo conceptum ſupprimere non potuit, ſed veluti cibus indecoctus in ſtumacho ructus ciet , & odore ſuo ſe ſe ipſe prodit : ſic etiam ea, quæ à divino Spiritu hauſit , opprimi ſe , atque celari non permittunt , ſed pro ructibus verba movent , atque invitum ſ ti cogunt : & ſic David dicebat eructavit cor meum verbum bonum , &c. Alii in malam partem : quaſi diceret, quod ea , quæ à divino Spiritu receperat , per vomitum effudit , admittens peccatum idololatriæ , aliaque ſcelera : qui ſenſus poteſt etiam applicari iis , qui multos conceptus in mente congeſtos , & congregatos habuerat , eoſque per multiloquium voment , & ſic indigeſtos , & pernicioſos ſermones evomunt , quia in multiloquio non deeſt peccatum ; loquaces enim facilè exeunt in verba fœtida,& pernirioſa.*Pſal.118. c.3.v.10.*

852. *Humilitas ſervetur à doctis quantumcumque , & omnium ſcientiarum peritis.*

Stultiſſimus ſum virorum , & ſapientia hominum non eſt mecum : non didici ſapientiam.& non novi ſcientiam ſanctorum. Vide quomodò Salomon quantumcumque doctus , ſe ignarum , & ſtultiſſimum omnium recognoſcit , quia retinens ſe in humilitate , & demiſſione animi , ſolùm à Deo omnem ſcientiam recognoſcebat ; ſciens, quòd non ſcientia humana,ſed ſcientia,& doctrina Chriſti reddit hominem doctum:hinc dicebat, ſtultiſſimus ſum omnium virorum : Cur ? quia non didicerat ſcientiam ſanctorum à ſe , ſed tantùm gratiâ, & infuſione divina. Non ergo ſuperbiat homo de quacumque ſcientia, ſed potius ſe humiliet coram Deo , & ab ipſo receptam recognoſcat : nam qui ſuperbit de ſcientia,quæ à ſolo Deo eſt , ſimilis eſt Corniculæ (ut in fabulis Eſopi fertur) quæ gloriabatur de pennis aliarum avium , ſed dum quælibet avis ſuas ſubtraxit ab ea , penitus nuda remanſit , & omnis gloria ejus in ignominiam converſa eſt : ſic &

iſti

iſti indncti in die judicii cum divinis nudati appareant ſcientiis, non babebunt, unde valeant gloriari, quia ſolis peccatis, quæ propriè ſua ſunt, tunc invenientur ornati, ſeu potius fœdati. *Ser.1.de S. Marco.*

853. *Sapientia mundana ſtultum reddit hominem, divina, & chriſtiana ſapientem, & doctum.*

Stultiſſimus ſum virorum, & ſapientia bominum non eſt mecum: non didici ſapientiam, & non novi ſcientiam juſtorum. Quomodò id dicere poterat Salomon? quomodò ſtultiſſimus? ſed notanda ſunt verba ſequentia: quia ſapientia humana, & ſcientia juſtorum non eſt mecum, ſcilicet nec ſapientia acquiſita, nec infuſa ex me, & meis viribus, ſed totum, quod habeo, & totum, quod eſt in me ſtultitia eſt, & inſipientia: & quia quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus, & è converſo, quod ſapientiæ eſt apud Deum, ſtultum eſt bominibus: hinc verum remanet, quod ſapientia mundana reddit ſtultum apud Deum hominem, & ſapientia chriſtiana reddit ſapientem: idque eſt quod in ſe expertus eſt Chriſtus, qui voluit reputari ut ſtultus in paſſione, & crucifixione, ut noſtram ſtultitiam deleret, & ut nos ad veram ſapientiam chriſtianam exaltaret. *Ser. 2. Hexam. In Ioan. cap.7. verſ.15.*

854. *Prophetia de Chriſti adventu expenditur facta à Salomone, ubi de ſe in ipſum.*

Quis aſcendit in cœlum, atque deſcendit? qui continnit ſpiritum in manibus ſuis? quis colligavit aquas quaſi in veſtimento? quis ſuſcitavit omnes terminos terræ? quod nomen ejus, & quod nomen filii ejus, ſi noſti? Nota, quod poſtquam Salomon tradidit, quod ſapientia cœleſtis eſt ſtultitia mundana, ſuperaddit ſimilem doctrinam propheticam de Chriſti adventu per varia ænigmata, dicens, quod ſolus Chriſtus aſcendit in cœlum poſt reſurrectionem, & deſcendet ad judicium in fine, quod in ſua ſolius poteſtate ſtat omnis Spiritus angelicus, bumanus, & animalis, & aliarum creaturarum; quod ipſe ſolus habeat poteſtatem deponendi animam in morte, & iterum ipſam reaſſumendi in reſurrectione, quod in ſua poteſtate ſtant omnia, &c. ſic ſacri expoſitores, Ugo, & alii. Moraliter autem quis dicitur aſcendere in cœlum Sacræ ſcripturæ, & deſcendere ad alias ſcientias, & hoc per virtutem doctrinæ, & ſapientiæ cœleſtis: quis dicitur continere Spiritum ſuum, ſcilicet poſſidere animam ſuam per fidem, & ſpem in Deum: quis dicitur colligare aquas ad libitum, nempe cogitationes ſuas in Deum: quis ſuſcitare terminos terræ, nimirum ſuſcitari poterit de morte ad vitam, & tandem gloriam aſcendere, nempe mediante juſtitia: quis nomen, magnaliaque Dei poterit cognoſcere? niſi qui hanc ſapientiam cœleſtem acquiſierit? *Sic Ugo: S.Benavent. Pſal.118.c.7.v.13.*

855. *Sermo, & verbum Dei eſt clypeus ignitus illuminans, accendens, & defendens, & operans mirabiliter in anima.*

Sermo Dei ignitus clypeus eſt omnibus ſperantibus in ſe. Vide & nota mirabilia verbi Dei: eſt enim ignis illuminans rationalem per intelligentiam fidei: inflammat concupiſcibilem per benevolentiã charitatis Chriſti ad modum ignis, ne tepeſcat interiùs per puſillanimitatem timoris, & ad modum clypei protegit totum corpus, ne lædatur exterius diabolica tentatione, & deinde roborat iraſcibilem per perſeverantiam longanimitatis ſpei: ſicque per fidem promovet animam ad ſervandum divinum ſermonem cum puritate conſcientiæ in contemnendo mundum, & per charitatem promovet ad diligendum Deum ſuper omnia, & per ſpem ad tolerandum adverſa, & ad perſeverandum in bonorum operum multiplicatione: Ecce qualia mirabilia operatur Dei ſermo in anima. *Ser.3.Dom.paſſion. Pſal.118 c.3.v.10.In ſap.c.18.*

856. *Chriſtus per ſacram ſcripturam ſe defendit à tentationibus Diaboli ad noſtram inſtructionem.*

Sermo divinus ignitus clypeus eſt omnibus ſperantibus in ſe. Quàm id ſit verum Chriſtus ſuo exemplo oſtendit dum ſe defendit, & retundit tali medio omnes Diaboli tentationes, & ideo in verbo Dei, & ſacra ſcriptura celavit ſuam ſapientiam, occultavit potentiam, & conſervat juſtitiam; & ſic omnia tela nequiſſimi ignea extinxit; docens nos quomodò poſſimus reſiſtere tentationibus diabolicis; & qualem virtutem babeant verba ſacræ ſcripturæ contra Diabolum. *In Luc.c.4.v.4.*

857. *Meditatio gloriæ à Deo promiſſæ quàm efficax ad promovendum ad bonum.*

Sermo Dei ignitus clypeus eſt omnibus ſperantibus in ſe. Ergo tantùm ſperantes in Deum participes ſunt tot effectuum ſermonis Dei: ſcilicet ſolis ſperantibus ſermo Dei ignis eſt, & clypeus: qui ſunt iſti ſperantes? illi ſunt, qui ſpem habent, nempe qui ſperant remunerationem bonorum in vita æterna: Iſtis igitur meditatio gloriæ, quæ ſperatur, & in ſacra ſcriptura promittitur, ignis eſt accendens, & illuminans animam, ipſam fortificans contra omnia pericula, & adverſa. *In Luc.c.12.v.49.*

858. *Nihil addendum eſt ex proprio cerebro, vel interponendum, vel detrahendum vaticiniis divinis, vel verbis ſcripturæ, vel iis, quæ poſuit Deus; & docuit pro noſtra inſtructione, & ſalute &c. Sic docet ſacer textus dicens, Ne addas quidquam verbis illius, ne arguaris, inveniariſque mendax. In Ecclen.c.3. In Luc.c.4.v.11.* Hoc monitum præcipuè ad Concionatores dirigitur, ne quidquam falſi, vel proprio cerebro ementiri, fictique addant ſuis ſermonibus, ſed omnia ſint fundata in ſacra ſcriptura, ſacris Conciliis, & dictis ſanctorum Patrum. *Op.princ.ſac.ſcrip.*

859. *Pauper*

859. *Paupertas involuntaria quàm periculoſa. abundantia item divitiarum.*

Duo rogavi te, ne deneges mihi, antequam moriar: divitias, & mendicitatem ne dederis mihi, ſed tantùm victui meo tribue neceſſaria, ne forte ſatiatus illiciar ad negandum, & dicam quis eſt Dominus? aut neceſſitate compulſus furer, aut perjurem nomen Dei mei. Ecce quid deſiderat ſapiens evitare; ſcilicet mendicitatem, ſive paupertatem involuntariam, quia talis paupertas eſt multùm periculoſa, & multos inducens ad furandum, & ad perjuria: Item & abundantiam rerum temporalium ob pericula gravia, in quibus vivunt, qui tanta opulentia fruuntur: petit ergo ſufficientiam, & moderationem ſui ſtatus, quæ poſſidet, quæ ſunt tantùm neceſſaria ad vivendum: ſed tamen per hoc non reprobatur paupertas voluntaria aſſumpta pro Chriſto; imò in hac petitione continetur, in qua neceſſaria victui à Deo dantur, & promittuntur. *Op.Comp. Theol.l.5.c.6. Op.de paup. Chriſti a.1. In Luc.c.6. v.32.*

860. *Filii degenerantes à bonitate Patrum, dicuntur maledicere Patri, & Matri.*

Generatio quæ Patri ſuo maledicit, & quæ matri ſuæ non benedicit &c. Quæ eſt hæc generatio? illa eſt, qua filii degenerantes à probitate patrum, & matrum, ſed malam, & peſſimam vitam agentes in omnia facinora ſe præcipitant: Iſti dicuntur maledicere patri, & matri: ſic fuit generatio Judæorum. *In Luc.c.11.v.29. & c.17.v.25 In Ioan.c.8.v.44.*

861. *Calumniatoribus, & exprobratoribus Deus facit eruere oculos à corvis, & ab Aquilis.*

Generatio cujus excelſi ſunt oculi, & palpebræ ejus in altum ſunt ſurrecta. &c. Nota, quòd hîc agit Salomon de calumniatoribus, & exprobratoribus proximi: ſignificatur enim hoc vitium per ſupercilium oculorum; iſtiſque infra opponit viam Aquilæ in Cœlo: datque intelligere, quod iſtis Deus facit eruere oculos per Aquilas, nempe ſuo juſto judicio opponit dilectores veritatis, qui eos confundant, & vituperentur. *Op.Apol.pauper.Reſp.4.c.2.*

862. *Impiorum proprium eſt perſequi innocentes verbis artibuſque malis.*

Generatio, quæ pro dentibus gladios habet, & commandit molaribus ſuis, ut comedat inopes de terra, & pauperes ex hominibus. Adverte hic quod dicit, nempè, quod generatio quædam invenitur quæ pro dentibus gladios habet: quænam eſt hæc generatio, & cujus proſapiæ? Generatio eſt proſapiæ Diaboli, continetque omnes impios; nam omnes maligni una generatio ſunt, una Civitas, unum corpus Diaboli: Iſti autem pro dentibus habent gladios &c. ideſt eorum proprium eſt perſequi pro viribus, & verbis malignis, & artibus, & omni conatu innocentes ſignificatos nomine pauperum: iſtos autem Deus odio habet. *Pſal. 118. c.11. v.1. & in Luc. c.11.v.51.*

863. *Gulæ filiæ ſunt ſanguiſugæ inſatiabiles.*

Sanguiſugæ ſunt duæ filiæ dicentes affer, affer &c. Quænam ſunt iſtæ duæ filiæ? & cujuſnam? Iſtæ filiæ ſunt gulæ, quæ eſt mater duarum filiarum inſatiabilium, ſuntque caſtrimargia, & ebrietas: Caſtrimargia dicitur à Caſtro & mergi, adeo quod omnia mergit in caſtro ventris, eſtque appetitus inſatiabilis cibi: Ebrietas vero quaſi extra briam; bria autem eſt idem quod calix, vel poculum, quia antiquitùs dabatur vinum ad menſuram; unde exceſſus in potu dicitur ebrietas: utraque eſt inſatiabilis, dicens affer cibum, affer vinum. *Op.Diat.tit.1.c.8.*

864. *Avaritia, & luxuria ſunt duæ ſanguiſugæ inſatiabiles.*

Sanguiſugæ ſunt duæ filiæ dicentes affer, affer. Nota etiam, quod concupiſcentia eſt animæ ſitis, quæ vix poteſt ſatiari, cujus duæ ſunt filiæ ſanguiſugæ: prima eſt avaritia, quæ inſatiabiliter inhiat ad divitias: Altera eſt luxuria inhiant ad voluptates, & neutra poteſt ſatiari, quia ſitibundus ſaccus eſt pertuſus, & ideo nunquam poteſt impleri. *Op.Diat.tit.3.c.8.* Alii ſacri Expoſitores hanc ſcripturam applicant etiam ad iram, quæ vindictam, & ſanguinem impenſè appetit, & nunquam expletur: ſicque ſanguiſugam, ſcilicet iram, & duas filias, avaritiam, & luxuriam tria numerant inſatiabilia. *Sic Chriſoſtom.*

865. *Iræ, avaritiæ, luxuriæ, & ſuperbiæ qualitas peſſima expenditur.*

Tria ſunt inſatiabilia, & quartum, quod nunquam dicit, ſufficit: Infernus, & os vulvæ, terra, quæ non ſatiatur aqua, ignis verò nunquam dicit, ſufficit. Nota, quod primo loco Salomon quatuor inſatiabilia proponit, & ipſa memorat metaphora Inferni, oris vulvæ, terræ, & ignis: quid eſt igitur, quod hîc intendit exprimere? Reſpondetur, quod nomine Inferni, vult exprimere iram, ſeu vindictam (ait Chriſoſtomus) quæ Inferno comparatur, quia veluti ignis Inferni urit, ſed non lucet, quia animum urit, & ſimul obſcurat, & ſemper torquetur abſque ulla quiete: Per os vulvæ intelligit luxuriam, quæ ut dictum eſt, eſt inſaturabilis: Per terram, avaritiam quæ numquam aqua divitiarum ſatiari poteſt: Per ignem, ambitionem, imò per ignem intelliguntur hæc omnia vitia ſignificata nomine unico cupiditatis, & concupiſcentiæ, quia urunt, accendunt, ſcilicet ſitim vitiorum, & inſaturabilem reddunt appetitum animæ. *L.a.prol. In Luc.c.14.v.6. Com. Theol. l.3. c.19. In Ecclem. cap.7.*

866. *Ignis divini amoris numquam dicit ſufficit.*

Nota etiam, quod in bonum ſumi poteſt hic textus, ita quod ignis accendens animam amore Dei inſatiabilis redditur: ſicut enim ignis

nun

non poteſt dari in materia combuſtibili quin ardeat, imò quantò plura ligna ipſi apponis; tantò in majorem flammam ſe erigit, & ex abundantia materiæ vires ſumit majores: ſic eſt ignis amoris Dei, ubi enim eſt, otioſus eſſe non poteſt, nec quieſcere, ſic & ſemper ad perfectiora in Deum, & proximum tendit. *Serm. 1. de S. Iacob.*

867. *Viri diligentiſſimè cuſtodiant uxores, filios, & filias.*

Tria ſunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro: viam Aquilæ in cœlo, colubri ſuper terram, navis in medio mari; & viam viri in adoleſcentia: talis eſt via mulieris adulteræ. Ad litteram Salomon portat in medium tria prima, nempe viam Aquilæ, &c. colubri, & navis tanquam difficilia captu, eo quod nullum ſui veſtigium relinquunt, in Aëre, petra, & aquis: & hinc ſubdit quartum, ſcilicet viam viri in adoleſcentia captu impoſſibilem: Cur inintelligibilem? nempe longè difficilius eſt mores, ingeniumque adoleſcentis dignoſcere, certoque deſtinare propter talis ætatis inſtabilitatem, conditionem, pericula accidentiaque varia continuè contingentia: Addit & quintam viam, ſcilicet adulteræ; quæ aſſueta malitiæ peſſimæ vitæ, talem viam peſſimam conatur uſque ad ſenectam ducere ſemper pejor effecta, &c. In quibus ſecundum communem Doctorum ſenſum Salomon intendit admonere patres, & curatores familiarum, ut ſedulam curam, cuſtodiamque gerant in educatione filiorum, & filiarum, præcipuè (nam textus Hebræus legit, viam viri in adoleſcentula, cum numquam deſint, qui eas ſeducere conantur) & oculos etiam habeant ad mores uxorum, ne in adulterium præcipitent, &c. *Sic Ianſen. Ugo, & alii.* Interim nos ad ſenſum allegoricum, & myſticum tranſeamus, cum Seraphico Doctore.

868. *Via dirigens ad perfectionem quadruplex oſtenditur, difficilis quidem de ſe, ſed per gratiam Dei facilis.*

Tria ſunt mihi difficilia &c. & quartum penitus ignoro &c. Nota quod hic quatuor viæ proponuntur à Spiritu ſancto valdè difficiles, ſed quarta omnium difficillima, quæ viæ ſunt illæ, quæ conducunt ad Chriſtum & ad beatam gloriam: prima via eſt viri in adoleſcentia, eſtque via converſionis à culpa ad gratiam, & à ſequela mundi ad ſequelam Chriſti: ſecunda eſt via navis in medio maris; nempe eſt via activorum, qui cum exercitio virtutum navigant per mare mundi periculis multis: Tertia via colubri ſuper terram eſt paſſionum & tribulationum; coluber enim pro ſalute capitis corpus exponit ad pericula: ſic & nos debemus exponere corpus paſſionibus, ut caput, ſcilicet Chriſtum teneamus: Quarta via eſt Aquilæ in cælo per viam contemplativam: ſunt quidem iſtæ viæ difficiles, ſed tamen auxilio gratiæ Dei ſunt pertranſibiles: nam in prima viâ Deus per juſtificationem illuminat: in ſecunda, per gratiam fortificat: in tertia conſolationem immittit: in quarta igne dilectionis accendit: Dicuntur etiam ignotæ, quia mundi amatoribus tales ſunt, & videntur impoſſibiles. *Ser. 4. Dom. 4. adv. & Eccleſ. Hier p. 4. c. 4.*

869. *Via mundi multiplex, tortuoſa, & fallax.*

Tria ſunt mihi difficilia, & quartum penitus ignoro &c. Nota quod ſicut via rerum hic propoſitarum, ſcilicet Aquilæ, navis, colubri, eſt varia tortuoſa, & cognitu difficilis, & multo magis via juventutis: ſic via mundi, carnis, & diaboli eſt multiplex, & tortuosa, & difficilis, & conducens ad perditionem: haſque vias Salomon profitetur ſe ignorare, quia ſolùm Deo duce poteſt homo rectâ incedere viâ, & tutè ad portum ſalutis perduci. *Ser. 2. de S. Ant. Patav. & in ſap. c. 5.*

870. *Myſterium Trinitatis, & Incarnationis ſoli Deo comprehenſibile.*

Tria ſunt mihi difficilia, quartum penitus ignoro. Nota, quod hæc tria difficilia cognitu etiam ſignificant myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis, quod eſt incomprehenſibile oculis creatis: quartum autem eſt via viri in adoleſcentia, legunt Doctores ex Hebræo; in quo indicatur myſterium Incarnationis Verbi in Maria Virgine, quod & eſt incomprehenſibile. *Op. comp. Theol. l. 1. c. 10. & Ugo Card. hic. &c.*

871. *Deus hominem dirigit per minima animalcula terræ.*

Quatuor ſunt minima terræ, & ipſa ſunt ſapientiora ſapientibus, formica, lepuſculus, locuſta, & ſtellio. Vide quàm Deus ſollicitus eſt noſtræ ſalutis, & benè: vult nos inſtruere, & docere etiam per minima animalcula, in quibus collocavit quemdam inſtinctum naturalem verè mirabilem, quomodò opera noſtra dirigere poſſimus ſecundum dictamen cæleſtis ſapientiæ: primoque loco proponit formicam, quæ ſibi præparat cibum in meſſe pro tempore hyemali; & hæc in ſua parvitate, edocet nos humilitatem ſectandam: in grano, quo paſcitur edocet nos honeſtatem in frumento ſignificatam: in coadjuvando ſocias edocet charitatem: in ſollicitudine prudentiam: in continua operatione fugam otioſitatis: in detruncatione granorum, ne putrescar, carnis afflictionem: in abſconſione granorum tempore imbris, & hyemis, fugam tentationum: in expoſitione granorum ſolis radiis, virtutem orationis: in quod portat pondus majus, quàm ipſa ſit, zelum compaſſionis ſecundum animalculum propoſitum à Deo, eſt lepuſculus collocans in petra cubile ſuum, ut ſit magis ſecurus, per quod nos edocet, confidentiam totalem collocandam eſſe in ſolo Chriſto, qui eſt petra: Tertium animal eſt ſtellio, lacertæ ſimile, quæ alas non habet; utiturque unguibus, ut ad faſtigia habitationum aſcendat, & ibi moretur, per quod laudatur diligentia, & ſollicitudo in operando, per quam ſuppleeur defectus naturæ: quartum animal eſt locuſta, quæ volat in altum, & ſtatim ad ima deſcendit; per quod edocemur, ut aſcendamus, & deſcendamus; aſcendamus per contemplationem ad Cœlum, & deſcendamus ſimul ad ima per conſiderationem

rationem propriæ fragilitatis. *Op. Dict.tit.5.c.4. In Ioan. collat.34.*

872. *Seraphici Patris ſancti Franciſci humilitas,& ſapientia cæleſtis deſignata in his quatuor animalibus.*

Quatuor ſunt minima terræ, & illa ſunt ſapientiora ſapientibus. Nota, quod cum ſanctus Pater Franciſcus fuerit inter omnes minimus, ac humillimus, poteſt ipſius humilitas, & ſapientia cæleſtis deſignari per iſta quatuor minima animalcula; ſcilicet per formicam, humilitas, & providentia in futurum: per lepuſculum, vehementia timoris Dei: per ſtellionem, qui manibus nititur, virtuoſa operatio: & per locuſtam, ſuſpenſiva contemplatio. *In Ioan. collat. 19.*

873. *Prælatorum qualitates enodantur.*

Tria ſunt, quæ bene gradiuntur, quartum incedit feliciter: Leo fortiſſimus beſtiarum, ad nullius pavebit occurſum: Gallus ſuccinctus lumbos ſuos, nec eſt Rex, qui reſiſtat ei. Notandum quod in hac parabola intendit exprimere qualitates Principis, Epiſcopi, & aliorum Prælatorum: nam in Leone fortitudo exprimitur: quæ fortiter aggreditur adverſa, & contra vitia reluctatur. *In Luc.c.6. v.14. Com. Theol.l.5.c.36. Ecclen.c.9.* In gallo præcincto,ſcilicet erecto temperantia: in ariete duce ovium, prudentia: in Rege, juſtitia, cui nemo poteſt reſiſtere.*Sic,& S.Gregor.*

874. *In Principe nimia ſeveritas reprehenditur.*

Qui vehementer emungit, elicit ſanguinem. Notanda ſunt hæc verba à Principibus, & Prælatis, quibus datur intelligi quod ſicut Paſtor, qui poſt lactis expreſſionem, iterum vult emungere, elicit ſanguinem: ſic Princeps, cum ſit Paſtor, debet elicere lac tributorum lentè, & dulciter, & mitè coercere ſubditos, alioquin eliciet ſanguinem, ſcilicet odium, inimicitias, & ſeditiones. *In Ecclen. c.7. & in Thren. c. 4. & Op.de ſex alis ſeraph.c.5. & 7.*

CAP. XXXI.

875. *Parentum, & matris præcipuè qualis obligatio in educatione filiorum.*

VERBA *Lamuelis Regis, viſio, qua erudivit eum mater ſua.* Nota, quod hæc verba ſunt Salomonis, qui ſe Lamuelem appellat; Lamuel autem interpretatur, Cum ipſo, vel in ipſo Deus: & profitetur ſe à matre ſua eruditum fuiſſe in multis; non ſolùm enim infuſa fuit ei ſapientia à Deo, ſed etiam in multis eruditus fuit à matre ſua, ut ſupra *cap.* 4. dictum eſt: ſicque patet quod Berſabea cum blanditiis etiam ſeria monita filio admiſcebat; & inter iſta monita ipſum vocabat Lamuelem, ſcilicet ſit tecum Deus: ut diſcant matres modum, quo blandiri debent filiis,& ut caveant eos Diabolo, ac diris imprecationibus devovere, ſed Deo ipſos aſſueſcant commendare, & monitis chriſtianis imbuere: non enim matris nomen meretur, quæ filios ſolùm generat, & poſtea immemor pietatis eos non aſſueſcit, & inſtruit in actibus, & moribus chriſtianæ pietatis veluti imolans eos diabolo. *In Ecclen. cap.1. & in Thren.c.2. ad finem ſer.2. fer.2. Pentecoſt. ſerm.2. Dom.5.poſt Pent.& ſer.3. Dom.13.poſt Pentec.*

876. *Idem confirmatur exemplo matris Salomonis.*

Ut autem pateat, Berſabeam fuiſſe exemplar perfectiſſimum perfectæ matris educantis ſecundum divinam voluntatem filios, ſubdit Salomon, ea, quæ in hac materia ſibi dicebat, dictabat, & faciebat: ſic Ipſa, quid dilecte mi, quid dilecte uteri mei, quid dilecte votorum meorum: ubi notandum, quod ter ipſum addubitando interrogat: ſcilicet quid à te petam, vel quodnam conſilium tibi dabo? Tu dilecte votorum meorum, nempe filios ex votorum, præcum, & orationum, tam ante partum, quàm poſt: ſubdit poſtea: Ne dederis mulieribus ſubſtantiam tuam, & divitias tuas ad delendos Reges: noli dare Regibus vinum, quia nollum ſecretum eſt ubi regnat ebrietas: hæc & alia monita dabat, ut ipſum averteret à luxuria, ab ebrietate, à diſcordiis, à crudelitate,&c. ut patet ad litteram in textu à numero primo ad nonum.

877. *Mulieris prudentis munus quale, & qualis ejus ſapientia.*

Mulierem fortem quis inveniet? procul, & de ultimis finibus pretium ejus. Notandum, quod in his laudibus, quas promit de muliere forti, & ſancta Salomon unicuique verſui præmittit unam litteram alphabeti hebraici procedens ordinatè ab Aleph, uſque ad noviſſimam: quare autem Salomon hoc fecerit eſt maxima controverſia inter ſacros Expoſitores: Aliqui enim dicunt, quod cum in dicto Alphabeto ſint viginti duæ litteræ, ſignificantur viginti duæ conditiones, quæ exiguntur in muliere forti, prudenti, & ſancta: Alii alias rationes adducunt, & illam præcipue quod littera præcedens ſit veluti argumentum myſteriorum, quæ enodantur in illo verſu, ut etiam *in Pſalmo* 118. practicatur, & in Thrænis. Secundò notandum, quod huic verſui præponitur littera Aleph, & ſequenti littera Beth: Aleph autem interpretatur doctrina, vel etiam mille, & Beth Domus: *Sic ſanctus Doctor in Thren.c.1.* ſignificatur ergo, quod mulieris fortis, & ſanctæ doctrina, & ſapientia debet eſſe circa cuſtodiam domus: hæc enim ad inſtar mille fœminarum omnes ſuperat virtute, quæ ſcit rectè diſponere, & gubernare domum, & res domeſticas: nam viri proprium eſt res extraneas tractare: mulieris munus eſt regere domum atque familiam. *Pſal.118.n.148. In Io.c.11. v.20.Vid.ſupra ad c.14.v.1.*

878. *Mulier*

878. *Mulier fortis quæ dicatur.*

Mulierem fortem quis inveniet : procul & de ultimis finibus pretium ejus. Ergone non poterit inveniri aliqua mulier fortis ? cum ſapiens talem invenire inter miracula reponat ? Nota quod hîc ſapiens tali modo valdè inuſitato, intendit etiam rem valdè notabilem exponere, & docere qualis ſit, vel debeat eſſe fortitudo mulieris : nempe in hoc, quod ſit non ſolùm provida, ut dictum eſt, ſed quod ſit pia, virilis, fidelis, & clemens, & quod non ſolùm contemnat mundum, ſed etiam, non timeat ignes, tortores, & tormenta pati pro Chriſto; & talis fuit illa, quæ *Luc.c.11.* extollit vocem, dicendo : Beatus Venter, qui te portavit, &c. tunc enim cum quidam ex timore tacerent, quidam ex ſuperbia blaſphemarent contra Chriſtum ; ipſa nec tacuit cum timidis, nec blaſphemavit cum tumidis, ſed fortis, & humilis alta voce Chriſtum laudavit : nam fides, & probitas fortitudinem ingerit cordi etiam fœmineo, & ſupra conditionem ſexus, ipſum exaltat. *In Luc. cap.11.v.27. & c.15. v.8. & ſerm.1. de S. Lucia Virg.*

879. *Mulier hæc ſignificat ſapientiam divinam, quæ tamquam bona mater pro nobis laboravit.*

Mulierem fortem quis inveniet ? Nota quod hæc mulier fortis eſt ſapientia divina : dicitur autem mulier, non ab infirmitate ſexus, ſed à pietate divini affectus, & miſericordiæ, ratione cujus Deus comparat ſuum affectum affectui materno : Unde cum ſapientia divina ſit potentiſſima, ſit ſapientiſſima, ſit providiſſima, ſit & clementiſſima datur intelligi per mulierem fortem : fortis quidem fuit, & provida, quia, ut dicitur *Luc.c.13.* Abſcondit in farinæ ſatis tribus fermentum ſcilicet tres differentias fidelium ; nempe Prælatos, bonos activos, & bonos contemplativos in farinam redactos inter duas molas, ſcilicet inter timorem, & ſpem, ut fierent unus panis, quem Chriſtus in ſuum corpus myſticum trajicit, & Chriſto unirentur : Vide igitur quantum laboraverit hæc mulier, nimirum divina ſapientia fortis & provida pro nobis ; verè enim fortis, & clementiſſima. *In Luc. c.13.v.21.& c.15.v.8.*

880. *Mulier fortis eſt Eccleſia à Chriſto deſponſata, & mater noſtra conſtituta*

Mulierem fortem quis inveniet ? procul, & de ultimis finibus pretium eius. Quis inveniet ? hanc invenit Chriſtus ſapientia Patris increata, ſcilicet Eccleſiam, quia hanc ſibi ædificavit, & deſponſavit : & quia ſponſus eſt nobiliſſimus, ditiſſimus, ſpecioſiſſimus, fortiſſimus, & honoratiſſimus, hanc ſibi deſponſavit mulierem fortem, nempe decoratam omnibus privilegiis condignis : Unde additur, Procul, & de ultimis finibus pretium ejus ; quia talis ſponſa eſt ditiſſima, fortiſſima, pulcherrima, & prudentiſſima, quia mater omnium fidelium, quos veluti unicum panem Chriſto ſponſo univit. *In Luc.c.13. verſ.2.ſerm.1.Dom.19. poſt Pentecoſt. In Ioan. collat. 11. & ſerm. 1. Dom. 1. poſt oct. Epiph.*

881. *Maria Virgo eſt mulier iſta fortis.*

Mulierem fortem quis inveniet ? Ergone non poteſt inveniri mulier fortis ? ſed nota quod Spiritu prophetico ad aliam mulierem fortem ſuperantem conditionem proprii ſexus alludere volebat ; hæcque fuit Beata Virgo Maria, quam invenit Gabriel Archangelus, quando miſſus eſt ad Virginem, ſcilicet non caſu inventam, ſed à ſæculo & ab æterno electam, ab Altiſſimo præcognitam, & præparatam ſibi ſervatam, à Patribus præſignatam, à Prophetis promiſſam, verè fortem, quia per ipſam, qui vicerat hominem vincendus erat : & ideo ſubdit : Procul & de ultimis finibus pretium ejus, hoc eſt non vile, non parum, non de terra, ſed de cœlo, & à ſummo cœlo, ut eſſet pro nobis fortis, ut veluti noſtra procuratrix, & tota cura domus Dei ei demandaretur. *In Luc.c.1. v.27. S. Bern. ſer.2.ſuper miſſus.*

882. *Idem de Beata Virgine Maria.*

Mulierem fortem quis inveniet ? Quis hanc inveniet : & invenit divina ſapientia Chriſtus, ſcilicet Beatam Virginem Mariam : ſed quomodò dicitur fortis ? quia ſcivit, & potuit in ſe colligere tria ſata farinæ, nempe triplicem ſubſtantiam in una perſona Chriſti, carnem, Animam, & Divinitatem, quæ miſcuit per fermentum ſuæ fidei, & dilectionis, quia amor in mente ejus ardebat, ideo in carne ejus miracula faciebat, & hoc factum eſt quando ad verbum Angeli conſentit, dicens : Ecce Ancilla Domini, fiat mihi, &c. *In Luc.c.13.v.21.*

883. *Fortitudinis virtus ad remunerationem reſpicit, & expectat.*

Mulierem fortem quis inveniet ? Procul, & de ultimis finibus pretium ejus. Vide quod fortitudo armat animam ſpe remunerationis æternæ, quia ejus pretium, & præmium eſt de ultimis finibus, ſcilicet in cœlo, ubi remuneratio plena habetur. *Op.Comp.Theol.l.5.c.36.*

884. *Maria ſuperat pretio omnes creaturas ſimul in unum collectas.*

Procul, & de ultimis finibus pretium eius : Legit Hebræus : longinquum, & ab unionibus pretium ejus, ideſt pretioſior eſt cunctis operibus : Cum autem hæc myſticè dicantur de Beata Virgine Maria, hinc patet, quod ipſa eſt Margarita omnium margaritarum pretium ſuperans: Unde de ipſa benè dicitur, quod optimam partem elegit, quia taliter fuit à Deo privilegiata, quod alteri nec datum hoc fuit, nec dabitur. *In Luc. cap. 10. verſ. 24. uſque ad finem.*

885. *Mariæ veſtes ornant tanquam gemmæ pretioſæ omnes prædeſtinati & fideles.*

Procul & de ultimis finibus pretium eius: Legunt ſeptuaginta: pretioſior eſt lapidibus, ſcilicet cunctis creaturis; ſequitur, quod omnes fideles à pretio ipſius exceduntur: & ideo omnes prædeſtinati, & fideles ſunt veluti gemmæ, & lapides pretioſi veſtem Mariæ exornantes, quia ipſa colligit omnes peccatores ad ſe, & omnes prædeſtinatos liberat ab inferno, & impinguat bonis ſpiritualibus. *Op. ſpecul. B. Virg. lect. 5.*

886. *Anima debet ſe contegere lana & lino.*

Quæſivit lanam, & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum. Vide quàm operoſa ſit hæc mulier fortis, quia ne otioſam vitam in domo viri duceret, quæſivit lanam, & linum, ut ſe exerceret in actibus domeſticis, & familiæ utilibus: myſticè autem eſt anima, quæ & lanam, & linum quærit: per lanam intelliguntur opera vitæ activæ, per linum opera contemplativæ, ut ſic veſtem candidam ſibi efformaret, ut ſicut linum multo labore ad candorem perducitur; ſic caro per longam caſtigationem, ad candorem munditiæ perducitur &c. *In Ioan. collat. 86. ſic Vgo Cardin.*

887. *Mariæ ſollicitudo circa familiam, domum, & res domeſticas expenditur: ubi de ſancto Joſeph, & ſollicitudine habenda à matrefamilias.*

Confidit in ea cor viri ſui, ſpoliis non indigebit. Et res familiaris non deficiet legit Caietanus ex textu Hebræo. In his verbis datur intelligi, quod maritus cum incumbat forenſibus, & publicis negotiis, videns uxorem prudentem, ſollicitamque in gubernatione familiæ, & domus, ipſi confidit omnium rerum domeſticarum adminiſtrationem, & curam, ſecurus, ſe illius operis, atque lucris divitem evaſurum, & res omnes rectè ſe agere, quod eſt conforme ſuprà traditis. Et quia hæc de Maria Virgine à ſanctis Patribus etiam applicantur, dicendum eſt, quod hæc mulier fortis fuit ipſa, ſollicitè ſe gerens in ſuendo, nendo, & texendo, & diligentiſſimam curam ſuper filio ſuo, & ſuper gubernationem domus gerendo, dum ſanctus Joſeph ſenex incumbebat laboribus in arte lignaminis, cujus cor confidebat totum in Maria, ſe nec ei aliquod neceſſarium defecturum. *Op. contemplat. c. 12.*

888. *Exercitia Beatæ Virginis manualia, & domeſtica expenduntur.*

Quæſivit lanam, & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum. Quomodò Maria dicitur quæſiſſe lanam, & linum? Ad quæ opera intendebat? quærebat Maria lanam, & linum, ut domui ſuæ conſilio manuum ſuarum provideret quia quærebat colo, & acu ſibi, & filio, & ſponſo neceſſaria, ſuebat ergo, & nebat Domina mundi, paupertatis amatrix: ſed nunquid ipſa ibat per domos petendo lanam, & linum, & alia in quibus operaretur? Reſpondetur, quod per viciniam innotuit, maximeque dum degebant in Ægypto, & quando Jeſus cæpit eſſe quinquennis, vel ſic ipſe ad domos aliorum procedebat petendo pro ipſa, & in quibus operari valeret; ſicque & ipſa mater ſollicita ſuper gubernationem domus, laboribus, ſuendo, nendo, & texendo, ſimulque vigiliis ac orationibus ſemper intenta erat *Op. medit. c. 12. ſic & S. Epiph. S. Anſel. Proclus & alii quam plurimi.*

889. *Eccleſia Catholica eſt navis inſtitoris portans nobis de cælo merces vitæ æternæ.*

Facta eſt navis inſtitoris de longè portans panem ſuum, &c. Jam dictum eſt, hanc mulierem eſſe Eccleſiam catholicam; nunc autem comparatur navi negotiatoris, & meritò; nam ipſa verè eſt navis, cujus gubernaculum eſt fides dirigens, Anchora eſt pes ſtabiliens, Velum charitas trahens, quæ ducit per mare hujus ſæculi ſcilicet per adverſa, & proſpera ad portum ſalutis æternæ: In hac ſola Chriſtus verè adoratur: hæc nobis portat panem vitæ æternæ: inſtitor eſt Chriſtus, & quilibet juſtus, cujus merces ſunt virtutes, & bona opera, item & frumentum doctrinæ ſacræ. *Ser. 2. Dom. 3. poſt oct. Epiph. & ſer. 1. Dom. 4. Pentec.* Navis hæc eſt Eccleſia, quæ juncta eſt glutino charitatis per quam duplici tabula liberamur à naufragio, ſcilicet Baptiſmi, & pœnitentiæ. *L. 4. d. 14. p. 1. dub. 1.*

890. *Navis eſt gratia Dei liberans nos à naufragio, & portans merces vitæ æternæ:* Vnde de hac myſticè dicitur, facta eſt navis inſtitoris de longè portans panem, ſcilicet participationem vitæ æternæ. *l. 4. d. 14. p. 1. d. 1.*

891. *Navis eſt anima exiſtens in gratia Dei, & ditata virtutibus.*

Facta eſt quaſi navis inſtitoris, &c. Nota quod myſticè hæc navis eſt anima repleta virtutibus, quibus navigat per mare hujus ſæculi ad Cælum. *In Ioan. c. 6. v. 20.*

892. *Navis eſt pœnitentia, per quam anima poſt naufragium enavigat hanc vitam Cælum verſus, & ferens merces meritorum:* felix ille, qui hanc navem habitat uſque ad finem vitæ *In Ioan. c. 6. v. 20. & ſeq.*

893. Navis eſt ſancta Crux, quo ſigno per mare hujus ſeculi poteſt tranſire homo, dummodo ad Cælum juſtitiæ, & ad ſtellas, ſcilicet exempla Sanctorum reſpiciat: In hac navi Gubernator eſt Chriſtus ſemper tranſeuntibus aſſiſtens. *In Ioan. c. 6. v. 21. & Pſal. 106.*

894. Obedientia eſt navis inſtitoris de longè portans panem ſuum, & merces: nam qui eſt in navi ſemper procedit, & ſimul quieſcit: ſic qui eſt in hac navi ſemper proficit in mundo, dormiendo, vigilando, comedendo, abſtinendo, ambulando, quieſcendo, quia inſtar nautæ movetur motu, non proprio, ſed alieno. *Op. Diet. tit. 4. c. 2.* Et in hac excellentiſſima fuit Maria Virgo quæ ſemper ſine interruptione toto vitæ tempore merita multiplicabat: ſic docent Theol. apud Suarez.

895. *Navis*

895. *Navis eſt beata Virgo Maria nobis portans panem vitæ.*

Facta eſt quaſi navis inſtitoris de longè portans panem ſuum. Quomodo dicitur hæc mulier navis pane ſuo repleta, & non potius aliis mercibus? ſed attende, quod hæc mulier eſt beata Virgo Maria: panis eſt corpus Chriſti in Euchariſtia; per quod datur intelligi, quod Maria Virgo nobis è Cælo attulit hunc panem vitæ: Unde verè navis dicitur Maria, navis inſtitoris, nempe Chriſti, & nos ditans fructu ventris ſui. *Ser.* 2. *Dom.* 3. *poſt oct. Epiph. Pſal.* 106. *& op. de Dono ſap. c.* 5.

896. *Mariæ uterus eſt navis repleta fructibus dulciſſimis.*

Facta eſt quaſi navis inſtitoris de longè portans panem ſuum Nota quod ſumitur totum pro parte, & è converſo: nam hæc navis eſt uterus beatæ Virginis nobis portans panem è Cælo, ſcilicet Chriſtum, qui fuit fructus ventris ſui, & ideo dicitur panis Mariæ: fructus inquam generoſus, videlicet uteri virginalis Mariæ, & uteri Patris æterni: fructus item deliciosiſſimus in odore, in ſpecie, in ſapore: fructus item virtuoſiſſimus ad perditorum ſalutem, ad ſalvandorum multiplicationem, & ad multiplicatorum conſervationem: fructus item copioſiſſimus, quia animam poteſt plenè reficere, omnibus poteſt ſufficere, & nunquam deficere: ô quàm debitores ſumus huic beatiſſimæ Virgini, quæ nobis tales merces & panem tam pretioſum protulit. *Pſal.* 106. *& op. ſpec. B. Virg. lec.* 16.

897. *Maria Virgo*, eſt navis hæc nos liberans à tentationum fluctibus, nos defendens, ne mergamur in profundo, & deportans nos ad portum ſalutis. *Ser.* 2. *de B. Virg. & op. Pſalt. min. quinq.* 3.

898. *Idem de Maria Virgine.*

Facta eſt quaſi navis inſtitoris, &c. Sicut bona mater familias ſollicita eſt, ut ſuo tempore familia cibum ſumat: ſic beata Virgo Maria ſollicita eſt, ut ſui ſervi, & ancillæ eſcam opportuno tempore habeant, ut de plenitudine ejus omnes recipiant, idque tunc demonſtravit, quando jam habens in utero Verbum Incarnatum ſedula abiit in montana ad ſerviendum Eliſabeth, & Ioanni: Ergo Maria ſemper ſtillat nobis gratiam uberum ſuorum, & lacte dulcedinis reficit viſcera puerorum ſuorum, & excutit totum mundum nos beneficiis ſuis afficiendo, & ditando. *In Luc. c.* 1. *verſ.* 39. *op. Pſalt. Pſalm.* 17. *&* 34.

899. *Peccator prius emit, poſtea conſiderat: juſtus prius conſiderat antequam emat.*

Conſideravit agrum, & emit eum. Vide prudentiam hujus mulieris, quæ prius conſideravit, & excogitavit, & poſtea emit: hæc enim eſt regula rectæ prudentiæ, ut prius conſiderentur præſentia, ut memorentur præterita, ut provideantur futura, quibus penſatis poſtea ad opus procedit. *Op. de quatuor virtut. Card.* Peccator è contra prius emit, & operatur, & poſtea cogitat, quia procedit ſine conſideratione, ut fecit ille, qui invitatus ad cænam excuſavit ſe, dicens Villam emi, & neceſſe habeo exire, & videre illam, quia avaritia, voluptas, & omne peccatum rationem obſcurat: *Sic & Ugo Cardin.*

900. *Ager eſt Maria Virgo benedictus à Deo, in quo theſaurus eſt abſconditus.*

Conſideravit agrum, & emit eum. Nota, quod ut jam dictum eſt, hæc mulier eſt Eccleſia: ſed quinam eſt iſte ager ab Eccleſia acquiſitus, & emptus? Adverte, quod Beata Virgo Maria eſt ager, ager quidem ſuper omnes agros à Deo benedictus, ager plenus omnibus benedictionibus, in quo theſaurus omnium Angelorum, imò totus Dei Patris abſconditus eſt, cujus fructus ſunt opera, mores, exempla, & divina merita Sanctiſſimæ vitæ Mariæ; quibus ipſum Dominus replevit: fœlix, qui vendit omnia, quæ habet, & emit agrum iſtum: fælix Eccleſia, in cujus poſſeſſione eſt talis, & tantus ager, in quo cœlis gloria, terris Deus, paxque, fides gentibus, finis vitiis, ordo vitæ, & moribus diſciplina refuſa ſunt. *Op. ſpecul. B. Virg. lect.* 5. *&* 14.

901. *Sapientia divina plantavit vineam Mariam Virginem veluti Paradiſum cæleſtem.*

Et de fructu manuum ſuarum plantavit vineam. Nota, hæc mulier fortis eſt ſapientia divina, quæ agrum Mariæ, ſcilicet animam, & ventrem in ſui poſſeſſionem recepit, & in ea plantavit vineam, nimirum ipſam in Paradiſum omnibus arboribus conſitum tranſtulit: verè enim Paradiſus Domini fuit Maria; non ſolùm mente, ſed etiam ventre continens in ſe lignum vitæ Jeſum Chriſtum: verè in omni benedictione ſpirituali: *Op. ſpec. B. Virg. lect.* 14. Et nota, quod prius Maria appellatur ager, poſtea vinea plantata, quia ut ager nobis produxit frumentum; ut vinea, vinum, ita ut poſſit dici: A fructu frumenti, & vini, & olei ſui multiplicati ſumus, ſcilicet, quia dedit nobis corpus, ſanguinem, & Divinitatem, & ſimul dona Spiritus ſancti: meritò ergo poteſt dicere Eccleſia, & anima fidelis: ſub umbra illius, quem deſideraveram ſedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo. *Op. ſpecul. B. Virgin. lect.* 16.

902. *Servi Dei debent accingere lumbos ſuos, & roborare brachia mortificatione omnium appetituum ſenſualium: Ubi de perfectione mortificationis ſeraphici Patris Franciſci.*

Accinxit fortitudine lumbos ſuos, roboravit brachium ſuum. Quid eſt accingere lumbos fortitudine, & roborare brachia? Nota quòd cum Salomon deſcripſerit hanc fæminam lanificio, ac rebus domeſticis, vacantem, ne humilibus reperet, aut ſordeſceret oratio, utque huic exercitio decorem conciliaret, mulierem hanc cum milite ſtrenuo, & opera ejus cum militaribus

 exercitiis

exercitiis componeret, addit: *Accinxit fortitudine lumbos ſuos* &c. Sicut enim miles ad prælium ſe ſe præparans accingit ſibi veſtes, & brachia nudata expandit ad pugnam; ſic & iſta mulier: Datque intelligere, quod anima volens Deo perfectè ſervire, non exercitiis communibus debet eſſe contenta, ſed accingere ſe cingulo diſciplinæ Chriſti cohibentis, & reſtringentis omnes ſenſuales appetitus, & mentales affectus, atque extendere manus ad Chriſti imitationem, ad crucem pœnitentiæ, ad opera virtutum, & eas elevare in oratione ad Cœlum: & hoc perfectiſſimè perfecit ſeraphicus Pater Sanctus Franciſcus, ut perfectus imitator Crucifixi Chriſti Jeſu. *In Ioan. collat. 91. & ſer. 1. de S. Lucia Virg.*

903. *Maria Virgo accinxit fortitudine lumbos ſuos, & roboravit brachia ſua: Ubi de pœnitentia, & paupertate ipſius.*

Accinxit fortitudine lumbos ſuos &c. Si hæc Beatæ Virgini applicantur quomodò dicitur Maria accincta &c? Optimè hoc dicitur, ſi enim accingere lumbos ſuos, eſt reſtringere, & adſtringere omnes carnis affectiones, & omnibus ſuperfluis abrenunciare, quis unquam hoc perfectius fecit Beata Virgine Maria? Maria enim contra ſuperbiam humillima ſuper omnes fuit; contra invidiam affectuoſiſſima per charitatem; contra iram manſuetiſſima per lenitatem, contra accidiam indefenſiſſima per ſedulitatem, quia mentem in ſanctis meditationibus, linguam in ſanctis orationibus, & divinis laudibus, & manus in ſanctis operibus jugiter exercebat; contra avaritiam renuiſſima per paupertatem; contra gulam temperatiſſima per ſobrietatem; contra luxuriam caſtiſſima per virginitatem fuit: vide item qualem paupertatem Mariæ: zelans ergo Maria pro paupertate, & intelligens filii voluntatem tam intus docentis, quam foris ſigna oſtendentis, quia forte vultum ab auro à Regibus ſibi oblato avertebat, & vilipendebat, totum infra paucos dies pauperibus erogavit: grave enim erat ſibi ſarcinam tenere, vel deferre, ob idque omnia ſuperflua abjecit: ergo perfectè Maria accinxit fortitudine lumbos ſuos, & roboravit brachia ſua. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 4. & 16. & Op. meditat. c. 9. & Op. Phar. l. 1. c. 5.*

904. *Negotiatio, & mercatura ſpiritualis bona, & mala quænam.*

Guſtavit, & vidit, quia bona eſt negotiatio ejus. Ergo ſi datur bona, etiam mala dabitur negotiatio? Vide quomodò hanc virtutem cognovit hæc ſancta fœmina; cognovit inquam, quod ipſius opera ſancta medium erant negotiandi cum Deo, & quod ipſius ſedulitas in operando erat bona negotiatio. Sed quænam eſt hæc bona negotiatio? & quænam mala? Attende quod peſſima negotiatio eſt illius, qui pro plumbo dat argentum, pro aurichalco dat aurum, pro bono tranſitorio bonum ſummum; qui nempe vendit Diabolo animam ſuam pro temporalibus, pro luxuriis, pro aliis vitiis. Bona eſt negotiatio ejus, qui temporalia dat pro æternis, minima pro maximis: quid enim ſpecioſius gemmis virtutum? quid vilius ſtercore temporalium? Bona item eſt negotiatio illorum Prædicatorum, qui exhibent populis myſteriorum fidei ſenſus, & ab ipſis exigunt confeſſionem, & operationem bonam: mala verò eſt illorum, qui ſpiritualia dant pro temporalibus. *In Luc. c. 19. v. 3.* Bona ergo ſcivit hæc mulier mercatione vendere & emere; emit cæleſte Regnum, quo nihil eſt vilius, cum emitur, nihil charius cum poſſidetur: Talis etiam fuit ſancta Elizabeth Regis Ungariæ filia. *Ser. 1. de S. Barthol. ſer. 3. Dom. 14. Pentec. ſer. 8. Pentec. & ſer. de S. Elizabeth ſer. 9. in Rogat. ſer. 4. Dom. 6. Pentec. ſer. 1. de Dedicat. Diet. tit. 7. & ſer. 2. Dom. 11. Pentec.*

905. *Maria negotiatio quàm lucroſa fuit.*

Conſideravit, & vidit quia bona eſt negotiatio ejus. Si bona fuit negotiatio illius ſedulæ mulieris: ergo & optima fuit negotiatio Mariæ Virginis: quia enim ſedula, & operoſa fuit in ſanctis operibus, quia Dominus fuit cum Maria, & Maria fuit cum Deo talis, ſcilicet quia negotiata eſt cum Domino opulentiſſimo, & ipſa fuit opulentiſſima: unde aſſumpta ad Cœlum attulit ſecum aurum infinitum dilectionis Dei, & proximi, gemmas pretioſas virtutum, & donorum, aromata bonorum operum, & exemplorum; & ideo Deus in manibus ſuis repoſuit omnes theſauros miſerationum ſuarum. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 8. & 13. l. 3. d. 4. a. 2. q. 2. ad penult.*

906. *Maria lucerna non fuit extincta in morte, ſed lucidior mundo apparuit.*

Non extinguetur in nocte lucerna ejus. In nocte ſcilicet in morte, ut exponunt Interpretes: quaſi dicant, Maria moriens, non eſt mortua, vel extincta: & quomodò hoc? quia Maria Virgo in nocte hujus ſæculi illuminat tamquam columna ignis incedentes in umbra mortis: In Cœlo rutilat veluti ſol per omnia reſpiciens, illuminans Angelos, ſanctos, Cœlum, & totum mundum. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 3.*

907. *Mariæ fides, & ſpes non eſt extincta in morte Chriſti: Ubi de ſabbatho dicato mariæ.*

Non extinguetur in nocte lucerna ejus. Nota quod hæc fuit prophetia de Maria, de qua dicitur, quod non erat extinguenda lucerna ejus in nocte, ſcilicet in morte Chriſti filii ſui; ideſt non defecit fides, & ſpes mariæ in morte Chriſti, & in hujus ſignum, dies ſabbathi mariæ dicata eſt, ex eo quod, licet in reliquis fides defecerit, non tamen in Maria Virgine, nec ſpes de filii reſurrectione. *Op. meditat. vita Chriſti c. 83. & 84. & op. officium de compaſ. mariæ ad Complet.*

908. *Ne extinguatur lucerna noſtra manum mittamus ad fortia.*

Non extinguetur lucerna ejus. Cur non extinguetur lucerna ejus; quia manum miſit ad fortia: ſed quænam eſt hæc lucerna? hæc eſt lex Dei, quia mandatum Dei lucerna, & lex, lux, ait ſupra Salomon *c. 6.* Ne autem nobis hæc lucerna extinguatur, mittamus manum ad fortia, ſcilicet

licet teneamus in manibus hanc lucernam, lucis exempla monſtrando, & operando ſtrenuè, & fideliter: Nota tamen quod ſicut lucerna abſcondit lumen à vento, ſed non à viſu, ſic opus noſtrum debet eſſe in publico, quatenus tamen intentio maneat in occulto, ſicque demus aliis exemplum virtutis, ut tamen non quæramus minimum tranſitorii venti, & favoris. *In Luc.c.12. v.34.*

909. *Mulier otioſitatem fugiat, ſed laboret in iis, quæ ſpectant ad gubernationem domus, & hoc exemplo Matris Virginis.*

Manum ſuam miſit ad fortia. Sed quænam ſunt iſta opera fortia & virilia, ad quæ extendit manus? Digiti ejus apprehenderunt fuſum, ait Salomon: ſed quæ fortitudo oſtenditur in adhibendo colum, & fuſum? nonne hoc eſt proprium cujuſcumque mulieris? rectè quidem, ait ſanctus Auguſtinus: nam pro gladio, & haſta mulieri rectè adminiſtranti curam familiæ eſt colus, & fuſus, nempe ejus exercitia præcipua (ut ſupra dictum eſt de Beata Virgine) ſunt in operibus nendi, & texendi, & talis exercitatio non competit mollibus, & otio deditis, ſed fuſus viratas, robuſtaſque fœminas poſtulat: ſic Romani Caïæ Cæciliæ matronæ nobiliſſimæ, & exemplariſſimæ ſtatuam ornabant colo, lana, & fuſo. Hinc eſt, quod Beata Virgo maria exemplar omnis virtutis manus ſuas ad iſta ſtrenua, & fortia miſit: nam & ipſa colo, & acu quærebat ſibi, & filio neceſſaria; ſuebat ergo, & nebat mundi Domina, amatrix paupertatis: ſed forſan Maria, ſuendo, vel alia operando faciebat opera curioſa? Abſit: nec enim poterat in tanta egeſtate tempus in vanis expendere, ſed nec aliàs feciſſet, & in omnibus his, & ſimilibus operibus diligentiſſimam curam habebat ſuper filio ſuo, & ſuper gubernationem domus, ſimulque in temporibus ſuis intenta vigiliis, & orationibus: Audiant hoc matres familias, & diſcant à matre Dei &c. *Op.medit.c.12.*

910. *Qui manus ſuas ad fuſum ad nendum non extendit non poteſt ſalvus fieri.*

Manum ſuam miſit ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fuſum. Cur non dicit, & digiti, & manus ejus apprehenderunt colum, ſed fuſum? Sed nota pulchrum myſterium, quod enodat Sanctus Auguſtinus: In lanificio duo ſunt inſtrumenta, ſcilicet colus, & fuſus: in colo lana involuta eſt, quæ filo ducenda tranſeat in fuſum, & quod in colo involutum eſt adhuc in ſiniſtra eſt, & nondum in fuſo eſt, quod in fuſo collectum eſt, jam præteritum eſt: opus ergo tuum in fuſo ſit, & non in colo; in colo enim eſt, quod facturum eſt, in fuſo, quod feciſti: Vide ergo ſi habes aliquid in fuſo, ibi enim firmantur brachia tua, ibi firmatur fiducia deprecandi, & petendi, ibi erit fortis conſtantia tua, ibi ſecurus Deo dices: Da, quia dedi, dimitte, quia dimiſi, fac, quia feci: ſic ſanctus Auguſt. *Ser.217.de temp.& ſer.45. de diverſis.* Hoc quàm verum ſit patet ex parabola, in qua exponitur Chriſtus dediſſe ſervis ſuis talenta ad negotiandum, ſcilicet ad hoc ut obſervarent mandata ſua, in qua Chriſtus condemnavit non ſolùm eos, qui turpiter mala fecerunt, ſed & ſervum, qui pecuniam gratiæ non negotiatus eſt, ſed ſolùm lucta, & augmentum gratiæ neglexit: Non ſufficit ergo in colo habere lanā, & linum, videlicet talēta recepiſſe à Deo, ſed debent tranſire à ſiniſtra manu, ad dexteram, ad fuſum, nempe ad executionem, & ad negotiationem. *Ser. 3. Dom. 13. Pentec.* Hinc dicit: manum ſuam miſit ad fortia, ſcilicet manus ſuas extendit ad Deum in oratione, ad exercitium in operatione, ad crucem item, ut cum Chriſto eſſet in cruce. *In Ioan. collat.91.*

911. *Bona intentio dignificat, & meritoria reddit noſtra quæcumque opera, etiam temporalia.*

Et digiti eius apprehenderunt fuſum. Si fuſum apprehenderunt, ergo & attrahunt lanam, & linum involutum in colu poſita ad ſiniſtram: quid myſterii latet in hoc facto? Nota, quòd per ſiniſtram ſignificantur temporalia; per dexteram ſpiritualia: dat igitur intelligere Spiritus ſanctus, quod ſi volumus Deo placere, & ſervi fideles operari, debemus attrahere omnia temporalia, & actus temporales ad dexteram ſignificatam in fuſo: & quomodo? Reſpondit Chriſtus *Matt.c.5.* Neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua, ſcilicet nihil à dextera in ſiniſtram, ſed è contra, omnia à ſiniſtra ad dexteram tranſeant; ducantur quidem veluti lana temporalia à ſiniſtra, ſed cum per fuſum rectæ intentionis in dexteram migraverint, jam inde neſciat hoc ſiniſtra, nihil videlicet temporale bonam intentionem à ſcopo ſuo detorqueat. Vide igitur, quod bona, & pia intentio reddit meritoria omnia opera etiam indifferentia, & debetur præmium ſubſtantiale ipſis operibus, quia à ſiniſtra ducta ſunt ad dexteram. *Op. de ſept. Itiner. ætern.Itin.5. d.2. & 3. & 4. op. Eccleſ. Hier. p.1. cap.3.*

912. *Manum mittere ad fortia quid.*

Manum ſuam miſit ad fortia. Miſit? quomodò manus ſuas miſit? mittere eſt alium aliunde mittere: meritò id igitur, quia congreſſus hominis eſt veluti cogere exercitum contra mundum: miſit, ait, ad fortia, quia contra plures hoſtes eſt pugnandum, & plura ſunt relinquenda, & ſuperanda, nempe qui vult ſequi Chriſtum, debet mittere, ſcilicet ſe expedire, & relinquere divitias, omniaque varia, filios abdicare, uxorem relinquere: miſit item manus in altum, ſcilicet ad Deum per orationem, miſit manus ad opera pœnitentiæ, miſit item voluntatem ad nutum, & obedientiam ſuperiorum, miſit pariter manum ad Crucem cum Chriſto: qui hæc facit verè fortis eſt coram Deo. *Serm.5. de uno S.Mart. In Ioan. collat. 91. ſerm. 1. S. Andr. in addit.*

Digitized by Google

913. *Qui non aperit manus ſuas pauperi, apertum non inveniet cælum: ubi de naturali progreſſione mulierum ad opera pietatis.*

Manum ſuam aperuit inopi, & palmos ſuos extendit ad pauperem. Primò nota, quod primæ parti hujus ſententiæ in originalibus præponitur littera Caph, & alteri parti Jod: Caph autem interpretatur manus obſerata, Jod, manus patula, & extenſa: ſed quomodò poſſunt ſimul conſiſtere manus clauſa, & aperta? Attende, quod hæc mulier fortis manus clauſas habebat ad rectam gubernationem familiæ, ad cavendas expenſas inutiles; hæc eadem habet manus apertas, & extenſas ad ſubventionem pauperum: hoc enim eſt proprium genium mulierum eſſe propenſas magis ad opera pietatis, & clementiæ, quàm virorum: Unde dicit Sanctus Anſelmus: mulier immiſericors portento, & monſtro ſimilis eſt: habet igitur mulier, & quilibet juſtus manus apertas ad pauperes, quia ſcit quod cœlum eſt clauſum non habentibus manus propenſas ad opera miſericordiæ. *Ser. 1. Dom. 11. Pentec. In Luc. c. 6. v. 12. & c. 8. v. 2. & op. Eccleſ. Hier. ſ. 4. c. 5.*

914. *Maria eleemoſynaria Dei.*

Manum ſuam aperuit inopi. &c. Hoc perfectiſſimè verificatur de Beata Virgine Maria; nam ejus munus eſt tamquam eleemoſynariæ univerſalis Dei aperire manus ſuæ miſericordiæ, eaſque extendere ad nos pauperes: Ad manus igitur Mariæ nos debemus reſpicere, ut per ipſas aliquid boni accipiamus, & per manus ejus quidquid boni agimus, Deo offeramus: per manus enim Mariæ habemus quid quid boni poſſidemus, quia nihil boni nos habere voluit Deus, quin per manus Mariæ tranſeat: Altius igitur intuemini quanto devotionis affectu à nobis voluit Deus honorari Mariam, qui totius boni plenitudinem poſuit in ipſa, ut perinde, ſi quid ſpei in nobis eſt, ſi quid gratiæ, ſi quid ſalutis, ab ea noverimus redundare. Ideò ergo dicitur mater miſericordiæ, quia undique eſt ſollicita de miſeris, undique miſericordiâ vallatur, ſolùm miſereri videtur appetere; multum ſollicita eſt miſeros filios in ſuos adoptare, atque vult ſemper regere: quid ergo de cætero formidamus, quid timemus, quis à Maria, quod voluerit, & indigebit, non habebit? *Op. ſtim. p. 3. c. 19. op. ſpec. B. Virg. lect. 4. & 7. & op. Pſalt. Pſal. 111. & 112.*

915 *Eccleſiæ filii veſtiti duplici veſte contra frigus tentationum.*

Non timebit domui ſuæ à frigoribus nivis: omnes enim domeſtici ejus veſtiti ſunt duplicibus. Cur duplicibus veſtiti ſunt? & quænam ſunt iſtæ veſtes? Nota, quòd ſedula mulier providet familiæ non ſolùm victum, ſed & veſtitum ut poſſit ſe munire contra brumæ immania frigora: ſic Sancta mater Eccleſia duplices veſtes ſuis filiis providit contra frigus tentationum, & perſecutionum, quibus poſſunt ſubjacere: Veſtis hæc duplex eſt charitas Dei & proximi, vel eſt etiam ornatus virtutum interior, & exterior morum; hæ veſtes calefaciunt virtute Spiritus ſancti contra frigus aquilonis, ſcilicet Diabolicæ tentationis. Vide ergo quomodò iſta bona mater Eccleſia ſuos domeſticos fideles veſtit duplicibus. *Ser. 3. Dom. 19. Pent.*

916. *A Maria omnes domeſtici ejus veſtes aureas habent.*

Non timebit domui ſuæ à frigoribus nivis, omnes domeſtici ejus veſtiti ſunt duplicibus. Quales veſtes ſunt, quæ à Maria habentur? Sed nota, quod maria eſt terra benedicta, à qua victum & veſtitum, & linum, & lanam, & hujus vitæ neceſſaria habemus, ſuntque mores, exempla, & merita ipſius ſanctiſſimæ vitæ, quibus vitam noſtram fovere poſſumus; ipſa eſt, quæ induit ſperantes in ſe lumine gloriæ; ipſa eſt, quæ contra frigus tentationum nos fortificat, & fovet. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 7. Pſal. 89. Pſal. 107. & ſer. 1. de B. Virg.*

917. *Veſtis Eccleſiæ, & ſanctorum eſt ſtragulata, & nobiliſſima charitas.*

Stragulatam veſtem fecit ſibi: byſſus, & purpura indumentum ejus. Quæ eſt veſtis ſtragulata? Sed conſule legem, Cum tunicam §. de auro, & argento: & legem Quæſitum eſt §. de fundo: & leg. Inſtratum de verb. ſignif. ubi Alciatus aſſerit, veſtem ſtragulatam appellari pictam, & variam, de qua etiam Tullius *or. 4. in Verrem & or. 3. ibid*; & Livius, qui notant, ſtragulatam veſtem eſſe pretioſiſſimam auro, purpura & argento conſutam: Daturque intelligi, quod hæc mulier, non ſolùm familiam providit veſtibus, pretioſioribus, ut ſibi eſſent in defenſionem à frigore, & in ornamentum; imò pro tapetis pretioſis domus inſerviret. Myſticè verò ſignificatur veſtis pretioſiſſima Eccleſiæ, & fidelium ſanctorum; unde cum cæteræ veſtes ſi de velleribus animalium, ut veſtis lanea, vel de corticibus herbarum, ut linea, vel de viſceribus vermium, ut ſerica: Veſtis charitatis eſt ex auro, & gemmis pretioſis cæleſtibus, ſcilicet ex gratia Spiritus ſancti, & de viſceribus Chriſti: Hæc veſtis commendatur à calore, qui eſt duplex, nempe byſſinos, & purpureus, & ſicut rubeus color optimè ſed & ſuper byſſinum, vel candidum; ſic charitas optimè ſtat ſuper hominem caſtum: unde dicitur: Byſſus, & purpura indumentum ejus: Hæc veſtis texitur, non opere humano, ſed divino ex duobus præceptis, videlicet dilectione Dei, & proximi, ita ut dilectio Dei eſt ad modum ſtaminis, & dilectio proximi ad modum ſubtegminis; unde in duas petias, & partes diviſa eſt, nimirum in partem dexteram, quæ eſt charitatis Dei, & in ſiniſtram, quæ eſt proximi, una de byſſo, alia de purpura. *Op. Diæt. tit. 5. c. 2. Joan. c. 19. v. 24.*

918. *Juſti in hac vita induunt ſe byſſo, in alia purpura: impii è contra.*

Byſſus, & purpura indumentum ejus. Cur prius ponitur byſſus, poſtea purpura? Ergone byſſus erat tegumentum exterius, & purpura interius? nonne hoc eſt contra uſum communem? ſed transfer mentem ad divitem *Luc. c. 16.* ubi dicitur

citur, quod prius ſe induebat purpura, poſtea byſſo: quid myſterii latet in hoc? Nota, quod byſſus eſt veſtis linea candida, quæ antequam efformetur debet multis percuſſionibus, macie, & laboribus præparari: Purpura verò eſt indumentum regium, & nobile: ideo in byſſo ſignificatur munditia, quæ per pœnitentiam, & labores acquiritur, & conſervatur; & in purpurâ delitiæ, voluptates, & conſolationes. Hinc infertur, quod hæc mulier, ſcilicet anima juſti in hac vita prius ſe induit byſſo, ſcilicet pœnitentia, caſtitate, munditia, laboribus, ut purpurâ veſtiatur in alia, & in lineo candido recipiatur in Cœlo: E contra Impii ſe immergunt in hac vita in voluptatibus, in epulis, in delitiis carnalibus, & poſtea laborabunt in æternum in alia vita. *Ser.2. Dom.3. poſt oct. Epiph. ſer.2. Dom.8. Pentec.& ſer.de S.Cecilia V.& m.*

919. *Mariæ pœnitentia expenditur.*

Byſſus, & purpura indumentum ejus. Byſſus ſignificat pœnitentiam, ergo & Maria opera pœnitentialia aſſumpſit: ſed qualis, & quænam erat in Dei matre pænitentiæ neceſſitas? Attende, quod ſicut ipſa ſanctæ Elizabeth Ungariæ revelavit: nulla gratia, donum vel virtus ipſi advenit à Deo ſine magno labore, continua oratione, ardenti deſiderio, profunda devotione, multis lachrymis, & multa afflictione, dicendo, cogitando ſemper placita Deo. *Op.medit.3.*

920. *Maria Virgo pretioſas veſtes conficiebat aliquando ad Templi miniſterium.*

Stragulatam veſtem fecit ſibi &c. Quomodò poteſt dici, quod B. Virgo ſibi fecerit veſtes pretioſas? ſed attende, quod licet Beata Virgo, & victum, & veſtes proportionatas pauperibus haberet, non enim duplicibus veſtibus, nec curioſis, nec pretioſis contra paupertatem utebatur, tamen aliquandò pulchras ad uſum divini cultus faciebat: Dicitur enim, quod ſtragulatas veſtes ſibi faciebat, non quidem ad ſui uſum; ſed intexta, & ordinata divino cultui, *Op.medit.c.11.* Notandum autem, quod tunica inconſutilis fabricata fuit à maria Chriſto dum erat parvulus, quæ cum ipſo creſcente creſcebat, & erat lanea de colore cinereo, ipſaque Maria Virgo induebatur ſimili colore. *Sic Carthagena Tom. de arcanis fol.588. Bernard. Buſt.de imitat. Chriſti ſer.27 ſic in hiſtor.Eccleſ.*

921. *Maria Virgo induit Verbum carne, & ipſa à Verbo induta eſt gloria.*

Stragulatam veſtem fecit ſibi &c. Quam veſtem tam pretioſam? & cui? Nota, quod myſticè hoc dicitur de Beata Virgne, quæ indumentum carneum præparavit Verbo, ipſumque induit, & ab ipſo ipſa induta fuit multiplici veſte gratiæ & gloriæ. *Ser.2.de Virg.*

922 *Mariam à frigore peccati qualis veſtis defendit: Ubi de cauſa radicali impeccabilitatis Mariæ.*

Non timebit Domui ſuæ à frigoribus nivis: ſtragulatam veſtem fecit ſibi. Quam veſtem fecit ſibi, ut ſe defenderet à frigore peccatorum? Hic movetur quæſtio his temporibus: Unde oria eſt formaliter impeccabilitas in Maria, an à maternitatis dono, an à gratia habituali confirmata. In qua Thomiſtæ volunt, hanc oriri à gratiâ habituali perfectiſſima, ob idque impoſſibilitatem ad peccandum fuiſſe neceſſitaté conſequentiæ non antecedentem: Alii impoſſibilitatem fuiſſe antecedentem, & prævenientem ipſum liberum arbitrium, ita ut non potuerit velle peccatum ullum, ex eo quod data, & infuſa fuit in ipſa in inſtanti conceptionis gratia, ſeu donum maternitatis, ſcilicet qualitas corporea ſupernaturalis ipſam formaliter ſanctificans perfectiùs, quàm per quamcumque aliam gratiam habitualem, & quæ habebat formalem oppoſitionem ad quodcumque peccatum: ita plures Theologi, & ſancti Patres apud Savedram de Conceptione, de qua ſanctitate corporea intelligi debet ſeraphicus Doctor. *L.3. d.3. p.1. a.1. q.1.in princ.corp.* ubi quærit an caro Beatæ Virginis ſanctificata fuerit ante animationem: & reſpondet, quod caro Beatæ Virginis non fuit ſanctificata ante animationem loquendo de ſanctificatione formali, quæ fit per gratiam habitualem, ex eo, quod caro non eſt capax de ſe talis infuſionis gratiæ; cum hoc tamen admittit, quod potuit Deus talem carnem purificare: ſed quo medio? nempe ut notant ſupradicti Doctores ſanctitate proportionata, ſcilicet corporea, quæ eſt qualitas corporea phyſica ſupernaturalis, & ab aliis dicitur donum maternitatis: Igitur hæc fuit veſtis qua Maria induta potuit ſe præſervare ab omni frigore peccati, & recipere impoſſibilitatem peccandi majoré, quàm habuerint Angeli beati. *L.3.d.3.p.1.a.2.q.3.corp. & ad ult.* igitur & hoc quod fuit in inſtanti ſui eſſe cóſtituta Mater Dei, habuit impeccabilitatem: & quæ Mater Domini eſt Maria, mater, & Virgo, mater digniſſima: ipſa eſt Mater, quæ tali filio eſt decentiſſima: ipſa mater eſt, cui talis filius decentiſſimus fuit: ipſa eſt mater, qua majorem Deus facere non poteſt: majorem mondum, Cœlum, Angelos, ſanctos, & alias creaturas potuit facere, ſed majorem matrem non poteſt facere: nec enim decebat Deum alia mater, nec Virginem alius filius, quàm Deus, quia nec major inter matres, nec major inter filios naſci potuit. *Op.ſpec.B.Virg.lect.10.*

923. *Chriſtus veniet ad judicium cum ſenatoribus, ſcilicet cum Apoſtolis.*

Nobilis in portis, vir ejus, quando ſederit cum ſenatoribus terræ. Nota, quod litteraliter dat intelligere, quod cum mulier iſta bona gubernatrix domus, ad ipſius regimen incumbat, locum etiam aperit viro pertractandi alia negotia forenſia, ipſi providens veſtes proportionatas ut poſſit cum ſenatoribus aſſidere functionibus publicis. Myſticè hic vir eſt Chriſtus, qui veniet ad judicandum cum aſſeſſoribus ſenatoribus, ſcilicet cum Apoſtolis totum mundum, ipſe vir eſt ſponſus Eccleſiæ, & ideo ſi ipſe eſt nobilis, & nobilis eſt ſponſa. *Luc.c.19.Io.c.5.ſer.3.in Aſcenſ.ſer.de SS.Sim.& Iud.*

924 *Prælatus debet eſſe vir nobilis ad exercendum proprium munus.*

Nobilis in portis vir ejus, &c. Nota quod iſte vir eſt Prælatus ſponſus Eccleſiæ, vel caput congregatioois, debet eſſe vir non taotùm ſexu, ſed ætate,& virilitate,ut valeat erumpere iniquitatem; debet & eſſe nobilis, nempe nobiliter tractans negotia juris Chriſti; nobilis item nobilitate virtuoſa, nimirum vir juſtus diſſentiens à malis conſiliis,& vigilans in ſuo miniſterio. *In Luc.c.23.v.51.*

925. *Ex Maria Chriſtus habuit ſecundum humanitatem nobilitatem, pulchritudinem,&c. aliaque dona.*

Nobilis in portis vir ejus. Si hic eſt ſermo de Maria, quis iſte vir? vir ſcilicet Chriſtus; & unde nobilis? Nota quod ſicut,ut Dei filius fuit ſimilis Patri,ſic ut homo ſimilis matri *l.3.d.4.a.3.q.3.ad penul.* Ideo ut homo Chriſtus fuit nobilis, quia proceſſit ex utero Regali, & matre nobiliſſima quæ fuit de ſemine David Regis, & aliis progenitoribus nobiliſſimis: fuit & pulcherrimus,quia ex matre pulcherrima, & aliis donis ornatus ipſum reddentibus magnificum inter ſenatores terræ ſcilicet ſanctos Angelos, & Eccleſiam. *Op. ſpec.B.Virgin.lect.16.& ſer.3. Dom.14.poſt Pent. & l.4.d.30.a.1.q.2.*

926. *Sanctus Joſeph, quia ſponſus Mariæ ideo ipſi ſimilis ex parte, & omnibus ſanctis ſublimior.*

Nobilis in portis vir ejus, quando ſederit cum Senatoribus terræ. Quis vir, & ſponſus Mariæ? hic fuit Joſeph, qui datus eſt Mariæ in ſponſum, quia aliqualiter fuit ei ſimilis, & ut eſſet Mariæ in ſolatium & miniſtratorem. *Op. medit. l.4.d.30.a.1.q.2.* Hinc dicitur nobilis quando ſederit cum ſenatoribus terræ: Iſti ſenatores ſunt Apoſtoli, & majores ſancti, & Angeli, inter quos illuſtris apparet ſuper omnes &c.

927. *Eccleſia mercatura ſpiritualis in expoſitione Verbi Dei exponitur.*

Sindonem fecit ac vendidit,& ſingulum tradidit, Chananeo. Adverte quod per ſindonem, qui eſt linteum candidum ſignificatur doctrina fidei candidiſſima,& purgatiſſima, per quam veluti per cingulum Eccleſia tradit Chananeo,quod interpretatur mercator, ſcilicet exhibet quaſi negotiando ſuis fidelibus, ut per ipſam reſtringatur anima, ne effluat in vanas curioſitates, & voluptates terrenas: exigit autem pro hac mercatura ab auditoribus pretium fidei, & bonorum operum. *In Ioan.c.21.v.19.& D.Greg.in Iob.*

928. *Ritus eccleſiaſticus corporalis, in quo ponitur Hoſtia exponitur.*

Animadverte etiam, quod per hoc linteum, ſeu ſindonem figuratur Corporale, quod adhibetur in miſſa in figuram lintei, in quo involutum fuit Chriſti Corpus: & hoc in ſignum innocentiæ Chriſti, ut ſignificetur, quod etiam ejus ſponſa debet veſtiri puritate innocentiæ. *In Luc.c.23.v.53.* Adverte item, quod poteſt dici, quod iſtud linteum figurabat pannos mundiſſimos, licet pauperrimos, in quibus involutus eſt puer Jeſus à Maria in ejus nativitate *In Luc. c.2.v.7.& op.medit.c.7.*

929 *Fortitudinis virtutis effectus quales.*

Fortitudo, & decor indumentum ejus &c. Nota hanc connexionem fortitudinis, & decoris, datque Spiritus ſanctus intelligere, quod virtus fortitudinis cujus munus eſt vincere paſſiones corporis, & animæ veluti fornax transformat, & reddit hominem honeſtum, & decorum *op. Diet. tit.5. & 7.* Et nota quod additur: & ridebit in die noviſſima, quia talis virtus affert in præſenti, in morte, & in alia vita riſum, & ſpiritualem jucunditatem mentis. *In Luc. c.6. v.21.* Docet igitur per hæc verba ſapiens, quod juſti licet non ſint, vel videantur decori, & glorioſi ob indumenta pretioſa externa, ad quæ mundus reſpicit, tales tamen ſunt ob virtutes animi, ob contemptum mundi, ob exercitia virtutum, ob mortificationem paſſionum, per quæ coram Deo, & Angelis apparent glorioſi, & decori. *Ser.1.de S.Lucia V.*

930. *Mulier ſapiens maximeque monialis caveat à loquacitate, loquens modeſtè, & manſuetè: ubi de loquacitate, & ſilentio.*

Os ſuum aperuit ſapientiæ & lex clementiæ in lingua ejus. Vide hîc quàm fortis, quàm ſancta hæc mulier, quia cum mulier naturaliter ſit loquax,& lingua ſua ſævire ſoleat; quia cum imbecillis ſit ad agendum, quidquid factis deeſt, verbis compenſare ſtudet, & cum parum ſapiat in ineptias, & nugas præcipitare ſolet, attamen in hoc patefit ſapientia hujus mulieris, quæ cum os ſemper aliàs clauſum ad loquendum, ſecundum opportunitates reſerabat, cum ſapientia, & prudentia conjuncta promebat, verbaque illius non aſpera, non acerba, non dura erant, ſed lenia, ſed mitia, ſed dulcia, atque ſuavia: loquacitas autem in mulieribus, & maximè Religioſis valdè dedecet, eſtque magna confuſio ſexui fœmineo, & maximum dedecus Virginibus præcipuè non habere oris cuſtodiam, non ſervare linguæ diſciplinam, cum cuncta mala per linguæ inquietudinem committantur: Audi quæ mala ex lingua procedunt, blaſphemiæ, murmurationes, diſcenſiones, perjurium, mendacium, detractiones, adulationes, maledictiones, convicium, contentio, bonorum diviſio, pravum conſilium, rumor, jactantia, ſecreti revelatio, indiſcreta comminatio, indiſcreta promiſſio, multiloquium, & ſcurrilitas: fruſtra igitur gloriatur homo de poſſeſſione virtutis, & potiſſimum Religioſus, & ſuper omnes Virgo Deo dicata, quæ diſſipat ſilentii diſciplinam, per inquietudinem multiloquii: Audi igitur verboſa famula, audi Virgo clamoroſa, & garrula, ſi omnibus Religioſis neceſſarium eſt ſilentium ad perfectionem virtutum, maximè tamen Virginibus Deo dicatis eſt neceſſarium, ut diſciplinam ſilentii ſervent; ſermoque earum deberet eſſe pretioſus, & ita deberent eſſe verecundæ in labiis, ut numquam, niſi magna neceſſitate loquantur, ideo Beatus

Hieronymus

Digitized by Google

Hieronymus dicit : ſit ſermo Virginis modicus, & ratus, nec tantùm eloquentia ſpetioſus, quàm pudore loquere igitur ſamula Dei rarò, & parum, quia in multiloquio non deerit peccatum. *Op. de perfect. vitæ c. 4. In Ioan. c. 11. v. 28. op. medit. c. 8. op. Bibl. paup. c. 124. & 129.*

931. *Os juſtorum aperit Deus ſapientiæ : os ſtultorum aperit diabolus ſtultitiæ.*

Os ſuum aperuit ſapientiæ. Qua virtute hoc fecit, cum naturaliter mulier ſit loquax, & verboſa? Virtute divina hoc fecit : nam Chriſtus eſt, qui os juſtorum aperit ſapientiæ, ſcilicet ad docendum, ad orandum, ad confitendum, & ad alia quæcumque juſta, & virtuoſa: E contra diabolus impiorum aperit os ad ſtultiloquia, ad ſcurrilia, ad vana; nam omnis ſermo malus immundo ſpiritu dictante profertur. *Ser. 1. Dom. 11. poſt Pentecoſt. & ap. Eccleſ. Hier. p. 4. c. 5.*

932. *Mariæ parcitas in verbis expenditur.*

Os ſuum aperuit ſapientiæ, &c. Hæc eſt Beata Virgo, quæ in loquendo os ſuum aperuit ſapientiæ, ait Sanctus Ambroſius, fuit corde humilis, verbis gravis, animi prudens, loquendi parcior, legendi ſtudioſior : quantæ maturitatis autem fuerit Beata Virgo, patet ex Evangelio, in quo legitur, ipſam per prava, & cum paucis locutam fuiſſe; nempe cum quatuor tantùm perſonis legimus, eam habuiſſe ſermonem, & non niſi ſeptem verba eam fuiſſe locutam : cum Angelo, duo; cum filio ſuo, duo; cum Elizabeth, duo, cum miniſtris in nuptiis, unum tantùm; In quo confunditur noſtra loquacitas, qua proni ſumus ad multiplicationem verborum, & ad jurgia, & contentiones cum tamen magna ſit ſilentii utilitas. *Op. de perfect. vitæ c. 4. op. ſpec. B. Virg. lect. 6.*

933. *Dulcedo verborum Mariæ expenditur.*

Os ſuum aperuit ſapientiæ, & lex clementiæ in lingua ejus. Nota, quod ſapientiæ connectit clementiam, quia verba Mariæ dulcia ſemper fuerunt, cum lac habuerit, & mel ſub lingua ſua; lac, ſcilicet continentiæ, quando dixit : quomodo fiet iſtud : mel quando dixit : Ecce ancilla Domini; mel, inquam, per quod melliflcuum reddidit totum mundum : mel item in orationibus ad Deum, & lac ad proximum in lacteis collationibus. *Op. ſpecul. B. Virgin. lect. 2. & 10.*

934. *Lex clementiæ Mariæ expenditur.*

Et lex clementiæ in lingua ejus. Quænam eſt hæc lex clementiæ Mariæ Virginis? Lex clementiæ in lingua, quam exercuit Beata Virgo Maria, fuit ut ipſa intercederet pro miſeris apud Deum, quod & fecit in nuptiis pro ſponſis, quibus defuit vinum, dicens : Vinum non habent : hoc & ſuggerit Maria continuè pro nobis : fili, vinum non habent : Vinum ſcilicet gratiæ Spiritus ſancti, vinum compunctionis,

vinum devotionis, vinum ſpiritualis conſolationis. Pulſate igitur ô chariſſimi ad portas Mariæ, quia ſi piè pulſata fuerit a vobis, non deerit neceſſitati veſtræ, quoniam miſericors eſt Mater miſericordiæ; & ſi apparuit verecundiæ illorum, à quibus fuerat invitata, molto magis, ſi fuerit piè invocata. *Op. ſpecul. B. Virgin. lect. 6.*

935. *Otioſè panem comedere Deo quàm exoſum.*

Conſideravit ſemitas domus ſuæ : & panem otioſa non comedit. Ecce quid facit hæc ſedula mulier : nam ſollicita in gubernatione domus, & familiæ ipſa ab otio cavebat diligentiſſimè : ſic & quilibet juſtus in familia Dei, non comedit panem otioſè; otioſè autem comedit in domo Dei panem, qui doctrinam intelligit, & non facit, qui benè loquitur, & malè operatur : otioſe item comedit, qui fugit labores, & opera pœnitentialia, &c. otioſè item comedunt panem, qui conſiderant, & cognoſcunt ſemitas, & viam Domini, ſed non ambulant per eas voluntate, ſed tantùm neceſſitate. *Serm. 1. Dom. 4. quadrag. Pſal. 118. c. 7. v. 9.*

936. *Mariam Virginem laudant filli ejus inceſſanter potius vita imitatione quàm verbis.*

Surrexerunt filii ejus, & beatiſſimam prædicaverunt. Qui ſunt filii hujus mulieris, qui adſpicientes ad mores, & ſanctitatem matris, non ceſſant ipſam laudare, & beatiſſimam prædicare & quomodo? iſti ſunt ſubditi, & ſtudioſi amatores, atque devoti Beatæ Virginis, qui per innocentiam vitæ ſurrexerunt à ſtatu peccati, & beatiſſimam prædicaverunt, ſcilicet propter meritum caſtitatis, propter conſilium virginitatis, & propter privilegium fœcunditatis, quia Mater eſt Dei : quacumque ergo hora, quacumque die honorari debet Maria ab omnibus fidelibus tamquam advocatrix, & auxiliatrix omnium fidelium ſuorum laudatorum. *In Luc. cap. 1. v. 48. l. 3. d. 3. p. 5. a. 1. q. 1. in fine. ap. 25.*

937. *Spiritus ſanctus ſponſus Mariæ ipſam laudat, & ejuſdem laudes à nobis expoſcit.*

Vir ejus, laudavit eam. Quis vir? ſponſus Mariæ, qui eſt Spiritus ſanctus, qui tot præconia in ſacra ſcriptura prædicat de ipſa : non enim aliquod eſt verbum in ipſa quin de ipſa myſticè loquatur : item quia ipſe Spiritus ſanctus inhabitans in cordibus fidelium, magis devotionem ipſorum erga virginem inflammat, quàm erga alios ſanctos, & ſanctas : hac etiam de cauſa quotidie de Virgine glorioſa fit officium ſpeciale juxta ordinem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ne prætermittatur dies vel hora, quin à fidelibus honoretur beata Virgo Maria. *l. 3. d. 3. cit. & ſer. 53. Hexam.*

938. *Maria Magdalena laudes à Chriſto recenſentur.*

Vir ejus, & laudavit eam. Nota, quod hoc poteſt dici de ſancta Maria Magdalena: ſed quis vir ejus? vir ejus fuit ſponſus Chriſtus, qui eam laudavit cum Phariſæo, dicens: multæ filiæ congregaverunt ſibi divitias, ipſa verò ſupergreſſa eſt univerſas, quia enim ſuper omnes dilexit Chriſtum, ideo ſuper Phariſæum, & cæteros laudata fuit. *In Luc.c.7.v.47.*

939. *Mariæ divitiæ quales.*

Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu ſupergreſſa es univerſas Nota, quod hoc propriè dicitur de Maria Virgine cujus divitiæ plurimæ ineffabiles ſunt; ſed quales divitias habet Maria paupertima, & paupertatis amatrix? Divitiæ Mariæ ſunt timor Domini, juſtitia, miſericordia, humilitas, caſtitas, & patientia; talibus divitiis Beata Virgo Maria ſuper quamlibet animam puri hominis abundavit, & ideo in ejus hoſpitio libenter Dominus manſit. *Ser. 1. fer. 2. Paſcha.*

940. *Idem de divitiis Beatæ Mariæ Virginis.*

Multæ filiæ congregaverunt ſibi divitias, &c. Quare ſupergreſſa eſt univerſas filias? & quas filias? quia cum Maria eſt Dominus, ſcilicet omnium Dominus opulentiſſimus, ergo & cum Maria opulentiſſimè. ergo Maria opulentiſſima, & ditiſſima, quia ſupergreſſa eſt univerſas creaturas, & unita Domino rerum omnium, ſecum eſt ditiſſima: & licet filia Agnes, Cæcilia, Catharina, & aliæ animæ ſanctæ congregaverint ſibi victum gratiarum, & meritorum divitias, tamen Maria ſupergreſſa eſt univerſas univerſis divitiis: ô quam dives eſt Maria in gloria, quæ tam dives fuit in miſeria: ô quàm dives eſt Maria in Cælo, quæ tam dives fuit in mundo: ô quàm dives eſt Maria in anima ſua, quæ tam dives fuit in carne ſua: ô quàm dives in omnes, & ſuper omnes Maria, de cujus ſubſtantia modica pars aſſumpta, totius mundi ſuffecit ſolvere delicta: Dominus ergo tecum ô Maria opulentiſſima. *Op. ſpec. B.Virg. lect.8. & ſerm.2.d. S.Cathar. in adit.*

941. *Idem de divitiis Beatæ Mariæ virginis.*

Multæ filiæ congregaverunt ſibi divitias, &c. Nota, quod per filias iſtas intelligi debent animæ ſanctæ, & Angeli; & ideo Maria exponitur hic ſupergreſſa omnes divitias Virginum, Confeſſorum, Martyrum, Apoſtolorum, Patriarcarum, & omnium Angelorum, cum ipſa ſit primitiva Virginum, ſpeculum Confeſſorum, roſa Martyrum, regiſtrum Apoſtolorum, oraculum Prophetarum, filia Patriarcharum, Regina Angelorum: quid enim de divitiis omnium horum defuit? ſi ergo diligentius aſpicias, nihil virtutis, nihil ſpecioſitatis, nihil candoris, & gloriæ, quod in ea non reſplendeat ſuper omnes. *Op. ſpec. B.Virg. lect.2.*

942. *Mariæ divitiæ iterum expenduntur, in natura, gratia, & gloria.*

Multæ filiæ, &c. Tu ſupergreſſa es univerſas. In quo ſupergreſſa eſt? In natura, gratia, & gloria: In natura ſupergreſſa univerſas filias hominum, dum quod natura non admittit, Virgo concepit. & Virgo peperit; peperit filium non ſolùm hominem. ſed & Deum: ſupergreſſa univerſas in gratia, dum non ſolùm fuit plena gratia, ſed ſuperplena; plena fuit gratia ſibi & ſuperplena ad ſalutem univerſitatis: ſupergreſſa eſt univerſas in gloria animas, & Angelos, quia in gloria aſcendit ſuper omne humanum genus, & Angelos ipſos tranſcendit: Et hinc eſt quod in canone Miſſæ primo loco ante omnes ſanctos nominatur & invocatur. *Op. expoſit. miſſæ, c.4. & op. ſpec. B. Virg. lect.13. & ſer.1. In annun. B. V. in addit.*

943. *Mariæ merita expenduntur, & conferuntur cum meritis omnium ſanctorum collectivè.*

Multæ filiæ congregaverunt &c. Quæſtio hîc poteſt ſuboriri, an iſtæ divitiæ meritorum mariæ ſint majores omnium ſanctorum, & Angelorum diſtributivè, ideſt ſingulorum, an collectivè omnium ſimul ſumptorum? Cui quæſtioni primò reſpondetur, quod loquendo de comparatione diſtributiva, certum eſt, nec ſine injuria fidei negari poteſt, mariam ſuperaſſe quemcumque Sanctum, & Angelum in meritis: & ſecundò quo ad comparationem collectivam dicendum, quod Maria Virgo ſuperat incomparabiliter merita omnium Sanctorum, & Angelorum ſimul collecta, quia ipſa ſupergreſſa eſt omnes filias, ſcilicet omnes Sanctos, & Angelos ſimul in unum collectos, nam nihil de divitiis omnium Sanctorum Mariæ defuit: & ſi fiat ſupputatio graduum meritorum in Beata Virgine ex actibus ſecundum majorem, vel minorem intenſionem elicitis, & ex habitu charitatis, quid dicemus? cum in mariam infuderit Deus omnem plenitudinem gratiæ ſupra communem perfectionem univerſalis Eccleſiæ, ob idque immenſam, & tantam, quod ſolus Deus, qui eam ſic replevit poteſt cognoſcere? Ideo repleta eſt tota capacitas animæ Mariæ ultra quam non eſt poſſibile creaturæ majorem recipere: Et cum Maria ſemper cooperata fuerit tota intentione voluntatis tantæ gratiæ, ſequitur, quod Mariæ gratia, divitiæque meritorum in immenſum excreverit. *Op. ſpec. B. Virg. lect.5. & 7. l.1. d.17. p.1. q.4. in corp. & l.1. d.44. dub.3. & l.3. d.12. a.2. q.1. & d.13. a 1. q.2. & ſer.1. & 2. de B. Virg. V. Suar.3. p. tom.2. d.18. ſect.4. Baradium t.2. l.6. c.10. Vegam in Theol. mar.*

944. *Laus vera à virtute & ſanctitate, non à bonis externis provenit.*

Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo: mulier timens Dominum &c. Nota, quod cum plura encomia celebrata ſint de iſta forti muliere, & ſi ipſa eſſet in corpore pulchra, & decora, tamen advertit Spiritus ſanctus, quod hæc pulchritudo & venuſtas eſt vana, quia decidit ſicut flos, quia vanum reddit cor hominis, quia eſt ut plurimum

pluriṁum perieuloſa, ideoque non ad ipſam attendendum eſt, ſed tantùm pulchritudo aoimæ, quæ provenit ex decore virtutum, ex timore Dei & ſanctitare; hæcque ſola eſt digna laude, & deſideranda. *l. 4. d. 24. q. 1. l. 3. d. 30. dub. 6. Op. de trib. ternar. peccat. c. 7. Pſal. 6. in Ecclen. proœm. in ſap. c. 7. & 14. in Thren. c. 2.*

945. *Ad pulchritudinem externam in ducenda uxore an ſit attendendum.*

Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo &c. Si hoe eſt verum, ergo qui in ducenda uxore attendunt ad pulehritudinem mulieris, ad aliaque dona externa peccabunt? Reſpondetur, quod ſi quis in dneenda uxore vel viro attenderet ad pulchritudinem, vel gratiam, vel divitias tamquam ad eauſam principalem, tunc ſibi proponeret cauſam minus honeſtam, & ſi complacentia eſt moderata, poteſt eſſe ſine peccato, ſi ſit motiva, & finis principalis, erit cum aliqua culpa: ſi verò ſit id cauſa tantùm excitans, & inducens, tunc poteſt eſſe ſine peccato, quia pulchritudo, & gratia movet naturaliter, & attrabit animam ad amorem; & ad hæc motiva reducuntur divitiæ, ſapientia, aliæque dotes naturales, ſed principale motivum debet eſſe Dei timor, & virtus. *l. 4. d. 30. dub. 6. & quaſt. 3.*

946. *Gratia Diaboli, carnis, & mundi fallax: gratia Dei ſecura, & vera.*

Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo &c. mulier timens Dominum &c. Quænam eſt hæc gratia fallax? Nota, quod gratia fallax eſt quæ quæritur, & invenitur apud homines, Diabolum, & mundum: gratia carnis eſt externa pulehritudo, quæ vana eſt: gratia apud mundum, & homines eſt falſa, & caduca: gratia apud Diabolum eſt gratia proſperitatum, hæcque eſt labilis, & deceptoria: E contra gratia apud Deum ſecura, vera, ſolida, & omnia bona ſecum afferens. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 5.*

947. *Pulchritudo Mariæ Virginis interior, & exterior expenditur.*

Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo &c. Si hoc eſt verum, ergo pulebritudo exterior defecit in Maria? minimè hoc: Imò Maria, quia ſponſa Spiritus ſancti, ideò venuſtiſſima, & formoſiſſima: Cum autem in unoquoque genere detur unum, quod eſt metrum, & menſura omnium inferiorum, & Maria ſit ſuperior omnibus individuis humanæ naturæ puræ, conſequens eſt etiam, ut ipſi conferret Deus dona, privilegia, doteſque proportionatas ſuper omnes creaturas, ergo & ſpecioſiſſima, venuſtiſſima, & pulcherrima ſponſa digna Spiritus ſancti: & hinc Chriſtus eſt omnium pulcherrimus, quia ex pulcherrima Matre natus: Sed tamen magis pulchra ob venuſtatem, & ſanctitatem interiorem: pulchra quidem in juſtitia, & in judicio reſpectu ſui, & ſuæ converſationis: pulchra in miſerationibus, & in miſericordia reſpectu proximi in effectu: pulchra in fide reſpectu Dei, quia credidit omnia credenda ſupra ſe, & omnia perficienda in ſe: ideò invenit meritò gratiam apud Deum, veram utique & puram, nulla adulterina mixtura vitiatam: quidquid igitur in Maria geſtum eſt, totum puritas, & ſimplicitas, totum gratia, & virtus, totum miſericordia & juſtitia fuit, quæ de Cœlo proſpexit. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 5. & 1.. & ſer. 2. de B. Virg. in princ. & ſer. 3. Dom. 14. Pentec.*

948. *In Morte dabitur unicuique juxta opera ſua.*

Date ei de fructu operum ſuorum, & laudent eam in portis opera ejus. Ecce terminus, & complementum omnis laudis, vel vituperii noſtri: De hac muliere forti, & operoſa dicitur, quod in portis mortis datum ei fuit de fructu manuum ſuarum, quod & omnibus nobis continget; qualia enim ſunt opera noſtra, talis erit merces; qui ergo operabitur in vinea Domini, & excolet terram cordis, guſtabit fructus operum ſuorum, & ſecundum laborem ſuum mercedem accipiet: ſi malè operatus fuerit, veniet ei maledictio divina ſi benè benedictio æterna: Væ igitur nobis, ſi folia tantùm, & non fructus invenerit Chriſtus, cum venerit ad judicandum. *Ser. 1. & 3. Dom. ſexag. ſer. 1. Dom. 7. Pentec.*

949. *Ab operibus noſtris laus vel vituperium ſolùm provenit*

Laudent eam in portis opera ejus. Cur, & quomodo dicitur, quod opera hanc mulierem laudare debent, & non potius oratores ſacri per verba laudatoria? Cur non ex patria, ex majorum ſuorum geſtis, non ex nobilitate familiæ, aliiſque hujuſmodi? quia non à verbis, ſed ab operibus oritur noſtra laus: ſi opera noſtra erunt perfecta, ideſt ſi operans erit talis, qualis debet eſſe, & opera talia, qualia debent eſſe, tunc nobis erit laus à Deo, & ſanctis: ſi, è contra, opera non erunt talia, tunc ex vita noſtra proveniet omne vituperium. *In Ioan. c. 5. v. 37. & ſer. 3. in feſto om. ſanct. in addition.*

950. *Maria ubique, & ſemper laudanda.*

Date ei de fructu operum ſuorum, & laudent in portis opera ejus. Si de Maria Virgine hîc ſit ſermo, quid à nobis dandum eſt Mariæ? ſpectat ne ad nos dare, & conferre ei de fructu operum ſuorum? ſed attende, quod alium ſenſum reddunt hæc verba: Date ei de fructu operum ſuorum, ſcilicet accepta ab ipſa, eidem reddite; quidquid enim boni actitamus, ipſa donante præſtemus, & ſi quid obſequii illi exhibemus, ipſi profectò acceptum referre debemus; & ideo laudanda Beata Virgo à nobis ex geſtis ab ipſa factis, ex beneficiis ab ipſa nobis provenientibus, & hæc laus non ſit privata, ſed in portis, & in turbis Et notanda ſunt iſta verba: Date ei de fructu operum ſuorum: non dicit omnes fructus, ſed de fructu operum ſuorum, ſcilicet r... illum: nam cum ſcientia noſtra ſit tenuiſſima, & mens obſcuriſſima, dignas laudes Mariæ excogitare non ſufficit, cum in his illuminatæ mentes angelicæ deficiant: lingua ergo mihi deficit, quia mens mea non ſufficit Domina, Domina omnia mea intima ſollicita ſunt, ut tantorum beneficiorum tibi gratias exſolvam, ſed nec cogitare poſſum dignas, & inde proferre non dignas: quidquid enim dixero minor laus eſt

quàm dignitas tua meretur, & ſi membra mea in linguas verterentur, eam laudare non ſufficerem: His tamen non obſtantibus, & ſi ad hoc nemo inveniatur idoneus, in his tamen omnibus ceſſare non debet quilibet à laudibus, nec ab ipſis ceſſare debemus, ne ingrati tacendo maneamus. *Op. ſpecul. Beat. Virgin. in prol.*

951. *Gloria Mariæ aſſumptæ in cœlo expenditur.*

Et laudent eam in portis eius. In quibus portis? In portis cœleſtis Hieruſalem: laudent eam propter opera ejus mirabilia: Unde notandum, quod hæc fuit prophetia de triumphali aſcenſu Mariæ in cœlum, in quo concurrerunt omnes cœleſtis curiæ beati; quodque figuratum fuit in ingreſſu in Hieruſalem Reginæ Sabæ, de qua dicitur 3.*Reg.c.*10. Et ingreſſa Hieruſalem cum comitatu multo, & divitiis, Camelis portantibus aromata, & aurum infinitum nimis, & gemmas pretioſas; hæc fuit figura Mariæ ingredientis in cœleſtem Hieruſalem: Ingreſſa eſt enim cum comitatu multo potentium Angelorum, quia militia cœlorum cum ſuis agminibus feſtinè obviam venit Genitrici Dei, eam ingenti lumine circumfulſit, & uſque ad Thronum olim ſibi ante mundi conſtitutionem paratum, cum laudibus, & canticis ſpiritualibus perduxit, attulitque ſecum aurum infinitum dilectionis Dei, & proximi, gemmas pretioſas virtutum, & donorum, aromata bonorum operum, & exemplorum. Et ſi laudant eam ſupernæ virtutes; dicamus ergo & nos devoto corde: Te matrem Dei laudamus, te Mariam Virginem profitemur: Te æterni Patris ſponſam omnis terra veneratur: Tibi omnes Angeli, & Archangeli, tibi Throni, & Principatus fideliter deſerviunt: Tibi omnes Poteſtates, & omnes virtutes cœlorum & univerſæ dominationes aſſiſtunt: Tibi omnis angelica creatura inceſſabili voce proclamat ſancta, ſancta, ſancta Maria Dei genitrix, mater, & Virgo: Pleni ſunt cæli & terra majeſtatis gloriæ fructus tui: Te glorioſus Apoſtolorum Chorus ſui Creatoris matrem collaudat: Te beatorum Martyrum cœtus candidatus Chriſti Genitricem glorificat: Te glorioſus Confeſſorum exercitus Trinitatis Templum appellat: Te ſanctarum Virginum chorea amabilis, virginitatis, & humilitatis exemplum prædicat: Te tota cæleſtis curia Reginam honorat: Te per univerſum orbem Eccleſia invocando concelebrat matrem divinæ majeſtatis: Te decet laus, te decet imperium, tibi virtus, & gloria in ſæcula ſæculorum. *Op. ſpec. B.Virg.lect.*13.*& op.Pſalt. B.Virg. ad Te matrem Dei, &c.* Oh utinam merear, & ego in portis, & intra portas Paradiſi ſimul cum Beatis laudare in perpetuum hanc Beatiſſimam Virginem.

Explicit expoſitio Sancti Bonaventuræ in Prover. ad laudem Dei, Beatiſſimæ Virginis, &c.

PROLO

Digitized by Google

PROLOGUS
IN
ECCLESIASTEN.

PRIMÒ nota quod hic eſt liber ſecundus à Salomone conſcriptus, & compoſitus in quo intendit inducere auditores ad contemptum rerum præſentium, circa quem remittimus Lectores ad commentaria doctiſſima, & exactiſſima Seraph. Doctor. in 1. tomo ſuorum operum poſita, & quia ſunt completiſſima, & exactiſſimè exarata, ideò ne actum agamus, ſolùm hic ſubjiciemus textus hujus libri ſparſim expoſitos in ſuis operibus, ſolumque aliquando delibabimus aliqua dictorum commentariorum neceſſaria vel ad intelligentiam, vel ad majorem explicationem dictorum textuum, & ſententiarum.

CAPUT PRIMUM.

1. *Titulus hujus libri expenditur ſicut & libri Proverbiorum, & Canticorum.*

V*ERBA Eccleſiaſte filii David Regis Hieruſalem.* Hic oritur dubium cur in principio Proverbiorum ſe appellat tantùm regem Iſraël: hic ſe dicit filium David & regem Hieruſalem, & Eccleſiaſten: ſed in Canticis Canticorum ſuum nomen non præmittit? cur hoc diſcrimen? Reſpondetur quod in libro Proverbiorum introducitur Salomon loquens ut ſapiens ad diſcipulum, & filium, loquitur enim parvulis, & indoctis, ideò & per parabolas, & apertas ſimilitudines omnibus dirigebat ſua monita, vocatque ſe Salomonem regem Iſraël non denominans ſe ab alio, ſicut in hoc libro, intendens inducere auditores ad cognitionem agendorum. Hic autem ſe denominat Eccleſiaſten, ideſt Concionatorem quia in hoc libro ad modum concionatoris inducit ſententias diverſorum, & ſecundùm hoc diverſimodè perſuadet: vocatque ſe filium David, quia Concionator non ſolùm debet eſſe ſapiens, ut ſe oſtendit in hoc libro, ſed etiam bonus, & juſtus, & ideò ſe dicit filium David. David enim Sanctus fuit, & imitationis filii ſancti ſunt, undè hoc nomen in ſcriptura eſt benignitatis, & manſuetudinis: dicit ſe tandem regem Hieruſalem, non dicit Iſraël ut in Proverbiis denominans non totam potentiam, ſed partem regni, quia cum liber iſte fuerit hominis pœnitentis, & humiliantis ſe, intendit inducere ad contemptum præſentium, dans intelligere quod contemptores mundi ſunt cives cœleſtis Hieruſalem, qui non habent hîc manentem civitatem, ſed futuram inquirunt: In Canticis Canticorum poſteà nullum titulum præpoſuit, quia ibi loquitur ſponſus, & ſponſa; ne igitur videretur quod ibi eſſent verba Salomonis ad uxorem ſuam cum ſint ad litteram verba Chriſti ad Eccleſiam, ibi non præmittit titulum, & nomen ſuum. *Eccleſ. proœm.*

2. *Vanitas triplex in hoc Mundo expenditur, naturæ, iniquitatis, & pœnalitatis.*

Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Nota quod hîc triplicem vanitatem proponit ſacer Concionator & cur hoc? & quomodò, & qualis eſt hæc triplex vanitas? nonnè una ſufficit? nonnè omnis vanitas in idem coincidit? minimè. Ideo advertendum quod hîc ordine præpoſtero deſcribit triplicem vanitatem, quarum una conſequitur ex alia; nam tertio loco ponit vanitatem naturæ, quæ mutationi ſubjecta eſt: ſecundo loco vanitatem iniquitatis: & primo loco vanitatem pœnalitatis: vanitas autem naturæ principium eſt vanitatis, iniquitatis, & ex iſta oritur vanitas pœnalitatis: Triplex igitur vanitas in univerſum reperitur, nempè vanitas naturæ, quia omnia ſubjacent mutabilitati ex eo quod è nihilo procedũt, & in nihilum redigerentur naturaliter ſi à Deo non conſervarentur; vanitas iniquitatis, quia peccatum nihil eſt; & vanitas pœnalitatis procedens ex iniquitate. *Eccleſ. c. 1. Pſal. 61.*

3. *Vanitas mundi, & rerum mundanarum expenditur.*

Vanitas vanitatum, & omnia vanitas: Si vanitas ſunt omnia ergo & Mundus: cur? Mundus eſt vanus, quia non præbet fulcimentum innitenti, ideò comparatur baculo arundineo, ſuper quem ſi innixus fuerit homo perforabit ambas manus ſuas, quia mundus, & mundana omnia omnes in eis confidentes reddunt debiles, & inanes, & ad omne opus bonum inhabiles. Vanitas item eſt mundus, quia non præbet plenitudinem continenti, vana enim non implent noſtrum cor: vanus item mundus, quia non dat quietem laborãti, ideo qui pro mundanis laborat,

laborat,in vanum laborat,quia ipſe non permanet, ſed ſemper circuit,ergo qui ei adhærent neceſſe babent circuire:vanus item quia non præbet fructum diligentibus, imò damnum, quia luctando Mundum perdunt Deum, & ſeipſos: vanus item quia promittendo altitudinem erigit in ſuperbiam, & ob id evaneſcere facit: promittendo dulcedinem inflammat ad luxuriam, ſicquè facit meotem vanam: item quia promittendo ſufficientiam trahit ad cupiditatem, & per hoc facit hominem,ejuſque cor vanum, nam avarus non impletur pecunia: item qoia promittendo ſapientiam allicit ad curioſitatem, & per hoc facit vanum, & vaniloquum: *in Eccleſiaſten proœm.op.collatio. de contemptu ſæculi.ſerm.1. de plur. conf. Pſal.25.ſerm. 19. Hexam.ſap.c.13.*

4. *Vanitas honorum, deliciarum, & rerum temporalium expenditur.*

Vanitas vanitatum, & omnia vanitas: Nota qnod noo ſine myſterio triplicem vanitatem nominat· quia omoia bona muodaoa ad tria capita reducuotur, ſcilicet ad honores, delicias, & divitias, quæ omnia ſunt vana: nam honores erigunt in ſuperbiam, & ob id evaoeſcere faciunt cor hominis: deliciæ carnales excitant ad luxuriam, & res temporales ad avaritiam, & ideo omnia ſunt vaoitas: *in Ecclen. proœm. op. collat.de contempt.ſæculi.*

5. *In mundo ſolùm vanitas regnat: in Deo ſolo veritas: ille contemnendus, iſte diligendus.*

Vanitas vanitatum, & omnia vanitas: Vide qoomodo ſapiens hîc concionator ad contemptum io primis verbis ioducere prætendit ex eo quod omnia ſunt vanitas; & cur ſunt vaoitas? primò quia amatores mundi ſolùm laboribus, & doloribus paſcuntur: ſecundò quia mundus tranſit, & in morte nihil permanet: tertiò quia gloria mundana eſt fugax: quartò quia omnia ſuot mutabilia, & corruptioni obnoxia: quintò quia mundus, & mundana ad peccatum trahunt: E contrà io ſolo Deo eſt veritas, quies, fœlicitas, & perpetuitas, deſine ergo amare temporalia, & deſioes tranſire cum tempore; Chriſtum ama, & in æternum vives. *Op. collat.de contemp.ſæculi, ſer.17.ſerm.19.in Hexam.in Lucam c.16.v.12.*

6. *Laborans ſub ſole in vanum laborat: ſupra ſolem laborat cum fructu.*

Qnid habet amplius homo de univerſo labore ſuo quod laborat ſub ſole? Quaſi dicat nihil; ſed qualis eſt univerſus labor hominis? & qualis ſub ſole? ſed attende quod hic ionuit ſacer textus omnes labores hominis, vel fieri ſub ſole ſcilicet ob terrenum, & traoſitorium finem; vel per intentionem elevari ſupra ſolem, ſcilicet in Deum, datque intelligere quod opera quæ non fiunt propter Deum ſuot fruſtratoria, & vana, & ratio eſt quia ille vivit, qui dirigitur ſecundum regulas juris divini, aſſentiendo præceptis neceſſariis, monitis ſalobribus, conſiliis perfectis, ut probet homo quæ ſit voluntas Dei, beneplacens, & perfecta: & ideo cum Deus ſit ſurſum neceſſe eſt quod apex mentis ſurſum erigatur aſſentiendo primæ veritati propter ſe, & ſuper omnia innitendo ſummæ largitati, & adhærendo ſummæ bonitati: fœlix igitur qui laborando ad Deum dirigit omnes ſuos actus: infælix è contra qui finem in his terrenis collocat, quia vanos eſt, & vana ſunt omnia, quibus innititur. *Op.de reduct.artium & in Eccl.proœm.& ſerm.2. de uno mart. & ſerm. in feſto S. Petri ad vincula.*

7. *Hoſpites, & peregrini ſumus in hac vita.*

Generatio præterit, & generatio advenit: terra autem in æternum ſtat. Cor copulat ſtabilitatem terræ generationi tranſeunti? quia hæc terra eſt domus, ſive habitatio hominum ſuper quam homines veluti peregrini ambulant tanquam alienam terram, & domum, & continuè pertranſeunt de vita ad mortem: *ſap.c.4.* quaſi dicat, *Terra in æternum ſtat*, ut venientes mittat, pertraoſeuntes portet, & diſcedentes recipiat veluti fundamentum, receptaculumque peregrinorum, & poſtquam ipſos receperit eos dimittat advocans novos alios, hiſque machinando denuò maleficium, ipſos intrà ſe intromittens, & devorans: ô quam vana, & fallax hæc vita.

8. *Fugacitatis, & inſtabilitatis rerum hujus Mundi terra ſtat veluti teſtis.*

Generatio advenit, & generatio præterit: terra autem in æternum ſtat. Vide quomodò hic ante oculos oobis objicit ſapiens inſtabilitatem, fugacitatemque omnium iſtarum rerum, quæ nunquam in eodem ſtatu permaoeot, quia ſtatim ac generatio advenit, ipſa præterit quaſi formans motum perpetuom: ſubdit verò Terra in æternum ſtat, quaſi materia, & immobile fundamentum, & veluti teſtis talis fluxibilitatis, imo & omnium noſtrarum actioonm, ut videas quod vana ſunt omnia iſta terrena, & omnia in terram reſolvuntur. *Ecclen. cap.1. lib.2. diſt.2. p.1.dub.1.*

9. *Spiritualis regeneratio ſuper terram Eccleſiæ & conſcientia expenditur.*

Generatio præterit, generatio advenit: terra autem in æternum ſtat: Nota quod ſicut omoia innovaotur in terra per cootiouam generationem temporalium; ſic & ſpiritualia per continuam regenerationem: hæc autem regeneratio fit in terra myſtica ſcilicet vel in conſcientia, quæ per continuum exercitium virtutum excolenda eſt: vel in Eccleſia, quæ adminiſtratione Sacrameotorum fulcimentum præbet nobis ad multiplicem regenerationem, & innovationem: *Ecclen. cap.1. ſap. cap. 7. ſerm.2. in Cathedra. &c.*

10. *Motus diurnus, temporis & anni, ventorum. & fluminum expenditur.* Oritur ſol, & occidit, & ad locum ſuum revertitur, ibiquè renaſcens gyrat per meridiem, & flectitur ad Aquilonem: luſtrans univerſa in circuitu pergit Spiritus, &

io

in circulos ſuos revertitur; omnia flumina intrant in mare, &c. Vide quæ hic tradit. *S. Bonav. in littera expoſit. c. 1.*

11. *Motus ſolis exprimit nobis motus factos à Chriſto ſole juſtitiæ pro nobis.*

Oritur ſol, & occidit, &c. Nota quod hic exprimuntur omnes motus Chriſti ſolis juſtitiæ pro nobis facti, quia primò proponitur exortus mirabilis Chriſti quando radius ſuperſubſtantialis unitus humanitati ex utero Virginis prodiit, & hinc gyravit per meridiem, ſcilicet converſatus eſt in Mundo ut ſol vigens, & lucens, & inflammans: occidit in morte, & gyrans poſtea renatus eſt aſcendeos ab inferis ad corpus, & poſtea ad cælum gyrans per meridiem jam io ferventi dilectiooe Sanctorum, & flectetur ad Aquilonem veniens ad judicandum: Ecce quid fecit pro nobis Chriſtus: *Serm. 13. & 23. in Hexam. vide op. compendioſum principium ubi de 2. libro ſement. & in Eccl. c. 1* Nota etiam qood Chriſtus flectitur nunc ad Aquilonem, ideſt ad peccatores in peccatis induratos per radios Miſericordiæ illorum corda emolliendo, nunc ad meridiem, ideſt ad bonos in fervore charitatis exiſtentes, eos conſolando; comparatur autem ſoli, quia eſt ſphericus per altiſſimam paupertatem, ob quam tangit terram in puncto, in reliquis elevatus eſt ad cœlum: diſcurritque per univerſum per obedientiam, & omnibus ſuos influxus exponit. *Ser. 1. de uno S. Doct. & op. Eccl. Hierarc. p. 4. c. 6.*

12. *Juſti circa axim, Scil. Chriſtum ad modum ſolis gyrant, & hoc maximè Prælati.*

Oritur ſol, & occidit &c. Nota etiam quod per ſolem intelligi poteſt vir juſtus, qui ſemper eſt in continuo motu ab oriente in occidentem, ſcil. à quiete contemplationis ad laborem pœnitentiæ, prædicationiſque, & iterum peracto exercitio operis procedit orando, luſtratquè univerſa in circuitu ſpiritus, & in circolos ſuos revertitur ſe movendo, & circumeundo circa axim, qui eſt Chriſtus cui per intentionem, & amorem ſemper adhæret, & innititur nunquam ipſum deſerens, & hoc maximè debet verificari de Prælatis. *Op. Eccl. Hier. p. 4. c. 5.*

13. *Sol luſtrans omnia eſt Maria Virgo, per omnia enim reſpicit per omnes Angelos. & ſanctos extendit gloria ſuæ illuminationem, imò illuſtrat totum orbem. Op. ſpec. B. Virg ſer. 3.*

14. *Motus aquæ expenduntur hic, omnia flumina intrant in mare &c. de quo vide textum S. Bonaventuræ in Ecclen. c. 1.*

15. In Sacra ſcriptura continentur ut in mari omnes intelligentiæ ſpirituales, undè dicitur Myſticè: omnia flumina intrant io Mare, ideſt omnes intelligentiæ ſpirituales originem habent à ſacra ſcriptura tanquam à mari vaſtiſſimo & immenſo, quæ ſunt veluti flumina, quia Deus in hoc mari veluti in utre congregavit omnem congregationem aquarum, ſcil. ſpiritualium intelligentiarum, & ideò qui vult extinguere ſitim animæ veniat ad hoc mare. *Serm. 13. Hexam. & lib. 1. ſent. in Prolog. Pſal. 29.*

16. *Chriſtus mare gratiarum, à quo omne bonum.*

Omnia flumina intrant in mare. Nota hìc Chriſtus eſt hoc mare, in quo ſunt omnia flumina aquarum, ſcilicet plenitudo ipſarum, & ipſe eſt origo omnium virtutum, & ſcientiarum, & ſicut fons, vel flumen non habet durationem, niſi habeat cum ſua origine continuationem, ſic nec lux gratiæ poteſt vigere in animo, niſi per reverſionem io ſuum originale principium, quodquè habetur ſola humilitate, & perditur, & diſſolvitur ſuperbia *Ser. 1. in Hexam.*

17. *Prædicator eſt flumen exiens à mare ſcilicet à Chriſto, & ad ipſum rediens.*

Omnia flumina &c. Et ad locum unde exeunt, revertuntur: ſic faciunt flumina, quæ veluti à mari prodeunt, & emittuntur, & poſteà ad ipſum revertuntur; talis eſt Prædicator qui à Chriſto miſſus per commiſſionem authoritatis debet reverti ad ipſum per intentionem puritatis, & orationum: ſic de ipſis animalibus dicitur quod ibant, & revertebantur ad ſimilitudinem fulguris coruſcantis. *Luc. c. 14. v. 21. & c. 10. v. 18.* Hincquè Prædicatores poſt peractum curſum ſui muneris ad ſolitudinem orationis reverti debent.

18. *Dulcedo hujus vitæ in mare finitur amaritudinis.*

Omnia flumina intrant in mare: quæ flumina? flumina hujus vitæ, quæ licèt videantur dulcia, tamen terminant in mare, ſcilicet in amaritudinem: *ſerm. 2. in Exalt. S. Crucis. Pſal. 120.* flumina noſtrarum concupiſcentiarum, quæ ſemper ſunt in motu tendentia ad explendum appetitum, terminant in mare mortis, & inferni. *Pſal. 120.*

19. *Avari inſatiabilitas expenditur.*

Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat. Nota quod avarus hìc ſignificatur per mare, ejus enim cor eſt mare inſtabile, quia cum abſorbeat vel re vel cupiditate omnia flumina theſaurorum, tamen non redundat, ſcilicet dando eleemoſynam, vel reſtituendo. *Diat. tit. 1. c. 6. & op. comp. Theol. lib. 3. c. 19.*

20. *Eleemoſynarii prærogativa expenduntur.*

Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat. Et ad locum undè exeunt revertuntur: Nota quod ſicut hac metaphora explicatur malitia avari: ſic & e contra explicantur prærogativæ eleemoſynæ, & hominis eleemoſynarii, nam in hac metaphora fit mentio de mari, de fonte, de flumine proveniente à fonte; nam fons eſt pietas reſidens in corde viri eleemoſynarii: iſte fons per occultos meatus trahit originem à gratia Dei, quæ eſt veluti mare: ex hoc fonte provenit flumen eleemoſynæ, quod ſæpè in tanta affluẽtia excurrit quòd extrà ripas exit: ita homo miſericors non ſolùm bonis, ſed etiam malis tranſmittit effectus ſuæ pietatis, maximè tempore neceſſitatis. *Op. Diat. tit. 2. c. 7.*

21. *Maria mare plenum omnium gratiarum omnium ſanctorum.*

Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat. Nota etiam quod myſticè hæc dicuntur de M.Virg. quæ eſt mare plenum omnium gratiarum, in quam intraverunt omnia gratiarum flumina omnium ſanctorum, nempè fides Patriarcharum, Spiritus Prophetarum, zelus Apoſt. conſtantia Martyrum, ſobrietas, & pœnitentia confeſſorum, fæcunditas conjugatorum, caſtitas Virg. puritas Angelorum: item in Mariam intrant omnia flumina charismatum Spiritus ſancti, nempè flumen gratiæ Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, confeſſorum, virginum, & mare non redundat, ideſt abſque ſui decremento ab ipſa derivant in omnes homines, & Angelos, & effunduntur per totum mundum flumina gratiarum. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 5. & 7.*

22. *Maria fuit mare amarum in Paſſione filii, & mare amarum Chriſtus in eadem Paſſione.*

Omnia flumina &c. Mare eſt plenum aquâ amarâ: ergo & Maria, quæ interpretatur mare amarum, quia omnia flumina dolorum Chriſti intraverunt in hoc mare: imò duplex mare hîc proponitur, nempè cor Chriſti patientis, & cor Mariæ compatientis: in utrumquè flumina dolorum intraverunt: Intremus ergo & nos in hoc duplex mare intimè contriſtati de tantis doloribus, & de noſtris peccatis, quæ tantorum dolorum fuerunt occaſio: vel intremus in cor Mariæ, & in eo inveniemus omnia vulnera, & dolores Chriſti: ſic enim non dolorem, ſed amorem, ſed dulcedinem hauriemus: *Op. ſpec. B. Virg. lect. 3. & op. ſtim. div. am. p. 3. c. 15.* Nota etiam quod dicit, *& mare non redundat*: Addit S. Bernardinus, quia ſi redundarent dolores adventuri, omnes creaturæ interirent præ intenſione, & magnitudine dolorum, quia doloris intenſio fuit ad proportionem amoris.

23. *Maria mare amarum contra dæmones, & vitia tonans.*

Omnia flumina intrant in mare, Scilicet Mariam, quæ interpretatur mare amarum; ſed nunquid de ipſa, quæ natat nunc in mari dulcedinis Paradiſi poteſt dici amarum mare? Nota quod Maria dum extitit in vita mortali fuit in ſe mare amarum, nunc eſt in ordine ad dæmones, ſicut enim mare fuit amarum Ægyptiis, ſic Maria amarum dæmonibus, qui ad pronunciationem hujus nominis timent, tremunt, vires perdunt, & fugiunt; mare item eſt amarum tonans contra vitia: tonat contra luxuriam caſtitatem proponendo, contra ſuperbiam humilitatem ſentiendo, contra ingratitudinem gratias agendo; tonat pro nobis ſuſpiriis, voce, oratione ut nobis effundat de ſua plenitudine. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 3. & 7.*

24. Vanitas rerum prout habent eſſe in intellectu in ordine ad vim intellectivam, memorativam, & interpretativam oſtenditur in hoc verſu: cunctas res difficiles non poteſt homo eas explicare ſermone: non ſatiatur oculus viſu, nec auris auditu; quia per iſtos duos ſenſus maximè percipiuntur ſcientiæ, de quo vide textum. *in expoſit. Seraph. D.*

25. *Curioſitas quid: quàm mala in effectibus.*

Cuncta res difficiles: non poteſt homo eas explicare ſermone: non ſatiatur oculus viſu, nec auris auditu, &c. Vide quomodò Salomon exprobrat curioſos, & curioſitatem à corde noſtro conatur repellere, quæ præcipuè exercetur per ſenſum viſus, & auditus: eſt autem curioſitas intellectus humani libidinoſa proſtitutio, in rebus totam ſe effundens, & divina relinquens: ad hanc enim concurrit curæ nimia attentio, & utilitatis privatio; ea qua Evæ ruina orta eſt, & tot miſeri decipiuntur: *Luc. c. 23. v. 8. op. Phar. lib. 3. c. 7. Luc. c. 14. v. 19. ſerm. 5. de decem præcep.*

26. *Curioſitas nimia in ſcientiarum uſu, non ordinata ad Deum amandum quam damnoſa.*

Non ſatiatur oculus viſu, nec auris auditu, &c. Hanc occupationem peſſimam dedit Deus filiis hominum: Ecce quomodò curioſitatem appellat occupationem peſſimam: ſed nunquid peſſima eſt inquiſitio cognitionis ſcientiarum, maximè: dum non ordinatur ad Dei amorem: Peſſima inquam, quia multi viri famoſi reputati etiam religioſi veluti quondam populus Iſraëliticus recto cultu creatoris relicto manufactis idolis ſervivit; ſic relicta vera ſapientia, quæ Dei cognitionem, obſequium, & amorem diverſis ſcientiis, & fabricationibus multiplicium argumentationum inventitiis, quaſi quibuſdam idolis miſerabiliter mentem replent, in quibus ſic abſorbentur, ut vera ſapientia in eis locum non inveniat, nec adſit ſpiraculum, quo ſuum creatorem anima per flammigeras amoris affectiones contingat: non enim ad hoc animam creaverat ut contra ſuam generoſitatem multitudine quaternarum ovinarum pellium repleretur, ſed ad hoc ut eſſet ſedes ſapientiæ, & in ipſa requieſceret pacificus civitatis ſupernæ, ſcilicet Deus altiſſimus reſideret. *Op. myſt. Theolog. in prologo, & ſer. 1. Hexam.*

27. *Scientiarum humanarum, & ſcientiæ myſticæ diſcrimen enodatur.*

Non ſatiatur oculus viſu, &c. Hanc occupationem peſſimam dedit Deus, ideſt permiſit: cur occupationem peſſimam appellat curioſitatem ſciendi? nonne & ſcientiarum cognitio perutilis eſt homini, & à Deo proveniens? maximè ſi tamen perducant ad finem propter quem à Deo in mundu ſunt expoſitæ, nempè ut perducant ad cognitionem, & amorem creatoris: ſed ſine hoc inutiles, & vanæ ſunt, & contrariæ ſapientiæ divinæ & myſticæ; nam ſcientias mundanas Mundi Doctores edocent: ſed hæc à ſolo Deo immediatè edocetur; iſta divinis illuminationibus, & diſtillationibus cæleſtibus ſcribitur in corde; illæ verò pennis anſeris, & atramento ſcribuntur in pelle: iſta dicit, ſufficit, nam per iſtam mens noſtra cauſam invenit, ſcilicet

ſcilicet Deum creatorem ſuum, & in ipſo fonte bonitatis immediatè conquieſcit: aliæ verò dicunt nunquam ſufficit; & hoc eſt Dei judicium juſtum ut qui non curando de ſumma ſapientia à ſumma veritate deviat veluti cæcus in tenebris involvatur, & ſic per vana, & devia anima informata humanis inventionibus inſenſata diſcurrat: item iſta affectum inflammat, intellectum illuminat: illæ verò quam pluries invenientes verâ ſapientiâ cor evacuatum, inflant, quam pluries variis opinionibus, & diverſis erroribus intellectum obtenebrant: aſcendat igitur anima per amorem Deum fontem omnium deſiderando, in quo ſolo reperiet veritatem. *Opuſc. Theolog. Myſtic. prolog. ſerm. 2. in converſ. S. Pauli.*

28. Nihil novum ſub ſole: nihil enim de novo producitur, cujus Deus aliquid ſimile non fecerit, vel cujus non produxerit ſeminale principium in illis ſex diebus: *Vide textum Sancti Doct. hic & lib 2. diſt. 15. dub. 4. & quæſt. ultim. ſap. c. ultim.*

29. *Præſcientiæ Divinæ æternæ reſpondet prædeſtinatio in tempore.*

Quid eſt quod futurum eſt, ipſum quod factum eſt. Si jam factum eſt quomodo dicitur futurum? ſed attende quod dat intelligere correſpondentiam inter præſcientiam, prædeſtinationemque divinam electorum, & executionem ipſius in tempore, & ideò alia littera legit fecit, quæ futura ſunt: ſcilicet fecit Deus prædeſtinando, quæ facturus eſt operando: ſic paravit ab æterno manſiones in cœlo, ſed in tempore parat manſionibus manſores operando. *Ioan. c. 14. v. 4.*

30. *Omnis peccans ſtultus.*

Stultorum infinitus eſt numerus. Quomodò infinitus eſt numerus? ergo omnes ſtulti. Sed nota quòd hîc dicit infinitus eſt numerus pro multitudine maxima hominum ſtultorum, quia enim omnis peccans ſtultus eſt, eum deviet à vero, & honeſto, & quia omnes ſic deviant, & ſunt peccatores, ideò dicitur quod ſtultorum infinitus eſt numerus. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 14.*

31. *Inter ſtultos quinam ſint ſtultiores.*

Stultorum infinitus eſt numerus &c. Nota cum omnes ſint ſtulti, ideſt peccatores, inter iſtos autem ſunt multi ſtultiores, ſuntque illi, qui pro temporalibus perdunt æterna bona: nonnè ſtultus eſſet qui pro aliquo temporaneo faceret ſe cremari æternaliter; oh quot ſunt in hoc mundo ſtultiores beſtiis: *ſer. 3. Dom. 2. poſt Pent. ſap. c. 4. & c. 14. ſerm. 1. in converſ. S. Pauli.* Nota etiam quod ſtultus eſt qui in cerebro eſt offenſus, & ideò dicitur habere lunam in capite: ſic & ſunt iſti portantes lunam in cerebro, qui in temporalibus ſunt immerſi itaut æterna ſub pedibus ponant: ſapiens verò portat lunam ſub pedibus. *Ser. 3. poſt Pent.*

32. *perverſorum, & ſtultorum miſeriæ quales.*

Perverſi difficilè corriguntur: ſtultorum infinitus eſt numerus. Nota hîc quod ſapiens ponit diſcrimen inter ſtultos, & perverſos; quia ſtulti propriè ſunt qui patiuntur in cerebro, & proprie ſunt qui fidem deſerunt; quia eorum error ſtat in intellectu: perverſi verò ſunt qui à rectâ via incedunt tortuosè per malam voluntatem, & talis perverſitas reddit hominem durum ad converſionem: *Luc. c. 9. v. 41. ſap. c. 4.* Nota autem quod pervertitur homo per malam cogitationem, aff:ctionem, locutionem, & iniquam operationem. *Ecclen. c. 1. hic.*

33. *A ſpeculatione ad moralem operationem eſt tranſeundum.*

Locutus ſum in corde meo dicens: Ecce magnus &c. Et præceſſi omnes ſapientia, & mens mea contemplata eſt multa ſapienter & didici. Nota (ly) ſapienter: dat enim intelligere, quod cum omnes ſcientias receperit à Deo, quod cum multa naturæ ſecreta inſtigaverit: cognoſcens quod hæc eſt occupatio peſſima, ſcilicet mera curioſitas; ad moralia tranſivit inveſtigans, quid operandum, quomodò vivendum rectè juxta dictamen legis divinæ, qui enim hoc non facit, nihil facit; ſcire enim, & non operari propter Deum eſt laborare in vanum: *Ecclen. c. 1. hic c. 7 Pſal. 118. c. 5. v. 9.* Et hinc addit, qui addit ſcientiam addit dolorem, qui ob ſtudium, & cognitionem curioſitatis cauſa laborant, in vanum laborant: quia quanto plura ſcimus, Deum melius noſcere debemus, & tantò magis ei obligati ſumus, & ideò non ei ſervientes magis puniendi ſumus, & hinc Chriſtiani durius paganis punientur in Inferno: *ſerm. 2. de uno mart. Ioan. c. 11. v. 40. & c. 16. v. 6.*

CAP. II.

34. *Conſolationes præſentis vitæ vanæ, & apparentes, & veræ afflictiones ſunt.*

D*IXI ego in corde meo: vadam, & affluam deliciis, & fruar bonis & vidi quod hoc quoque eſſet vanitas.* Ecce qualis tranſitus Salomonis, ſcilicet à ſtudio ſapientiæ cæleſtis ad ſtudium voluptatum terrenarum, dicens vadam, ſcilicet convertendo me ad vanitates, ſicuti de facto in ipſas ſe totum immerſit poſt quas verè cognovit, quod omnes delitiæ terrenæ ſunt vanitas, & ſolùm apparentes, eo quod non permanent, nec reficiunt, ſed deficiunt, ſed decipiunt. *Ecclen. c. 2.*

35. *Impiorum vita eſt phreneticorum: juſtorum eſt ſapientum.*

Riſum reputavi errorem, & gaudio dixi quod fruſtra deciperis. Ecce quo fundamento appellavit Salomon delicias terrenas vanitatem, quia riſus impiorum

impiorum eſt veluti phreneticorum, quia erroneus, momentaneus, & gaudium item eſt ad inſtar puncti: & hîc patet diſcrimen inter impios, & juſtos; nam impii illicitam degunt vitam in riſu in hoc Mundo, ſed poſtea flent æternaliter in alio: è contra juſti tamquam ſapientes vitam hanc in mærore, & pœnitentia ducunt, ut perpetuò in alia lætentur. *Ecclen.c.* 2. *Luc.c.6.v.25.*

36. *Crapula, & potus immoderati effectus peſſimi.*

Cogitavi in corde meo abſtrahere à vino carnem meam, ut animum meum transferrem &c. donec viderem quid eſſet utile &c. Ecce quomodò ſapiens tranſit à deliciis terrenis ad cæleſtes; nam primo loco propoſuit abſtinere ſe à crapula & ebrietate: ſciebat enim hujuſmodi ſuperfluitatem reddere homines ineptos ad ſtudium veritatis, exercitium virtutis, & exceſſum contemplationis, & ideo ſubdit: ut viderem quid eſſet utile, ſcilicet quam ſit utilis eruditio veritatis, & exercitatio pietatis: & quam noxia ſit tranſgreſſio legis, doctrina ſine bona vita, & diſputatio contentioſa: cave ergo ô homo à crapula, & ebrietate ſi vis evitare ſtultitiam, & ſapientiam obtinere. *Luc. c.21.v.34.in Ecclen.c.2.*

37. *Mundanarum divitiarum, delitiarum, & honorum vanitas iterum expenditur.*

Magnificavi opera mea, & ædificavi mihi domos, &c. Notanda diligenter nobis à Spiritu ſancto propoſita hæc verba Salomonis, in quibus oſtendit quantis iſte mundanis honoribus ſuper omnes alios reges fulſit, quantis deliciis uſus eſt, & quantis divitiis abundavit: & cum tot bonis repletus fuerit tamen adjungit, & cum convertiſſem me ad univerſa hæc vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem ſpiritus, & nihil permanere ſub ſole.: idcircò tæduit me vitæ meæ videntem mala univerſa, & cunctam vanitatem, & afflictionem ſpiritus, &c. ex quibus nobis dat Deus intelligere quanta ſit vanitas in iſtis deliciis, honoribus, divitiis, & quam diligenter à nobis ſunt evitandæ, quia vanæ, & qualiter mundus nos decipere quærit. *Serm.7. de Apoſt. & Ecclen.2.* Nota autem ſunt duo, quæ Salomon hic inſerit. Primum eſt quod ipſe ſibi paravit tot bona, & hanc ait ipſe, ratus eſt partem ſuam ſi uteretur labore ſuo. Secundum eſt quod ait, in omnibus iſtis vidi vanitatem, & afflictionem ſpiritus, & nihil permanere ſub ſole: & quod primum dat intelligere quod ex tot paratis bonis nihil aliud poteſt homo prætendere, & exhaurire niſi uſum laboris, ſcilicet tantùm voluptatis, quantum laboris impendit in his rebus quod tamen nec ipſe, nec quilibet alius unquam potuit, vel poterit concupiſci; ideo addit ſecundum ſcilicet quod in omnibus his ſolùm eſt vanitas, & afflictio ſpiritus: vanitas, quia non permanent: afflictio ſpiritus quia amittuntur ut inſtabilia. *Ecclen. c. 2. hic ſerm. 1. de S.Thoma.*

38. *Chriſti magnificentia in operibus redemptionis figurata in his factis à Salomone.*

Magnificavi opera mea. &c. Nota quod cum Salomon fuerit figura Chriſti, ideò hæc quæ in ſui damnum fecit ipſe à Chriſto impleta ſunt in profectum Eccleſiæ, in cujus fundatione valdè magnificatus eſt in ſuis operibus; fabricavit enim contemplativis domos ſcilicet conſcientias puras ad quieſcendum; vineas plantavit, ſcilicet affectiones devotas in animabus, ex quibus exprimitur vinum ſpirituale inebrians. hortos, ſcilicet exteriores clauſuras, & monaſteria: ſylvas, ſcilicet virtutes varias: pomaria, ſcilicet operationes honeſtas, & formoſas: piſcinas, ideſt lacrymas pœnitentium: item & pro activis: ſervos, & ancillas, ſcilicet miniſteria præcepta ſuis ſervis: armenta boum, ſcilicet laborantes in Eccleſia: oves per ſimplicitatem: aurum per charitatem: argentum per eloquii ſuavitatem: ſubſtantias regum, ſcilicet per eleemoſinarum largitionem: ſcyphos, & urceolos, ſcilicet doctores, & prædicatores poſuit in Eccleſia ad hoc ut veluti urceoli vinum cæleſtis ſapientiæ haurirent, & reciperent, & ut veluti ſcyphi talem ſapientiam miniſtrarent: vide ergo quomodo Chriſtus, opera ſua magna fecit, & magnificavit, *Ecclen.c.2.hic, & op.Eccl.Hier.p.4.c.5.*

39. *Sapientia cæleſtis quantum differt à mundana, & quæ ſit vera ſtultitia.*

Tranſivi ad contemplandam ſapientiam, erroreſque. & ſtultitiam, &c. Ecce quod hic aſſignat Salomon diſcrimen, quod eſt inter ſapientiam cæleſtem, & mundanam, ſcilicet qualis differentia eſt inter lucem & tenebras, nam illa veluti lux deſcendit à Patre luminum, nempe in intellectivam illuminando, ad affectivam inflammando, ad operativam fructificando: iſta verò tenebras, & cæcitatem in animam transfert. *ſer.2. Hex. Luc. c. 17. v.11.* & hinc ſubdit, *oculi ſapientis in capite*, ſcilicet converſi in Chriſtum caput noſtrum quia luce abundat: ſtultus in tenebris ambulat, quia eſt ſine luce. *Ecclen.c. 2. & c.6.*

40. *Sapiens habet oculos in capite: ſtultus in finibus terræ, & extra caput.*

Oculi ſapientis in capite: ſtultus in tenebris ambulat. Ergone ſolùm ſapientes habent oculos in capite? nonne & eoſdem habent ſtulti defixos in capite? ſed adde illud *Pro.c.14.* oculi ſtultorum in finibus terræ: & nota quod per dexteram intelliguntur bona cæleſtia, per caput Chriſtus: per ſiniſtram temporalia, & terrena: dat ergo ſapiens intelligere quod verus ſapiens ſolùm habet oculos in dextera, & in capite, ſcilicet ejus opera, & animus, & intentio ſolùm ad Chriſtum veram lucem reſpiciunt, & omnes actus ſuos ordinat ad cælum, ſtultus verò carens ſuis oculis ambulat in tenebris, quia oculos in finibus terræ tenet, ſolumquè ad terrena, & ad gehennam ducentes: væ igitur illi, cui diabolus eruit oculum dextrum. *Ser.1. Dom.11. poſt Pent. & ſer.1. Dom.23. poſt Pent. ſerm. 2. Hexam. & ſerm.19.ibid. & Ecclen.c.6.* Dicitur autem ſtultus in tenebris ambulare, quia futura non prævidens

dens ſecurus dormit in peccato. *In Lucam c. 12. v.10.*

41. *Avari vita tota plena eſt ærumnis: juſti vita plena lætitia, & deliciis.*

Cuncti dies ejus doloribus, & ærumnis pleni ſunt, nec per mortem mente requieſcit, & hoc nonne vanitas eſt? Nota quod hic ad litteram ſapiens dicit de avaro, qui ſemper oculos ad terrena defixos habet docetque quod ipſius vita tota plena eſt doloribus, & ærumnis, nec unquam etiam dormiens requieſcit: cum enim cætera vitia in ſenibus ſeneſcant, ſola avaritia juveneſcit. *Luc. c.13. v.11.* Nota etiam quod addit Salomon hæc verba: Homini bono in conſpectu ſuo dedit Deus ſapientiam, & lætitiam: peccatori autem dedit afflictionem, & curam ſuperfluam, ut addat, & congreget. & tradat ei, qui placuit Deo, ſed & hoc vanitas eſt, &c. Vide ergo quomodò ipſe ſapiens fatetur quod avarus, & ad divitias inhians totam vitam ſuam inter ſpinas divitiarum lacerantes mentem degit, ſolumquè juſtus lætitiâ verâ & deliciis vivit affluens. *Luc.c.8.v.15. ſer.1.de plur.Confeſſor.*

CAP. III.

42. *Temporis opportunitas obſervanda in omnibus operibus noſtris.*

OMNIA tempus habent. & ſuis ſpatiis tranſeunt univerſa ſub ſole. Quomodò omnia tempus habent? nonne ſubſtantiæ ſpirituales immunes ſunt à temporis volubilitate? ſed attende quod hic ſumitur tempus in communi pro quacunque duratione, cui omnia creata ſubjacent: moraliter tamen ad noſtram inſtructionem iſta dicuntur, docens nos Spiritus ſanctus quod non omnia in omni tempore ſunt à nobis peragenda, ſed ſecundùm opportunitatem tantùm, quia aliud tempus eſt impendendum ad orationem, aliud ad contemplationem, aliud ad actionem, aliud ad opera miſericordiæ, & hoc ad exemplum majoris mundi, in quo mirabiliter, ſenſibiliterque continua variatio ſuccedit, ſic & in minori, ſcilicet homine debet eſſe ſimilis variatio maximè in ſervitio Dei. *Ecclen.c.6. & c.8. Thren.proœm.lib.4.diſt.32. q.1. Luc. c.19. v.20. & c.24. v.49. & ſer.1.fer.2. Pentec.*

43. *Tempus pœnitentiæ & meriti eſt præſens vita.*

Omnia tempus habent. Si ergo omnia tempus habent, hoc maximè verificatur de homine, ſed quodnam tempus eſt datum homini? Tempus eſt vita præſens, tempus inquam pœnitentiæ, & meriti: nam in alia vita non erit amplius tempus: ſicut enim nemo quærit uvas in vere, neque violas in æſtate, neque fructus in hyeme, neque ficus in vite: ſic nec homo poteſt invenire Chriſtum extra tempus ſibi à Deo conceſſum *Ser.2.Inven.S.Crucis.*

CAP. IV.

44. *Vita præſens in peccatis mors eſt continua morte corporali peior.*

VERTI me ad alia, & vidi calumnias, &c. & laudavi magis mortuos, quam viventes. quomodò hoc poteſt dicere rationabiliter ſapiens? ſi loquitur de mortuis in gratia hoc poteſt ſubſiſtere: ſi verò de omnibus mortuis etiam damnatis, hoc eſt inintelligibile: ſed nota: duplicem ſenſum poſſumus referre hæc verba: vel enim intelligitur ſe loqui de ſubjectis morti corporali comparando ipſam cum vita hac mortali ſubjecta innumeris calamitatibus, & peccatis: ſicque cum hæc ſit continua mors minus malum eſt mors corporalis cum hac vita, ſeu potius morte mortali: alter ſenſus eſt quod mortuos appellet non habentes eſſe, nec unquam natos, ipſoſquè comparat cum damnatis vitam miſeram in cruciatibus degentibus, dans ſimul intelligere quod minus malum eſt non eſſe quam miſerè, & æternaliter eſſe; ſic & Chriſtus dixit de Juda: melius eſſet ſi non fuiſſet natus homo ille. *Ser.4. Dom.15.poſt Pent. lib.4.diſ.50.p.1.a.1 q.2.*

45 *Avaritia reddit hominem inſatiabilem, & miſerum.*

Unus eſt, & ſecundum non habet, &c. & tamen laborare non ceſſat. Vide ſtatum infælicem avari: nam cum hoc vitium inſatiabilem reddat hominem, ſimulque cæcum, facit etiam ut avarus continuis ærumnis ſe ſubjiciat, ut aurum congreget, & quod deplorabile eſt, & admirabile, ſæpè talis cæcus nec filium, nec fratrem, nec propinquum habet, & tamen laborare non ceſſat die, nocteque abſque eo quod in ſeipſo perpendat cui laborat. *Diet. tit.1.c 6. Luc.c.12. v.17. Ecclen.*

46. *Religioſorum communitas ſuadetur; ſingularitas damnatur.*

Melius eſt duos eſſe quam unum, & væ ſoli: Quomodò hoc verum eſt? nonnè in Sacra ſcriptura ſæpè laudatur ſolitudo? nam ait Bernardus quod converſatio inter homines ſæpè eſt periculoſa? Sed attende, quod hîc loquitur de communitate ſervanda inter homines Deo dicatos, maximéque religioſos, hæc enim non ſolùm non excludit, imò involuit ſecum ſolitudinem contemplationis: vita enim communis inter religioſos ſemper laudata fuit in Eccleſia Dei; in hac enim fovetur mirabiliter charitas mutua, & augeſcit fervor in Dei obſequio: è contra religioſus ſingularis eſt, velut avis rapax, ſcilicet ſubjectus detractionibus, & illuſionibus diaboli. *Diet. tit.4.cap.1. Ecclen. Hier. p.1.cap.2. ſer.10.de Apoſtol.in Lucam cap.10. verſ.1. Ioan. collat.77.*

47. *Væ ſeparanti ſe à Chriſto.*

Væ ſoli: Cur ſoli ſit comminatio maledictionis? ergonè ſocietas alterius hominis hac maledictione liberat hominem? nonnè ſæpè ſocietas unius mali ruinam parat? Attende quod hic loquitur de homine ſe ſeparante à Chriſto per peccatum: hic verè ſubjicitur maledictioni divinæ, & ideò ſuprà dixit: melius eſt eſſe duos ſimul quam unum: quos duos? ſcilicet Chriſtum, & hominem, quod maximè verificatur in ſuſcipientibus corpus Chriſti in Euchariſtia; ô quam meliùs ſocium habere Chriſtum: alioquin homo incidet in latrones, qui ipſum deſpoliabunt omnibus bonis. *Opu. comp. Theol. lib. 6. c. 17. Luc. c. 10. v. 30.*

48. *Vincula charitatis divinæ in nos qualia, & quam fortia.*

Funiculus triplex difficilè rumpitur: Quis eſt iſte funiculus, & triplex? Nota quod nomine funiculi intelligitur charitas Dei in nos, quo funiculo hominem ad ſuum amorem perducit; eſtquè triplex iſta charitas Chriſti, ſcilicet oſtenſa in bonis naturæ, gratiæ & gloriæ; hujus enim beneficentiæ vinculis debitores obnoxios nos fecit, quia naturam condidit, gratiam contulit, & gloriam repromiſit: ô beata vincula. *Op. de 7. itin. ætern. itinere 4. diſt. a. 2.*

49. *Charitas eſt funiculus triplex.*

Funiculus triplex &c. Nota quod iſte funiculus eſt charitas proximi, dicitur triplex, quia debet eſſe ordinata ad dilectionem amici, inimici, & Dei, ſic enim eſt fortis, & efficax, & Deo ſummoperè grata *Diat. tit. 5. c. 2. & ſerm. 2. in Pent.*

50. *Superbia reddit hominem ſtultum.*

Melior eſt puer pauper, & ſapiens, rege ſene & ſtulto, qui neſcit prævidere poſterum. Quomodò puer poteſt eſſe ſapiens? ſed nota quod hic comparat hominem ſapientem, & humilem cum ſuperbo: diciquè quod melior eſt vir ſapiens, & pauper, ſcilicet humilis rege &c. ſcilicet ſuperbo, ſicut fuit lucifer. *lib. 2. d. 7. p. 1. a. 1. q. 2.*

51. *Conſcientiæ munditia intellectui aperit viam ad percipiendam ſcientiam, & legem Dei.*

Cuſtodi pedem tuum ingrediens domum Dei, & appropinqua ut audias. Nota quod per pedem intelligitur affectus: & ideò ſapiens hic docet quòd qui vult percipere ſcientiam, & cognitionem legis Divinæ debet ad ipſarum auditionem, & ſtudium appropinquare cuſtoditione affectus per puritatem conſcientiæ, hæc enim mirabiliter illuminat intellectum. *Serm. unic. de dedicat. Luc. c. 17. v. 11.*

52. *Conſcientiæ puritas exigitur in ingredientibus Domum Dei.*

Cuſtodi pedem tuum ingrediens domum Dei, & appropinqua ut audias. Ecce quid exigitur ad hoc ut quis fructuosè ingrediatur in Eccleſiam, nempè cuſtodiſio pedum ſcilicet affectionem per puritatem conſcientiæ, qua obtenta appropinqua ut audias verba Dei, quia domus Dei eſt locus in quo Deus propitiatur confitentibus peccata ſua, illuminat intellectum, & inflammat affectum. *Serm. in dedicat. & ſerm 4. Dom. 9. poſt Pentec.*

CAPUT V.

53. *Multiloquium eſt proprium ſtultorum.*

Ne temerè quid loquaris, neque cor tuum ſit velox &c. Nota quod his ſapiens conatur nos avertere à multiloquio, & præcipuè à temeraria locutione, eſtque quando quis malè, & malo modo, & ſine loquitur, hoc enim eſt proprium ſtultorum, nec in multiloquio deerit peccatum. *Pſal. 118. c. 2. v. 7. Ecclen. hic.*

54. *Voti promiſſio eſt voluntaria: redditio neceſſaria.*

Si quid voviſti Deo, ne moreris reddere &c. Ecce quomodò id quod eſt voluntarium fit neceſſarium: voluntarium eſt homini Deo permittere eum voto, ſed neceſſarium eſt obſervare, & reddere quod eſt Deo promiſſum: undè facere oppoſitum eſt à Deo apoſtatare, & contra ſecundum Decalogi præceptum. *Ser. 2. de decem præcept. & lib. 4. diſt. 38. art. 2. q. 1.*

55. *Pecuniæ vanitas reſpectu animæ expenditur.*

Avarus non implebitur pecunia, & qui amat divitias fructum non capiet ex eis, eſt ergo vanitas. Cur avarus non poteſt impleri, & ſatiari pecuniâ? Nota quod hoc eſt verum, & patet ex duabus rationibus: prima quia omnia iſta creata ſunt vana, & multò magis eſt pecunia: ſecunda eſt quia anima eſt capacitatis infinitæ, ergo nec poteſt ſatiari, & expleri pecuniâ; & hinc eſt quod anima remanet ſemper vacua, & cum nihil vacuum patiatur natura, ideò ſemper homo attrahit, nec repleri poteſt, & numquam congregare deſinit, donec vivat: Et nota quòd ſubiungit ſapiens, ſcilicet ubi ſunt multæ opes, multi ſunt qui eas comedunt; datque per hoc intelligere quod ſicut ſe habet inteſtinum ventris ad ciborum delitias, ſic appetitus hominis ad divitias, & ſicut ſtomachus eſt talis naturæ, quod ſi pauca recipit ſe reſtringit, & paucis contentus ſit, ideoquè videmus quod pauper magis eſt contentus in ſuis paucis, quam in multis ſuis dives, ideò quo majores & plures opes acquirit, eo ſemper augeſcit appetitus, & magis indigens comeſtoribus quam pauper; nec aliud habet dives ſuprà pauperem, niſi quod ſuas divitias ſuis oculis videt, quas oculis ſuis manducare videt ab aliis: *Serm. 1. de plurim. Confeſſ. ſerm. 3. de Beat. Virg.* Hinc eſt quod avarus comparatur hydropico, qui quantumcumquè bibat ſemper ſiti non ceſſat. *Diat tit. 2. c. 6. op. apol.*

pauper

paup.reſp.3.c.3.& Op.ſpec.B. Virg.lect.17.in Luc. c.12.v.18.& c.14.v.7. & c.18. v.25.& c.20.v.47. & op.de prof.relig.lib.1.c.34.& lib.2.c.45.

CAPUT VI.

56. *Jejunium avarorum eſt ad obſequium, & profectum Diaboli.*

EST *& aliud malum & frequens apud homines: Vir cui dedit divitias, & ſubſtantiam, & honorem, & nihil deeſt animæ ſuæ &c. nec tribuit ei Deus poteſtatem ut comedat ex eo, ſed homo extraneus vorabit illud: hoc vanitas, & miſeria magna eſt:* Quomodò poteſt ſubſiſtere hoc dictum? Nonnè qui divitias multas habet, etiam avarus ſemper poteſtatem habet ipſis fruendi? ſed attende myſterium; dat Spiritus ſanctus intelligere: quod licèt ditiſſimus, tamen ſemper jejunat vivendo parciſſimè ut divitias augeat, & ut burſæ parcat: taliſquè ſubtrahit ſibi, & ponit in burſa, quæ eſt os diaboli: unde avarus ſubtrahens ori proprio valdè oſtendit ſe diligere diabolum, undè paſcat, & impinguet ipſum: *Op. Diet. tit.2. cap.6.*

57. *Nomen Jeſus ab æterno à Patre prælectum, & nominatum.*

Qui futurus eſt, jam vocatum eſt nomen ejus, & ſcitur quod homo ſit. Nota quod hæc eſt prædictio Chriſti, cujus nomen Jeſus ab æterno à Patre fuit prælectum, prævisum, & prædictum, per quod manifeſtanda erat Chriſti virtus. *in Lucam c.2.v.21.*

CAP. VII.

58. *Sapiens in hac vita triſtitiam, & mærorem: ſtultus lætitiam quærit.*

MELIUS *eſt ire ad domum luctus, quam ad domum convivii: Cor ſapientum ubi triſtitia: cor ſtultorum ubi lætitia.* Ecce diſcrimen inter ſapientes, & ſtultos: illi enim in hac vita mærorem, & pœnitentiam amant: iſti lætitiam amaram, & mundanam: illi enim cognoſcunt quod triſtitia vertitur in gaudium: *Ioan collat.73.& c.3.v.2.& cap.16.v.6. & 22.Luc. c.6.v.25.& c.8.v.51.*

59. *Oratio Deo chara exigit ſedulitatem, & perſeverantiam: ubi de horis Canonicis.*

Melior eſt finis orationis quam principium. Cur dicitur melior finis, quam principium? nonnè ex bono principio dependet progreſſus totius orationis? ſed nota quod hoc dicitur, quia perfecta oratio exigit perſeverantiam, ſedulitatem, & continuationem. Secundùm id quod dixit Chriſtus oportet ſemper orare, & nunquam deficere: nota tamen quod hæc continuatio debet intelligi moraliter, ſcilicet ſecundùm opportunitatem, vel quoad opera bona, non enim ceſſat orare, qui non ceſſat benefacere, quod etiam verificatur de perſolventibus horas canonicas in officio divino, qui ſecundùm morem Eccleſiæ non ceſſant orare. *Serm.4.Dom.9.poſt Pentec.*

60. *An ſit meliùs, & utiliùs Eccleſiam habere facultates temporales, quam ipſis privatam eſſe.*

Ne dicas: quid putas cauſa eſt, quod priora tempora meliora fuere, quàm nunc ſunt: ſtulta eſt enim hujuſcemodi interrogatio. Utilior eſt ſapientia cum divitiis, & magis prodeſt videntibus ſolem. Notanda ſunt, diligenter iſta verba, quæ à Spiritu ſancto dicta ſunt contra hæreticos noſtri temporis Eccleſiæ inimicos ipſam approbantes antequam à Principibus dotaretur, & reprobantes poſtquam dotata eſt: ſtulta enim eſt iſta exprobratio quia utilior eſt ſapientia cum divitiis, hoc eſt reipublicæ matris Eccleſiæ magis expediens propter varias conditiones, neceſſitates, infirmitates, commoditates multiformium Chriſti fidelium, quibus pro neceſſitatibus variis Prælatus providere debet pro loco, & tempore, juxta dictamen largitatis politicæ modum ſervando in diſpenſatione. Datur etiam intelligi quod Prælatus paſcens fideles non ſolùm verbo, & exemplo, ſed & temporali ſubſidio magis meretur eo, qui tantum verbo, & exemplo id exequitur. *Op. apol.paup.reſp.4.c.3. opuſc. de paup. Chriſti a.1.*

61. *Exceſſus in charitate proximi vitioſus qualis.*

Noli eſſe nimium juſtus, neque plus ſapias, quam neceſſe ſit, nè obſtupeſcas. Quomodo poteſt quis eſſe nimium juſtus? ergo in juſtitia poteſt dari exceſſus vitioſus? nonne conſiſtit hæc in qualitate, & ideò ſapiens ſuadet nobis, ne æqualitatem offendamus, quodquè evenit in charitate nimia ad proximum, dum quis pro ſalute aliena laborat, propriam autem deſpicit? ſed diligendus eſt proximus ex æqualitate ad ſeipſum non ſuprà: oportet affluere non effluere. *Opuſc. medit. vita Chriſti c.47.*

62. *Juſtitia cum miſericordia ſit adnexa.*

Noli eſſe nimium juſtus. Hoc eſt ita juſtitiam ſerva, quod non excludas miſericordiam: hocquè præcipuè dicitur Judicibus. *In ſapien. c.12.*

63. *Timor Dei perfectè cuſtodit totam familiam mentis.*

Qui timet Deum nihil negligit. Vide effectus timoris Dei mirabiles, nam nihil negligit tam in bono, quam in malo, totamquè familiam tempore pacis, & belli æqualiter cuſtodit, nec aliquod faciendum, vel vitandum præterit. *Op. de 7. donis cap. 4. opuſc. Diat. tit. 6. c. 1. opuſc. ſpec. B.Virg.lect.11.*

64. *Stulti*

64. *Stulti moriuntur in tempore non ſuo : juſti in tempore ſuo.*

Noli eſſe ſtultus, ne moriaris in tempore non tuo: Quid eſt mori in tempore non ſuo? nonnè omnes moriuntur in tempore ipſis à Deo præfinito? Prætereà dicit noli eſſe ſtultus : ergonè ſtultitia? minimè: ſed loquitur de ſtultis, ſcilicet impiis: iſti enim moriuntur in tempore non ſuo, ſcilicet ipſi à Deo pro ſalute ipſorum aſſignato : cum autem tale tempus male expendant, idcò in tempore non ſuo moriuntur, non ſic juſti. *In Ecclen. hic.*

65. *Mulierum maximè malarum conſortium fugiendum.*

Luſtravi univerſa animo meo, ut ſcirem, &c. & inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus eſt venatorum, & ſagena cor ejus, vincula ſunt manus illius, &c. Nota iſta verba, ſigna myſteria: Salomon proteſtatur ſe luſtraſſe omnia ut ſapientiam quæreret, & quid invenit? invenit quod initium omnis peccati eſt mulier, & cauſa excidii totalis hominis : quid enim morte amarius? & tamen ſapientiſſimus Salomon dicit quod mulier eſt morte amarior : quia nulla eſca ſic fortiter attrahit aves, nulla ſagena ſic violenter piſces ſicut mulieres attrahunt homines : & ideo ſicut non eſt tutum juxta ſerpentem dormire, ſic nec appropinquare mulieri, quia nihil eſt in mulieris corpore quod intuitu non ſagittet, & feriat homines : fuge ergo fuge ô homo à conſortio mulierum. Et hæc eſt cauſa quare diabolus primò aggreſſus eſt ad tentandum mulierem, tanquàm debiliorem ad reſiſtendum, cogitans quod ſi ipſa primo vinceretur, nunquam quieſceret quouſque perverteret virum, undè rectè dicitur laqueus venatorum, ſcilicet Dæmonum. *Lib. 2. diſt. 21 a. 1. q. 3. op. Diat. tit. 1 c. 9. ſer. 2. Dom. 2. poſt Pentec. ſerm. 2. de Invent. S. Crucis.*

66. *Hominis perfectio tota à Deo : malitia verò tota ab homine.*

Solummodo hoc inveni quod Dominus fecerit hominem rectum, & ipſe infinitis immiſcuerit quæſtionibus. Vide quid arcani invenit Salomon in tot laboribus? nihil aliud niſi quod tota hominis perfectio eſt à Deo, & quod omnis ipſius malitia eſt ex ipſo ſolo homine, quia ipſe ſe immiſcuit infinitis quæſtionibus, ſcilicet peccando: ſic enim in tria mala cecidit : immiſcuit ſe per converſionem ad creaturam, & privatus eſt rectitudine per averſionem, remanendo ſpoliatum tot bonis *lib. 2. prol. & diſt. 44. quæſt. ultim.*

CAP. VIII.

67. *Dei potentia communicata ab ipſo ſuis verbis.*

OMNE *quod voluerit Deus faciet : & ſermo illius poteſtate plenus eſt.* Nota ordinem verborum ; primò ſupponit Dei potentiam infinitam, & deinde dicit quod hanc potentiam communicavit verbis ſuis : eſt enim entitate verus, poteſtate virtuoſus multipliciter, quia eſt efficax ad ſanandum à morbis peccatorum : ad purificandum à ſordibus vitiorum : efficax ad conſolandum à triſtitiis interioribus cordium : efficax ad confirmandum : item ad illuminandam mentem, & inflammandum affectum : item ad arguendum, & convincendum : item ad defendendum, & liberandum à ſupplicio æterno, & ad introducendum in cœlum : ecce qualis virtus Verbi Dei. *in Ioan. collat. 76.*

CAP. IX.

68. *Neſcit homo utrùm odio, vel amore dignus ſit : ideò ſemper timendum.*

NESCIT *homo utrum amore, &c.* Quomodò hoc eſt verum cum homo poſſit ſcire certè ſe eſſe dignum odio, dum eſt in peccato? tùm etiam, quia juſtus cum Apoſtolo poteſt dicere, quis me ſeparabit à charitate Chriſti? ſed tamen hæc propoſitio vera eſt: nemo enim præciſa revelatione poteſt hoc ſcire: quia cum habitus in anima non cognoſcantur niſi per hoc quod anima videt ſe habilem ad aliquem actum : & cum actus fidei informis, & formatæ, & dilectionis gratuitæ, & naturalis ſint adeò ſimiles, quod vix aut nunquam poſſint ſe diſcerni : hinc eſt quod licèt anima in ſe cognoſcat habitum, non poteſt diſcernere utrùm ſit gratuitus : & cum anima videat Deum tot beneficia bonis, & malis conferre, neſcit an ſint digni odio, an amore ; *in Ecclen. c. 9. hic op. de prof. relig. l. 2. c. 5. Brevil. p. 6. c. 5. Diet. tit. 7. c. 1.* Undè verum eſt quod exiſtens in peccato mortali non poteſt ſcire an finaliter ſit dignùs odio, an amore: & multo minùs qui juſtum ſe reputat, non ſcit an de præſenti ſit dignus odio, vel amore, minùs poteſt an finaliter ob rationes poſitas.

69. *Quo experimento, vel fundamento poteſt quis credere ſe eſſe in gratia.*

Neſcit homo utrùm, &c. Jam dictum eſt non poſſe quis certitudinaliter ſcire an ſit in gratia Dei : hoc eſt de fide, quicquid in contrarium dicant Sectarii hæretici, poteſt tamen homo variis conjecturis, & experimentis conjicere ſe eſſe in gratia, & Deo gratum, ut patet ex fidei, ſpeiquè in Deum ardore : ex deſiderio Deo placendi:

cendi: ejuſque offenſas vitandi, & ſimilia. *lib.1. dub.4. in prol.& diſt.16.a.1. q.2.& lib.4. diſt.15. p.1.a.1.q 3.aliiſque locis ſupra cit.*

70. *Sumptio S. Euchariſtiæ ſuadetur.*

Vade & comede in lætitia panem tuum, & bibe vinum tuum cum gaudio, quia Deo placent opera tua: Nota quod dicit ſapiens comede panem, & bibe vinum, additquè tuum: cur? quia panis Chriſtianorum eſt ille, quem petimus quotidie à Deo, ſcilicet Sacramentum corporis, & ſanguinis Jeſu Chriſti: vade ergo ſcilicet recedendo à peccatis, & comede hunc panem in lætitia, ſcilicet aviditate, devotione, & fervore, ſic enim placebit Deo talis ſumptio. *In Ioan. collat.34.*

71. *Panis juſtorum eſt panis cœli: impiorum panis diaboli.*

Comede panem tuum: Cur dicit tuum? quia debet eſſe cum lætitia in juſtitia acquiſitus, & hic eſt panis à Deo deſcendens: panis cum injuſtitia acquiſitus eſt panis diaboli: comede igitur panem cœli, non diaboli. *Ser. 3. in rogat. & in Ioan.collat.31.*

72. *Alii in conſpectu Dei apparent veſtibus candidis: alii ſordidis, & interciſis.*

Omni tempore ſint veſtimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat: Cur petit Deus, ut veſtibus candidis utamur? ſed nota quod pro veſtibus hic intelligitur converſatio noſtra, quæ erit veluti veſtis candida, & omni panno pretioſo & purpura nobilior, ſi converſationem ſanctam coram Deo, & hominibus duxerimus, ſordida verò ſi in mala converſatione vixerimus; interciſa verò ſi voluerimus ſimul Deo, & diabolo ſervire. *Ser.2.Dom.2.poſt Paſcha; ſer.1. Vig. Nat. ſer.1.de una Virg.op.de Eccl.Hier.p.3.c.2.*

73. *Sola vita præſens tempus eſt merendi.*

Quodcunquè facere poteſt manus tua inſtanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud Inferos, quo tu properas. Ecce quid nobis loquitur Deus? Verba utiquè ſancta myſteriis plena, & digna ut in corde ſemper ruminentur: Intendit autem Deus nos excitare ad opera meritoria quandiu ſumus in hoc tabernaculo corporis mortalis: nam apud inferos, & in alia vita non erit amplius tempus merendi. *Ser.2. Dom 7.poſt Pent. ſer.1 S. Petri ad Vincula: lib.4.diſt.10.p.1.a 2.q.2. in Luc.c.10.v.40.& c.16. v.26.& c.13.v.30.*

74. *Stulti capiuntur laqueo per mortem inexpectatam, & ſubitaneam.*

Neſcit homo finem ſuum: ſed ſicut piſces capiuntur hamo, & ſicut aves laqueo comprehenduntur, ſic capiuntur homines in tempore malo &c. Nota ordinem verborum: primò proponit ſapiens quod eſt commune omnibus hominibus nempè ignorantiam temporis mortis: deinde deſcendit ad id quod accidit malis & perverſis, qui more piſcis ſequuntur eſcam voluptatum carnalium, & temporalium rerum, & ſicut aves decipiuntur dulci ſono adulationis, & ludo pennarum vanitatis, & diſſolutionis donec hamo, vel laqueo mortis & judicii capiantur, & hoc exemplo, & per caſum repentinum dum ſecuri incedunt: ſicquè capiuntur à Deo morte, & à Diabolo damnatione *Ser.1.Dom 1.Quadrageſimæ ſer.4.Dom.4. Pent. & ſer. 1. de una Virg. in Lucam c.12. v.40. & 46.In Ioan.collat.31.*

75. *Civitas myſtica eſt Eccleſia, in qua Chriſtus regnat: extrà ipſam Diabolus.*

Civitas parva. & pauci in ea viri, venit contra eam rex magnus &c. Nota quod in hac authoritate ſapiens declarat ſtatum Eccleſiæ, & quis in ipſa regnat, & vivit: quis item contra eam pugnat: ait enim eſt civitas parva ſcilicet Eccleſia parva per humilitatem, in hac & in paucis ſcilicet in humilibus Chriſtus regnat: contra eam rex magnus ſcilicet Diabolus pugnat obſidendo tentationibus, & dolis: qui ergo in ipſa ſtat firmus ſub protectione Dei iſte ſalvatur: qui ab ipſa diſcedit, & ſe ſeparat iſte ſub poteſtate Diaboli cogitur vivere. *Serm.3. Dom.2.Pent.Ecclen.c.9.*

76. *Civitas Chriſti fuit B. Agnes Virgo, & qualibet anima ſancta.*

Civitas parva &c. Nota quod hoc privilegium aptatur Beatæ Virgini Agneti, & cuilibet animæ ſanctæ: quæ à Chriſto habitata, & defenſa eſt contra omnes ictus tentationum Diaboli. *Ser.1.de S. Agnete.*

77. *Paupertas in veteri lege deſpecta: in nova, & evangelica exaltata.*

Inventus eſt in ea vir pauper, & ſapiens, & liberavit urbem per ſapientiam ſuam, &c. Vide quomodò virtus paupertatis ſolùm agnita eſt quando venit Chriſtus in civitatem Eccleſiæ, quia ante ipſius adventum ab omnibus deſpecta erat: ſed poſtea à Chriſto exaltata, & per ſapientiam oſtenſam in humilitate, & paupertate debellavit inimicum, & fundavit Eccleſiam. *Op. apol. paup. reſp.3.c.3.Ecclen.c.9.*

CAP. X.

78. *Qui vult unguentum devotionis, & gratiæ Spiritus ſancti conſervare abigat muſcas ſuper ſe volitantes.*

MUSCÆ *morientes perdunt ſuavitatem odoris.* Nota quod in hac ſimilitudine unguenti, & muſcarum Spiritus ſanctus nos varia, & pulcherrima arcana edocet: certùm enim in ſacra Scriptura eſt quod ſicut in unguento eſt lenitas, pretium, ſuaveolentia longè lateque penetrans, ſic & rectè ſignificat honeſtam, & bene redolentem vitam ſanctorum, incorruptos mores, famæ gloriam cum laude virtutem, exempla, conſcientiæ bonæ ſuavitatem,

tem, & tranquillitatem: item & dona, & devotionem, & dulcedinem ſpiritualem: & ſicut eſt in muſca contemptiſſima exiguitas corporis, vitæque brevitas, ſpurcities, fœditas, importunitas, guſtus, aviditaſquè immundorum, fœtidum, & turpe ex putredine pabulum, & quid non fœdum & ſpurcum? ſic & his reſpondent immonda, vitioſa, ſpurca, & turpia infeſta, importuna omnia improbitatis exempla. Daturque intelligi per hæc quod ſicut muſca ſe immergens in unguento pretioſo, ibiquè ſæpè moriens debilitat, vel aufert unguento odoris ſuavitatem, & ad corruptionem ipſum præparat: ſic vanæ cogitationes, titillationes, rancoroſæ affectiones, carnales delectationes, prava deſideria perdunt, & impediunt fructus orationis Spiritus ſancti, devotionem contemplativorum, unionem cum Deo, & progreſſum in bravio virtutis, & infinita mala generant in animam Deo dicatam. *Se.4. Dom.3. poſt Paſcha ſer. 1. in Pent ſer. 2. Dom.2. poſt Pent. in Ecclen.c.10. ſer.1. de S.Nic. in addit.*

79. *Vanæ cogitationes fructum orationis perdunt.*

Muſcæ morientes perdunt ſuavitatem unguenti. Quodnam eſt hoc unguentum ſuaveolens niſi perfecta oratio, & contemplatio, cujus odores ad nares Dei penetrant: ſed tamen ô homo à muſcis, ipſas abige, ſcilicet vanas cogitationes, alioquin fructum orationis perdes. *Pſal. 118. v.146.*
80. *Cor ſapientis eſt cor verſus ad dexteram cæleſtium bonorum: cor ſtulti ad ſiniſtram temporalium; dicente hic Salomone: Cor ſapientis ad dexteram, cor ſtulti ad ſiniſtram: in Ecclen.c.10. ſer.19. Hexam in fine: In Luc.c.12.v.34.*

81. *Impatientia ſubjicit hominem Diabolo.*

Si Spiritus poteſtatem habentis aſcenderit ſuper te, locum tuum ne dimiſeris, quia curatio faciet ceſſare peccata maxima &c. Quid ſibi vult hæc admonitio? quiſnam eſt iſte ſpiritus locum hominis tollere quærens? Nota quod iſte eſt ſpiritus infernalis: qui ſpiritum impatientiæ excitare conatur in homine: tunc enim per impatientiam ſubjicit ſuæ poteſtati hominem, & indè inducit in varia peccata. Cave ergo ô homo ab impatientia, ne te ſubjicias diabolo, & hinc præcipites in peccata maxima: Vide quale malum eſt impatientia. *Op. Eccleſ. Hierar. p.1.c. 1. in Luc.c.4.v.9.*

82 *Sapiens ſe ſubjicit in bonum Principi curiæ cæleſtis: ſtultus in malum Principi tenebrarum.*

Eſt malum quod vidi ſub ſole, quaſi per errorem egrediens à facie Principis poſitum ſtultum in dignitate ſublimi, & divites ſedere deorſum. Vide quid accidit in mundo: & in quale præcipitium ruit homo ſe ſubjiciens per peccatum diabolo: nam relinquens homo Chriſtum principem fidelem, pacificum, clementem, juſtumquè ſicut bonis & ſapientibus ſe ſemper talem exhibet, ſub poteſtate principis tenebrarum voluntariè ſe ſubjicit, licèt experiatur, & ipſum inveniat ſemper fraudulentiſſimum in promiſſione, inquietiſſimum in tentatione, crudeliſſimum in perditione, & injuſtiſſimum in retributione: ſic enim per talem principem ſimoniis, uſuris, rapinis, & aliis injuſtis modis, in honoribus, & rebus exaltantur, & divites virtutibus deſeruntur, humilianturquè. *Ser.2.Dom.3. poſt Paſcha.*

83 *Omnis poteſtas præſidendi à Deo venit.*

Vidi ſervos in equis, & principes ambulantes ſuper terram quaſi ſervos: Quid eſt hoc quod dicit Salomon? ergò ſervi ambulant in equis, & domini pedeſtres? nonnè videtur oppoſitum in mundo? ſed attende quod narrat id quod ſæpe evenit in mundo: nempè plures Principes malos ſedere in throno, qui potiùs ſecundùm exiſtimationem deberent ſervire aliis, & probos, & prudentes è contrà ſubditos vivere ſub obedientia Tyrannorum, quod cum ſit veriſſimum apud multos ingerit difficultatem, quomodò Deus permittat talem modum inordinatum in mundo? Attamen reſpondetur quod licèt quoad apparentiam id videatur valdè inordinatum, tamen id evenit Deo ſic diſponente, & hoc pulcherrimo ordine: ut boni exerceantur in virtute & mali puniantur. Unde ſemper firma ſtat propoſitio Apoſtoli *ad Rom.c.13.* quod non eſt poteſtas niſi a Deo. *lib.2.diſt.44.a.2.q.1.*

84 *Mundi ſtatus in perpetuo motu volvitur.*

Vidi ſervos in equis, & principes ambulantes ſuper terram. Quomodò hanc metamorphoſin in mundo o Salomon vidiſti? nonnè praxis eſt omninò in contrarium? ſed attende quod ſapiens intendit oſtendere vanitatem & volubilitatem fœlicitatum mundanarum, nunquam enim mundus ſtare potuit: vidi ait Salomon omnem potentiam mundanam volui perpetuò in rota: vidi aliquos ex alto dignitatum in profundo ſtatim præcipitatos: & è contra alios ex imo ad altum evectos: vidi, & audivi quendam dicentem, glorior elatus, deſcendo mortificatus; alium pariter dicentem: infirmus eccè præmor verſus ad aſtra vehor; & ideò vidi neminem poſſe ſtare in uno, eodémque ſtatu: hocque Deus permittit, quia non vult ut in proſperia nimis gaudeamus, nec in adverſis deſperemus. *Ser.2. de S.Barthol.*

85. *Qui alteri præcipuè ſuo Prælato fodit foveam juſto Dei judicio in eam incidet.* Sic proteſtatur hîc Spiritus ſanctus dicens, qui fodit foveam ſcilicet alteri, incidet in eam, & qui diſſipat ſepem mordebit eum coluber: Prælatus enim eſt ſepes defendens vineam ab extraneis. *In Eccl. hic.*

86. *Detractor peior eſt ſerpente mordente, & venenante hominem:* Undè hic dicitur: ſi mordeat ſerpens in ſilentio, nihil minùs habet eo, qui detrahit occultè. *Op. ſpec. animæ c.1. & Eccl. hic.*

87. *Væ terræ cuius puer rex eſt, & cujus principes manè comedunt, &c.* Nota quod hic ſumitur puer non ætate, ſed ſenſu, ſcilicet quia ut puer ſenſualitatem ſequitur, &c. *In Ecclen. hic & opuſ. de prof. relig. lib.2 c.48. & op. Eccleſ. Hier. p.2.c.3.*

88. *Pigritia in Dei obſequio quàm noxia.*

In pigritiis humiliabitur contignatio, & in infirmitate manuum perſtillabit domus. Vide quàm appoſitè ſapiens ex ſimilitudine domus perſtillantis addita pigritia domini domus exprimit, pigritiam Deo ſervientium: dat que intelligere quod contignatio, ideſt ædificium virtutum domus

mus mentis perſtillabit ex accidia, & infirmitate, & laxatione manuum: nempè per infinitatem pigritiæ,& accidiæ ſtillæ cogitationum, & deſideriorum malorum, & tentationum, cadunt in domum mentis,& ideò tales in propria domo quieſcere neſciunt. *Ser.1.Dom.20. poſt Pent.*

89. *Pecuniæ obediunt omnia: quia inter poſſeſſiones cupidas pecunia tenet primum locum*, & ideò Seraph. P.S.Franc. volens à ſua religione extirpare hanc peſſimam radicem præcepit ſuis fratribus ut pecuniam abjiciant à ſe. *Op. expoſ. regulæ c.4.& ſer.1.de Apoſt.*

CAP. XI.

90. *Quod pauperibus in hac vita datur, in altera conſervatur.*

MITTE *panem tuum ſuper tranſeuntes aquas, quia poſt tempora multa invenies illum.* Nota quod per panem intelligitur eleemoſyna, per tranſeuntes aquas intelliguntur pauperes, afflicti, mendici, peregrini indigentes: ad hos vult Deus ut divites diſtribuant panem eleemoſynarum, ut ipſum invenire poſſint;præparatum per pauperes in Cœlo. *Ser.7. rogat. in Ecclen.c.11. hic.* Ut autem fuſius ſuadeat hanc virtutem addit: Da partes ſeptem, necnon & octo; quia ignoras quid futurum ſit mali ſuper terram: ut hæc verba intelligantur, notandum quod per ſenarium qui inter numeros eſt primus perfectorum intelligitur id quod tibi ad tui ſuſtentationem eſt neceſſarium, quod ſuperfluit dicitur ſeptem & octo, ut videas, quod ſuperflua danda ſunt pauperibus. *In Eccl.c.11.hic.*

91. *Qualis liquor continetur in corde, talis effunditur foras: ubi de eleemoſinariis, & prædicatoribus.*

Si repletæ fuerint nubes imbrem ſuper terram effundent. Ergo nubes ſine aqua non poterunt irrigare terram? quod verum eſt: unde cor divitis ſi pietate erit plenum, etiam effectus proportionatos in pauperes emittet, & ſi cor Prædicatoris erit plenum doctrina cæleſti, plenè irrigabit terram animarum, & fructificare multipliciter faciet. *in Eccl.c.11.hic:& ſer.de SS.Sim.& Iud.*

92. *Qualis inventus fueris in morte, talis permanebis in æternum.* Ait enim ſacer textus: ſi ceciderit lignum ſive ad Auſtrum, ſive ad Aquilonem ibi erit, &c. *faſcicul. c.2. in Luc. c.16. v.26. in Sap.c.12.*

93 *Semina frumentum mane, & veſpere, non zizania, ſi non vis in æternum fame laborare.*

Mane ſemina ſementuum, & veſpere nè ceſſet manus tua, quia neſcis quod magis oriatur hoc, vel illud,& ſi utrumquè ſimul melius erit. Nota illud mane, & veſpere, ſcilicet in juventute, in ſenectute, complectens totum tempus vitæ: ſuadet ideò ſapiens homini ut diligenter excolat agrum animæ exercitio virtutum. ſeminando frumentum bonorum operum, quia ſi ſeminaverit zizania fame in æternum peribit: ſemina inquam mane in juventute, quia mors non parcit ætati, ubiquè ſenibus eſt in januis,juvenibus eſt in inſidiis; per quod patet qualis ſit multorum ſtultitia, qui cum à Deo receperint agrum animæ ſeminandum certo tempore pro frumento ſeminant zizania malorum operum. *ſer.1. Dom. ſexag.in Ecclen.hic Lucæ c.8.v.5.Io.c.12.v.37.*

94. *Contemplatio ſolis, ſcilicet Chriſti Jeſu, bonis dulciſſima: malis noxia.*

Dulce lumen, & delectabile eſt oculis videre ſolem. Nota quod hic intelligitur ſol Jeſus Chriſtus illuminans mundum, cujus viſus excæcat impios, delectat bonos: ô quale gaudium videre hunc ſolem nunc per fidem, & quale erit ipſum videre in cælo per ſpeciem. *Ser. 6. de Nat. ſer 4 Dom.quinquag.ſer.1.de S.Ioan. Bapt.ſer.1. de uno Doct.ſer.13. Hexam. Diat. tit.5.c.3.in Lucam c.9 v.28.Ioan.collat41.*

CAPUT XII.

95. *Beneficia Dei ſæpè recolenda.*

MEMENTO *creatoris tui.* Nota quod hæc verba continuè auribus noſtris inſonant ut beneficiorum ejus recordaremur, ne præcipitemus in reprobum ſenſum:nam hoc nomen creatoris nobis indicat eſſentiam, potentiam & operationem nobis collatam: indicat & tot opera pro nobis facta. *in Ecclen.c.12.*

96. *Miſeriæ hominis in ſenectute enumerantur à Salomone.*

Antequam veniat tempus afflictionis, &c. Nota quod hoc tempus afflictionis eſt tempus ſenectutis: in quo commoventur cuſtodes domus, ſuntquè oſſa corporis quæ in ſenectute laxantur, nutant & viri fortiſſimi, ſcilicet crura, quæ portant totum pondus corporis: item imminuuntur dentes dicens: & otioſæ erant molentes: item obſcurantur oculi,dicens:& tenebreſcat ſol:item quantum ad locutionem,dicens:& claudent oſtia in platea: item quantum ad ſurditatem aurium, dicens: conſurgent ad vocem volucris & obſurdeſcent,&c.ad vocem ſcilicet galli, quia ſenes non poſſunt audire alta: addit & alios defectus, quos patitur homo in ſenectute,&c. *in Eccl.c.12.*

97. *Dei timor eſt qui totum hominem perfectum reddit.*

Deum time & mandata eius obſerva hoc enim eſt omnis homo,&c. Vide in quonam conſiſtat tota perfectio hominis,ſcilicet in timore Domini, qui facit declinare à malo,& facere bonũ:ſi enim facit bonũ & non declinat à malo,vel ſi declinat à malo,& non facit bonũ eſt homo dimidius:Ad hoc autem ut excitet ad hunc timorem addit:Et cuncta,quæ fiunt adducet Deus in judicium pro omni errato ſive bonum,ſivè malum illud ſit:quia in judicio aperientur libri, in quibus continentur omnia opera, verba,& cogitationes, de quibus in morte, & judicio homo reddet rationem. *in Eccl. c.12.Diet.tit.9.c.1.op.de decem præcept.ſer.2.*

Et hic rectè concludit Sapiens ſuam prædicationem.

LIBER CANTICORUM.

HIC eſt tertius liber à Salomone deſcriptus, recteque tertio loco poſitus: cum enim triplex gradus ſit ad aſcendendum ad Dei cognitionem: in libro Proverbiorum docet benè, & licitè uti mundo, undè inſtruit incipientes: in libro Eccleſiaſten docet benè, & utiliùs mundum contemnere, & calcare, undè inſtruit proficientes: in hoc tertio Canticorum docet jucundari in ſolis ſponſi amplexibus, & oſculis, undè inſtruit de ſolo amore perfectos, & contemplativos: & hæc eſt ratio quare liber Proverbiorum incipit hoc nomine Salomon, ideſt pacificus, quia in illo libro docet pacificè converſari in mundo. Secundus liber incipit hoc nomine Eccleſiaſtes, ideſt concionator, quia veluti in concione, & conſilio diſcordantes ad concordiam vocat: & hic tertius eſt ſine titulo, & hoc nè crederentur verba Salomonis ad uxorem ſuam ad litteram, quæ ſunt Chriſti ad Eccleſiam, in quo affectiones, & deſideria, cæteræquè amoris ſequelæ, mutuaquè amantium colloquia interſcalariter exprimuntur, & ideò ordinatur ad guſtum ſuavitatis, & exemplum charitatis in Chriſto, tanquam objecto principali hujus libri; introducuntur enim hic, Chriſtus ut ſponſus: Eccleſia ut ſponſa: ſodales ſponſi ſancti Angeli, & omnes perfecti dilectores Chriſti, & adoleſcentulæ ſcilicet incipientes: ſicquè aliquando iſte liber appellatur Canticum canticorum in ſingulari, aliquando Cantica Canticorum in plurali: hinc fit quod eſt ſimul unum & multa: unum propter unitatem cantus, quia quicquid hic canitur amor eſt, & vinculum charitatis: multa propter diverſitates perſonarum canentium, quæ ſunt quatuor ut dictum eſt. Salòmon ſapientiæ, & ſpiritu prophetiæ illuſtratus adventum Chriſti in carnem prævidens, in perſona antiquorum adventum iſtum deſiderantium, & expectantium, & deprecantium ait: oſculetur me oſculo oris ſui, &c. *Op. Principium S.Scrip.& praſ. in Ecclen. & communiter ſacri Expoſitores, & ſer.22 Hexam.*

CAPUT PRIMUM.

1. *Incarnatio Verbi quam ardenter concupita, & expectata ab Eccleſia ſub nomine oſculi.*

OSCULETUR *me oſculo oris ſui: quia meliora ſunt ubera tua vino, &c.* Nota quod in his verbis exprimuntur voces SS. Patrum, & totius Eccleſiæ deſiderantium Incarnationem Verbi à Patre, ſub nomine oſculi, per quod intelligitur unio ipſius cum humana natura: unde dicit oſculetur, &c. os autem Patris eſt Verbum: undè expetebant Incarnationem filii, ſcientes, quod nec Angelus, nec purus homo poterat Deo de toto rigore ſatisfacere pro peccato hominis: ſed ſolus Chriſtus Deus, & homo, qui oſculo ſuo faciat pacem, & reconciliet me cum Deo. *Pſal. 41. & 77. ſer. 2. Dom. 1. Adv. & op. de dono intellect. cap. 6.*

2. *Chriſtus prabet oſculum ſuum ori puro, non ſerpentino: ubi de dulcedine unionis cum Chriſto.*

Oſculetur me oſculo oris ſui: Hoc dicit anima petens reconciliationem ſui cum Deo: ſed nota quod hoc ſolùm poteſt dicere anima pura quærendo puro corde Jeſum, non os porcinum, vel ſerpentinum deformatum impuritatibus. *Ser. 6. Dom. infrà oct. Epiph.* Petit igitur anima oſculum Chriſti Ieſu ſciens, quòd nihil dulcius, nihil delicatius, & magis ſalutiferum poteſt experiri, quam inter brachia tanti ſponſi quieſcere, inter oſcula tanti regis, & amici fæliciter obdormire. *Diat. tit. 10. c. 5. opuſ. de dono intell. c. 6. op. ſolil. c. 1. in Luc. c. 11. v. 28. & c. 23. in fine.*

3. *Jeſus nomen oleum effuſum ad noſtram ſalutem: Idem & nomen Mariæ Virginis.*

Oleum effuſum nomen tuum, ideò adoleſcentulæ dilexerunt te. Quomodo poteſt dici quod nomen ſponſi ſit oleum effuſum? & ubi effuſum? ſed attende quod hoc eſt nomen Jeſus: quod nomen à Sanctiſſima Trinitate effuſum eſt & oſtenſum

Digitized by Google

ſum ad ſalutem homani generis : & certè oleum melque dulciſſimum in ore, melos in aure, & jubilus in corde : & ſi oleum eſt gratiæ Spiritus ſancti, ergo in virtute bujus nominis peramus Spiritum ſanctum. *Ser.4.in Circumciſ.in Luc. c.2.v.21.*

4. Suavitas conſcientiæ puræ eſt oleum, quod io aoima lucet, paſcit, & ungit : ideò de hoc dicitur : oleum effuſum noiooo tuum : *in Ioan. collat.40.*

5. In Incarnatione miſericordia ſuperexaltavit judieium de qua dicitur : oleum effuſum nomen tuum, ideò adoleſcentulæ dilexerunt te nimis; per quod datur iotelligi quod Chriſtus medieus venit in mundum ad ſanandum ægrotantes hoc oleo. *Pſal.134.op.comp.Theol.lib.4.c.9.*

6. *Oſculum pedum, manuum, & oris ſervienti Deo proponitur.*

Oſculetur me oſculo oris ſui: Cur petit oſculum oris, & non manuum vel pedum? nonnè videtur præſumptio nimia hæc? ſed attende qood ad triplex oſculum iovitatur Deo ſerviens : primò ad oſculum pedum per dolorem peccatorum: ſecundò ad oſculum manuum per recordationem beneficiorum Dei ; tertiò ad oſculum mutuum oris quod eſt in deſideriis amoris aſcendere per contemplationem : procedamus per iſtos gradus, & ſic uoo erit præſumptuoſa petitio, dicendo : oſculetur me oſculo oris ſui. *Op. myſtic. Theolog.c.3.p.3.*

7. *Donum maternitatis in Maria Virgine ſuperexcedit omnia alia.*

Oſculetur me oſculo oris ſui: Hoc dicebat Beata Virgo dum votis, deſideriis, & præcibus petebat à Deo Incarnationis executionem : ſubdit rationem hujus : quia meliora ſunt ubera tua vino : quo vino? meliora ſunt in parvulis, uon in omnibus? ſed attende myſterium perbellum; per vinum intelliguntur gratia Dei, dona ſpiritualia, & præcipuè cæleſtis gloria : & quid melios poteſt inveniri hoc vino? meliora ſunt ubera tua quolibet vino, ſcilicet lac è cœlo tranſmiſſum à Deo in uberibus Mariæ per quæ ubera ſignificatur ejus maternitas. Hocquè donum majus, excelſius, & perfectius, & ſupereminens omnibus aliis donis ; poteſt eoim Deus facere perfectius cœlum, & alias res, ſed non majorem matrem, quam matrem Dei *ait S. Bonaventura op.ſpec. B. Virg. lect.6.& 10.* Unde hoc donum perfectius exaltavit Mariam ſuper omnes creaturas ; vide Vegam in Theologia Mariana de maternitate Mariæ ; ſimiliter & Savedram de Virgine : qui authoritatibus plurimorum SS.Patrum, & D. D. & rationibus Theologicis probant hoc donum Maternitatis perfectius ſanctificaſſe animam Virginis Mariæ quaeunque gratia inferiori.

8. *Sine tractu divino non poteſt quis ad Deum currere.*

Trahe me poſt te in odorem curremus unguentorum tuorum: Nota hunc ordinem, prius dicit anima Deo trahe me poſt te; ergo ſine tractione Dei non eſt poſſibile ire ad Deum : niſi enim Pater trahat gratiæ inſpiratione, & cæleſtium deſideriorum infuſione ad Chriſtum nunquam poterit homo accedere. *Ioan.c.12.v.33.fer.2.fer.4. Pent.*

9. *Multiplex tractus Chriſti expenditur.*

Trahe me poſt te. Nota hæc verba ab Eccleſia ad Chriſtum directa; proprium enim eſt Chriſti multipliciter trahere poſt ſe : trahit enim fide paſſionis, & reſurrectionis : trahit beneficiorum largitate ; trahit infirmitatum ſupportatione: trahit bonorum operum, & exemplorum odore; trahit & inſpiratione gratiæ, & cæleſtium deſideriorum infuſione ; dicat ergo anima : trahe me bone Ieſu funiculis tuæ gratiæ *Ioan.c.12.v.33. opuſ.Incend.c.3.in Luc.c.5.v.29.& c.8. v.42.opuſ. de prof.relig.lib.1.c.24. & fer.1. & 2.fer.4. Pent.* Nota etiam quod iſte odor trahens Chriſti eſt ſpes in ipſum excitata, ex conſideratione pietatis & miſericordiæ ſuæ in peccatores, quam exercuit in latronem, in Magdalenam, in Cananeam, in publicanum, & in alios maximos peccatores : ecce quod quilibet invitatur ad hunc odorem ad currendum per ſpem ad ipſius patrocinium, & gratiam. *Op.de dono pietatis c.3.*

10. *Iuſti currunt in odorem unguentorum Chriſti : impii in fætorem diaboli.*

Trahe me, &c. in odorem curremus unguentorum tuorum: Nota quod dicit : in odorem unguentorum tuorum, non unguentorum diaboli; quia proprium eſt juſtorum currere in odorem unguentorum ſuaviſſimorum Chriſti, qui eſt fructus exemplorum, & gratiæ Chriſti : Impii relicto hoc ſuaviſſimo odore in fætorem unguentorum diaboli currunt, quæ ſunt peccata, voluptates, & delectationes carnales. *Op.Solil.c.1.op. de dono ſap.c.6.op.medit.c.16. op. ſpecul.B.Virgin. lect.5.& 16.*

11. *Exemplorum vis Chriſti traxit, & trahit populos ad ſe.*

Trahe me poſt te : in odorem, &c. Nota quod anima dicit in ſingulari: trahe me, & poſteà tranſit ad plurale dicens ; curremus ; cur tali ordine prima facie inordinato procedit? ſed nota quod hæc eſt vis exemplorum Chriſti, quibus traxit, & trahit ſuos ad ſe. *in Ioan.c.12.v.33.ſerm.1. & 2.fer.4. poſt Pentec. unde D. Auguſt. ſuper illud Pſal.7.v.8.* Exurge Domine in præcepto quod mandaſti, & ſynagoga populorum circumdabit te : ait : humilitatem præcepiſti ; charitatem, bona opera : humilis tu, benéque operans appare, & ſynagoga populorum ſequetur te, &c.

12. *Ad tractum Chriſti & Mariæ Virginis, qualis curſus in ipſius ſunctis ſequatur.*

Trahe me, &c. in odorem curremus, &c. Nota quod trahit Chriſtus ſuos quandoquè per flagella, quandoquè per beneficia trahit, & per virtutum, & exemplorum bonorum famam : ad hunc tractum ſequitur curſus ſervorum Dei : currere autem eſt in virtutibus, & bonis operibus proficere, ferventerquè diligere, qui enim amat ardentiùs, currit velociùs, & percurrit citiùs : unguenta ſunt chariſmata gratiarum, qui-

bus Deus fideles ſuos ungit: odor eſt bona fama: in odorem ergò currimus unguentorum Dei, quandò per famam virtutum, & exemplorum ſanctorum proficimus; ut autem ſic currere poſſimus, nos per gratiam trahi petamus. *Ser.2.fer.4.Pent.*

13. Ad tractum Chriſti ſequitur curſus in via Dei, undè rectè ſtatim ac dixit anima: trahe me poſt te ſubdit: in odorem unguentorum tuorum currimus: qui ergò in teporem inedia recurrat ad Chriſtum, ut trahat ad ſe, & ut currere poſſit in via Dei. *Op.Incend.c.3.& op.de prof. relig.lib.2.c.14.*

14. *Intentione recta in Deum currit anima in odorem unguentorum Dei.*

In odorem curremus &c. Quomodò, & quo medio? Hoc fit media intentione recta, ſimplici, & immediata, & odore finis æterni dulciter allecta, quæ eſt contemplativorum, & illa procedit ex voluntate finis æterni affectiva experimentaliter: nam experimentalis odor ultimi finis omnia alia aliquo modo contemnere facit, ex quo intentionem in nullo alio fine quieſcere facit, ſed eam quantum poteſt ultimo fini immediatè unit: in tali enim experientia intentio non ambulat, ſed quaſi currit. *Op.7.itiner.æternit. Itin.1.d.3.& op.Brevil.p.5.c.6.*

15. *Chriſtus ex Cruce, & Euchariſtia: trahit animam in odorem unguentorum ſuorum.*

Trahe me poſt te, &c. in odorem, &c. Vide quod anima quærit trahi à Chriſto: trahit autem Chriſtus exaltatus in Cruce, & in Sacramento Euchariſtiæ: cum exaltatus fuero, ait ipſe omnia traham ad meipſum; quomodò in Euchariſtia trahit? ſed notandum quod diviniſſima Euchariſtia in ſe habens delectamentum omnium ſenſuum interiorum attingens ſenſum viſus ſpiritualis excitat ad experiendum æternorum contemplationem: ſenſum auditus ſpiritualis, excitat ad experiendum æternorum auditionem: ſenſum olfactus, excitat ad æternorum olfactionem: ſenſum tactus ſpiritualis ad experiendum æternorum tentionem: ſenſum guſtus ſpiritualis ad æternorum prælibationem: & ideò anima cognoſcens in Euchariſtia fontanam copioſam divinarum ſuavitatum, refundentem de ſua plenitudine diviniſſimas fragrantias; ideòquè aperientem olfactum interiorem ad experiendum æternorum odorem, clamat: trahe me poſt te, in odorem unguentorum curremus: & meritò, nam ſi Dominus ſuavis odoris ſit univerſis, maximè tamen domeſticis ipſum ſumentibus. *Op.de 7.itiner.æternit.itin.6.d.6.*

16. *Anima ad qualem refectionem deducatur per exercitium vitæ contemplativæ.*

Introduxit me in cellaria ſua, exultabimus, & lætabimur in te memores uberum tuorum. Nota quod perfectiſſimè, & propriiſſimè hoc dicunt animæ beatæ jam in cellam vinariam Paradiſi introductæ. *op.myſtic.Theol.c.3.p.1.& in Ioan. collat.63.* ſed tamen cum proportione debita dicit verè anima ad exercitium vitæ contemplativæ introducta: nam ibi introducta reficitur mirabiliter, & multipliciter: reficitur inquam cibo cæleſti lucis divinæ, item & potu inebriantis gratiæ, undè rectè dicit: Introduxit me rex in cellaria ſua, quaſi dicat, quam citò guttur meum dulcedinem gratiæ ejus attingit, ita me recreatam ſpiritu, & ab amore terrenorum in ſuperna tranſlatam ſentio, ac ſi in cellam vinariam introducta, novo ſuo meri odore, & poculo inebriata ſum. *Op. de 7. itiner.æter.itin.3.diſt.3.*

17. *Maria Virgo introducta in cellaria Dei rectè exultabat in Deo ſalutari ſuo. Ubi de ſapientia, & notitia omnium ſcientiarum ejus.*

Introduxit me rex &c. exultabimus, & lætabitur in te &c. Nota quod hoc propriè de perſona Mariæ Virginis dici poteſt: introducta enim in actu Incarnationis Verbi in cellaria Dei, ſcilicet in cellaria beatitudinis glorioſæ, etiam dum vivebat mortalis in terra exultabat Spiritu in Deo, undè dicebat: Et exultavit ſpiritus meus in Deo ſalvatore, & quia anima ſecundùm ſuum ſupremum exultabat in Ieſu, ideò etiam voce ipſum magnificabat. *Luc.c.1.v.47.& op.de 7.grad.contempl.*

18. *Solum Deum amant recti, & quinam ſint.*

Recti diligunt te. Qui recti? recti ſunt qui nec ad dexteram, nec ad ſiniſtram, ſcilicet ad extrema deviant in via Dei: recti ſunt qui directas ad Deum habent intentiones, cogitationes, affectiones, locutiones, actiones, paſſiones, & retributiones, utiquè verè dicuntur Deum diligere. *In Luc.c.3.v.4.& c.10.v.28.*

19. *Eccleſia, ſicut & anima fidelis militans nigra quoad apparentiam, ſed formoſa quoad rem.*

Nigra ſum ſed formoſa filiæ Hieruſalem, ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis. Nota hæc dicuntur ab Eccleſia, & à qualibet anima juſta: comparatquè ſe primò tabernaculis cedar, deindè pellibus Salomonis: Tabernacula Cedar ſunt tabernacula Agarenorum: pelles Salomonis ſunt quæ extenduntur & dilatantur; ideò dicit Nigra ſum, quia vivo in laboribus plurimis, ideò fuſcata videor, eo modo, quo ſeculares fuſcati ſunt ex ſollicitudine quotidiana circa tot mundana: ſed tamen formoſa ex reformatione divinæ imaginis, & gloria conſcientiæ internæ: nigra ex ſollicitudine horum terrenorum, ſed formoſa ex charitate fraterna, qua dilatata ſum interius ſicut pelles Salomonis. *Ser. 3. in dedicat. Templi in Thren.c.3.*

20. *Humiles ſunt nigri, ſed ſimul formoſi.*

Nigra ſum ſed formoſa. Hoc dicit anima humilis, quæ per ſuam reputationem eſt nigra, & deformis: ſed coram Deo formoſa, & alba. *Ser.2. Dom.1.poſt oct.Paſchæ.*

21. *Mariæ humilitas, & pulchritudo expenditur.*

Nigra ſum, ſed formoſa. Quomodò nigra, & formoſa? nigra ait Maria, quia me reputo viliſſimam ancillam Dei: nigra per humilitatem: ſed tamen eſt formoſa, quia ejus formoſitas, & gloria in vultu ejus ſuper omnes reſplendet: quia amicta

amicta eſt fulgenti veſtimento ſolis, & lunæ. *Op.Pſalt.Virg.Pſal.93.& 103.& 49.*

22. Notandum etiam quod de Sacra Scripturâ poteſt dici nigra ſum: ob ſcabroſitatem, & ſimplicitatem exteriorem, ob quam indocti, & inflati ipſam reprehendunt, ſed tamen eſt pulcherrima, & formoſa ob ſublimiſſima myſteria, quæ continet. *Ser.14.Hexam & op.Princip.S. Script.*

23. *Anima contemplativa ſimul illuſtratur, & decoloratur à Chriſto.*

Nolite me conſiderare quod fuſca ſim, quia decoloravit me Sol. Ergòne anima Deo chara remanet decolorata à radiis Solis Chriſti, & non potius illuminata, & formoſa facta? ſed attende ad duplicem effectum ſolis: alius eſt qui illuſtrat, & illuminat: alius eſt qui obfuſcat, & comburit: hunc duplicem effectum facit Chriſtus in contemplativis; nam quoad corpus illud obfuſcat ærũnis, & tribulationibus: & quoad animã illuminat, & illuſtrat mirabiliter. *Ser.20.Hex.*

24. *Filii ſynagogæ pugnaverunt contra Chriſtum.*

Filii matris meæ pugnaverunt contra me. Nota quod hoc dicebat Chriſtus de filiis ſynagogæ, quam matrem ſuam appellat, quia ex ipſa natus: nam Judæi perſecuti ſunt crudeliſſimè Chriſtum. *In Ioan.collat.8.* Sed proh dolor; idem poteſt verè dicere de omnibus malis Chriſtianis, qui verè non filii, ſed adulterini filii pugnant contra Chriſtum, ejuſquè mandata.

25. *Chriſtus, & anima charitate ardens pugnant, & ſe ſe mutuo vulnerant.*

Filii matris meæ pugnaverunt contra me. Ergòne adſunt filii dilecti pugnantes contra Chriſtum? maximè, ſuntquè illi, qui à Chriſto ſagittis amoris vulnerantur, & iſti ad Chriſtum toti converſi ſpiculationes volatiles, ferventia deſideria, ſubtilia, & acutè penetrantia immittunt non ſolùm in Angelos, ſed etiam in Chriſtum; ità quòd meritò dicit: vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa: ô fœlix, & beata pugna. *Op.de 7.itiner. æternit.itiner.4.d.5.a.2.*

26. *Dolores B.Virginis Mariæ ex paſſione Filii expenduntur.*

Nolite me conſiderare quod fuſca ſim, quia decoloravit me Sol. Si hoc dicit Maria Virgo, quomodò verè poteſt affirmare ſe decoloratam à ſole Chriſto & non potiùs illuſtratam? Decoloratam verè ait à ſole, à Chriſto in Cruce pendente: Vide igitur quomodò ſtabat Maria juxta Crucem, imò in Cruce cum filio ſuo crucifixa: ille in corpore, ipſa in corde *Op.ſtim.Div.amor. p.1.c.3.& ſer.1. Dom.infrà oct.Epiphan.*

27. *Iudæi vulnerando Chriſtum vulneraverunt Mariam.*

Filii Matris meæ pugnaverunt contra me, &c. Si hoc dicebat Chriſtus, hoc & verè dicebat Maria Virgo: quia ad pedes crucis vulnera per corpus Chriſti diſperſa, in corde Mariæ erant unita: ibi lanceatum eſt cor ejus ſpinis coronatum, illuſum, exprobratum. *Op.ſtim.div. amor.p.1.c.3.*

28. *Maria Virgo conſtituta eſt cuſtos omnium Eccleſiarum ſimul cum Chriſto.*

Poſuerunt me cuſtodem in vineis. Cuſtos fideliſſimus Eccleſiæ eſt Chriſtus, eſt etiam Maria Virgo conſtituta à tota Trinitate cuſtos omnium vinearum S.Eccleſiarum & animarum tutiſſima: *op. laus B.Virg. ſig.10.& 15.& Pſal.min. quinq.1.* Notandum tamen hic, quod illa ultima particula in textu addita: vineam meam non cuſtodivi, pronunciatur in perſona filiorum matris ſynagogæ pugnantium contra Virginitatem, & exaltationem B. Virg.& denegantium ipſam conſervaſſe virginitatem in partu, & poſt partum: contra quos pugnavit ſemper Eccleſia Catholica: *Sic SS.Expoſitores.*

29. *Quomodo, & in quo loco requirendus, & inveniendus Chriſtus ab anima contemplativa.*

Indica mihi quem diligit anima mea, ubi paſcas ubi cubes in meridie. Hæc eſt anima Deũ diligens, ardenter quærens Chriſtum: hic autem ſuboritur dubium cur in meridie prætendit ipſum invenire, & non potius ſummo mane, vel veſpere? ſed attende quod hæc eſt vox animæ contemplativæ, quæ activam vitam relinquens alis ardentiſſimi amoris evolat ad ſtatum ſublimiorem, quærens, & aſpirans introduci ad menſam cæleſtium anagogiarũ in meridie contemplationis, qui eſt ſtatus in ſplendore clarior, & in calore ferventior cæteris omnibus ſtatibus vitæ ſpiritualis: nam in tali ſtatu Pater per verbum infiniti ſplendoris ſe perfectè manifeſtat: & per amorem ſuum ſpiratum, qui eſt infiniti ardoris, & charitatis ſe ad guſtandum, amplexandum, & habendum communicat, & hinc anima ſuſpirans, & adſpirans ad ipſum videndum, & poſſidendum in meridie beatæ gloriæ dicit: Indica mihi ubi paſcas, ubi cubes in meridie, ſcilicet in lumine meridianæ gloriæ: nam in hac vita eſt quidem paſtus, ſed non ad ſaturitatem, nec cubare licet, ſed vigilare oportet propter timores nocturnos, nec hîc clara lux, nec plena refectio, nec tuta manſio: ſed tantùm in meridie gloriæ: ô meridies vera plenitudo fervoris, & lucis, & ſolis ſtatio, umbrarum exterminatio, paludum deſiccatio, fætorum depulſio: ô perenne ſolſtitium, quando non jam inclinabitur dies: ô lumen meridianum: ô vernalis temperies: ô æſtiva venuſtas: ô autumnalis ubertas: ô quies & feriatio hyemalis: hunc locum tantæ charitatis, & pacis, & pulchritudinis indica mihi, ut ego te in lumine tuo per mentis exceſſum merear contemplari paſcentem uberiùs, quieſcentem ſecuriùs: hæc eſt menſa veri Salomonis, in qua Regina Saba ultrà non habuit ſpiritum humanum, tota abſorpta in Spiritu Divino. *Op.de dono ſcientiæ c.3. & op.ſtim. divin. am.p.3.c.5.Ecclen.c.1.*

30. *In cruce quærendus Chriſtus.*

Indica mihi ubi paſcas, ubi cubes in meridie: Cur in meridie pependit Chriſtus in Cruce; in cruce namquè paſcit, in cruce cubat: in meridie namquè diei ſpiritualis virtus fortitudinis exercetur, & ideo; quærit ſponſa Chriſtum diligens

diligens ipſum invenire, ſicut invenit Andreas in cruce, ubi fervor charitatis urget: vis ergò anima invenire Chriſtum: quære ipſum in cruce ubi te paſcet ut paſtor, ubi tibi quietem ſecuram invenies. *op. de dono fortitud. c. 2. & ſer. 2. in Epiph.*

31. *Vitæ activæ, cum exercitio contemplativæ ſtatus uniendus, ubi maximè infirmorum obſequium ſuadetur.*

Indica mihi quem diligit, &c. ubi paſcas, ubi cubes in meridie. Vide hanc animam jam ad ſtatum vitæ contemplativæ redactam, quæ abſque eo quod poſſit quieſcere in tali ſtatu, iterum ad activam ſe confert, quærens per varia miniſteria ipſum invenire, copulans ſimul exercitia Mariæ cum miniſteriis Marthæ: iſta igitur quærens dicit: indica mihi quem diligit anima mea: ubi paſcas, &c. Sed reſpondet Seraphicus Doctor. indicabo tibi ò ſponſa quem diligit anima mea: certè in infirmaria jacet, ibi anguſtiatur, ibi dolore gravatur, & torquetur: curre, & ipſi miniſtra, ipſique compatere infirmanti: cur inſtas ſponſa quotidiè ut ſponſi oſculo oſculeris? accede ad leproſum, & oſculare eum, quia ibi jacet: cur ſponſa miſera præ ſponſi amore lãguere te dicis, & ipſum quotidie nudum diſcalceatum, & afflictum ante te vides tranſire, & negligis, & etiam non compateris ei: miniſtra ergo Chriſto in proximo tuo aſſiſtendo, adjuva proximum, & ad Deum dirige; dicit enim quod uni ex minimis meis feciſtis mihi feciſtis: & ideò cum vides in lecto proximum tuum infirmum, tibi videre quod videas Chriſtum: credo enim quod qui ſic diligenter proximo ſuo ſervit, & miniſtrat Chriſto in proximo, puræ propter Chriſtum in Chriſtum tendens, quod plus merebitur, & virtuoſiùs morietur, & à Deo ampliùs approbatur, quam ſi proprio corpori Chriſti miniſtraret: ergo non interrogemus Chriſtum de cætero, nec dicamus ei, ubi jaces, ubi cubas in meridie? quia jam novimus locum: ſcimus enim eum in infirmaria jacere: non autem reſtat, niſi præſtare obſequium. *Op. ſtim. diu. am. p. 2. c. 7.*

32. *Mariæ Virginis charitas in Deum, & proximum expenditur.*

Indica mihi quem diligit anima mea. Quis eſt iſte quem diligit anima tua? Hic eſt Chriſtus filius Mariæ, verè & ardenter à Matre dilectus: amor enim ipſius in Chriſtum fuit ſuper omnes amores: & ideò propter hunc amorem ipſa fuit affectuoſiſſima in proximum, quem ſemper dilexit propter Chriſtum in corde, fovens in ore, & opere: & quia in corde ejus amor Spiritus ſancti ſingulariter ardebat: ideò in carne ejus virtus ſpiritus mirabilia faciebat. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 4.*

33. *Dolor Beatæ Virginis in amiſſione filii expenditur.*

Indica mihi quem diligit &c. Ergonè Maria aliquando amiſit filium dilectum, ut indigeret quærere, & rogare ut indicent ei ubi eſſet, ubi cubaret, ubi quieſceret? maximè: audi Lucam dicentem de Joſeph, & Maria *cap. 2.* Et requirebant eum inter cognatos, & notos, & non invenientes ipſum regreſſi ſunt in Hieruſalem: audi ergo Mariam dicentem omnibus: indica mihi quem diligit anima mea: & perpende amaritudinem profundæ tribulationis cordis Mariæ, & Joſeph: & quæ major tribulatio, quam amiſiſſe ſuum dulcem natum: conſpice igitur Mariam ſic dolentem, & vehementer compatere, quia in anguſtia erat anima ſua, nunquam ex quo nata fuit uſque tunc fuit in tanta: tunc autem ad orationem, & planctum ſe convertere dicebat: ò Deus, & Pater æterne clementiſſime, & benigniſſime vobis placuit mihi dare filium veſtrum: ſed ecce perdidi eum, & neſcio ubi ſit, reddite eum mihi: ò Pater tollite mihi hanc amaritudinem, & indicate mihi filium meum: Reſpicite Pater afflictionem meam, & non ad negligentiam meam, & propter bonitatem veſtram reddite ipſum mihi, quia ſine ipſo vivere non poſſum: ò fili dilectiſſime ubi es? quid eſt de te? apud quem nunc hoſpitaris? indica mihi fili mi ubi ſis, & veniam ad te, vel tu redi ad me; modò autem ſum ſine te, & neſcio qualiter hoc factum ſit: indica mihi quomodò valeam te invenire: vide ergò dolorem Mariæ, & nè turberis ò homo quando tribulationem habes, quia etiam Deus non pepercit matri. *Op. med. c. 14. ſer. 1. Dom. infrà oct. Epiph.*

34. *Anima relictis creaturis ad Deum totaliter invitatur.*

Si ignoras te ò pulcherrima inter mulieres egredere, & abi poſt veſtigia gregum, & paſce hædos tuos juxtà tabernacula Paſtorum. Quid eſt quod prætendit Spiritus ſanctus ab anima dum præcipit ut abeat poſt veſtigia gregum? ergonè debet cuſtodire oves, & paſcere hædos? ſed nota illam particulam poſt veſtigia, non dicit antè, ſed poſt; cur hoc? quia prætendit Spiritus ſanctus animæ rationali indicare, quæ inter creaturas corporales eſt omnium pulcherrima, & nobiliſſima, ſi vult invenire Chriſtum anteà tam ardenter deſideratum, & quæſitum, ut abeat poſt veſtigia gregum, ſcilicet ut relinquat & ſeparet ſe ab omnibus creatis, & in Deum ſolùm ſola feratur, cum in illi ſit tantùm veſtigium, in ipſa verò ſpeculum, & imago ſanctiſſimæ Trinitatis: addit poſteà, paſce hædos tuos: nota quod ſuprà non dixit gregum tuorum, ſed gregum ſimpliciter, nunc dicit hædos tuos: qui ſunt iſti hædi, quibus ſocianda eſt? vel potiùs agni, ut legunt alii ex hebræo? iſti ſunt chori Angelorum ad quos anima dirigere debet cogitationes, & intentiones ſuas, ut fiat concivis Angelorum in Dei laudibus. *Op. Solil. c. 1.*

35. *Anima invitatur cum Paſtoribus ad Ieſum adorandum.*

Si ignoras te ò pulcherrima inter mulieres: egredere, & abi poſt veſtigia, &c. Nota quod poteſt habere hunc ſenſum iſta ſententia: Tu ardenter ò anima quæris dilectum tuum: ſi ignoras te, ideſt modum ipſum inveniendi: egredere, & ſequere veſtigia gregum cum paſtoribus, cum quibus duceris ad Chriſtum inveniendum: ſicquè relictis gregibus creaturarum per contemplationem ad Deum pervenies. *In Luc. c. 2. v. 16.*

36. *Anima*

36. *Anima mittitur ad ſcholam irrationalium, ut dirigatur in via prudentiæ, & ſapientiæ.*

Egredere & abi poſt veſtigia gregum, &c. quaſi dicat ex veſtigiis,& operibus irrationalium diſce prudentiam, & ſapientiam: vade ad formicam piger, ait Spiritus ſanctus *Prov.c.6.* & diſce prudentiam: diſce inquam quid tibi faciendum eſt ruminando Verbum Dei, & cumulando grana operum bonorum pro alia vita. *Ser.2. de uno S.Doct.a.2.*

37. *Maria ſingularis protetrix peccatorum.*

Paſce hædos tuos. Si hæc verba diriguntur ad Mariam,ut facit Eccleſia,cum ſit ipſa pulcherrima inter mulieres, cur ipſi incumbit munus paſcendi hædos, & non potiùs agnos? illi enim ſunt peccatores, iſti innocentes? ſed attende quod Maria Virgo ſpecialis advocata conſtituta eſt à Chriſto pro perditis peccatoribus; ipſa enim peccatores ad eam reſpirantes perducit ad indulgentiam peccatorum, eoſquè cibat in pulchritudine pacis, & requie opulenta. *Op. Pſalt. B.Virg.Pſal.18.& 9.*

38. *Eccleſia, & anima Deum diligentis pulchritudo expenditur.*

Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis: collum tuum ſicut monilia. Cur turturi aſſimlat pulchritudinem genarum ſponſæ, & collum monilibus? qualis comparatio eſt iſta? verè prima facie valdè deformis, & aliena à ratione! ſed attende proprietates turturis: eſt enim avis amoroſa, & caſta, & propter amorem comparis nulli conjungitur, nec in vita, nec poſt mortem conſortis: & quia per collum vox emittitur, ideò ſignificat veritatem. Sic ergo laudat ſponſus ſponſam Eccleſiam, & animam quoad caſtitatem, & honeſtatem ſponſæ, quam propter amorem ſponſi ſervat: item & quoad veritatem, & diſcretionem per quam ſicut monilibus ornata apparet per ſacræ ſcripturæ multiformitatem myſteriorum quæ poſſidet.*Ser.2.Hexam.Pſal.49.* Sit ergo ſponſa Chriſti caſta, pura, honeſta, diſcreta, & ſimplex, ſi vult coram ſponſo apparere pulchra, & decora.

39. *Obedientia ornamentum perfectiſſimum religioſorum.*

Pulchræ ſunt genæ tuæ, &c. collum tuum ſicut monilia: murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas, &c. Cur comparat collum monilibus, & non potiùs dicit collum ornatum monilibus, & murenulis aureis? ſed ſciendum quod per collum, quod jugo ſubditur intelligitur obedientia, quæ eſt præcipua inter omnes virtutes religioſæ animæ. *Sic Gregor.Nyſſ. Origenes, aliiquè PP.* & ideò hic exaltat hanc pretioſiſſimam virtutem tanquam ornamentum præcipuum religioſorum afferens ſecum decorem aliarum virtutum. Nota igitur, quòd de ſponſa dicit Spiritus ſanctus: Equitatui meo in curribus, &c. aſſimilavi te, &c. ideſt te poſitam in curribus Salomonis aſſimilavi te equitatui meo: q. d. ſicut equitans quieſcendo procedit, quia non movetur motu proprio, ſed equi, & currus, ſictu verè obediens, & quieſcendo, & dormiendo, & vigilando, & ambulando proficis, & ambulas de virtute in virtutem; & addit pulchræ ſunt genæ tuæ, &c. collum tuum ſicut monilia, &c. quia obedientia eſt præcipuum ornamentum animæ Deo dicatæ, & quia virtus ſumma in merito, & ſuperior cæteris virtutibus, vicina Deo, & cælo proxima. *Diat.tit.4.c.2.*

40. *Animæ humilitas odorem Deo gratiſſimum reddit.*

Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea odorem ſuum dedit. Quid eſt nardus mea; Nardus eſt arbor parva, & valde odoroſa, & pretioſa: & ſignificat humilitatem, quæ eſt virtus ſuper omnes pretioſa & Deo, & Angelis odoroſa, & grata *Op.Diat.tit.7.c.1.* Sic Magdalena tali odore traxit Chriſtum ad ſibi reconciliandum. *In Luc. c. 7. v. 37.* Sic etiam & hæc eſt illa virtus, quæ veluti funis trahit peccatores à ſiniſtra ad dexteram Chriſti collocandos in numero electorum, undè dixit: & dextera amplexabitur me. *cap.21.n.8.*

41. *Meditatio devota myſteriorum noſtræ fidei quales fructus pariat in anima: defectus talis meditationis qualia mala.*

Faſciculus myrrhæ dilectus meus: inter ubera mea commorabitur. Quid faſciculus iſte eſt, & quare inter ubera commorari vult ſponſa? Nota quod hæc eſt anima devota, quæ ſe exercet in continua meditatione miſteriorum fidei noſtræ:quam meditationem inter ubera ſcilicet in memoria, & corde conſervat ad modum faſciculi myrrhæ, quia mentem præſervat à putredine, & corruptione mortalium, & vermes mortificat, ſcilicet offendicula meditationum: ex qua conſervatione redundat dulce eloquium in ore de rebus divinis: ſicut è contrariò qui à corde elongat tales de Deo meditationes, recipit in eo malas cogitationes, & hinc eloquia mala. *Op. de 7.itiner.æternit.itin.2.d.5.*

42. *Meditatio Chriſti Crucifixi, ipſiuſquè Paſſionis qualiter ab anima devota exerceatur.*

Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, &c. Quomodò ſponſa appellat Chriſtũ Ieſum tam ab ipſa dilectam faſciculum myrrhæ amaræ, & non potiùs favum mellis: ſed attende, quod alludit ad Chriſtum crucifixum, ejuſque paſſionem: datquè intelligere quod anima diligens Deum ſemper inter ubera ſcilicet in corde portat memoriam Chriſti crucifixi, & ejus paſſionis: qua meditatione evitat omnem corruptionem peccatorum, & dulcem eſcam ſibi parat: ſic & ſe exercebat Seraph. S. Franciſcus, ſic & Maria Magdalena, qui in tali meditatione deliciis cæleſtibus replebantur continuè. *Op.de regimin. animæ: op.legenda S.Franciſ. c.9. op. lignum vitæ: op.Paſſio Chriſti collecta: ſer. 3. in epiph. & ſer.2. de S.Mag.Luc.c.15.v.30 Ioan.collat.83.*

43. Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur: hoc dicebat B.Simeon

B,Simeon quaudo accepit Ieſum in ulnas ſuas. *in Luc.c.2.v.28.*

44. *Faſciculus myrrhæ fuit Chriſtus Ieſus Beatæ Virgini matri inter ubera ſua commorans.*

Faſciculus myrrha dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. Si hoc dicere poterat verè Simeon dum in ulnas ſuas recepit Ieſum, meritò hæc verba magis aptaotur dicta à Beata Virgine Maria dum inter uloas, & in ſinum toties recepit Chriſtum Ieſum : ſed nota quod dicit; faſciculus myrrhæ ſignificat humanitatis mortalitatem, amaritudinem, paupertatem, & tribulationem : datquè iotelligere quod puer illi erat maxime delicioſus, & ſimul amarus : vide & cogita quam hoc ſit verum; qualis enim amaritudo præmebat cor Mariæ Virginis videntis ſe in tantis anguſtiis in præſepe, coactam pedeſtrem ire per loca in via deſerta, obſcura in Ægyptum, & reverti in Iudæam? qualis transfixio cordi eius fuit prophetia ipſi facta à ſancte Simeone : *Op medit.vita Chriſti c.7.& deinceps ſer.3.& ſer.4.in Epiph.*

45 *Gaudium ſpirituale eſt vinum expreſſum de torculari Crucis dulciſſimum animæ: gaudium mundanum eſt amariſſimum.*

Petrus cipri dilectus meus mihi in vineis Engaddi. Quid iſte botrus Cipri? & cur dilecto Chriſto adoptatus? ſed nota quod Chriſtus Jeſus fuit botrus ex vite Mariæ genitus, & in torculari Crucis expreſſus, ex quo vinum lætitiæ ſpiritualis eshauritur dulciſſimom animæ Deum diligenti : es quo patet talis vini puritas, & dulcedo, quia à ſolo Chriſto advenit:E contra gaudium mundi amariſſimum ſuper fel. *Op. Diet. tit.8.c.1.*

46. *Chriſtus botrus, ex quo virtus ſanguinis expreſſa eſt ad ſalutem totius mundi.*

Botrus Cipri dilectus meus in vineis Engaddi. Nota, quod hoc verè dicitur de Chriſto, qui fuit figuratus in botro à filiis Iſraël allato in vecte à duobus, quorum alter antecedebat,alter ſequebatur : ſic Chriſti ſanguis expreſſus eſt in torculari Crucis, cujus virtus ad antiquos, & ſequentes exteo à fuit, ſed cum hac differentia, quod qui adventum Chriſti præceſſerunt non omnes viderunt, & cognoverunt fructum hujus botri ; ſolumquè ſequentes patenter id cognoſcunt : vide ergò qualis efficacia in hoc vino expreſſo ex botro Chriſti. *Lib.3.diſt.13.a.2.q ultim. in fine; & diſt.25.q.ultim.& ſer.1.Dom. infra oct. Nativit.*

47. *Ex Maria vite botrus Chriſtus natus, &c.*

Botrus Cipri dilectus meus, &c. Nota hæc verba dicta eſſe à Beata Virgine Maria, quæ verè vitis fructifera fuit gignens nobis botrum Chriſtum, ex quo vinum extractum eſt delicioſiſſimum in odore, in pulchritudine, & in ſapore: cujus ſapor inebriat mentes Angelorum, & hominum, cujus virtus ſanat omnes infirmitates noſtras : dicamus ergò beatæ Virgini : Ave botrum ferens vitis, per quam pulſa mundi ſitis, lus eſt cæcis reſtituta, & libertas vinctis data. *Op.ſpec.B.Virg.lect.16.op.Pſalt.minus in 3. quinq. & ſer.1.Dom.infrà octav. Nat.* Nota etiam quod vineæ engaddi in nocte Nativitatis floruerunt, & fructum balſami protulerunt, ut pateret quod tunc Maria Virgo produxit nobis balſamum pretioſiſſimum. *Op. de quinq. feſtivit. Puer. Ieſu feſt.2.*

48. *Pulchritudo animæ venit principaliter ex oculis columbinis.*

Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es oculi tui columbarum : Vide quomodò iacet textus explicat pulchritudinem ſponſæ ex oculis columbinis : cur ex oculis columbinis? propter cõtemplationis tuæ radioſum aſpectum: hæc enim totam animam ſimplificat, & ipſam excellentem & pulchram reddit quantum ad conſcientiã & quantum ad intelligentiam: ſed nota quod dicit: oculi tui columbarum, non lupi non vulturum : quia iſti oculi ſolùm terram aſpiciunt, & prædam : ſed oculi columbini ſolùm ad cælum, ſolùm ad Jeſum adſpiciunt : ſint igitur oculi tui columbæ, non lupi, non canis, non vulturis. *Op de 7. itiner.ætern.itin.3.de 7.ſer.2.Dom.13. Pent.& Pſal.118.c.10.v.4.*

49. *Pulchritudo animæ Mariæ expenditur.*

Ecce tu pulchra es amica, ecce tu pulchra es: oculi tui columbarum : Nota quod ſponſus non eſt contentus extollere una vice pulchritudinem Mariæ, ſed iterum ſecundò reperit; ecce tu pulchra es : cur hoc? quia Maria Virgo continet eminenter non ſolùm pulchritudinem aliarum creaturarum ſed ſupereminet omnes alias, propéque ad Deum ſublimatur, & ideò Sol, & Luna,& ſtellæ mirantur pulchritudinem ejus : pulchra igitur ſpõnſa Maria; pulchra in juſtitia, & judicio reſpectu ſui: pulchra in miſericordia, in affectu, & miſerationibus : in effectu reſpectu proximi ; pulchra in fide reſpectu Dei, qua cuſtodit omnia credenda ſupra ſe,& omnia perficienda in ſe. *op.ſpec.B.V.lectio 10.*

50. *Idem de pulchritudine Mariæ Virginis & Jeſu Chriſti filii.*

Ecce tu pulchra es, &c. Suprà dictum eſt Mariam fuiſſe illam vitem myſticam ex qua prodiit botrus Chriſtus : & ideò de Maria dicitur. *Levit. 23.* Sumetis vobis fructus arboris pulcherrimæ ; Maria enim fuit arbor pulcherrima emittens fructus pulcherrimos mentis, ſcilicet charitatem, gaudium, pacem, patientiam, benignitatem, aliaſquè virtutes : ipſa eſt quæ nobis fructum pulcherrimum edidit Chriſtum, ideò ejus pulchritudo ex pulchritudine Chriſti commenſuranda. *Op.ſpec.B.Virg.lect.16.& 50.*

51. *Chriſtus pulcherrimus ſecundùm humanitatem, quia natus ex pulcherrima Maria.*

Ecce tu pulchra es, &c. Nota quod poſtea addit : ecce tu pulcher es : prius exprimens pulchritudinem Mariæ, poſtea filii : cur non prius Chriſti

Chriſti pulchritudinem exprimit textus? ſed attende ad pulchritudinem matris ſi vis agnoſcere pulchritudinem filii: pulcher enim eſt in cælis, pulcher in terris, pulcher in Patre Verbum, pulcher in matre caro, & Verbum, ideò quia pulcherrima eſt Maria, pulcherrimum etiam habet fructum *Op. ſpec. B. Virg. lect.16. & ſer.3. Dom.14.poſt Pent.*

52. *Status contemplativorum, & Doctorum Eccleſiæ exprimitur.*

Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus. Nota quod poſt expreſſionem pulchritudinis Sponſæ ſcilicet Eccleſiæ ſubjungit pulchritudinem dilecti, & in epitalamio copulat nomen pulchri, & decori per quod exprimitur fælicitas, & proprietas animæ contemplativæ, & ſtatus Doctorum ſcilicet, Eccleſiæ: pulcher & decorus, pulcher in corde, & in affectu interiori, & in affectu exteriori: gravis in inceſſu, honeſtus in viſu, & auditu, temperatus in habitu, in cibo, & potu: ſic ergo exercitium contemplativæ vitæ, & ſtudium Sacræ ſcripturæ pulcrificat fideles. *Ser.1.de uno S.Docto. & in Luc.c.17. v.34.* Et hinc addit lectulus noſter floridus, quia lectus contemplativorum, & etiam activorum eſt mens purificata ab omnibus terrenis, vernans floribus morum, & diſciplinæ habentibus tot folia, quot bona, & meritoria opera. *Op. ſpecul. B. Virgin. lect.12. & ſerm.3. Dom.18. poſt Pentecoſt.*

53. *Mites, & caſti ſunt lectus floridus Chriſti: item & pænitentes.*

Lectulus noſter floridus: Quis lectulus ſponſi? Eſt anima mitis, & manſueta: quia manſuetudo eſt ſicut culcitra mollis in lecto floridæ conſcientiæ, aliarumque virtutum, in qua libenter Deus pauſat, & dormit. *Op. Diet. tit.7. c.2. & tit.8.c.1.ſer.4.Dom.infra oct.Nativ.* Idem dic de anima pœnitente, quæ verè eſt lectulus floridus Chriſti, verè ornatus floribus operum pœnitentialium. *Ser.3.Dom.18. poſt Pentec.*

54. *Maria Virgo fuit lectulus floridus, & chariſſimus Chriſto: Item & S.Crux.*

Lectulus noſter floridus: Hæc ſunt verba Mariæ Virginis puero Jeſu directa: ſed quiſnam fuit iſte lectulus floridus? quandò inquam requieverunt inter flores? ſed attende quod hic loquitur de floribus Paradiſi: lectulus iſte fuit Beata Virgo Maria, ſeu ipſius anima, & corpus, venterque puriſſimus: nam Maria Virgo in floridæ vitæ honeſtate fluebat omnium virtutum honeſtate; ipſa namque fuit ſanctorum areola aromatum à cœleſti conſita pigmentario, virtutum omnium ſpecioſis floribus delectabiliter vernans, inter quorum pulcherrimos trium in ipſa miramur excellentiam, ſcilicet violæ humilitatis, lilii caſtitatis, & roſæ charitatis hi ſunt. *Op.ſpec.B.Virg.lect.12.*

CAP. II.

55. *Humilitatis flos, & qualis.*

EGO *flos campi, & lilium convallium!* Flos campi quis eſt? & quot in campo flores germinant? quiſnam eſt iſte peculiaris inter flores? ſed nota quod inter iſtos poteſt dici viola: & per iſtam ſignificari virtutem potiſſimam campi Eccleſiæ ſcilicet humilitatem: viola enim eſt flos modicus, & valdè pretioſus: & eſt formata inſtar aviculæ parvæ, quia habet roſtrum parvum, quaſdam parvulas alas, & caudam ſimiliter parvulam: ſic humilitas habet roſtrum ad laudandum Deum, alas ad contemplandum cœlum, caudam ad cogitandum finem proprium: ideò poteſt dicere de ſe Ego flos campi, &c. *Op.Diet.tit.7.c.1.*

56. *Chriſtus flos.*

Ego flos campi &c. Nota quam aptè à Chriſto aptatur ſimilitudo floris, dicitur enim Nazarenus, ideſt floridus: quia flos eſt de ſubtili materia, undè in ipſo eſt ſinceritas veritatis, venuſtas decoris, fragrantia odoris, & prænunciatio fructus conſequentis: ſic Chriſtus fuit floridus flore olivæ per ſuavitatem miſericordiæ: floribus roſæ per virtutem patientiæ; floribus lilii per candorem munditiæ: floribus vineæ per odorem famæ. *In Ioan.Coll.at.84.& in Lucam c.1. v.26.* Nota etiam, quod dicitur flos campi, non horti: ſed campi, ille enim eſt clauſus, iſte apertus, omnibus communis: ſic Chriſtus omnibus tranſeuntibus eſt communis, & expoſitus. *Ser.3.in Paſcha & op.ſpec.B.Virg.lect.12.*

57. *Qualis flos campi eſt Chriſtus.*

Ego flos campi. Quis eſt flos campi? flos campi ſecundùm aliquos eſt quidam parvus flos valdè rubicundus habens quinque folia, & propriè ſignificat Chriſtum, qui verè rubicundus eſt ardore charitatis, habens quinque vulnera rubicunda. *Ser.3.in Paſcha.*

58. *Chriſtus flos uteri Virginalis Mariæ.*

Ego flos campi, & lilium convallium. Ex quo campo productus eſt iſte flos? ex campo, & terra Virginali Mariæ; dicitur autem flos campi, non horti, quia ſine omni humano adminiculo floruit non ſeminatus ab aliquo, non defoſſus ſarculo, non impinguatus fimo, ſic omninò Virginis alvus floruit, ſic inviolata, & integra caſta Mariæ viſcera tanquam paſcua æterni viroris protulere, cujus pulchritudo non videat corruptionem, cujus gloria in perpetuum non marceſcet: ô flos digniſſimus, Angelis deſiderabilis, & delectabilis: flos hominibus ad vitam perutilis, & ad cujus odorem reviviſcunt mortui: fælix ſylva, vel campus, qui produxit hunc florem: ſed magis felix iſte flos, & ſuper omnes flores, ſine quo nulla ſylva, nec campus, nec virga fælix eſſe poteſt: flos eſt qui tot folia ha-

Digitized by Google

bet quot ſunt miniſteria, & exempla. Si ergo ô homo hunc florem habere deſideras, virgam floris precious fl.ctas. *Op.ſpec.B.Virg.lect.12.*

59. *Maria Virgo flos campi, & lilium convallium.*

Nota quod inter SS. Patres alii applicant hæc verba tanquam à Chriſto dicta: alii B. Virgini, & meritò utrique competunt: Nam etiam Beata Virgo flos eſt campi omnibus communiſſima verè odorifera operibus, & exemplis ſanctiſſimis: & eſt lilium convallium quod eſt flos albus odoriferus, in ſe naturâ frigidus, & aliorum infrigidativus: ſic Maria Virgo puriſſima, caſtiſſima non ſolùm in ſe, ſed & caſtitatis in aliis cauſativa, imò ejus aſpectus in aliis libidinem extinguebat: ô igitur Maria caſtiſſima aſpice frequenter in nos. *Ser.1.de B.Virg.*

60. *Caſtitas exprimitur in lilio.*

Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias Adæ. Notandum quod in lilio ſunt ſex folia nivei coloris, & ſex grana aurei coloris: ſex folia nivea ſignificant carnis pudicitiam, & ſex grana mentis puritatem: ad carnis pudicitiam ſex folia requiruntur, ideſt cibi, & potus ſobrietas 2. habitus aſperitas 3. laboris ſtrenuitas contra otium 4. cuſtodia ſenſuum maximè viſus & auditus 5. modeſtia verborum maximè impudicorum 6. fuga occaſionum, maximè mulierum. Sex grana aurea ſignificant triplicem modum & triplicem cauſam Deum diligendi; primus, modus eſt diligere Deum prudenter, nè decepti diſcedamus ab ejus amore: primò dulciter nè elati abſcindamur ab ejus amore: tertiò fortiter nè oppreſſi evellamur ab ejus amore: triplex cauſa diligendi Deum eſt ut diligamus Deum toto corde, quia creator: tota anima quia redemptor: tota mente, quia remunerator. *Diat. tit.4.c.4.*

61. *Inter ſpinas pœnitentiæ ſolùm conſervatur & viget lilium caſtitatis.*

Sicut lilium inter ſpinas &c. Nota quod inter ſpinas magis creſcit lilium, nec poteſt tangi, nec tactu corrumpi: ſic caſtitas inter ſpinas pœnitentiæ conſervatur ſecurè, creſcitque, nec à tactu immundo contaminari poteſt. *Op. Diat. tit.1.c.1.*

62. Virgo pura & Martyr, & Eccleſia verè lilium inter ſpinas: ſic enim decorata candore floreo; eſt laureata cruore roſeo inter ſpinas Martyrii: eſt liquefacta amore flammeo, quia eſt amica Chriſti: eſt exaltata honore cæleſti, quia inter filias Adæ ſcilicet animas beatas: ad hanc eminentiſſimam dignitatem invitamur & nos. *Op. Diat. in Apendice pro Virg. & Martyr. ſer.2 Dom 6.poſt Pent.Pſal.71.*

63. *Qui inter peccatores conſervat munditiam, de ipſo verè poteſt dici quod ſit lilium inter ſpinas ſap. c.4.*

64. *Maria Virgo ſicut lilium inter filias Adæ.*

Sicut lilium inter ſpinas: ſic amica mea inter filias Adæ. O quam verum hoc de B. Virgine Maria, cujus puritas ſuper lilium in Mundo apparuit: & ideò inter ſpinas, & peccata filiorum Adæ ſola immunis fuit ab omni væ, & peccato: Ave igitur cæleſte lilium, ave roſa ſpecioſa, ave mater humilium, ſuperis imperioſa, Deitatis triclinium, hac in valle lachrymarum da robur, fer auxilium, ô excuſatrix culparum. *Op. ſpec. B.Virg.lect.2.op.laus B.Virg.in princ.*

65. *Animæ contemplativæ gradus, & deſideria qualia.*

Sicut malus inter ligna ſylvarum, ſic dilectus meus inter filios: ſub umbra illius quem deſideraveram ſedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo. Nota hæc verba à ſponſa, & anima contemplativa prolata: dum enim ſedet ſub umbra ſponſi per vacationem contemplationis, & exercens ſe in ſpeculatione umbratili creaturarum accenſa deſiderio majora concupiſcit, ad altiora inhians, ſcilicet ad dilucidam contemplationem, in quo ſtatu fit fructus ejus dulcis gutturi per fruitionem. *Pſalm.118. c.2.v.4.ſer.18.Hexam. op. dr 7. it in.aternit.ſum.6. d.1.* Sed nota ordinem verborum ſponſæ: ait enim primò: *ſicut malus inter ligna ſylvarum: ſic dilectus meus inter filios:* per quod dat intelligere quod jam mens cognoſcit pretioſitatem, & prærogativas ſponſi Jeſu Chriſti; ſubdit: *ſub umbra illius quem deſideraveram ſedi, ſub umbra* ſcilicet refrigerantis gratiæ Chriſti, *quem deſiderabam* per exceſſum inflammatæ dilectionis, *ſedi* per mentis quietationem; addit poſtea: *& fructus ejus dulcis gutturi meo* propter deguſtationem ſapientiæ: in quibus verbis dat intelligere gradus, quibus anima pervenire poterit ad dilucidam contemplationem, & fruitionem viſionis ſui ſponſi: primò enim requiritur ut purgetur à peccato, & reſolvatur in aquam devotionis, deindè abſtrahatur ab amore mundano, ut non ſit diſperſa ad exteriora, ſed recolligat ſe ad interiora totaliter, nè interponatur aliqua caligo, ut immediatè recipiat ſtillicidium divinæ influentiæ, & deguſtet dulcorem æternæ ſuavitatis. *Ser.2. Dom.1. Adv.& ſer.1.Dom.ſexageſ.*

66. *Qui in ſola Dei voluntate conquieſcit dignus fit deguſtare dulcedinem Paradiſi.*

Sub umbra illius, &c. ſedi: Quomodò ſediſti ô ſponſa? ſedi ait ſub umbra illius, ſcilicet ſicut umbra ſequitur corpus: ſic voluntate mea ſequens dilectum requievi, & requieſco in ſola Dei voluntate, offerens meipſam ſponſo medullatum ſacrificium, quærens ſolùm ea, quæ Dei ſunt, & hinc factus eſt fructus ejus dulcis gutturi meo, ſcilicet introducta ad deguſtationem dulcedinis Divinæ. *Op. myſtic. Theolog. cap.2. p.2.& op.Diet.tit.7.c.1. in Lucam c.13.v.10.* Vide igitur quomodò in ſola Dei voluntate quies, & fœlicitas Divina poſſidetur.

67. *Meditationis Crucis, & Crucifixi fructus quam dulces.*

Sicut malus &c. ſub umbra illius, &c. ſedi: Cur aſſimilat ſponſa arbori malo ſponſum? quid eſt ſicut malus inter omnia ligna ſylvarum? Nota, ſed

ſed erige oculos ad Chriſtum pendentem in Cruce, & videbis lignum S. Crucis veluti arborem fructibus ſuaviſſimis refertam: quod ſponſa intuens ſtat, ideſt ſub umbra talis arboris ſedet per meditationem myſteriorum Crucis, & crucifixi in ipſa pendentis: & ſic introducta ad guſtandum non carnem peccatorum, non avium, non piſcium, ſed ipſum Verbum incarnatum, quod deguſtatum adeò eſt dulce, ut illo deguſtato nec fameſcat homo, nec ſitiat in æternum. Comede igitur ô anima hoc mel, quoniam bonum eſt: quia qui ſeparatus fuerit ab hoc ligno in fine privabitur vita gloriæ, & incurret mortem damnationis æternæ, ubi erit vita ſemper moriens, & mors mori neſciens, vita mortalis, & mors vitalis. *Ser. 1. in Invent. S. Crucis: & opuſ. Comp. Theol. lib. 4. c. 24.*

68. *Maria Virgo in Incarnatione Verbi ſedit ſub umbra Spiritus ſancti, & dulcedinem Paradiſi deguſtavit.*

Sub umbra illius quem deſideraveram ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo: Hæc ſunt Verba Mariæ Virginis ipſi ab Eccleſia attributa: ſed quandonam ſedit ſub umbra dilecti Jeſu? ſedit ſub umbra Maria tunc quando Spiritus ſanctus ipſam obumbravit: quid eſt obumbravit? obumbravit eam elevando ad generandum Verbum Deum in carne ſine æſtu concupiſcentiæ, ad portandum ipſum ſine gravedine, ad pariendum ſine dolore: ſedit inquam tunc Maria abſorpta in fruitione cœleſtium conſolationum. *in Lucam cap. 1. v. 35.*

69. *Idem magis explicatur ad gloriam Mariæ.*

Sub umbra illius, &c. ſedi: Nota illam particulam quem deſideraveram: Quid deſideraverat Maria? Deſideraverat Incarnationem Verbi, ad quam ſolam tendebant ejus deſideria, vota, & preces: Tandem ſub umbra Spiritus ſancti ſedit: quomodò ſedit? ſedit quia ejus mens primò Dominum ſuſcepit ſpiritualiter, ſicquè pacificata, & quietata ſedit tota immerſa in amore, in deſiderio, in citamentis cœleſtium ſecretorum, & deindè fructus ejus dulcis fuit gutturi ejus, quia ipſum concepit corporaliter, dum ejus uterus factus eſt locus voluptatis. *Op. ſpec. B. Virgin. lect. 11. & lib. 3. d. 4. a. 2. q. 2. & 3. & a. 3. per totum.*

70. *Ebrietas ſpiritualis contemplativorum exponitur.*

Introduxit me Rex in cellam vinariam, & ordinavit in me charitatem. Ad quid hæc introductio in cellam vinariam? ut ordinaret in me ait ſponſa, charitatem. Sed quænam eſt ordinatio iſta? cur in cellam vinariam introducitur ad ordinationem charitatis, & non potiùs ad bibendum vinum? imo ad bibendum vinum charitatis Divinæ. Dat igitur intelligere ſponſa contemplativa ipſam introductam fuiſſe denuò in cellaria ſponſi per interiores, & profundiores intelligentias ad bibendum, & inebriandam animam per exceſſivam abundantiam divinorum luminum, & alienationem mentis ex vino fortiſſimæ charitatis: & hoc eſt proprium perfectæ charitatis, & contemplationis: hæc igitur exponit ſponſa dilecta Chriſti invitans nos ut ſatagamus Dominum noſtrum intimè & ſummè diligere, & omni hora in divinæ contemplationis gaudium cum ſummo deſiderio anhelare, ut torrente voluptatis divinæ potemur, & inebriemur dulciter cum ſponſa. *Op. de dono ſap. c. 7.*

71. *Ordinatio charitatis qualis à Deo exigatur in anima.*

Introduxit, &c. ordinavit in me charitatem. Qualis eſt iſta ordinatio? nonnè diligendus eſt Deus ſine modo? ſine modo quidem, ſed non ſine ordine: qui neceſſario in exercitio charitatis ſecundus eſt, nam charitas primò reſpicit quod eſt ſuprà: ſecundò quod eſt intra: tertiò quod eſt juxta: quartò quod eſt infrà, ſcilicet Deum, animam noſtram, proximum noſtrum, & corpus noſtrum. *Pſal. 118. v. 32. & Pſal. 146. op. Comp. Theol. lib. 5. c. 24. & 30.* Rectè igitur ordinata charitas incipit à ſummo ſcilicet à Deo, ſic enim omnes inferiores ordines, ſeu gradus participant lumina divina & inferiores ordines, ſeu gradus participant lumina divina, & inferiora, & exteriora per media inferiora reducuntur ad ſuperiora: & in tali ordine experitur anima quod charitas ardens Dei dilectionem parentum vincit, amorem prolis ſuperat, affectum carnis tranſcendit, vel extinguit: inſuper & animam ſuam in odium vertit: ô vehementia dilectionis, ô violentia charitatis Chriſti animam ligantis, & vulnerantis. *op. de 7. itiner. ater. itin. 3. d. 4. a. 1. & itin. 4. d. 5. a. 2. & ſerm. 2. de rector. in adit.*

72. *Sub Priore charitatis quiſque debet ſe ſubjicere.*

Ordinavit in me charitatem. Quid eſt, & qualis eſt hæc ordinatio, & à quo facta? Sed audi Joannem Apoſtolum dicentem: ipſe prior dilexit nos, & miſit filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris. Nota illud verbum qui prior: quia Deus Pater miſit Filium ut eſſet prior in ordine charitatis, & ut nos invitaret ad ſubjiciendum nos ſub iſto Priore, & ordinaremus ad ſui exemplum charitatem in nobis. *ſer. 2. fer. 2. Pent. & opuſc. de ſex alis ſeraph. c. 8.*

73. *Effectus Euchariſtiæ expenduntur in dignè ipſam recipiente.*

Introduxit me Rex in cellam vinariam. Quæ cella vinaria Chriſti Jeſu? ſed attende quod cella eſt Eccleſia, diciturquè vinaria, ſcilicet in qua conſervatur corpus, & ſanguis Chriſti ſub ſpeciebus panis, & vini, & idcò invitantur fideles in hanc cellam, ut talem cibum edant & vinum bibant: ſed quid importat talis ordinatio? ordinatio charitatis eſt collocatio, ſeu exercitium charitatis reſidentis in ſupremo loco animæ, cui cæteræ virtutes famulantur: quia Euchariſtia inflammat charitatem, auget meritum fidei, & ſublevat ſpem: vivificat interius, incorporat ſuſcipientem ad corpus Chriſti myſticum: reficit animam, & augmentat devotionem, mitigat fomitem concupiſcentiæ, confert

 grattam,

gratiam, roborat virtutes, remittit peccata, armat contra diabolum; ægris eſt medicina, peregrinantibus via, confortatio debilium, ſanctorum delectatio, ſanctitatem conſervat, & innumera bona donat: ecce qualis ordinatio. *Op. Comp.Theolog.lib.6.c.12.& 15.lib.4.ſent.d.10.p.1.a.1.q.1.ad 4.*

74. *Chriſti Corpus eſt cella vinaria, ad quam per vulnera intratur.*

Introduxit me Rex, &c. ordinavit in me charitatem. Nota quod ſecundum plures SS.Patres in Catena Græca iſta cella vinaria eſt Chriſtus, vel ipſius corpus vulneratum, quod à S. Doctore *Pſal. 29.* verè dicitur domus myſtica: & hinc ſponſa introducta fuit in hanc cellam vinariam: ſed per quas portas in hanc domum ſacram habetur ingreſſus? adſpice ad vulnera corporis Chriſti, quæ nobis ab ipſo ſunt expoſita tanquam portæ, per quas ingreſſus habetur ad hanc domum, & cellam vinariam, ex quibus ſanguis, & ſalus mundi prodiit: Ecce igitur aperta eſt janua Paradiſi: ecce aperta apotheca omnibus aromatibus plena: ecce apertus eſt theſaurus divinæ ſapientiæ, & charitatis æternæ: Intra ergo per vulnerum aperturam ô anima, & cùm cognitione delicias Paradiſi obtinebis, ô ſtulti, & tardi corde, qui ad poſſidendum aliquod vanum per incerta foramina introitis, & indè exire multoties non poteſtis, ſed ad poſſidendum Dei filium ſummum bonum, candorem, & ſplendorem æternum per apertas vulnerum portas non introitis. *Ser.4. in Paſcha: ſer.4. Dom. in Albis: op.ſtim.p.1.c.1.*

75. *Cella vinaria eſt Beata Virgo Maria, in quam ingreſſus eſt filius Dei.*

Introduxit me Rex in cellam vinariam: ordinavit in me charitatem. Nota quod hæc verba poſſunt adaptari Chriſto filio Dei: ſed quandonam introductus eſt in cellam vinariam, & à quo? Cella hæc mundiſſima fuit uterus B Virginis quia verè B.Virgo fuit cella deitatis munda, in quam introductus eſt filius Dei à Patre & Spiritu ſancto, ut charitatis fundaret mel cælo, & terræ. *Op.laus B.Virg.fig.10.& op. Pſalter. minor. quadr.2.* Sed quare dicitur uterus B.Virg. cella vinaria? Cella vinaria dicitur laus deliciarum, & ideò rectè uterus B. Virg.fuit laus deliciarum Chriſto & ideò meritò figuratus in Paradiſo deliciarum, in quo poſuit Deus Pater filium Redemptorem: verè enim Paradiſus Domini fuit B.Virgo, quæ mundo lignum vitæ contulit, de quo qui manducaverit vivet in æternum. *Op. Spec.B.Virg.lect.11.& 14.*

76. *Cumulus gratiarum, & donorum Mariæ virginis expenditur,*

Introduxit me Rex in cellam vinariam. Scilicet ad cumulum deliciarum, ordinavit in me charitatem: quænam ordinatio fuit iſta de qua hic loquitur B. Virgo Maria? ſed attende quod B. Virgo Maria habuit ordinationem tantæ charitatis quod in ipſa repleta fuit capacitas puræ creaturæ, & per talem plenitudinem facta eſt digniſſimus Paradiſus Dei. *Op.ſpec.B.Virg. lect.7. & 14.& ſer.1.& 2.de B.Virg.* Et hinc à pluribus SS. Patribus appellata eſt B. Virgo Collegium virtutum: ſic B P.Damianus: quia ſicut in Collegio adſunt omnia ordinata: ſic & in Beata Virgine facta vexilliſera per ſuam charitatem immenſam, & receptaculum omnium gratiarum,donorum, & virtutum.

77. *Amor perfectiſſimus animæ contemplativæ dulcem languorem inducit, & oblivionem omnium creaturarum.*

Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo. Hæc ſunt verba animæ contemplativæ Deum ardentiſſimè diligentis; nam talis amor oblivionem omnium rerum creatarum, etiam ſui inducit, & in unum Deum fertur, ita ut quicquid agat, quicquid dicat, quicquid cogitet inutile, imò intolerabile videtur, niſi in unum ſui deſiderii finem concurrat: cum autem frui poteſt eo quod diligit, omnia pariter ſe habere credit: ſine illo autem horret omnia, corpore deficit, corde tabeſcit, ac langueſcit, conſilium non accipit, rationi non acquieſcit, nullam conſolationem admittit, ſed in illum quem diligit liqueſcens, & in ſeipſa tota langueſcens clamat cum ſponſa: fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo: languor autem iſte eſt triplex: primus eſt defectus corporis ex intenſione fervoris, amoris & charitatis, creſcit enim virtus mentis, & decreſcit fortitudo corporis: ſecundus eſt languor reſpectu temporalium, quorum obliviſcitur: tertius reſpectu tribulationum, habet enim amor plagas ſuas: ô ſi ſic langueſcat anima noſtra, qualis fœlicitas? ſed væ nobis qui languemus amore terrenorum. *Op.de 7.itiner. æern. itin.4.d.5.a.2.*

78. *Deſideria animæ Deum diligentis tendunt ad converſionem proximorum.*

Fulcite me floribus,ſtipate me malis, quia amore langueo: Quis eſt iſte languor? undè cauſatus? languor iſte eſt ardenter Deum amantium, qui ſine ipſo quaſi vivere non poſſunt coarctati deſiderio diſſolvendi, & eſſe cum Chriſto: talibus eſt vivere in faſtidio, & mors in ardenti deſiderio: hoc deſiderium fecit Andream deſiderare, & complecti Crucem: Stephanum orare pro lapidantibus, qui ei cælum patefaciebant, quo anhelabat ingredi: Laurentium deſiderare carnifices: Agatham lætanter ire ad ſupplicia: cæteros martyres gaudere in tribulationibus, & inimicos diligere perſequentes, ſed quia languor iſte dulciſſimus eos torquet, interim in terra tribus utcumquè refocillantur guttis conſolationum ſpiritualium, ſcilicet internæ ſuavitatis recreatione: Sacramentali Corporis Chriſti perceptione, quæ eſt ſingulare ſolatium pro relevando hujus exilii tædio: & tertiò ſpiritualis fructus multiplicatione, in quo & animarum profectum, & Dei honorem ſentientes exilii ſui moleſtias tolerabilius ſuſtinent ſpe lucrorum Dei: ſic talis anima dicit adoleſcentulis: fulcite me floribus ſcilicet novæ converſationis bonæ: ſtipate me malis, ideſt, proficientibus ad perfectionem tendentibus, quia amore langueo, ideſt deſidero diſſolvi, & eſſe cum ſponſo, ut quamdiù ad hoc differor,ſaltem conſoler

ſoler converſione peccatorum, & profectu bonorum, & ita meum exilium erit mihi tolerabilius, ſi videro alius eſſe fructuoſum: ut ſi tardius ad ſponſum veniam, tamen pl.res mecum ducam. *Op. de profect. religioſ. lib. 2. c. 25. & comp. Theolog. lib. 5. c. 25.*

79. *Anima Deum diligens inhiat ad poſſeſſionem virtutum, ut magis Deo placeat.*

Fulcite me floribus &c. Quia amore langueo: Ergonè ad tollendum hunc languorem ſponſa deſiderat flores, & fructus? maximè, ſed flores ſunt virtutes, fructus ſunt exercitia virtutum: hoc totum deſiderat anima Deum diligens, ut magis ſponſo placeat: hoc ſolum ipſius ſublevamen. *Op. Comp. Theol. lib. 5. c. 6. ſer. 18. Hexam.* Et hinc recurrit Angelis, ut ab ipſis tanquam ſociis adjuvetur, dicens: fulcire floribus, ideſt fulcite me obſecro itteverberatis affectionibus non à vobis, ſed à dilecto per vos obtinere cupiens; ſtipate me vos, qui videtis eum facie ad faciem veſtris conſolationibus ipſum mihi ad ſubveniendum uberius provocando: quia langueo, calore unitivo æſtuans, ipſum totaliter amplecti deſidero, quem adhuc pauperculus in miſaria exiſtens tam jucundum Dominum experimentaliter cognoſco. *Op. myſt. Theol. c. 2. p. 2.*

80. *Anima Deum deſiderans ſolatium accipit in hoc exilio perceptione Euchariſtia.*

Fulcite me floribus &c. Quia amore langueo: Vide quomodò anima jam introducta in cellam vinariam ſcilicet in Eccleſiam, ubi aſſervatur corpus, & ſanguis Chriſti: videns ſe in exilio hujus vitæ à ſacerdotibus implorat auxilium, dicens: fulcite me floribus, ſtipate me malis: & quid eſt hoc quod petitur? ſtipate me malis, fulcire floribus, ſcilicet internæ ſuavitatis recreatione propinate mihi vinum ſanguinis Domini, ut fulciar: ſtipate me malis, ideſt fructu, nimirum Chriſti in Cruce pendentis, qui eſt ſicut malus inter ligna ſylvarum: corpus, ac carnem illius ſacratiſſimam mihi exhibete, quia & ſi non manifeſtè, tamen verè, & ſalutiferè ipſum quem amo, ſuſcipiam Dominum Jeſum Chriſtum: ſic enim utrumquè refocillabor guttis conſolationum ſpiritualium. *Op. de prof. relig. lib. 2. c. 25.*

81. *Amoris languor in Beata Virgine in tota ſua vita, ſed maximè dum Chriſtus pendebat in Cruce expenditur.*

Fulcite me floribus &c. Quia amore langueo: O quam verè dicere poterat Beata Virgo Maria quando ſtabat juxta Crucem Jeſu videns ipſum in cruce pendentem, Amore langueo: amore inquam, ſimul & dolore, ſed dolor ex amore, & tantus dolor erat quantus amor. O qualis erat tunc anima matris, qualis languor, qualis amor, qualis dolor, cùm ſic penosè videbat Chriſtum deficere, languere, lachrymari, & mori? credendum eſt quod vel propter anguſtiarum multitudinem abſorpta erat, & quaſi inſenſibilis, vel ſemimortua facta eſt: undè verè poterat dicere: fulcite me floribus: ſtipate me malis, quia amore langueo. *Op. medit. c. 79. & 82. 83. ſeq.*

82. *Amor languorem in Chriſto vehementiſſimum cauſavit.*

Fulcite me floribus &c. quia amore langueo. Hæc verba non ſolùm dicuntur in perſona ſponſæ, ſed etiam in perſona ſponſi Jeſu Chriſti: languor enim eſt infirmitas animæ, tunc enim anima infirmatur, & languet quando à propria, & naturali forma diſcedit; hoc autem facit amor, qui transformat amantem in amatum, ita quod amans, jam non agit ſecundùm formam ſuam, ſed ſecundum formam amati, ideò dicebat ſponſa: nunciate dilecto meo, quia amore langueo. *Op. de tribus ternar. c. 3.* Notandum igitur, quod iſtum effectum peperit in Chriſto amor ſuus ardentiſſimus in nos, undè dicebat Iſaias *c. 53.* verè languores noſtros ipſe tulit: & quoſnam languores: languores noſtros reſpondet Propheta, quos ipſe curavit ſuis languoribus: nempè lepram noſtram, quia reputatus eſt tanquam leproſus, & ejectus ab hominibus: Paralyſim noſtram, quia in toto corpore fuit læſus, percuſſus, offenſus, vulneratus: undè de Cruce dicebat: Vide ô homo quid patior pro te? ſi eſt dolor ſicut quo crucior ad te clamo, qui pro te morior: vide pœnas, quibus afficior, vide clavos, quibus confodior: vide languores, quos pro te patior; verè ergò poterat dicere, quod amore langueo. *Ser. 1. & 2. in Paraſ.*

83. *Dominus Ieſus ſiniſtrâ tenet ſuos per timorem, & dexterâ per amorem ne cadant ut deducantur tutè in via ſalutis.*

Lava ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me: Vide quomodo ſponſus ſponſam conſpiciens languidam ambas manus extendit ad ipſam ſuſtentandam; nam ſiniſtram extendit ſub capite, ſcilicet per comminationem ſupplicii, & timorem, & dexteram ad amplexandum eam per miſericordiam, & amorem, promiſſionemque gloriæ; & hoc ut ipſam deducat per gratiam ad gloriam. *Serm. 2. Dom. 23. poſt Pentecoſt.*

84. *Deus dat ſuis temporalia, ut ſubjecta rationis imperio, & ſpiritualia, ut ipſam regant.*

Lava ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me: Jam dictum eſt per ſiniſtram intelligi temporalia bona, per dexteram ſpiritualia & cæleſtia: Notat ergo ſponſa, quod læva vel ſiniſtra ſponſi poſita eſt ſub capite ipſius, & dextera ad amplexandum, per quod datur intelligere, quod Deus ſuis impertitur temporalia, ſed ſub capite, non ſupra caput, ſcilicet ut ſint ſubjecta imperio rationis, & inſerviant ſpiritualibus ad ſalutem conſequendam: ſpiritualia verò plenè concedit ad ipſam amplexandam, & fovendam. *Pſal. 118. t. 4. v. 5. Pſal. 70. Ecclen. c. 10.*

85. Chriſtus

85. *Chriſtus ſuam ſponſam ad ſe trahit cognitione, & amore.*

Læva ejus ſub, &c. amplexabitur me. Nota quod per lævam intelligi poteſt cognitio Divinæ Sapientiæ, & per dexteram affectio Divina: undè ſponſa his verbis dicebat læva tua ſub capite meo, & dextera tua &c. *q. d.* O Jeſu fons univerſæ dulcedinis, & ſuavitatis ignoſce mihi quòd tam ſerò credidi, quantum habet delicioſitatis, quantum honeſtatis, quantum jucunditatis, quando læva tuæ æternæ ſapientiæ, & cognitionis eſt ſub capite meo, & ratione, & dextera tuæ divinæ clementiæ, & dilectionis amplexabitur me ſcilicet voluntatem meam: ô quid tam dulce, quid tam ſuave, tam delicioſum, tam ſalutiferum poteſt experiri quam inter brachia tanti ſponſi quieſcere, & inter brachia tanti regis, & amici feliciter obdormire? *Op. ſolil. c. 1. opuſc. de 7. itin. ætern. d. 2. op. ſtim. divin. amor. p. 3. c. 1.*

86. *Amplexus dexteræ Dei eſt electorum.*

Læva ejus ſub capite, &c. amplexabitur me. Nota quod ſponſa expectat amplexum ſponſi per dexteram, non per ſiniſtram: per hanc enim ſignificatur comminatio æternorum ſuppliciorum, per dexteram collatio gloriæ, quæ eſt electorum: dicit igitur ſponſus meus elegit me inter ſuos electos, ideo & amplexabitur me dextera ſua, ſcilicet communicatione gloriæ æternæ, non ſinens me à ſe ſeparari: ſed attende quod dicit amplexabitur me, ſcilicet ſponſam ſuam: ut videas quod Deus non amplexatur leonem per ſuperbiam, urſum per avaritiam, porcum per luxuriam: ſed tantum ſponſam, amicam, & charam, huic enim ſoli tribuit amplexum, & oſculum ſuæ gratiæ, & gloriæ. *Ser. 6. Dom. infrà oct. Epiph. Luc. c. 15. v. 20.*

87. Chriſtus pro deliciis habet delicias animæ dilectæ: undè videns animam charam, & dilectam in amplexibus ſuis quieſcentem, ait: adjuro vos filiæ Hieruſalem ne ſuſcitetis, neque evigilare faciatis dilectam donec ipſa velit. *Op. itin. ment. c. 4. & op. de 7. itin. ætern. itin. 4. d. 4. & op. ſtim divin. amor. p. 3. c. 17.*

88. *Chriſti vox interior maximeque in Euchariſtia excitat animam ad ſuam ſequelam, & exercitium virtutum.*

Vox dilecti mei, ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles: ſimilis Capreæ, &c. Ecce quomodò ſponſa ad auditum vocis dilecti ſublevat ſe ad cæleſtia, & ad percipiendam ipſius vocem, & ad guſtandum ſuas delicias: quod maximè evenit tum in contemplatione, tum in perceptione Euchariſtiæ, in quibus multipliciter alloquitur cum ſponſa erigens ipſam ad cæleſtia. *Op. de 7. itin. æternit. itin. 3. d. 5. & itin. 6. d. 6.*

89. *Chriſtus habitat in locis altis, & mundis: diabolus in imo, & immundo.*

Ecce venit iſte ſaliens in montibus tranſiliens colles. Quid eſt quod ſponſus Chriſtus ſalit in montes? nonne etiam ad valles ambulabat? ſed hic datur intelligi quod Deus amat loca alta, & munda, ſcilicet corda abſtracta à terrenis: diabolus verò habitat corda immunda. *Luc. c. 1. v. 39. & c. 16. v. 13.*

90. *Adventus Chriſti in carnem oſtendit amorem immenſum in nos.*

Ecce iſte venit. Ad quid venit ſponſus? venit ſaliens in montibus, & tranſiliens colles, ſimilis Capreæ, &c. venit in montibus, ſcilicet in Angelis ipſos tranſiliens: venit in monte ſuper Mariam humanam aſſumens naturam: venit igitur propinquare nobis per naturam, ſanare per gratiam, reconciliare per pœnitentiam & remunerare per gloriam. *Serm. 6. Dom. 1. Advent. & ſer. 3. in Nativ. & ſerm. 21. Hexam.*

91. *Saltus Chriſti in adventu in hunc Mundum expenditur.*

Ecce iſte venit ſaliens &c. Similis capreæ &c. Nota quod in his verbis multa a Chriſto patrata innuuntur: primò ſaltus quos fecit: ſecundò aſcenſus in montes: ſaliit enim ſolus ad æqualitatem Patris ut Deus: ut homo ſaliit à cœlo in uterum Virginis: tertiò à ventre in terram: quartò à terra in Crucem: quintò à cruce in Sepulchrum: ſextò à ſepulchro in Infernum: ſeptimò ab Inferno in cœlum: ſaliit item montes, ſcilicet in montem docere diſcipulos, in montem Thabor ad oſtendendam ſuam gloriam: & in Montem Oliveti ad Patrem orare; per quæ invitat nos itidem tranſilire iſta terrena, & aſcendere ad cæleſtia. *Pſal. 38. & 76.*

92. *Chriſtus ut homo reſpicit nos per feneſtras plagarum.*

En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos. Quis iſte paries poſt quem ſtat ſponſus? quænam feneſtra, & cancelli? Nota quod iſte paries eſt humanitas, & caro cum qua Verbum unitum eſt: *Pſal. 26.* in hac igitur humanitate exiſtens Verbum reſpicit ſponſam per feneſtras, feneſtræ ſunt vulnera in corpore ſuo exiſtentia: vel portæ ſemper apertæ. *Ser. 4. in Paſcha & ſer. 4. Dom. in Albis:* Dicitur igitur Chriſtus reſpicere animas per has portas, vel feneſtras, quia per ipſas emanare facit fontes miſericordiæ, gratiæ, ſapientiæ, charitatis, & vitæ. *Pſal. 141. & op. de perfect. vitæ c. 6.*

93. *Paries noſtrarum imperfectionum impedit apertam tranſmiſſionem gratiarum in animas.*

En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum reſpiciens per feneſtras, &c. Cur ſponſus animæ ardenter ipſum diligenti, & ſollicitè quærenti apertè ſui aſpectum non ſtatim diffundit? cur tam ſobriè, & parcè ſe ſponſæ exhibet: Nota quod dicit poſt parietem noſtrum, ergò paries noſter impedit manifeſtum aſpectum ſponſi: & quis iſte paries noſter, niſi paries noſtrarum imperfectionum, peccatorum, hypocriſis? paries ſcilicet cogitationum otioſarum, delectationis nimiæ in cibo, potu, veſtibus, & aliis rebus terrenis. *Pſal. 26. & 79. & in Thren. c. 2.* ſic, & Ugo Victorinus. Vide ergò quænam cauſa eſt cur tam multi

multi Deo ſervientes vix, aut nunquàm ad perfectionem perveniunt: Deuſquè ſeipſum tàm ſobriè exhibet ipſis in diffuſione gratiarum.

94. *Anima Deum diligens quam ſollicita ad inſpirationes divinas amplexandas.*

En dilectus meus loquitur mihi, ſurge propera, &c. Nota illam particulam En vel eccè, quæ indicat rem admirabilem, & dignam maxima attentione: & hinc ſubdit, dilectus meus loquitur, ſurge, propera amica, jam hyems tranſiit, quaſi dicat quando dilectus loquitur immittendo ſuas inſpirationes, & gratias ſurgendum eſt velociter, nec tardandum tum propter periculum imminens in negligentibus: tum propter dulcedinem, & fructum exiſtentem in eloquiis ſponſi: dulcia enim ſunt eloquia ſponſi faucibus ſuper mel animæ attentè ipſa audienti, ſicut experta eſt Maria Magdalena. *Ser. 5. & 6. Dom. 1. Adv. & ſer. 1. de S. Magdal.*

95. *Ex Cruce Chriſtus animam invitat ad colligendum flores. & fructus ſuæ paſſionis.*

Surge propera amica mea columba mea, formoſa mea, & veni: Iam enim hyems tranſiit, imber abiit & receſſit, flores apparuerunt in terra noſtra, &c. Si dilectus ſponſus loquitur, undè loquitur? loquitur de Cruce, in qua fluctus periculorum ſedavit moriendo, de diabolo, & morte triumphavit, hyemem, & tenebras peccatorum expulit: hinc dicit ad animam, ſurge amica mea, & veni, quia nunc eſt temporis opportunitas me inveniendi, nunc hyems peccatorum tranſiit, flores, & fructus paſſionis meæ apparuerunt, ſcilicet virtutum, & bonorum operum: expelle ergò à te, & à tuo gelido corde frigus tuorum peccatorum, & in ſole juſtitiæ, & miſericordiæ te colloca. *Ser. 6. in rogat.*

96. *Idem confirmatur.*

Surge propera amica, &c. columba, &c. Iam hyems tranſiit, &c. Ecce quod de Cruce invitat Chriſtus ſponſus animam ad colligendum fructus de Cruce in qua pependit, dicens, ſurge ô anima columba mea: quod dicit. Expergiſcere anima Chriſto devota, & ſingula, quæ de Jeſu dicuntur diligenter diſcute; cave ne mentis tuæ oculis infirmum aliquid carnalis cogitationis occurrat, quin potiùs columbino, & aquilino intuitu ſimpliciter crede, & perſpicaciter contemplare: quomodò jam hyems peccati tranſiit, flores apparuerunt omnis coloris formoſitate decori, omniſque odoris, ſuavitate reſperſi, qui deſiderantium corda anxia refocillent, & attrahant: fructus item habentes in ſe omne delectamentum, & omnem ſaporis ſuavitatem, qui in ligno Crucis ad maturitatem ſaporoſam per æterni ſolis calorem meridianum, Chriſti videlicèt charitatem pervenerunt. & in horto paradiſi cælestis, ſcilicet in Eccleſia Dei deſiderantibus ipſos proponuntur deguſtandi ut ſemper ipſis ſatientur edentes, & nunquam faſtidiant. *Op. lignum vitæ in præfat.*

97. *Poſt hyemem tribulationum ſequitur æſtas conſolationum in morte juſtorum.*

Iam hyems tranſiit, &c. flores apparuerunt, &c. Nota quod hæc ſunt verba Chriſti invitantis in mortem animam, quæ poſt tribulationes patienter pro Chriſto toleratas in hyeme hujus vitæ in morte audit hæc dulciſſima verba: ſurge propera amica mea, veni quia jam hyems tranſiit: nunc nunc flores apparebunt in terra noſtra, & colliges fructus pacatiſſimos in æſtate claritatis æternæ: ibi enim mæroris tui nubila tranſibunt, & æterni dies vitæ ſub claritate ſolis æterni fulgebunt: ibi ceſſabit pluvia lacrymarum, nubilum tribulationum, frigus cupiditatum: ô vera meridies, ô perfecta æſtas, plenitudo fervoris, & lucis, ſolis ſtatio, umbrarum exterminatio: ô perenne ſolſtitium, quando jam non inclinabitur dies, ô vernalis temperies, ô æſtiva venuſtas, ô autumnalis ubertas. *In Lucam c. 21. v. 30. ſer. 3. in epiphan.*

98. *Iter perfectionis non perficitur in hyeme, ſed tantùm in vere, & æſtate: ſurge amica mea, &c. jam hyems tranſiit, &c.* Cur ſponſus invitando ſponſam, ipſam advertit hyemem tranſiiſſe? nonnè & in hyeme poteſt iter perfectionis arripi? minimè, quia in hyeme ſunt mala offendicula impedientia tale iter: iſtaquè ſunt concupiſcentia carnis, oculorum, & ſuperbia vitæ cum omnibus familiis ſuis: ideò qui vult iter æternitatis ambulare, debet hyemem iſtum rigidum tranſire, quia tale iter ſolùm fit tempore veris, & æſtatis: ſcilicet productione florum ſanctorum deſideriorum, fructuum virtutum. *Op. de 7. itiner. ætern. itin. 1. d. 6.*

99. *Iuſtorum tempus eſt æſtatis, & veris: Impiorum eſt hyemis frigidiſſima.*

Iam hyems tranſiit, &c. Si tranſiit quo abiit & quibus tranſiit? tranſiit hyems juſtis; nam ipſorum tempus eſt tempus æſtatis ob fervorem charitatis, qua Deum perfectè diligunt, quibus flores, & fructus virtutum florent, & ſemper generantur: impiis è contra non tranſiit, ſed ſemper in hyeme frigidiſſima vivunt peccatorum, & abſquè tranſitu ab hyeme ad æternam mortem ducuntur corde gelido, & tenebroſo peccatorum. *Ser. 6. in rogat. & in Ioan. c. 10. v. 21. & op. ſpec. B. Virg. lect. 12. & ſer. 4. Dom. infrà oct. Nat.* Felix igitur cui jam hyems tranſiit: infelix qui adhuc in hyeme vivit concupiſcentiarum. *op. de 7. itin. æter. itin. 1. d. 6.*

100. *Dies vitæ hujus mortalis ſunt dies putationis: dies mortis eſt tempus collectionis.*

Tempus putationis advenit: Quomodò dicitur poſt productionem florum quod tempus putationis advenit? nonnè putantur vites antè florum productionem? ſed optimè, & optimo ordine procedit Spiritus ſanctus: licèt enim in agricultura materiali priùs putantur vites, poſteà floreſcunt, non ſic in ſpirituali, priùs enim flores apparuerunt ſcilicet tempus gratiæ, & miſericordiæ poſt hyemem rigoris legis, & juſtitiæ: poſt hoc tempus, tempus putationis advenit;

quod eſt curſut totius vitæ noſtræ, in quo poſt putationem iterum invitamur ad putandum, quia ſemper putandum eſt, quia ſemper inveniemus quod putari poteſt: quia vitia non ſunt emortua, ſed tantùm ſuppreſſa; in morte poſteà erit tempus colligendi *Ser.3.Dom.2. poſt Paſcha. & ſer.3. epiph.* Nota etiam ſubdit S. Doct. quod in via Dei flores debent produci primo loco, & ſuper hoc fundamentum proſequi tempus putationis, & opus perfectionis.

101. *Annunciatio Beatæ Virgini facta in menſe martio expenditur.*

Surge propera amica mea, &c. flores apparuerunt, &c. Nota quod in his verbis exprimitur annunciatio facta B. Virgini ab Angelo in menſe martio, & in vere quandò flores ad litteram apparuerunt, tunc enim dictum eſt Mariæ Virgini ab Angelo ſurge, propera, &c. ideò in tali tempore, & in Nazareth facta eſt Annunciatio; Nazareth enim interpretatur flos, & ideò Gabriel venit nuntiare illum, qui eſt flos campi, & totius boni; & ob id congruebat in flore florem concipi, & in flore nutriri, & in florum tempore nuntiari quia flores amat, florigeram patriam diligit, & ob id elegit ſibi in habitaculum uterum Virginis, floribus virtutum; ſanctitatis, puritatis, & omnium gratiarum ornatum, quia ſolùm advenit ubi ſunt tales flores, ubi abeſt hyems peccatorum, & torporis. *In Lucam c.1.v.26 ſer.14.Hexam ſerm.4. Dom. infrà octav.Nat.& ſer.5.Dom.infra oct.epiph.*

102. *Maria Virgo quia fuit terra florida, à Verbo fuit inhabitata.*

Surge amica, &c. Iam hyems tranſiit, flores apparuerunt, &c. Vox turturis audita eſt, &c. Nota quod verè hæc verba de Maria dicta ſunt: ad adventum enim Mariæ in Mundum hyems peccatorum tranſiit, flores copioſiſſimi, fragrantiſſimi deſideriorum, & operum ſanctorum apparuerunt: vox gemituum Mariæ ad cœlos penetravit, & hinc Verbum ad ipſam advenit, quando carnem ſumpſit, & in ea ut in lecto florido per floridæ vitæ honeſtatem, & puritatem requievit. *op.ſpec. B.Virg. lect.12. in Luc. c.2.v.23.ſeq.*

103. *Ubi auditur gemitus turturis, ibi advenit Chriſtus.*

Vox turturis audita eſt in terra noſtra. Ad quid vox turturis hic notatur? ſed nota quod ubi vox turturis auditur ibi advenit Chriſtus tanquam in terram ſuam: vox turturis eſt gemitus amoris, & devotionis contemplativorum, gemitus item pœnitentiæ quam vocem libenter audit Chriſtus, & per quam efficaciter attrahitur ad animam *Luc.c.2.v.24. & ſerm.2. in Purificat.B.virg. in addit.*

104. *Prædicatio perfecta divini Verbi facit florere vineam Eccleſiæ.*

Vineæ florentes dederunt odorem ſuum. Quænam ſunt iſtæ vineæ florentes? iſtæ ſunt Eccleſiæ in quibus prædicatio divini verbi viget: tunc enim dant odorem ſuum, cujus virtute fugiunt ſerpentes vitiorum: *ſer.2.Dom Septuag.*

105. *Religiones florentes obſervantia regulari emittunt odorem gratiſſimum: & ab ipſis abigendæ vulpes devaſtantes eas.*

Vineæ florentes dederunt odorem ſuum. Nota quod iſtæ vineæ ſunt Religiones in quibus quādo viget obſervantia regularis, & exercitium virtutum, tunc emittunt odorem ſuaviſſimum Eccleſiæ: ſed nota quod fœtidæ vulpes ipſas devaſtantes ſunt religioſi carnales, & delicioſi & detractores, qui ab ipſis vineis amovendi & elungandi ſunt. *ſer.10.in Pentec.*

106. *Invitatur ſponſa Chriſti ab activa ad contemplativam, & unitivam.*

Surge amica mea, ſpecioſa mea, & veni: columba mea in foraminibus petræ, &c. Notandum quod in hoc capite bis ſponſus invitat ſponſam. Primò ſuprà dicens: ſurge, &c. nunc ſecundò repetit, & ſponſam invitat dicens: ſurge amica mea: cur hoc? Nil aliud prætendit ſponſus à ſponſa niſi quod ab activa vita ad quam ſuprà invitaverat, tranſeat ad contemplativam: ideò ſic ſuprà dixit: ſurge, ſcilicet à vita terrena ad ſpiritualem, ad meam ſequelam: nunc dicit ſurge, ſcilicet à vita activa ad contemplativam; ſcilicet ò amica mea propter intentionis, & meditationis tuæ ſimplicitatem tam in quiete interioris contemplationis, quam in exercitio exterioris actionis ſurge per tuæ intentionis ſtabilitatem ad me inceſſanter tendendo: ô columba mea propter intentionis, & meditationis tuæ ſimplicitatem, & nitatem; propera propter intentionis tuæ agilitatem mihi continuè approximando: ô formoſa mea propter intentionis, & meditationis tuæ deiformitatem: veni igitur ad meam Divinitatem in qua ſola invenies quietem: veni ergo ò amica mea, quia jam hyems peccati intentionis tor, & meditationis aſcenſum retrahentis tranſiit: veni columba mea, formoſa mea ut me æternaliter fruaris; ego enim perpetua dilectione dilexi te ad quam fruitionem nos perducat qui in æternum regnat æternus Deus, in æternum benedictus. *Op. de 7. itin.æternit.itin.1.d.7. & itin.2. d.7. & op.myſtic. Theolog.c.2. p.2. & in Luc.c.2. v.16.* Sed hic advertendum quod ſponſus exigit ab anima contemplativa, ut in ea ſemper non prætendat morari, ſed pro amore ſponſi ſecundum opportunitatem, & neceſſitatem aliquando ab ipſa contemplatione ad vitam activam, ſe exercere debet in operibus ſanctis pro proximi utilitate. *Luc.c.10.v.43.*

107. *Sollicitudinem ab anima requirit Chriſtus in obediendo voci ſuæ.*

Surge propera amica mea, &c. Nota illud verbum propera: quia ſponſus præſtolatur ad oſtium cordis dicens: ſurge, propera, & veni: ſi enim in nimia moræ protelatione ſe abſentat, ipſe non immeritò indignatur, & ab ipſa ſe ſubtrahit ad tempus ſæpius, ſic & evenit huic ſponſæ, ob id ſubjungit c.3. quæſivi per noctem quem diligit anima mea, quæſivi & non inveni. *Op. myſt. Theol. c.2. p.2. in petitione 4. in Luc.c.1. v.39.*

Digitized by Google

v.39. & c.2.v.16. Suſcipiamus ergo repentinum ſpiritum ad converſionem, ne accipiamus repentinum interitum ad damnationem: quia neſcit tarda molimina Spiritus ſancti gratia. *ſer.5.in Pent.* Igitur verus obediens non procraſtinat, ſed præparat aures auditui, linguam voci, manus operi, pedes itineri, & ſe totum intra ſe colligit, ut mandatum peragat imperantis. *Ser. 3. Dom.infrà oct.Epiph.Ioan.c.5.v.25.*

108. *Invitatur anima à Chriſto ad ingreſſum in vulnera ſua.*

Surge amica mea & veni columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ. Quænam iſta foramina petræ, & qualis caverna maceriæ? Nota quod iſta petra eſt Chriſtus Jeſus, qui populum gentilem, & Judaicum in unum conjunxit: maceries item ſignificat Chriſtum, quia maceries eſt murus ſine cæmento, & Chriſtus formatus ſine cæmento ſeminali viri: foramina iſta ſunt vulnera & caverna eſt latus apertum Salvatoris, ad quæ invitatur anima dilecta: dicit igitur ſponſus crucifixus veni columba mea in foraminibus petræ: veni, intraquè in vulnera mea, & ibi requieſce per deſiderium, per meditationem, per amorem: veni, & ſuge mel de petra, & oleum de ſaxo duriſſimo: ſurge iterum, & veni, & eſto ſicut columba nidificans in ſummo ore foraminis, ibi ut paſſer inveniens domum vigilare non ceſſes, ibi tanquam turtur caſti amoris pullos abſconde, ibi os appone, ut haut as aquas de fontibus Salvatoris: hic enim eſt fons egrediens de medio Paradiſi, qui in quatuor diviſus capita, & in corda devota effuſus fœcundat, & irrigat univerſam terram. *Op. lignum vitæ tit. Ieſus tranſlanceatus, ſerm.1.& 3. in cœna Dom. Pſal.79.* Vult ergò benignus ſponſus ut ſponſa vultum, & oculos in ſua ſuſtollat vulnera, ut cor, mentem, animamquè ad ipſa erigat, & exemplo ſui ſe reddat ad tolerandum fortiorem: nihil enim tam efficax ad curanda conſcientiæ vulnera, necnon ad purgandam mentis aciem quàm Chriſti vulnerum meditatio, quàm ingreſſus mantis in illa foramina. *In Ioan. c.19. v.34. & op. medit. c.50.* Sed nota quod addit: oſtende mihi faciem tuam: quid eſt hoc? niſi quod prætendit ab ipſa ſponſa imitationem ſui maximè in virtute pietatis, & manſuetudinis. *Op.medit.c.53.*

109. *Eccleſia ſponſa Chriſti dilecta.*

Surge amica mea, formoſa mea. columba mea &c. Nota quod hæc ſponſa dilecta Chriſti eſt Eccleſia Catholica, quam appellat amicam dicens: ſurge amica mea ſcilicet per prædicationem: quia per ipſam gignit ad Deum filios: columba mea ſcilicet per orationem, quia pro filiorum ſuorum, & aliorum delictis gemit: formoſa mea per contemplationem, quia cœleſti deſiderio eſt accenſa: hæc tria ſunt munera, in quibus Eccleſia principaliter ſuos exercet. *Pſal.137.*

110. *Oratio perfecta vere eſt vox dulcis in auribus Dei.*

Sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis; & facies illa tua decora nimis. Quænam eſt hæc vox, quam deſiderat ſponſus ex ore ſponſæ? Nota quod hæc vox eſt laus Dei, & oratio: ſed attende quod connectit vocem dulcem cum facie decora, & hanc vult ut ſonet in auribus ſuis: facies autem animæ eſt conſcientia: Tua ergo vox in laudando, & orando dulcis eſt auribus Dei, ſi facies erit decora: dicit autem vox tua, non vox Vicarii, vel alterius: dicit in auribus meis ſonet, non hominum ad vanam gloriam. *Ser.5.in Pent.& ſer.4.Dom.2.Pentec.*

111. *Vox Chriſti quam dulcis, & efficax & qualiter recipienda.*

Vox enim tua dulcis: Nota quod licèt ſponſus hæc proferat de ſponſa magis tamen verificantur de ſponſo Chriſto: vox enim ejus eſt dulciſſima dum alloquitur animam per inſpirationes: ſi ergo loquitur dilectus mihi ô quàm dulcia allocutio dilecti ad dilectum, ſponſi ad ſponſam, amici ad amicum, Domini ad ancillam, Salvatoris ad animam: ſed paucis valdè conceſſa, ſed paucis valdè experta: & quare hoc? quia non poſſunt ſimul eſſe in eadem anima duo contraria: ſunt enim inter ſe contrariæ ſpirituales, & corporales deliciæ, & in eodem nequeunt eſſe ſimul: quia ergo omnes quaſi carnalibus deſideriis delectamur, ideò à divinis excludimur: delicata eſt divina conſolatio, nec datur admittentibus alienam. *Ser.1.de Evang.*

112. *Verba Dei dulcia, & quibuſnam.*

Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis. Nota quod hæc vox procedens de ore ſponſi ſunt eloquia S. Scripturæ, quæ de ſe ſunt dulciſſima, ſuper mel & favum, quia procedunt à fonte dulcedinis inſpiratæ charitatis, & à fonte candidæ, & ſapidæ veritatis, ideò in ſpiritu, & veritate ſonant in auribus devotorum: qui igitur verba exteriora recipit, eaque tranſmittit in interiora cordis diligentis, experitur quam dulcia faucibus ſuis. *Op.de 7.itin.ætern.itin.2.d.4. in Ioan.collat.18.*

113. *Vox Mariæ Virginis in Annuntiatione quam Deo dulcis.*

Surge amica &c. ſonet vox tua in auribus meis &c. Nota quod hæc applicari poſſunt tanquam dicta à Spiritu Sancto Mariæ Virgini, quando Angelus miſſus eſt ad eam ut aſſenſum præberet Incarnationi: ſonet vox tua in auribus meis, dicebat Spiritus ſanctus: & en quando protulit: Ecce Ancilla Domini &c. ſubiunxit: vox tua dulcis auribus meis, & facies decora nimis, ſcilicet quia tuus affectus non ſapit niſi cœleſtia, & facies tua non eſt multitudine carnalium affectionum deturpata, ideò tuum mihi ſuave eſt colloquium, cum hoc clamo, te per pulſum affectionum alloquens, & facies tua decora, & ad dignitatem regalium nuptiarum præparata, quia non eſt macula in te. *In Luc c.1. v.38.& op.myſt. Theol.c.1.p.2.*

114. *Verba, & vox Mariæ indignationem filii mitigant.*

Vox enim tua dulcis &c. O quam verè dicit Chriſtus de voce Matris: quia vox, & verba

Mariæ indignationem ipſius mitigant : ſunt enim dulcia ſuper omnem melodiam. *Pſalt. B. Virg.Pſal.14.& 78.& 118. vide infrà ad c.4.v.11.*

115. *Prædicationem in Eccleſia præcipit Chriſtus ad capiendas vulpes peccatorum.*

Capite nobis vulpes parvulas quæ demoliuntur vineas, nam vinea noſtra floruit : Nota quod hîc præcipit Chriſtus Prædicatoribus ut per prædicationem capiant vulpes ſcilicet peccatores, hæreticos,& ſcandaloſos,qui velut vulpes in ore fœtidum anhelitum , & noxium habent, & eas ducant ad ovile ſuum.*Ser.2.in ſeptuag.ſer.3.Dom. 4.poſt Pent.*

116. *Scandaloſi ſunt vulpes devaſtantes vineam Domini.*

Capite nobis vulpes parvulas , quæ demoliuntur vineas : Cur parvulas , & non veteres , & in fraudulentia inveteratas tanquam magis noxias: Nota quod per iſtas vulpeculas intelliguntur homines ſcandaloſi , qui ore emittunt fœtidum, anhelitum detractionis , ſubverſionis , & mali exempli : ad iſtos capiendos, & ad ovile Chriſti reducendos maximè in principio , antequam inveteraſcant in vitio debet verſari tota cura Prædicatorum , & Prælatorum ob ruinas , quæ ex tali vivendi modo iſtorum perverſorum timeri poſſunt : diabolus enim toto conatu quærit iſtos peccatores perverſos intermiſcere bonis, ut ſcandalo fiat eis , & ut ſuffocetur cum eis, & triticum. *Ser.2.in ſeptuag.ſer.2. Dom.4. poſt Epiph. ſer.10.de Apoſtolis.* Ex quibus inferri verè poteſt, quod ſcandaloſi inveterati ſunt veluti homines, in quibus vix aliqua ſpes ſalutis poteſt adeſſe; & ideò ad vocationem ſolùm parvularum vulpium verſatur cura ſalutis.

117. *A minimis culpis quàm ſollicitè cavendum à Dei ſervis.*

Capite nobis vulpes parvulas , quæ demoliuntur vineas. Sed cur non potiùs ſtudium hoc dirigitur contra vulpes magnas , & veteres ? ſed attende quod hic loquitur Dei ſervis, & ad perfectionem tendentibus. Per vulpes magnas , & veteres intelligi poſſunt peccata mortalia , à quibus diligenter cavent ſervi Dei : ſed totum ipſorum periculum eſt circa parvulas , ſcilicet circa peccata minima, quæ tanto magis ſunt periculoſa, quo minùs advertuntur , nec æſtimantur ; quia minima ſunt : ſic etiam Ugo Card. Capite nobis ait ſponſos, ideſt ad gloriam meam vulpes parvulas, ideſt cavere ab iſtis vulpibus minimis diligenter , quia per iſtas diſponitur homo ad mortalia , & ſæpè de iſtis venitur ad magna, ſicut de modica ſcintilla quandoquè ſurgit magnus ignis , ut evenit in ſegetibus Philiſtinorum , quæ combuſtæ remanſerunt ex faculis poſitis in caudis vulpium : tum etiam quia multum impediunt progreſſum in virtutis ſtadio. *Op. d: 7. itin.ater.itin.d.4.op. compend. Theolog. lib.3. c.12.in Lucam c.11.v.13. & aliis locis ſuprac.*

118. *Anima faciens cum Deo quod in ſe eſt, & poteſt rapitur ad Dei unionem.*

Dilectus meus mihi , & ego illi, qui paſcitur inter lilia. Quid eſt dilectus mihi, &c. ſed attende quod hic exprimitur ſublimitas ad quam elevatur anima ſequens motus gratiæ Dei, & faciens cum Deo quod poteſt adjuta à divina gratia ; nam ipſa à Deo elevatur ad ſui unionem , & fit unus ſpiritus cum eo. *Ser. 22. Hexam. & in Luc. c.7.v.44.*

119. *Chriſtus libenter habitat inter lilia caſtitatis.*

Qui paſcitur inter lilia : cur inter lilia ? lilium ſignificat caſtitatem : dat ergo intelligere quod Chriſtus requieſcit in cordibus mundis,& caſtis, & quod iſta ſunt ipſi valdè dilecta. *Op. Eccleſ. Hierar.p.1.c.4.*

120. *Anima Deum diligens ſi à Deo videatur derelicta qualiter ſe gerere debeat.*

Revertere : ſimilis eſto capreæ , &c. Nota quod iſtæ ſunt voces animæ contemplantis,quam aliquandò Deus viſitat conſolationibus ſpiritualibus , aliquando videtur ab ea diſcedere : & tunc anima debet toto conatu cordis eum revocare dicendo : revertere dilecte mi , & in actus amoris exi , & deſideriorum , & ſi Deus nec redire tunc dignetur ad ipſam viſitandam, ſciens voluntatem ſponſi invocat ſodales Angelos in auxilium ſuum , dicens : adjuro vos ut nuntietis dilecto meo , quia amore laqueo , vel reducere ſe debet in activam , ut ſic fructificet ſponſo , non enim decet contemplatorem eſſe deſidioſum. *Op.medit.c.35.& 58.*

CAP. III.

121. *In hac vita quæritur Ieſus de nocte : in altera de die.*

IN lectulo meo per noctes quæſivi quem diligit anima mea : Cur ſponſa quærit ſponſum in nocte,& non in die ? nonnè faciliùs quæretur de die ? ſed attende quod hoc eſt proprium hujus vitæ mortalis, ſcilicet quærere , & invenire Deum per noctes: quia in hac vita videmus Deum non in ſe,ſed per ſpeculum , & in ænigmate , videmus nunc eum non propè , ſed quaſi à longè ; proprium autem eſt alterius vitæ quærere , & invenire Deum in die, ſcilicet facie ad faciem abſque ænigmatibus. *Ser.1.Dom.2.poſt Paſcha.*

122. *Quærendus eſt Chriſtus non de nocte, nec in lecto : ſed in thalamo , vel Templo.*

In lectulo per noctes quæſivi , &c. & non inveni: Cur ſponſa hæc non invenit dilectum tam ſollicitè quæſitum ? nonnè alibi dicitur : quærite dominum dum inveniri poteſt ? ſed attende ad verba

verba ſponſæ quærentis, in quibus relucet cauſa tantæ miſeriæ, ait enim quod ipſum quæſivit in lectulo, & per noctes: nam de nocte non invenitur Sol; & in lecto non invenitur Sacerdos, ſed in Templo, in quo ipſum invenerunt Maria, & Joſeph: quid eſt hoc? datur per id nobis intelligentia quod Chriſtus non invenitur in lectulo corporis, & voluptatum, nec per noctes creaturarum, nempè inter cognatos, & notos, inter peccata, & imperfectiones inveniri non poteſt; qui vult ergò invenire Chriſtum, quærat ipſum in tempore opportuno, & in loco ubi moratur, nempè non in hyeme culpæ, non in tenebris ignorantiæ, ſed in æſtate, & in die ſanctæ vitæ: non in loco deliciarum, & voluptatum terrenarum, nec in lecto conſcientiæ inquietæ, ſed quia hortulanus eſt cordis noſtri quæramus ipſum in hoc horto floribus, & fructibus deſideriorum, & bonorum operum referto: quia eſt ſponſus quæramus ipſum in thalamo per puritatem, & munditiam; quia ſummus Sacerdos eſt quæramus ipſum meditando, deſiderando, orando, benè agendo, & patiendo, & ſecurè inveniemus. *Ser.6.& 7. in rogat. & ſer.2. de S.Magdal.& ſer.6. Dom. infrà oct. Epiph. & in thren.c.1.& op.de 7.itin.aeternit.itin.4.d.5. a.1. & in Luc.c.2.v.45.& in Ioan.c.7.v.34.*

123. *Animæ contemplativæ qualiter quærunt dilectum & inveniunt.*

In lectulo meo per noctes quæſivi quem diligit anima mea, quæſivi illum & non inveni. Vide qualibus ſignis ſponſa contemplativa oſtendit ſuum amorem in ſponſum; ait enim, in lectulo meo per noctes quæſivi, &c. oſtendens tædium carentiæ præſentiæ ſponſi, dum nec quieti, nec ſumno parcit ut ipſum inveniat; & cum ipſum invenit qualia ſigna lætitiæ oſtendit dicens: inveni quem diligit, &c. *Pſal.118.c.8.v.7.*

124. *Chriſtus animæ dilectæ ſe abſcondit ut ſtudioſius quærat.*

In lectulo meo per noctes, &c. & non inveni, &c. Cur non inveniſti, ô ſponſa dilectum tam ardenter diligens diligentem? Hoc eſt quia dilectæ animæ Chriſtus aliquando ſe abſcondit, ut humilius, & vigilantius quæratur. Daturque intelligere quod tranſeunti ab exercitio vitæ activæ ad contemplativam non ſtatim ſe offert Dominus, ſed prærequiritur præparatio per pœnitentiam, dilectionem, & amorem, reſecationemquè creaturarum. *Luc c.17.v.7.& v.34.*

125. *Chriſtus non invenitur in foro, in plateis, in nundinis, inter cognatos, in deliciis, in divitiis, ſed in præſepio, & paupertate, & charitate.*

In lectulo meo per noctes quæſivi, &c. & non inveni. Cur hoc? quia Chriſtus non invenitur in deliciis carnalis concupiſcentiæ, nec in plateis, vel in foro, ubi nundinæ fiunt, nec inter cognatos, nec in deliciis, quas omnes cum ſponſa oportet pertranſire; dicit enim: paululùm cum pertranſiſſem eas inveni eum, nempè inveni in præſepio, in paupertate, & humilitate, & charitate. *In Ioan. c. 7. v. 34. ſer. 2. de S. Magdalena.* Perpende adhuc illa verba: In lectulo meo: ſi hoc dicit anima religioſa voto paupertatis, obedientiæ, & caſtitatis obſtricta; mirum non eſt quod non invenit Chriſtum, religioſamquè perfectionem: cum appellet lectulum ſuum, cum nihil proprii habere poſſit; & ſi tantula res ingreſſum Domini præpediat, quid fiet obſecro illis, qui contra ſuam profeſſionem in tot, & pretioſis rebus victu, veſtitu, & deliciis ſunt immerſi hæc ad ſenſum *Seraph. Doct. locis cit.* Addit hic Ugo Card. ad rem: quod ſponſa ſcilicet Eccleſia quærit in lectulo ſcilicet in ſecreta quiete clauſtralium ſponſum ideſt perfectionem religioſam, & ſicut Magdalena non invenit in ſepulchro Chriſtum, ſed tantum linteamina, ſic in multis non invenitur niſi habitus exterior poſt curriculum tot annorum, quibus vixerunt in Religione, quod nimis verum eſt, & deplorabile. *Sic.ex S. Bonaventura ſer.2. de Invent.S.Cru.ſer.2.de S.Mag.*

126. *Mariæ Virginis diligentia in quærendo Chriſtum, quem in triduo amiſerat: item & ipſius dolor de tali amiſſione, & poſtea lætitia de inventione expēduntur.*

In lectulo meo per noctes quæſivi, &c. ſurgam & circuibo per vicos &c. paululum cum pertranſiſſem eos inveni, &c. Nota quod hic exprimitur amiſſio Pueri Jeſu facta à Maria virgine, & Joſeph in triduo; ſollicitudo in quærendo: dolor de amiſſione, & gaudium de inventione: Vide ergo quomodò Maria, & Ioſeph videntes amiſſum Ieſum quærebant diligenter per circumſtantia loca, & per cognatos, & notos nec illum invenientes, tandem in templo Hieruſalem ipſum invenerunt: Perpende primò ſollicitudinem qua filium quærebant; ſecundò dolorem maximum occupantem cor ipſorum, lacrimas, ſuſpiria, anxietates, quibus torquebantur: & tandem gaudium ineffabile quando ipſum invenerunt. *Op.medit.c.14 ſer.1.Dom.infra octav.epiph. Luc.c.2. v.44.* Diſce, & tu ô anima quærere Ieſum, quem perdidiſti ex tua culpa. *Op. de quinq.ſolemnit.quarto loco.*

127. *Chriſtus ſolùm invenitur in Cruce.*

In lectulo meo per noctem, &c. & non inveni: ſurgam, & circuibo Civitatem, &c. Cur non invenit? quia non quæſivit Chriſtum in loco ubi moratur: ſed quis eſt iſte locus Chriſti? reſpond. S. Bonavent. cum B. Bernardo circuire poſſum Domine cœlum, & terram, & nuſquam te poſſum invenire niſi in Cruce, ibi dormis, ibi cubas in meridie: ergo nec in lecto, nec in deliciis carnalibus Chriſtus poteſt inveniri, ergo ſi Chriſtum Dominum invenire volumus oportet carnem affligere, oportet pœnitentiæ crucem aſſumere, opportet cum Magdalena ad ſepulchrum fluvios lachrymarum effundere, oportet cum paſtoribus ad ſtabulum ire, oportet cùm Magis ad præſepe, ubi jacet accedere, oportet cum matre juxta crucem aſtare, & cum ipſa lachrymas irremediabiles fundere *Ser 2. de Invent. S.Cru. ſer.2. de S.Mag.* Sed quis hodie Chriſtum ſic quærit? quærunt luxurioſi, & guloſi ſuavia, ſuperbi ſublimia, avari pecu-

Digitized by Google

niam magis quam Chriſtum: verè multi plus diligunt aſinum ſuum, porcum ſuum, & equum, imò denarium unum quam Deum: quod patet ex inquiſitione, & diligentia ipſorum, perdit homo bovem, & ſolicite quæri eum: perdit homo peccando Chriſtum, & quieſcit, dormit, bibit, & comedit, & non quærit: ô quot, quot, &c. *Ser.2.de S.Magd.*

128. *Modus quærendi, & inveniendi Chriſtum oſtenditur.*

Surgam, & circuibo civitatem, per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea. Vide ſollicitudinem qua ſponſa charitate ardens quærit Chriſtum: Non inveni (ait) ſponſum in lectulo: ſurgam, & circuibo civitatem, & quæram & diſce tu ô anima modum, quo quærendus eſt Jeſus: ſurgam: ſurgere debes anima amans à terrenis mentem elevando: frigeſcit enim quis à curis ſæculi, quanto ſurgit ardentius in amore Dei: ſubdit circuibo civitatem: circuire debes Eccleſiam opera Dei, & beneficia meditando, & conſiderando præcipue beneficium paſſionis Chriſti: item & per vicos conſiliorum, per plateas mandatorum Dei; & ſicut mendici, & famelici in civitate per plateas, & vicos de domo ad domum quærunt panem, ita & tu ô anima circui civitatem cæleſtem nunc per plateam Apoſtolorum, nunc Martyrum, nunc Virginum, nunc Confeſſorum, nunc per domos ſingulorum, nunc Mariæ, nunc Petri, nunc Franciſci conſiderando quid ipſi fecerunt, & ad ipſos pro auxilio recurrendo: nunc item per vicos Angelorum, nunc per domum Michaelis, & Gabrielis meditando quærere, & meditando mendicare, nunc ad domum regis ab ipſo Domino quærere Chriſtum Dominum: Hæc eſt ſollicitudo qua quærendus, & inveniendus eſt Chriſtus Jeſus. *Ser.6. Dom.infrà oct.Epiph.ſer.1. Dom.17.poſt Pent.& ſer.4.Dom.14.poſt Pent.& op.de dono Conſ. c.2.*

129. *Non in creaturis, ſed in ſeipſo quærendus Chriſtus.*

Surgam & circuibo civitatem, per vicos &c. paululum cum pertranſiſſem eos inveni &c. Nota quod hæc anima non poteſt invenire Chriſtum in lectulo, nec in civitate, nec per vicos, nec per plateas, nec inter vigiles: ſed tantùm quando pertranſiit hæc omnia: Quid arcani latet in hoc facto? maximum myſterium attende: dat enim intelligere Spiritus ſanctus quam vera ſit communis propoſitio SS. Patrum: quod tanta vis eſt amoris, ut talem te eſſe neceſſe ſit quale eſt id quod amas, & dum per affectum conjungeris in ipſius ſimilitudine ipſi quadam ſocietate conformaris: Si anima convertat ſe ſuper fœdum per amorem, transformatur in fœditatem: ſi ſuprà pulchrum in pulchritudinem, ergo ſi per amorem in creaturas te convertis, in ipſas transformaberis: Si ipſas omnes tranſieris, & in Deum tuum totam te converteris, in ipſum transformaberis: ergo mirum non eſt ſi transformationem, & delectationem deſideratam ſponſa non invenit in creaturis, ſed tantùm cum ipſas omnes pertranſivit. *Ser.4.Dom.14.poſt Pent.op.de dono conſilii c.2.in Luc.c.2.v.16.& c.11.v.9.ſer.2. Hexam.prope finem: Vide op.de quinq.ſolemn.Pueri Ieſu Solemnit.4.*

130. *Fide, ſpe, & charitate Deus quæritur, invenitur, & tenetur.*

Inveni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam &c. Vide quo ordine ſponſa pervenit ad amplexus dulciſſimos Chriſti Jeſu: primò quæſivit: ſecundò invenit: tertiò tenuit: ſed quibus mediis? medio exercitio virtutum Theologicarum. Nam primò exercitio fidei quæſivit in lectulo, in civitate, per vicos, & plateas orando, meditando, inquirendo, tranſeundo à cognitione creaturarum ad divinam: ſecundò ſpe invenit: inveni quem diligit anima mea: quia ſpes Deum ſapit, & de attentione aſſecuratur: & charitas unit, & amplexatur, undè ait: tenui eum, nec dimittam: ô bone Jeſu quis te non teneat qui tenentem, ſpe fortificas, perfectione decoras, perſeverantia conducis, remuneratione perducis: *Op. de 7. donis c. 3. & de dono intellect. c.6.& de dono Sap.c. 5.op. de 7.itin. ætern.itin.1.d.5.& itin. 4.d.5. a.3. opuſc. ſtim.p.3. c.17.op. ſpec. diſcipl.p. 2.c.6.* Tene ergo ô anima Dominum Jeſum in te per amorem, & timorem; tene te in Domino per amorem, & tenebit ipſe te ſuſcitando, & elevando, & deducendo & ſuſcipiendo. *Ser.2.Dom.23.poſt Pentec.*

131. *Oratione & devotione quæritur, & invenitur & tenetur Jeſus.*

Inveni quem diligit anima mea, tenui eum nec dimittam, donec introducam illum in domum &c. Nota modum quo ſponſa quæſivit Chriſtum Jeſum, & invenit, & tenuit: nempè primò in lectulo ſcilicet conſcientiæ puræ, meditando, & orando, & ſic invenit ſponſum in oratione, & per orationem ferventem. Sic & tu ô anima attende ut in oratione quam facis magis ſtudeas ad devotionem, quam ad conſummationem, ut ſtatim cum inveneris Chriſtum, ulteriùs non protendas, ſed eo fruere quem quærebas, dicens cum ſponſa: Inveni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum meam, imò ipſe introducat me in domum illius, quæ ſurſum eſt Hieruſalem matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ ſcilicet in intima contemplationis quiete ubi cubant, & quieſcunt animæ delicatæ: & poſteà ſubtrahente ſe Jeſu orationem perficias quam incæpiſti. *Op. regula Novitio. c.2.& op.ſtim. p.3. c.17. & op.myſtic.Theol.c.3.p.4.in Luc.c.2. v.28.& c.4. v.42.& c.5.v.4.& in Ioan. collat.35. & ſer.3. d.5. Magdalena in addit.*

132. *Idem confirmatur de anima contemplativa.*

Adjuro vos filiæ Hieruſalem, ne ſuſcitetis. &c. dilecta &c. Ecce quid facit ſponſus Jeſus cum anima in meditationibus myſteriorum ſuæ vitæ & Paſſionis ipſum quærens: nam jam introducta ad ſuos amplexus; & unionem propter tantos labores in ſollicita inquiſitione perfectos nihil aliud deſiderat, niſi ut abſorpta ab illo camino amoris paſſionis ſuæ ſaporata quieſcat in ſuis amplexibus: ô fœlix anima ad tantam

ſubli

ſublimitatem elevata. *Op.ſtim.p.1.c.4.& p.3.c.17. & op.medit.cap.49.& ſer.1. Hexamer.* Dicit autem per capreas hinnuloſque cervorum quia iſta duo genera ferarum habent velocitatem maximam in curſu: ſic anima contemplativa velociſſimè penetrat in Deum, & ipſum intuetur quaſi facie ad faciem. *Op.medit.c.49.*

133. ***Felicitas animæ aſcendentis in oratione, & exercitio virtutum ad Deum: Infelicitas deſcendentis ad ima imperfectionum, & torporis.***

Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & univerſi pulveris pigmentarii: Nota quod hîc introducitur anima quæ toto conatu in contemplatione, & exercitio virtutum aſcendit in altum perfectionis, enarraturquè ipſius felicitas quod fit à ſponſo veluti admirabundo de tanta felicitate: dicit igitur: quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum: quaſi dicat verè mirum eſt quòd per deſertum hujus mundi, in quo ſerpentes, & vermes ſcilicet vitia, & latrones ſcilicet dæmones inhabitant, inveniatur anima, quæ evadens iſta pericula aſcendat de virtute in virtutem: qui aſcenſus fit virgula fumi: ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & univerſi pulveris pigmentarii, ſcilicet contritionis myrrha, orationis thure, univerſo pulvere pigmentario diverſarum virtutum compoſitionis in devotionis virgula fumi: quibus pulveribus ſuavem potum ſibi fecit ad ſuperandas adverſitates: quæ igitur eſt iſta anima, quæ non greſſibus corporis, ſed virtutibus aſcendit ad Deum, & ad perfectionem: felix verè eſt talis anima: ſicut è contrà infelix, quæ ponit deſcenſiones in corde de vitio in vitium deſcendendo uſquè ad profundum Inferni. *Ser.2.Dom.16.poſt Pent.& ſer.4. in Epiph.Pſalm.77.op. Itin. mentis cap 4. in Ioan. collat.11.*

134. ***Humilitas in pulverem odore ſuaviſſimo naribus Dei fragrantem redigit animam.***

Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi, & univerſi pulveris pigmentarii: Sed qualis eſt iſta ſimilitudo quam Spiritus ſanctus affert in laudem ſponſæ dilectæ? cur ipſam comparat pulveri? nonne hoc eſt ipſam potiùs deprimere quam exaltare? minimè; Nota quod hîc loquitur de anima virtutibus ornata inter quas excellit maximè in humilitate, & ideò ipſam comparat pulveri non terreo, ſed pigmentario: ſpecies enim aromaticæ tanto plus redolent, quanto ſunt minutius tritæ, & pulverizatæ: ſic anima quantò plùs ſe humiliat coram Deo, tanto fragrantiorem naribus Dei, & Angelorum odorem exhalat: & hinc rectè dicitur: quæ eſt iſta, &c. *Op.Diat.tit.7.c.1.op. Compend. Theol.lib.5.c.6.& 86.*

135. ***Anima per contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem aſcendit de deſerto ad Deum ſicut virgula fumi.***

Quæ eſt iſta, quæ aſcendis per deſertum ſicut virgula fumi. Quid eſt virgula iſta fumi? & cur ipſi aſſimilatur anima? Nota quod virgula iſta fumi generatur ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & univerſi pulveris pigmentarii: iſta virgula fumi ſignificat ſpem veniæ ad quam elevatur anima prius exiſtens veluti deſertum gratia privatum per peccatum: fumus enim talis eſt ætherei coloris cito tranſiens, & tenuis, & ideò elevat iſta ſpes à terrenis ad cæleſtia, & hoc virtute myrrhæ ſcilicet contritionis, thuris ſcilicet confeſſionis, & univerſi pulveris pigmentarii in multimoda ſatisfactione: felix igitur anima, quæ talem aſcenſum ad Deum facit, & odorem fragrantiſſimum Deo exhalat. *Op.ſpec. B. Virg. lect.12.Pſal.100.*

136. ***Maria Virgo libenter per deſertum cordis peccatoris aſcendit ut ipſum elevet ad pœnitentiam.***

Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi, &c. Nota quòd hæc eſt B. Virgo Maria, quæ per deſertum peccatoris cordis aſcendit, ipſumquè ſuis precibus, inſpirationibus, & meritis aſcendere facit per ſpem veniæ, & pœnitentiam ad Deum: nullum enim piiſſima Virgo deſertum abhorret, nullum peccatorem deſpicit, ſed quocunque pertranſierit ſuaviſſimum ſpei veniæ fumum reſpergit. *Op. ſpecul. B. Virg. lect.12.*

137. ***Varia excellentia in Beata Virgine Maria expenduntur in his verbis.***

Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi ex aromatibus mirrhæ, & thuris, & univerſi pulveris pigmentarii. Nota quòd in his verbis innuuntur variæ prærogativæ B. Virginis Mariæ excellentiſſimæ. Et primo loco indicitur ſuavitas mirabilis nominis Mariæ. *quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, &c.* Quæritur hic quænam voces ſint iſtæ? quinam ſint, qui tam frequenter in canticis repetunt hanc interrogationem? Et ſi juxta Theodoretum Nyſſenum, & Ambroſium, vox iſta eſt Angelorum, cur excurit in hanc interrogationem? *quæ eſt iſta.* Erat ne ipſis ignota ipſorum Regina? hoc minimè poteſt credi: ſed attende ad myſterium: reſpondet Ricar. à S. Laur. l. 1 c.2. hanc interrogationem repetunt, ut ipſi ſuccedat frequens, ac repetita reſponſio, nempe Maria, quæ omnium animos exhilaret, ac ſuaviſſimo imbuat gaudio, novâque perfundat lætitia; ut non intra terræ terminos clauderetur, ſed etiam celebris haberetur in cælis: nam ut patef. cit eadem B. Virgo Maria S.Birg. *l.1.c.19.* Angeli cum audiunt hoc nomen, Mariæ; gaudent in conſcientia ſua: & meritò, nam Mariæ nomen non ſolùm terras radiis ſuæ dulcedinis perfundit, ſed cælites ipſos ſuis fulgoribus illuſtrat, ac novis lætitiæ incrementis cumulat. Unde in nomine Mariæ omne genu flectitur, cæleſtium, terreſtrium, & Infernorum. *Vide op. ſpec. B. Virg. lect. 3. & 4. op. Pſalt. B.Virg. Pſalt.20. & 131.in cant.3.* Secundò innuitur

innuitur meritorũ Mariæ altitudo inacceſſa etiam Angelis : dicunt enim : *quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ?* quomodò dicitur Maria aſcendere per deſertum, & non potius per viridarium omnibus nobilibus floribus, & arboribus conſitum? Rectè dicitur per deſertum aſcendere Maria, quia ſolitaria, *ait Ruber. Abb.* quia tanquam deſertum propter meritorum altitudinem invium,& inacceſſum erat aliis ? & ideo aſcendit habens lunam ſub pedibus, ut eam viderat *Ioan. Apoc. c.12.* ſcilicet totam Eccleſiam militantem, & triumphantem, cum ipſam in ortu ſuo Beata Virgo immenſo gratiarum, ac meritorum cumulo ſupergreſſa ſit : nec id mirum, cum immenſiſſima ſit Mariæ altitudo, & dignitas, etiam ſoli Deo perfectè eſt cognita. *Vid. op. ſpec. B.Virg. in prolog. & l.5. & pſalt. B.Virg. in cantic. Te Dei Matrem, &c. Vid. Dion. Carthuſ. l. 3. de laudib. B. Virg. D. Petr. Dam. ſer. 3. de nativit. B.Virg. & D.Damaſ.or. 2. de Aſſump. & D Aug. ſer. 25. de ſanctis.* Tertiò innuitur ejus ardentiſſima charitas. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit ſicut virgula fumi.* Cur virgula fumi? Virgula fumi præſupponit incendium antecedens : daturquè intelligi, quòd Maria aſcendit ad ſuperos, ſed prius ex amoris igne vel liquefacta, vel combuſta, quia ejus cor ſemper fuit veluti fornax plena igne ardentiſſimo charitatis in Deum, & proximum : unde etiam per Rubum ardentem ſignatur per quam fideli cuilibet benedictio gratiæ miniſtratur. *Op. ſpe. B.Virg. lect. 4. & 15.* Quartò innuitur conventus omnium gratiarum in Maria factus *Quæ eſt iſta, &c. & univerſi pulveris pigmentarii.* Quid eſt univerſus pulvis pigmentarius in Maria ? Nota, quòd per pulverem pigmentarium intelligitur univerſitas omnium virtutum, quæ in Virgine, operante Spiritu ſancto, congregatæ ſunt in ſummo, & perfectiſſimo gradu : unde meritò ſuprà dictum eſt, Mariæ ſublimitatem, & perfectionem eſſe veluti deſertum, vel potius mons inacceſſus etiam ipſis Angelis. *Op. ſpec. B.Virg. lect. 3. & 6.* Quintò ex his ſequitur, quòd cum Beata Virgo ex univerſi pulveris pigmentarii confectionibus fuerit compacta, nihil mirum, quod ſi ex odorifero, & ſuaviſſimo lacte Chriſtum Deum nutriverit, etiam depoſita feritate, quam prius Deus in orbem veluti leo furibundus exercebat, ex Agna mitiſſima Maria, cum lacte ſuavitatem ebibens, mititatem redolens, dulcem exinde ſuavem, & miſericordem ſub Agni mitiſſimi ſpecie ; ſub lactentis infantis forma, totum lacteum, totum miſericordiam ſpirantem ſe oſtendat : unde rectè concludendum, quòd ejus miſericordia repletur totus Paradiſus, & univerſus orbis, & omnis miſericordia Dei in nos, ad nos venit per Mariam matrem miſericordiæ. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 9. & Pſalt. B.Virg. Pſal. 59. & 83. & 86.* Sextò innuitur in his verbis progreſſus in ſtadio virtutum B. Virginis Mariæ ab inſtanti ſuæ conceptionis per totum curriculum ſuæ vitæ : dicitur enim : *quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum,* ſcilicet hujus mortalis vitæ, *ſicut virgula fumi ?* fumus eſt, ætherei coloris, citò pertranſit, & in altum facilè elevatur, quia tenuis, & levis eſt : in calore ſignificatur deſiderium cæleſtium bonorum, & in tenuitate exilitas, ſimplicitas, & humilitas : aſcendit igitur Maria per deſertum hujus vitæ in quocunque temporis momento de virtute in virtutem ad Deum : Vide ergò qualem cumulum meritorum aggregavit Maria. *Op. ſpec. B.Virg. lect. 11. & 15. & Pſalt. Pſal. 100.*

138. *In deſerta Religionis debet anima aſcendere de virtute in virtutem.*

Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi &c. Nota quod per deſertum intelligitur myſticè ſtatus religioſus, quia ſicut deſertum eſt locus aſperitatis ad exercendam abſtinentiam, locus deſpicabilis ad confundendam ſuperbiam, locus ſterilitatis ad ſuppeditandam avaritiam : ſic religio tale deſertum eſt, locúſque aptiſſimus ad aſcendendum de virtute in virtutem, & Deo ſerviendum in veritate ſpiritus. *Ser. 2. Dom. 1. Quadrag. in Luc. c.4. v.41.*

139. *Conſcientia lectus eſt locus quietis Chriſti, ſi à militibus fortibus cuſtodiatur.*

En lectulum Salomonis, ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſraël, &c. Quis lectulus à tot militibus cuſtoditus ? nota quod ſignificat cor, & conſcientiam hominis, in qua libenter requieſcit Chriſtus, dummodò ad modum lecti regalis cuſtoditus ſit à virtutibus tanquam fortiſſimis militibus. Unde in lecto peccatis fœdato non requieſcit Chriſtus, ſed Diabolus, ſed lectus conſcientiæ mundæ, quia ſecurè ab iſtis militibus cuſtoditur, Chriſtum attrahit, quorum caput eſt Charitas, & amor. *Ser. 5. de uno mart.*

140. *Conſcientia lectus mundus ab Angelis cuſtoditur.*

En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſraël : Nota quod ſexaginta conſtat ex ſenario, & denario, ille ſignificat executionem ſex operum miſericordiæ, iſte obſervantiam præceptorum decalogi : per lectulum intelligitur anima, & corpus, vel conſcientia munda à peccatis, maximequè à luxuria : hancquè milites fortiſſimi ſcilicet Angeli cuſtodiunt die, ac nocte : & ideò felix eſt iſta anima, niſi enim ab iſtis cuſtodiretur, mox ab inimicis omnis ejus clauſura aperiretur. *Ser. 1. de S. Lucia.*

141. *Eccleſiæ lectus triplex exponitur.*

En lectulum Salomonis &c. Si eſt lectulus ſponſi, ergo & ſponſæ ſcilicet Eccleſiæ : ſed quis eſt iſte lectulus ? ſed attende quod lectus ubi quieſcit Eccleſia ſponſa eſt ſcientiæ ſuavitas, ſcilicet Sacra Scriptura : vel etiam eſt lectus carnis mortalis : vel etiam ſunt monaſteria Sanctarum congregationum, in quibus quaſi in lecto quieſcit : in primo quieſcit per fidem : in ſecundo languet per mortificationem ; in tertio meditatur per contemplationem. Iſte triplex lectus ab Angelis, & à virtutibus cuſtoditur. *Pſal. 111. ſer. 1. de S. Lucia in Luc. c.17. v.34. & c.21. in fine.*

142. *Lect*

Digitized by Google

142. *Lectus Eccleſiæ, & animarum cuſtodiendus à Prælatis.*

En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt omnes tenentes gladios &c. Quinam ſunt iſti fortiſſimi milites ſexaginta? Nota iſti ſunt Prælati, quorum munus eſt ad modum militum fortiſſimorum habere gladios: ſcilicet verbum Dei proponere ſubditis, ipſoſque exemplo Chriſti dirigere, & cuſtodire in vita activa, & contemplativa, ad hoc ut in ipſis vigeat perfectio. *In Luc.c.21.in fine.*

143. *Milites Chriſti tenent gladios, ut ipſis utantur in bonum: milites diaboli è contra in malum.*

Omnes tenentes gladios, &c. Quos gladios? nota quod milites Chriſti armati ſunt triplici gladio: nempè diſcretionis fidei, diſcretionis divini judicii, & diviſionis deſiderii: per primum penetratur anima Verbo Dei: per ſecundum pœnitentiæ rigore: per tertium ardore charitatis: E contrà milites diaboli armati ſunt triplici gladio, ſcilicet rancoris, detractionis, & hæreſis. *In Luc.c.2.v.35.*

144. *Beata Virgo lectus pretioſiſſimus fuit veri Salomonis ab Angelicis exercitibus cuſtoditus.*

En lectulum Salomonis, &c. Nota hæc eſt Beata Virgo Maria, vel ipſius uterus, in quo requievit dulciter filius Dei: hunc lectulum cuſtodiebant beatiſſimi Angeli tanquam locum habitationis Dei electiſſimum: unde etſi beneficium cuſtodiæ non ſibi impenderent propter infirmitatem carnis, quia in ea habitabat filius Dei, cultum tamen reverentiæ exhibebant propter dignitatem matris: unde quodammodò per ipſam aſcendebant, & deſcendebant, ut in figura ſcalæ oſtenſum fuit Patriarchæ Jacob. *in Lucam cap.1. v.38.& in Pſal.131.* Unde Maria fuit Domina Angelorum ipſis imperans. *Op.ſpecul. B. Virgin. lect.3.*

145. *Ad lectulum præſepis Chriſti Angeli accurrunt ut ipſum cuſtodirent & obſequium præſtarent Chriſto.*

En lectulum Salomonis ſexaginta fortes, &c. Nota hic lectus Chriſti eſt præſepe ad quem in nocte nativitatis Angelorum exercitus è cœlis omnes accurrerunt, & ut talem lectulum cuſtodirent, & ut obſequium debitum præſtarent Domino Jeſu, & matri, illiuſque faciem viderent. *Op.medit. c.7. op.de 5. feſtiv. pueri Ieſu feſtiv.2.*

146. *Lectulus Chriſti eſt ſacra Euchariſtia ab Angelis cuſtodita.*

En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt, &c. Nota etiam quod Sacra Euchariſtia poteſt dici lectulus veri Salomonis: Nam ad ipſam cuſtodiendam, chori Angelorum accurrunt, & aſſiſtunt: quis enim dubium habere poteſt in immolationis hora ad ſacerdotis vocem: cælos periri & in illo Jeſu Chriſti myſterio Angelorum choros adeſſe. *Ser.5. in cœna Dom. & ſer.1. de dedicatione.*

147. *Eccleſia eſt lectulus Salomonis ab Angelis cuſtodita.*

En lectulus Salomonis ſexaginta fortes ambiunt &c. omnes tenentes gladios, &c. Nota etiam quod iſte lectus Salomonis eſt Eccleſia, in qua continuè Chriſtus habitat, & ad ipſam cuſtodiendam mittuntur milites, ſcilicet Angeli. *Serm.1. de dedicat.*

148. *Anima contemplativa qualiter ſit ferculum Salomonis Myſtici.*

Ferculum fecit ſibi Rex Salomon: Ideſt animam in ſummo gradu contemplativam: in qua reſidet guſtus extaticus: dicitur facta de lignis Libani propter munditiam, & puritatem: dicitur habere reclinatorium aureum, ſcilicet ſapientiam contemplativam: item columnas argenteas propter virtutes ſtabilientes eam: item aſcenſum purpureum, & media charitate conſtratum propter amorem, & charitatem, quæ facit aſcendere ad ſuperiora, & deſcendere ad inferiora propter amorem ſponſi. *Ser.23. Hexam. & ſer.1. de una Virg.*

149. *Verus obediens eſt ferculum myſtici Salomonis.*

Ferculum fecit ſibi Rex Salomon de lignis Libani, &c. Nota hoc ferculum eſt verus obediens, qui fidei Chriſti præceptis voluntariè ſe ſubjicit: iſte enim Deum ferre dicitur per ſupportationem voluntariam legis Divinæ, cui verè aptantur conditiones hujus ferculi, &c. *Op. Eccl. Hier. p.1.c.4.& expoſit. regulæ c.1.in fine.*

150. *Beata Virgo Maria ferculum nobiliſſimum filii Dei: ſicut & S. Ioſeph ejus ſponſus.*

Ferculum fecit Rex Salomon, &c. Et quandonam Chriſtus fecit ſibi tale ferculum? ſed attende quod hoc ferculum fuit Beata Virgo Maria, quam in ſedem, & locum quietis, & reclinatorium puriſſimum ſibi paravit omnium artifex, & ſapientia Chriſtus, & in ipſam ſubintravit, & in ipſa quievit in puncto Incarnationis: dicitur autem ferculum factum de lignis libani ſcilicet de carne, & anima puriſſima, quia in ipſa extincta fuit omnis pronitas fomitis, imò omnis poteſtas peccandi ablata, & in gratia totaliter confirmata. *Op.Eccleſ. Hier. p.4. c.7. & lib.3.diſt.3.p.2.a.2.q.1.& ſer.1. de una Virgine.* Nota etiam quod ab aliis Doctoribus hæc verba applicantur Beato Joſeph, qui toties portavit in ſinu, & inter Brachia Chriſtum Jeſum; cujus ferculum fuit nobiliſſimũ de lignis libani, ſcilicet de carne, & anima puriſſima, ornata virtutibus heroicis, & conſtrata charitate intenſiſſima. Notandum autem quod perfectiſſimè Mariæ competunt conditiones hujus ferculi nobiliſſimi: in quo per novem menſes portatus eſt filius Dei: quia factum eſt de lignis Libani, ſcilicet de carne, & anima puriſſima: columnæ argenteæ fuerunt dona Spiritus ſancti, de quibus dicitur. *Prov.c.9.* ſapientia ædificavit ſibi domum, excidit

exeidit columnas ſeptem : item fuerunt ſeptem privilegia ſoli Mariæ conceſſa : fuit enim ſuper omnes puras creaturas immunis ab omni peccato : fuit ſuper omnes puros homines gratiâ pleniſſima : ipſa ſola fuit mater , & ſimul Virgo : ſola fuit mater filii Dei ineffabiliſſima : fuit Deo familiariſſima : fuit apud Deum potentiſſima : & tandem ſuper omnes Angelos etiam in gloria excellentiſſima : Mariæ autem reclinatorium aureum fuit uterus ejus verè aureus , & puriſſimus : aſcenſus purpureus , quia fuit Regina Martyrum : media autem charitate conſtrata, quia ejus charitas fuit excellentiſſima : ergò Maria fuit ferculum , vel ſolium excelſum , & elevatum ſuper omnes creaturas. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 6. & 7.*

151. *Ferculum quale nobis fecit Chriſtus è cruce ad aſcendendum in Cælum.*

Ferculum fecit ſibi Rex Salomon , &c. Quodnam ferculum fuit hoc à Salomone factum ſibi, ſcilicet ad ſui honorem , & gloriam ? ſed vide Chriſtum pendentem in Cruce , quandò commendavit Joanni Matrem ſuam , & Matri Joannem , ſimulquè ferculum , ſeu quadrigam nobis expoſitam ad currendum in patriam , nempe ut per matrem ad filium , & per filium ad patrem aſcendere poſſemus : hujus ferculi columnæ argenteæ ſunt puritas, & Sanctitas Sancti Joannis , cui commendata eſt Mater : Beata Virgo eſt aſcenſus purpureus : media charitas eſt Chriſtus Jeſus ; & reclinatorium aureum eſt viſio Patris in decore ſuo ; ecce quadriga nobiliſſima , ſi vis igitur aſcendere ad cœlum recurre ad Joannem , à Joanne ad matrem , à matre ad filium , & hinc ad Patrem. *In Ioan. cap. 19. verſ. 27.*

152. *Crux Chriſti ferculum ſibi ab ipſo factum , ut per ipſam ad cælum aſcenderemus.*

Ferculum fecit ſibi Rex Salomon &c. Nota etiam quod hoc ferculum fuit Sancta Crux , in qua Chriſtus aſcendit aſcenſurus per ipſam ad Patrem : ipſius totæ fuerunt quatuor brachia Crucis ; pars ſuperior charitas : inferior humilitas : dextra obedientia : ſiniſtra patientia : aſcendamus & nos in hoc ferculo ſi velimus aſcendere ad cælum. *Op. Comp. Theol. lib. 4. c. 11. & ser. 1. Dom. 4. Pentec.*

153. *Chriſtus Rex tripliciter coronatus.*

Egredimini , & videte regem Salomonem in diademate , quo coronavit eum mater ſua : Et quomodò à Matre ſua fuit coronatus Chriſtus ? Nota quod tripliciter coronatus eſt Chriſtus à matre ſua : primò à Maria Virgine quando coronavit eum corona carnea veſtiendo ipſum humanitate : ſecundò à ſynagoga non matre vera , ſed noverca corona ſpinea miſeriarum , & pœnarum , tertiò coronatus eſt à Patre gloriâ in die reſurrectionis , & iterùm coronabitur ab Eccleſia in die Judicii coronâ omnium beatorum , & nunc coronatus eſt in gloria à Patre. *Pſal. 144. & ſer. 2. in vigil. Nativit. & ſer. 1. Dom. Pal. Ioan. c. 11. v. 6.*

154. *Chriſtus Rex coronatus corona dilectionis , per quam deſponſat ſibi animam, ipſam elevans ad ſtatum ſublimiſſimum.*

Egredimini , & videte Regem Salomonem &c. Nota quod cum fuerit Chriſtus coronatus Rex à matre corona carnea : à patre fuit conſtitutus Rex ſuper omnes filios ſuos corona dilectionis, & charitatis , ad quam contemplandam invitantur fideles , & præcipuè animæ contemplativæ : Unde dicitur : Egredimini à creaturis per quietationem in Chriſto , filiæ Sion ſcilicet animæ ſpeculantes gloriam Dei , & videte per contemplationem regem Salomonem Chriſtum , cui debetis dilectionem : videte inquam ipſum in diademate carneo , quo coronavit eum virgo Maria , & ſpineo , quo coronavit eum ſynagoga, & in ipſo ſponſi humilitatem in incarnatione, & paſſione oſtenſam in die deſponſationis illius, ſcilicet beneficiorum multiplicationem maximè ſpiritualium fidei dilectio , & juſtitiæ , quibus deſponſatur Chriſtus : addit, in die lætitiæ cordis illius , ſcilicet quia præparavit vobis æternam gloriam , de qua Chriſtus valdè lætatur : Accendatur ergo cor noſtrum recolligendo illata ſponſo ſupplicia ; recogitando collata nobis beneficia , & rememorando præparatam nobis æternam lætitiam : Unde dies deſponſationis Chriſti , eſt dies dilectionis noſtræ in Chriſtum, per quam deſponſatur anima Chriſto. *Ser. 4. Dom. infrà oct. Epiph. & ſer. 1. fer. 2. Pent. & ſer. 3. de SS. Phil. & in addit.*

155. *Qualis præparatio , & egreſſus in nobis requiratur ad viſionem , & fruitionem Chriſti.*

Egredimini, & videte regem Salomonem in diademate &c. Nota primò illud verbum , egredimini : in quo notatur præparatio neceſſaria ad videndum , & fruendum Chriſto , & in hac, & in altera vita ; exigitur igitur egreſſus peccatoris à ſeipſo ſcilicet à tenebris erroris , & ignorantiæ rationalem obcæcantis : ſecundò ab illecebris carnalis laſciviæ concupiſcibilem deformantis : tertiò à ſubjectione Diaboli crudeliter iraſcibilem deprimentis : primum habet fieri per inſpirationem veritatis in ſummo intelligibili , ſcilicet adjutorio fidei captivantis mentem ad credendum ſummæ veritati propter ſe , & ſuper omnia : ſecundum per voluntatis adhæſionem in ſummo diligibili, renunciando voluptatibus carnalibus : tertium fit per libertatis adeptionem in ſummo honorabili : qui enim peccatum deſerit libertatem conſequitur quam ſub jugo ſervitutis Diaboli amiſerat ; his peractis videbitis regem Chriſtum : videbitis inquam Chriſtum in propria conſcientia : videbitis in hac , & alia vita Chriſti veritatem , benignitatem & humilitatem. *Ser. 1. Dom. 1. Palmar. & ſer. 3. de SS. Phil. & Iac. in addit.*

156. *Hic commemoratio fit celebritatis diei Palmarum, ad quam invitantur fideles.*

Egredimini, & videte filiæ ſion regem Salomonem &c. Nota quod in his verbis invitantur filiæ Sion , ſcilicet animæ filiæ Matris Eccleſiæ

Digitized by Google

ad egrediendum obviam Chriſto non ſolùm paſſibus corporis, ſed etiam affectionibus mentis, cum exultatione cordis, cum jubilo oris, cum proſtratione propriæ veſtis per mortificationem laſciviæ carnis: cùm ramis olivarum in ſignum unctionis internæ devotionis: cum ramis palmarum in ſignum victoriæ, & honoris, eo quod rex noſter Chriſtus per ſuam humilitatem devicto ſuperbo Diabolo, & ejus exercitu in pelago maris inferni ſubmerſo populum ſuum liberavit ſanguine proprio ſuppeditata cupiditate per ſuam paupertatem, hæredes, & reges regni cæleſtis conſtituit. *Ser. 1. Dom. Palmar.*

157. *Chriſtus coronatus à Virgine Maria: ubi de Incarnationis Myſterio.*

Egredimini, & videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater ſua: Quæ mater, & qualis corona à matre data Chriſto fuit? ſed nota quod dicit in die deſponſationis illius: dies deſponſationis Verbi fuit dies Incarnationis: tunc enim Virgo Maria virtute Spiritus ſancti ipſum concepit, & cum humana natura univit indiſſolubili vinculo verbum Divinum amore pudico, & benevolo cum lætitia matris, & filii inenarrabili, & gaudio magno. Videte igitur Chriſtum regem diademate carneo coronatum à Beata Virgine Maria, & gratias ipſi reddite toto corde, & affectu. *Ser. 1. Dom. Pal. ſer. 2. in Vigil. Nativ. Ioan collat. 11.*

158 *Chriſti coronatio ſpinea expanditur, per quam ſublimatus à Patre in gloria.*

Egredimini, &c. in diademate quo coronavit eum mater ſua. Nota quod mater moralis Chriſti fuit Synagoga, quæ facta eſt noverca, quia ſuum regem Chriſtum coronavit ſpineo diademate doloris, & ignominiæ (nota autem quod non dicit in diademate quo coronavit caput: ſed quo coronavit eum,) ſcilicet per totum corpus, quia ſuper coronam ſpineam addidit multa alia diademata deformia opprobroſæ contemptibilitatis: quod enim honoris in die palmarum contulit Chriſto totum in die veneris ſequenti convertit in dedecus: nam pro floribus imponit ejus capiti coronam ſpineam: pro ramis palmarum adaptavit humeris crucem; pro veſtimentis in terra proſtratis propria veſtimenta ſibi exuta in quatuor partes diviſit: pro laudibus blaſphemiis exprobravit: videte igitur Chriſtum in cruce pendentem, & ſuper caput ejus ſcriptum, Ieſus Nazarenus Rex Judæorum: videte iterum quod quia ſe humiliavit uſque ad mortem, Pater ipſum coronavit in reſurrectione gloria & honore. *Ser. 1. Dom. Palm. op. lignum vitæ.*

159. *Deſponſatio Chriſti cum Eccleſia expenditur.*

In die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus. Nota quod ſupradictum eſt Chriſtum ſibi deſponſaſſe Eccleſiam in die incarnationis, & quia addit quod talis dies ſuit dies lætitiæ cordis Chriſti: hic innuitur primò deſiderium quod ardebat ab æterno in pectore verbi perveniendi ad hanc deſponſationem: ſecundò nobilitas talium nuptiarum, & hoc propter ſponſi magnitudinem, nobilitatem, fortitudinem, & honorabilitatem: item propter ſponſæ pulchritudinem non ſolùm in ſeipſa, ſed & in membris excellentem: per quas nuptias data eſt requies provinciæ cæli, provinciæ mundi, provinciæ inferni ob liberationem ſanctiſſimorum Patrum, & provinciæ Purgatorii. *Ser. 1. Dom. 19. Pentec. Ioan. collat. 15.*

CAPUT IV.

160. *Animæ contemplativæ pulchritudo, & excellentia ipſius aſpectus exprimitur.*

Q*UAM pulchra es amica mea, quam pulchra es: oculi tui columbarum.* Nota quod hic exprimitur pulchritudo animæ contemplativæ à fœditatibus terrenis expurgatæ, & præcipuè acumen oculorum mentalium, qui aſſimilantur columbæ, eo quod penetrant ad viſionem Dei per fidem altiſſimam, & volitant per campos cæli intuentes mirabilia Dei: ô felix anima ad talem viſionem ſublimata. *Opuſc. de 7. itin. aeternit. itin. 2. d. 7. & pſal. 118. v. 89. & ſer. 1. de una virg.*

161. *Pulchritudo Eccleſiæ ſponſæ Chriſti expenditur, & in membris jacet Mariæ Virginis.*

Quam pulchra es amica, &c. Ecce quod ſponſæ pulchritudinem, & ſplendorem in ſe primo loco ponit, & infrà v. 7. addit tota pulchra es: deinde pulchritudinem in membris: addens: oculi tui columbarum: oculi Eccleſiæ ſunt Prælati, & proviſores: os ſunt Doctores: dentes ſunt Apoſtoli, & Prædicatores, quibus quaſi dentibus peccatores in corpus Eccleſiæ convertuntur: Aures ſunt Confeſſores, & cauſarum auditores: Naſus ſunt ſapientes bonorum, & malorum diſcretores: collum ſunt clerici, & cantores: pectus ſunt nobiles, & potentes: ubera ſunt conſiliarii, qui lac conſiliorum aliis præbent: brachia ſunt milites: manus ſunt operarii, & artifices: coxæ ſunt famuli: pedes qui portant totum pondus ſunt ruſtici, & agricultores quibus membris conſtat tota ſponſa, & pulchra, quia etiam pulcher eſt ſponſus: ſed heu quam periit valdè ſponſæ pulchritudo, ut patet ex vitiis ſingulorum. *Ser. 1. Dom. 19. Pent. Thren. c. 3. Luc. c. 10. v. 1.*

162. *Eccleſia ſancta per Scripturam ſacram tanquam per turrim munita eſt contra omnes adverſarios: ubi de Doctrina Chriſtiana.*

Sicut Turris David collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Quomodo aſſimilat ſponſus collum ſponſæ turri David? quomodò hac ſimilitudine intendit exprimere ejus pulchritudinem, & non potiùs tantæ pulchritudini præjudicare: ſed attende quod non ſolum pulchritu-

do, ſed & fortitudo in hoc epitalamio ſponſæ ſcilicet Eccleſiæ exprimitur. Per turrim autem intelligit Scripturam ſacram, & doctrinam Chriſti, quam in medio vineæ ædificavit, & collocavit tamquam munimentum tutiſſimum. & fortiſſimum Eccleſiæ: per iſtam enim doctrinam cæleſtem defenditur Eccleſia catholica ab ictibus, & perſecutoribus omnium inimicorum ſuorum: Unde dicit quod in ipſa eſt omnis armatura fortium; quia per ipſam armantur Doctores S. Eccleſiæ *Luc. c.14. v.28. & cap.20. v.9. & c.22. v.38.* Idem eſt dicendum de Prædicatoribus qui Verbi Dei prædicatione muniunt Eccleſiam Dei, & quamlibet animam: & hinc ubi in vulgata legimus, quæ ædificata eſt cum propugnaculis, ex hebræo legitur, quæ ædificata eſt ad diſciplinas, & ad doctrinam ſcilicet Chriſtianam; unde loca ſacra in quibus edocentur fideles ſunt veluti turres, & munimenta populi Chriſtiani: Vide igitur quam utilis, & neceſſaria ſit expoſitio ſacræ doctrinæ in Eccleſia Dei: & hinc eſt quod ſicut cauſa ruinæ populi Iſraelitici fuit Doctrinæ Dei defectus, ſic eſt, & fuit, & ſemper erit in Eccleſia Dei. *in ebren. c.1.*

163. *Perfectionis, & virtutum exercitium eſt turris defendens animam ab omni incurſione inimicorum.*

Sicut Turris David, quæ ædificata eſt cum propugnaculis. Scilicet cum aliis munimentis ipſam cuſtodientibus. Et quid eſt hæc turris in Eccleſia munita aliis turribus, & propugnaculis? Nota quod Turris eſt ædificium altiſſimum, & ſignificat cumulum perfectionis meritorum, & exercitium virtutum in tendentibus ad perfectionem: ad hoc autem ut ſit recte munita hæc turris exigit ut incipiat à fundamento, & proveniat ad ſummum, veluti dona Spiritus ſancti, quæ veluti turres ducunt animam ad ſummum ſapientiæ cæleſtis, ipſam in tuto collocant. *in Lucam c.14. v.28. & c.10. prope finem.*

164. *Maria Virgo Turris fortiſſima contra omnes adverſarios.*

Sicut Turris David &c. Nota quod hæc eſt B. Virgo Maria verè Turris fortiſſima in ſe, quia ſe defendit ab omni incurſione inimicorum, & peccatorum. Turris etiam fortiſſima nobis nos defendens à facie vaſtatoris inimici. *in Lucam c.10. propè finem: & op. Pſalt. Pſal.60. & op. Litania: & op. Pſalter. minus quinq.2.*

165. *Oratio Turris fortiſſima nos defendens ab adverſariis.*

Collum tuum ſicut Turris David. quæ ædificata, &c. Nota quod per collum ſignificatur oratio quæ eſt vox, quam anima è corde immittit ad Deum: recteque comparatur Turri fortiſſimæ: quia nos defendit ab indignatione divina, ideò dicitur mille clypei pendent ex ea, ſcilicet ſcuta orationis, quibus prohibentur ictus iræ divinæ, noſque ſecurè defendit in conflictu tentationum, & tribulationum: *Op. Diet. tit.2. c.5. & ſer.1. & 2. Dom.2. Quadrag. & ſer.2. de S. Ambroſio, & ſer.2. de S. Lucia. op. de prof. religioſ. lib.2. c.63. & ſequ.*

166. *Euchariſtia Turris muniens Eccleſiam, & fideles contra omnes adverſitates.*

Turris David, quæ ædificata. &c. Si turris eſt hæc munita, ergò apta ad defendendos quoſcumque in ipſam intrantes contrà adverſarias poteſtates: & quænam eſt hæc turris tam tuta, & fortis? ſed perpende quod ſpiritu prophetico dixit David: Paraſti in conſpectu meo menſam adverſus eos, qui me tribulant: *Pſal.22.* ergo Sacramentum Euchariſtiæ eſt iſta turris fortiſſima. à Chriſto parata in Eccleſia ad ipſius tutamen, & defenſionem contrà omnes adverſarios, hoſtes, pericula, & tentationes, & quod hoc ſit verum: Vide, & tolle hoc Sacramentum de Eccleſia quid erit in mundo, niſi error, & infidelitas, & populus Chriſtianus erit quaſi grex porcorum diſperſus, & idololatriæ deditus, ſicut expreſsè patet in infidelibus, ſed per ipſum ſtat Eccleſia, roboratur fides, vivit, & viget Chriſtiana religio, & divinus cultus. *Op. de preparat. ad miſſam c.2 op. faſcicul. c.7.*

167. *Obedientia eſt Turris defendens animam à quacunque deceptione ſimulquè ſchola omnium virtutum.*

Sicut Turris David. quæ ædificata eſt cum propugnaculis, mille clypei, &c. In textu Hebræo legitur: ſicut Turris, locus, vel ſchola ad diſciplinas: ſed quis eſt iſte locus, iſta Turris, quæ ſimul eſt ſchola omnium diſciplinarum? Nota quod iſte locus eſt obedientiæ, ideò dicit collum tuum, quia collum ſubjicitur jugo, & undequaque vertitur: nam ſimul eſt Turris fortiſſima, & tutiſſima contrà omnes deceptiones diaboli: eſt item & regina omnium virtutum, cui omnes virtutes tributum proprii valoris appendunt: ideò rectè appellatur ſchola Jeſu Chriſti, nobile genus martyrii, palma triumphalis, & ſcala Paradiſi: quia in tota ſua vita docuit obedientiam ſuper omnes alias virtutes: quia decollat hominem, & amputat ei caput propriæ voluntatis: eſt palma triumphalis, quia ipſa obtinet merita & præmium aliarum virtutum, & ideò dicitur virtus generalis dans formam cæteris virtutibus, & meritum omnibus operibus noſtris, dicitur etiam virtus ſpecialis, quia habet pro objecto Deum, & ſuum Prælatum propter Deum. *Op. Diet. tit.4. c.2. & lib.4. d.14. p.1 art.1. q.3. & d.16. a.1. q.2.*

168 *Mariæ Virginis ubera lac Chriſto dulciſſimum, & puriſſimum effuderunt.*

Duo ubera tua ſicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui paſcitur inter lilia, donec aſpiret dies. & inclinentur umbræ: Nota quod hic exprimitur concurſus B. Virginis Mariæ ad generationem, & nutritionem Jeſu Chriſti factus ex lacte ſuo puriſſimo: idquè exprimit per ſimilitudinem duorum hinnulorum, qui in ubertimis, puriſſimiſquè paſcuis inter lilia tota die paſcuntur, ſic duo ubera B. Virginis quaſi paſcuntur in puriſſimo corde ſuo ſuper quod ſita ſunt attrahendo puriſſimum illum ſanguinem, ex quo genitus eſt, & in quibus virtute caloris innati concoquitur in lac candidum ex quo pariter nutriebat parvulum Jeſum, qui veluti inter lilia paſcebatur ob

Virgineam

Digitized by Google

Virgineam puritatem Mariæ, & ipſius ſanguinis. *In Luc.c.11.v.27.& op.Pſalt.Pſalm.31.& in Salve Regin.& op. Eccleſ.Hier.p.1.c.4.* Addit textus donec aſpiret dies, & inclinentur umbræ; per quæ verba habetur ſecundum doctores relatio ad paſſionem Chriſti, in qua talis ſanguis effuſus eſt.

169. *Mariæ ubera diſtillant in Paradiſo, & in toto orbe terrarum lac miſericordiæ.*

Duo ubera ſicut duo hinnuli &c. Nota quod etiam per iſta ubera Mariæ, quibus lactabat Jeſum intelligitur fluxus lactis ſuæ pietatis, & miſericordiæ, lactans enim filium, ſtillicidia gratiæ nobis præparabat, & in cœlis nunc exiſtens lacte ſuæ dulcedinis reficit viſcera habitatorum Paradiſi, & orbis terrarum; & peculiari modo ſuorum devotorum *Op.Pſalt. Pſal.15.& 17.& 34. & 83.& 86. & op.ſpec.B.Virg.lect.5.*

170. *Contemplativi exhibeant obedientiam, paupertatem, & caſtitatem integram Deo.*

Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris. Nota quod hæc ſunt verba animæ religioſæ contemplativæ, quæ oſtendit quid ſibi faciendum eſt in Dei obſequio. Dicitur igitur: vadam ad montem; mons ſignificat contemplationem, quia eſt locus aptus ad contemplandum: vadam ait, ſcilicet obediendo: ad montem myrrhæ, ſcilicet cum obſervantia paupertatis: & ad collem thuris per continentiam, & caſtitatem. *Ser.3. in Epiph.Luc.c.9.v.28.*

171. *Oratio cum pœnitentia debet copulari ut ad Deum aſcendat.*

Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris. Dat hic Spiritus ſanctus intelligere quod anima perfectè Deo ſervire volens debet prius ad opera pœnitentiæ manus extendere, ſignificatur enim per myrrham pœnitentia, & per iſta ad collem thuris, ſcilicet devotionis, & orationis incedere: ſicquè oratio veluti incenſum Deo flagrabat odorem ſuavitatis, & ad ipſum aſcendet. *Op. Diet.tit.2.c.5. in Ioan.c. 19.v.40.& collat.36. & 3.Epiph.*

172. *Eccleſia, & anima ex conjunctione Chriſti ex fœda tota pulchra facta eſt.*

Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te. Ecce quomodò ſponſus laudat pulchritudinem ſponſæ ſcilicet Eccleſiæ dicens tota eſt talis, ſcilicet & in viſceribus, & in membris, nec macula eſt in ea: & undè tanta pulchritudo? hæc prodiit in ſponſam ex approximatione, & copulatione ſponſi: ſic enim cum eſſet prius fœda facta eſt pulcherrima. *Ser.1.Dom.19.poſt Pent.* dicit igitur, tota pulchra, ſcilicet in interiori, & exteriori: pulchra in inceſſu, in auditu, in corde, in mente, in affectu *Ser.5.de una Virg.*

173. *Contemplatio qualem pulchritudinem animæ conferat.*

Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te. Hæc ſunt verba ſponſi ordinata ad animam contemplativam ut intelligamus, quod cum contemplatio ſit deifica ſimilitudo, ideò anima per eam illuminatur, & ipſius luminis lucentia ſimilitudinem accipit, & hinc tota pulchrificatur. *Op.de ſept.itin.æter.itin.3.d.5.*

174. *Mariæ immunitas ab omni peccato expenditur, & pulchritudo animæ ejus.*

Tota pulchra es amica mea & macula non eſt in te. Hæc ſunt verba dicta Mariæ à ſponſo Spiritu ſancto, ut docet Eccleſia: per quæ dat intelligere quod ipſa immunis fuit ab omni macula, ſcilicet ab omni væ culpæ cordis, oris, & operis, item ab omni væ miſeriæ, ſcilicet miſeriæ naſcentium, quæ eſt fomes concupiſcentiæ, & inclinationis ad malum: miſeriæ parientium, quia ſine contaminatione concepit, & ſine dolore peperit: item miſeriæ morientium, ſcilicet incinerationis: item ab omni væ culpæ originalis, & venialis, & ideò rectè dicitur: & macula non eſt in te: quia tota pulchra fuit Maria, pulchra ſcilicet in vita, pulchra in morum diſciplina, quia quicquid in ea geſtum eſt totum puritas, totum ſimplicitas, totum gratia, & veritas fuit, totum miſericordia, & juſtitia, quæ de cœlo proſpexit. *Op.ſpec. B. Virg.lect.2.& 12. & 14.& lib.3.d.3.p.1.a.2.q.1.& 2.vid.ſer.3.Dom.14.*

175. *Puritas animæ Deo chara expenditur: ubi de Sanctæ Luciæ Virginis, & Martyris munditia: item & S. Claræ Virg.*

Veni de Libano, veni coronaberis. Notanda ſunt diligenter à ſequentibus Chriſtum hæc verba ſponſi ad animam charam Deo, & Angelis: primò enim dicit: veni de Libano; ſecundò veni coronaberis: & quia libanus interpretatur candidatio, ideò ſtatus meriti in via talis animæ exponitur, nempè munditia mentis, carnis, & operis in converſatione: tertiò dicitur: veni coronaberis, in quibus indicatur præmium tali animæ præparatum in patria, & talis fuit B. Lucia Virgo, & martyr, & de qualibet alia Sancta anima: *Ser. 1. de una Virgine, & ſer. 2. de uno Mart. & ſer.3. de S. Clara in addit.* Nota etiam quod hæc vocatio ſit præcipuè Virginibus: Undè dicitur: Veni de libano, ſcilicet cum floribus diſcerptis. in monte virginitatis: merito enim floribus aſſimilatur, quia flos ſole præſente decorem ſuum oſtendit, de nocte clauditur: ſic caſtus coram Deo tantùm gloriatur, non coram hominibus, undè iſtis debetur aureola florea: ſicut martyribus corona gemmea, & Doctoribus aurea. *Diat.tit.4.c.4.& ſer.de Sancta Lucia.*

176. *Anima contemplativa à ſponſo invitatur ad coronas, etiam in hac vita.*

Veni de Libano ſponſa mea: veni de Libano, veni coronaberis. Nota quod ſponſus ter invitat ſponſam de libano, & in hoc relucet maximum myſterium, quo felicitas animæ ſurſum eleva-

Digitized by Google

ræ ad ſtatum contemplativorum explicatur, & item ordo, quo pervenitur ad ſublimitatem talis ſtatus: Dicit igitur primò veni de libano: de libano ait, non de alio monte, libanus enim eſt candidatio, & ideò anima iter perfectionis ambulans tranſit de vitiis ad virtutes, & tranſit converſa in libanum, ſcilicet perfunditur candore lucis æternæ: ab hoc ſtatu primæ Hierarchiæ veni ait, ſponſus, in quo operarii ordinatè circa omnia exteriora exemplo, & doctrina alios ad me reducendo. Secundò veni de ſecunda Hierarchia, in quo ſtatu operaris circa omnia tua interiora, habitus vitutum, & donorum Deiformiter exercendo, & proficiendo: tertiò veni de ſuprema tua Hierarchia, in quo ſtatu operaris circa ſuperiora Deum ſinceriter contemplando, & fortiter amando & ſurſum tendendo ut coroneris: ſicque coronaberis corona gaudioſa, quæ de omnibus per te converſis gaudebis: coronaberis corona ſpecioſa tuarum virtutum fructu: coronaberis glorioſa corona interminabilis æternitatis: Veni igitur ſponſa mea, quia mihi, & tibi omnia communia ſunt: In quibus verbis exprimitur ſtatus vitæ incipientium, proficientium, & perfectorum, ſcilicet vitæ purgativæ, illuminativæ, & unitivæ *Op. de 7. itin. æternit. itin. 7. d. 7. & op. myſt. Theolog. c. 2. p. 2. in Ioan. collat. 11.*

177. *Qualiter anima juſta in morte à ſponſa invitatur ad gloriam.*

Veni de libano ſponſa mea, veni &c. coronaberis. Ecce terminus finalis perſeverantiæ animæ, quæ per ſtadium virtutum in hac vita ambulavit: nam ad finem hujus vitæ miſerabilis perducta invitatur in his verbis ad coronam gloriæ: Veni (ait ſponſus dulciſſimus Chriſtus) veni ſponſa mea, & propera ad nuptias meas, quia tota cæleſtis curia te expectat & omnia ſunt jam parata, quia ibi paratus eſt cœtus Angelicus, & Deus ipſe ut tibi ſerviat, ut te reficiat, ibi parata eſt ſocietas omnium bonorum cum Maria Matre Jeſu: veni ad coronam, qua coronaberis, vitæ, & præmii æterni: Ama igitur anima unum bonum, in quo ſunt omnia bona: ad ipſum propera, dum in hoc ſtadio vitæ vivis, ut poſſis in æternum coronari præmio æterno. *Op. de perf. vitæ c. 8.*

178. *Invitatur ſpeciali modo Maria Virgo ad coronas: & poteſt totum adaptari ſolemnitati coronationis imaginis Mariæ.*

Veni de libano ſponſa mea, veni de libano, veni coronaberis, &c. Nota quod hæc verba propriè, & ſpeciali modo, & privilegio dicta ſunt B. Virgini à Chriſto: Undè rectè dicitur de libano veniens coronaberis de capite Aman, de vertice Sanir, de cubilibus leonum, de montibus pardorum, quæ ait Rupertus Abbas ſignificant regna, & reges Mundi: item idololatras, & peccatores: quaſi dicat: veni de libano, ſcilicet migrabis de corpore mundo, candido, & virgineo, & coronaberis de iſtis regnis mundi, qui à credent in me fructum ventris tui, & eorum credentium ſalus tua corona erit: ità coronaberis, ut & in cœlis regina ſanctorum, & in terris regina ſis regnorum, agnoſcentes enim te reginam cœlorum ac proindè poſſidentem totum regnum filii tui reges; atque Imperatores coronis ſuis te coronabunt, palatia ſua nomini tuo ſacrabunt, honori tuo dedicabunt ut deſinant eſſe quod fuerant montes pardorum & cubilia leonum, & dæmonum: hæc Rupertus & ad ſenſum *Seraph. Doct. S. Bonavent.* ſic devotè Mariam Salutamus: Ave, cui ſine fine reges ſtant, & reginæ, tu Regina Sæculorum, regum Princeps, & regnorum: Ave grandis, & puſilla Dei mater, & ancilla, tu Regina reginarum, honor cœli, laus terrarum: Ave, cui dominator, Rex cœlorum habitator, in perenni dedit jure, omnia ſceptra creaturæ. *Op. Pſal. min. quinq. 1. & 2. & 3.* Nota etiam hìc quod iſte conceptus, & ſequens poteſt adaptari ſolemnitati coronationis imaginum B. Mariæ Virginis. *Op. in ſalve: & op. Pſal. pſal. 23. & 26. & op. Pſal. Min. quinq. 1. & 2. & op. ſpec. B. Virg. lect. 3. & 8. & 14. & lib. 3. d. 9. a. 1. q. 3. ad 3.*

179. *Corona à Sanctiſſima Trinitate Beatæ Virgini in cælis donata expenditur: ubi de corona SS. Virginum, & de coronatione imaginum Mariæ Virginis.*

Veni ſponſa mea, veni de libano, veni coronaberis: Nota quod hæc verba dicta fuere Beatæ Virgini Mariæ in tranſitu, & ter invitatur, quia ipſi occurrit tota Sanctiſſima Trinitas: Pater ut filiæ dilectæ, filius ut matri, Spiritus ſanctus ut ſponſæ: veni de libano ſcilicet converſa quoad corpus, & animam in candorem, munditiam, & puritatem: veni coronaberis, ſed qua corona? Corona luminoſa, & radioſa propter radium ſapientiæ, corona ſpecioſa propter pulchritudinem virginalis pudicitiæ: corona pretioſa propter pretioſum donum patientiæ: corona gloriæ propter virtutem pœnitentiæ, quam portavit, quæ conditiones aliis virginibus ſanctis proportionabiliter poſſunt adaptari. *Ser. 2. de una Virgine ſer. 2. de S. Bartholom. & ſerm. 3. de Mart.* Maria Virgo ergò aſſumpta eſt in cœlum ſedens ſuper cardines cœli à dextris filii, regnarque cum Chriſto in æternum, quia ipſi placuit bonitas, & ſanctitas, coronam de lapidibus pretioſis habens in capite. *Op. Pſalt. Virg. Pſal. 109. & Hymn.* Te Dei Matrem laudamus.

180. *Anima contemplativa cognitione, & amore vulnerat dilectum ſponſum.*

Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meum in uno oculorum tuorum, in uno crine colli tui: Quid eſt quod hìc dicit Chriſtus ſponſus Animæ? quod in uno oculorum, & medio crine uno potuit vulnerari? ſed attende verba ſponſi Chriſti, & nota myſterium: Nam primò vocat ſponſam ſuam animam, quia per infuſionem gratiæ ipſam ſibi deſponſavit. *lib. 2. d. 29. a. 1. q. 1.* hinc adjutorio gratiæ ſponſa ſe elevavit ad ſtatum altiſſimum contemplationis, & hinc vulneravit amoris jaculo ſponſum in uno oculorum, ſcilicet mediante affectu, & amore, quo penetravit uſquè ad cor ſponſi, & in uno crine colli, ſcilicet multiplicatione mentalium elevationum, & cognitionum; ut hinc videas, quod

principa

principaliter anima contemplativa debet ſe exercere in actibus amoroſis voluntatis , ex quibus conſequitur notitia eminens , & ſublimiſſima ſponſi. *Ser.2. Hexam. ad finem op. de 7. itin. æternit.itin.3.d.2. & 7. & itiner.6.d.6. & op.myſt. Theol.c.3.p.4.& in Ioan.c.3.v.30.*

181. *Oratia qualis vulnerat cor Dei.*

Vulneraſti cor meum in uno oculorum tuorum,& in uno crine,&c. Cur in uno oculo , & non in ambobus ? & cur in uno crine , & non in omnibus ? ſed attende quod hîc loquitur cum anima tota orationi perfectæ dedita : hæc enim unitate intentionis , & ſimplicitatis tota per amorem in Deum fertur : hinc dicitur Deum vulnerare , & ad amorem novum infundendum, & donandum excitare. *In Lucam c.11.v.34.& c.7.v.38.& in Ioan.c.19.v.36.*

182. *Beata Virgo Maria vulneravit cor filii Dei, & ipſum attraxit ad ſumendam carnem in ejus utero.*

Vulneraſti cor meum , &c. Attraxiſti , abſtuliſti cor meum ſoror mea , &c. legit Hebræus ; quomodò dicitur Maria vulneraſſe , abſtuliſſe,& attraxiſſe cor Dei ? ſed attende quod hîc ſit alluſio ad cooperationem quam habuit Maria Virgo ſuis deſideriis,orationibus , laboribus , precibus, pœnitentiis ad promerendam Incarnationem Verbi : licèt enim ſecundùm omnes Theologos opus Incarnationis abſolutè in ſe conſideratum non poteſt cadere ſub ratione meriti , cum ipſa ſit ſupra omne meritum , & principium , cauſaque totius meriti ; tamen ſuppoſito decreto divino abſoluto poteſt cadere , & de facto cecidit ſub ratione meriti tum reſpectu SS. Patrum loquendo de congruo , ſed maximè reſpectu Mariæ Virginis , & ideò de congruo meruit Incarnationem ſecundum SS. Doctores , & ſecundùm alios Doctores , etiam de condigno ; *Sic S.Bonaventura lib.3.d.4.a.2.q.1. & 2. & ar.3.q.3. ad argum.* Meruit Beata Virgo ut potiùs in ſe , quam in alia muliere , ut ſuo tempore , ut aliis circumſtantiis ſumeret carnem in ſuis viſceribus; Hincque verè dicit Chriſtus vulneraſti cor meum,attraxiſti me de cœlis in terram.

183. *In Apotheca Eccleſia odor fragrantiſſimus : in apotheca mundi fœtentiſſimus.*

Quam pulchra ſunt mamma tua ſoror mea ſponſa : pulchriora ſunt ubera tua vino , & odor unguentorum tuorum ſuper omnia aromata : ô quam eſt hoc verum ! pulchræ ſunt mammæ Eccleſiæ, ſcilicet amores , ut legit Hebræus , nam in Eccleſia ſponſa Chriſti adſunt ubera Sacramentorum , ex quibus diſtillat lac charitatis , & odor fragrantiſſimus ſanctarum virtutum , ad quarum exercitium transferuntur animæ , quæ ad iſta ubera accurrunt : Et è contrà in apotheca Mundi odor fœtentiſſimus exit vitiorum : *Serm.4. Dom.2.Pent.lib.4.in prol.& op.ſoliloq c.1.*

184. *Beata Virgo Maria lac dulciſſimum è cœlo præbuit Chriſto.*

Pulchriora ſunt ubera tua vino : Pulchriora , Ideſt dulciora : hoc dicitur meritò de Beata Virgine : quæ lac Virgineum , & candidum præbuit Chriſto , ipſoque pro nobis nutrivit. *Serm.1. de una Virgine,& Luc.c.11.*

185. *Iuſti habent mel , & lac ſub lingua: impii fel , & venenum.*

Favus diſtillans labia tua ſponſa : mel,& lac ſub lingua tua. Vide diſcrimen inter ſponſam animam Chriſti,& ſponſam diaboli : inter juſtos, & impios : nam anima ſponſa Chriſti habet mel, & lac ſub lingua , ſcilicet verba ſancta , & ædificatoria;impii verò qui dicunt bonum malū,qui verba procacia inverecunda proferunt habent ſub lingua fel, & venenum , nec id eſt mirum, nam bonorum os à Spiritu ſancto aperitur ad orandum,ad docendum , & ad confitendum ; os impii aperitur à diabolo ad turpiloquia, ſcurrilia, & inutilia verba. *Ser.1. Dom.11. poſt Pentec. & opuſc.ſpec.B.Virg.lect.2.*

186. *Mel , & lac ſub lingua Maria Virginis : ubi de locutionibus ipſius.*

Favus diſtillans labia tua , &c. mel & lac , &c. Hæc à ſponſo diriguntur B.Mariæ Virgini , quibus dat intelligere quomodò labia ejus ſæpius diſtillaverunt melliflua verba: Vide quales ſtillas diſtillavit Maria ex ore ſuo , ſcilicet duo verba ad Angelum , duo ad hominem, tria ad Deum; quæ fuerunt verba humilitatis , & caſtitatis, charitatis , & veritatis : ſolum enim invenitur in Evangelio Maria locuta ſeptem dulciſſima verba : ut hinc videas , quod labia ejus diſtillaverunt favum dulciſſimum multiplicem. *Op. ſpec.B.Virg.lect.6.*

187. *Quale mel, & lac, ſub lingua Maria Virginis.*

Mel & lac ſub lingua ejus. Quodnam mel , & lac , & quando ſub lingua Mariæ ? ſed attende myſterium , nonne Maria lac ſub lingua habuit quando lacteum illud verbum continentiæ Angelo reſpōdit,quomodò fiet iſtud quoniam virum non cognoſco ? Nonne mel ſub lingua quandò mellifluum illud dulcedinis verbum reſpondit; Ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundùm verbum tuum ? quia de mellifluentia hujus melliflui verbi per totum mundum melliflui facti ſunt cæli;Maria inſuper mel ſub lingua habuit in mellifluis orationibus ad Deum ; lac verò in lacteis collocutionibus ad proximum : Eia ergo quanti decoris , & quanti dulcoris eſt illa ſponſa ſummi conſolatoris.*Op ſpec.B.Virg lect.10 c.2.*

188.*Idem de M.Virg.vocibus: mel.& lac ſub lingua tua , &c.* O quam vera ſunt iſta , quæ ſponſus dicit de lingua , labiis , & verbis Mariæ Virg. quanta enim gratia , & dulcedo in orationibus devotiſſimis , quanta in collocutionibus utiliſſimis in verbis , & in labiis Mariæ : ô quanta ad homines , quanta ad Angelos , quanta ad Deum gratia , & dulcedo ſemper fuit in ſuis verbis; cui enim placuit ex ſilentio , magis placuit ex verbo,cum ipſe Deus clamet è cœlo ô pulchra

inter

inter mulieres fac me audire vocem tuam. *Opuſc. ſpec.B.Virg.lect.14.*

189. *Exempla ſancta Eccleſiæ, & ſanctorum, quam odorifera, & utilia.*

Et odor veſtimentorum ſicut odor thuris. Nota per veſtimenta Eccleſiæ intelligi bona exempla ipſius, & ſanctorum, quorum odore bono trahimur ad imitationem virtutum, & bonorum operum, talis enim eſt efficacia boni exempli. *In Luc.c.19.v.37.*

190. *Bonum exemplum in tribulatione quàm ſanctum, & efficax in juſtis.*

Et odor veſtimentorum tuorum ſicut odor thuris. Cur ſicut odor thuris? quia thus ſicut & alia aromata fragrantiam ſuam non niſi cum accenduntur expandunt, ſic ſancti viri, qui virtutibus in ſe redolent in tribulationibus, tunc enim cognoſcitur aurum, & argentum ſi ponatur in igne: felix ergo qui odorem ſuum patientiæ, & exemplaritatis immittit in tribulatione. *Ser. 3. Dom.19.poſt Pentec.*

191. *Odor exemplorum Mariæ expenditur.*

Et odor veſtimentorum tuorum ſicut odor thuris. Hæc de Maria verificantur; nam odor vitæ, virtutum, exemplorumque Mariæ tam immenſus, tam efficax fuit, quod per totum mundum diffuſus eſt: nam multis repleta erat virtutum odoribus manans ex ea fragrabat ſuaviſſimus odor ſpiritibus Angelicis, & hominibus; odor enim Mariæ fuit ſicut cinamomum exterius in cortice cõverſationis, ſicut balſamum interius in unctione devotionis, ſicut myrrha in amaricatione caſtigationis. *Opuſc.ſpec.B.Virg.lect.7.& 12.*

192. *Anima caſta eſt hortus concluſus, & fons ſignatus: ubi de religioſorum voto.*

Hortus concluſus ſoror mea ſponſa, hortus concluſus: fons ſignatus. Cur horto concluſo comparatur ſponſa, & non potius aperto, ut ad ſe venientes colligere poſſint flores, & fructus ſpirituales? ſed attende quod hic exprimitur qualitas virtutis caſtitatis, & animæ caſtæ, quæ dicitur hortus, & concluſus: hortus propter delicias ſpirituales, quas ſecum fert iſta ſublimiſſima, & angelica virtus, & propter guſtum Dei, & Angelorum de tali dono: dicitur, & concluſus propter ſtudioſitatem quam debet habere anima ipſam cuſtodiendi intactam: undè ſicut in horto benè clauſo non poteſt quis intrare niſi de alto, & à parte ſuperiori, ſic in homine caſto ſe diligenter cuſtodiente non intrat motus pravus voluntarius, nec ullum deſiderium niſi cæleſte tantùm; ſed nota ô homo quod ſi hortus beſtiis plenus eſſet clauſura parum proficeret, imò plus noceret, quam prodeſſet: ita quandò beſtiales motus libidinis ſtrepunt in mente parum, aut nihil valet clauſura caſtitatis in carne; & ideò dicitur hortus concluſus propter caſtitatem, & fons ſignatus propter puritatem mentis, ſignatus enim dicitur, & ſigillatus, quia ibi extranei non introducuntur. *Diat. tit.4. c.4.* Hic attendant religioſi obſtricti voto caſtitatis: parum enim eſt vivere in horto religionis clauſo hominibus ſi in mente admittant extraneos, ſcilicet motus pravos, &c.

193. *Eccleſia Catholica eſt hortus amæniſſimus, ſicut & religio.*

Hortus concluſus ſoror mea ſponſa &c. fons ſignatus. Nota quod hæc ſponſa Chriſti eſt Eccleſia & etiam religio: in qua ſunt roſæ martyrum, lilia Virginum, & violæ Confeſſorum, ſed tamen debet eſſe concluſus, & fons ſignatus per obſervantiam trium votorum. Caveant ergo Prælati nè diſſipetur hortus, & ne ingrediantur beſtiæ ad ipſum deſolandum. *in Thren.c.2.In Ecclen.c.2.* In hoc horto debent creſcere ſemina virtutum, & primò ſeminandum eſt ſemen fidei, deindè aliarum virtutum. *in Luc. c. 13. v. 19.& c.23.v.43.In Ioan.collat.79.*

194. *Sacra Scriptura rectè intellecta reddit animam hortum deliciarum.*

Hortus concluſus &c. Nota hæc eſt Eccleſia, vel anima, quæ ratione fructuum intelligentiarum, & myſteriorum redditur hortus deliciarum, quia in ipſa ſunt ſacramentalia myſteria, & ſpirituales intelligentiæ, ubi ſcaturit fons ſpiritualium emiſſionum, ſcilicet fructuum talium intelligentiarum, qui hortus concluſus eſt immundis, ſed apertus Deum diligentibus: *Ser.17.Hexam.* Anima verò fit hortus voluptatis ſi intra ſe includat talium intelligentiarum myſteria, & præcipuè donum charitatis, quibus exuberat, per quod elongat à ſe omne immundum. *ar.23.Hexam. in Luc.c.23.v.43.*

195. *Anima claudens oſtia ad creata, aperiat ad cæleſtia, ſic erit hortus ſponſi.*

Hortus concluſus &c. Cur concluſus? cur non apertus, & expoſitus cunctis? Nota hæc eſt anima, quæ ad hoc ut à ſponſo viſitetur, & inhabitetur debet eſſe hortus concluſus, & fons ſignatus, ſcilicet debet quantumcumquè poteſt à ſe removere affectum ad inferiora, & aſpicere ad cæleſtia tantùm, ne adverſarius vel particulam amoris obtineat, niſi ſolus ille, qui ratione ſuæ floridæ honeſtatis nihil aufert penitus, ſed potiùs reficit, conſolationem jucundæ ſocietatis tribuens. *Op.myſt.Theol.c.2.p.2.ad 4.petit.*

196. *Timor Dei hortum concluſum facit animam.*

Hortus concluſus ſoror mea ſponſa Cur concluſus? & à quo? Nota quod anima ad hoc ut ſit concluſus hortus debet habere portas, quæ claudantur. Clauduntur autem timore Domini, & ab ipſo convertitur anima in hortum concluſum; hortus eſt talis anima ratione amœnitatis, dulcedinis, & delectationis, ubertatis, & ſecuritatis, quia timor Domini affert ſecum omnes virtutes, & reddit animam habitationem Spiritus ſancti. *Diat.tit.6.c.1.& in Luc.c.23.v.43.*

197. *Maria virgo hortus voluptatis : ejus emiſſiones Paradiſus : fons item exuberans omnibus gratiis.*

Hortus concluſus ſoror mea ſponſa, emiſſiones tuæ Paradiſus &c. Nota quod iſta propriiſſimè dicuntur de B. Virgine Maria, io quibus ootandum eſt quod primò appellatur hortus concluſus: ſecundò fons ſignatus: tertiò quod ejus emiſſiones ſunt Paradiſus malorum punicorum cum pomorum fruc bos cipri, cum nardo &c. & optimè adaptantur privilegiis B. Virginis: fuit enim hortus concluſus, quia fuit virgo ante partum, in partu, & poſt partum: fuit & paradiſus deliciarum, io quo concluſus eſt rex regum Chriſtus Jeſus; & indutus veſtibus noſtræ mortalitatis: ejus cor hortus item concluſus, quia non fuit ſentina Diaboli nec ſepulchrum vitiis plenum ſed mundiſſimum, & Paradiſus Spiritus ſancti, in quo conſita ſunt univerſa florum genera, & odoramenta virtutum; fuit & fons ſignatos ſigillo Spiritus ſancti, emittens à ſe flumina gratiarum, quibus corda arida infuoduntur, & imbuuntur, cujus arbores emittunt fructus virtutum, quibus affectiones illorum, qui eſuriunt juſtitiam fructuoſis operibus nutriuntur, & ideò qui aridos, vel mortuos in peccatis ſe ſentiunt ad Mariam debent feſtinare, quia in ipſa ut in Paradiſo omnia prædicta poterunt invenire. *Op. Eccleſiaſt. Hier. p. 4. c. 7. ad finem & op. ſpec. B. Virg. lect. 2.*

198. *Idem de Maria Virg. quæ fuit hortus amœniſſimus, & floridus.*

Hortus concluſus ſoror mea ſponſa &c. Nota quod hoc verè dicimr de Maria, in cujus utero veluti in Paradiſo cooclusus eſt filius Dei; ex quo horto flos multiplex prodiit: flos virginitatis, ſcilicet lilium angelicum, & cæleſte, ad quod apis ſupercæleſtis verbum Dei advolavit, & ad ſuaveolentem perpetuæ virginitatis florem pervenit; illiquè inſedit, illi inhæſit: hic flos tot habet folia, quot virginitas conditiones, & præcooia: tot habet folia, qoot puellæ per veſtigia Virginis matris ad cæleſtem thalamum pervenerunt: flos item honeſtatis, morum & vitæ: hortus quidem fuit floridus, qui in floridæ vitæ honeſtate florebat omnium virtutum venuſtate: flos item miraculoſæ fœcunditatis, quia ex hoc horto exiit flos Angelis delectabilis, & hominibus ad vitam perutilis in quo Spiritus ſanctus requievit, itaut ſine ipſo nullus gratiam Spiritus ſancti habere poſſit: flos item glorioſæ immortalitatis, ſcilicet corporis glorificati, & ſpiritus beatificati: ô beata Virgo quæ es verè hortus deliciarum, quam verè uterus tuus hortus, & Paradiſus delicioſiſſimus, quia ex eo multiplicis gaudii flores; colligimus, quoties recolimus quam magna multitudo dulcedinis divinæ immenſo orbi indè profluxerunt: fac ergo ô Maria ſi Dominus eſt tecum ſicut flos in horto, ut Dominus ſit mecum. *Op ſpec. B. Virg. lect. 12. & lect. 7.*

199. *Maria Virgo fons, & fontana exuberans omni gratia.*

Fons ſignatus &c. Scilicet ſigillo Spiritus ſancti repletus: ſic Maria Virgo fuit fontana ſemper effluens, ſemper larga, nam in temporalibus fuit pluſquam larga, quia largè, & perfectè omnia contempſit; pluſquam larga, quia Spiritu ſancto plena, quia fuit fontana vitæ, & ſalutis noſtræ, per quam fons vitæ Jeſus Chriſtus ad nos venit, & per quam nos ad eundem fontem vitæ venimus, & per quam fontes gratiarum effluunt ad omnes. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 13.* Dicamus ergò Mariæ: Gaude Virgo Mater, gaude, rigans Mundum novo rore, novæ prolis novitate, nova facis novo more, cuncta mira claritate, ex divina bonitate, fons aſcendens in honore, rigans terram charitate Dei creſcens in amore. *Op. Laus B. Virg. ſig. 1.*

200. *Emiſſiones Eccleſiæ catholicæ ſunt veluti Paradiſus tendentibus ad perfectionem.*

Emiſſiones tuæ Paradiſus malorum punicorum. &c. Nota quod iſta verba dicuntur à Spiritu ſancto de Eccleſia Catholica, in qua gignuntur fructus ſuaves pro incipientibus, ſuaviores pro proficientibus, & ſuaviſſimi pro perfectis, & contemplativis: & ideò vita contemplativa Paradiſus Domini rectè appellatur, quia ibi gignuntur fructus ſapientiæ cœleſtis ſpecioſiſſimi ad videndum; fragrantiſſimi ad odorandum; & ſapidiſſimi ad deguſtandum, pretioſiſſimi ad poſſidendum, & ſempiterni ad perdurandum: *in Luc. c. 13. v. 10.* Nota autem quod addit cum pomorum fructibus. Cipri cum nardo, nardus, & crocus, fiſtula, & cinamomum cum univerſis lignis Libani: myrrha, & aloë cum omnibus primis unguentis: per quæ ligna aromatica denotatur multiplex genus exercitiorum, quæ fiunt in vita contemplativa, tum pœnitentiæ, tum continentiæ, tum orationis, tum exemplorum, & præcipuè meditationis Dominicæ paſſionis ſignificatæ in croco, qui habet rubeum colorem, & lætificat, & confirmat cor. *In thren. c. 4. & Dict. tit. 7. cap. 5. & in Ioan. collat. 86.*

201. Sacra ſcriptura eſt fons irrigans hortos animarum; & puteus aquarum viventium, quæ fluunt cum impetu propter vigorem ſubliſſimatum elevationum, ad quas erigit mentem noſtram eam portans ad exercitium. *Op Princip. &c. & op. Comp. Theol. lib. 5. c. 6.*

202. *In tentatione Spiritus ſancti gratia liberat animam à periculis.*

Surge Aquilo, & veni Auſter, & perfla hortum meum, & fluant aromata illius: Ad quid excitat ſponſa Aquilonis ventum, & poſteà petit Auſtralem ad perflandum hortum ſuum, &c. Nota quod per Aquilonem ſignificatur tentatio diaboli: Anima verò fidelis confidens in auxilio gratiæ Spiritus ſancti petit ut ab ipſo perfletur: tunc enim dicit: ſurge Aquilo, ſcilicet veniant, & inſurgant quicumquè venti tentationum, quia tunc adjuta à Spiritu ſancto timebit, ſed in Dei laudibus non ceſſabit ſe exercere. *Ser. 4. in Epiph. & ſer. 2. Dom 6. poſt Pent. & ſer. 5. Dom. 19. Pent. & in Eccl. c. 11. & opuſc. expoſ. Miſſæ c. 1.* Et hinc

legitur Evangelium in miſſa in parte Aquilonaſi, quia contrà diabolum venit Evangelium, nobis nuncians quod venit filius Dei debellare omnes aëreas poteſtates. *Op. expoſ. miſſa cap. 2.*

203. *Animæ à Deo inhabitatæ fœlicitates quales.*

Veni Auſter perſla hortum meum, & fluant aromata illius: Nota quod iſta verba confidenter præferuntur ab anima juſta, quæ petit adventum Chriſti, & Spiritus ſancti, & fructus talis manſionis. Auſter eſt ventus calidus, & purus per quem intelligitur Verbum quantum ad puritatem vitæ, & Spiritus ſanctus quantùm ad calorem charitatis: ac ergò veni Auſter perſla hortum meum, ideſt mentem meam, veni inquam ut producat tua puritate, & calore vinum germinans Virgines, & aromata illius, & participationes luminum odoriferorum. Veni ô bone Jeſu, ô conſolator ſpiritus ut fluant talia aromata de ſumma mentis hierarchia in mediam, & de media in infimam, ut tota ſit in te converſa, & fortiter, & inceſſanter extendatur furſum ad Deum. *Op. de 7. itin. æternit. itin. 7. diſt. 7.*

204. *Conſolatio Spiritus ſancti deſcendit in animam ordinatè poſt pœnitentiam peractam.*

Surge Aquila: Veni Auſter, & perſla hortum meum, ut fluant aromata illius: Nota ordinem: priùs proponitur Aquilo, & ſignificat pœnitentiam; ſecundò Auſter, qui immittit pluviam lachrymarum, & devotionis, & hinc perflatur conſolationibus cœleſtibus, & inflammatur aromatibus dilectionis divinæ, per Adventum Spiritus ſancti. *In Luc. c. 2. v. 56. & cap. 23. ad finem.*

CAP. V.

205. *Cor juſti eſt hortus, in quem libenter intrat Chriſtus: cor impii locus diaboli.*

VENIAT *dilectus meus in hortum ſuum, & comedat fructum pomorum ſuorum. Veni in hortũ meum ſoror mea, &c.* Nota hunc ordinem, primò invitatur Chriſtus in hortum, ſcilicet ad ingrediendum in ſuum cor: ſecundò teſtatur ipſe Chriſtus ſe advenisse, &c. quid eſt hoc? niſi quia dat nobis intelligere quod anima pura exiens in actus deſiderii ut veniat Deus in ſuum cor veluti in hortum ſuum ad habitandum, & comedendum fructus hujus horti, proteſtatur quod ſtatim in ipſum intrat; quia cor fidele, & devotum, in quo ſunt herbæ, & flores, & fructus devotorum deſideriorum, virtutum, & meritorum, eſt hortus à Deo inhabitatus: & è contra cor quod eſt ſentina ſordida non habitatur à Chriſto, ſed à diabolo. *Ser. 4. Dom. 3. Advent. in Sap. c. 8. in Luc. c. 13. v. 50.*

206. *Chriſti Paſſio incæpit à principio ſuæ nativitatis.*

Veniat dilectus, &c. veni in hortum meum, meſſui myrrham meam cum aromatibus meis. Nota quod ſecundùm plures Sacros expoſitores primæ voces ſunt Mariæ orantis & petentis adventum Verbi in uterum ſuum; ſecundò voces ſunt Chriſti jam exiſtentis in uteri horto Mariæ: ſed quid eſt quod dicit Maria veniat ut comedat fructus pomorum ſuorum, & quod reſpondit Chriſtus: meſſui myrrham cum aromatibus meis? ſed nota quod ſubjungit: bibi vinum cum lacte meo: cur miſcuit vinum cum lacte meo? non enim talis mixtura poteſt eſſe bona, & grata, imò eſt ingrata potio: Unde alii legunt; bibi fel cum lacte meo: ergo alludit per myrrham ad ſuam paſſionem, datque intelligere quod in puncto, quo incipit bibere lac, etiam incipit ſuam paſſionem; & hi ſunt fructus horti Naturæ humanæ, nempe paſſiones, & tormenta, quos ipſe Chriſtus comedit toto tempore vitæ ſuæ. Conſidera ergo ô anima, & attende diligenter, quia mors, & paſſio Chriſti fuit diutina; à prima enim die nativitatis ſuæ uſque ad diem ultimum mortis ſuæ ſemper fuit in paſſionibus, & doloribus. *Op. de perf. vita c. 6.*

207. *Maria Virgo, & Chriſtus in Eccleſia præparavit favum cum melle ſuo.*

Comedi favum cum melle meo: bibi vinum cum lacte meo. Nota quod hæc dicit Chriſtus, ſed tamen in perſona fidelis qui ad Euchariſtiam accedit; quam ſuis præparavit, ut ibi comederent, & biberent: & ideò appellat Euchariſtiam favum cum melle ſuo, quia in ea continetur dulcedo Divinitatis cum corpore, & lacte, ſeu vino, ideſt ſanguine humanitatis, quæ præparavit Chriſtus nobis, ut in itinere hujus vitæ mortalis reficeremur, & virtus ſpiritualis noſtra augeretur, ut tandem perveniamus ad convivium æternorum collium. *Op. de 7. itin. æter. itin. 6. d. 7.*

208. *Juſti bibent vinum cum lacte: impii vinum cum felle.*

Bibi vinum cum lacte meo. Quid eſt vinum cum lacte? ergonè ſit potio mixta vino, & lacte? Nota quod hæc eſt potius præparata à Chriſto ſuis ſervis, & amicis, quæ conſtat vino compunctionis cum lacte devotionis, charitatis, & dulcedinis ſpiritualis: ſic enim magis proficiunt de virtute in virtutem: Impiis autem præparata eſt potio vini, ſcilicet voluptatis carnalis cum felle amaritudinis, quam non ſolùm bibent in hac vita, ſed & in inferno æternaliter ſine ulla conſolatione. *Ser. 2. Dom. 1. poſt Epiph. & in Ioan. collat. 13.* Nota autem quod in vino eſt dulcedo, in lacte munditia, quia bona voluntas habet iſta duo ſcilicet dulcedinem veritatis, pietatis, & gratiæ, & munditiam conſcientiæ. *Op. Diæt. tit. 8. c. 1.*

209. ***Amici quinam Deo chari, quinam chariores, quinam chariſſimi: & qualis comeſtio eis preparata.***

Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi. Nutanda ſunt diligenter iſta verba ſponſi, & ordo ipſorum, nam primò dicit ad amicos comedite, & deinde ad chariſſimos comedite, & bibite, & inebriamini: cur hoc diſcrimen? ſed attende quod inter ſervientes toto corde Deo alii ſunt amici ipſi chari: alii chariores, alii chariſſimi: primis exhibetur comeſtio, comedite: ſecundis cum comeſtione potus: tertiis inebriatio; per quem ordinem dat intelligere, quod incipientes viam Dei ipſi ſerviendo ſunt amici, quia aliquem gradum charitatis habent & quia tranſierunt de ſtatu culpæ ad ſtatum gratiæ, iſtis offert Deus panem comedendum, quod non ſine aliquo labore maſticationis poteſt fieri, hinc iſtis offert fructum dulcem, qui ex meditatione, & frequentia communionis reportatur. Charioribus verò ſcilicet proficientibus offertur cum manducatione etiam potus, quia introducuntur in cellam vinariam charitatis, & dulciùs prægustant illuminationes, & uniones, quibus à Deo ditantur; ſed chariſſimis poſteà exhibetur inebriatio, quia eorum mens ſuperfertur omnibus creatis, & oblita omnium rerum, etiam ſui ipſius solùm in Deum invenit quietem, & cum Deo ſemper vivit unita, & ideò veluti ebria anima ſemper de dilecto cogitat, ad dilectum aſpirat, pro dilecto operatur, & in dilecto ſponſo quieſcit. *Op. de dono ſapientiæ c.5.6. & 7. & ſer.23. Hexam. opuſc. Compend. Theol.lib.5.c.23.Luc.c.15.v.33.Io.collat.89.*

210. ***Juſtis in hac vita tanquam amicis offertur Panis maſticandus cum labore: in alia vita tanquam chariſſimis vinum puriſſimum, & dulciſſimum.***

Comedite amici panem, & bibite, & inebriamini chariſſimi. Cur primò vocat Chriſtus ſuos amicos, poſteà chariſſimos; Nota quòd hoc diſcrimen oritur ea differenti ſtatu ſervorum Dei in hac, & alia vita; nam in hac vita ipſos vocat amicos: in alia chariſſimos: in hac vita eis offert panem manducandum, in alia vinum ad inebriandum: in hac vita Chriſtus ſuis offert panem gratiæ ſuæ, panem myſteriorum fidei, panem Euchariſticum, panem multiplicium donorum, ſed tamen ad iſtum panem manducandum, & degluttiendum requiritur maſticatio, ſed in ſudore vultus, ſcilicet cum labore, quia dona nec recipiuntur, nec conſervantur, nec foventur, nec augentur ſine labore: at in altera vita offert vinum potandum ſine labore, ſcilicet immortalitatem, beatitudinem, viſionem, fruitionem omnium bonorum, & ſine ſudore & labore: ô utinam & nos ad hanc menſam tandem introducere dignetur Jeſus Chriſtus filius Mariæ. *Op. de dono ſap.c.5.in Luc.c.12.v.38.Joan.collat.38.*

211. ***Invitatur continuè anima fidelis ad communionem corporis, & ſanguinis Chriſti.***

Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi. Quid comedere debent tui amici ô dulcis Jeſu? & ad quam menſam? *comedite* ait, *Hoc eſt corpus meum:* comedite panem Angelorum, & bibite ſanguinem meum, & inebriamini divinitate mea, quia talis receptio ebrietatem ſpiritus, & dulcedinem Paradiſi vobis ingeret. *Op. de 7.itin.ater.itin.2.d.3.in Lucam c.22. v.20.* Accedamus igitur ut comedamus, & bibamus ad hoc ſacrum convivium, in quo Chriſtus eſt cibus, conviva & diſpenſator, quia ipſe delectatur nobiſcum, & nos cum ipſo. *In Lucam c.15. v.23.*

212. ***Chriſtus licèt videatur dormire, tamen verè vigilat ad ſublevationem ſuorum.***

Ego dormio, & cor meum vigilat. Quid eſt hæc dormitio ſponſi? quomodò dormit, & vigilat? Nota quòd Chriſtus aliquando videtur dormire, quando videtur tardè ferre auxilium ſuum in tribulationibus, & tempeſtatibus, ſed tamen cum id permittat ad majus meritum noſtrum, dicit quod cor vigilat, quia tempore opportuno defenſionem ſuorum electorum, & ultionem inimicorum demonſtrat. *Op. ſumma de Eſſentia.*

213. ***Animæ Contemplativæ dormitio quàm felix.***

Ego dormio, & cor meum vigilat. Nota quòd hæc ſunt verba ſponſi dicta in perſona ſponſæ dilectæ contemplantis: nam ipſius ſomnus contemplationis eſt ſicut illorum, qui incipiunt dormitare, & videntur tamen ſibi ea, quæ circa ſe fiunt aliquo modo ſentire, & intelligere, ſed præ ſopore non advertunt, niſi velint ſibi vim facere, ut ad ſe plenius revertantur: ſic amor Dei cum pura intelligentia conditus inebriat mentem, & ab exterioribus abſtractam ſua virtute Deo conglutinat, & conjungit: ſicquè inter brachia ſponſi incipit aliquo modo conſopiri, & abſtrahi ab omni ſenſibili ſenſu, & memoria, ſic tamen temperatè ut nec plenè ſibimet oblita, nec tamen verè compos ſit ſui: & ideò verè poteſt dicere: Ego dormio quoad uſum ſenſuum exteriorum: & cor meum vigilat in Deo, & cum Deo conjunctum, & conglutinatum: ô felix, & dulcis ſomnus: utinam, & mihi aliquandò obveniat: ſed tamen ſolùm mente abſtractis ab omni cura, & amore terrenorum à Deo donatur: *Op. de prof. religioſ. lib.2.c.72.* De hoc ſomno vigilante: vide *opuſc. de dono ſcientiæ.c.3.de dono intell.c.6.ſer.3. Dom.18.poſt Pent. ſer.4.de Angelis in Luc. c. 9.v. 32.& c.10. v.17.& cap.21.v.36. Ioan.c.18.v.13.* Dicitur etiam anima pura dormire ab implicationibus mundanis, & corde vigilare in meditationibus cæleſtibus: *Thren.c.2.*

214. *Amor Chriſti ejus deſideria poſſidendi, & ejus donis replendi animam noſtram expenduntur.*

Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea. Quid eſt quod dicit ſponſus Chriſtus animæ juſtæ? ſi jam eſt ſua amica, & jam ipſe eam poſſidet, quomodò dicit aperi mihi, quaſi jam ſit extraneus, & abſens ab ea? ſed attende ad amorem intenſiſſimum, qui in his verbis Chriſti exprimitur: primò enim animam appellat ſuam ſororem, quia non dedignatur acceptare juſtos in fratres, & ſorores: ſecundò quia licèt jam ſis poſſeſſor per gratiam Animæ juſtæ, tamen non ceſſat emittere radiationes ſcintillantes incitantes affectum animæ juſtæ ad ardentiora deſideria, & inquieta ſuſpiria ardentiùs provocantia ad ipſum feliciùs, & ſublimiùs poſſidendum, quaſi adhuc ab ipſa diſtaret veluti peregrinante in via hujus vitæ miſerabilis: Undè appellat animam fidelem amicam ſuam, ſcilicet propter operationis ſuæ imitationem puram: columbam propter operum ſuorum fœcundam parturitionem: immaculatam ob puritatis ſuæ intentionem: quaſi dicat ſi quietem deſideras, ſi tranquillitates affectas, ſi ſecuritatem amas aſſume pennas ſicut columba, & volans nidifica in vulneribus Jeſu Chriſti tui ſponſi: ſicquè in te ſimul intrabo, & tecum cœnabo. *Op. Incendium amoris c.1.op.de 7.itin. æternitat.itin.7.d.7.& op.Myſtic.Theol.c.2.p.2.in principio, & ad 4.petit.*

215. *Idem magis confirmatur.*

Aperi mihi ſoror mea, amica mea, &c. quia caput meum plenum eſt rore, &c. Sed quæ ratio eſt iſta excitans animam ad exhibendum ſe totaliter dilecto ſponſo? quia ait, caput meum plenum eſt rore: quo rore plenum eſt? Nota quòd dicit, caput meum plenum eſt rore, quia ſicut à capite deſcendit ſenſus, & motus ad inferiora membra, quæ vitam veraciter atteſtantur; ſic invitat, & excitat animam dilectam, ut aperiat oſtium ſuum ſponſo deſideriis, & affectibus ut ipſius mens profundis beneficiis, donis, & fulgoribus repleatur plenariè: ut ſciat quod per ipſum non ſteterit, quin ab ipſo altiſſimo qui caput eſt Eccleſiæ, vita amoris, & ſenſus lætitiæ unitivis mentibus illabantur. *Op. myſtic.Theol.c.2. p. 2. ad 4. petit.*

216. *Idem confirmatur in Perſona Doctorum, & Prædicatorum imitatorum Chriſti.*

Aperi mihi ſoror mea, &c. quia caput meum plenum eſt rore, cincinni mei guttis noctium: Nota quòd hæc dicuntur à Chriſto etiam in perſona Doctorum, & Prædicatorum, quorum munus eſt ad modum cœli alios rore cœleſtis gratiæ infundere, & humore devotionis ad compunctionis gratiam ipſos provocare, & invitare: contrà multos indevotos, & aridos, qui accedunt tales ad prædicationem, vel confeſſionem, carentes iſto rore: ſed qui devoti, & ſpiritu divino repleti hoc munus exercent auditores indevotos, & omnimodè aridos ſæpè reddunt complutos de cœlo conſolatione, & lachrymarum imbre in optimo fervore, & propoſito fructifero: & ideò Chriſtus per prædicatores devotos dicit aperi mihi ſoror mea anima ſanguine meo redempta, ut ros meæ gratiæ, & ſalutis per prædicationem devotè auditam ad te deſcendat. *Op.Eccleſ.Hierar.p.4.c.5.*

217. *Iuſtus ſervit Deo ſine labore: impius mundo in continuo labore.*

Aperi mihi ſoror mea, amica mea, &c. quia caput meum plenum eſt rore, &c. Vide hîc quid exigit Deus à ſuis. Vide intenſum amorem Chriſti in nos: vide quanta cum felicitate, & ſuavitate potes delicias roris cæleſtis recipere: ſufficit enim ut voluntariè aperiat os cordis actibus bonis, deſideriis ferventibus, quia Chriſtus paratus eſt ſemper emittere è cœlo influxus donorum, gratiarum, & cæleſtium conſolationum, abſquè eo quod amplius laboret: Et è contrà vide qualem infelicitatem impiorum qui tot laboribus, ærumnis, tribulationibus viam Mundi ſine ullo fructu ſectantur patum, vel nihil æſtimantes bona cæleſtia: *Op.myſt. Theolog. c.3.p.2.* quaſi dicat: aperi mihi ô anima cordis portas, eaſquè Mundo claude, mihi inquam, quia ex meis fontibus dulcedo cæleſtis roris tibi profluet.

218. *Ad Mariam per Archangelum Gabrielem diriguntur hæc verba: ubi de promptitudine, & conformitate ſuæ voluntatis cum Deo.*

Aperi mihi ſoror mea, amica, columba mea, quia caput meum plenum eſt rore: Nota quòd ſancti Doctores applicant hæc verba tanquam dicta à Verbo per Archangelum Gabrielem, qui ad Mariam miſſus eſt ad exhauriendum ſuum conſenſum in opus Incarnationis, dicens enim: Ecce concipies, &c. fuit idem, ac dicere: Aperi mihi cor tuum per conſenſum ad hoc tantum opus, quia caput meum plenum eſt rore, quia tempus venit, in quo ros redemptionis deſcendet ad ſalutem hominum: & hinc Maria intelligens myſterium reſpondit: Ecce ancilla Domini fiat mihi, &c. quod Verbum fuit non dubitationis, ſed deſiderii: fuit enim verbum deſideratorium, quia ex charitate, & oratorium quia ex humilitate, fuit & aſſertorium, quia ex credulitate pronuntiatum eſt; *in Luc.c.1. v.38. & S.Bernardus in miſſus Homil.4.*

219. *Caput Chriſti ex ſpinarum vulneribus totum madidum ſanguine hic exponitur.*

Quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium: Quandonam Chriſti caput plenum fuit rore, & ipſius capilli madidi guttis noctium? ſed aſpice Chriſtum in manibus iniquorum, quandò poſt flagellationem fuit ſpinis in capite acutiſſimis, & duriſſimis coronatum, & videbis caput ejus, ſcilicet animam ejus plenam rore divinæ gratiæ, ejuſquè capillos totos ſanguine coopertos: *op. medit. c. 76.* Ait ergò Chriſtus animæ: aperi mihi ſoror mea anima, ſi iſtas guttas noctium vis in te colligere, & fructum ſanguinis mei recipere: *ita etiam D.Ambroſ.*

220. Felix

220. *Felix qui poteſt dicere cum ſponſa: expoliavi me tunica, &c. ubi de abdicatione religioſorum.*

Expoliavi me tunica mea, quomodò induar illa? lavi pedes meos quomodò inquinabo illos: Nota quòd hæc ſunt verba religioſæ animæ, quæ per vota religionis in profeſſione omnia abdicavit: felix eſt iſta anima, quæ verè poteſt dicere expoliavi me tunica mea, ideſt omnibus meis facultatibus & voluntate propria per emiſſionem votorum: lavi pedes meos, ſcilicet per abdicationem omnium terrenorum deſideriorum, quæ ſi erit Dei amatrix, quæ ſi ad perfectam imitationem crucifixi inhiaverit ſi Dei charitatem acquiſierit, &c. poterit verè dicere quomodò induar illa? quomodò inquinabo pedes meos, rediens ad poſſeſſionem ſuperfluorum, & ad deſiderandum iſta terrena? *Op. apolog. paup. reſp. 3. c. 2. v. 3. op. de 7. itin. aternit. in prol. d. 7. & itin. 4. diſt. 7. in Ioan. c. 13. v. 5. & collat. 59.*

221. *Per foramen lateris Chriſtus nobis immittit gratiam ſuam.*

Dilectus meus miſit manum ſuam per foramen, &c. Nota hæc ſunt verba Eccleſiæ, & animæ fidelis, quæ cognoſcens viſitationem Chriſti tangentis ipſam manu gratiarum ſuarum, fatetur omnes gratias obvenire illi per foramen lateris Crucifixi. *Luc. c. 5. v. 16.*

222. *Chriſtus in morte ſuſcipiendus lætanter, & patienter.*

Surrexi ut aperirem dilecto meo, &c. Ecce reſponſum ſponſæ à Chriſto invitatæ: hocquè præcipuè debet dicere in morte quando advenit Chriſtus ut ipſam invitet, & ducat ad ſe, ſurrexi per tuam gratiam à peccatis, & per conformitatem tuæ voluntati, ſurrexi lætanter ut tibi cor aperirem, & te in me reciperem, & meritò; aperit enim qui judicium lætus, & ſecurus ſuſtinet, & de adventu propinquæ mortis gaudet. *Luc. c. 12. v. 36.*

223. *Miniſtri Eccleſiæ debent exhibere operum bonorum exempla.*

Manus meæ ſtillaverunt myrram, & digiti mei pleni myrrha probatiſſima. Quid eſt myrrha amara niſi opera pœnitentialia, datquè per hanc metaphoram intelligere ſacer textus quòd Eccleſia per ſuos Miniſtros, & Prælatos debet diſtillare ſuis ſubditis, & filiis myrrham ſcilicet exemplari vita prædicare opera pœnitentiæ, & quia duæ ſunt manus: per dexteram debet diſtillare unguentum operum miſericordiæ, & per ſiniſtram moleſtiarum perpeſſionem. *Op. Diat. tit. 7. c. 4. & Hugo Card.* & hæc eſt mirrha probatiſſima de qua loquitur, ſcilicet perfectio maxima Prælatorum.

224. *Viſitatio divina ſollicite amplectenda ob periculum ipſam perdendi.*

Peſſulum oſtii mei aperui dilecto meo, at ille declinaverat, & tranſierat. Cur ô ſponſe dulciſſime tam inſtanter petiiſti à ſponſa ut aperiat tibi oſtium, & ſtatim eum ipſa obtemperavit fugiſti? ô notent hoc ſervi Dei, & diſcant quam ſollicitè debent eſſe in acceptandis divinis viſitationibus, quia ſponſa aliquam minimam morulam interpoſuit in obtemperando vocibus divinis, dicens: expoliavi me tunica mea, quomodò induar illa? & quia neceſſaria eſt vigilia ſollicita in vita ſpirituali, maximèque contemplationis, quia tardanti, vel dormienti citiſſimè ſubtrahitur oblata gratia, hinc ſponſus ob hanc maculam declinaverat. *Luc. c. 9. v. 32.*

225. *Spirituales deliciæ, & carnales non poſſunt ſimul ſtare.*

Anima mea liquefacta eſt ut locutus eſt; quæſivi, & non inveni. Quomodò dicit ſponſa animam ſuam fuiſſe liquefactam ad allocutionem ſponſi, & tamen tanto dono non obſtante ipſum aufugiſſe, nec à ſponſa potuiſſe inveniri? Notent iterum hoc documentum ſervi Dei: ad viſitationem ſponſi anima ſentiit in ſe effectus allocutionis divinæ, ſed quia hæc viſitatio invenit aliquod oppoſitum, & contrarium in anima nempè torporem, & negligentiam aliquam, ſeu affectiunculam terrenorum, ideò ſtatim ab ipſa talis viſitatio aufugit, & declinavit, nec tam facilè à ſponſa potuit recuperari: & hæc eſt cauſa potiſſima, quare tam pauci experiuntur allocutiones divinas, quia duo contraria non poſſunt eſſe ſimul: & divina conſolatio valdè delicata eſt, nec datur admittentibus alienam, nec habitant lupus cum agno, gallina cum vulpe, columba cum accipitre, &c. *Ser. 1. de Evangeliſtis.*

226. *Allocutionis divinæ ad cor contemplativæ animæ effectus expenduntur.*

Anima mea liquefacta eſt ut locutus eſt. Notanda duo mirabilia in his paucis verbis: nempè locutio Dei ad animam, & liquefactio ipſius: hæc enim ex illa conſequitur, ſed quid eſt hæc allocutio? quid liquefactio animæ? ſed attende: Deus multipliciter alloquitur ad animam: ſcilicet modò arguendo, modò comminando, modò docendo, modò ſuadendò, modò promittendo, & tandem dulciter conſolando, ut hic loquitur ſponſa dicens: anima mea liquefacta eſt, &c. liquefit autem anima ad vocem dilecti, dum devotione molleſcit, ut dilectus in ea ſuaviter cubet, & nihil dari in ea invenit, quod ejus vocibus reſiſtat: liquefit dum in devotione caleſcit delectabilem reddens contactum dilecti: liquefit dum amore perefluit ſeipſam totaliter ſubdens dominio amoris dilecti, hocquè ſuper omnes poterat dicere Maria Magdalena, dum ad pedes Chriſti audiebat verbum ejus intenta dulcedini verbi Domini, quia ejus mens mentaliter reficiebatur. *Op. de dono conſilii c. 5. Comp. Theol. lib. 5. c. 25. Pſal. 41. & ſer. 1. de S. M. Mag.*

227. *In meditatione Deus animam alloquitur, & ipſa liquefit, ſicut cera à facie ignis.*

Anima mea liquefacta eſt ut locutus eſt; Et quandonam locutus eſt dilectus tuus ô ſponſa? ſed reſpondet: in meditatione mea exardeſcit ignis, quia in meditatione myſteriorum Dei ipſe me alloquitur, & tunc liqueſcit ſicut cera

Digitized by Google

à facie ignis, & tunc reſolvitur in aquam devotionis ad inſpirationem, & immiſſionem alicujus radii ſpiritualis, velut glacies, quæ reſolvitur ad ardorem ignis materialis, quandò eſt in ferventiſſimo deſiderio, & amore ſolis ſpiritualis, ut totaliter ſe recolligat ad interiora, nec ſit diſperſa ad exteriora, nè interponatur aliqua nubes aquoſa carnalis frigiditatis, ſed immediatè recipiat immiſſionem divinorum radiorum torum cor inflammantium. *Ser. 4. Dom. 17. poſt Pent.*

228. *Amor intenſus transformat animam in Chriſtum.*

Anima mea liquefacta eſt ut locutus eſt. Quomodò anima liquefacta? ergo liquefacta poteſt competere puro ſpiritui? Imò Spiritui propriè convenit: & hoc facit vis amoris perfecti in Deum; ſicut enim ignis agens in rem ſibi proximam expellit quod ſibi eſt contrarium, & in eam ſuum calorem immittit, & eam inflammando diſſolvit, & dum uſque ad rei intima ſe immergit, omnem ſcoriam in ea conſumit: ſic amoris divini ignis dum intrat in animam quancumquè adamantinam, ipſam liqueſcens extrà ſe trahit expellens omne contrarium, & in Deum totam ſe diffundens proprium locum relinquit, & in Deum currit, & abſorbetur à Deo: ô mira, & ineffabilis virtus amoris: qui Deum inclinat in terram, mentem elevat ad patriam, & Deum, & hominem ſimul conglutinat ad gloriam: Deum facit hominem, & hominem Deum, temporalem facit æternum, inimicum amicum facit, ſervum facit filium, abominabile glorioſum, frigida facit ignea, obſcura facit clara, dura facit liquida. *Op. ſtim. p. 2. c. 8. In Luc. c. 24. v. 31. & ſer. 1. de B. Virg.*

229 *Amoris divini effectus in B. Virgine Maria expenduntur.*

Anima mea liquefacta eſt ut locutus eſt. Nota quòd hæc ſunt verba Mariæ Virginis, quibus exprimit effectus allocutionum dilecti filii, & amoris in ſuo corde exardeſcentis: Anima mea liquefacta eſt ait Maria, ut dilectus locutus eſt: ſed quomodò, & qualis liquefactio fuit iſta: fuit hæc liquefactio ex vi amoris facta, & ideò proportionata magnitudini amoris: quia enim nulla creatura exardeſcit in Chriſtum ſicut ipſa in filium ſuum dilectum, ideò ipſe ſuam Matrem tam ardenter incendit, quod alios tangendo ſe amantes incendere, & accendere potuit, & poteſt, ſicut feliciter tot ſui ſervi experti ſunt: ô qualis amor, qualis ardor, qualis ignis ardebat in corde Mariæ, qualia incendia in ſe experta eſt ad repetitionem vocum, & verborum filii ſui: Et quia in corde ejus amor Dei ſingulariter ardebat, ideò in carne ejus Spiritus ſanctus mirabilia faciebat. *Ser. 1. de B. Virg. op. ſpec. B. Virg. lect. 4.*

230. *Dolor B. Virginis in amiſſione filii expenditur.*

Quæſivi, & non inveni illum, vocavi & non reſpondit mihi. Et quando tibi ô Virgo Maria accidit hoc infortunium? quandonam ipſa quæſivit & non invenit dilectum filium? ſed attende quòd hoc accidit in triduo quando ipſa, & Joſeph ſponſus amiſerunt filium: quærebant ipſum cum dolore, quem amiſerant: quæſierunt inter cognatos, & notos, & non invenerunt: Vocabant Jeſum, ſed reſponſum non audiebant: adjuro vos filiæ Hieruſalem, dicebat dolens Mater, ſi inveneritis dilectum meum, ut nuncietis ei quia amore langueo: ô qualis dolor! nec mirum quia Chriſtus non invenitur in conſortio cognationis, ſed in loco orationis: audiant hoc religioſi, & diſcant. *In Luc. c. 2. v. 44.*

231. *Idem de doloribus Mariæ tempore Paſſionis filii.*

Quæſivi & non inveni illum &c. Invenerunt me cuſtodes, qui percuſſerunt me, & tulerunt pallium meum &c. Quomodò hæc verba à Maria dicta referuntur? nonnè invenit filium in templo, & in Cruce? & quandonam milites ipſam percuſſerunt? ſed attende myſterium. Quæſivit Maria filium amiſſum in tempore paſſionis, & non invenit: quia invenit gladium quem prædixit Simeon, qui transfixit cor ejus dolore: invenit milites, qui eam percuſſerunt, ſcilicet dum filius flagellabatur in corpore, transfigebatur ſpinis in capite, clavis in manibus, & pedibus, & tunc cor ejus flagellabatur, transfigebatur duriùs: invenit ergo loco filii vulnera, ſpinas, flagella, & clavos: ó Maria Mater doloris tota converſa in vas pœnalitatis: *Op. ſpec. B. Virg. lect. 4. & op. ſtim. p. 1. c. 4.* Hinc inferri poteſt quòd Chriſtum inhonorantes, & rurſum crucifigentes, Mariam Virginem denuò inhonorant, & crucifigunt.

232. *Anima Deum ardenter diligens, quales nuncios ad ipſum immittit ex hoc exilio.*

Adjuro vos filiæ Hieruſalem ſi inveneritis dilectum meum, ut nuncietis ei, quia amore langueo. Vide effectus amoris reſidentis in anima: hæc enim videns te in hoc exilio mittit nuncios filias Hieruſalem ad Cœlum, ut nuncient quia amore languet: ſed quinam ſunt iſti nuncii? Iſti ſunt profunda ſuſpiria, alta deſideria, contemplationes limpidæ, & ſi aliquando ſponſus ab ea videatur abſcedere recurrit ad Angelos ipſos rogans ut apud cæleſtem Patrem pro ipſa intercedant, & nuncient, quia amore languet & præ magnitudine amoris omnia temporalia ſunt ei faſtidio: ô vis qualis amoris. *Op. de 7. donis c. 6. op. medit. c. 58. op. comp. Theol. lib. 5. c. 25. ſer. 2. Dom. 12. poſt Pent. op. de 7. it in. æternit. itin. 3. d. 5.*

233. *Pulchritudo Chriſti menſuratur ex pulchritudine matris, & è converſo.*

Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum, quia adjuraſti nos. Quaſi dicant nuncii, ex quo adjuraſti nos ut nunciemus dilecto, quia amore langues, dic nobis, qualis eſt dilectus tuus ex dilecto? Et nota quòd hic ſermo eſt de Chriſto qui ex dilecto Patre ab æterno natus eſt, cujus qualitates exprimi cupiunt à Maria, & præcipuè ipſam appellando pulcherrimam

mulierum

mulierum, qualis ſit ejus pulchritudo? & reſpondet ipſa: dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus, quaſi diceret: candidus eſt dilectus per divinitatem, rubicundus per humanitatem, candidus quoquè in nativitate, & converſatione, rubicundus in paſſione: candidus, & rubicundus ſcilicet pulcher in cælis, pulcher in terris, pulcher in Patre Verbum, ideò pulcherrima mater, pulcher in matre caro, & verbum, quia ex pulcherrima natus. *Op.ſpec.B.Virg.lect.16.& lect.12.& lect.5.& ſer.3. Dom.14.Pent.*

234. *Chriſtus flos pulcherrimus ex arbore pulcherrima Maria.*

Candidus, & rubicundus: Quis eſt, candidus, & rubicundus? Hic eſt Jeſus Chriſtus flos pulcherrima Maria: egredietur inquit Iſaias, virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet: Ecce Jeſus Chriſtus flos candidus, & rubicundus exiit de utero Mariæ: candidus in nativitate, rubicundus in paſſione, electus ex millibus in quem deſiderant Angeli proſpicere, & ad cujus odorem reviviſcunt mortui. *Op.ſpec.B.Virg.lect.12. & ſerm.1. in Nativit. & ſerm.2. de S. Franc. in addit.*

235. *Chriſtus candidus, & rubicundus electus ex millibus iterùm expenditur.*

Candidus, & rubicundus electus ex millibus. Nota quòd Chriſtus dicitur electus ex millibus, non quod mille eſſent materialiter, ſed dicitur ex millibus, quia millenarius eſt perfectus numerus, ideò intelligitur electus ex univerſitate omnium hominum, & Angelorum, electus inquam tanquam ſupremus Pontifex ſuper omnes creaturas: dicitur candidus ob puritatem eminentiſſimam: rubicundus ob Paſſiones tolleratas maximè in cruce, in qua ſanguine fuit cruentatus: dicitur dilectus à Deo ob excellentiam amoris eximii Dei Patris in ipſum. *Serm.1. de S.Mathia.& op.de 7.itin. æternit. itin.6. d. 6. in Lucam c.9.v.35.& c.18.v.18.*

236. *Apoſtolorum electio facta à Chriſto expenditur.*

Dilectus meus candidus,& rubicundus,electus ex millibus: Nota quod ſicut iſta verba dicuntur de S.Matthia electo ex numero diſcipulorum Chriſti in Apoſtolum, ſic poſſunt verificari de quolibet alio Apoſtolo, quia fuerunt electi ſpecialiter à Chriſto ex univerſitate omnium aliorum hominum, & de quolibet dicitur dilectus candidus, & rubicundus: dilectus ſcilicet ex parte Chriſti ob excellentiam amoris eximii Chriſti in ipſum: candidus ob puritatem animi, & honeſtatem totius vitæ: rubicundus quaſi ſanguine cruentatus ob excellentiam martyrii: electus ex millibus, ſcilicet ad officium excellentiſſimum Apoſtolatus: electus inquam ad divinorum mandatorum obſervantiam, ad perfectionem conſiliorum, ad tolerantiam martyriorum, & ad regimen inferiorum. In quibus verbis dat Spiritus ſanctus intelligere conditiones eligendorum ad quas electores debent reſpicere: Vir enim eligendus debet eſſe mandatorum, & conſiliorum obſervator, ſcilicet quoad ſe juſtus, & ſanctus & perfectè tolerans omnes adverſitates, & quoad alios prudens, ſapiens, & amans: de quibus etiam num.ſeq. & *ſer.1.de S. Mathia, & lib.1. d.10.dub.1.ſer.2.in exalt.S.Crucis.*

237. *Homo maximéque elevatus ad Prælaturam invitatur ad conformandum ſe Chriſti imagini.*

Dilectus meus candidus, & rubicundus electus ex millibus, &c.coma ejus nigra quaſi corvus. Notandi ſunt iſti tres colores Chriſti Jeſu, ut ad ipſius imitationem, & nos ipſos conformemus: debemus enim eſſe candidi per puritatem in converſatione: rubicundi per charitatem; & nigri per humilitatem: iſta enim in Chriſto mirabiliter elucent, & hæc eadem eluceant in juſto, præcipuè eligendo ad Prælaturam. *Ser.4.Dom.22. poſt Pent.& Diæt.tit.10.c.6.& ſerm.1.de S. Mathia.*

238. *Ad imaginem Chriſti debemus nos ipſos conformare.*

Caput ejus aurum optimum, coma capitis ſicut elata palmarum, nigra quaſi corvus: oculi eius ſicut columbæ ſuper rivos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ, &c. Notanda eſt iſta imago hìc à Spiritu ſancto depicta Chriſti Crucifixi, ut ad ipſius imitationem nos ipſos conformemus: primò autem dicit quod caput ejus eſt aurum optimum, ſcilicet caput Chriſti eſt Deus: ſic & caput noſtrum eſt ratio ordinata in Deum: capilli autem Chriſti dicuntur nigri ſicut corvus ob humilitatem ſuam profundiſſimam, quam nos debemus imitari: oculi ejus dicuntur ſicut columbæ ſuper rivos aquarum ob limpidiſſimam ſapientiam ipſi derivantem à fonte ſapientiæ divinitatis: hanc & nos habere debemus, ut evitare poſſimus pericula accipitris, ſcilicet concupiſcentiarum mundi, & purgari à ſordibus peccatorum diſponamur ad videndum lumen deſuper veniens: genæ illius ſicut areolæ aromatum conſitæ à pigmentariis, ſcilicet patientia, & innocentia Chriſti, ex quibus ſtillaverunt, quia innocentia ſpirabat bonis operibus, & patientia ſanctis virtutibus emanabat, quæ à pigmentariis ſunt conſitæ, ſcilicet à tota Trinitate ordinatæ: labia Chriſti diſtillantia myrrham primam, ſcilicet prædicantia pœnitentiam, & paupertatem voluntariam, quæ ſponte fluit ab anima ſimili myrrhæ primæ: manus ejus tornatiles &c. virtutes ejus operativæ tornatiles, ſcilicet in nullo reprehenſibiles, & ad omne opus bonum volubiles, circulos undiquè ideſt perfectionis opera exprimentes: plenæ hyacinthis, ideſt operibus virtuoſis ſolidis, pretioſis, cæleſtia oſtendentibus, vel aureæ in doctrina, plenæ hyacinthis in miraculis: Venter ejus eburneus diſtinctus ſapphiris, ſcilicet recta intentio, ſanctum deſiderium, humilis ad Deum, pia ad proximum voluntas, quæ debet eſſe in nobis: in Chriſto autem venter fuit eburneus, ſcilicet humanitas fortis in patientia, diſtinctus ſapphiris, ſcilicet ordinata tota ad ſalutem noſtram: Crura illius ſunt ſolida veritas, & omnimoda immutabilitas, & baſes ſunt divina ſimplicitas: vel ſunt duo adventus ipſius ad redemptionem, & ſalvationem: guttur ejus ſuaviſſimum ob verba dulciſſima, &

converſatio

converſationem dulciſſimam audienıibos, & meditantibus ipſa: ergo Chriſtus ſuper omnia pulcberrimus, & nihil eo deſiderabilius, & imitandus. *Ser.4. Dom. 22. Pentec. op. Compend. princip.& Eccleſ. Hierar.p.4.c.6.ſer.de S. Cathar. & op.de ſept. itin. ater. itin.4. diſt.5.a.3.& itin.5. d.5.in Ioan.collat.39.& 113.& Ugo Card.hic.*

239. *Chriſtus totus deſiderabilis.*

O quam verè hæc dicuntur de Chriſto ab anima amore Dei accenſa: Chriſtus enim eſt deſideraodus omni tempore, ab omni gente, in omni neceſſitate, in omni proſperitate, in omni adverſitate, & in omni parte: eſt quidem deſiderabilis viſui, quia eſt ſummè pulcber, tam pulcher quod Angeli in ipſum deſiderant proſpicere: tam pulcher quod anima fervens non poteſt vel momentum pati ſui dilecti abſentiam: eſt deſiderabilis auditui ob dulcedinem miram ſuæ ſapientiæ ut capetta eſt Magdalena, quæ ad pedes Domini dom audiebat verbum illius, mira ſuavitate tenebatur, eſt & deſiderabilis guſtui, & ideò dicit propbeta: guſtate, & videte quam ſuavis eſt dominus: ô fælix anima, quæ amore accenſa tota in Chriſtum fertur, & ad ipſum ejus omnia deſideria ordinantur. *Serm. 1. de S.Magd.op.de 7.itin.aternit.itin.4.d.5.a.3.in Ioan. collat.13.*

240. *Chriſtus aſcendit in cœlum, ut nos ad ipſum in cœlo quærendum & inveniendum invitaret: occultat enim ſe ut ardenter quæratur.*

Quò abiit dilectus tuus ô pulcherrima mulierum, quò declinavit dilectus tuus, & quæremus eum tecum? Nota quòd iſta ſunt verba animæ directa ad Eccleſiam poſt Aſcenſionem Chriſti in cœlum: in quibus prædicatur pulcherrima: quia fuit pulchra ante legem, pulchrior ſub lege, & pulcherrima ſub Evangelio, & tempore gratiæ: hujus ſponſus dilectos dulcis, nobilis, pretioſus abiit in cœlum in Aſcenſione: quo abiit, dicit anima: ô Eccleſia pulcherrima, & quæremus eum tecum? quia ea quo abiit in cœlum majori deſiderio quærendus eſt: abiit ut nos ad cæleſtia deſiderandum invitaret: abiit ut nos ipſum quæramus non in terrenis, ſed in cæleſtibus. *Ser.3. in Aſcenſ.ſer.6.in rogat.*

241. *Quærendus eſt Chriſtus toto corde.*

Quo abiit dilectus tuus, & quæremus eum tecum? Ergò quærendus eſt dilectus ſponſus ab anima, quia eſt e pulcherrima Virgine pulcherrimus, & jucundiſſimus: quia eſt medicina ægrotis theſaurus avaris, ſponſus dilectis, regnum hæredibus: *Ser.3.Dom.14.poſt Pent.*

242. *Maria Virgo pulcherrima.*

Quò abiit dilectus tuus ô pulcherrima mulierum? Nota quòd dicitur meritò B. Virgo pulcherrima mulierum, quia pulchra fuit in corporis virginitate; pulchrior in animæ puritate: & pulcherrima in prolis fœcunditate: ô quanta ſponſi pulchritudo, quia ea pulcherrima matre natus ſecundum humanitatem, & ea pulcherrimo Patre natus ſecundum Divinitatem. *Ser.3.Dom.14 poſt Pentec.*

CAP. VI.

243. *Chriſtus hortulanus quærendus in horto cordis noſtri puri, non in cloaca diaboli.*

DILECTUS *meus deſcendit in hortum ſuum ad areolam aromatum ut paſcatur in horto, & lilia colligat.* Ecce reſponſum Eccleſiæ datum interrogationi ſuprapoſitæ: *quò abiit dilectus tuus, quò declinavit, &c. Deſcendit (ait ipſa) in hortum ſuum ad areolam aromatum, ut paſcatur in hortis, & lilia colligat.* Ecce quale miniſterium aſſumpſit Chriſtus ad noſtrum profectum; deſcendit in hortum, ut veluti hortulanus excolat ipſum, & colligat aromata, & flores: Dat intelligere, quod Chriſtus libenter intrat in cor, quod eſt hortus floribus, & fructibus virtutum plenus, non in cloacam diaboli: ſic Magdalena cognovit Chriſtum hortulanum, quia in ejus pectore per amoris ſui ſemina virtutum virentia plantaverat: eſto & tu ô anima hortus floridus, & fœcundus, ſi vis obtinere ingreſſum dilecti ſponſi Chriſti Jeſu, & poſſideri, & excoli ab iſto cæleſti hortulano deſideras *Ser.6.in Rogat.*

244. *Verbum deſcendit in uterum Mariæ, ut in hortum delicioſiſſimum.*

Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum, &c. Hoc dicebat Maria Virgo, poſtquam Verbum aſſumpſerat carnem in ejus utero: verè enim hortus deliciarum fuit Beata Virgo, in quo abundabant herbæ virtutum, & flores exemplorum: Ad hunc hortum invitamur & nos, ut ex eo flores multiplicis gaudii, & fructus colligamus. *Ser. 4. Dom. Sexag. & op. ſpec. B. Virg. lect.12.op.Comp.Theol.l.4.c.6.*

245. *Sicut inter Chriſtum, & animam juſtam: ſic & inter ſponſum, & ſponſam omnia debent eſſe communia per amorem.*

Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi. Quid ſibi volunt hæc verba obtruncata, & cum ſenſu mutilo? ſed attende, quòd hic deſcribit amorem mutuum, qui debet eſſe inter ſponſos, & amoratos? unde quodcumque verbum ſuppleatur, & ſuperaddatur facit ad rem: Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi: una hæreditas, una domus, una menſa, una caro, omnia communia, nihil proprium. *In Ioan. collat. 11.* quæ omnia excellentiſſimè competunt animæ Chriſto amore perfecto unitæ, ego dilecto meo, &c.

246. *Maria Virgo ſeipſam totam conſecravit filio, & filius ipſi.*

Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi. Hæc ſunt verba Mariæ, quibus explicat amorem mutuum, & ejus effectus inter matrem, & filium: nam

nam Maria ſe ipſam totam obtulit filio, maximè quando aſſenſum præſtitit Incarnationi, & filius ſeipſum totum communicavit matri: Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, ſcilicet una domus, una hæreditas, una menſa, una caro, unum cor, una anima, & omnia communia, nihil proprium. *Luc. c. 1. v. 38. Ioan. collat. 11.*

247. *Animæ juſtæ, & in Deum ordinatæ felicitas expenditur.*

Pulchra es amica mea, ſuavis & decora ſicut Hieruſalem, terribilis, ut caſtrorum acies ordinata. Nota, quot hoc epitalamium texitur à Spiritu ſancto Chriſto in laudem animæ fidelis in gratia exiſtentis, & in Deum elevatæ, ipſamque comparat cum Hieruſalem; ſicut enim in cæleſti Hieruſalem ſunt ordinatæ omnes Hierarchiæ Angelicæ; ſic in anima juſta tres ſtatus, ſeu gradus ordinati ſunt in Deum: nam in infimo ſtatu eſt ordo naturæ continens operationes ſenſuum, & potentiarum: In ſecundo eſt natura ſimul cum gratia, quæ gratia habet ordinare omnes actus hominis in Deum: & in tertio ordinatio gratiæ ſupra naturam elevans ipſam animam ſuper omnes creaturas, ad recipiendas ſupernas illuſtrationes, & inflammationes in quo ſtatu verè de ipſa poteſt dici, quod ſit jucunda, quia ſuavis eſt; quod decora, quia pulchra ut Hieruſalem; & quia manſiva, & ordinata virtutibus, ideo terribilis, ut caſtrorum acies ordinata contra diabolum. *Ser 20. & 22. Hexam.*

248. *Maria Virgo pulchra, ſuavis & decora ſicut Hieruſalem cæleſtis.*

Pulchra es amica mea, ſuavis, & decora ſicut Hieruſalem. Nota, quòd hæc verba diriguntur à Spiritu ſancto Virgini Mariæ, quæ eſt pulchra ut Hieruſalem: quomodo ſicut Hieruſalem? ſed adverte; quod à ſanctis Doctoribus applicatur animæ Adæ in ſtatu innocentiæ, ob abundantiam gratiarum; & refulgentiam virtutum, quibus decorata fuit: ſed cum prærogativæ Mariæ Virginis recognoſcantur à ſanctis Patribus ſimiles habitatoribus Paradiſi terreſtris: hinc meritò aſſimilatur Hieruſalem civitati cæleſti: eſt enim civitas, & ſimul aurum mundum; vel auro mundo fabricata, ob charitatem, ſimilis vitro mundo per caſtitatem; ut viſa eſt à ſancto Joanne in Apocal. c. 21. Hinc Maria verè dicitur Hieruſalem pulchra, & decora propter abundantiam gratiarum & veluti caſtrorum acies ordinata propter refulgentiam virtutum. *Ser. 1. in Nativit. & ſer. 4. Dom. 2. poſt Pentec.*

249. *Anima in oratione penetrat ad Deum prius affectu quàm intellectu.*

Averte oculos tuos à me, quia ipſi me avolare fecerunt. Cur præcipit ſponſus, ut ſponſa avertat oculos ſuos in ipſum defixos? Eſtne hoc piaculum reprehenſione dignum in ſponſa adſpiciente ad mores & actus ſponſi? minimè: ſed dat intelligere animæ oranti, & contemplanti, quod præcipuus conatus ipſius debet eſſe ſollicitudo prius tendendi in Deum affectu, & voluntate ferventi, non intellectu, non enim intrat ad ipſum intellectus, ſed affectus; & ideò qui totum conatum ponit in oratione ad penetrandum divina Attributa ſolo intellectu, hoc eſt potius fugare ſpiritum Dei, quàm ipſum advocare. *Ser. 2. Hexam. in fine.* Nota, quòd primus modus eſt prius Theologorum Scholaſticorum, qui ſolo vento ſpeculationum paſcunt intellectum, ſed remanent ſine humore ſpiritus aridi; & ſicci; ſecundus modus eſt Theologorum myſticorum, qui omnem ſcientiam ſuam ordinant ad affectum, & amore accenſi, quærunt per meditationes, & contemplationes perfectionum divinarum unionem dilecti. *Op. Theol. myſtic. præfat. & deinceps.*

250. *Propter obedientiam, & bonum proximi ſervi Dei aliquando omittunt majus bonum ob minus.*

Averte oculos tuos à me, quia ipſi me avolare fecerunt. Ergone converſio oculorum animæ fidelis facit avolare, & fugere à ſe Deum? ſed attende ad ſenſum horum verborum; loquitur cum anima contemplationi dedita, quæ oculis mentis, & affectu tota eſt in Deum converſa, ſed tamen aliquando per obedientiam debet relinquere hoc majus bonum, ob bonum proximi, licet prima facie minus bonum, quod ſi hoc non facit anima, quando tempus opportunitas, neceſſitas, & obedientia id exigunt erit improba; & propter hanc improbitatem ab ipſa aufugiet ſponſus, & privabitur innumeris bonis. *Pſal. 118. c. 3. v. 5.* Hæc attendant diligenter Religioſi, inter quos ſæpe accidit, quod ſub prætextu orationis, ſolitudinis; & vivendi ſemoti à ſæcularibus, omittunt ſubvenire proximo in temporalibus, vel ſpiritualibus, etiam ſæpe poſito in extrema, vel gravi neceſſitate; ex quo deffectu, vel improbitate, ait ſanctus Doctor, venit; quod non ſolùm non inveniunt Deum in oratione, & ſolitudine, ſed potius avolare ipſum faciunt à domibus ſuis, & hinc poſtea rixæ, inquietudines, rebelliones in familiis juſto Dei judicio inſurgunt, quia à ſe Chriſtum avolare fecerunt.

251. *Oratio Mariæ traxit Verbum in uterum ſuum.*

Averte oculos tuos à me, quia ipſi avolare fecerunt. Quid eſt avolare? legit textus hebræus, quia ipſi me elevaverunt: & optimè quadrant ad gloriam Virginis Mariæ, quæ ardebat deſiderio videndi reparationem mundi, ideò orabat Deum, ut tandem ſuccurreret perdito mundo: & hinc quando audivit ab Archangelo Gabriele tempus completum aſſumptionis carnis à Verbo faciendæ in ipſius utero, exiit in illa verba: Ecce Ancilla Domini fiat mihi ſecundùm verbum tuum, quæ verba vim orationis efficaciſſimæ habuerunt. *in Luc. c. 1. v. 38.* Et hinc Verbum ſumendo carnem in utero Virginis dicitur elevatus in monte altiſſimo Mariæ.

252. *Cogitationes ſuperfluæ reſecandæ; & ſanctæ fovendæ à ſervis Dei.*

Capilli tui ſicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad. Quid ſibi volunt iſta verba ſponſi ad ſponſam? quid per iſtos capillos ſignificatur? ſed attende quod per capillos ſignificantur cogitationes bonæ, vel malæ, ex quibus oriuntur opera vel ſancta, vel perverſa: Galaad interpretatur teſtimonii acceivus, ſignificatque opera bona, quæ ſunt fructus, & teſtimonia fidei, & bonarum cogitationum. *Pſal. 51. & 119.* ſponſa ergo Chriſti debet exhibere acceruum bonorum operum, in teſtimonium fidei, & bonarum cogitationum, & boni exempli in proximum. *Sic etiam Vgo Card.*

253. *Prædicatorum munus eſt baptizare verbo doctrinæ peccatores.*

Dentes tui ſicut grex ovium, quæ aſcenderunt de lavacro, omnes gemellis fœtibus, & ſterilis non eſt in eis. Nota quod per dentes intelliguntur Prædicatores, qui maſticant ſacram Scripturam, ipſam auditoribus exhibendo; dicuntur autem dentes ovium, quæ aſcenderunt de lavacro, ideſt de fonte ſcientiæ cæleſtis lavantis animas; & ideo Prædicatores debent lavacro verbi Dei aſcendere ad ſenſus Sacræ Scripturæ & baptizare oves Chriſti, eaſque trahere de volutabro peccati, & excitat ad gignendos gemellos, ſcilicet ad dilectionem Dei, & proximi, & hoc eſt munus horum dentium Eccleſiæ. *In Luc. cap. 3. v. 16.* Addit verò textus: *ſicut cortex mali punici, ſic gena tua abſque occultis tuis*, ideſt, quia genæ indicant pulchritudinem faciei, ſuntque adhærentes dentibus, datur intelligi, quod Prædicatores debent repræſentare pulchritudinem Eccleſiæ per rubrum charitatis, & albedinem caſtitatis, ſicut cortex mali punici in fortitudine quoad patientiam in adverſis & continentiam in ſe variorum ordinum, gratiarum, & virtutum: Addit abſque occultis tuis ideſt abſque eo, quod latet ſanctitatis in ipſis: Ex quibus exprimitur munus Prædicatorum quoad ſe, & quoad alios: ſed proh dolor, quia in multis ſunt dentes luporum, & non ovium: *Ita etiam Vgo Cardin. &c. hic.*

254. *Perfectorum numerus in Eccleſia ſuperatur à numero imperfectorum.*

Sexaginta ſunt Reginæ, & octoginta concubinæ, & adoleſcentularum non eſt numerus. Quid ſibi vult iſta ſententia continens numerum Reginarum, & concubinarum, & numerum ſine numero adoleſcentularum in domo Salomonis exiſtentium? ſed attende ad myſterium: In domo Dei ſunt Reginæ, ſunt & concubinæ, ſunt & adoleſcentulæ: per Reginas intelliguntur animæ perfectæ, & ponitur numerus ſexagenarius, quia antiquitùs indicabatur per indicem conſtrictum ſuper pollicem in modum Crucis, ſignificatque meritum continentium, quorum vita reſtricta eſt à voluptuoſa delectatione carnis per ſuppoſitionem rationis ad ſenſualitatem propter voluntariam aſſumptionem Crucis, & ideo fructus ſexagenarius in Evangelio aſſignatur continentibus, quæ animæ ſunt veluti Reginæ in domo Dei regentes animas proprias ſecundum rectam regulam Chriſti. Per concubinas animæ imperfectæ, & per adoleſcentulas animæ incipientes: illæ generant filios, ſcilicet opera adulterina: iſtæ non adhuc ſunt in numero, quia non aptæ ad bellum, per quod datur intelligi, quod in Eccleſia minor eſt numerus perfectorum, maximus imperfectorum. *Ser. 14. Hexam ſer. 1. Dom. ſexag. Vgo &c.*

255. *Eccleſia unitas exponitur.*

Vna eſt columba mea, perfecta mea, una genitrici ſuæ electa. Vide quod licet ex ſupradictis plures videantur Eccleſiæ, & non una ſponſa, ſubdit: Vna eſt columba mea: Una Eccleſia, licet plures perſonæ: Una ante legem, ſub lege, & ſub gratia: Una, quia una fides, unus Deus, unum Baptiſma: Una, quia ad unum Deum ordinata, & ſponſata. *Pſal. 101. & l. 4. d. 5. dub. 5. & d. 17. p. 2. a. 1. q. 2. ad ult. & l. 3. d. 25. a. 1. q. 1. corp. Pſal. 47. Pſal. 114 ſer. 4. Hexam Pſal. 24. & 27. & 61. & 83. & 132. Ioan. c. 19. v. 24.*

256. *Eccleſia, & anima ſancta perfectio in columba deſignatur, adaptaturque, præcipuè ſanctæ Catharinæ.*

Vna eſt columba mea, perfecta mea, una eſt genitrici ſuæ electa &c. Nota, quòd in his verbis exprimit ſacer textus perfectionem Eccleſiæ ſponſæ Chriſti, & animæ ſanctæ per ſimilitudinem columbæ: Columba enim eſt humilis in affectu, ſive convictu, felle enim caret, & ideò roſtro non lædit, prædam non accipit, nec ungulis aves diſcerpit, & per hoc deſignatur ſimplicitas innocentiæ ſponſæ Chriſti, quam corde tenet, ore docet, & opere cuſtodit; & ideo dicitur una abſque duplicitate animi, ſed una ſimplicitate deſiderii, quia virtutibus, & chariſmatibus, ſimplicitate perficitur. Et dicit: Una eſt matris ſuæ electa, videlicet quia per gratiam regenerata in ſimplicitate, electa, & in electionis merito cuſtodita: In ſimplicitate, inquam, quia neminem decipit, vel turbat: Secundò dicitur columba, quia lugubris in cantu gemitum pro cantu habens, & ſic anima ſancta gemitum habet, ſcilicet vitam degit in aſperitate pœnitentiæ: Tertiò columba eſt mutabilis in viſu, quia novies viſum amittit, & novies viſum recuperat, per quod ſignificatur ſagacitas prudentiæ triplex, ſcilicet contra accipitrem triplicis concupiſcentiæ: Quartò eſt columba celer in volatu, per quod ſignificatur obſequioſitas obedientiæ: Quintò columba eſt fertilis in effectu, per quod deſignatur fœcunditas conſcientiæ, in deſideriis, votis, precibus, & operationibus; & talis eſt Eccleſia, & ſponſa, ſcilicet anima juſta: Taliſque præcipuè fuit ſancta Catharina. *Ser. de S. Cathar.*

257. *Beatæ Mariæ Virginis perfectiones in columba deſignantur ſuper omnes creaturas.*

Vna eſt columba mea, una eſt perfecta mea, una genitrici ſuæ electa. Si de anima ſancta hîc loquitur Spiritus ſanctus; de qua propriè verificantur? quomodo dicit, quod iſta eſt una? nonne plures,

plures, & ferè innumeræ animæ Deo fideliter ſervientes? ſi eſt una ſuper omnes alias, quænam eſt iſta ſuper omnes iam perfecta? Hæc eſt Beata Virgo Maria; unde licet dixerit Chriſtus de Joanne Baptiſta, quod fuerit major inter natos mulierum, hoc ſolum debet intelligi de omnibus præteritis, non de futuris; nec reſpectu utriuſque ſexus, ſed tantùm virilis: nam in Eccleſia fuit una major omnibus, & viris, & mulieribus; & hæc fuit Beata Virgo Maria, quæ nullam creaturam puram habuit ſuperiorem, nec etiam æqualem; hæc eſt columba carens omni felle, puriſſima, ſimpliciſſima, fœcundiſſima, auſteriſſima, pœnitens, obedientiſſima, prudentiſſima, quæ inter Deum, & mundum diluvio ſpirituali ſubmerſum mediatrix fideliſſima extitit, & gaudium mundo tulit: hæc eſt, quæ nobis dat pennas, ut ad cælum volemus. *In Luc. c.7. v.28. op. ſpec. B. Virg. c.9. op. in ſalue: op. Pſalt. min. quinq. x. & op. laus B. Virg. ſig. 16.* Pro quibus privilegiis hæc videntes filiæ Sion, ſcilicet Angeli, & fideles animæ totius Eccleſiæ beatiſſimam prædicaverunt, extollentes eam ſummis laudibus. *In Luc. c.1. v.28. & 49.* Et hæc eſt ratio, cur in omnibus laudibus, & divinis officiis ab Eccleſia laudatur, & extollitur Beata Virgo Maria.

258. *Anima contemplativa fit ſicut aurora, Luna, Sol, & terribilis ut caſtrorum acies ordinata.*

Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora, &c. pulchra ut Luna, &c. Nota illud verbum, progreditur; quia loquitur de anima, quæ à via purgativa aſcendit ad illuminativam; nam in tali ſtatu fit ut aurora conſurgens, & accedens ad ſolis illuminationem, ut Luna, & Sol ſecundum progreſſum majorem illuminationem, quam infundit Deus in ipſa, quâ fit terribilis ut caſtrorum acies ordinata, ſcilicet dæmonibus, & vitiis. *Ser. 2. & 20. Hexam. op. Itiner. ment. c.4. & op. Myſtic. Theol. c.2. p.2.*

259. *Eccleſiæ Dei privilegia, & progreſſus expenduntur.*

Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora, &c. Nota quòd hæc ſecunda exclamatio, quam in Canticis de Eccleſia facit ſponſus cum Angelis; & cum in ſapientia ſuprà expreſſa in *c.2.* deſignata fuerit fundatio ipſius, quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi, tanquã parvula in principio, nunc ſecundò ejus dilatationem circumquaque exprimit, & ſplendorẽ dicens: quæ eſt iſta, quæ progreditur ſicut aurora, Luna, & Sol, &c. ejuſque conſummatio in ult. cap. poſtea expenditur. *Ser. 15. Hexam. & ſer. 2. ibid.*

260. *Eccleſia Catholica per ſacramenta eſt terribilis ut caſtrorum acies ordinata.*

Terribilis autem eſt, quia munita, *& fortis*, per Confirmationem; *Acies*, quia conjuncta, & unita eſt per Euchariſtiam, *ordinata*, per ordinem ſacrum: Et quia hæc eſt variabilis tamquam in hac vita conſiſtens; unde & aliqui ſubtrahuntur per mortem, aliqui proſternuntur per culpam, ideo, ne cultus Dei patiatur ob carentiam per mortem cauſatam hominum ad prolem multiplicandam eſt matrimonium; & ad reſurgendum poſt culpam, & lapſum, eſt pœnitentia: In hac ſola acie eſt ſalus, unde in eam ingreditur homo, ut veluti miles fortiſſimè prælietur, ex ea in morte egreditur, ut coronetur, ſed nullus recipitur ad pugnam niſi habeat ſignum; & arma Chriſti, ideo pro intrantibus in prælium neceſſarius eſt Baptiſmus, qui eſt janua intrantium, in quo Crux, & character Chriſti ipſis confertur: & pro egredientibus inſtituta eſt extrema unctio, ut ipſis detur pignus, & unctio Spiritus ſancti, quæ eſt ſacramentum exeuntium: Ergo verum eſt, quod Eccleſia eſt terribilis ut caſtrorum acies ordinata. *L.4. d.2. a.1. q.3. corp. op. Brevil. p.6. c.3. Centiloq. p.5. ſect. 47. op. lignum vitæ.*

261. *Congregatio, & Religio in pace vivens eſt terribilis, ut caſtrorum acies ordinata.*

Concordia enim eſt plebis ſanitas, gloria ſacerdotum, patriæ lætitia, & ſecuritas, terrorque hoſtium ſive viſibilium, ſive inviſibilium; pacem igitur ô fideles, & Religioſi habete, & vos nolite lædere, non facto, non verbo, non ſigno qualicumque ne poſſit dici: filii matris meæ pugnaverunt contra me. *Op. Phar. l.4. c.35. & op. ſpec. Diſcipl. p.1. c.6.*

262. *Anima per meditationem paſſionis Chriſti fit terribilis, ut caſtrorum acies ordinata:* & ideo de iſta dicit ſponſus: *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens*; conſurgens quidem per meditationem paſſionis Chriſti, & ſe approximans mente, & affectu ad ſolem reſidentem in Cruce: ſic enim fit veluti caſtrorum acies ordinata, terribilis dæmonibus, quia meditatio Crucis, pœnarum, dolorum, paſſionis, & mortis Crucifixi Jeſu eſt efficaciſſima ad fugandos dæmones, quod ſæpe, & ego experientiâ didici: *Sic S. Bon. ſer. 4. Dom. 13. Pentec.*

263. *Maria aurora luciſſima.*

Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens. Nota: hæc dicuntur à ſponſo de Maria Virgine, quæ rectè comparatur auroræ: ſed cur auroræ mixta cum nocte? optimè auroræ comparatur: primò propter ſe: ſecundò propter nos: propter ſe; huc Primò ob obſeſſum noctis culpæ: Secundò propter proceſſum lucis gratiæ: Tertiò propter hortum ſolis juſtitiæ: Quartò propter locum ſedis gloriæ: primum fuit in ſua immaculata conceptione, ſecundum in ejus clariſſima converſatione, tertium in mirabiliſſima filii generatione, quartum in glorioſiſſima ejus aſſumptione: Maria ergo veluti aurora concepta eſt in luce, & ſemper progreſſa in ſua vita de virtute, in virtutem, de claritate in claritatem: fervebat enim in quærendo gratiam Mariæ charitas, ſplendebat in carne Virginitas, in obſequio humilitas eminebat: ſicque pulchra ut luna in micanti humilitate, aurora in virginitate, ſol in radianti charitate: Aurora item fuit, ob ortum ſolis ex ipſius ſinu, & ideo hujus auroræ lux mirabiliter rutilabat oriente ſole abſque nubilo: Aurora item, quia locus Mariæ in cælo eſt prope ſolem æternum. Aurora item fuit propter

nos, quia ſicut aurora media eſt inter noctem, & diem; ſic ipſa fuit mediatrix noſtra nos pacificans cum ſole juſtitiæ, & expellens tenebras, quibus involutus erat mundus, & hinc etiam nos pacificavit cum Angelis: Aurora item, quia ipſa adveniente, Principes tenebrarum fugantur: Aurora item quia nos illuminat ſedentes in tenebris, & umbra mortis. *Op.ſpec.B.Virg.lect.*11. *&* 13.

264. *Maria luna lucidiſſima plena luce divina ſapientia.*

Pulchra ut luna. Hoc etiam dicitur de Maria Virgine: Pulchritudo lunæ conſiſtit in lumine à ſole recepto: Talis fuit Maria, quæ benè interpretatur illuminata, vel illuminatrix: fuit enim ab inſtanti conceptionis ſemper illuminata ab æterno ſole lumine ſapientiæ, & virtutis divinæ, & ſi hoc ante conceptum filii ſolis æterni, qualis plenitudo lucis in ipſam de novo advenit, quando recepit in utero hunc ſolem æternum? *Op.ſpec.B.Virg.lect.*7.*&* 13.*ſer.*13.*Hexam.*

265. *Maria electa ut ſol.*

Electa ut ſol. Cor Maria dicitur electa ut ſol? quia in ſe recepit ſolem æternum Verbum Dei, qui in ejus viſceribus ſe totum infudit, & in ſolem ipſum convertit: ſol quidem fuit Maria in lucidiſſima fœcunditatis ſingularitate, quando non homo purus, non Angelus, ſed ipſe Dei filius, Ipſe ſol juſtitiæ in ſole poſuit Tabernaculum ſuum, dum in Maria conceptus fuit. *Op. ſpec.B.Virg. lect.*7.11.*&* 13.

266. *Idem confirmatur ad laudem Mariæ Virginis: Ubi de, ipſius nativitate, converſatione, & aſſumptione.*

*Quæ eſt iſta,&c.ſicut aurora,&c.luna.ſol.&c.*Nota quòd iſtæ ſunt voces Angelorum admirantium Mariæ pulchritudinem,& ipſius gloriam per ſimilitudinem corporum cæleſtium exprimentium: ſole namque nihil pulchrius de die, luna item de nocte, & aurora nihil formoſius in confinio utriuſque: Progreſſa eſt igitur ut aurora naſcendo, quia fuit quaſi finis, & conſummatio culpæ originalis, & evacuatio omnis tenebræ ſpiritualis: fuit præambulum indicium veræ lucis, & futuræ gratiæ in mundum præveniens argumentum, quia ortus Virginis adventum annunciavit in proximo ſalvatoris: fuit ergo aurora conſurgens ex toto, ad cœleſtia ſe erigens, & extendens, quia nec contraxit maculam culpæ, nec in ea remanſit inclinatio, vel motivum ad peccandum; & ideo ipſa naſcente ros benedictionis, & ſapientiæ incæpit mundi ſuperficiem infundere, & corda credentium adimplere]: fuit item pulchra ut luna; hæc enim ſoli conjuncta radium ſolis recipit, & accenſa radium receptum ad terram transfundit: ſic Maria Dei Verbum radium Patris caro factum in ſe recepit, & conceptum ſine,virginitatis detrimento peperit, & transfudit: Electa item, & pulcherrima ut ſol facta eſt quoad gloriam ſuæ aſſumptionis, quando omnes creaturas in luminoſitate dignitatis, in fervore charitatis, in magnitudine poteſtatis tranſcendere meruit, ſicut ſol cætera ſydera præcellit. O felix Maria aurora, luna, & ſol lucidiſſimus, extende ad nos radios tuæ lucis, & charitatis, ut ad tui aliqualem imitationem, & viſionem pervenire poſſimus. *Op. Eccleſ. Hier. p.*4.*c.*7.*ſer.*1.*&* 2.*de B.Virg.*

267. *Maria contra Dæmones terribilis ut caſtrorum acies ordinata.*

Terribilis ut caſtrorum acies ordinata. Cuinam terribilis eſt Maria? & quomodò dicitur acies ordinata caſtrorum? Jam ſupra dictum eſt, quod Eccleſia dicitur acies, ob unionem, quam habet cum Chriſto, & ob fidelium unionem inter ſe, ordinata ob ordinem, quem in ſe continet: Terribilis verò quia munita eſt fortis: ſic itidem dicendum de Beata Virgine Maria, eſt enim velut acies, ob exercitum virtutum, quibus anima ejus eſt ordinata, & inſignita, & cum Chriſto unita; unde dicit Dominus tecum, & Maria cum Deo unita: dicitur ergo terribilis Dæmonibus, ipſos ad nihilum redigens, & vires eorum confringens tanquam bellatrix egregia, ad cujus aſpectum, imò ad ipſius nominis invocationem omnis militia ſpiritualium nequitiarum in fugam convertitur: fugiamus ergo fratres, & confugiamus ad auxilium matris Domini in omnibus neceſſitatibus, vexationibus, & impugnationibus diaboli; ipſa namque eſt inimicis animarum noſtrarum terribilis ut caſtrorum acies ordinata, & turris fortitudinis à facie crudelis vaſtatoris. *Op. ſpec. B. Virg. lect.* 3. 11. *&* 12.*&* 14.*op.Pſalt.B.Virg.Pſal.*60.

268. *Deſcenſus Chriſti in mundum humilitatem qualem redolet, & charitatem.*

Deſcendi in hortum meum, ut viderem poma convallium, & ſi floruiſſet vinea, & germinaſſent mala punica. Quomodò ſponſus deſcendit in hortum nucum, ut colligat poma, & non potius nuces? ſed attende myſterium: In hortum nucum deſcendit Chriſtus, ſcilicet in hunc mundum, qui dicitur hortus nucum, quia nux eſt in cortice amara, & dura, & nucleus dulcis, ſignificatque humilitatem, & tolerantiam paſſionum, ex quibus nucleus dulcis exhauritur: unde in deſcenſu Chriſti in carnem apparet mira humilitas Chriſti, & fructus mirabilis ex tali adventu: inde enim ſequitur: ut viderem poma convallium, & ſi vinea floruit, datque intelligere, quod ex tolerantia paſſionum fructus uberrimi reportantur: ſic etiam nux, quò magis in colligendo fructus baculis percutitur, eò abundantiores fructus anno ſequenti producit. *Ser.* 4. *de uno mart.Luc.c.*4.*v.*31.*& c.*2.*v.*51.

269. *Turbatio advenit contemplativa animæ quando non poteſt attingere quod deſiderat.*

Neſcivi: anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab. Hæc ſunt verba animæ contemplantis, & deſiderio inflammatæ attingendi myſteria altiſſima fidei, & non valentis ea cognoſcere propter infirmitatem carnis, &c. ſic Petrus Apoſtolus in monte volebat facere Tabernacula pro Chriſto, & ſociis, ut ibi perpetuò habitarent, neſciens quid diceret, ob exceſſum deſiderii ardentiſſimi: neſciebat enim quid diceret propter quadrigas Aminadab:

Aminadab

Aminadab enim interpretatur populi mei concupiſcentia, ſcilicet propter impedimenta carnis, & affectuum. *Luc.c.9.v.33.Pſal.67. Pſal.118. c.6.v.6.*

270. *Idem denuo confirmatur.*

Neſcivi: anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab. Quænam ſunt iſtæ quadrigæ Aminadab conturbantes animam? Adverte, Aminadab interpretatur populi mei concupiſcentia, quæ habet quatuor rotas, ſcilicet affectus animæ, iſtæque conturbationem ſæpe & multiplex impedimentum cauſant animæ ad Dei unionem adſpiranti. *Pſal.118.c.6.v.7.*

271. *Quatuor gradus animæ conſurgentis ad Dei unionem expenduntur.*

Revertere, revertere ſunamitis, revertere revertere, ut intueamur te. Nota, quòd ſponſus invitat animam jam ob paſſiones, & inclinationes carnis, & mundi conturbatam, & quaſi tædio affectam in Dei obſequio, dicens, revertere ſponſa, & repetit hoc verbum quater, ut innuat quatuor gradus, per quos ad Dei unionem conſurgere debet homo: primus eſt malum agnoſcere, & contemptus mundi: ſecundus eſt agnitum derelinquere, & macerationem carnis apprehendere: tertius ad exercitium virtutum ſe conferre: quartus eſt aſpirare ad unionem cum Deo. *Thren. cap.2.*

272. *Ad pœnitentiam invitatur anima peccatrix.*

Revertere, &c. ut intueamur te. Notandum quòd hîc Perſonæ divinæ loquuntur cum ſunamitide, ipſamque quater invitant ad reverſionem: ſed quænam eſt hæc ſunamitis? ſunamitis interpretatur miſeria, ideſt ſpoliata, & captivata, ergo loquitur cum anima peccatrice omni bono ſpoliata, per peccatum captivata à diabolo, & talis invitatur à Deo quater, ſcilicet ad pœnitentiam: ſed cur quater? quia quadruplex eſt gradus peccati, nempe cordis, oris, operis, & conſuetudinis; ut det intelligere, quod perfecta pœnitentia regredi facit animam ab his quatuor gradibus peccati. *Op.Diat.tit.1.c.1. Pſal.77.ſer.1. in ſabb.S.*

273. *Expenduntur iterum hæc eadem verba ſponſi invitantis animam ad pœnitentiam, & ad Chriſti crucifixi amplexum.*

Revertere &c. Audi, & perpende anima captiva per peccatum vim horum dulciſſimorum verborum: Revertere, ait ſponſus ſimul cum Patre, & Spiritu ſancto, ô anima miſera ad me, ego ſum Creator tuus, revertere ad me, ego ſum Redemptor tuus, revertere, ego ſum conſolator tuus, revertere ad me; & ſi hæc modica videntur, revertere ultimò, ego ſum tam liberalis remunerator tuus: Revertere à peccato cogitationis, à peccato locutionis, à peccato actionis, à peccato aſſuefactionis: Revertere ô anima ad me, te ſancti cum magno deſiderio expectant, & ad tuum adventum Angeli exultant: Revertere, vocat te expanſis manibus in Cruce Jeſus Chriſtus: Revertere, tuum adventum præſtolatur totius Trinitatis abyſſus: Vide Chriſtum in Cruce te expectantem, qui habet caput inclinatum ad te peccatricem immundam deoſculandum, habet brachia expanſa ad amplexandum, manus apertas ad remittendum, totum corpus extenſum ad ſe totum impendendum, pedes affixos ad tecum commanendum, latus apertum ad te in illud intromittendum: Eſto ergo ô anima jam columba nidificans in foraminibus petræ, in caverna maceriæ, pervola ad manus, pervola ad pedes, invola lateri, ibi tua requies, ibi ſecura requies. *Hæc S.Bernardus: hæc & S.Bona. op ſoliloq.c.1.& Op.de quinq.feſtivit.ſolemn.5.*

274. *Ad Mariam Virginem dirigebantur iſta verba poſt viſitationem Elizabeth.*

Revertere &c ſunamitis: Legit Textus hebræus, ſulamitis, ideſt pacifica, & pacificatrix: Hoc poſt abſeſſum Mariæ à Nazareth, quando manſit cum ea tribus menſibus: Revertere, dicebant ſponſus, ejuſque familia, & amici: Revertere ad domum tuam, ut intueamur te, & exempla tua ab omnibus imitanda. *In Luc.c.1.v.32.* Sic & tu peccator, dum vides, per peccatum te privatum gratia Mariæ, dic pœnitens: Revertere ô Maria &c.

275. *Mariæ aſpectus deſideratus ab Angelis, & hominibus.*

Revertere ſulamitis &c. ut intueamur te. Nota quòd hæ voces ſunt omnium Angelorum, & hominum: Revertere, dicebant Angeli deſiderantes Mariæ aſſumptionem in Cœlo: Revertere, ſcilicet à tanta gloria, qua frueris in terra, ad hanc præparatam tuis excelſiſſimis meritis in Cœlis: Revertere, dicunt omnes habitatores terræ; & cur? ut intueamur te: Sed quid ô Angeli, ô beati, ô homines prætenditis ex aſpectu Mariæ? ut intueamur te, reſpondent, quia quidquid poſt Deum pulchrius, quidquid dulcius, quidquid jucundius in gloria eſt, hoc Maria, hoc in Maria, hoc per Mariam eſt: glorioſum omninò Mariæ privilegium eſt, quod poſt Deum major gloria noſtra, majus gaudium noſtrum de Maria eſt: ſumma gloria eſt Maria poſt Dominum te videre, tibi adhærere, in tuæ protectionis munimine demorari. *Op.ſpec.B.Virg.lect.6.*

CAP. VII.

276. *Perfecta pacis pulchritudo Eccleſiæ conſiſtit in bello: Idem & de anima fidelis dicitur.*

QUID *videbis in ſulamite niſi choros caſtrorum?* Sulamitis interpretatur pacifica, eſt enim idem ac Hieroſolimitana: ſi ergo hæc ſponſa eſt pacifica, tota paci addicta, ad quid choros caſtrorum in ſe retinet? ſed attende, quòd in hoc ſtat pulchritudo pacis Eccleſiæ ſponſæ Chriſti: de-

 bet

bet eoim eſſe ordinata ſicut acies caſtrorum, tota inquam, ordinata ad pugnandum contra oniverſitatem hoſtium, & in hoc conſiſtit pulchritudo, & paa Eccleſiæ, & animæ fidelis. *Ser.20. Hexam.* Ergo ſine bello non eſt paa animæ.

277. *Humilitas, obedientia, & recta intentio quàm charam Deo reddat animam, & promptam, celeremq; in itinere perfectionis.*

Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia Principis. Cur in calceamentis ſtat tanta pulchritudo greſſuum ſponſæ? ſed nota verba, ſigna myſteria: Iſte Princeps eſt Domioos Jeſus Chriſtus: filia dicitur quælibet anima propter timorem homilitatis, & ſubjectioois; pedes autem ejus ſunt potentia intellectiva, amativa, & operativa; greſſus dicuntur cogitationes, affectiones, & operationea, quibus anima graditur, & procedit: per calceameota, quæ fiunt de pellibus morticinis intelliguntur eaempla ſanctorum, qui dormierunt; unde tunc dicuntur greſſus pulchri cujuſlibet animæ in calceamentis, quando quaſi calceata, & informata exemplis ſanctorum, provocatur ad piè cogitandum, rectè loquendum, & benè operandum, & ſic talibus itineribus pervenitur ad ſalutem. *Ser.3. Dom.23. Pentec.*

278. *Iuſtus calceatis pedibus incedit: Impius diſcalceatis.*

Quàm pulchri ſunt greſſus tui filia Principis in calceamentis. Cur in calceamentis recognoſcit ſponſus pulchritudinem greſſuum ſponſæ? Cur non potius eam voluit diſcalceatam, cum hoc modo ambulaverint Apoſtoli? ſed nota myſterium: calceamenta ſunt eaempla ſanctorum, ut ſuprà dictum eſt, greſſus animæ ſignificaot intentioonem, & ideò ſponſa calceata talibus eaemplis per imitationem humilitatis, obedientiæ, aliarumque virtutum pulcherrimè incedit quaſi rectiſſima intentione: Et è contra hypocrita nudo pede incedit, quia Deum ſequitur corrupta iotentione; caret enim eaemplari pelle; uterque tamen ea fructibus ſuis cognoſcitur. *Op. de ſeptem itiner. ætern. Itin.1. d.4. & in Luc. c.15.v.22.*

279. *Obedientia debet eſſe ex affectu filiali, ut Deo anima placeat.*

Quàm pulchri ſunt greſſus tui filia Principis. Cur in inceſſo, & in calceatis pedibus ſponſus appellat ſponſam filiam Principis? Nota quòd pedes calceati dicuntur, qui promptitudioem habent ad itinerandum: filia dicitur Principis, ſcilicet Chriſti Jeſu, & Prælati, quæ prompta eſt ad obediendum in omnibus, filiali affectu eaemplo ſanctorum, qui per obedientiam, prompti, & veloces ambulaverunt de virtute in virtutem. *In Luc.c.15.v.22.*

280. *Maria filia ſingularis Patris æterni.*

Quàm pulchri ſunt greſſus tui filia Principis. Si hæc de Maria dicuntur, quomodò appellari poteſt verè filia Principis? ſed dicitur ſpeciali privilegio filia Principis, ſcilicet Patris æterni: filia, inquam, quia ſoli Mariæ communicavit ſuam fœcunditatem, ut poſſet parère filium eundem, quem ipſe ab æterno genuit: ô verè nobiliſſima filia nobiliſſimi Regis, quæ tam multiplici interiùs es ornata gloria. *Op. ſpec. B.Virg. lect.10. & 11.* Et hioc Theologi valde extollunt hoc privilegium, quo Mariæ ſuper omnes creaturas fuit communicata à Deo Patre, non Paternitas ſua, ſed materoitas, nempe gratia generandi eundem filium ſuum, ob idque meritò dicitur filia ſingularis Patris æterni.

281. *Maria exercitia virtutum imitanda proponuntur, quibus Deo ſummè placita fuit.*

Quid videbis in ſulamite, &c. quàm pulchri ſunt greſſus tui, &c. Nota quòd iſta verba propriè de Maria Virgine verificantur ſuper omnes alias animas, & ideo ſignificatur in ſulamite, vel ſunamite, ut diverſimodè legunt ſancti Patres, & in filia Principis, ſolamitis interpretatur pacifica, ſunamitis deſerta, vel captivata, vel miſera: per primam charitas, & bonitas Dei, & proximi Mariæ, per ſecundam humilitas, paupertas, & captivatio, quam ſemper habuit in divina voluntate: Additur: quàm pulchri ſunt greſſus tui, &c. quia tota vita Mariæ fuit continuus progreſſus, & exercitium omnium virtutum: Et hinc ipſa Beata Virgo Maria revelavit ſanctæ Eliſabeth filiæ Regis Vngariæ, ſe recepiſſe à Deo tot gratias, virtutes, & dona mediantibus maaimo labore, continua oratione, ardenti deſiderio, profunda devotione, multis lachrymis, jejuniis, & multa afflictione, dicendo cogitando & operando ſemper, quæ erant placita Deo: & amplius, quòd ita recipiebat augmentum tot gratiarum à Deo, ut ipſi videretur in ſe ipſa deficere, & perdere memoriam, abſque eo quod recordaretur ſe feciſſe, vel dixiſſe aliquid Deo gratum; ſicque ſemper ſibi videbatur vilior, & deſpectior, quàm umquam fuerit: & ideo totus curſus greſſuum animæ Mariæ fuit in eaercitio humilitatis, patientiæ, benignitatis, manſuetudinis, charitatis, & aliarum virtutum, per quos tam gratioſa erat in conſpectu Dei. *Op. meditat. c.3. & ſer.2. de B. Virg.*

282. *Sine vinculo aureo charitatis, nihil pulchrum in anima apud Deum.*

Iuncturæ fœmorum tuorum ſicut monilia, quæ fabricata ſunt manu artificis. Nota quòd hic ad laudem ſponſæ Spiritus ſanctus affert in medium juncturas fœmorum per quas ſignificatur, quod inceſſus hujus filiæ Principis ſine claudicatione, vel deformitate apparent, ſed concinnè, perfectèque ſe habent, ac juncturæ annulorum in monilibus: ſed quid ſunt iſtæ juncturæ in ſponſa Eccleſia? iſtæ ſunt vincula charitatis, quæ connectunt in anima omnes alias virtutes, ipſam ornant mirabiliter, redduntque ſpectabilem Deo, & Angelis, & hominibus: Nam poſita charitate, ponitur omne bonum, & illa remota, removetur omne utile ad ſalutem; ſicut colores perdunt eſſe formale, & pulchrum diſcedente luce, & recuperant ea adveniente: ſic virtutes diſcedente charitate, dicente Chriſto: qui diligit, maneç

manet in luce, qui autem odit manet in tenebris; *Ioan.c.2.*ergo hoc vinculum eſt. quod reddit animam Deo unitam, amicam, & acceptabilem. *Serm.4. Dom.17. Pentecoſt. & ſerm. 3. Dom.3. Adv.*

283. *Maria Virgo fuit crater tornatilis nectar dulciſſimum virtutum exemplorum, & gratiarum propinans mundo.* Unde de ipſa dicitur *Umbilicus tuus* (pars pro toto) *crater tornatilis*, ſcilicet torno factus, ut circumqnaque poſſet omnibus nutrimenta fidelibus emittere. *Op. Pſalt. min. quinq.2.*

284. *Mariæ Virginis uterus acervus tritici Paradiſi.*

Venter tuus ſicut acervus tritici vallatus liliis Ecce quomodò venter Beatæ Virginis extollitur à ſponſo Spiritu ſancto, ex hoc quod in ipſo abſconditum eſt frumentum electorum, ſcilicet Chriſtus, qui veluti frumentum nutrit fideles; in hoc utero paratus eſt panis hujus frumenti, nempe Euchariſtia, & hoc virtute ignis Spiritus ſancti, & ideo meritò etiam appellatur clybanus, in quo compoſitus, & coctus eſt panis vitæ. *Luc.c.22.v.27.Pſal.53.& 138.op.medit.c.4.*

285. *Eccleſia influit lac doctrinæ ſacræ per ſua ubera, ideſt per Prædicatores, & Doctores.*

Duo ubera tua ſicut duo hinnuli gemelli capreæ. Nota, quòd hic deſignat puritatem Eccleſiæ exuberantis lacte duorum teſtamentorum ſacræ ſcripturæ, & ipſum diſtillantis ad nutritionem ſuorum filiorum tanquam per ubera per Doctores, & Prædicatores: Verbum enim Dei eſt lac, & cibus habens ſaporem, & nutrimentum.*Ser.2. in ſeptuageſ. Pſal.118.& 103.Ioan.collat.31.& 35. Op.princip.S.ſcript.*

286. *Mariæ uberum laudes explicantur.*

Duo ubera tua ſicut duo hinnuli gemelli capreæ: Legit ſanctus Bonaventura; *ſicut duo Botri.* Hæc ſunt verba Spiritus ſancti, quibus laudans Mariam; dat intelligere etiam, quod Maria Virgo lactavit Unigenitum ſuum, & ſimul nutrivit ipſum, præbens ei ſuum ſanguinem, quo ſcelera noſtra leniret, & lavaret. *In Luc. c. 11. v. 27. ſeq. Op.laus B. Virg. ſig.12.* Vide ergo quomodò per lac Beatæ Virginis Deus, qui prius totus iracundus, factus eſt mitis, ſuavis, dulcis, & miſericors in hominem.

287. *Collum, naſus, oculi, caput, & coma Mariæ Virginis myſticè qualia.*

Collum tuum ſicut turris eburnea: oculi tui ſicut piſcina &c. naſus tuus ſicut turris Libani &c. Videntur iſtæ laudes parùm ad rem pro exaltanda pulchritudine, & excellentia Mariæ Virginis, attamen cum hîc à Spiritu ſancto myſticè inſerantur, benè etiam innuuntur prærogativæ ejuſdem Beatæ Virginis: nam dicitur collum tuum &c. ſcilicet Eccleſiæ collum eſt ipſa Virgo Maria; ſicut enim collum eſt medians, & uniens caput cum membris, & per quod à capite ad membra diffluunt ſpiritus animales; ſic Beata Virgo eſt collum Eccleſiæ, vel Chriſti, connectens membra cum Chriſto; & per quam tranſeunt gratiæ omnes à Chriſto ad nos: Dicitur ſicut Turris, quia ipſa defendit Eccleſiam, & omnes fideles ab inſidiis dæmonum, & periculis hujus vitæ: Dicitur eburnea, ob candorem, & firmitatem: oculi ejus ſunt exercitia vitæ activæ, & contemplativæ Mariæ: Item & orationes, quas cum lachrymis jugiter pro peccatoribus fundebat: Naſus ejus eſt diſcretio prudentialis, qua diſcernit verum à falſo, bonum à malo: Caput eſt mens elevata in Deum toto tempore vitæ: Comæ ſunt cogitationes ſanctæ tinctæ ſanguinis Chriſti merito, & virtute. *Ita Ugo Card. & ſparſim S.Bonavent.Pſal.118.c.10.v.4. & in Ecclen.c.2.Luc.c.10. v.42. & c.14.v.28. & op. ſpec.B.V. & op.Pſalt.B.Virg.*

288. *Converſatio cum Deo, & pulchritudinem, & delicias animæ affert: elongatio turpitudinem, & afflictionem.*

Quàm pulchra es, & quàm decora chariſſima, in deliciis. Ergone tantùm oſtenditur pulchritudo animæ in deliciis, & non potius in pœnalitatibus pro Chriſto toleratis? ſed nota illud verbum, chariſſima: quæ eſt anima chariſſima? niſi illa, quæ Deo placet, quæ gratiam conſervat, quæ humilitatem, patientiam, & alias virtutes exercet: hæc enim converſationem ſuam continuè cum Deo retinet, & per conſequens, & pulchritudinem, & decorem, & delicias ab illo fonte æterno extrahit, & participat: quæ enim major delectatio, quàm in fonte dulcedinis immergi? E contra, qui ſe elongat à Deo, iſte & turpitudinem, & afflictiones ſibi comparat. *Op. de dono ſap.c.7.Ecclen.c.2.& 5.*

289. *Iuſtus palmæ comparatur.*

Statura tua aſſimilata eſt palmæ, & ubera tua botris. Cur palmæ, ſtatura ſponſæ aſſimilata, cùm prima facie ſit nimis deſpecta, rugoſa, & debilis, atque tenuis? ſed optima eſt comparatio; nam anima juſta in radice eſt aſpera, humilis, & deſpecta, ſed poſtea latior, fortiorque cum foliis ſemper virentibus, & fructibus dulcibus, & quanto plus tribulationibus premitur, tantò magis fructificat. *Pſal.91: ſer.1. de S. Barthol. Ioan. c.12.v.25.*

290. *Maria transformata in Crucem, & crucifixa cum Chriſto, & Chriſtus crucifixus in ejus corde.*

Statura tua aſſimilata eſt palmæ: dixi aſcendam in palmam. Nota quòd illud nomen, ſtatura, apud plures Doctores eſt nomen verbale, ſignificatque ipſum ſtare Mariæ virginis: ſed quomodò ſtatio, vel ſtare Mariæ aſſimilatum eſt palmæ? palma ſignificat Crucem Chriſti Jeſu; quia in ea ipſe triumphavit de hoſtibus & hinc Evangeliſta dixit: ſtabat juxta crucem Ieſu Maria: Iuxta, ideſt æquè ac eodem modo, ſcilicet veluti Crux: & optimè; nam ad pedes Crucis converſa eſt in Crucem, & in ejus corde velut in ſpeculo vivo crucis crucifixus eſt Ieſus, nec hac pœna contenta, aſcendit & ipſa in palmam, ſcilicet in Crucem, & concrucifixa fuit cum Chriſto unde ſimul cum ipſa pendebat è Cruce

cor

cor Mariæ Virginis factum Crux, & crucifixum. *Ser. 1. in Paraſcev. ſer. 4. in Aſcenſ. ſer. 3. de S. Andr. op. expoſit. Miſſæ c. 4. ſtim. p. 1 ſ. 3. & 15. op. medit. c. 81.* Vide igitur cor Chriſti, & cor Mariæ amaricatum, inter quæ fiebat tunc fluxus, & refluxus in immenſo pœnarum mari.

291. *Corona datur tantùm perſeverantibus.*

Dixi aſcendam in palmam, & apprehendam fructus ejus. Cur non in olivam, & vel aliam arborem? quia palma eſt victorum, & ſignificat perſeverantiam, per quod edocemur, quod ſolùm victoribus datur corona in cælo, & ideo ſicut palma eſt arbor alta, pulcherrima, omni tempore foliis adornata, victoriæ ſignativa, diuturna, fructu dulciſſima: ſic & corona, & gloria, vitaque illa beata eſt altiſſima, quantùm ad locum, ſcilicet in Empireo; eſt pulcherrima vita continua, decorata propter aſpectum, ſeu viſum; eſt victorioſiſſima, quia nunquam ulla pugna concuſſa propter continuæ pacis effectum; eſt immenſiſſima nullo tempore finienda propter æternitatis bonum; eſt & fructu dulciſſima propter guſtum, & fruitionem voluntatis: & ſi hoc: quid eſt, quod tantum bonum contemnimus? cur non aſcendamus in palmam hanc & nos ſcalâ pœnitentiæ, & virtutum? ô ſtulti mercatores, qui commutant dantes pro terra aurum. *Ser. 1. de S. Barthol. ſer. 4. Dom. Pal. ſer. 3. de S. And.*

292. *Ad Crucis aſcenſum invitamur cum Chriſto, & ad apprehendendum fructus ejus.*

Dixi aſcendam in palmam, & apprehendam fructus ejus, &c. Nota quòd iſta verba ſunt ſervorum Dei, qui videntes Chriſtum in cruce pendentem dicunt: Aſcendam in palmam, ſcilicet crucem cum Chriſto portabo, & apprehendam fructus ejus: quos fructus? Nota quod fructus arboris crucis eſt, qui de virginali utero traxit originem & de ligno crucis ad maturitatem ſaporoſam per æterni ſolis calorem meridianum, Chriſti videlicet charitatem pervenit, & in horto Paradiſi cæleſtis, ſcilicet in Eccleſia Dei deſiderantibus ipſum proponitur deguſtandus: qui fructus eſt quidem in ſe unus, & indiviſus, tamen ſecundum multiplices ejus ſtatus, dignitates, virtutes, & opera multiformibus conſolationibus devotas animas cibat: felix igitur illa anima, quæ cum Chriſto aſcendit in palmam. *Op. ſtimul. vitæ in præfat. & ſer. 3. de S. Andr. Ioan. collat. 57. op. de ſept. itiner. ætern. itin. 4. d. 4. v. 3. op. expoſit. Miſſæ c. 4.*

293. *Verbi Dei prædicatio quàm efficax, & utilis: ubi de doctrina chriſtiana parvulis expoſita.*

Ubera tua ſunt ſicut botri vineæ, & odor oris ſicut malorum. Nota quod in his verbis exprimitur fructus prædicationis verbi Dei in Eccleſia: nam in Eccleſia ſunt duo ubera, & botri, ſcilicet duo teſtamenta, quia in Eccleſia exprimitur lac doctrinæ chriſtianæ parvulis, & vinum doctrinæ ſublimioris doctis, & perfectis, & in hoc felicitas Eccleſiæ catholicæ ſtat, quando ſcilicet & parvulis exhibetur lac doctrinæ, proportionatæ, & ſublimioribus vinum doctrinæ ſublimioris: tunc enim odor ipſius exhalat feliciter ad animas. *Pſal. 118. c. 1. v. 13. & c 7. v. 7. ſer. 2. Dom. Septuag.*

294. *Devotionis vinum in oratione, & laudibus divinis exhauritur.*

Guttur tuum ſicut vinum optimum dignum dilecto meo ad potandum. Quomodò comparatur guttur vino, ſi eſt guttur, quod ſentit dulcedinem vini? Nota, quòd per guttur ſignificatur oratio, & laus divina, quæ per animæ guttur promitur; ex hoc autem exhauritur vinum dulciſſimum devotionis. *In Ioan. collat. 13.*

295. *Anima diligens Deum, rediligitur ab ipſo Deo.*

Ego dilecto meo, & ad me converſio ejus. Quid eſt ad me converſio ejus? quænam eſt hæc converſio dilecti? ſed attende felicitatem animæ Deum diligentis: nam ſi ipſa jam ſublevata ad numerum Dei ſervorum fidelium convertit cor, animam, & totam ſeipſam ad illius amorem, & ipſa rediligitur ardenter à dilecto ſponſo Chriſto, ut Magdalena feliciter experta eſt: ſi vis igitur amari ô anima à Deo, ipſum Deum ama. *In Luc. c. 7. v. 43.*

296. *Dolores Chriſti in Cruce fluebant in Mariam, & dolores Mariæ refluebant in Chriſtum.*

Unde ſtans ad pedes Crucis, dicebat: *Ego dilecto meo, & ad me converſio ejus. In Ioan. c. 19. v. 26. Vide op. ſtim. p. 1. ſap. 3. & 15.*

297. *Proceſſus itineris perfectionis ab imo uſque ad ſummum deſcribitur.*

Veni dilecte mi, egrediamur in girum, commoremur in villis, manè ſurgamus ad vineas &c. Nota, quòd in his, & ſequentibus verbis hujus capitis innuitur totus proceſſus animæ tendentis ad perfectionem ab imo uſque ad ſummum: nam primò dicit, *Veni dilecte mi*, ſcilicet ô anima dilecta, quæ cupis ad ſummum perfectionis tendere, & pervenire: Ait enim, *Veni*, ſcilicet ad ſitibundam æternorum intentionem; hoc enim eſt primum iter, & primus paſſus: Secundò *Ingrediamur in agrum* per devotam æternorum meditationem? & hic eſt ſecundus paſſus, & iter: Tertiò *commoremur in villis*, vel *vallibus* per limpidam æternorum contemplationem; & hìc eſt tertius paſſus: Quartò *manè ſurgamus ad vineas* per internam æternorum dilectionem; & hìc eſt quartus paſſus: Quintò, *videamus ſi vinea floruit* per experimentalem æternorum prægultationem; & hìc eſt ſextus paſſus: ſeptimò *Videamus, ſi floruerunt mala punica* per collium æternorum deiformem operationem; & hìc eſt ſeptimus paſſus: ſicque ibit homo in domum æternitatis ſuæ, in qua erit manifeſta viſio, plena cognitio, vera dilectio, firma conjunctio, ſocietas individua, ſimilitudo perfecta, vita beata in æternum, & ultra in perpetuas æternitates: ô utinam & nos trahamus in odorem iſtorum

unguentorum dilecti. *Op. de ſeptem Itin. ætern. Itin. 7. d. 7.*

298. *Chriſtus ager plenus floribus, & fructibus odore ſuo attrahit animam.*

Veni dilecte mi, egrediamur in agrum. In quem agrum? & ad quid? hæc eſt anima diligens Deum in ſtatu contemplationis, quæ quamcumque aliam invitat ad hunc ſtatum, ad hoc ut intrent in agrum myſticum Chriſti; eſt enim verè ager plenus floribus virtutum, roſis donorum, liliis chariſmatum Spiritus ſancti ſuavium conſolationum, quæ ſunt fructus hujus delitioſiſſimi agri, & cujus odor fragrat penetrans uſque ad interiora animæ. *Ser Dom. quinquag.*

299 *Ad ſolum odorem virtutum Chriſti anima veluti inſenſibilis ad quaſcumque tribulationes.*

Videamus ſi vinea floruit, &c. mandragora dederunt odorem ſuum. Ad quid in hoc agro ponitur mandragorarum odor? ſed attende miſterium: mandragora eſt herba, cujus odor, & magis ſapor reddit velut inſenſibilem ad dolores: Dat igitur intelligere, quod anima per meditationem, & contemplationem intrans in vineas Eccleſiæ, & in agrum Domini noſtri Jeſu Chriſti, exibit ad ipſam talis odor, quod per amorem contemnit pænas quaſcumque pro Chriſto toleratas; hæc eſt enim vis amoris ardentiſſimi Chriſtianorum. *Ser. 2. de plurib. Confeſſorib.*

300. *Obſervantia mandatorum Dei concupiſcentiæ moderatur ardorem.*

Omnia poma nova ſervavi tibi dilecte mi. Quænam ſunt iſta poma ſervata à Chriſto? Iſta ſunt mandata Decalogi, & Evangelica, hæc in Eccleſia conſervantur, & proponuntur animæ obſervanda, ſed cur appellantur poma? quia pomum manducatur ad naturaliter alterandum, & moderandum nimiam corporis caliditatem ſic mandata proponuntur ad moderandam caliditatem nimiam concupiſcentiarum noſtrarum; nihil enim magis ipſas mortificat, quàm talis cuſtoditio. *Pſal. 118. c. 11. v. 8.*

CAP. VIII.

301 CHriſti amor patefactus eſt, quando voluit fieri noſter frater, quoad humanitatem, poſtquam aſſumpſit carnem noſtram: Unde anima dicit: quis mihi det te fratrem meum ſugentem ubera, &c. *Luc. c. 20. v. 28. & op. de ſep. donis c. 1.*

302. *Ad oſculum, & amplexum Chriſti invitatur anima.*

Quis mihi det te fratrem meum ſugentem ubera matris meæ, ut inveniam te, &c. Nota quòd hæc ſunt nota piæ animæ ad dilectū Ieſum orantis, & deſiderantis oſcula, & amplexus ipſius, & piæ nimia dulcedine dicentis: quis mihi det, &c. quaſi dicat, ſi tantam dulcedinem ingeris cogitanti, vel legenti, qualem infundes deguſtanti, & intus per contemplationem in theſauros intranti? ô dulciſſime Jeſu fac me intus guſtare per amorem, quod extra guſto per cogitationem; fac me ſentire per affectum, quod ſentio per intellectum: Vide ergo quomodo anima amore accenſa cupit ardenter tranſire à meditatione ad contemplationem, & ad deguſtandum oſculum, & amplexum ſponſi. *Op. ſoliloq. c. 1. & c. 4.*

303. *Ad menſam Euchariſticam velut ad præſepe ſalvatoris invitatur anima.*

Quis mihi det te fratrem meum ſugentem ubera matris meæ. Ecce quomodo proponitur Chriſtus deoſculandus in præſepio, & ſugens ubera in ſinu matris: ſed quomodò id à nobis exequendum? Nota quòd Chriſtus ſe exponit in altari veluti in tugurio Bethleem ſugens ubera matris; exponitur, inquam, veluti puer, & frater noſter; ut ad ipſum veluti pueri, & puri accedamus, deoſculemur, & amplectamur, & ſumamus intra nos. *Ser. 8. in die Nativit.* ſic anima inhians ad recipiendum Chriſtum in Euchariſtia, dicit: quis mihi det te fratrem meum ſugentem ubera matris, ideſt, qui ſuxiſti ubera Mariæ matris tuæ poſt generationem, & meæ per maternam pietatem, & inveniam te foris, ſcilicet non amplius incluſum in ſinu Patris, ſed foris jam exiſtentem in Eccleſia uſque ad conſummationem ſæculi, & deoſculer te, ſcilicet te recipiam in ore meo. *Sic S. Bonavent. & Ugo, & alii PP.*

304. *Vinum conditum palato Chriſti ſunt tribulationes à nobis toleratæ cum memoria, & imitatione paſſionis ejus.*

Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ, ibi me docebis, & dabo tibi poculum ex vino condito, & muſtum malorum granatorum meorum. Nota, quòd hæc ſunt verba ſponſæ dilectæ, ſcilicet animæ exiſtentis in gratia, quæ deſiderans adventum Chriſti in domum ſuæ conſcientiæ jam ditatæ, & ornatæ gratia Dei, tanquam genitrice novi ſui eſſe; ibi promittit Chriſto vinum conditum: & quodnam eſt hoc vinum palato Chriſti dulce? hoc eſt tolerantia paſſionum, & tribulationum temporalium mixta cum nectare memoriæ, & imitationis Chriſti: ſic enim dulceſſit Chriſti palato, & ſimul eidem animæ. *Op Diat. tit. 7. c. 7.*

305. *Vinum conditum, & dulce Chriſti palato, & anima qualiter fiat.*

Dabo tibi vinum conditum. Quodnam eſt hoc vinum conditum? & quomodò componitur? Nota, quòd ad litteram vinum conditum eſt nectar, ſcilicet compoſitum cum aliis aromaticis ingredientibus: Hoc vinum verò, quod mirabiliter placet Chriſto, & animæ ſalutiferum eſt, fit hoc modo: Nam ponitur in hac compoſitione, primò vinum myrrhatum, quo Chriſtus fuit potatus in Cruce, pro gariophilis ſunt clavi poſiti, quibus Chriſtus fuit confixus, pro cynamomo lignum Crucis, in quo fuit ſuſpenſus; pro

 ſacch-

ſaccharo dulciſſima charitas, & miſericordia, qua pro nobis fuit traditus, paſſus, & mortuus: & hæc omnia ſimul miſcentur in corde per meditationem internam, & ſic fit nectar Chriſto dulciſſimum, & animæ meditantis inebriativum. *Op. Diat.tit.8.c.1.*

306. *Charitas eſt nectar, vinumque dulciſſimum.*

Et dabo tibi vinum conditum. Nota etiam, quòd charitas ſignificatur in hoc vino condito: nam vinum conditum eſt dulce, acutum & forte: ſic charitas eſt dulciſſima ſuper omnia dulcia: tam dulce eſt hoc vinum, quod poteſt reddere dulce quodcumque amarum; eſt & acuta, & fortis, unde Chriſtus inebriat ſuos amicos hoc vino dulciſſimo charitatis. *Op. de Dono ſap. c. 5. op. Diet.tit.5.c.2.Ioan.collat.13.ſerm.2. Dom. 1. poſt oct.Epiph.* Nota etiam, quod vinum conditum eſt copulatio veteris teſtamenti, quod erat vinum auſterum, cum Evangelio, quod reſonat ubique dulcedinem; & cum muſto malorum punicorum, nempe cum revelatione ſacramentorum, & hoc eſt vinum, quod præparavit Chriſtus Eccleſiæ ſuæ ſponſæ. *ibid.& hic Vgo Card.*

307. *Bona temporalia à Deo nobis dantur, ut per ipſa ad ſpiritualium poſſeſſionem procedamus.*

Læva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Jam ſupra dictum eſt, quod per lævam ſignificantur bona temporalia, per dexteram, ſpiritualia: Vocat autem nos Deus dando temporalia in ſubſidium, ut ad ſpiritualium poſſeſſionem facilius procedamus; unde dicit: *læva ejus ſub capite*, quaſi pulvinar in via poſitum ad ſuſtentationem, & ideo in Evangelio ponitur pulvinar ſub ipſo, quia temporalia debent inſervire ſpiritualibus, & non è contra. *Pſal.118.c.4.v.5.Pſal.70.In Ecclen. c. 10. & Vgo Card.hic.*

308. *Contemplatio fervens paſſionis Chriſti eſt vinum reddens animam extaticam.*

Adjuro vos filiæ Hieruſalem, ne ſuſcitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit. Ecce tertia adjuratio, quam ſponſus facit ſuper ſomnum ſponſæ, ne ab ullo deturbetur à ſua requie: prima fuit in 2. cap. pro incipientibus: Secunda in tertio pro proficientibus: Hæc tertia eſt pro iis, qui vinum conditum biberunt, nempe, qui in contemplatione Crucifixi, & ejus paſſionis taliter abſorbentur inebriati ab illo camino amoris paſſionis dilecti, quod inter amplexus dilecti ſponſi ſuaviter obdormire videntur, quaſi elevati ad fruitionem gloriæ: & hic eſt altiſſimus gradus contemplationis, ad quem dignetur Dominus Jeſus nos elevare. *Op. meditat.c.49.Op.ſtim.p.1.c.4.& Vgo hic.*

309. *Eccleſiæ ultimi ſtatus felicitas, ſic & anima perfectæ expenditur.*

Quæ eſt iſta, quæ deſcendit de deſerto deliciis affluens innixa ſuper dilectum ſuum? Nota quòd in hoc libro Canticorum ter ponitur iſta interrogatio: Quæ eſt iſta, ſcilicet in capite tertio, ubi aſſimilatur virgulæ fumi: ſecunda in capite ſexto, ubi aſſimilatur auroræ &c. Tertia hîc, ubi dicitur quod Aſcendit deliciis affluens innixa ſuper dilectum ſuum, & datur intelligi triplex ſtatus Eccleſiæ: primus eſt in humilitatis ſtatu: Secundus in profectu, & delectatione: Tertius eſt in conſummatione, in qua fiet unum ovile, & unus Paſtor, & tunc erit in membris deliciis affluens, & tota innixa ſuper dilectum Chriſtum. Datur etiam intelligi triplex aſſenſus animæ, videlicet in ſtatu incipientium, proficientium, & perfectorum; & in hoc tertio anima deliciis affluit, & tota obliviſcens omnia creata innititur ſuper Chriſtum: felix igitur anima, quæ perſeveranter in via Dei proficit uſque ad ſummum hujus perfectionis, quia in hac vita ad participationem aliqualem beatitudinis elevabitur. *Ser.2.& 15.Hexam.Op.Itiner.ment.c.4.ſer.1. in ſabb.ſancto in Luc.c.12.v.52.*

310. *Angeli admirabantur videntes Animam Chriſti glorioſam, & ſimul aſperrimè pati.*

Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto deliciis affluent innixa ſuper dilectum ſuum? Nota illud verbum, de deſerto, & deliciis affluens: quomodò ſimul ſubſiſtere poſſunt vivere veluti deſolatum in deſerto, & de deſerto deliciis oneratum deſcendere? ſed attende, quod hoc de Anima Chriſti propriè verificatur: nam erat in deſerto, ſcilicet abſorpta pœnis, doloribus, & ſine conſolatione, & ſimul deliciis affluens, quia erat unita Verbo, & ibi glorioſa, ita quòd de tantorum extremorum conjunctione Angeli admirabantur dicentes: Quæ eſt iſta, quæ aſcendit, &c. *Ser.5.in Paraſc.*

311. *Animæ aſcenſus in cœlum gloria, & felicitas expenditur.*

Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens, &c. Nota, quòd iſtæ ſunt voces Angelorum videntium animam ſeparatam à corpore, & mundo aſcendentem in cœlum: ſed notandum illud verbum (quæ aſcendit) ergone anima propria virtute aſcendit in cœlum? minimè: Aſcendit, ſed elevata ſuper currum tanquam Regina: currus autem ſunt boni fructus, & ſtatus bonorum, nempe conjugalis, vidualis, & virginalis: qui currus erunt ignei per dilectionem, & ſic innixa anima ſuper dilectum ſuum, ſcilicet ſuper merita Chriſti, de deſerto mundi aſcendit ad cœlum, cui & Angeli, & mater Domini noſtri Jeſu Chriſti, & omnes beati occurrunt, & dicunt: Bibe nunc, & accumbe cum jucunditate, quia inveniſti gratiam coram ſummo Principe: ô inaudita magnificentia! ô læta, & jucunda excellentia! quam & nobis concedat Deus omnipotens, & miſericors. *Op.ſolil.c.4. & ſer.4.in Aſcenſ.*

312. *Mariæ Virginis aſſumptionis in cœlum gloria expenditur.*

Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens innixa ſuper dilectum ſuum. Nota, quòd iſtæ ſunt voces Angelorum feſtivè obviam venientium Dei Genitrici admirantium propter gloriam aſſumptionis Beatæ Virginis, & meritò: nam

nam ſolùm propriè de Maria poteſt dici', quod aſcendens in Cœlum deliciis affluebat, ſcilicet omnibus deliciis puræ creaturæ communicabilibus; nam ſuper omnes eſt ſancta, in qua ſeſt gratia ſuper gratiam, ſcilicet gratia gloriæ ſuper gratiam viæ, gratia præmiorum in cælo ſuper gratiam meritorum in mundo: Vide qualibus deliciis affluebat: nam in corpore erat dote claritatis clariſſima, ob donum ſanitatis, quod habuit in mundo: dote ſubtilitatis ſubtiliſſima; ob donum profnndiſſimæ humilitatis in via: dote agilitatis velociſſima, ob donum pietatis in via: dote impaſſibilitatis impaſſibiliſſima, ob donum patientiæ, & æquanimitatis in mundo: In anima item dote viſionis, fruitionis, & tentionis affluens ſuper omnes beatos, & Angelos. *Op. ſec. B. Virg. lect. 6. & 13.*

313. *Chriſtus inſculptus fuit ut ſignaculum in manibus, pedibus, corde, & capite.*

Pone me ut ſignacalam ſuper cor tuum, &c. Cur ſe appellat Chriſtus ſignaculum? quia eſt verè ſculptus, & ſignatus ſigillo clavorum, & lanceæ in manibus, pedibus, & pectore, & in capite ſigillo ſpinarum, totuſque factus veluti ſigillum, ut ipſo in nobis imprimere poſſimus ejus figuram, ſed ad hoc requiritur ignis Spiritus ſancti, qui molleſcat noſtram duritiam. *Ser. 4. Dom. infrà oct. Nativit. & ſer. 2. & 3. S. Franc. in addit.*

314. *Chriſtus quomodò ſculpendus in corde, & brachiis noſtris.*

Pone me ut ſignacalum ſuper cor tuum. Quomodò vult Chriſtus, ut ipſum ponamus ut ſigillum in corde, &c. Nota, quòd primo loco ponit cor, ſecundo brachia: & transfer mentem ad puerum Jeſum, quomodò prius introductus eſt in Templum, poſtea Simeon in ulnas ipſum accepit: ſic & nos prius debemus ejus imaginem, imò ipſum ſculpere, & introducere in Templum cordis liquefacti dilectionis igne Spiritus ſancti veluti in cera candida, & deinde ſuſcipere, & amplecti in brachiis operum ſanctorum, dans nobis intelligere, quod Chriſtus, & cognitione, & affectu, & effectu debet in nobis imprimi. *Ser. 4. Dom. infrà oct. Nativit. In Luc. c. 11. v. 48. ſer. 2. & 3. de S. Franc.*

315. *Sculpendus Chriſtus crucifixus in nobis.*

Pone me at ſignaculum ſuper cor tuam, ut ſignaculam ſuper brachiam tuum. Nota illud verbum in corde, quia Chriſtus veluti ſigillum amoris debet poni in corde molli per contritionem, & amorem, ut in nobis imprimatur imago & memoria paſſionis ipſius: Addit poſtea ut ſignaculum ſuper brachium, quia non ſufficit meditari, & recolere paſſionem Chriſti Jeſu, ſed ipſum operibus imitari; & veluti ſculpere ipſum in corde, in manibus, & pedibus per imitationem, & hoc clavis, & lanceâ Chriſti, nempe pœnalitatum tolerantiâ. *Ser. 1. Dom. 17. Pent. ſer. 2. de plur. mart. Luc. c. 1. v. 44. & c. 14. v. 41. op. de perfect. vitæ c. 6.*

316. *Memoria charitatis oſtenſæ à Chriſto in Euchariſtia recolenda corde, & opere.*

Pone me ut ſignacalum ſuper cor tuam, &c. Quomodo hoc ſigillum ponendum intra pectus? ſed notaodum, quod dicit pone me, ideſt, non ſolum imaginem, ſed me, meam perſonam, ait Chriſtus: & quomodo id faciendum, cum ipſe in cœlo maneat, non in terris? Verum quidem eſt, quod in Cœlo manet, ſed manet etiam in Euchariſtia: Accipiat igitur anima fidelis Chriſtum in Euchariſtia, & eum collocet in pectore, ſicque ponet ſignaculum, vel ſigillum in corde per intimam unionem; & hoc eſt quod præcipuè intendit Chriſtus: nam licèt magnum ſignum amoris in Incarnatione fuerit, & in paſſione, tamen cum in illis modis ſit quædam ſeparatio inter dantem, & datum; in iſto verò eſt mirabilis & interminabilis unio inter cibatum, & cibum, & converſio mutua unius, & alterius, & ratione iſtius unionis dicit Chriſtus animæ guſtanti dulcedinem ſacramenti, & amoris: Pone me ut ſignaculum charitatis ſuper cor tuum, quod eſt in medio hominis propter unionem cibi, & cibantis, & converſionem cibati ad cibum; ut ſignaculum ſuper brachium tuum propter oſtenſionem virtuoſæ operationis: nam probatio amoris, eſt exhibitio operis, quia fortis eſt ut mors dilectio, quæ me duxit ad tot anguſtias, & ad mortem Crucis: Dura ſicut Infernus æmulatio mei Patris æterni, qui poſtquam filium habuit incarnatum, ad mortem duci permiſit, & reſuſcitatum pro vobis oſtendit, cum gloria, & honore coronatum, & ſublimatum ſuper cœlos, eum conſtituit vobis viatoribus adjutorem, & præmium comprehenſorum. *Serm. 1. Dom. 4. quadrag. Luc. cap. 22. verſ. 19.*

317. *Nomen Ieſus eſt ſigillum Chriſti ſculpendum in corde, & brachiis.*

Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuam, ut ſignaculam ſuper brachiam tuam. Quomodò poſſumus ponere Jeſum ſuper cor, & brachia? Videtur hoc impoſſibile? ſed attende myſterium: pone me, ſcilicet imaginem meam, nempe ſignaculum, vel ſignum, vel ſigillum meum in corde tuo: quodnam eſt hoc ſignum, vel ſigillum? Hoc eſt nomen Jeſus; In hoc enim nomine, ſcriptum veluti ſigillum in vaſculo, involvitur Chriſtus Deus, & homo: homo mitis, manſuetus, miſericors, purus, ſanctus, & mundus, Deus omnipotens, in hoc vaſculo continetur veluti medicina virtus ſanandi animam à quacumque infirmitate: Pone igitur me, ait Chriſtus, ſcilicet ſemper tibi in ſinu ſit, ſemper in manu, quo tu; & brachio, & cordi medearis, quo tui omnes & ſenſus, & actus in Jeſum dirigantur, quo veluti ſigno efficaci ignito actus tuos vel pravos corrigas, vel minus perfectos adimpleas, quo & ſenſus tuos aut ſerves, ne corrumpantur, aut ſi corrumpantur ſanes: ô charitas quanta, quantus amor Chriſti Jeſu in nobis. *Op. meditat. cap. 100.*

318. *Charitatis vis, & efficacia expenditur.*

Quia fortis eſt ut mors dilectio, dura ſicut Infernus æmulatio. Cur fortis ut mors? Cur dura ſicut Infernus æmulatio, vel zelus, vel zelotypia? Nota quòd mors omnia vincit, Infernus tenaciter tenet id, quod una vice recepit: ſic eſt charitas: nam amor intenſus in Deum nihil timet, reſiſtit ignibus, undis, ferro, Regibus, & Poteſtatibus; nihil, inquam, timet, nec amiſſionem, vel privationem rerum, vel ſanitatis, vel vitæ, ſed pro dilecto Chriſto ſe ſubjicit tortoribus, tormentis, morti; & quod aliquando poſſidet, numquam ipſum permittit perdere: Exemplum patens eſt in martyribus, qui pro Chriſti amore incenſi omnia reliquerunt, perdiderunt etiam vitam: ergo non ſolum fortis eſt dilectio ſicut mors, imò fortior: ô felix, qui Chriſtum amat. *Op. de perfect. vitæ c. 6. Op. Comp. Theol. cap. 36. Op. de Apol. paup. reſp. 2. c. 1. ſer. 2. & 23. Hexam. ſer. 5. de uno mart. Luc. c. 11. v. 12. ſer. 1. Dom. 17. Pent ſer. 2. de S. magdal. op. de dono tim. c. 2. op. myſt. Theol. c. 2. p. 2. Op. de ſept. Itin. ætern. Itin. 4. d. 4. a. 3. & d. 7. Op. de Eccleſ. Hier. p. 1. c. 1. Luc. c. 10. v 27. Pſal. 119. & 128.*

319. *Charitas, & amor in Deum affert mortem ſpiritualem feliciſſimam.*

Quia fortis eſt ut mors dilectio. Nota, quòd hoc intelligitur etiam de morte ſpirituali; nam charitas vera in Deum mortem ſpiritualem feliciſſimam affert animæ: ſicut enim charitas ad mortem traxit Chriſtum, ſic charitas in anima ad modum mortis ſeparantis animam à corpore, ſegregat animam à mundo, & à carnali amore, & facit mori quidquid eſt in nobis carnale. *Ser. Dom. 15. Pent. ſer. 2. de S. mag.*

320. *Maria Virgo poſuit filium ſuum parvulum in corde & brachiis ſicut ſigillum amoris divini: Idem eſt ſanctus ſenex Simeon.*

Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum &c. Nota quòd vagitus, & nutus parvuli Jeſu nihil aliud reſonabant auribus Beatæ Virginis, quando ad ſuos pedes vidit ipſum natum & in terra jacentem: Idemmet & Simeoni, quando ipſum accepit in ulnas ſuas: Pone me, dicebat parvulus ſuis vagitibus ut ſignaculum ſuper cor tuum, et ſignaculum ſuper brachium tuum: ſic ergo aſpice Mariam Virginem ſe inclinantem ad terram, & recolligentem parvulum Jeſum natum, & dulciter amplexantem inter ulnas ſuas lactantem eum ubere de Cœlo pleno, & cætera obſequia ei facientem: aſpice item qualem ardorem charitatis in corde Mariæ Virginis redundantem ex tactu, & amplexu dilecti filii: Aſpice ſenem Simeonem accipientem in ulnas ſuas eundem parvulum Jeſum ut ſignaculum in corde impreſſum ſigillo charitatis, & in brachiis: Aſpice & tu ô anima, & imitare Mariam, & ſenem hunc feliciſſimum, & pone ipſum inter brachia cordis tui veluti ſignaculum, & ſigillum cæleſte. *Op. medit. c. 7. & Luc. c. 1. v. 28.*

321. *Charitas Chriſti qualis oſtenſa in paſſione: Charitas item & amor ſancti Patris Franciſci expenditur.*

Aquæ multæ amaritudinis pœnarum quarumcumque non potuerunt extinguere charitatem Chriſti: nam immenſa ejus charitas ipſum ſubire fecit immenſas tribulationes, pœnas, dolores, pro nobis; deditque omnem ſubſtantiam domus ſuæ, ſcilicet ſuam vitam morti: In Thre. c. 3. Idem proportionabiliter verificatum eſt in ſancto Patre noſtro Franciſco, cujus ardor & amor non potuit extingui ab aquis tribulationum, & pœnalitatum. *Op. legendo S. Franc. c. 13. & ſer. 2. & 3. de S. Laur. in addit.*

322. *Charitas in medio ſpinarum, & tribulationum intenſior redditur.*

Aquæ multa non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam &c. Ad quid opponuntur hic aquæ cum charitate? illæ ſunt materiales, iſta res ſpiritualis? ſed attende, quòd aquæ iſtæ ſunt tribulationes, & pœnalitates atrociores: & dat intelligere, quod ſicut ſolares radii majorem calorem generant in aqua, quàm in terra, quia cum aqua ſit magis calori contraria, quam terra, dum radii majus contrarium inveniunt in aqua, fuſius ad victoriam radii contrarii exardeſcunt, quia omne contrarium, (ait Philoſophus) fortius inſurgit, dum ſuum contrarium adeſſe perſentit: ſic & charitas, dum pœnas extinguentes acuunt vires; unde non ſolùm non poſſunt extinguere charitatem, ſed potius & fuſior, & intenſior fit. *Serm. 2. de plurib. Confeſſ. Op. de ſept. Itiner. ætern. Itin. 4. d. 5. a. 2.*

323. *Negotiatio charitatis quàm lucroſa.*

Si dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam. Vide qualem mercaturam tibi proponit Spiritus ſanctus; nempe pro margarita dilectionis Dei abrenunciationem omnium rerum; hæc enim eſt bona mercatura, cum nihil pretioſius ſit invenire dilectione, & charitate Dei, quam ſancti tanti æſtimaverunt, quod nihil reputarent totum mundum extra Deum. *Ser. 6. in Rogat. ſer. 3. Dom. 14. Pent.* Hinc eſt, quod quantum homo diligit Deum, tantùm omnia temporalia quaſi ſtercus deſpicit. Vide igitur, & attende ad hanc cœleſtem mercaturam, ut diteſcas. *Ser. 3. Dom. 17. Pent. Ser. 1. de S. Iacobo. ſer. de S. Elizab. ſer. 2. de plurib. Confeſſ. Ecclen. proœm. Luc. c. 18. v. 17.*

324. *Mariæ charitas, & patientia in adverſis, & perſecutionibus quanta.*

Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. Si hoc verificatur in cæteris ſanctis, multo magis in Beata Virgine; & ideo dicit quòd aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem ejus: quænam aquæ multæ? aquæ tribulationum non potuerunt occidere Mariam, nec extinguere ejus charitatem: ô quàm aquæ multæ, ſcilicet acutiſſima Chriſti paſſio animam Mariæ per compaſſionem quidem pertranſivit, ipſam tamen nec per odium occidit,

dit, nec per impatientiam vulneravit. *Op. ſpec. B.Virg.lect.4.*

325. *Flumina peccatorum, quæ totam terram operuerũt, non potuerunt obruere Mariam, ubi de immaculata ejus conceptione.*

Aquæ multæ, &c. nec flumina obruerunt illam. Nota quod hæc eſt prophetia de conceptione Beatæ Mariæ Virginis: unde Eccleſia in officio hujus Myſterii legit: Nec flumina peccatorum potuerunt obruere illam: licet enim peccati aquæ, & flumina per totam terram confluxerint, & cooperuerint totam maſſam hominum, ab hac miſeria tamen excepta, & privilegiata eſt Maria Virgo, quæ a 10 ipſius conceptionis inſtanti repleta fuit charitate, & tantis donis ſanctificantibus, & ornantibus, quod illa flumina non potuerunt vel attingere illam. *Se.2.de B.Virg.* 326. *Eccleſia in principio fuit parvula abſque uberibus.* Sed poſt adventum Spiritus ſancti grandis facta eſt, & Doctoribus ſanctis ditata, quorum munus fuit veluti ubera filiis exhibere, & lac præbere fidelibus. *Pſal.71.Ugo hic.*

327. *Oratio eſt murus validiſſimus defendens ab omni impetu inimicorum.*

Si murus eſt, ædificemus ſuper eum propugnacula. Nota, quòd in Eccleſiæ, & animæ dilectionem Deus murum, vel potius turrim fortiſſimam ædificavit, ſcilicet inſtituit orationem, qua ſecurè, & fortiter munitur contra omnes ictus diaboli, & inimicorum, & per eam impeditur effectus iræ divinæ. *Pſal.79.Diat.tit.2.c.5.*

328. *Maria Virgo eſt murus, & caſtrum fortiſſimum munitum turribus.*

Ego murus, & ubera mea turris, ex quo facta ſum coram eo pacem reperiens. Si hæc verba dicuntur in perſona Mariæ Virginis, quomodo ſe appellat murum? murus eſt, non ſimplex, ſed munimentum, ſeu caſtrum fortiſſimum turribus munitum, nempe ſanctitate, prudentia, devotione, potentia, fortitudine, & ſapientia ſuper omnes ſanctos, *Luc.c.10.* prope finem, ſed cur ubera aſſimilantur turri? Turri, quia Maria oſtendens filio pectus, & ubera, iram Dei compeſcit, tamquam optima mediatrix inter Deum, & nos. *Op.ſpec.B.Virg.lect.11.*

329. *Vinea Eccleſia à Chriſto data eſt in cuſtodiam Principis, & Sacerdotibus, & Prædicatoribus.*

Vinea fuit pacifico in ea, quæ habet populos: tradidit eam cuſtodibus, vir affert pro fructu ejus mille argenteos. Nota, quòd per vineam hic intelligit ſanctam Eccleſiam, quam Chriſtus in pace fundavit, hæcque continet populos multos undequaque collatos: hanc vineam tradidit in cuſtodiam colonis, & cuſtodibus, nempe Epiſcopis, Sacerdotibus, & Prædicatoribus, qui tenentur eam colere verbo, & exemplo, & cuſtodire ab hoſtibus, qui eam cuſtodientes diligenter tamquam viti virtute præditi afferunt pro fructu mille argenteos, ſcilicet homines perfectos; & addit Chriſtus; *Vinea mea coram me eſt, &c.* conſiderando diligenter qualem cuſtodiam habeant iſti coloni, & cuſtodes: In quibus verbis inſtruimur de graviſſima obligatione Prælatorum, quam habent circa talem cuſtodiam, & quam Deus zelet de bona cura ſuæ vineæ; & ex conſequenti, quàm ſeverè puniet negligentes, & vineam dimittentes ſub gubernatione impiorum, qui ſunt vulpes eam deſtruentes. *Luc.c.20. v.9.op.ſpec.B.Virg.lect.17.& 18.& Ugo Card.*

330. *Fructus filiorum Eccleſiæ ex Maria Virgine recognoſcendus.*

Vinea fuit coram pacifico, &c. tradidit eam cuſtodibus, vir affert pro fructu mille argenteos. Ecce qualis eſt fructus, quem reportat Chriſtus fundator Eccleſiæ, nempe collationem juſtorum, & perfectorum, qui ſignificantur in millenario: ſed tamen ex Maria tanta bona recognoſcenda, tum quia ipſa protulit Chriſtum fructum ventris ſui tanquam Dominum vineæ: Tum etiam, quia omnes cuſtodes Eccleſiæ ſubordinati ſunt Mariæ, quæ eſt veluti cuſtos cuſtodum, ſcilicet cuſtos, & quies tutiſſima creaturarum, & hominum, & ab incurſione hoſtium omnes defendens. *Op. ſpec B.Virg. lect.17. & 18. & lect. 14. Op. Laus B. Virg. ſig.10. & 15. Op. Pſalt. min. quinq.3.*

331. *Conſcientia vinea excolenda coram Chriſto.*

Vinea mea coram me eſt: mille tui pacifici, & ducenti his, qui cuſtodiunt eam. Nota, quòd hæc vinea myſticè eſt conſcientia; unde dicere quiſque poteſt, vineæ conſcientia coram me eſt: Idem & Chriſtus conſcientia tua, quæ vinea mea eſt, coram me eſt, quia Chriſtus attendit quomodò à nobis excolatur, & cuſtodiatur, quòd ſi bonam cuſtodiam ſervaverimus, expectare debemus fructum millenarium pacificis promiſſum, & duplam ſtolam animæ, & corporis: quicumque ergo vult habere denarium vitæ æternæ, videat diligenter, an ſit operarius, an vinea producat ſpinas, & vepres, & pro uva, labruſcas. *Ser.2. Dom.ſeptuag.*

332. *Pſalmodia in Eccleſia quàm dulcis Deo, & Angelis.*

Quæ habitas in hortis, amici auſcultant te, fac me audire vocem tuam. Hæc ſunt verba ſponſi ad Eccleſiam, quæ eſt ſponſa Chriſti, & dicitur habitare in hortis, quia Eccleſiæ ſunt horti amœniſſimi, in quibus pſalmodia, oratio, & laudes divinæ decantantur à fidelibus: has voces amici auſcultant Sancti Angeli cum maxima delectatione, quia interſunt cantantibus, adſunt orantibus, inſunt meditantibus, ſuperſunt quieſcentibus, & ordinantibus, & procurantibus proſunt: has voces libenter audit Deus. *Ser.4. Dom.8.Pentec.ſer.5.in Pent.*

333. *Oratio eſt vox ſummopere dulcis auribus Dei, & Angelorum.*

Quæ habitas in hortis, amici auſcultant te, fac me audire vocem tuam. Quæ eſt iſta, quæ habitat in hortis? hæc eſt anima habitans in horto Eccleſiæ, & in ſtudio, exercitioque virtutum, ſci-

licet plantas virtutum inſerit in hoc horto, hæcque dedita orationi emittit voces, quas libenter auſcultant Deus, & Angeli, quorum quilibet dicit: fac me audire vocem tuam; vox enim tua dulcis: In his plantis habitant volucres cœli, nempe animæ fideles, & orantes feliciter prædicando, orando, ſuſpirando, laudando, meditando cantantes: Hi amici quantò magis dulcem cantum, & dulciora orationum verba à nobis audiunt, tantò magis amici noſtri fiunt: Ait igitur ſponſus: ſonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies conſcientiæ decora, & munda: Nota autem quòd dicit, ſonet vox tua in auribus meis, non in auribus hominum, ad vanam gloriam, & facies tuæ conſcientiæ ſit decota, & pura: ô felix anima porè orans, & pſalleus. *Ser. 5. in Pent. ſer. 4. Dom. 8. Pentec.*

334. *Angeli ad exequias juſtorum conveniunt: dæmones ad exequias impiorum.*

Quæ habitas in hortis, amici auſcultant, &c. Ergo Angeli auſcultant libenter voces pſallentium, & orantium piè in Eccleſia: & hinc iſti amici libenter ad exequias noſtras in morte conveniunt; dum enim amici corporales conveniunt ad deportandum corpus ad ſepulturam, & Angeli conveniunt ad deportandam animam ad Regnum cœleſte; ſicut & dæmones conveniunt ad deportandam animam injuſtam ad Infernum. *Ser. 4. Dom. 8. Pentec.*

335. *Mariæ voces qualem fructum produxerint in Elizabeth, Ioanne, & Zacharia.*

Quæ habitas in hortis, amici auſcultant: fac me audire vocem tuam. Transfer mentem ad domum Eliaabeth, quando Maua Virgo viſitavit, & ſalutavit ipſam; quæ ut audivit ſalutationem Mariæ, ſtatim lætificata eſt, & exultavit infans in oreto, & ſimiliter Zacharias, quaſi dicerent Mariæ: Quæ habitas in hortis &c. ſcilicet in horto florigero Nazareth in ſtudio virtutum, amici auſcultant te, fac nos audire vocem tuam: & cur? quia voces ſalutis ex illa, quæ conceperat Verbum Incatoatum, in quo eſt ſalus emittebantur, ex quibus vocibus mater ſancta Elizabeth verbo virgineo excitata fuit, & proles cum Patre lætificata, quaſi geſtiens ſalutare, & aſſurgere Domino ſuo, cujus erat Præcurſor. *In Luc. c. 1. v. 40.*

336. Nota autem hîc, quòd non obſcure ſanctus Bonaventura innuit, quod apud Vegam in ſua Theologia mariana, dicunt plures Theologi, nempe voces Mariæ Virginis in hac ſalutatione elevatas fuiſſe à Spiritu ſancto, ita quod miniſterialiter attigerint ſanctificationem Ioannis Baptiſtæ in utero factam à Deo, & infuſionem gratiæ multiplicis in anima Elizabeth, & Zachariæ. *In Luc. ibid.*

Utinam & dignetur Beatiſſima Virgo Maria, quæ eſt tota charitate flagrans, nos ſalutare per gratiam ſuam, & gratiam filii nobis impetrare, ut tandem pctveniamos in Cœlum ad ſecum Deum laudandum in ſæcula ſæculorum. Amen.

Explicit expoſitio Seraphici Doctoris in Cantica, ad laudem Dei, & beatiſſimæ Virginis.

IN LIBRUM SAPIENTIÆ.

PROLOGUS.

LIBER Sapientiæ licet à Salomone originaliter fuerit compoſitus, tamen communiter tantum tres antecedentes Libri, ſcilicet Proverbiorum, Canticorum, & Eccleſiaſtes Salomoni attribuuntur, quia certum eſt, ipſum hos immediatè compoſuiſſe; & tradidiſſe; hunc autem D. Jeronimus, communiterque ſancti Patres attribuunt Philoni diſertiſſimo Judæorum, vel alteri doctiſſimo viro valdè perito, qui in idiomate græco ipſum compilavit, licet à multis attribuatur eidem Salomoni tanquam immediato ſcriptori, & Authori, qui liber ab Eccleſia inter canonicos meritò eſt receptus. Cætera, quæ ſpectant ad prolegomena hujus libri, videantur apud Seraphicum Doctorem in Tomo primo ipſum de more ſolito ſubtiliſſimè, & piiſſimè exponentem; unde ne actum agamus, ſolùm in ſequentibus ordinatim ſubjiciemus aliquas expoſitiones, quas in aliis ſcriptis ipſe ſanctus Doctor concinnavit, attingendo tamen etiam aliquando ſecundùm opportunitatem aliquas ſententais poſitas in ordine in eodem commentario.

CAPUT PRIMUM.

1. *Judex in judicando, ut conformet ſe Deo, debet non ſolùm exequi juſtitiam, ſed id facere amore ipſius juſtitiæ.*

DILIGITE *juſtitiam, qui judicatis terram.* Nota quòd Sapiens in hoc primo capitulo agit de juſtitia hominis ad Deum debita & in ſequentibus de juſtitia debita ad proximum: Ideo vertens ſe ad Judices, & Rectores in communi, primo loco ſuadet non ſolùm executionem juſtitiæ, ſed & tantæ virtutis dilectionem; & amorem: hoc enim eſt perfectè ſe conformare ſupremo Iudici, qui eſt Deus, quia ex amore juſtitiæ cæteræ virtutes hinc conſequuntur: hinc incipit: Diligite juſtitiam, qui judicatis terram, quia rectus Iudex debet primò diligere toto corde hanc virtutem; & ſic ob amorem juſtitiæ, & virtutis exequi munus ſuum: quia cum talis amor feratur in ultimum finem ſcilicet Deum, qui eſt juſtitia increata, ſic ſuum opus erit Deo gratum, perfectum omnibus numeris compoſitum, & meritorium. *Sap. c. 1.*

2. *Modus quærendi, & inveniendi ſecurè Deum hic traditur.*

Sentite de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis veſtri quærite illum, quoniam invenitur ab his, qui non tentant illum, apparet autem eis, qui fidem habent in illum: Ecce quòd Spiritus ſanctus nobis in his verbis aperit viam, & tradit modum, quo ſecurè poſſumus quærere & invenire Deum, ipſumque poſſidere: Dicit igitur primò: ſentite de Domino in bonitate: ſecundò: quærite in ſimplicitate: Tertiò: Non tentare: Quartò: habere fidem in illum: Nam primò debet anima habere rectam dignamque æſtimationem, quia de Deo altiſſimè, piiſſimè, & ſanctiſſimè ſentiendum, videlicet certa fide credendo, attenta mente conſiderando, & perſpicaci rationis intuitu cum admiratione perſpiciendo ſcilicet ejuſdem altiſſimam Majeſtatem, piiſſimam bonitatem, & ſublimiſſimam ſanctitatem: Addit, & in ſimplicitate cordis quærite illum, ſcilicet, quærite Deum per continuationem devotæ orationis, & meditationis in ſimplicitate cordis, ſcilicet totam cordis intentionem dirigendo, & per puritatem ordinatæ affectionis elongando, & ſeparando cor ab omnibus terrenis: nam quot res cor diligit, tot ſibi unit, & componit, eo quod amor ſive humanus, ſive divinus eſt vis unitiva, & ob id, quantò cor plura, & diverſa diligit terrena, tantò compoſitius redditur, & ad interitum ſe appropinquat: ſed cum ſe elongat, & ſeparat ſe ab his terrenis, ut uni, & ſimplici, cui totum cor ſine defectione debetur, adhæreat, & uniatur per amorem tunc ex tali unione ſimplici, & pura, acquirit cordis ſimplicitatem, & puritatem. A talibus verò invenitur, non verò ab illis, qui tentant illum, ſicut facit, qui per curioſitatem præſumptuoſus, & temerarius perſcrutator eſt majeſtatis, qui quaſi per tenebroſitatem pedeſtram ratiocinationum ſic innititur, ut velit figere aſpectum in ſplendoribus æternis; iſte enim phantaſtica tenebroſitate opprimetur à gloria; apparet

apparet autem eis, qui fidei adminiculo per exceſſus contemplationis altius ſupra ſeipſos elevantes Deum perſpicaciter contemplantur: Ecce igitur quomodo, qui vult perfectè invenire Deum, debet primò altè ſentire de Deo: ſecundò debet ſe elevare ſupra omnia creata, & totam mentis aciem in Deum figere, per amorem, & contemplationem auxilio fidei elevantis animam. *Ser.1. Dom.infrà oct. Epiph. ſer.4. Dom.14. Pent. ſap.hic Op. de regim. anima Luc.c.19. v.2. Ioan.c.7.v.34.*

3. *Congruum magis fuit, Chriſtum ita redimere hominem, ut etiam à nobis ſatisfactionem exigeret.*

Diligite juſtitiam, qui judicatis terram. Nota, quòd Spiritus ſanctus his verbis obſtruit ora impiorum hæreticorum, qui dicunt Chriſtum ita ſatisfeciſſe pro nobis, quod ex parte noſtra non requirit amplius pœnitentiam, & ſatisfactionem: Chriſtus enim fuit exemplar perfectiſſimum & ſubditorum, & Prælatorum: ſubditos enim docuit, ipſos exemplo ſui debere remittere, & parcere offenſas abſque vindicta: Prælatos verò in hoc, quod emendam pro delictis publicam, & punitionem, requſivit Deus & ſatisfactionem, ut ſic decor miſericordiæ, & juſtitiæ ſervetur, miſericordiæ à ſubditis, & juſtitiæ à Prælatis: & hinc patet quantum decens ſit, ut Deus ab homine ſatisfactionem vel privatam, vel publicam exigeret pro injuria ſibi illata, ut ſimul currat miſericordia cum juſtitia. *lib.3.d.20. a.1.q.2.*

4. *Unuſquiſque in ſeipſum juſtitiam exerceat.*

Diligite juſtitiam, qui judicatis terram. Ergone juſtitiæ amor proprius eſt tantùm Iudicum, & Prælatorum, & non etiam omnium juſtorum, cum dicat Chriſtus, Beati, qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam? ſed attende, quod monitum dirigitur, non ſolùm Iudicibus, ut dictum eſt, ſed etiam omnibus hominibus: nam per terram hic myſticè intelligitur etiam corpus, & corporis concupiſcantia, quæ ſunt cuilibet communia: hæc terra judicanda eſt, & in illam juſtitia exequenda eſt judicio diſciplinæ diſcretæ, caſtigando corpus, & in ſervitutem redigendo concupiſcentias, & malas inclinationes, ſubjiciendoque eas rationi ſub Deo, jejuniis, diſciplinis, & mortificationibus; & hoc eſt judicium, & juſtitia, quam exigit Deus ab utroque noſtrum. *In Sap.c.1.*

5. *Cogitationes pravæ cordis elongant ab ipſo Deum, & advocant diabolum: Bonæ uniunt cum Deo, & enutriunt.*

Perverſa cogitationes hominem ſeparant à Deo: nec in malevolam animam introibit ſapientia. Vide quid elongat Deum ab anima, quid item impedit adventum ſapientiæ, & Spiritus ſancti in animam, nempe pravæ cogitationes, ſcilicet vel perverſitate fidei, vel motum, cum iſtæ inficiant animam: & è contra bonæ, & puræ Deo uniuntur, & amore, quo uniuntur enutriunt: & ratio eſt, quia cor ſicut eſt omnium membrorum primum, ſic eſt radicale ſubjectum, & principale domicilium amoris: hinc fit, quòd id, quod valdè diligimus, libenter etiam oculis inſpicimus, & ſæpe ad ipſum oculos elevamus, de ipſo libenter loqui audimus, libenter ad locum, ubi eſt pergimus, brachiis amplectimur, & oſcula illi amoris imprimimus: ergo primum nutrimentum caſti amoris maximè in corde exiſtit, ut ſint mundæ affectiones, caſtæ meditationes, & ſemper devotæ cogitationes: E contra cogitationes malæ diſſipationem omnium bonorum faciunt, & ad modum aquæ ignem devotionis extinguunt, & affligunt. *Ser.2.de S.Laurent Ecclen.c.1.Luc.c.5.v.21.in Ioan.c.9. v. 31. op. de perfect.religioſ.l.1.cap.13.*

6. *Mundus Deus mundam ſedem, & habitationem tantùm habitat.*

In malevolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Notanda iſta verba diligenter ab his, qui ſpiritum Dei deſiderant concipere, & recipere, & profitentur vitam ſpiritualem: Dat enim ſacer textus intelligere, quod cum duplex ſit ſapientia, alia cæleſtis, divinaque, alia terrena, & animalis, diabolicaque; illa enim cum ſit ſcientia ſapida, ſcilicet cognitio Dei, deteſtatio vitiorum, & dilectio Dei, atque virtutum, non recipitur abſque infuſione Spiritus ſancti: qui hanc prætendit recipere, neceſſe eſt, quod ejus anima ſit purgata ab omni carnalitate, fœditate, & peccatis, quia in malevolam animam non poteſt intrare, nec habitare in corpore, ſcilicet in homine (pars pro toto) peccatis infecto, & præcipuè luxuriæ, quia ſapientia divina, quæ eſt vivificus panis non præſtat influxum vitæ, nec nutrimentum in membris abſciſſis, & mortuis, ſed tantùm in vivis: ſi igitur ô vir Dei optas adventum Spiritus ſancti cum ſua gratia, & donis, ſcias, quod non poſſunt ſimul morari Dei ſpiritus, & ſpiritus carnis, mundi, & diaboli, & quod oportet, ut domum conſcientiæ diligenter expurges, ut præpares dignum locum divinæ ſapientiæ. *Ser.2.de S. Gregor.ſer.1. de Dedicat.op.Eccleſ.Hier.p.1.c.3.& 4.& p.3. c.2. op. de preparat. ad miſſam c.4. ſer. Hexam. bis. Pſal.13. Luc.c.15.v.24.l.4.d.9.a.2. q.1.*

7. *Idem probatur de adventu Spiritus ſancti in anima.*

Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, & auferet ſe à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu, & corripietur à ſuperveniente iniquitate. Ecce quòd ſemper ſacer textus clarius confirmat, non poſſe ſtare ſimul ſpiritum Dei puriſſimum, & ſpiritum diaboli in eodem corde: nota autem hic peculiariter; quod Spiritus ſanctus ſummè abhorret cor fictum, & cogitationes ſine intellectu, & iniquitates ſupervenientes: per quæ dat intelligere, quod Spiritus ſanctus non advenit in anima infecta peccato, & privata charitate, licet exterius videatur prædita ſanctitate per hypochriſim, nec in mente, in qua reſident cogitationes animales, & beſtiales, nec in voluntate ad mundanas voluptates totaliter dedita; ſed requirit Spiritus ſanctus odium mundi, & ipſius voluptatem, odium, & contemptum ſui, dilectio

dilectionemque Dei ſuper omnia. *Op. de ſept. donis c.5.*

8. *Studium ſapientiæ cæleſtis quales conditiones exigat.*

Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, & auferet cogitationibus, &c. Nota quod Sapientia cæleſtis exprimitur nomine Spiritus ſancti diſciplinæ, ſcilicet ſpiritus eſt diſciplinæ, quia in ſua ſchola docet omnem virtutem, & diſciplinam rationalem, naturalem, & moralem tollens omnem ignorantiam, & ſapientiam donãs, eſtque ſanctus, quia purgat, & renovat: qui ſpiritus longè aufugit à ficto, & hypochrita peccatore, & à cogitationibus erroneis, & falſis, & ab omni iniquitate: Exigit igitur adventus ſpiritus ſapientiæ, primò recognitionem ſui, ſcilicet internorum, & externorum defectuum, per quod ſe nihil æſtimans, ſe deſpicit: ſecundò diſciplinam, ſcilicet caſtigationem paſſionum, ipſas reſtringendo, & domando ſub poteſtate rationis: tertio ordinationem cogitationum, ſcilicet reſtringendo phantaſmata, ne nos impediant in agendo, quod convenit, & maximè in actionibus ſpiritualibus, oratione, meditatione, & contemplatione: ô felix anima, quæ ſic ſe diſponit ad adventum ſpiritus ſapientiæ cæleſtis in ſchola Chriſti. *Ser.19.Hexam.Luc. c.24.v.14.Ioan.collat.72.*

9. *Anima ſapiens benigna, & obediens eſt.*

Benignus enim eſt ſpiritus ſapientiæ. Nota copulationem benignitatis cum ſapientia, quia benignitas, ſuaſibilitas, docibilitas, & obedientia, prompta ſunt filiæ inſeparabiles ſapientiæ cæleſtis: unde qui non eſt obediens, nec ſapiens eſt, ſed ſtultus. *Ser.2.Hexam.*

10. *Benignus quidem eſt Spiritus ſanctus.* Sed tamen etiam juſtus in peccatores ex motivo talis benignitatis: unde hîc dicitur, Benignus eſt ſpiritus ſapientiæ, & non liberabit maledictum &c. quia licet ſit miſericors, eſt etiam juſtus. *Sap. c.1.hic.*

11. *Solùm ſpiritus Dei poteſt replere capacitatem, & vacuitatem animæ rationalis.*

Spiritus Domini replevit orbem terrarum. Quis eſt ſpiritus Domini? ſpiritus Domini, ſcilicet vel quia eſt Deus Dominus omnium, vel quia procedit à Domino Patre, & Filio: Iſte Spiritus ſanctus replevit orbem terrarum: quem orbem terrarum? nempe animam juſti, quæ eſt mundus parvus: ſolus enim ſpiritus Dei poteſt replere vacuitatem, & capacitatem infinitam animæ noſtræ, cætera autem creata potius ipſi famem, & inſatiabilitatem ingerunt. *Luc.c.1.v.15.& c.12. v.18.Pſal.118.c.5.v.1.Ioan.collat.67.*

12. *In die Pentecoſtes Spiritus ſanctus replevit Eccleſiam omnibus bonis, & verbi divini prædicatione ipſam dotavit.*

Spiritus Domini replevit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia ſcientiam habet vocis. Quis eſt orbis terræ repletus à ſpiritu Domini? & quando? Nota quòd ad litteram poteſt intelligi de creatione omnium rerum, quando ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas: ſed myſticè orbis terrarum eſt Eccleſia, & dicitur orbis terrarum tum propter ſui dilatationem, tum propter ſui perfectionem, tum propter ſui ſtabilitatem, tum propter compoſitionem factam ab inimicis, tum propter humani generis ſuſtentationem, & vivificationem: ſpiritus igitur ſanctus replevit in die Pentecoſtes Eccleſiam omnibus bonis, eique continens omnia aſſiſtit, & præcipuè in ipſa ſcientiam habet vocis, ſcilicet ipſam providit Doctoribus, & Prædicatoribus habentibus & ſientiam, & vocem in prædicatione. *In ſap.c.1.Ecclen.c.11.& ſer.3.fer.3.Pent.*

13. *In die Judicii liber conſcientiarum tria continebit examinanda coram omnibus.*

Qui loquitur iniqua non poteſt latere &c. In cogitationibus impii interrogatio erit, ſermonum autem illius auditio ad Deum veniet, ad correptionem iniquitatum illius. Nota quòd hîc ſacer textus innuit id, quod ſpiritus Domini, qui novit omnia faciet in judicio, quando aperietur liber conſcientiarum, in quo tria examinabuntur, ſcilicet cogitationes, verba, & opera cunctis videntibus, & audientibus. *Op.Diat.tit.3.c.1.*

14. *Murmuratio quàm ſollicitè vitanda.*

Qui loquitur iniqua, &c. ſermonum illius, &c. quoniam auris zeli audit omnia, &c. cuſtodite ergo vos à murmuratione, &c. & à detractione. Notanda diligenter omnia iſta verba Spiritus ſancti, quæ dictantur in odium murmurationis, & detractionis: ſic enim cogitationes malæ faciunt fugere Spiritum ſanctum, multò magis verba iniqua, impudica, & præcipuè detractoria; nam detractionem ſummopere odit Dominus, & magis detractores, qui ſubiicientur divino judicio, & zelus iræ Dei cadet ſuper illos in hac, & in alia vita. *Luc.c.12.v.2. & c.8.v.30. & 18. & 15. v.2.in ſap.hic Luc.c.5.v.30.& c.16. v.24.& c.19. v.7.op.ſpec.diſcipl.p.1.c.31.*

15. *Mendacium quàm Deo abominabile, & pernicioſum.*

Os, quod mentitur occidit animam. Nota quòd dicit, occidit animam: ergone omne mendacium erit peccatum mortale, & mortem inferens animæ? nonne datur mendacium veniale? Datur quidem, ſed hîc loquitur de mendacio, quod graviter eſt proximo pernicioſum, & eſt de materia gravi: hoc quidem occidit animam: & licèt dentur mendacia, quæ non occidunt animam, ſunt tamen Deo exoſa omnia, cum mendacium pugnet immediatè contra Deum, qui eſt prima, & ſumma veritas: in mendacio enim duo concurrunt, ſcilicet dicere falſum, & intentio fallendi, quæ conditiones ſimul unitæ nunquam poſſunt eſſe licitæ, & diſpenſabiles. *L.3.d.38.a.1.q.1.ad 3.*

16. *Deus mortem non fecit, nec delectatur in perditione vivorum.*

Quomodo hoc poteſt verè dici? nonne mors eſt à Deo? nonne torquet damnatos, ſic exigente ſua juſtitia? ſed attende, quòd verum eſt, mortem eſſe à Deo, ſed vindicante, non verò ut naturam inſtituente, quia fecit eam non ſubjectam actuali morti; ſed quia peccavit homo, ideo ſic exigente juſtitia ſua mortem inflixit homini in pœnam: & quia Chriſtus aſſumpſit naturam humanam, ut ſubjectam morti, hinc expreſsè ſubjectus eſt voluntariæ morti: ſicque patet, mortem trahere originem à peccato. *L.2. d.19.a 1.q.2.& d.36.a.3.q.1 & l.3. d.15.a.1.q.3. in ſap.cap.16.ſer.4.Dom.15.poſt Pent.*

17. *Juſtitia habitus eſt perpetuus, quia in patria remanebit, nec evacuabitur.*

Juſtitia perpetua eſt, & immortalis. Nota, quòd in his verbis extollit ſapiens excellentiam juſtitiæ ſuper omnes alias virtutes, prædicans ipſam perpetuam, & immortalem: Unde cum ordinet animam ad Deum, ad ſeipſum, & ad proximum, & cum hæc ordinatio excellentiſſima ſit in patria, hæc remanebit in patria quantum ad habitum, ſicut & cæteræ virtutes cardinales, & etiam quantum ad uſum diſponentem ad finem totalem, & ultimum: Dicitur ergo perpetua, primò quia perpetuat animam, ſtabiliendo eam in debito loco, ſcilicet ſub Deo, & ſupra corporales creaturas, unde dicitur etiam thronus, in quo reſidet Deus: ſecundò, quia manebit in patria ſecundum eſſentiam, & uſum. *Op.Comp. Theol.l.5.c.37.Op.de Eccleſ.Hier.p.1.c.4.*

18. *Peccatum eſt origo, radix mortis, & mors eſt ipſius ſtipendium, ipſam accelerans, & trahens ad hominem.*

Impii autem manibus, & verbis accerſerunt, & æſtimantes illam amicam defluxerunt, & ſponſiones poſuerunt ad illam, quoniam digni ſunt, qui ſint ex parte illius. Ecce unde oritur mors, ſcilicet non à Deo, ſed ex peccato; ſtipendium enim peccati eſt mors, & quod horribile eſt; peccatum accerſit mortem, accelerans illam, & abbrevians vitam: nec enim eſt major ſtimulus advocans mortem, ſcilicet culpæ, mortem corporalem, & æternam ipſo peccato, quod impii veluti ſponſione ſibi deſponſant per obſtinationem: & nota hic ordinem talis effectus: primò enim eſt impietas in corde per conſenſum: ſecundò in manibus per executionem operis: Tertiò verbum defenſionis, vel gloriationis in peccato: Quartò amicitia & ſpes importunitatis: Quintò defluxus per iterationem pravæ conſuetudinis: Sextò ſponſionem per obdurationem mentis: Septimò mors impœnitentiæ finalis: Ecce quos effectus peſſimos ex peccato. *In ſap.c.1. & c.15. Pſal.118.c.9.v.6.*

CAP. II.

19. *Quàm impii ſint, qui non credentes teſtimoniis divini verbi, quærunt prodigia, & miracula.*

DIXERUNT enim cogitantes apud ſe non rectè: exiguum & cum tadio eſt tempus vitæ noſtræ, & non eſt refugium in finem hominis, & non eſt, qui agnitus ſit reverſus ab inferis, &c. Pende iſta verba & ipſa confer cum aliis à divite damnato prolatis *Luc.c.16.* Rogo te Pater, ut mittas Lazarum ad fratres meos, &c. cui reſponſum eſt: habent Moyſen, & Prophetas audiant illos, qui iterum ſubjunxit, Non: ſed ſi quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent: quod reſponſum ſugillavit Spiritus ſanctus, dicens: ſi Moyſen non audiunt, neque, ſi quis ex mortuis reſurrexerit credent: hæc autem dicuntur contra obſtinatos, qui ex prædicatione Verbi Dei non excitantur ad pœnitentiam, attendentes ad prodigia, & miracula, ut à vita mala ſe ſublevent: hic autem eſt error maximus, qui ſi non provocantur ex hoc, quod vident homines quotidie mori, nec etiam provocabuntur, videntes eos reſuſcitari, & ſi non credunt teſtimonio magis credibili, nempe verbis Dei infallibilis veritatis, nec credent mortuo reſuſcitato, cujus teſtimonium eſt minus credibile: Væ igitur talibus obſtinatis in malo. *Luc.c.16.prope finem.*

20. *Vitæ præſentis miſeriæ expenduntur.*

Vita noſtra tamquam veſtigium nubis, & ſicut nebula diſſolvetur, quæ fugata eſt à radiis ſolis: umbræ tranſitus eſt tempus noſtrum, &c. Nota, quòd hæc ſimilia proferuntur tanquam dicta ab incredulis, nec credentibus, quod remaneat poſt hanc vitam alia æterna: attamen veriſſimè, licet mala intentione, dicunt comparantes hanc vitam noſtram mortalem umbræ tranſitui, & nebulæ: verum enim eſt, quod cito pertranſit tamquam nebula, quæ ſui veſtigium nullum relinquit in tranſitu: ex qua fragilitate excitati debemus ad rectè operandum, & ad aggregandum merita, & bona pro alia vita. *Ser.2. ciner. ſoliloq. cap.1. op. Diat. tit.1. cap.7. & ſerm. 5. in Pentec.*

21. *Invitatoria Eccleſiæ in feſtis Dei; & invitatoria impiorum in feſtis diaboli qualia.*

Venite ergo, & fruamur bonis, quæ ſunt, & utamur creatura tanquam in juventute celeriter: vino pretioſo, &c. Nota iſta verba, & ſigna miſteria: *Venite*; dicunt iſti increduli, & impii, ut videas quod ſicut Eccleſia ſecundum diverſa feſta, habet diverſa invitatoria, & Venite: ſic & Synagoga peccatorum, nempe invitatorium vanitatis, ut *in Gen. c.11.* Iniquitatis, *ut Gen. c. 37.* avaritiæ cupiditatis, *ut Proverb. c. 1.* aliud voluptatis, ut hic, Venite fruamur bonis: ſic enim impii

impii mutuò ſe invitant ad perpetrandum mala, & ad perfruendas voluptates: in quo notandum, quòd dicunt, Venite fruamur bonis, quia tanquam principalem finem ſibi præfigunt iſta bona creata, quia in eo fruitur quis, in quo quieſcit appetitus, & ideo ipſis reſpondebit Chriſtus: Diſcedite à me maledicti, &c. *Sap. c. 2. Ecclen. c.2.in princip.& c.11.ſer.5.in Pentec.*

22. *Corona impiorum, & iniuſtorum qualis.*

Coronemus nos roſis antequam marceſcant, nullum ſit pratum, quod non pertranſeat luxuria noſtra. Ecce, quid dicunt impii inhiantes ad coronas, quæ marceſcunt, ad differentiam juſtorum inhiantium ad coronas immarceſcibiles in gloria: illi has intendunt, quærunt, & ſibi faciunt in hac vita, ſed roſis, quæ mane ſunt virides, & ſero ſiccæ, mane redolentes, ſero fœditæ, mane ſpecioſæ, ſero apparent nullæ: ſic ſic, & tales ſunt coronæ laſcivorum, avarorum, & ſuperborum, ad has adſpirant iſti ſtulti; & ſi ſic cito evaneſcunt, quid homo carnalis gloriaris in corona vaniſſima? quid de tanta vanitate lætaris? nonne vides, quod cum ſtent cæleſtia corpora, quatuor elementa, ſtent metalla, aliaque multa, tu verò totus vanus, ut umbra velocius tranſis quàm umbra? ſic Nero Imperator, qui totus captivus fuit carnis, impudicè ſerviens laſciviis, ſæpe ferens ſerta de roſis, dum carnalium hominum vanitatem non agnovit, dum diu regnare ſe credidit, judicante Deo, quem eſſe non credidit, manu propria fuſtem per ventrem transfodit: Ad coronas potius caſtitatis, humilitatis, & ſanctitatis curramus, quæ nunquam ſunt perituræ. *Ser. 2. de S. Barthol. Ecclen.proœm.*

23. *Signa domus diaboli, & ſigna domus Chriſti qualia.*

Ubique relinquamus ſigna lætitiæ, quoniam hæc eſt pars noſtra, & hæc eſt ſors. Vide & audi quid dicunt cantantes iſti ſtulti, & impii: Ubique relinquamus ſigna lætitiæ: quænam ſunt iſta ſigna lætitiæ? Nota quod dicit, *lætitiæ ſigna*, quia non eſt vera lætitia in impietate, ſed tantùm ſignum exterius, & apparens: ſigna autem iſta ſunt ſuperbiæ in apparatu veſtium contra Chriſti humilitatem, & paupertatem: item & voluptatis, & laſciviæ contra Chriſti pœnalitatem: talibus ſignis ſignata eſt domus dicata, non Chriſto, ſed diabolo, quæ ſunt ſigna proſtitutionis, quæ ab impiis ubique in omnibus actibus oſtenduntur in fronte ſcilicet, in corde, & in manu, ideſt in operatione: E contra verò domus dicata Chriſto ſignata eſt ſigno pœnitentiæ, crucis, & pietatis. *Ser.1.in Dedicat. ſer.1. Dom.1. Adv. Luc.c.11. v.16. Ioan. c.19. v.6.& collat.73. ſer.2. Dom. inf.oct. Nativit. ſer.3.in Pent. ſer.2. Dom.5. Pent. Ecclen. c.3. & c. 8. & 9. Sap. hic.* ſi ergo vis cognoſcere quis ſit habitator, & poſſeſſor alicujus domus, & hominis, aſpice ad ſigna externa: ex ipſis enim facile perſpicies, an ſit Chriſti, an diaboli.

24. *Superborum proprium eſt juſtos, & pauperes opprimere.* Unde in ſuis actibus & corde continuè inter ſe ſe mutuò dicunt: *opprimamus juſtum, & non parcamus viduæ, &c.* Ad hoc ſemper inhiant, & ſic ſibi ipſis quærunt ruinam, quia fabricans in ruinam proximi, fabricat ruinam ſibi. *Luc.c.18.v.2.ſap.hic.Luc.c.9.v.53.& c.20.v.14.*

25. *Qui mundum, & diabolum ſequuntur, verbum Dei, & ipſum Deum audire recuſant.*

Gravis eſt etiam nobis ad videndum, &c. promittit ſe ſcientiam Dei habere, &c. Hæc ſunt verba impiorum ſequentium mundum qui abhorrentes res divinas, imò ipſum Deum recuſant etiam ſcientiam Dei, & ejus verba audire, quia ipſis ſunt gravia, & contemptibilia, nec id mirum, quia qui ex Deo eſt verba Dei audit. *Ioan. c. 8. v.48.*

26. *Diſſimilis vita ſequacium mundi, & Dei:* Unde hic dicunt: *Gravis eſt nobis ad videndum, quoniam diſſimilis eſt aliis vita ejus:* diſſimilitudo enim morum reddit etiam diſſimilitudinem affectionum. *Ioan. collat.* 70. Nota etiam quod hæc poſſunt dici in perſona aliquorum clericorum odientium ob ſuam vitam improbam, religioſos bonos, maximè fratres minores, ob diſſimilitudinem vitæ. *Op.Determinat.q.27.*

27. *De Chriſto Ieſu dicta fuerunt à Iudæis omnia iſta contumelioſa verba, & pœna ipſi illata:* Unde hæc fuit prophetia clariſſima de ipſius paſſione, & pœnis: *Vide Luc.c.2.14.20.& 22.v.22.& 64. & c.23.v.21.& 37. Ioan.c.18. in fine & c.19.v.6. & collat.54 ſer.1.& 6.in Pent. & ſer.3. Dom.14. Pent.& op.Comp.Theol.l.4.c.21.*

28. *Excæcatio, & obduratio impiorum propriè non eſt à Deo, ſed à malitia: ubi de effectibus talis excæcationis.*

Hæc cogitaverunt, & erraverunt: excæcavit enim illos malitia eorum. Nota quòd dicit, Excæcavit illos malitia eorum, ut videas, quod excæcatio, ſicut & obduratio propriè non eſt à Deo, niſi prout eſt pœna, & paſſio, & aliquid poſitivum, ſed formaliter eſt ex malitia impiorum; unde in hac non datur ulla excæcatio, ſed totum eſt à culpa ipſorum. *l.2.d.36.q.ult.* Notandum autem, quod dicit hæc cogitaverunt, & erraverunt, quia talis malitia, & excæcatio aufert cognitionem rectam de Deo, & in errores infinitos inducit animas. *Op.de 7.donis c.5.ſap.c.13. in princip.Luc.c.5.v.21.& c.6.v.10.*

29. *Ex Invidia Chriſtus à Iudæis occiſus eſt:* Undè hìc ſacer textus dicit, quòd invidiâ Diaboli mors intravit in mundum; imitantur autem illum, qui ſunt ex parte illius, ſicut fecerunt Judæi, ſcribæ, Phariſæi, & Principes ſinagogæ: turba autem ex ignorantia, non tamen excuſante à peccato ipſum morti tradidit. *l.2 d.40.dub.3. Luc.c.23.v.10.*

30. *Invidia Diaboli mortem in mundum invexit, imitatoreſque Diaboli ſunt omnes invidi:* Ubi de damnis invidiæ horribilibus: Unde hic dicit ſacer textus. *Invidia mors intravit in mundum; imitantur autem illum, qui ſunt ex parte illius.* Ex his patet, quod Diabolus per invidiam tentavit noſtros parentes, & eos ſubegit: hæc autem de bonis proximi dolet, & de malis gaudet; unde ſocii, & filii Diaboli ſunt omnes invidi, & homicidæ ſpirituales proximi. *L.2. d.11. a.1. q.1.*

cor Mariæ Virginis factum Crux, & crucifixum. *Ser. 1. in Paraſcev. ſer. 4 in Aſcenſ. ſer. 3. de S. Andr. op. expoſit. Miſſa c. 4. ſtim. p. 1 ſ. 3. & 15. op. medit. c. 81.* Vide igitur cor Chriſti, & cor Mariæ amaricatum, inter quæ fiebat tunc fluxus, & refluxus in immenſo pœnarum mari.

291. *Corona datur tantùm perſeverantibus.*

Dixi aſcendam in palmam, & apprehendam fructus ejus. Cur non in olivam, & vel aliam arborem? quia palma eſt victorum, & ſignificat perſeverantiam, per quod edocemur, quod ſolùm victoribus datur corona in cælo, & ideo ſicut palma eſt arbor alta, pulcherrima, omni tempore foliis adornata, victoriæ ſignativa, diuturna, fructu dulciſſima: ſic & corona, & gloria, vitaque illa beata eſt altiſſima, quantùm ad locum, ſcilicet in Empireo; eſt pulcherrima vita continua, decorata propter aſpectum, ſeu viſum; eſt victorioſiſſima, quia nunquam ulla pugna concuſſa propter continuæ pacis effectum; eſt immenſiſſima nullo tempore finienda propter æternitatis bonum; eſt & fructu dulciſſima propter guſtum, & fruitionem voluntatis: & ſi hoc: quid eſt, quod tantum bonum contemnimus: cur non aſcendamus in palmam hanc & nos ſcalâ pœnitentiæ, & virtutum? ô ſtulti mercatores, qui commutant dantes pro terra aurum. *Ser. 1. de S. Barthol. ſer. 4. Dom. Pal. ſer. 3. de S. And.*

292. *Ad Crucis aſcenſum invitamur cum Chriſto, & ad apprehendendum fructus ejus.*

Dixi aſcendam in palmam, & apprehendam fructus ejus, &c. Nota quòd iſta verba ſunt ſervorum Dei, qui videntes Chriſtum in cruce pendentem dicunt: Aſcendam in palmam, ſcilicet crucem cum Chriſto portabo, & apprehendam fructus ejus: quos fructus? Nota quod fructus arboris crucis eſt, qui de virginali utero traxit originem & de ligno crucis ad maturitatem ſaporoſam per æterni ſolis calorem meridianum, Chriſti videlicet charitatem pervenit, & in horto Paradiſi cæleſtis, ſcilicet in Eccleſia Dei deſiderantibus ipſum proponitur deguſtandus: qui fructus eſt quidem in ſe unus, & indiviſus, tamen ſecundum multiplices ejus ſtatus, dignitates, virtutes, & opera multiformibus conſolationibus devotas animas cibat: felix igitur illa anima, quæ cum Chriſto aſcendit in palmam. *Op. ſ[illegible] vitæ in præfat. & ſer. 3. de S. Andr. Ioan. collat. 57. op. de ſept. itiner. ætern. itin. 4. d. 4. v. 3. op. expoſit. Miſſæ c. 4.*

293. *Verbi Dei prædicatio quàm efficax, & utilis: ubi de doctrina chriſtiana parvulis expoſita.*

Ubera tua ſunt ſicut botri vineæ, & odor oris ſicut malorum. Nota quod in his verbis exprimitur fructus prædicationis verbi Dei in Eccleſia: nam in Eccleſia ſunt duo ubera, & botri, ſcilicet duo teſtamenta, quia in Eccleſia exprimitur lac doctrinæ chriſtianæ parvulis, & vinum doctrinæ ſublimioris doctis, & perfectis, & in hoc felicitas Eccleſiæ catholicæ ſtat, quando ſcilicet & parvulis exhibetur lac doctrinæ, proportionatè, & ſublimioribus vinum doctrinæ ſublimioris: tunc enim odor ipſius exhalat feliciter ad animas. *Pſal. 118. c. 1. v. 13. & c. 7. v. 7. ſer. 2. Dom. Septuag.*

294. *Devotionis vinum in oratione, & laudibus divinis exhauritur.*

Guttur tuum ſicut vinum optimum dignum dilecto meo ad potandum. Quomodò comparatur guttur vino, ſi eſt guttur, quod ſentit dulcedinem vini? Nota, quòd per guttur ſignificatur oratio, & laus divina, quæ per animæ guttur promitur; ex hoc autem exhauritur vinum dulciſſimum devotionis. *In Ioan. collat. 13.*

295. *Anima diligens Deum, rediligitur ab ipſo Deo.*

Ego dilecto meo, & ad me converſio ejus. Quid eſt ad me converſio ejus? quænam eſt hæc converſio dilecti? ſed attende felicitatem animæ Deum diligentis: nam ſi ipſa jam ſublevata ad numerum Dei ſervorum fidelium convertit cor, animum, & totam ſeipſam ad illius amorem, & ipſa rediligitur ardenter à dilecto ſponſo Chriſto, ut Magdalena feliciter experta eſt: ſi vis igitur amari ô anima à Deo, ipſum Deum ama. *In Luc. c. 7. v. 43.*

296. *Dolores Chriſti in Cruce fluebant in Mariam, & dolores Mariæ refluebant in Chriſtum.*

Unde ſtans ad pedes Crucis, dicebat: *Ego dilecto meo, & ad me converſio ejus. In Ioan. c. 19. v. 26. Vide op. ſtim. p. 1 ſap. 3. & 15.*

297. *Proceſſus itineris perfectionis ab imo uſque ad ſummum deſcribitur.*

Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis, mane ſurgamus ad vineas &c. Nota, quòd in his, & ſequentibus verbis hujus capitis innuitur totus proceſſus animæ tendentis ad perfectionem ab imo uſque ad ſummum: nam primò dicit, *Veni dilecte mi*, ſcilicet ô anima dilecta, quæ cupis ad ſummum perfectionis tendere, & pervenire: Ait enim, *Veni*, ſcilicet ad ſitibundam æternorum intentionem; hoc enim eſt primum iter, & primus paſſus: Secundò *Ingrediamur in agrum* per devotam æternorum meditationem; & hic eſt ſecundus paſſus, & iter: Tertiò *commoremur in villis*, vel *vallibus* per limpidam æternorum contemplationem; & hic eſt tertius paſſus: Quartò *mane ſurgamus ad vineas* per internam æternorum dilectionem; & hic eſt quartus paſſus: Quintò, *videamus ſi vinea floruit* per experimentalem æternorum prægustationem; & hic eſt ſextus paſſus: ſeptimò *Videamus, ſi floruerunt mala punica* per collium æternorum deiformem operationem; & hic eſt ſeptimus paſſus: ſicque ibit homo in domum æternitatis ſuæ, in qua erit manifeſta viſio, plena cognitio, vera dilectio, firma conjunctio, ſocietas individua, ſimilitudo perfecta, vita beata in æternum, & ultra in perpetuas æternitates: utinam & nos trahamus in odorem iſtorum

unguento

unguentorum dilecti. *Op. de ſeptem Itin. ætern. Itin. 7. d. 7.*

298. *Chriſtus ager plenus floribus, & fructibus odore ſuo attrahit animam.*

Veni dilecte mi, egrediamur in agrum. In quem agrum? & ad quid? hæc eſt anima diligens Deum in ſtatu contemplationis, quæ quamcumque aliam invitat ad hunc ſtatum, ad hoc ut intrent in agrum myſticum Chriſti; eſt enim verè ager plenus floribus virtutum, roſis donorum, liliis chariſmatum Spiritus ſancti ſuavium conſolationum, quæ ſunt fructus hujus delitioſiſſimi agri, & cujus odor fragrat penetrans uſque ad interiora animæ. *Ser Dom. quinquag.*

299 *Ad ſolum odorem virtutum Chriſti anima veluti inſenſibilis ad quaſcumque tribulationes.*

Videamus ſi vinea floruit, &c. mandragora dederunt odorem ſuum: Ad quid in hoc agro ponitur mandragorarum odor? ſed attende miſterium: mandragora eſt herba, cujus odor, & magis ſapor reddit velut inſenſibilem ad dolores: Dat igitur intelligere, quod anima per meditationem, & contemplationem intrans in vineas Eccleſiæ, & in agrum Domini noſtri Jeſu Chriſti, exibit ad ipſam talis odor, quod per amorem contemnit pænas quaſcumque pro Chriſto toleratas; hæc eſt enim vis amoris ardentiſſimi Chriſtianorum. *Ser. 2. de pluribi Confeſſorib.*

300. *Obſervantia mandatorum Dei concupiſcentiæ moderatur ardorem.*

Omnia poma nova ſervavi tibi dilecte mi. Quænam ſunt iſta poma ſervata à Chriſto? Iſta ſunt mandata Decalogi, & Evangelica, hæc in Eccleſia conſervantur, & proponuntur animæ obſervanda, ſed cur appellantur poma? quia pomum manducatur ad naturaliter alterandum, & moderandum nimiam corporis caliditatem ſic mandata proponuntur ad moderandam caliditatem nimiam concupiſcentiarum noſtrarum; nihil enim magis ipſas mortificat, quàm talis cuſtoditio. *Pſal. 118. c. 11. v. 8.*

CAP. VIII.

301 CHriſti amor patefactus eſt, quando voluit fieri noſter frater, quoad humanitatem, poſtquam aſſumpſit carnem noſtram: Unde anima dicit: quis mihi det te fratrem meum ſugentem ubera, &c. *Luc. c. 20. v. 28. & op. de ſep. donis c. 1.*

302. *Ad oſculum, & amplexum Chriſti invitatur anima.*

Quis mihi det te fratrem meum ſugentem ubera matris meæ, ut inveniam te, &c. Nota quòd hæc ſunt nota piæ animæ ad dilectū Ieſum orantis, & deſiderantis oſcula, & amplexus ipſius, & piæ nimia dulcedine dicentis: quis mihi det &c. quaſi dicat, ſi tantam dulcedinem ingeris cogitanti, vel legenti, qualem infundes degnſtanti, & intus per contemplationem in theſauros intranti? ô dulciſſime Jeſu fac me intus guſtare per amorem, quod extra guſto per cogitationem; fac me ſentire per affectum, quod ſentio per intellectum: Vide ergo quomodo anima amore accenſa cœpit ardenter tranſire à meditatione ad contemplationem, & ad deguſtandum oſculum, & amplexum ſponſi. *Op. ſoliloq. c. 1. & c. 4.*

303. *Ad menſam Eucharisticam velut ad præſepe ſalvatoris invitatur anima.*

Quis mihi det te fratrem meum ſugentem ubera matris meæ. Ecce quomodo proponitur Chriſtus deoſculandus in præſepio, & ſugens ubera in ſinu matris: ſed quomodò id à nobis exequendum? Nota quòd Chriſtus ſe exponit in altari veluti in tugurio Bethleem ſugens ubera matris; exponitur, inquam, veluti puer, & frater noſter; ut ad ipſum veluti pueri, & puri accedamus, deoſculemur, & amplectamur, & ſumamus intra nos. *Ser. 8. in die Nativit.* ſic anima inhians ad recipiendum Chriſtum in Euchariſtia, dicit: quis mihi det te fratrem meum ſugentem ubera matris, ideſt, qui ſuxiſti ubera Mariæ matris tuæ poſt generationem, & meæ per maternam pietatem, & inveniam te foris, ſcilicet non amplius incluſum in ſinu Patris, ſed foris jam exiſtentem in Eccleſia uſque ad conſummationem ſæculi, & deoſculer te, ſcilicet te recipiam in ore meo. *Sic S. Bonavent. & Ugo, & alii PP.*

304. *Vinum conditum palato Chriſti ſunt tribulationes à nobis tolerata cum memoria, & imitatione paſſionis ejus.*

Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ, ibi me docebis, & dabo tibi poculum ex vino condito, & muſtum malorum granatorum meorum. Nota, quòd hæc ſunt verba ſponſæ dilectæ, ſcilicet animæ exiſtentis in gratia, quæ deſiderans adventum Chriſti in domum ſuæ conſcientiæ jam ditatæ, & ornatæ gratia Dei, tanquam genitrice novi ſui eſſe; ibi promittit Chriſto vinum conditum: & quodnam eſt hoc vinum palato Chriſti dulce? hoc eſt tolerantia paſſionum, & tribulationum temporalium mixta cum nectare memoriæ, & imitationis Chriſti: ſic enim dulceſſit Chriſti palato, & ſimul eidem animæ. *Op Diat. tit. 7. c. 7.*

305. *Vinum conditum, & dulce Chriſti palato, & anima qualiter fiat.*

Dabo tibi vinum conditum. Quodnam eſt hoc vinum conditum? & quomodò componitur? Nota, quòd ad litteram vinum conditum eſt nectar, ſcilicet compoſitum cum aliis aromaticis ingredientibus: Hoc vinum verò, quod mirabiliter placet Chriſto, & animæ ſalutiferum eſt, fit hoc modo: Nam ponitur in hac compoſitione, primò vinum myrrhatum, quo Chriſtus fuit potatus in Cruce, pro gariophilis ſunt clavi poſiti, quibus Chriſtus fuit confixus; pro cynamomo lignum Crucis, in quo fuit ſuſpenſus; pro

ſaccharo dulciſſima charitas , & miſericordia, qua pro nobis fuit traditus , paſſus , & mortuus: & hæc omnia ſimul miſcentur in corde per meditationem internam , & ſic fit nectar Chriſto dulciſſimum, & animæ meditantis inebriativum. *Op. Diat.tit.8.c.1.*

306. *Charitas eſt nectar, vinumque dulciſſimum.*

Et dabo tibi vinum conditum. Nota etiam, quòd charitas ſignificatur in hoc vino condito: nam vinum conditum eſt dulce, acutum & forte : ſic charitas eſt dulciſſima ſuper omnia dulcia : tam dulce eſt hoc vinum , quod poteſt reddere dulce quodcumque amarum ; eſt & acuta, & fortis, unde Chriſtus inebriat ſuos amicos hoc vino dulciſſimo charitatis. *Op. de Dono ſap. c. 5. op. Diet.tit.5.c.2.Ioan.collat.13.ſerm.1. Dom. 1. poſt oct.Epiph.* Nota etiam, quod vinum conditum eſt copulatio veteris teſtamenti , quod erat vinum auſterum, cum Evangelio , quod reſonat ubique dulcedinem ; & cum muſto malorum punicorum , nempe cum revelatione ſacramentorum, & hoc eſt vinum, quod præparavit Chriſtus Eccleſiæ ſuæ ſponſæ. *ibid.& hic Vgo Card.*

307. *Bona temporalia à Deo nobis dantur, ut per ipſa ad ſpiritualium poſſeſſionem procedamus.*

Læva ejus ſub capite meo . & dextera illius amplexabitur me. Jam ſupra dictum eſt , quod per lævam ſignificantur bona temporalia, per dexteram, ſpiritualia : Vocat autem nos Deus dando temporalia in ſubſidium , ut ad ſpiritualium poſſeſſionem facilius procedamus ; unde dicit: *læva ejus ſub capite* , quaſi pulvinar in via poſitum ad ſuſtentationem , & ideo in Evangelio ponitur pulvinar ſub ipſo , quia temporalia debent inſervire ſpiritualibus , & non è contra. *Pſal.118.c 4.v.5.Pſal.70.In Eccleſ. c. 10. & Vgo Card.hic.*

308. *Contemplatio fervens paſſionis Chriſti eſt vinum reddens animam extaticam.*

Adjuro vos filiæ Hieruſalem . ne ſuſcitetis, neque evigilare faciatis dilectam , donec ipſa velit. Ecce tertia adjuratio , quam ſponſus facit ſuper ſomnum ſponſæ . ne ab ullo deturbetur a ſua requie : prima fuit in 2. cap. pro incipientibus: Secunda in tertio pro proficientibus : Hæc tertia eſt pro iis , qui vinum conditum biberunt, nempe, qui in contemplatione Crucifixi , & ejus paſſionis taliter abſorbentur inebriati ab illo camino amoris paſſionis dilecti , quod inter amplexus dilecti ſponſi ſuaviter obdormire videntur , quaſi elevati ad fruitionem gloriæ : & hic eſt altiſſimus gradus contemplationis , ad quem dignetur Dominus Jeſus nos elevare. *Op. meditat.c.49.Op.ſtim.p.1.c 4.& Vgo hic.*

309. *Eccleſiæ ultimi ſtatus felicitas , ſic & animæ perfectæ expenditur.*

Quæ eſt iſta , quæ deſcendit de deſerto deliciis affluens innixa ſuper dilectum ſuum ? Nota quòd in hoc libro Canticorum ter ponitur iſta interrogatio: Quæ eſt iſta , ſcilicet in capite tertio , ubi aſſimilatur virgulæ fumi: ſecunda in capite ſexto, ubi aſſimilatur auroræ &c. Tertia hîc, ubi dicitur quod Aſcendit deliciis affluens innixa ſuper dilectum ſuum , & datur intelligi triplex ſtatus Eccleſiæ : primus eſt in humiliatis ſtatu : Secundus in profectu , & delectatione : Tertius eſt in conſummatione , in qua fiet unum ovile , & unus Paſtor , & tunc erit in membris deliciis affluens , & tota innixa ſuper dilectum Chriſtum. Datur etiam intelligi triplex aſſenſus animæ, videlicet in ſtatu incipientium, proficientium , & perfectorum ; & in hoc tertio anima deliciis affluit, & tota obliviſcens omnia creata innititur ſuper Chriſtum : felix igitur anima, quæ perſeveranter in via Dei proficit uſque ad ſummum hujus perfectionis, quia in hac vita ad participationem aliqualem beatitudinis elevabitur. *Ser.2.& 15.Hexam.Op.Itiner.ment.c.4.ſer.1. in ſabb.ſancto in Luc.c.12.v.32.*

310. *Angeli admirabantur videntes Animam Chriſti glorioſam , & ſimul aſperrimè pati.*

Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens innixa ſuper dilectum ſuum ? Nota illud verbum, de deſerto , & deliciis affluens : quomodò ſimul ſubſiſtere poſſunt vivere veluti deſolatum in deſerto, & de deſerto deliciis oneratum deſcendere ? ſed attende, quod hoc de Anima Chriſti propriè verificatur : nam erat in deſerto , ſcilicet abſorpta pœnis, doloribus , & ſine conſolatione , & ſimul deliciis affluens , quia erat unita Verbo , & ibi glorioſa , ita quòd de tantorum extremorum conjunctione Angeli admirabantur dicentes: Quæ eſt iſta, quæ aſcendit, &c. *Ser.5.in Paraſc.*

311. *Animæ aſcenſus in cælum gloria , & felicitas expenditur.*

Quæ eſt iſta. quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens, &c. Nota, quòd iſtæ ſunt voces Angelorum videntium animam ſeparatam à corpore , & mundo aſcendentem in cœlum : ſed notandum illud verbum (quæ aſcendit) ergone anima propria virtute aſcendit in cœlum ? minimè: Aſcendit , ſed elevata ſuper currum tanquam Regina: currus autem ſunt boni ſtuctus , & ſtatus bonorum , nempe conjugalis , vidualis , & virginalis: qui currus erunt ignei per dilectionem , & ſic innixa anima ſuper dilectum ſuum , ſcilicet ſuper merita Chriſti , de deſerto mundi aſcendit ad cœlum , cui & Angeli , & mater Domini noſtri Jeſu Chriſti , & omnes beati occurrunt, & dicunt : Bibe nunc , & accumbe cum jucunditate , quia inveniſti gratiam coram ſummo Principe : ô inaudita magnificentia ! ô læta , & jucunda excellentia ! quam & nobis concedat Deus omnipotens , & miſericors. *Op.ſolil.c.4. & ſer.4 in Aſcenſ.*

312. *Mariæ Virginis aſſumptionis in cælum gloria expenditur.*

Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens innixa ſuper dilectum ſuum. Nota , quòd iſtæ ſunt voces Angelorum , feſtivè obviam venientium Dei Genitrici admirantium propter gloriam aſſumptionis Beatæ Virginis, & meritò: nam

Digitized by Google

nam ſolùm propriè de Maria poteſt dici', quod aſcendens in Cœlum deliciis affluebat, ſcilicet omnibus deliciis puræ creaturæ communicabilibus; nam ſuper omnes eſt ſancta, in qua ſeſt gratia ſuper gratiam, ſcilicet gratia gloriæ ſuper gratiam viæ, gratia præmiorum in cælo ſuper gratiam meritorum in mundo: Vide qualibus deliciis affluebat: nam in corpore erat dote claritatis clariſſima, ob donum ſanitatis, quod habuit in mundo: dote ſubtilitatis ſubtiliſſima, ob donum profundiſſimæ humilitatis in via: dote agilitatis velociſſima, ob donum pietatis in via: dote impaſſibilitatis impaſſibiliſſima, ob donum patientiæ, & æquanimitatis in mundo: In anima item dote viſionis, fruitionis, & tentionis affluens ſuper omnes beatos, & Angelos. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 6. & 13.*

313. *Chriſtus inſculptus fuit ut ſignaculum in manibus, pedibus, corde, & capite.*

Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, &c. Cur ſe appellat Chriſtus ſignaculum? quia eſt verè ſculptus, & ſignatus ſigillo clavorum, & lanceæ in manibus, pedibus, & pectore, & in capite ſigillo ſpinarum, totuſque factus veluti ſigillum, ut ipſo in nobis imprimere poſſimus ejus figuram, ſed ad hoc requiritur ignis Spiritus ſancti, qui molleſcat noſtram duritiam. *Ser. 4. Dom. infrà oct. Nativit. & ſer. 2. & 3. S. Franc. in addit.*

314. *Chriſtus quomodò ſculpendus in corde, & brachiis noſtris.*

Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum. Quomodò vult Chriſtus, ut ipſum ponamus ut ſigillum in corde, &c. Nota, quòd primo loco ponit cor, ſecundo brachia: & transfer mentem ad puerum Jeſum, quomodò prius introductus eſt in Templum, poſtea Simeon in ulnas ipſum accepit: ſic & nos prius debemus ejus imaginem, imò ipſum ſculpere, & introducere in Templum cordis liquefacti dilectionis igne Spiritus ſancti veluti in cera candida, & deinde ſuſcipere, & amplecti in brachiis operum ſanctorum, dans nobis intelligere, quod Chriſtus, & cognitione, & affectu, & effectu debet in nobis imprimi. *Ser. 4. Dom. infrà oct. Nativit. In Luc. c. 12. v. 48. ſer. 2. & 3. de S. Franc.*

315. *Sculpendus Chriſtus crucifixus in nobis.*

Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut ſignaculum ſuper brachium tuum. Nota illud verbum in corde, quia Chriſtus veluti ſigillum amoris debet poni in corde molli per contritionem, & amorem, ut in nobis imprimatur imago & memoria paſſionis ipſius: Addit poſtea ut ſignaculum ſuper brachium, quia non ſufficit meditari, & recolere paſſionem Chriſti Jeſu, ſed ipſum operibus imitari; & veluti ſculpere ipſum in corde, in manibus, & pedibus per imitationem, & hoc clavis, & lanceâ Chriſti, nempe pœnalitatum tolerantiâ. *Ser. 1. Dom. 17. Pent. ſer. 1. de plur. mart. Luc. c. 1. v. 44. & c. 14. v. 41. op. de perfect. vit. c. 6.*

316. *Memoria charitatis oſtenſæ à Chriſto in Euchariſtia recolenda corde, & opere.*

Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, &c. Quomodo hoc ſigillum ponendum intra pectus? ſed notandum, quod dicit pone me, ideſt, non ſolum imaginem, ſed me, meam perſonam, ait Chriſtus: & quomodo id faciendum, cum ipſe in cœlo maneat, non in terris? Verum quidem eſt, quod in Cœlo manet, ſed manet etiam in Euchariſtia: Accipiat igitur anima fidelis Chriſtum in Euchariſtia, & eum collocet in pectore, ſicque ponet ſignaculum, vel ſigillum in corde per intimam unionem; & hoc eſt quod præcipuè intendit Chriſtus: nam licet magnum ſignum amoris in Incarnatione fuerit, & in paſſione, tamen cum in illis modis ſit quædam ſeparatio inter dantem, & datum; in iſto verò eſt mirabilis & interminabilis unio inter cibatum, & cibum, & converſio mutua unius, & alterius, & ratione iſtius unionis dicit Chriſtus animæ guſtanti dulcedinem ſacramenti, & amoris: Pone me ut ſignaculum charitatis ſuper cor tuum, quod eſt in medio hominis propter unionem cibi, & cibantis, & converſionem cibati ad cibum; ut ſignaculum ſuper brachium tuum propter oſtenſionem virtuoſæ operationis: nam probatio amoris, eſt exhibitio operis, quia fortis eſt ut mors dilectio, quæ me duxit ad tot anguſtias, & ad mortem Crucis: Dura ſicut Infernus æmulatio mei Patris æterni, qui poſtquam filium habuit incarnatum, ad mortem duci permiſit; & reſuſcitatum pro vobis oſtendit, cum gloria, & honore coronatum, & ſublimatum ſuper cœlos, cum conſtituit vobis viatoribus adjutorem, & præmium comprehenſorum. *Serm. 1. Dom. 4. quadrag. Luc. cap. 22. verſ. 19.*

317. *Nomen Ieſu eſt ſigillum Chriſti ſculpendum in corde, & brachiis.*

Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut ſignaculum ſuper brachium tuum. Quomodò poſſumus ponere Jeſum ſuper cor, & brachia? Videtur hoc impoſſibile? ſed attende myſterium: pone me, ſcilicet imaginem meam, nempe ſignaculum, vel ſignum, vel ſigillum meum in corde tuo: quodnam eſt hoc ſignum, vel ſigillum? Hoc eſt nomen Jeſus; In hoc enim nomine, ſcriptum veluti ſigillum in vaſculo, involvitur Chriſtus Deus, & homo: homo mitis, manſuetus, miſericors, purus, ſanctus, & mundus, Deus omnipotens; in hoc vaſculo continetur veluti medicina virtus ſanandi animam à quacumque infirmitate: Pone igitur me, ait Chriſtus, ſcilicet ſemper tibi in ſinu ſit, ſemper in manu, quo tu, & brachio, & cordi medearis, quo tui omnes & ſenſus, & actus in Jeſum dirigantur, quo veluti ſigno efficaci ignito actus tuos vel pravos corrigas, vel minus perfectos adimpleas, quo & ſenſus tuos aut ſerves, ne corrumpantur, aut ſi corrumpantur ſanes: ô charitas quanta, quantus amor Chriſti Jeſu in nobis. *Op. meditat. cap. 100.*

318. *Charitatis vis, & efficacia expenditur.*

Quia fortis eſt ut mors dilectio, dura ſicut Infernus æmulatio. Cur fortis ut mors? Cur dura ſicut Infernus æmulatio, vel zelus, vel zelotipia? Nota quòd mors omnia vincit, Infernus tenaciter tenet id, quod una vice recepit: ſic eſt charitas: nam amor intenſus in Deum nihil timet, reſiſtit ignibus, undis, ferro, Regibus, & Poteſtatibus: nihil, inquam, timet, nec amiſſionem, vel privationem rerum, vel ſanitatis, vel vitæ, ſed pro dilecto Chriſto ſe ſubjicit tortoribus, tormentis, morti; & quod aliquando poſſidet, numquam ipſum permittit perdere: Exemplum patens eſt in martyribus, qui pro Chriſti amore incenſi omnia reliquerunt, perdiderunt etiam vitam: ergo non ſolum fortis eſt dilectio ſicut mors, imò fortior: ô felix, qui Chriſtum amat. *Op. de perfect. vita c.6. Op. Comp. Theol. cap.36. Op. de Apol. paup. reſp.2.c.1. ſer. 2. & 23. Hexam. ſer.5. de uno mart. Luc. c. 11. v. 12. ſer.1. Dom.17. Pent ſer.2. de S. magdal. op. de dono tim. c.2. op. myſt. Theol. c.2. p.2. Op. de ſept. Itin. aetern. Itin.4. d.4. a.3. & d.7. Op. de Eccleſ. Hier. p.1. c.1. Luc. c.10. v 27. Pſal.119. & 128.*

319. *Charitas, & amor in Deum affert mortem ſpiritualem feliciſſimam.*

Quia fortis eſt ut mors dilectio. Nota, quòd hoc intelligitur etiam de morte ſpirituali; nam charitas vera in Deum mortem ſpiritualem feliciſſimam affert animæ: ſicut enim charitas ad mortem traxit Chriſtum, ſic charitas in anima ad modum mortis ſeparantis animam à corpore, ſegregat animam à mundo, & à carnali amore, & facit mori quidquid eſt in nobis carnale. *Ser. Dom.15. Pent. ſer.2. de S. mag.*

320. *Maria Virgo poſuit filium ſuum parvulum in corde & brachiis ſicut ſigillum amoris divini: Idem eſt ſanctus ſenex Simeon.*

Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum &c. Nota quòd vagitus, & nutus parvuli Jeſu nihil aliud reſonabant auribus Beatæ Virginis, quando ad ſuos pedes vidit ipſum natum, & in terra jacentem: Idemmet & Simeoni, quando ipſum accepit in ulnas ſuas: Pone me, dicebat parvulus ſuis vagitibus ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut ſignaculum ſuper brachium tuum: ſic ergo aſpice Mariam Virginem ſe inclinantem ad terram, & recolligentem parvulum Jeſum natum, & dulciter amplexantem inter ulnas ſuas lactantem eum ubere de Cœlo pleno, & cætera obſequia ei facientem: aſpice item qualem ardorem charitatis in corde Mariæ Virginis redundantem ex tactu, & amplexu dilecti filii: Aſpice ſenem Simeonem accipientem in ulnas ſuas eundem parvulum Jeſum ut ſignaculum in corde impreſſum ſigillo charitatis, & in brachiis: Aſpice & tu ô anima, & imitare Mariam, & ſenem hunc feliciſſimum, & pone ipſum inter brachia cordis tui veluti ſignaculum, & ſigillum cæleſte. *Op. medit. c.7. & Luc. c.1. v.28.*

321. *Charitas Chriſti qualis oſtenſa in paſſione: Charitas item & amor ſancti Patris Franciſci expenditur.*

Aquæ multæ amaritudinis pœnarum quarumcumque non potuerunt extinguere charitatem Chriſti: nam immenſa ejus charitas ipſum ſubire fecit immenſas tribulationes, pœnas, dolores, pro nobis; deditque omnem ſubſtantiam domus ſuæ, ſcilicet ſuam vitam morti: In Thre. c.3. Idem proportionabiliter verificatum eſt in ſancto Patre noſtro Franciſco, cujus ardor & amor non potuit extingui ab aquis tribulationum, & pœnalitatum. *Op. legenda S. Franc. c.13. & ſer.2. & 3. de S. Laur. in addit.*

322. *Charitas in medio ſpinarum, & tribulationum intenſior redditur.*

Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam &c. Ad quid opponuntur hîc aquæ cum charitate? illæ ſunt materiales, iſta res ſpiritualis? ſed attende, quòd aquæ iſtæ ſunt tribulationes, & pœnalitates atrociores: & dat intelligere, quod ſicut ſolares radii majorem calorem generant in aqua, quàm in terra, quia cum aqua ſit magis calori contraria, quam terra, dum radii majus contrarium inveniunt in aqua, fuſius ad victoriam radii contrarii exardeſcunt, quia omne contrarium, (ait Philoſophus) fortius inſurgit, dum ſuum contrarium adeſſe perſentit: ſic & charitas, dum pœnas extinguentes acuunt vires; unde non ſolùm non poſſunt extinguere charitatem, ſed potius & fuſior, & intenſior fit. *Serm.2. de plurib. Confeſſ. Op. de ſept. Itiner. aetern. Itin.4. d.5. a.2.*

323. *Negotiatio charitatis quàm lucroſa.*

Si dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam. Vide qualem mercaturam tibi proponit Spiritus ſanctus; nempe pro margarita dilectionis Dei abrenunciationem omnium rerum; hæc enim eſt bona mercatura, cum nihil pretioſius ſit invenire dilectione, & charitate Dei, quam ſancti tanti æſtimaverunt, quod nihil reputarent totum mundum extra Deum. *Ser. 6. in Rogat. ſer. 3. Dom. 14. Pent.* Hinc eſt, quod quantum homo diligit Deum, tantùm omnia temporalia quaſi ſtercus deſpicit. Vide igitur, & attende ad hanc cœleſtem mercaturam, ut diteſcas. *Ser.3. Dom.17. Pent. Ser. 1. de S. Iacobo. ſer. de S. Elizab. ſer.2. de plurib. Confeſ. Ecclen. proœm Luc. c.18. v.17.*

324. *Mariæ charitas, & patientia in adverſis, & perſecutionibus quanta.*

Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. Si hoc verificatur in cæteris ſanctis, multo magis in Beata Virgine; & ideo dicit quòd aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem ejus: quænam aquæ multæ? aquæ tribulationum non potuerunt occidere Mariam, nec extinguere ejus charitatem: ô quàm aquæ multæ, ſcilicet acutiſſima Chriſti paſſio animam Mariæ per compaſſionem quidem pertranſivit, ipſam tamen nec per odium occidit,

dit, nec per impatientiam vulneravit. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 4.*

325. *Flumina peccatorum, quæ totam terram operuerūt, non potuerunt obruere Mariam, ubi de immaculata ejus conceptione.*

Aquæ multæ, &c. nec flumina obruerunt illam. Nota quod hæc eſt prophetia de conceptione Beatæ Mariæ Virginis: unde Eccleſia in officio hujus Myſterii legit: Nec flumina peccatorum potuerunt obruere illam: licet enim peccati aquæ, & flumina per totam terram confluxerint, & cooperuerint totam maſſam hominum, ab hac miſeria tamen excepta, & privilegiata eſt Maria Virgo, quia in ipſius conceptionis inſtanti repleta fuit charitate, & tantis donis ſanctificantibus, & ornantibus, quod illa flumina non potuerunt vel attingere illam. *Se. 2. de B. Virg.*

326. *Eccleſia in principio fuit parvula abſque uberibus.* Sed poſt adventum Spiritus ſancti grandis facta eſt, & Doctoribus ſanctis ditata, quorum munus fuit veluti ubera filiis exhibere, & lac præbere fidelibus. *Pſal. 71. Ugo hic.*

327. *Oratio eſt murus validiſſimus defendens ab omni impetu inimicorum.*

Si murus eſt, ædificemus ſuper eum propugnacula. Nota, quòd in Eccleſiæ, & animæ dilectionem Deus murum, vel potius turrim fortiſſimam ædificavit, ſcilicet inſtituit orationem, qua ſecurè, & fortiter munitur contra omnes ictus diaboli, & inimicorum, & per eam impediuntur effectus iræ divinæ. *Pſal. 79. Diat. tit. 2. c. 5.*

328. *Maria Virgo eſt murus, & caſtrum fortiſſimum munitum turribus.*

Ego murus, & ubera mea turris, ex quo facta ſum coram eo pacem reperiens. Si hæc verba dicuntur in perſona Mariæ Virginis, quomodo ſe appellat murum? murus eſt, non ſimplex, ſed munimentum, ſeu caſtrum fortiſſimum turribus munitum, nempe ſanctitate, prudentia, devotione, potentia, fortitudine, & ſapientia ſuper omnes ſanctos, *Luc. c. 10.* prope finem, ſed cur ubera aſſimilantur turri? Turri, quia Maria oſtendens filio pectus, & ubera, iram Dei compeſcit, tamquam optima mediatrix inter Deum, & nos. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 11.*

329. *Vinea Eccleſiæ à Chriſto data eſt in cuſtodiam Principis, & Sacerdotibus, & Prædicatoribus.*

Vinea fuit pacifico in ea, quæ habet populos: tradidit eam cuſtodibus, vir affert pro fructu ejus mille argenteos. Nota, quòd per vineam hic intelligit ſanctam Eccleſiam, quam Chriſtus in pace fundavit, hæcque continet populos multos undequaque collatos: hanc vineam tradidit in cuſtodiam colonis, & cuſtodibus, nempe Epiſcopis, Sacerdotibus, & Prædicatoribus, qui tenentur eam colere verbo, & exemplo, & cuſtodire ab hoſtibus, qui eam cuſtodientes diligenter tamquam viri virtute præditi afferunt pro fructu mille argenteos, ſcilicet homines perfectos: & addit Chriſtus: *Vinea mea coram me eſt, &c.* conſiderando diligenter qualem cuſtodiam habeant iſti coloni, & cuſtodes: In quibus verbis inſtruimur de graviſſima obligatione Prælatorum, quam habent circa talem cuſtodiam, & quàm Deus zelet de bona cura ſuæ vineæ, & ex conſequenti; quàm ſeverè puniet negligentes, & vineam dimittentes ſub gubernatione impiorum, qui ſunt vulpes eam deſtruentes. *Luc. c. 20. v. 9. op. ſpec. B. Virg. lect. 17. & 18. & Ugo Card.*

330. *Fructus filiorum Eccleſiæ ex Maria Virgine recognoſcendus.*

Vinea fuit coram pacifico, &c. tradidit eam cuſtodibus, vir affert pro fructu mille argenteos. Ecce qualis eſt fructus, quem reportat Chriſtus fundator Eccleſiæ, nempe collationem juſtorum, & perfectorum, qui ſignificantur in millenario: ſed tamen ex Maria tanta bona recognoſcenda; tum quia ipſa protulit Chriſtum fructum ventris ſui tanquam Dominum vineæ: Tum etiam, quia omnes cuſtodes Eccleſiæ ſubordinati ſunt Mariæ, quæ eſt veluti cuſtos cuſtodum, ſcilicet cuſtos, & quies tutiſſima creaturarum, & hominum, & ab incurſione hoſtium omnes defendens. *Op. ſpec B. Virg. lect. 17. & 18. & lect. 14. Op. Laus B. Virg. ſig. 10. & 15. Op. Pſalt. min. quinq. 3.*

331. *Conſcientia vinea excolenda coram Chriſto.*

Vinea mea coram me eſt: mille tui pacifici, & ducenti his, qui cuſtodiunt eam. Nota, quòd hæc vinea myſticè eſt conſcientia; unde dicere quiſque poteſt, vineæ conſcientia coram me eſt: Idem & Chriſtus conſcientia tua, quæ vinea mea eſt, coram me eſt, quia Chriſtus attendit quomodò à nobis excolatur, & cuſtodiatur, quòd ſi bonam cuſtodiam ſervaverimus, expectare debemus fructum millenarium pacificis promiſſum, & duplam ſtolam animæ, & corporis: quicumque ergo vult habere denarium vitæ æternæ, videat diligenter, an ſit operarius, an vinea producat ſpinas, & vepres, & pro uva, labruſcas. *Ser. 2. Dom. Septuag.*

332. *Pſalmodia in Eccleſia quàm dulcis Deo, & Angelis.*

Quæ habitas in hortis, amici auſcultant te, fac me audire vocem tuam. Hæc ſunt verba ſponſi ad Eccleſiam, quæ eſt ſponſa Chriſti, & dicitur habitare in hortis, quia Eccleſiæ ſunt horti amœniſſimi, in quibus pſalmodia, oratio, & laudes divinæ decantantur à fidelibus: has voces amici auſcultant Sancti Angeli cum maxima delectatione, quia interſunt cantantibus, adſunt orantibus, inſunt meditantibus, ſuperſunt quieſcentibus, & ordinantibus, & procurantibus proſunt: has voces libenter audit Deus. *Ser. 4. Dom. 8. Pentec. ſer. 5. in Pent.*

333. *Oratio eſt vox ſummopere dulcis auribus Dei, & Angelorum.*

Quæ habitas in hortis, amici auſcultant te, fac me audire vocem tuam. Quæ eſt iſta, quæ habitat in hortis? hæc eſt anima habitans in horto Eccleſiæ, & in ſtudio, exercitioque virtutum, ſcilicet

licet plantas virtutum inſerit io hoc horio, hæeque dedita oratiooi emittit voces, quas libenter auſcultant Deus, & Angeli, quorum quilibet dicit: fac me audire vocem tuam; vox enim tua dulcis: In his plantis habitant volucres cœli, nempe animæ fideles, & orantes feliciter prædicando, orando, ſuſpirando, laudando, meditaodo caotantes: Hi amici quantò magis dulcem cantum, & dulciora orationum verba à oobis audiunt, tantò magis amici noſtri ſiuot: Ait igitur ſpooſus: ſonet voa tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies conſcientiæ decora, & munda: Nota autem quòd dicit, ſonet vox tua in auribus meis, oon in auribus hominom, ad vanam gloriam, & facies tuæ cooſcientiæ ſit decora, & pura: ô felix anima purè orans, & pſallens. *Ser.5.in Pent. ſer.4.Dom.8.Pentec.*

334. *Angeli ad exequias juſtorum conveniunt: dæmones ad exequias impiorum.*

Quæ habitas in hortis, amici auſcultant, *&c.* Ergo Angeli auſcultant libeoter voces pſallentium, & orantium piè in Eccleſia: & hinc iſti amici libeoter ad exequias noſtras in morte conveniunt: dum enim amici corporales conveniont ad deportaodum corpus ad ſepulturam, & Angeli cooveninnt ad deportandam animam ad Regnum cœleſte: ſicut & dæmones conveniunt ad deportandam animam injuſtam ad Infernum. *Ser.4.Dom.8.Pentec.*

335. *Mariæ voces qualem fructum produxerint in Elizabeth, Ioanne, & Zacharia.*

Quæ habitas in hortis, amici auſcultant: fac me audire vocem tuam. Transfer mentem ad domum Eliaabeth, quando Maria Virgo viſitavit, & ſalutavit ipſam; quæ ut audivit ſalutationem Mariæ, ſtatim lætificata eſt, & exultavit infans in utero, & ſimiliter Zacharias, quaſi dicerent Mariæ: Quæ habitas in hortis &c. ſcilicet in horto florigero Nazareth in ſtudio virtutum, amici auſcultant te, fac nos audire vocem tuam: & cur? quia voces ſalutis ea illa, quæ conceperat Verbum Incarnatum, in quo eſt ſalus emittebantur, ex quibus vocibus mater ſancta Elizabeth verbo virgineo excitata fuit, & proles cum Patre lætificata, quaſi geſtiens ſalutare, & aſſurgere Domino ſuo, cujus erat Præcurſor. *In Luc.c.1.v.40.*

336. Nota autem hîc, quòd noo obſcure ſanctus Bonaventura innuit, quod apud Vegam in ſua Theologia mariana, dicunt plures Theologi, oempe voces Mariæ Virginis io hac ſalutatiooe elevatas fuiſſe à Spiritu ſancto, ita quod inſtrumentaliter attigerint ſanctificationem Ioaonis Baptiſtæ in utero factam à Deo, & infuſionem gratiæ multiplicis io anima Elizabeth, & Zachariæ. *In Luc.ibid.*

Utinam & dignetur Beatiſſima Virgo Maria, quæ eſt tota charitate flagrans, nos ſalutare per gratiam ſuam, & gratiam filii nobis impetrare, ut tandem perveniamos in Cœlum ad ſecum Deum laudandum in ſæcula ſæculorum. Amen.

Explicit expoſitio Seraphici Doctoris in Cantica, ad laudem Dei, & beatiſſimæ Virginis.

Digitized by Google

IN LIBRUM SAPIENTIÆ.

PROLOGUS.

LIBER Sapientiæ licet à Salomone originaliter fuerit compoſitus, tamen communiter tantum tres antecedentes Libri, ſcilicet Proverbiorum, Canticorum, & Eccleſiaſtes Salomoni attribuuntur, quia certum eſt, ipſum hos immediatè compoſuiſſe, & tradidiſſe; hunc autem D. Jeronimus, communiterque ſancti Patres attribuunt Philoni diſertiſſimo Judæorum, vel alteri doctiſſimo viro valdè perito, qui in idiomate græco ipſum compilavit, licet à multis attribuatur eidem Salomoni tanquam immediato ſcriptori, & Aucthori, qui liber ab Eccleſia inter canonicos meritò eſt receptus. Cætera, quæ ſpectant ad prolegomena hujus libri, videantur apud Seraphicum Doctorem in Tomo primo ipſum de more ſolito ſubtiliſſimè, & piiſſimè exponentem; unde ne actum agamus, ſolùm in ſequentibus ordinatim ſubjiciemus aliquas expoſitiones, quas in aliis ſcriptis ipſe ſanctus Doctor concinnavit, attingendo tamen etiam aliquando ſecundùm opportunitatem aliquas ſententais poſitas in ordine in eodem commentario.

CAPUT PRIMUM.

1. *Judex in judicando, ut conformet ſe Deo, debet non ſolùm exequi juſtitiam, ſed id facere amore ipſius juſtitiæ.*

DILIGITE juſtitiam; qui judicatis terram. Nota quòd Sapiens in hoc primo capitulo agit de juſtitia hominis ad Deum debita & in ſequentibus de juſtitia debita ad proximum: Ideo vertens ſe ad Judices, & Rectores in communi, primo loco ſuadet non ſolùm executionem juſtitiæ, ſed & tantæ virtutis dilectionem; & amorem: hoc enim eſt perfectè ſe conformare ſupremo Iudici, qui eſt Deus, quia ex amore juſtitiæ cæteræ virtutes hinc conſequuntur: hinc incipit: Diligite juſtitiam, qui Judicatis terram, quia rectus Iudex debet primò diligere toto corde hanc virtutem; & ſic ob amorem juſtitiæ, & virtutis exequi munus ſuum: quia cum talis amor feratur in ultimum finem ſcilicet Deum, qui eſt juſtitia Increata, ſic ſuum opus erit Deo gratum, perfectum omnibus numeris compoſitum, & meritorium. *Sap. c. 1.*

2. *Modus quærendi, & inveniendi ſecurè Deum hîc traditur.*

Sentite de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis veſtri quærite illum, quoniam invenitur ab his, qui non tentant illum, apparet autem eis, qui fidem habent in illum. Ecce quòd Spiritus ſanctus nobis in his verbis aperit viam, & tradit modum, quo ſecurè poſſumus quærere & invenire Deum, ipſumque poſſidere: Dicit igitur primò: ſentite de Domino in bonitate: ſecundò: quærite in ſimplicitate: Tertiò: Non tentate: Quartò: habere fidem in illum: Nam primò debet anima habere rectam dignamque æſtimationem, quia de Deo altiſſimè, piiſſimè, & ſanctiſſimè ſentiendum, videlicet certa fide credendo, attenta mente conſiderando, & perſpicaci rationis intuitu cum admiratione perſpiciendo ſcilicet ejuſdem altiſſimam Majeſtatem, piiſſimam bonitatem, & ſublimiſſimam ſanctitatem: Addit, & in ſimplicitate cordis quærite illum, ſcilicet, quærite Deum per continuationem devotæ orationis, & meditationis in ſimplicitate cordis, ſcilicet totam cordis intentionem dirigendo, & per puritatem ordinatæ affectionis elongando, & ſeparando cor ab omnibus terrenis: nam quot res cor diligit, tot ſibi unit, & componit, eo quod amor ſive humanus, ſive divinus eſt vis unitiva, & ob id, quantò cor plura, & diverſa diligit terrena, tantò compoſitius redditur, & ad interitum ſe appropinquat: ſed cum ſe elongat, & ſeparat ſe ab his terrenis, ut uni, & ſimplici, cui totum cor ſine defectione debetur, adhæreat, & uniatur per amorem tunc ex tali unione ſimplici, & pura, acquirit cordis ſimplicitatem, & puritatem. A talibus verò invenitur, non verò ab illis, qui tentant illum, ſicut facit, qui per curioſitatem præſumptuoſus, & temerarius perſcrutator eſt majeſtatis, qui quaſi per tenebroſitatem pedeſtram ratiocinationum ſic innititur, ut velit figere aſpectum in ſplendoribus æternis; iſte enim phantaſtica tenebroſitate opprimetur à gloria;

apparet

apparet autem eis, qui fidei adminiculo per exceſſus contemplationis altius ſupra ſeipſos elevantes Deum perſpicaciter contemplantur: Ecce igitur quomodo, qui vult perfectè invenire Deum, debet primò altè ſentire de Deo: ſecundò debet ſe elevare ſupra omnia creata, & totam mentis aciem in Deum figere, per amorem, & contemplationem auxilio fidei elevantis animam. *Ser.1. Dom.infrà oct. Epiph. ſer.4. Dom.14. Pent. ſap.hic Op. de regim. animæ Luc.c.19. v.2. Ioan.c.7.v.34.*

3. *Congruum magis fuit, Chriſtum ita redimere hominem, ut etiam à nobis ſatisfactionem exigeret.*

Diligite juſtitiam, qui judicatis terram. Nota, quòd Spiritus ſanctus his verbis obſtruit ora impiorum hæreticorum, qui dicunt Chriſtum ita ſatisfeciſſe pro nobis, quod ex parte noſtra non requirit amplius pœnitentiam, & ſatisfactionem: Chriſtus enim fuit exemplar perfectiſſimum & ſubditorum, & Prælatorum: ſubditos enim docuit, ipſos exemplo ſui debere remittere, & parcere offenſas abſque vindicta: Prælatos verò in hoc, quod emendam pro delictis publicam, & punitionem, requiſivit Deus & ſatisfactionem, ut ſic decor miſericordiæ, & juſtitiæ ſervetur, miſericordiæ à ſubditis, & juſtitiæ à Prælatis: & hinc patet quantum decens ſit, ut Deus ab homine ſatisfactionem vel privatam, vel publicam exigeret pro injuria ſibi illata, ut ſimul currat miſericordia cum juſtitia. *lib.3.d.20. a.1.q.2.*

4. *Unuſquiſque in ſeipſum juſtitiam exerceat.*

Diligite juſtitiam, qui judicatis terram. Ergone juſtitiæ amor proprius eſt tantùm Iudicum, & Prælatorum, & non etiam omnium juſtorum, cum dicat Chriſtus, Beati, qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam? ſed attende, quod monitum dirigitur, non ſolùm Iudicibus, ut dictum eſt, ſed etiam omnibus hominibus: nam per terram hic myſticè intelligitur etiam corpus, & corporis concupiſcentia, quæ ſunt cuilibet communia: hæc terra judicanda eſt, & in illam juſtitia exequenda eſt judicio diſciplinæ diſcretæ, caſtigando corpus, & in ſervitutem redigendo concupiſcentias, & malas inclinationes, ſubjiciendoque eas rationi ſub Deo, jejuniis, diſciplinis, & mortificationibus; & hoc eſt judicium, & juſtitia, quam exigit Deus ab utroque noſtrum. *In Sap.c.1.*

5. *Cogitationes pravæ cordis elongant ab ipſo Deum, & advocant diabolum: Bonæ uniunt cum Deo, & enutriunt.*

Perverſæ cogitationes hominem ſeparant à Deo: nec in malevolam animam introibit ſapientia. Vide quid elonget Deum ab anima, quid item impedit adventum ſapientiæ, & Spiritus ſancti in animam, nempe pravæ cogitationes, ſcilicet vel perverſitate fidei, vel morum, cum iſtæ inficiant animam: & è contra bonæ, & puræ Deo uniuntur, & amore, quo uniuntur enutriunt: & ratio eſt, quia cor ſicut eſt omnium membrorum primum, ſic eſt radicale ſubjectum, & principale domicilium amoris: hinc fit, quòd id, quod valdè diligimus, libenter etiam oculis inſpicimus, & ſæpe ad ipſum oculos elevamus, de ipſo libenter loqui audimus, libenter ad locum, ubi eſt pergimus, brachiis ampleĉtimur, & oſcula illi amoris imprimimus: ergo primum nutrimentum caſti amoris maximè in corde exiſtit, ut ſint mundæ affectiones, caſtæ meditationes, & ſemper devotæ cogitationes: E contra cogitationes malæ diſſipationem omnium bonorum faciunt, & ad modum aquæ ignem devotionis extinguunt, & affligunt. *Ser.2.de S.Laurent Ecclen.c.1.Luc.c.5.v.22.in Ioan.c.9. v.31. op. de perfect.religioſ.l.1.cap.53.*

6. *Mundus Deus mundam ſedem, & habitationem tantùm habitat.*

In malevolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Notanda iſta verba diligenter ab his, qui ſpiritum Dei deſiderant concipere, & recipere, & profitentur vitam ſpiritualem: Dat enim ſacer textus intelligere, quod cum duplex ſit ſapientia, alia cæleſtis, divinaque, alia terrena, & animalis, diabolicaque; illa enim cum ſit ſcientia ſapida, ſcilicet cognitio Dei, deteſtatio vitiorum, & dilectio Dei, atque virtutum, non recipitur abſque infuſione Spiritus ſancti: qui hanc prætendit recipere, neceſſe eſt, quod ejus anima ſit purgata ab omni carnalitate, fœditate, & peccatis, quia in malevolam animam non poteſt intrare, nec habitare in corpore, ſcilicet in homine (pars pro toto) peccatis infecto, & præcipuè luxuriæ, quia ſapientia divina, quæ eſt vivificus panis non præſtat influxum vitæ, nec nutrimentum in membris abſciſſis, & mortuis, ſed tantùm in vivis: ſi igitur ô vir Dei optas adventum Spiritus ſancti cum ſua gratia, & donis, ſcias, quod non poſſunt ſimul morari Dei ſpiritus, & ſpiritus carnis, mundi, & diaboli, & quod oportet, ut domum conſcientiæ diligenter expurges, ut præpares dignum locum divinæ ſapientiæ. *Ser.1.de S. Gregor.ſer.1. de Dedicat.op.Eccleſ.Hier.p.1.c.3.& 4.& p.3. c.2. op. de præparat. ad miſſam c.4. ſer. Hexam. bis. Pſal.13. Luc.c.11.v.24.l.4.d.9.a.2. q.1.*

7. *Idem probatur de adventu Spiritus ſancti in anima.*

Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, & auferet ſe à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu & corripietur à ſuperveniente iniquitate. Ecce quòd ſemper ſacer textus clarius confirmat, non poſſe ſtare ſimul ſpiritum Dei puriſſimum, & ſpiritum diaboli in eodem corde: nota autem hic peculiariter; quod Spiritus ſanctus ſummè abhorret cor fictum, & cogitationes ſine intellectu, & iniquitates ſupervenientes: per quæ dat intelligere, quod Spiritus ſanctus non advenit in anima infecta peccato, & privata charitate, licet exterius videatur prædita ſanctitate per hypochriſim, nec in mente, in qua reſident cogitationes animales, & beſtiales, nec in voluntate ad mundanas voluptates totaliter dedita; ſed requirit Spiritus ſanctus odium mundi, & ipſius voluptatem, odium, & contemptum ſui,

dilectio

dilectionemque Dei ſuper omnia. *Op. de ſept. donis c.5.*

8. *Studium ſapientiæ cæleſtis quales conditiones exigat.*

Spiritus ſanctus diſciplinæ eff giet fictum, & auferet cogitationibus, &c. Nota quod Sapientia cæleſtis exprimitur nomine Spiritus ſancti diſciplinæ, ſcilicet ſpiritus eſt diſciplinæ, quia in ſua ſchola docet omnem virtutem, & diſciplinam rationalem, naturalem, & moralem tollens omnem ignorantiam, & ſapientiam donãs, eſtque ſanctus, quia purgat, & renovat: qui ſpiritus longè aufugit à ficto, & hypochrita peccatore, & à cogitationibus erroneis, & falſis, & ab omni iniquitate: Exigit igitur adventus ſpiritus ſapientiæ, primò recognitionem ſui, ſcilicet internorum, & externorum defectuum, per quod ſe nihil æſtimans, ſe deſpicit: ſecundò diſciplinam, ſcilicet caſtigationem paſſionum, ipſas reſtringendo, & domando ſub poteſtate rationis: tertio ordinationem cogitationum, ſcilicet reſtringendo phantaſmata, ne nos impediant in agendo, quod convenit, & maximè in actionibus ſpiritualibus, oratione, meditatione, & contemplatione: ô felix anima, quæ ſic ſe diſponit ad adventum ſpiritus ſapientiæ cæleſtis in ſchola Chriſti. *Ser.19.Hexam.Luc. c.24.v.14.Ioan.collat.72.*

9. *Anima ſapiens benigna, & obediens eſt.*

Benignus enim eſt ſpiritus ſapientiæ. Nota copulationem benignitatis cum ſapientia, quia benignitas, ſuſibilitas, docibilitas, & obedientia, prompta ſunt filiæ inſeparabiles ſapientiæ cæleſtis: unde qui non eſt obediens, nec ſapiens eſt, ſed ſtultus. *Ser.1.Hexam.*

10. *Benignus quidem eſt Spiritus ſanctus.* Sed tamen etiam juſtus in peccatores ex motivo talis benignitatis: unde hîc dicitur, Benignus eſt ſpiritus ſapientiæ, & non liberabit maledictum &c. quia licet ſit miſericors, eſt etiam juſtus. *Sap. c.1.hic.*

11. *Solùm ſpiritus Dei poteſt replere capacitatem, & vacuitatem animæ rationalis.*

Spiritus Domini replevit orbem terrarum. Quis eſt ſpiritus Domini? ſpiritus Domini, ſcilicet vel quia eſt Deus Dominus omnium, vel quia procedit à Domino Patre, & Filio: Iſte Spiritus ſanctus replevit orbem terrarum: quem orbem terrarum? nempe animam juſti, quæ eſt mundus parvus: ſolus enim ſpiritus Dei poteſt replere vacuitatem, & capacitatem infinitam animæ noſtræ, cætera autem creata potius ipſi famem, & inſatiabilitatem ingerunt. *Luc.c.1.v.15.& c.12. v.18.Pſal.118.c.5.v.1.Ioan.collat.67.*

12. *In die Pentecoſtes Spiritus ſanctus replevit* Eccleſiam *omnibus bonis, & verbi divini prædicatione ipſam dotavit.*

Spiritus Domini replevit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia ſcientiam habet vocis. Quis eſt orbis terræ repletus à ſpiritu Domini? & quando? Nota quòd ad litteram poteſt intelligi de creatione omnium rerum, quando ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas: ſed myſticè orbis terrarum eſt Eccleſia, & dicitur orbis terrarum tum propter ſui dilatationem, tum propter ſui perfectionem, tum propter ſui ſtabilitatem, tum propter compoſitionem factam ab inimicis, tum propter humani generis ſuſtentationem, & vivificationem: ſpiritus igitur ſanctus replevit in die Pentecoſtes Eccleſiam omnibus bonis, eique continens omnia aſſiſtit, & præcipuè in ipſa ſcientiam habet vocis, ſcilicet ipſam providit Doctoribus, & Prædicatoribus habentibus & ſientiam, & vocem in prædicatione. *In ſap.c.1.Ecclen.c.11.& ſer.3 fer.3.Pent.*

13. *In die Judicii liber conſcientiarum tria continebit examinanda coram omnibus.*

Qui loquitur iniqua non poteſt latere &c. In cogitationibus impii interrogatio erit, ſermonum autem illius auditio ad Deum veniet, ad correptionem iniquitatum illius. Nota quòd hîc ſacer textus innuit id, quod ſpiritus Domini, qui novit omnia faciet in judicio, quando aperietur liber conſcientiarum, in quo tria examinabuntur, ſcilicet cogitationes, verba, & opera cunctis videntibus, & audientibus. *Op.Diat.tit.3.c.1.*

14. *Murmuratio quàm ſollicitè vitanda.*

Qui loquitur iniqua, &c. ſermonum illius, &c. quoniam auris zeli audit omnia, &c. cuſtodite ergo vos à murmuratione, &c. & à detractione. Notanda diligenter omnia iſta verba Spiritus ſancti, quæ dictantur in odium murmurationis, & detractionis: ſic enim cogitationes malæ faciunt fugere Spiritum ſanctum, multò magis verba iniqua, impudica, & præcipuè detractoria; nam detractionem ſummopere odit Dominus, & magis detractores, qui ſubiicientur divino judicio, & zelus iræ Dei cadet ſuper illos in hac, & in alia vita. *Luc.c.12.v.2.& c.8.v.30.& 18.& 15. v.2.in ſap.hic Luc.c.5.v.30.& c.16. v.24.& c.19. v.7.op.ſpec.diſcipl.p.1.c.31.*

15. *Mendacium quàm Deo abominabile, & pernicioſum.*

Os, quod mentitur occidit animam. Nota quòd dicit, occidit animam: ergone omne mendacium erit peccatum mortale, & mortem inferens animæ? nonne datur mendacium veniale? Datur quidem, ſed hîc loquitur de mendacio, quod graviter eſt proximo pernicioſum, & eſt de materia gravi, hoc quidem occidit animam: & licèt dentur mendacia, quæ non occidunt animam, ſunt tamen Deo exoſa omnia, cum mendacium pugnet immediatè contra Deum, qui eſt prima, & ſumma veritas: in mendacio enim duo concurrunt, ſcilicet dicere falſum, & intentio fallendi, quæ conditiones ſimul unitæ nunquam poſſunt eſſe licitæ, & diſpenſabiles. *L.3.d.38.a.1.q.2.ad 3.*

impii mutuò ſe invitant ad perpetrandum mala, & ad perfruendas voluptates: in quo notandum, quòd dicunt, Venite fruamur bonis, quia tanquam principalem finem ſibi præfigunt iſta bona creata, quia in eo fruitur quis, in quo quieſcit appetitus, & ideo ipſis reſpondebit Chriſtus: Diſcedite à me maledicti, &c. *Sap. c. 2. Ecclen. c. 2. in princip. & c. 11. ſer. 5. in Pentec.*

22. *Corona impiorum, & iniuſtorum qualis.*

Coronemus nos roſis antequam marceſcant, nullum ſit pratum, quod non pertranſeat luxuria noſtra. Ecce, quid dicunt impii inhiantes ad coronas, quæ marceſcunt, ad differentiam juſtorum inhiantium ad coronas immarceſcibiles in gloria: illi has intendunt, quærunt, & ſibi faciunt in hac vita, ſed roſis, quæ mane ſunt virides, & ſero ſiccæ, mane redolentes, ſero fœtidæ, mane ſpecioſæ, ſero apparent nullæ: ſic ſic, & tales ſunt coronæ laſcivorum, avarorum, & ſuperborum, ad has adſpirant iſti ſtulti; & ſi ſic cito evaneſcunt, quid homo carnalis gloriaris in corona vaniſſima? quid de tanta vanitate lætaris? nonne vides, quod cum ſtent cæleſtia corpora, quatuor elementa, ſtent metalla, aliaque multa, tu verò totus vanus, ut umbra velocius tranſis quàm umbra? ſic Nero Imperator, qui totus captivus fuit carnis, impudicè ſerviens laſcivis, ſæpe ferens ſerta de roſis, dum carnalium hominum vanitatem non agnovit, dum diu regnare ſe credidit, judicante Deo, quem eſſe non credidit, manu propria fuſtem per ventrem transfodit: Ad coronas potius caſtitatis, humilitatis, & ſanctitatis curramus, quæ nunquam ſunt petituræ. *Ser. 2. de S. Barthol. Ecclen. proœm.*

23. *Signa domus diaboli, & ſigna domus Chriſti qualia.*

Ubique relinquamus ſigna lætitiæ, quoniam hæc eſt pars noſtra, & hæc eſt ſors. Vide & audi quid dicunt cantantes iſti ſtulti, & impii: Ubique relinquamus ſigna lætitiæ: quænam ſunt iſta ſigna lætitiæ? Nota quod dicit, *lætitiæ ſigna*, quia non eſt vera lætitia in impietate, ſed tantùm ſignum exterius, & apparens. ſigna autem iſta ſunt ſuperbiæ in apparatu veſtium contra Chriſti humilitatem, & paupertatem: item & voluptatis, & laſciviæ contra Chriſti pœnalitatem: talibus ſignis ſignata eſt domus dicata, non Chriſto, ſed diabolo, quæ ſunt ſigna proſtitutionis, quæ ab impiis ubique in omnibus actibus oſtenduntur in fronte ſcilicet, in corde, & in manu, id eſt in operatione: E contra verò domus dicata Chriſto ſignata eſt ſigno pœnitentiæ, crucis, & pietatis. *Ser. 1. in Dedicat. ſer. 1. Dom. 1. Adv. Luc. c. 11. v. 16. Ioan. c. 19. v. 6. & collat. 73. ſer. 2. Dom. inf. oct. Nativit. ſer. 3. in Pent. ſer. 2. Dom. 5. Pent. Ecclen. c. 3. & c. 8. & 9. Sap. hic.* ſi ergo vis cognoſcere quis ſit habitator, & poſſeſſor alicujus domus, & hominis, aſpice ad ſigna externa: ex ipſis enim facile perſpicies, an ſit Chriſti, an diaboli.

24. *Superborum proprium eſt juſtos, & pauperes opprimere.* Unde in ſuis actibus & corde continuè inter ſe ſe mutuò dicunt: *opprimamus juſtum, & non parcamus viduæ. &c.* Ad hoc ſemper inhiant, & ſic ſibi ipſis quærunt ruinam, quia fabricans in ruinam proximi, fabricat ruinam ſibi. *Luc. c. 18. v. 2. ſap. hic. Luc. c. 9. v. 53. & c. 20. v. 14.*

25. *Qui mundum, & diabolum ſequuntur, verbum Dei, & ipſum Deum audire recuſant.*

Gravis eſt etiam nobis ad videndum, &c. promittit ſe ſcientiam Dei habere, &c. Hæc ſunt verba impiorum ſequentium mundum qui abhorrentes res divinas, imò ipſum Deum recuſant etiam ſcientiam Dei, & ejus verba audire, quia ipſis ſunt gravia, & contemptibilia, nec id mirum, quia qui ex Deo eſt verba Dei audit. *Ioan. c. 8. v. 48.*

26. *Diſſimilis vita ſequacium mundi, & Dei:* Unde hic dicunt: *Gravis eſt nobis ad videndum, quoniam diſſimilis eſt aliis vita ejus:* diſſimilitudo enim morum reddit etiam diſſimilitudinem affectionum. *Ioan. collat. 70.* Nota etiam quod hæc poſſunt dici in perſona aliquorum clericorum odientium ob ſuam vitam improbam, religioſos bonos, maximè fratres minores, ob diſſimilitudinem vitæ. *Op. Determinat. q. 27.*

27. *De Chriſto Ieſu dicta fuerunt à Iudæis omnia iſta contumelioſa verba, & pœna ipſi illata:* Unde hæc fuit prophetia clariſſima de ipſius paſſione, & pœnis: *Vide Luc. c. 2. 14. 20. & 22. v. 22. & 64. & c. 23. v. 21. & 37. Ioan. c. 18. in fine & c. 19. v. 6. & collat. 54. ſer. 1. & 6. in Pent. & ſer. 3. Dom. 14. Pent. & op. Comp. Theol. l. 4. c. 21.*

28. *Excæcatio, & obduratio impiorum propriè non eſt à Deo, ſed à malitia: ubi de effectibus talis excæcationis.*

Hæc cogitaverunt, & erraverunt: excæcavit enim illos malitia eorum. Nota quòd dicit, Excæcavit illos malitia eorum, ut videas, quòd excæcatio, ſicut & obduratio propriè non eſt à Deo, niſi prout eſt pœna, & paſſio, & aliquid poſitivum, ſed formaliter eſt ex malitia impiorum; unde in hac non datur ulla excæcatio, ſed totum eſt à culpa ipſorum. *l. 2. d. 36. q. ult.* Notandum autem, quod dicit hæc cogitaverunt, & erraverunt, quia talis malitia, & excæcatio aufert cognitionem rectam de Deo, & in errores infinitos inducit animas. *Op. de 7. donis c. 5. ſap. c. 13. in princip. Luc. c. 5. v. 21. & c. 6. v. 10.*

29. *Ex invidia Chriſtus à Iudæis occiſus eſt:* Undè hîc ſacer textus dicit, quòd invidiâ Diaboli mors intravit in mundum; imitantur autem illum, qui ſunt ex parte illius, ſicut fecerunt Judæi, ſcribæ, Phariſæi, & Principes ſinagogæ; turba autem ex ignorantia, non tamen excuſante à peccato ipſum morti tradidit. *l. 2. d. 40. dub. 3. Luc. c. 23. v. 10.*

30. *Invidia Diaboli mortem in mundum invexit, imitatoreſque Diaboli ſunt omnes invidi:* Ubi de damnis invidiæ horribilibus: Unde hic dicit ſacer textus. *Invidia mors intravit in mundum;* imitantur autem illum, qui ſunt ex parte illius. Ex his patet, quod Diabolus per invidiam tentavit noſtros parentes, & eos ſubegit: hæc autem de bonis proximi dolet, & de malis gaudet; unde ſocii, & filii Diaboli ſunt omnes invidi, & homicidæ ſpirituales proximi. *L. 2. d. 21. a. 1. q. 1.*

Diat.tit.1.c.4. Ioan.c.8. v.44.ſer.1. Dom.1. poſt oct. Epiph. ſer.2. de Dedicat. Hæc igitur eſt illa fera peſſima (ſcilicet invidia) quæ omni bellua crudelior, juſtum Abel occidit, ſanctum Joſeph multis doloribus adimpletum vendidit, Filium Dei in patibulo Crucis crudeliter, quantum ad humanitatem abſorbuit, & etiam totum genus humanum ſpiritualiter interfecit: ô ſecretum virus, & peſtis occulta, ô livoris parens, & criminis fomes, & virtutum erugo, & tinea ſanctitatis, quæ non ceſſas continuè damna ſpiritualia filiis Adæ inferre, & bella concitare, inimicitias, & homicidia provocare, ut de cruore occiſorum reficiaris: Tollite chariſſimi, tollite iſtam feram peſſimam de medio veſtri, quia ſtatim erit ſecuritas mentis, tranquilitas animi, & ſimplicitas cordis, & pax inter vos, & perfecta dilectio proximi. *Ser.4. Dom.3. poſt Pentecoſt.*

CAPUT III.

31. *Felix, qui in manu Dei recipitur in hac vita, & in morte: Infelix, qui in manu diaboli.*

IUSTORUM *animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis, &c.* Sed quomodò dicit, quòd tormentum mortis non tanget juſtos viventes in manu, nempe ſub ejus protectione? Nonne ait Martyres lapidati, ſecti ſunt, occiſi ſunt? Nonne omnes, qui piè vivere volunt perſecutionem patientur? Nonne omnes etiam Chriſtiani morti ſubjecti ſunt? ſed attende, quòd primò ſupponit, juſtos in manu Dei poſitos, ſcilicet ſub ejus protectione: ſed quomodò in manu Dei? Audi D. Joannem Evangeliſtam, qui in Apocalipſi c.2. dixit ſe vidiſſe filium hominis habentem ſeptem ſtellas: Iſtæ ſeptem ſtellæ ſunt omnes juſti lucidi per gratiam, ad hoc ut ſuſcipiantur in manu Dei: Iſti verò ſunt ſecuriſſimi, quia in manu Domini per gratiam in hac vita ſuſcipiuntur, & in morte per gloriam, & ideo feliciſſimi, quia de manu Dei nemo eos, poteſt eripere. E contra, qui in manu diaboli ſuſcipiuntur infæliciſſimi ſunt, quia ſub tirannide dominorum crudelium coguntur vivere. *Serm.3. Dom.4. poſt oct. Paſchæ.*

32. *Anima in manu Domini immunis eſt à tormento mortis, ſcilicet à peccato: extra manum Dei ſubjecta huic tormento.*

Iuſtorum in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis. Quodnam eſt hoc tormentum mortis? hoc eſt tormentum peccati, & malitiæ: Cur igitur in manu Dei dicuntur immunes à tormento peccati? Nonne omnis homo ſubjectus eſt peccato? ſed attende quòd res quælibet extra locum ſuum ſubjecta eſt corruptioni, quia locus proprius eſt conſervativus ipſius, ſic piſcis extra aquam, homo in mari moritur, ſic levia tendunt ſurſum, & gravia deorſum ad ſui conſervationem: locus autem proprius animæ eſt Deus, ad quem habet maximam, & intenſiſſimam inclinationem, & ideò privatio viſionis Dei in Inferno erit maxima pœnarum: ergo illa anima, quæ eſt in loco ſuo, ſcilicet in manu Dei, non tangetur à tormento mortis, & peccati: & è contra anima extra Deum, & à Deo ſeparata erit ſubjecta tormento malitiæ, quod eſt maximum tormentum, & ideo anima peccando ſibi ipſi pœnam infligit inſeparabiliter: hinc valde mirabile eſt, quod homo velit ponere animam ſuam in loco immundo in hoc terreoitatis cæno, in quo maculatur, & inficitur, & torquetur. *Op. de trib. ternar. peccat. c.7. Pſal.118. v.109. Ecclen. cap.9. Ioan.c.10.v.30. op. Myſtic. Theol.c.3.p.1.* felices igitur fuerunt Martyres, qui terrena reliquerunt, & ad Deum per juſtitiam ſe tranſtulerunt. *Op. Diat. Appendix de plur. Martyr. ſap.c.3.* Nota etiam, quod in iſto textu habetur immortalitas animæ. *Op. Comp. Theol. l.2.c.55.*

33. *Mors ſanctorum eſt mors mundanis apparens, ſed verè eſt natale ipſorum.*

Viſi ſunt oculis inſipientium mori, & æſtimata eſt afflictio exitus illorum: illi autem ſunt in pace. Ecce quare Eccleſia diem mortis ſanctorum, appellat natale ipſorum; licet enim oculis mundanorum, & infidelium mors ſanctorum appareat mors, afflictio, exterminium, verè eſt natale, nempe tranſitus à labore, ad requiem, à morte ad vitam, à pœna ad gloriam. *In ſapient. hic, & c.4.*

34. *Væ iis, qui cum mortuis, & maximè cum ſanctis pacem rumpunt, bellumque movent.*

Illi ſunt in pace. Si ſancti, & Juſti ſunt viventes in pace, ergo ipſorum pax à nobis in hac vita degentibus non eſt turbanda, quod tamen non faciunt, nec mortuis dant pacem, qui mortuos detractionibus & odio impugnant, & maximè ſanctos, quorum Eccleſias ſpoliant ſimiles militi, qui ſua lancea Dominum perforavit mortuum. *Ser.2. fer.3. Paſchæ.*

35. *Spes firma in Deum eſt ſignum vitæ ad immortalitatem, & tormentorum inſenſibilitatem diſponens, & conducens.*

Et ſi coram hominibus tormenta paſſi ſunt, ſpes illorum immortalitate plena eſt. Ergone Beati habent ſpem? Nonne evacuatur in gloria? ſed attende, quòd primò poteſt intelligi de objecto ſpei, nempe quatenus ſancti in gloria actu perfruuntur ipſo objecto ſperato: ſecundò poteſt intelligi de ſpe viatorum: hæc enim eſt veluti lignum vitæ conferens ad immortalitatem, quia enim excitat animam ad currendum in via Dei in odorem unguentorum ſuorum, nempe ex hoc videmus, quod Chriſtus non ſpernit pauperes, non horreſcit peccatores, nec horruit confitentem latronem, non lachrymantē peccatricem, non Cananeam ſupplicantem non deprehenſam in adulterio, non clamantem publicanum non negantem Diſcipulum, nō perſecutorem Diſcipulo

cipulo

cipulorum, non crucifixores ſuos: in odorem iſtorum unguentorum regenerati per ſpem vivam erigimur in æternitatem, & amplexum Dei, ita quod tormenta graviſſima exteriora non ſentiuntur ab iis, qui uncti, & fortificati ſunt ab iſto unguento pretioſiſſimo ſpei. *Op. Comp. Theol. l.5. c.22. op. de dono piet. c.3. & l.3. d.32. a.2. q.2.*

36. *Pœnalitates hujus vitæ qualeſcumque in comparatione æternæ gloriæ ſunt parvæ, paucæ, & breves.*

In paucis vexati ſunt, in multis benè diſponentur, quoniam Deus tentavit illos, & invenit dignos ſe, &c. Dicit hic, quòd ſancti fuerunt, & ſunt in hac vita in paucis vexati: quomodò poteſt id verè dici, cum D. Paulus *Hebr.* 11. referat ipſos ſectos, lapidatos, occiſos? cum multi eorum martyrium ſuſtulerint longiſſimum 25. & 30. & 40. Annorum? ſed optimè, & veriſſimè dicitur in paucis vexati: primò in comparatione ſuæ reputationis, quia eis videbantur dies tormentorum pauci præ magnitudine amoris ſua ipſorum corda inflammantis: ſecundò in comparatione paſſionis Chriſti: Tertiò in comparatione æternæ afflictionis in Inferno: Quartò in comparatione pœnæ debitæ propter dimiſſa peccata, & obligationis propter commiſſa: Quintò in comparatione futuræ mercedis in gloria: omnes enim pœnæ hujus vitæ, aut ſunt leves, & portari poſſunt, aut graves, & cito animam à corpore ejiciunt: & ſi pœnæ ſunt tremendæ, & æternæ, iſtæ ſunt formidandæ: non aliæ leves, vel graves tranſitoriæ, ideo non ſunt commenſurabiles æternæ gloriæ, tum quia ſunt leves, tum quia ſunt breves, tum quia ſunt partiales; illa autem gloria eſt magna, quia æterna, & immenſa: ergo in paucis fuerunt vexati & in multis, ſcilicet in multiplici præmio diſpoſiti, & ditati. *Sap. c.3. ſer. 4. de plur. martyr. op. myſtic. Theol. c.3. p.2.*

37. *Deus quomodo tentat Sanctos.*

Deus tentavit eos, & invenit illos dignos ſe. Quomodò poteſt hoc dici? Cum aſſerat S. Jacobus, Deum neminem tentare? ſed attende, quòd hoc vocabulum, *tentare*, multipliciter ſumitur: Tentare autem eſt idem, quod tangere, & probare illud, quod tangitur, ut patet in cæco: id autem fit, aut quia ille, qui tentat intendit probare & reprobare, & hoc eſt alienum à Deo, & proprium diaboli, aut ille, qui tentat intendit probare, & approbare, & probatum oſtendere, & hoc eſt proprium Dei, qui tentationibus, pœnis & afflictionibus ſuos probat vel ut aurum in igne, ut eos & approbet dignos coronari, & cognoſcantur ſic digni: hoc modo tentavit Deus Sanctos, & continuè tentat ſuos ſervos. *l.2. d.21. a.2. q.1. & d.33. a.1. q.3.*

37. *Ignis tribulationis alios conſumit, alios purgat, & alios mundos manifeſtat.*

Tanquam aurum in fornace probavit illos, & invenit illos dignos ſe. Vide ad quid Deus immittit tribulationes, & in tali igne collocat ſuos, nempe ut probet eos tamquam aurum in fornace: ſed attende, quòd talis ignis quoſdam comburit, & conſumit, quia non ſunt aurum, quoſdam purgat ab omni ſcoria peccati; quoſdam verò manifeſtat, ut aurum probatum per ignem tribulationum, eoſque invenit Deus dignos ſe, ſcilicet ſibi uniri per gratiam in hac vita, & gloriam in altera: ſicut enim aurum in igne fit pulchrius, & pretioſius; ſic & Deum amantes in tali fornace charitatis poſiti fiunt pulchriores, ſanctiores, & digni magnificè coronari: quod veriſſimè in martyribus verificatum eſt, & in Prælatis, non ſolum pro bonis in ſe, & in aliis promovendo, ſed & pro adverſis, quæ in regimine patiuntur. *Op. de ſex alis ſeraph. c.5. Pſal. 65. & 80. & 104. op. Comp. Theol. l.5. c.26. ſap. c.3.*

39. *Dotes corporis glorioſi expenduntur.*

Fulgebunt juſti ſicut ſol in conſpectu Dei, & tanquam ſcintilla in arundineto diſcurrunt. Nota, quòd in his verbis innuuntur quatuor dotes corporis glorioſi, nempe, fulgebunt, ſcilicet in fulgore claritatis: Iuſti, ſcilicet in juſtitia impaſſibilitas, quia juſtitia eſt perpetua, & immortalis: tanquam ſcintillæ, in ſcintilla ſubtilitas: diſcurent, in diſcurſu agilitas: In conſpectu igitur Dei, ſcilicet in gloria reformabitur corpus Beatorum, nempe obſcuritas auferetur, quam habet ex terra per claritatem paſſibilitas, quam habet ab aqua auferetur per impaſſibilitatem, animalitas, quam ab igne continua indigente alimonia auferetur à ſpiritualitate, ſeu agilitate, & infirmitas, quam ab Aëre habet auferetur à ſubtilitate: Unde cum hic terminetur corpus in corruptione (ait D. Paulus ad Cor. c. 15.) reſurget in incorruptione per impaſſibilitatem: cum terminetur in ignobilitate, ſurget in gloria per claritatem, cum terminetur corpus animale, ſurget ſpirituale per agilitatem, & cum terminetur in infirmitate, ſurget tunc in virtute per penetrabilitatem, & ſubtilitatem. *l.4. d.49. p.2. a.2. q.2. & in ſap. c.3. Brevil. p.7. c.28. Pſal.* 145.

40. *Charitas corporis glorificati excedet ſepties claritatem præſentem ſolis materialis.*

Fulgebunt juſti ſicut ſol. Nota quòd hic loquendo de corporibus glorioſis ſanctorum, dicit, quod fulgebunt ſicut ſol, non ſecundùm præſentem fulgorem, ſed ſecundum fulgorem, quem tunc habebit, qui poſt diem judicis augebitur ſeptempliciter: ergo unum corpus glorioſum ſeptempliciter fulgebit pluſquam ſol in præſenti: ergo unum corpus glorioſum capax tunc erit illuminandi ſeptem hemiſpheria mundi, & ſi hoc, ô quam fulgebit tunc anima glorioſa in gloria. *Op. Comp. Theol. l.7. c.28.*

41. *In Iudicio Sancti diſcurrent in arundineto damnorum eos conculcando.*

Et tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent. In quo arundineto? ergone arundinetum erit in cælis? minimè: In arundineto, ſcilicet damnatorum: Collegium enim damnotorum vocatur arundinetum, quia in hac vita exteriùs ſplendent, ſed interiùs ſunt vacui nullo fructu operis onuſti, palude concupiſcentiæ carnalis aſſiduè irrigatum, à vento ſuperbiæ agitati, æternæ combuſtioni apti: In hoc arundineto ſancti

 diſcur

diſcurrent, eos calcando, & hoc maximè in judicio ſuccedet. *In ſap. c. 3. hic.*

42. *Sancti cum Chriſto in Iudicio judicabunt reprobos.*

Iudicabunt nationes, & dominabuntur populis, & regnabit Rex illorum in æternum. Quomodo judicabunt? nonne Iudex ſolus eſt Chriſtus? Judicabunt quidem, non ut principalis Judex, qui ſolus eſt Chriſtus, ſed ut aſſeſſores Judicis, & Approbatores ſententiæ: qui enim aſſiſtunt Judici, & nomen, & dignitatem Judicantis ſortiuntur, & hunc honorem tribuet Chriſtus ſuis perfectis cultoribus ob opera ſupererogationis, quæ in hac vita fecerunt, inter quos Aſſeſſores præcipuum locum aſſeſſionis, & ſocietatis habebunt Apoſtoli. *L. 4. d. 47. a. 1. q. 1. ſap. c. 3.*

43. *Confidentiæ perfectæ in Deum effectus expenduntur.*

Qui confidunt in illum intelligent veritatem, & fideles in dilectione acquieſcent illi, quoniam donum, & pax eſt electis Dei. Ecce quales mirabiles effectus gignit perfecta confidentia in Deum: dicit enim, qui confidunt in illum, ſcilicet in Deum per ſpei fiduciam expectando certitudinaliter, iſti intelligent veritatem, per fidei luculentiam, in credendo fideliter; & fideles in dilectione, per charitatis benevolentiam, in amando finaliter; acquieſcent illi, per operis efficaciam, ſerviendo liberaliter, quoniam donum & pax eſt electis Dei, per remunerationis abundantiam, in recipiendo delectabiliter: Ecce quot bona proveniunt ex confidentia in Deum. *Ser. 3. Dom. 23. Pentec. ſap. c. 3. hic Pſal. 118. c. 7. v. 3. Op. meditat. c. 39.*

44. *Stultorum eſt laborare ſine fructu.*

Sapientiam, & diſciplinam, qui abiicit, infelix eſt & vacua ſpes illorum, & labores illorum ſine fructu, & inutilia opera illorum. O quàm verum eſt hoc dictum Spiritus ſancti, & ideo ſupra dixit, collegium iniquorum eſſe veluti arundinetum, quia arundo habet foris apparentiam pulchram, intus autem vacua eſt, irrigatur ab aqua paludoſa, & omni vento agitatur: Tales ſunt impii, & ſtulti, qui laborant tota die, vel cauſa timoris ſervilis, vel rei temporalis, vel in ſtatu peccati mortalis, vel amore laudis humanæ bona opera faciunt: iſti ſunt Martyres Diaboli, iſti laborant ſine fructu, & inutiliter, & ideò apti ſolùm ad ignem infernalem. *Ser. 3. Dom. 7. Pentec.*

45. *Peccatum mortale maledictionem affert in domo, & familia impii, & ejus operibus.*

Mulieres eorum inſenſatæ ſunt, & nequiſſimi filii eorum, maledicta creatura eorum, & ſubdit infrà, *Nationes enim, quæ diræ ſunt conſumationis.* Vide effectus peccati mortalis exiſtentis in anima impii, cujus fructus, & maledictio extenditur ad litteram ad familiam, & operationes ſuas: nec mirum eſt, quod qui habent patrem Diabolum, vel diabolicum & maledictum, ſint & ipſi nequiſſimi; ſic etiam maledicta eſt creatura eorum, nempe omne opus ipſorum: Myſticè autem pro mulieribus intelligitur concupiſcentia, & voluptas carnalis, nomine filiorum veniunt opera impii, ſcilicet diſcipuli ab ipſis impiis edocti: unde meritò peccatum mortale nomine maledictionis venit in ſacra ſcriptura, quia per peſſimos, & maledictos influxus uſquequaque ſe diffundit, & totum devaſtat. *Sap. c. 3. ſer. 1. Dom. 21. Pent. Luc. c. 15. v. 14.*

46. *Mariæ Virginis caſtitas, & virginitas cum fœcunditate expenditur.*

Felix eſt ſterilis, & incoinquinata, quæ neſcivit thorum in delicto, habebit fructum in reſpectione animarum ſanctarum. Nota, quod hæc verba de Beata Virgine Maria proferuntur in laudem ſuæ puriſſimæ caſtitatis, & virginitatis, ob quam fuit felix, quia ſimul cum fœcunditate copulata eſt, genuit enim Deum hominem, & mater omnium ſanctarum animarum facta eſt, unde dicitur, habebit fructum in reſpectione animarum ſanctarum. *Luc. c. 1. v. 48.*

47. *Bonorum laborum glorioſus eſt fructus:* ſic dicit ſapiens, nempe *quales erunt labores tui, tale erit præmium*; ſi laboraveris in vinea Domini ſanctè, & in gloria metes fructus glorioſos: laboremus igitur adſpicientes ad præmium nobis in cælo à Deo paratum. *Serm. 2. Hexam. ſerm. de S. Martino. ſap. c. 5. & 10. & 15.*

CAP. IV.

48. *Caſtæ animæ Chriſti ſponſæ mirabilia notantur.*

O Quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate: immortalis eſt enim memoria illius, quoniam apud Deum nota eſt & apud homines. Notandum, quòd ſapiens in hoc capite agit de juſtitia hominis ad ſeipſum, ipſamque primò commendat ſecundùm ſe, & deinde per comparationem ad improbitatem injuſtorum, & impiorum: primo ergo loco exaltat caſtitatem ſponſæ Chriſti modo admirativo, dicens: *ô quàm pulchra, &c.* in quibus verbis tria miranda præconia proponũtur ſcilicet decor converſationis, cum dicitur, *ô quàm pulchra:* candor incorruptionis, cum dicitur, *caſta generatio:* & ſplendor contemplationis, cum ſubditur; *cum claritate:* hæc enim tria comitantur ſtatum animæ cum Chriſto deſponſatæ: debet enim eſſe pulchra quantum ad opera, caſta quantum ad innocentiam mentis, & cum claritate quantum ad virtutum nitorem: hocque pacto ejus memoria immortalis eſt apud Deum, & homines, & tota deſiderabilis; & hæc eſt perfecta juſtitia, quæ à Deo deſideratur in quolibet noſtrum. *Op. Diat. in appendice pro Virgini. op. de perfec. religioſ. l. 2. c. 27. ſap. hic & c. 7. Pſal. 118. c. 2. v. 4.*

49. *Puritas Virginitatis genuit, & peperit nobis fontem juſtitiæ.*

O quam pulchra eſt caſta generatio cum claritate. Quæ eſt hæc caſta generatio cum claritate tam pulchra?

pulchra? Nota quòd hic principaliter extollitne virginitas, ut notat D. Hieronimus: ſed quomodò connectitur cum fœcunditate generationis, cum ſterilitas ſit propria virginitatis? ſed adſpice ad Mariam, in qua invenies puriſſimam virginitatem, cum fæcunditate & generatione Chriſti filii Dei: dicitur autem cum claritate, quia Virginitas concepit cum claritate, ſcilicet ex Spiritus ſancti charitate fæcundante: Huius reverà immortalis eſt memoria, ideſt celebris eſt notitia apud Deum, & homines: Hanc imitamur paſſam in terris ſibi compatientes, hanc deſideramus coronatam in cælis ſibi complacere ſtudentes. *Pſal. 118. c. 2. v. 4.*

50. *Qualis corona à Deo parata pugnantibus pro ipſo, & præcipuè caſtis, & virginibus.*

O quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate: in perpetuum enim triumphat coronata. Ecce quòd ſapiens dat nobis intelligere, quàm ſit juſtitiæ conſonum, ut qui fortiter pugnat, & hoſtem ſuppeditat, reporter coronam triumphalem: ſic enim antiqui victores in bello coram omnibus coronati incedebant, ut omnes ad bellandum fortiter animarentur: hinc ad excitandum nos in hac pugna contra concupiſcentiam carnis proponit coronam à Deo pugnantibus præparatam, quod & à ſancta Eccleſia præcipuè ſanctis Virginibus applicatur, quæ licet corpore debiles, tanta tamen pollebant animæ fortitudine, dum reſpicerent ad mercedem, ut gladiis, ſive ignibus ſuperari non poſſent: & ideò in his verbis primò proponitur victoriæ adeptio, quam de hoſtibus obtinuerunt, cum dicitur *triumphat*: ſecundo præmii aſſecutio, quod acceperunt, cum additur. *In perpetuum coronata. ſer. 2. de una S. Virg.*

51. *Idem confirmatur, & clarius explicatur de una ſancta Virgine, & Martyre.*

Triumphat in perpetuum coronata. Qua corona? coronata ſcilicet hæc anima quadruplici corona, ſcilicet corona luminoſa, ſive radioſa, propter radium ſapientiæ, qua refulſit, nempe dum viam pænitentiæ virtutis elegit, dum virginitatem ſuam Chriſto ſervavit, dum coram Judicibus ſic ſapienter reſpondit, dum pro Chriſto mori non timuit ſed magis optavit, ut patet in ſancta Catharina, Barbara, Cæcilia, Agnete, Anaſtaſia, & Agata; quæ ſua ſapientia confuderunt omnes Judices, & ſapientes mundi, ideo corona ſtellarum duodecim impoſita eſt in ejus capite, ſcilicet multiplici perfectione præmiorum: ſecunda corona fuit ſpecioſa propter pulchritudinem virginalis pudicitiæ, quam ſervavit: ô quàm ſpecioſa fuit, dum carnis immunditiam declinavit, dum luxuriæ fætores abhorruit, & dum ſuam carnem à corruptione ſervavit: ſicut è contra nihil turpius, & fætidius, quàm porcorum more naſum in luto tenere: Tertia corona eſt pretioſa ex lapidibus pretioſis formata, & hoc ob patientiam, quæ pretioſior eſt omni lapide pretioſo, & ſolidior omni petra: Quarta corona eſt glorioſa propter caſtitatem, & humilitatem, quam in via ſervavit; ſecundum enim menſuram humilitatis in mundo, menſura præmii reſpondet in præmio: Ergo, ſi & nos volumus in cœlo corona gloriæ ſublimari; ſtudeamus & nos pugnare, & triumphare, & pati, & humiliari. *ſer. 1. de una S. Virg.*

52. *Ædificium, & plantatio non fundatà in charitate, ſed in cupiditate non poteſt ſubſiſtere.*

Multigena autem impiorum multitudo non erit utilis, & ſpuria vitulamina. ideſt adulterina plantationes non dabunt radices altas, nec ſtabile fundamentum collocabunt; & ſi in ramis in tempore germinaverint infirmiter poſita à vento commovebuntur, & à nimietate ventorum eradicabuntur &c. Confringentur enim rami &c. Verba iſtà ſunt de ſe clariſſima, quibus dat ſapiens intelligere, quòd ædificium, & plantatio, quæ non habet pro fundamento, & radice Deum, obſervantiam mandatorum, necnon charitatem, ſed cupiditatem, avaritiam, & alia vitia, non poſſunt dio ſubſiſtere: Nota: Vitulamina ſunt plantæ infructuoſæ, quæ à vite, & aliis arboribus naſcuntur juxta truncum: ſpuria dicuntur, quia degenerant à bonitate plantæ, ſed citò deficere neceſſe eſt: Idem, & dicendum de filiis ex patribus infectis vitiis provenientibus, quorum malæ radices ſunt parentes iniqui, & rami mali ſunt mali filii; & ideo Deus ad iſtas radices ſecurim extendit. *Luc. c. 6. v. 49. & c. 8. v. 13. & c. 13. v. 1. ſer. 1. & 2. Dom. 7. Pent. Luc. c. 21. v. 23. Eccleſ. c. 3. In ſap. c. 4. hic.*

53. *Juvenis virtute præditus ſenex venerabilis eſt: ſenex vitioſus puer abominabilis.*

Senectus venerabilis eſt non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem ſunt ſenſus hominis, ætas ſenectutis vita immaculata &c. Ecce quomodo hic explicat ſapiens quænam ſit ſenectus venerabilis, ſcilicet illa, quæ menſuratur; non ætate, ſed virtute, nempe immunitas à vitiis concupiſcentiæ, quæ ſunt propria juventutis, prudentiæ diſcretio, & ſtudium aliarum virtutum: talibus enim licet juvenibus ætate debetur honor; & veneratio: ſicut ſenes è contra magis vituperabiles, qui vitam in vitiorum cæno degunt; unde juvenis virtuoſus, veluti ſenex venerabilis eſt; ſenex vitioſus vituperabilis eſt; *Op. expoſ. Reg. c. 2. Luc. c. 11. v. 19. & c. 15. v. 25. Ioan. c. 8. v. 56. & c. 21. v. 19. & collat. 19. op. ſpecul. Diſcipl. p. 1. c. 5.*

54. *Vita obtruncatio quale bonum bonis, & malis.*

Placens Deo factus eſt dilectus; & vivens inter peccatores tranſlatus eſt, raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus &c. Ecce quale bonum eſt amicitia cum Deo, eſtque tantùm bonorum, & qui à Deo ſpeciali modo diliguntur; iſtis autem pro maximo beneficio obtruncatur vita; & hoc ne mali fiant, ſicque transferuntur prius à Deo de culpa ad gratiam, & de hac ad gloriam: Nota autem, quod etiam malis obtruncatur ſæpè vita à Deo, ne pejores fiant, ideò magnum beneficium Dei eſt mors ipſis adveniens. *Eccleſ. c. 7. Pſal. 118. v. 9. & 16. & 2. ſer. de S. mart. ſap. hic Op. libell. Apologet. q. 20.*

55. Vita

62. *Pœnitentia alia vera, alia falſa & ficta, alia deſperata.*

Ridentes turbabuntur timore horribili, dicentes intra ſe, pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes &c. Ergone damnati pœnitentiam agent? nonne jam exierunt omnem ſtatum, & ſortem merendi? ſed attende, quòd alia eſt pœnitentia vera, & meritoria, alia ficta, & falſa, alia deſperata: prima eſt verè pœnitentium in hac vita, qua præ anguſtiâ ſpiritus gemunt, & deflent peccata commiſſa; & cavent committenda: ſecunda eſt falſorum Chriſtianorum, qui non deteſtantur peccatum, ſed tantùm pœnam, ſic fuit illa Judæ: Tertia eſt damnatorum, qui ſemper pœnam ſuſtinebunt, ſed ſine fructu, & merito, & cum odio ad Deum, & cum mala voluntate ad peccatum. *Op. Comp. Theol.l.5.c.21.ſer.3.de S. Andrea op. faſcicul.c.4. Eccleſ.Hier.p.1.c.3.& 4.Luc.c.4.v.41. Dies.tit.10. c.1 Pſal.118.c.7.v.8.& c.8.v.8.*

63. *In præſenti vita impii lætantur, & partem dexteram occupant: Juſti, & Religioſi, è converſo: ſed in alia fiet alterna mutatio.*

Hi ſunt, quos aliquando habuimus in deriſum &c.Ecce &c.inter filios Dei &c. Vide, & audi lectionem, quam nobis damnati ex Inferno faciunt, nempe, quòd ſicut in hac vita mortali gaudebant in bonis temporalibus, mundus ipſis applaudebat, & putabant, ſe dexteram felicitatis obtinere: E contra Religioſos, & juſtos, quos mundus obliviſcitur,& deſpicit ſiniſtrâ habere putant, vitam iſtorum eſſe ſine honore mundi; ecce quomodo in alia vita (aiunt, & prædicant ipſis) fit alterna mutatio: nos ad ſiniſtram ſine gratia,ſine honore, ſine ſpe alicujus boni tranſlati ſumus in Inferno, & illi dexteram Chriſti in gloria obtinebunt: ô quàm verum eſt: ô lectio verè digna, & in mente perpetuò imprimenda. *Op. Eccl. Hier.p.1.c.3.& ſap. hic.*

64. *Logica damnatorum qualis, ſed ſine fructu.*

Ergo erravimus à via veritatis, & juſtitiæ lumen non luxit nobis, & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis. Notanda iſta verba damnatorum diligenter, continent enim mirabilia documenta: dicunt enim ergo erravimus, inferentes concluſionem logicam contra ſeipſos: ſed ex qualibus præmiſſis? ex ſupra traditis propoſitionibus, nempe: hi ſunt, quos aliquando habuimus in deriſum &c. nos inſenſati &c. & hinc rectiſſimè concludunt contra ſe ipſos, inferendo, quod erraverunt: ſed cur? quia exierunt à via veritatis Evangelii, quia eis non eſt ortum lumen, & ſol intelligentiæ ſacræ ſcripturæ, & exemplorum Chriſti, non ob defectum ſolis, ſed ob defectum proprium, quia ſe elongaverunt à via, in qua influit ſol, & lumen cæleſte, & ideo fatentur ſe laſſatos in via iniquitatis, quam calcaverunt. *Sap.c.5.op.de 7.Itiner.æternit.prol.d.7.Luc. c.18.v 35.In Eccleſ.c 6.& 12.ſap.c.17.* Vide ergo quomodò damnati nimis tardè elevant, & aperiunt oculos, & logicam, quam in hac vita noluerunt practicare, vivendo oculis clauſis; in Inferno, ſed ſine fructu, apprehenderunt.

65. *Reprobi exeuntes ex hac vita de labore, ad laborem tranſeunt: Juſti è contra, de quiete ad quietem.*

Ergo erravimus, laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus. Ecce ex ore damnatorum aperta confeſſio veritatis, quam in hac vita ambulantes veluti cæci clauſis oculis ignoraverunt: fatentur enim quod via iniquitatis, quam ipſi calcaverunt tota eſt ſpinoſa, difficilis, laborioſa, plena laqueis, ſpinis, afflictionibus; ſicque tranſierunt de labore ad laborem, de pœna ad pœnam, de afflictione ad afflictionem, quod veriſſimum eſt: credunt quidem cæci, non laborare in hac vita peccatores, cum tamen omnis eorum vita ſit amariſſimâ pœna, cura, & febris continua: quis non videat quantum laborant luxurioſi? quantum avari? quantum ſuperbi? quantum invidi? ſed mirum non eſt, quod non videant, nec ſentiant, cum cæci ſint,cum frænetici ſint. E contra Juſti ſumentes ſuave jugum Chriſti, & onus,quod non gravat, ſed alleviat,non deprimit,ſed reficit, non ad Infernum demergit, ſed ad cæleſtem patriam ſurſum vehit: ergo iſti tranſeunt de quiete ad quietem, & gloriam. *Ser.2.de SS.Philip.& Iacob.op. collat. de contemptu mundi. Pſal.118.c.5. verſ.14. Thren.c.4.*

66. *Umbratiles ſunt honores, voluptates, & divitiæ mundanæ, & vanitas.*

Quid nobis profuit ſuperbia, & divitiarum jactantia quid contulit nobis? tranſierunt omnia velut umbra. Ecce quomodò in Inferno damnati fatentur, & nobis in hac vita degentibus prædicant, nempe quòd in omnibus, in honoribus, in divitiis, in voluptatibus vanitas eſt, ſicut vanum eſt ſomnium, vana eſt umbra; umbram enim equi pro equo æſtimare,& ei ſervire vanitas eſt,ſic tranſitoria reſpectu æternorum: ideo ſi omnia quaſi fumum, vel umbram quaſi fœnum, & fœni florem nominemus, ſicut ſomnium diximus, minus profectò, quàm ſe habet veritas dicemus. O ſi benè iſta videres ô homo, quàm miſeram temporalium avaritiam judicares; ſi ſapis, ſi habes cor, ſi tecum eſt lumen oculorum, tu deſines jam ea ſequi, quæ conſequi miſerum eſt. *Ser.1.Dom.12.Pent.ſer.2.de S. Barthol.op.collat.de contempt.ſæculi. op. faſcicul.cap.3. ſap.c.5.*

67. *Omnia mundana ſunt in tranſitu velut umbra.*

Quid nobis profuit ſuperbia, &c. tranſierunt omnia illa tamquam umbra, &c. In his elegantiſſimis verbis ſapientis nomine damnatorum prolatis proponitur lectio numquam obliviſcenda eorum, quæ continua experientia, ſed ſine conſideratione, vel attentione videmus, nempe, quod omnia mundana bona ſunt in continuo tranſitu abſque eo quod relinquant poſt ſe veſtigium: Tranſit enim mundus quantum in eo, quod eſt appetibile; tranſit primò quoad celſitudinem: ſecundò quoad pulchritudinem: Tertiò quoad

quoad dulcedinem: hoc parat experientiâ in plurimis, quorum vix eſt memoria in mundo; ubi enim Principes gentium, & qui dominari ſuot? Ub. ſapiens, ubi ſcriba, ubi doctus? Ubi Salomon ſapientiſſimus? Ubi Aſſuerus glorioſiſſimus? Ubi Alexander potentiſſimus? ubi Sampſon fortiſſimus? ubi Abſalon ſpecioſiſſimus? ubi Cæſar potentiſſimus? ubi Reges, & Principes incliti? quid eis profuit inanis gloria, brevis lætitia mundi, magna familia, carnis voluptas, divitiarum falſitas, concupiſcentiæ ſuavitas? ubi riſus? ubi lætitia? ubi jactantia? ubi arrogantia? Ecce generoſitas ſanguinis, pulchritudo corporis, forma elegans, juvenilis decor, prædia, palatia immenſa, ſuppellex, adde & mundi ſapientiam, da mundo ſunt hæc omnia, & mundus, quod ſuum eſt, diligit, & tamen cum mundo diu non ſubſiſtunt: fuge ergo ô Anima hæc omnia, & confuge ad Deum, in quo ſunt bona perpetuò ſubſiſtentia. *Op.ſolsloq.c.2. Luc. cap.21. v.33.op.myſt. Theol.c 3.p.3.Luc.c.16.v.10.Ecclen. c.8.* Notandum autem eſt, quòd dicit textus, quod tranſierunt omnia tanquam fumus, ventus, umbra, quia omnia ſunt fumus, & ventus, & umbra tranſiens nullum poſt ſe relinquentia veſtigium: Væ ergo his, qui adhætent tranſeuntibus, quoniam ſimul cum eis tranſeunt. *Ser.5.in Pent.ſer.22.Pent.*

68. *A nativitate ad mortem ſtatim omnis homo transfertur.*

Et nos nati continuò deſinimus eſſe. Quomodo verè hæc dicuntur? ergone à nativitate ad mortem ſtatim tranſit homo? ſed attenda, quàm vera ſit hæc propoſitio: nam noſtra vita eſt continua mors, homo enim ſtatim ac incipit vivere, etiam incipit mori, quia ab eſſe tranſit ad non eſſe præcedentis eſſe, & ideò eſt in continua morte. *In Ecclen. cap.3. l.2.d.19. dub.3. ſap. cap.5.*

69. *Homo in hac vita eſt hoſpes in taberna, & peregrinus.*

Spes impii tanquam memoria hoſpitis unius diei prætereuntis. Ecce quòd hîc alia veritas prædicatur, nempe quod homo in hac vita eſt veluti hoſpes in taberna, & aliena domo: ſic pariter dicebat Pſaltes: Advena ſum ego, & peregrinus, ſicut omnes patres mei. *Sap.c.5.*

70. *Iuſtitia multiplex ducens ad vitam veram, & cæleſtem expenditur.*

Iuſti autem in perpetuum vivent, &c. Nota, quòd vita, quæ ut majus bonum, quod poſſit ab homine deſiderari, tam in ſtatu naturali, quàm, & magis in ſtatu ſpirituali promittitur juſtis: Qui ſunt juſti? Iuſti prædiri multiplici juſtitia, ſcilicet juſtitia, per quam ad Deum redimus celeriter, per confeſſionem, pœnitentiam, aliaque opera virtuoſa: Iuſtitia item, per quam exercemur humiliter ſubjiciendo nos aliis propter Deum: Iuſtitia item, per quam nos punimus veraciter, plangendo, pœnitentiam agendo, ut Deo ſatisfaciamus: Iuſtitia item per quam Deo ſervimus perſeveranter: perſeverantis enim ſola eſt, quæ coronatur: Per iſtam igitur juſtitiam pervenitur ad vitam, nempe illuminationem, delectationem quietantem, & æternaliter durantem, quæ tantum erit in gloria cum ſumma perfectione. *Ser.5. de plurib. martyr. op.Ecceſ. Hier.p.1.c.4.Brevil.p.7.c.7. Luc.c.1. v.6. & c.6.v.22.op. de dono ſap.cap. 11. ſerm.1. in ſeptuag.*

71. *Qualis principatus à Chriſto confertur in gloria ſuis ſequacibus.*

Accipiens Regnum decoris de manu Domini, & diadema ſpeciei, & dextera ſua teget eos. Vide hic felicitatem juſtorum poſt hanc vitam, nam in ingreſſu gloriæ à Chriſto, qui eſt manus, brachium & dextera Patris: manus operando, brachium, & dextera protegendo: A Chriſto accipient Regnum decoris, ſcilicet præmium eſſentiale, quod dicitur aurea, & accidentale ſignificatum in diademate ſpeciei, & dicitur aureola: Regnum, inquam decoris, ſcilicet refulgens ex radiis lucis æternæ præſentis, quod obtinebunt ex aperta viſione, & fruitione Dei. O felix pauper juſtus, qui in cælo ad tale Regnum ſublimatur. *Ser.2. in Aſcenſ.ſer.4.Dom.14. Pent.Pſal.118.v.15.ſap.hic.*

72. *In Iudicio creaturæ armatæ venientur cum Chriſto ad ultionem inimicorum.*

Accipiet armaturam zelus illius, armabit creaturam ad ultionem inimicorum, & pugnabit pro illo orbis terrarum contra inſenſatos. Nota iſta verba, ſigna myſteria: nam in his exprimit ſupplicia reproborum ſub metaphora Regis arma moventis contra inimicos; nam non ſolum armabitur zelus, furor, juſtitia, & vindicta Chriſti ſeveriſſimi Judicis contra reprobos, ſed & omnes creaturæ armabuntur tanquam exercitus, & ſimul contra ipſos cum Chriſto inſurgent: Armabuntur zelo, juſtitiâ, furore, Angeli, Sancti, & Beati: Armabuntur cæli, fulgura, & fulmina immittentes: Armabuntur elementa, & omnia corpora, quibus contra Chriſtum abuſi ſunt, & ideo ex ipſis omnia, quæ poſſunt cruciare, & torquere extrahentur tanquam arma ad feriendum, percutiendum, transfigendum, & torquendum miſeros damnatos in anima, & corpore. O quot tormenta! ô quot mala! quot pœnæ paratæ ſunt contra impios à juſtitia vindicante Chriſti. *Ser.3.fer.2.& 3.Paſcha ſer.de Animab.ſer.2. Dom.infr.oct.Aſcenſ.ſap.c.5. op.Brevil. p.7.c.5. Pſ.118.c.9. v.16. Ecclen.c.8.ſap.c.16.& c.18.*

CAP. VI.

73. *Prudentia, & ſapientia melior eſt quàm vires, quia regulat conſilia, verba, & opera.*

MELIOR *eſt prudentia, quàm vires; & vir prudens quàm fortis.* Cur melior? quia utilior, eo quod hæc virtus, quia eſt cæleſtis trutinat conſilia, eloquia menſurat, & opera maturat. *Pſal.118 c.7.v.2.ſap.c.5.*

74. *Iuſtitiæ rectitudo quàm neceſſaria Rectoribus populorum, & quàm ſeverus ſit futurus Chriſtus Iudex in iniquos Iudices, & è contra pius in pauperes.*

Audite ergo ô Reges, & iudices, qui iudicatis terram, &c. data eſt vobis à Domino poteſtas, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur, &c. In quibus verbis, & ſequentibus Spiritus ſanctus inculcat juſtitiam Rectoribus populorum, & Judicibus, ne odio, & amore, pretio, precibus, vel timore deflectant à juſtitiæ æquitate, & unum inter alia monita terribiliſſimum proponit, nempe quia, horrendè, & citò apparebit, contra ipſos ejus duriſſimum judicium fiet his, qui præſunt, ſicut è contra exiguo, & panperculo conceditur faciliter miſericordia: Potentes autem potenter tormenta patientur: quæ verba ſunt de ſe clariſſima, & terrorem maximum incutiunt his qui ipſa diligenter perpendent, eo quod Judices, & Potentes ad imitationem Chriſti deberent exercere juſtitiam ſine acceptione perſonarum, miſcendo juſtitiam cum miſericordia: De qua materia vide. *Ser.1.de ſancto Mathia. Ser.7.Rogat.ſer.2. & 5. de plurib.mart.Eccleſ. Hier. p.2. c.2. op. de ſex alis ſeraph.c.3.op.medit.c.2. biſ. Luc.c.8.v.30. & c.12. v.2.& 46.op. Apolog. paup. reſp.1.c.2.op. princip. S.Scrip.Pſ.118.c.8.v.3.& c.4.v.7.ſap.c.4.& 11.& l.3. d.32.q.3.op.determinat.&c. quaſt.23.Luc.c.4.v.40. & c. 7. v. 4. op. de ſex alis ſeraph. c.7. in ſap. c.6. hic.*

75. *Dilectio Dei in opere conſiſtit principaliter.*

Concupiſcite ergo ſermones meos, diligite illos, & habebitis diſciplinam. Nota ordinem iſtorum verborum: ait, Concupiſcite primo loco: ſecundo Diligite; tertio, Habebitis diſciplinam: Ergone ex amore derivat neceſſariò diſciplina operationum? maximè: hoc eſt primum principium in ſchola Chriſti, quod dilectio perfecta conſiſtit, non tantùm in corde, ſed magis in diſciplina, & exhibitione operum, qui enim non exit in opera, verè non diligit Deum. *Ser.3. Dom.paſſionis.*

76. *Chriſtus invenitur ab ipſum quærentibus per ipſum.*

Clara eſt, & quæ numquam marceſcit ſapientia, & facile videtur ab his, qui diligunt illam, & invenitur ab his, qui quærunt illam, &c. Sed quænam eſt hæc ſapientia, quæ tantis encomiis à ſapiente celebratur? Hæc eſt ſapientia Patris æterni ſcilicet Chriſtus; ad hanc igitur acquirendam ſapientiam movet, & invitat ſapiens, & ut inveniatur oportet ipſam diligere, & quærere? ſed tamen non poteſt nec diligi, nec quæri, niſi prius inveniatur, antequam inveniatur: ſubdit enim, & præoccupat, qui ſe concupiſcunt, ut illis ſe prior oſtendat: q. d. gratis ſe offert, cum ſit vita velox, ut per eam perveniatur ad ipſam; tunc per pœnitentiam, labores, & ſanctam vitam ſecurè quæramus, & inveniemus: *Sap.c.6 ſer.6.Rogat ſer.2.Hexam.Luc.c.2.v.10.*

77. *Pulſanti Chriſto ad cor, ſtatim aperiendum; idque maximè dicitur de juventute.*

Qui de luce vigilaverit ad illam, non laborabit: aſſidentem enim illam foribus ſuis inveniet. Notanda ſunt iſta verba, & cum maxima attentione ponderanda: dat enim in ipſis ſpiritus ſanctus intelligere, quòd ipſi Chriſto aperiendum eſt de luce, non de nocte, nempe diluculo, & ſine mora, quando pulſat, quodque maxime advertendum à juvenibus, cum ipſos ſapientia cæleſtis invitat ad obſequium Chriſti: grave enim & pernitioſum periculum adeſt negligentibus obedire inſpirationibus ſtatim ac ipſis à Deo immittuntur; periculum enim ſubeunt eas nunquam amplius recuperandi, ſi non obediendo ad noctem ſenectutis, vel malæ conſuetudinis reducunt eorum converſionem: aliquando enim Deus vult infundere ſuam gratiam ſine labore, vel ſaltem pauco noſtro incommodo, ut fecit cum D. Paulo, & cum aliis, ſed quia id non fit ſine noſtro conſenſu, & abſque eo quod eor ad ingreſſum Domini aperiatur à nobis, ideo Spiritus ſanctus advertit, dicens: qui de luce vigilaverit, &c. *Op.de perfect. religioſ.l.1.c.14. & ſap.c.6. hic.*

78. *Conſideratio in agendis quàm fructuoſa: Vbi de prudentia Beatæ Mariæ Virginis.*

Cogitare de illa ſenſus eſt conſumatus, & qui vigilaverit propter illam, ſecurus erit. Quid eſt cogitandum de ſapientia, & prudentia? Cogitare debet homo in omnibus operibus agendis, & ſibi occurrentibus, ſic legitur de Beata Virgine *Luc.c.1.* quod cogitabat qualis eſſet ſalutatio facta ſibi ab Angelo: Hic enim eſt actus prudentiæ veræ hominis facilè cogitantis actus ſuos, & circunſtantias, & id, quod poteſt evenire, ex qua cogitatione multa mala vitantur, & plurima bona conſequuntur. *Luc.c.1.v.29.*

79. *In omnibus accidentibus, & tentationibus recurrendum eſt ad paſſionem Chriſti.*

Cogitare de illa, ſcilicet de ſapientia, quæ eſt Chriſtus, ſenſus eſt conſumatus. Sed quænam cogitanda de Chriſto ſalvatore: cogitare ſuos actus, nempe ſuam paſſionem; & ad ipſum vigilare, & recurrere in tentationibus, & omnibus acci-

dentibus, ſic enim anima vivit ſecura. *Op.Regul. Novit.c.70.*

80. ***Prædicator debet quærere ſapientiam, ut per ipſam peccatores convertantur.***

Quoniam dignos ſe ipſa circuit quærens, & in viis ſe oſtendit hilariter, & in omni providentia occurrit illis. Nota quòd hoc præcipuè dirigitur ad Prædicatores, qui tenentur quærere ſapientiam, quibus ſe exhibet hilariter, & per quam conſcientias peccatorum penetrare, & concutere poterunt. *Luc.c.15.v.8.*

81. *Gradus, quibus per ſapientiam pervenitur ad gloriam enodantur.*

Initium ſapientiæ veriſſima eſt diſciplina concupiſcentia. Nota, quòd in his & ſequentibus verbis exponit ſapiens gradus perveniendi ad gloriam, in qua habetur poſſeſſio perfectiſſima ſapientiæ: & primò proponit concupiſcentiam, & fervens deſiderium ſapientiæ obtinendæ, & hinc ſequitur concupiſcentia diſciplinæ: per hanc habetur dilectio, & deſiderium cuſtodiendi legem Dei, & ex hoc oritur incorruptio vitæ, legis obſervantia, bonitas, & exercitium virtutum, & præcipuè contemplationis, per quæ tandem pervenitur ab Regnum cæleſte, ubi perfecta ſapientia obtinetur. *Ser.2.Hexam.Ecclen.c.10.Diat.tit.5.c.6.Eccleſ. Hier. p.3.c.1. ſer.4. Dom.14. Pentec.*

82. ***Populorum Rectores diligant, & conentur obtinere ſapientiam mediante lumine ſuperno.***

Si ô Reges delectamini ſedibus, & ſceptris diligite ſapientiam, ut in perpetuum regnetis, diligite lumen ſapientiæ omnes, qui præeſtis populis. Notanda iſta verba, & ordo ipſorum à Rectoribus populorum: primò enim ipſis proponit ſapiens dilectionem ſapientiæ, quod eſt idem ac juſtitiæ, & miſericordiæ exercitium: deinde dicit, quod diligant lumen ſapientiæ: quodnam eſt hoc lumen? lumen divinum, & hoc, ut ad imitationem ejus judicent, regant, & dominentur populis, ne per ignorantiam errent in ſententiis. *Op.Eccleſ.Hier.p.1.c.2.*

83. ***Qui à Deo illuſtrati reperiuntur lumine ſapientiæ, & ſcientiarum ſacrarum tenentur aliis communicare.***

Non abſcondam à vobis ſacramenta Dei. Ecce quid dicit ſapiens, & per hoc inſtruit ſapientes, Doctores, & Prædicatores, ſe teneri communicare aliis talentum, quod à Deo receperunt, nec ſibi ipſis ſolis vindicare. *Op. Eccleſ. Hier.p.1.c.3. Luc.c 8.v.18.* Sed hoc præcipuè dirigitur ad Prædicatores, quia multitudo ſapientum, ideſt Prædicatorum talium ſanitas eſt, ideſt cauſa ſanitatis animarum. *ſap.c.6.*

CAP. VII.

84. *Hominis initium miſerabile, & exitus eſt æqualis in omnibus: Ubi de conceptione, & mora pueri in ventre matris, & nativitate.*

SUM quidem & ego mortalis homo ſimilis omnibus, & ex genere terreno &c. Nota quòd in his verbis ſapiens enarrat miſeriam hominis, quoad initium, medium, & finem: nam quilibet concipitur ex materia viliſſima in ventre matris, ejuſque mora in ipſo utero, quæ eſt decem menſium ab initio coagulationis; ſed novem tantùm ab initio poſt perfectionem, & animationem corporis, licet aliqui etiam intrent in decimum menſem, ſicut fecit Chriſtus, qui in ventre Mariæ Virginis ſtetit ab octavo calendas Aprilis, uſque ad octavum calendas Januarii: Deinde ſubdit, quod in nativitate prima vox eſt ejulatus, excepto Chriſto, Beata Virgine, & Joanne Baptiſta, & quod idem eſt introitus, & exitus omnibus Regibus, ſcilicet per pauperem nativitatem, & per mortem pauperrimam: Vide ergo, quàm vanus & miſer ſit noſter introitus, & exitus. *Sap. c.7. Ioan. c.1. v.13. Pſal.118.c.5.v.6.*

85. *Cur voluit Deus, ut prima vox hominis in nativitate eſſet ejulatus, & fletus: Ubi de miſeria hujus vitæ; & pœnitentia aſſumenda.*

Primam vocem ſimilem hominibus emiſi plorans. Cur Deus voluit ut prima vox hominis eſſet planctus, & fletus? Cur non potius voluit, ut eſſet riſus? Nota, quòd omnis homo in naſcendo primò emittit ejulatum (excepto Chriſto, & Joanne Baptiſta, idem & dicendum à fortiori de Maria Virgine) quod etiam ſequitur de Zoroaſtre: meritò ergo hoc ordinavit divina ſapientia, primò, quia puer propheta eſt in prima ſua voce propriæ calamitatis, & miſeriæ, & quòd intrat in regionem mortuorum, & miſerorum: ſecundò, quia voluit indicare nobis, quòd ſi volumus lætari in altera vita, oportet primò in hac dolere, flere, & pœnitere. *In ſap. cap.7. Ecclen.c.3.*

86. *Qualis ſapientia à Iuſtis deſideratur, & quæritur.*

Optavi, & datus eſt mihi ſenſus, & invocavi, & venit in me Spiritus ſapientiæ, &c. Quæritur quænam eſt iſta ſapientia deſiderata, & quæſita? Nota quòd multiplex ſapientia in univerſum reperitur: Alia eſt mundana, per quam pejus meliori præponitur, ſicut divitiæ, honores, voluptates æternis, & hæc diabolica, & maledicta, verè ſtultitia apud Deum: Alia increata, & infinita, eſtque ipſe Deus: Alia eſt naturalis, quæ conſiſtit in perceptione ſcientiarum altiſſimatum, ſed tamen naturalium, eſtque metaphiſi-

ca

ca, Theologiaque naturalis: Alia verò, quæ eſt donum Spiritus ſancti quæ habet pro objecto Deum, non ſub ratione veri præciſè, ſed prout refertur ad bonum, & ut eſt excitativum voluntatis ad ejus ſaporoſam dilectionem, cujus actus eſt contemplari Deum, non quocumque modo, ſed ex ſaporoſa dilectione cum quadam experimentali ſuavitate, & affectu, unde ſapientia à ſapore denominatur, ideo eſt habitus ſupernaturalis à Deo in anima infuſus ad Deum cognoſcendum, & amandum cauſans in anima diem lucentem cognitione, & ferventem dilectione, & convertens terrenum in cæleſte, caducum in immortale, & hominem in Deum mutatione deifica. *Op. de dono ſap.c.1.& 4.*

87. *Ad poſſidendam ſapientiam cæleſtem quænam requirantur, ejuſquè fructus quales.*

Optavi, & datus eſt mihi ſenſus &c. Nota hæc, & ſequentia: primò enim dicit, *optavi,* quia requiritur vehemens deſiderium amoris: Addit, *& invocavi,* ſcilicet cum devotione in oratione: requiritur enim fervens oratio, & petitio talis doni à Deo: ſubdit, *& tunc datus eſt mihi ſenſus,* nempe diſcretionis, & prudentiæ, quia ſicut guſtus diſcernit ſapores inter ſe, ita hæc ſapientia docet diſcernere res, cauſas, & effectus, per illuminantem ſpiritum: ſicque præpoſui illam Regnis &c. quia cætera omnia temporalia nihil ſunt in comparatione illius: illa enim non ſatiant animam; ſed iſta, quia cum tali dono veniunt omnia bona deſiderabilia, quia eſt infinitus theſaurus &c. *Ser. 3.Dom.3. Paſcha ſer.2.de S. Ant.op. de ſeptem donis c.1. de dono ſap. c.1.4. & 8.ſer.de Dedicat.ſer.1.de S.Ambroſ. ſer.1.de S. Ioan. Baptiſt.ſer.1.de S.Greg.ſer.2. Nativit.& plurimis aliis locis.*

88. *Spiritus Dei eſt unus, & multiplex omnibus variè varia dona exhibens.*

Eſt in illa (ſcilicet in ſapientia) *ſpiritus intelligentiæ, ſanctus, unicus, multiplex, ſubtilis, diſertus, mobilis, incoinquinatus, certus, ſuavis, amans bonum, acutus, quem nihil vetat, benefaciens, humanus, benignus, ſtabilis, ſecurus, omnem habens virtutem, omnia proſpiciens, & qui capiat omnes ſpiritus, intelligibilis, mundus, ſubtilis.* Notanda hæc verba, quæ non indigent expoſitione; ſed potenter nobis indicant, quomodò ſpiritus Dei omnibus eſt aptus, omnibus ſe accommodat diverſis naturis, inclinationibus, moribus, ætatibus, eſtque veluti medicina virtuoſiſſima ad plures infirmitates curandas ſe extendens, per quæ patefit miſericordia immenſa Dei in nos: & qualiter etiam Prælati curare debent acquirere hunc ſapientiæ ſpiritum. *Op. Eccleſ. Hier.p.4.c.4. & p.1.c.2.ſer.2. Hexam, & 6. & 11.& 20. & 24.ibid.op.de dono ſap.c.1.de dono conſil.c.1. op.de ſex alis ſeraph.c.8. op.de perfect.religioſ.l.2.c.24.op.legenda S.Franc.c.11.l.1. ſent.d.8. p.1.art.2.q.1.Comp.Theol.l.1.c.19.*

89. *Cum incarnata ſapientia venerunt nobis è cælo omnia bona.*

Venerunt autem mihi omnia bona cum illa. Cum illa? & qua illa? cum ſapientia, quæ deſcendit de cælo in Incarnatione, ad cujus maximum opus Deus concurrit cum proportionatis ſumptibus gratiarum, inde cum Filio ipſe Pater effudit maxima gratiarum dona ad noſtram ſalutem ut ſic nos recognoſcamus tantum bonum per Nativitatem Chriſti nobis exhibitum, & gratias ei reddamus: & meritò; nam per ipſius incarnationem, & nativitatem nobis advenit gratia; per quam levat mentem, curat ægrotantem, coronat laborantem, & ideo non dicit, venit mihi bonum, ſed bona, ideſt omnia bona. *Ser.2.in Nativit.Ioan.collat.35. & 78.*

90. *In Chriſto exhibetur nobis exemplar omnium virtutum, ideo ſuper omnia amandus.*

Vapor eſt virtutis Dei, & emanatio quædam claritatis omnipotentis Dei ſincera, candor lucis æternæ, ſpeculum ſine macula, & imago bonitatis illius, &c. Hæc & alia ſequentia notat ſapiens, loquens de Sapientia Increata, & Incarnata, ut oſtendat, quod in ipſa, ratione Divinitatis relucent exemplaria omnium virtutum, celſitudo puritatis, pulchritudo claritatis, & fortitudo virtutis: Prima exprimitur in illis, vapor, &c. Secunda, in illis verbis, candor eſt lucis æternæ: Tertia ibi capite ſequenti, attingit à fine uſque ad finem, & hoc dicitur, ut illam amemus, & exquiramus, nec diſpergamur in creaturis, cum in illa habeamus totum, quod eſt bonum, & deſiderabile. *Ser.Hexam.1. ſ.2.& 6. & 20. & 11.op. myſtic. Theol.c.2. p.1. op. comp.Theol.l.1.c.1.& 6.* Nota etiam quòd dicitur mobilis, & ſtabilis: mobilis, quia facit ſanctos mobiles ad operandum, & in bono proficuè: ſtabilis, quia dat perſeverantiam: mobilis item in via, ſtabilis in patria: Item mobilis in actione, ſtabilis in contemplatione. *Op. comp. Theol. l.1.c.19.*

91. *Pulchritudo pueri Ieſu expenditur.*

Candor lucis æternæ, ſpeculum ſine macula; imago bonitatis illius. Nota, quòd hoc dicitur de ſapientia increata; & incarnata, nempe de Chriſto, ut dictum eſt, etiam ratione humanitatis, qui talis oſtenſus fuit, quando puer apparuit natus de Virgine, nempe pulcherrimus ſuper omnes filios hominum, ut ſic oculis depuratis lipiditate peccati, ſit jucundum, & delectabile intueri ipſum ſecundum duplicem viſum hominis, ſcilicet interiorem quantum ad Divinitatem, & exteriorem quantum ad humanitatem. *Ser.1.Dom.infrà oct.Epiph.*

92. *Caſti perfecti apparent inter immunditias mundi, & carnis.*

Candor lucis æternæ, &c. Nota quòd hoc etiam de puris, & caſtis, qui ad modum lucis nihil habent immunditiæ admixtum; imò nec immundi fiunt etiam per immunda tranſeuntes, quod verificatum eſt in tot virginibus, quæ per lupanaria tractæ fuerunt abſque contractione

ullius impuritatis. *Ser.1. de una S. Virg. & ſer.1. de S.Ambroſ.*

93. *Iuſti ſunt veluti lux ferè impaſſibiles ad omnia adverſa extranea.*

Et propoſui pro luce habere illam, quoniam inextinguibile eſt lumen illius. Nota, quòd rectè dicitur de Juſtis, qui per donum ſapientiæ facti ſunt ſimiles luci, maximè in hoc, quod ſicut lux habet quamdam impaſſibilitatem, quia per actionem extraneam non poteſt corrumpi, ſic & ipſi per quamcumque adverſitatem extraneam non poſſunt frangi, nec corrumpi, ſed inflexibiles ſtant in Dei obſequio. *Serm.1. de S.Ambroſ.*

94. *Spiritus ſanctus ſolùm in habente charitatem infunditur:* Unde hìc dicitur, in animas ſanctas ſe transfert, & amicos Dei conſtituit. *L.1. diſt.15.a.1.q.1.& p.1. Luc.c.2. verſ.36. & cap.3. verſ.2.*

95. *Chriſtus, quia eſt candor lucis æternæ, & imago bonitatis Patris, natus eſt ex pura Virgine.*

Candor lucis æternæ, &c. Hoc dicitur de Chriſto, & hinc eſt quod decentiſſimum fuit, ut ex puriſſima Virgine, & corpore, & corde naſceretur: ſic enim fuit Beata Virgo omnibus exemplum Virginitatis. *L.4.30.a.1.q.2.*

96. *Verbum Dei lux illuminans animam in nocte huius vitæ.*

Eſt ſpecioſior ſole, &c. Quid eſt ſpecioſius ſole? Verbum, & ſapientia Dei: Verbum; inquam, Dei expoſitum in Eccleſia, quia nos illuminat in nocte hujus ſæculi, ne cadamus in lutum, vel foveam peccati. *Ser.1. in Cœna Dom.* Qui ergo fugit audire verbum Dei, fugit lucem, & ambulat per tenebras.

97. *Maria Virgo purior, & prior ſole.* Nota autem, quòd in hoc textu, textus vulgatus legit prior: Alii ex hebræo, *purior ſole, & luce,* & utrumque competit Beatæ Virgini; eſt enim purior quacumque creatura, etiam Angelica, & prior ſanctitate, & dignitate. *Op. ſpecul. B.Virg. lect.3.*

CAP. VIII.

98. *In ſchola ſapientiæ Chriſti quales lectiones in mundum exponantur.*

ATTINGIT *ergo à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter, &c. hanc amavi, &c.* Nota, quòd hic mirabiles effectus ſapientiæ Chriſti expenduntur; cum enim attingat omnia à fine, ſcilicet à ſummo uſque ad infimum, diſponit omnia ſuaviter, etiam ut doctrix, & magiſtra dat omnibus lectiones neceſſarias, hic aſſignat: prima eſt de fuga culpæ: ſecunda eſt circa modum faciendi bonum: Tertia verſatur in appetitione cæleſtium bonorum; & hoc adimpletur exercitio quatuor virtutum cardinalium, quæ ſignificantur per ſobrietatem, ſcilicet temperantiam, prudentiam, juſtitiam, & virtutem fortitudinis: felix igitur, qui hanc ſapientiam amat, venatur, & quærit; nam in iſtis quatuor virtutibus dirigitur totus curſus vitæ chriſtianæ. *Serm.3. & 4. Dom.3. poſt Paſcha & ſerm.5. de uno S. Mart. op. Diat.tit.5.c.1.op. Comp. Theol. l.5. cap.10. & l.3. diſt.33.a.1.q.1.& 4.*

99. *Intrans in domum Chriſti, & cum ipſo habitans omnem dulcedinem, & omne bonum reportat: in domum mundi omnem amaritudinem.*

Intrans in domum meam, conquieſcam cum illa, non enim habet amaritudinem converſatio illius, nec tædium convictus illius, ſed lætitiam, & gaudium. O quàm verè dicit hæc anima, quæ locum præparat ingreſſui ſapientiæ Patris, ſcilicet Chriſto: nam converſatio, & cohabitatio cum Chriſto affert ſecum omnia bona deſiderabilia: E contra converſatio cum mundo omnem amaritudinem confert; amaritudinem enim ſolùm habet amor carnalis, & mundanus, ſicut amor cæleſtis ſolùm dulcedinem. *In Ioan.collat.5.& 12. op.de dono ſap.c.7.*

100. *In domo conſcientiæ Chriſtus cum omnibus bonis invenitur, extra non invenitur niſi malum.*

Intrans in domum meam, conquieſcam cum illa, non enim habet amaritudinem converſatio illius. Intrans in domum meam: In quam domum? quænam eſt domus tua ô ſapiens? Nota, hæc domus eſt conſcientia pura, & ideo, ſi vis, ut Chriſtus tecum habitet, & theſauros omnium bonorum in tui poſſeſſionem tribuat, da locum Chriſto intra te, non extra te, quia ſolum in interiori advenit, & invenitur; exterius enim ſolùm vagationes, diſtractiones, & labores invenies. *Ser.6. in Nativit. op. de dono ſap.c.7. op. de ſex alis Seraph.c.8. Luc.c.5.v.26.& c.4.v.16. & c.1. v.40. & c.6.v.48.*

101. *Religioſi ſint ſemoti à ſæculo, ſi volunt Chriſtum invenire.*

Intrans in domum meam conquieſcam cum illa, &c. Nota, hæc dici in perſona Religioſi quærentis Chriſtum, ejuſque divitias ſpirituales: ſed quænam eſt domus ejus? habetne ipſe domus proprias? & cur in ſua domo intendit obtinere cohabitationem Chriſti? ſed transfer mentem ad id, quod dicitur Matth. c.4. quando diabolus aſſumpſit Chriſtum, & portavit ſuper, & extra templum, non in templo; & dic; quod per templum ſignificatur ſtatus monaſticus, extra quem diabolus conatur extrahere Religioſum, ipſi oſtendendo omnia Regna mundi, prætendens, ut cum ſecularibus cohabitet, & in converſationibus ſæcularibus ſe immergat, in quibus omnibus abundant pericula, retia, laquei, tentationes, pericula, & parata ſunt præcipitia deorſum, eiſque continuè dicit: hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me: Nota illud verbum diaboli, ſi cadens, quia ſolùm præcipitia

præcipitia præparat, & offert: Chriſtus autem docuit eos vincere hæc omnia tentamenta, reſiſtendo diabolo, docet etiam, ut in Conventu non ſolùm corpore maneant intra ſepta conventus, ſed maximè intrent intra ſe in domum interiorem, cohabitando cum Chriſto; cor enim eſt habitaculum proprium Chriſti; ſic enim omnem dulcedinem, & bonum exhaurient. *Ser.5. Dom.1.quadrag.op. de dono ſap.c.7.ſer.2.de S. Antonio.*

102. *Labor in acquiſitione ſapientiæ, in ſtudio ſacrarum litterarum, & prædicationis nullo pretio temporali poteſt compenſari: Vbi de præcepto ſuit à ſancto Patre Franciſco dato, ut laborent.*

Immortalitas eſt in cogitatione ſapientiæ, & in amicitia illius delectatio bona, & in operibus illius honeſtas ſine defectione, &c. Nota quòd hic ſacer textus ſuadere contendit hominem ad laborandum pro acquiſitione ſapientiæ, & hinc eſt, quod ſanctus Pater Franciſcus ſuis impoſuit præceptum, ut laborent: ſed quia alius eſt labor corporalis, alius ſpiritualis: ille ordinatur in actibus mechanicis, & ad modicum utilis eſt, ad modicum, inquam, de ſe utilis eſt. quia ſordes, & otium à corde non excludit, ut patet in mechanicis, qui inter labores corporales ſolent ſermones, & verba turpiſſima eructare, ideo principaliter intendit laborem in acquiſitione ſapientiæ, quæ cor in devotione occupat, & immortalitatem, & unionem cum Deo affert; ejuſque pretium non poteſt ullo lucro temporali compenſari: ſtudium ergo ſapientiæ, ſacrarum litterarum, prædicationiſque, ſanctum, laudabile, lucroſum, fructuoſum, & omni bono refertum eſt. *Op.expoſit.Regul.c.5.Vide ſer.19. Hexam. & op.de ſex alis Seraph. c.5. ſer.1. Dom. ſeptuag. ſer.1.Dom.1.quadrag.* & hinc patet, quàm decipiantur illi Religioſi, qui in manualibus operibus totos ſe occupant, relicto ſtudio ſacrarum litterarum, lectionum ſpiritualium, & verbi Dei.

103. *Puerorum docilitas, & ſtrenuitas in operando ſignum bonæ indolis.*

Ideo dicit Salomon de ſe ipſo: *puer eram ingenioſus, & ſortitus ſum animam bonam, & cum eſſem magis bonus acceſſi ad corpus incoinquinatum, &c.* Ecce qualiter ſecurè poteſt fieri prognoſticum circa mores puerorum; ſi enim habeant docilitatem, & ſtrenuitatem in ſtudio, in operando, & obediendo, ſi munditiam cordis ſervant libenter, ſi ad conſervandam, & fovendam devotionem ſint propenſi, ſignum optimum optimæ indolis: Talis fuit Salomon in pueritia, & juventute, licet poſtea in ſenectute impiiſſimus fuerit; & ideo melius hæc adaptantur Chriſto; qui proficiebat ætate, & ſapientia coram Deo, & hominibus, ut eſſet exemplar pueris, juvenibus, & omnibus. *In ſap. c.18. v.17. ferm. de S. Mart.*

104. *Sine ſpeciali adjutorio Dei non poteſt eſſe homo continens, ideo oratione ad ipſum confugiendum.*

Hanc veritatem cognoſcens ſapiens dicebat: *& ut ſcivi aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det, adii Dominum, & deprecatus ſum illum, & dixi ex totis præcordiis meis.* Vide quod hic patenter docet Spiritus ſanctus, omne donum eſſe à Deo, & præcipuè donum continentiæ meritorium: & cum id ſit veriſſimum, ideo ad ipſum in oratione confugiendum. *L.2. d.28. a.2. q.3.l.3.d.33.a.1.q.5. op. de reſurrect. à peccato op. Diet.tit.10.c.6.Eccleſ.Hier.p.1.c.1. Luc.c.6.v.14. ſer.1.Dom.1.Advent.*

CAPUT IX.

105. *Subjectio ſubditorum in ſpiritualibus medium ad acquirendam veram libertatem.*

DEUS Patrum noſtrorum &c. qui ſapientiâ tuâ conſtituiſti hominem, ut dominaretur creaturæ, quæ à te facta eſt, ut diſponat orbem terrarum in æquitate, & juſtitia, & in directione cordis judicium judicet. Notanda diligenter iſta verba, quæ maxima myſteria continent, ſed præcipuè illa, quibus dicitur, Deum conſtituiſſe hominem, ut dominaretur omni creaturæ, & ſic diſponeret orbem terrarum in æquitate, & juſtitia &c. Quomodò prætendit Deus, ut per Dominium hominis diſponatur, & ordinetur totus orbis terrarum? Nonne melius ordinatus eſſet, ſi omnes homines eſſent ut in ſtatu innocentiæ æquales inter ſe; & nullum eſſet dominium alterius ad alterum? ſed attende, quòd, cum homo ſit Princeps omnis creaturæ corporeæ, Deus voluit etiam, ut inter homines, alius eſſet Dominus, alius ſervus, & ſubditus; & maximè hoc ordinavit in Eccleſia, ut dominium exerceretur ab Epiſcopis, ſacerdotibus, & Religioſis in ſpiritualibus; quodque ordinavit, ut totus orbis terrarum diſponeretur, & in recto ordine collocaretur ad ſimilitudinem ſtatus innocentiæ, quia voluit per tale dominium, ut cor averſi per injuſtitiam, mediante hac juſtitia à Prælatis exercita ad Deum iterato dirigatur, ſicque homo, qui ſub Deo eſſe noluit peccando, & ita ſuperbiendo perdidit Dei gratiam, per humilitatis, & obedientiæ meritum gratiam Dei, quam perdidit recuperaret: ſic enim fit recta, & optima diſpoſitio in mundo, ut ſumma mediis, & media præſint imis. *Op.Eccleſ. Hier.p.2.c.1.Op.de perfect.religioſ.l.2.c.29.*

106. *Chriſti ſedes ſunt animæ puræ: Diaboli animæ impuræ.*

Da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam, & noli me reprobare à pueris tuis &c. Quænam ſunt iſtæ ſedes, quibus ſapientia aſſiſtit? Nota, iſtæ ſedes ſunt animæ puræ, quibus aſſiſtit ſapientia cæleſtis, ſcilicet Chriſtus: aſſiſtit, in-

inquantū

quam, illuminando ipſas, & ipſæ animæ ſunt ſedes Dei, in quibus ſedet, & requieſcit: E contra animæ reprobæ ſunt ſedes Diaboli, in quibus dominatur per vitia, & peccata. *Ser. 2. fer. 2. Pentec.*

107. *Eccleſia militans à Chriſto ædificata ad ſimilitudinem triumphantis.*

Tu elegiſti me Regem populo tuo, & dixiſti, me ædificare Templum in monte ſancto tuo, & in Civitate habitationis tuæ Altare, ſimilitudinem tabernaculi ſancti tui, quod præparaſti ab initio. Nota, quòd iſta verba ſunt propriè Chriſti, qui in terram deſcendens ædificavit Eccleſiam militantem ad ſimilitudinem triumphantis, & ideo rectè in ipſa collocavit ordinem graduum majorum, & minorum, ut in Angelicis Hierarchiis, item ſcientiam, ſcilicet diſcretionem meritorum, & actionum, ſcilicet varia miniſteria ordinata. *Op. Eccl. ſ. Hier. p. 1. c. 1.*

108 *Doctrina chriſtiana à Deo petenda.*

Mitte illam de cœlis &c. ut mecum ſit &c. Vide quid hic dat intelligere, quòd doctrina Chriſti, neceſſaria ad ſalutem, ſolùm à Deo poteſt haberi, ideo ab ipſo toto corde petenda in oratione. *Ser. 4. Dom. 4 Paſcha. ſer. 4. Dom. 23. Pent. & l. 2. d. 29. a. 1. q. 1. & l. 1. d. 15. p. 1. Pſal. 118. c. 3. v. 3. & c. 5. v. 3.*

109. *Corporis corruptibilis impedimenta animæ cauſata, ne ad cæleſtia elevetur expenduntur, & quomodò poſſint ſuperari.*

Corpus, quod corrumpitur aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem. Ecce quot mala nobis ingerit unio corporis animæ noſtræ; aggravat enim, & deprimit ipſam animam, ne poſſit elevari ad cæleſtia, dum tamen non adjuvetur exercitio contemplationis, qua mediante elevatur ad cæleſtia ac ſi eſſet extra corpus. *Ser. de S. Michaële. op. de perfect. religioſ. l. 2. c. 71. Myſtic. Theol. c. 2. p. 2. & aliis pluribꝰ locis.* Et ratio in promptu eſt, quia cum anima de inferioribus cogitat, & voces creaturarum recipit afficientes interius, in tanta à ſummis ſubventionibus diſtantia elongatur, quia in quantum mens plus circa diverſa cogitando diſtrahitur, in tantum minus in fonte beatitudinis adunatur, & tunc corpus animam aggravare dicitur, quia quolibet horum ad locum naturaliter ſibi competentem tendit; ideò eſt ibi pugna continua, & mentis aggravatio, quia anima tendit ad Deum, qui ſolus eſt locus naturaliter ſibi ſufficiens, corpus verò ratione ponderoſitatis ſemper habet circa terreſtria delectari. *Op. myſt. Theol. c. 2. p. 2. op. Comp. Theol. l. 2. c. 60. & l. 3. c. 10. Luc. c. 9. v. 32. Ioan. collat. 25.*

CAP. X.

110. *Deus in teſtimonium juſtitiæ etiam in terra ſæpe relinquit teſtimonia patentia in deſolatione terrarum.*

INCREDIBILIS animæ memoria ſtans figmentum ſalis. Nota quòd hic deſcribit ſapiens teſtimonia patentia, quæ Deus reliquit in terra Sodomorum, quando deſcendit ignis de cælo, quia ibi naſcuntur arbores facientes fructus cinetitios, & quando in ſtatua ſalis, converſa eſt uxor Loth, quod ſæpe facit Deus, relinquens deſolationes terrarum, & locorum in teſtimonium ſuæ juſtitiæ, & humanæ malitiæ. *Ser. 1. Dom. infra oct. Aſcenſ. Luc. c. 17. v. 31.*

111. *Modus certiſſimè incedendi ad cælum traditur.*

Iuſtum deducit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi Regnum Dei. Ecce quàm beneficus eſt Deus cum ſuis ſervis; eos enim deducit per vias rectas, ſcilicet per obſervantiam mandatorum, per quam ad finem optatum beatitudinis in contemplatione ipſis oſtenſæ reſpiciens velociſſimè incedunt. *Op. Diat. in apendice pro Confeſ.* Et ſi quæras quomodo oſtendit Deus juſto Regnum ſuum? Reſpondetur, quòd hoc fit per donum ſcientiæ Spiritus ſancti in ejus anima infuſum, in quo homo habet certum judicium circa credenda, & agenda, & hæc eſt ſcientia ſanctorum. *Op. de dono ſcient. c. 1.*

112. *Idem oſtenditur: Vbi de ſcientia Sanctorum.*

Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas. Scilicet per viam præceptorum ſuorum per quæ Dominus ducit juſtum tendentem ad ſupremam patriam, oſtendendo illi Regnum Dei, ne torpore ignaviæ gravetur, ſed ſpe, & deſiderio perveniendi ad Regni felicitatem, fortiter de virtute in virtutem incedat; & dedit illi ſcientiam ſanctorum, cujus eſt eligère bonum, & declinare malum: honeſtavit illum in laboribus, & complevit labores illius, ſcilicet pro eis piam mercedem reddendo. *Ser. 4. Dom. 24. Pentec. & ſer. 2. Dom. 22. Pentec. ſer. 3. de S. Anton.*

113. *Chriſtus deducit ſuos per vias rectas: Diabolus, mundus, & caro per obliquas.*

Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas, &c. Ecce quid facit Deus cum ſuis: eos enim deducit per vias rectas: quænam ſunt iſtæ viæ rectæ? jam dictum eſt, eſſe vias præceptorum, & conſiliorum ſuorum, ideo non ſolùm Deus juſtos ducit, ſed deducit: nimirum ambulando de virtute in virtutem: deducit, non ſolùm declinando à viis malis, ſed dirigendo in operibus bonis, & elevando eos per rectam intentionem in Deum, & ideo oſtendit illis Regnum ſuum ipſis præparatum: Diabolus, caro & mundus è contra

traducunt per vias obliquas, & præcipites ad infernum. *Pſal.58. Luc.c.2.v.75, & c.12.v.58. op. de dono ſcient.c.1.*

114. *Pugna in via Dei multiplex prærequiritur ad acquiſitionem coronæ.*

Cuſtodivit illam ab inimicis. &c. certamen forte dedit illi, ut vinceret, & ſciret, quoniam potentior eſt ſapientia. Nota hæc verba ô ſerve Dei, & ſigna myſteria, quia enim militia eſt vita noſtra, ideo Deus vult nos bellantes; non enim coronatur, niſi qui legitimè certaverit: Ut autem ſui milites certent ſecurè, eos deducit per vias rectas, ipſoſque cuſtodit ſuâ potentiâ, ipſis exhibet occaſionem pugnandi in hac vita: Pugna autem quam proponit ſuis eſt multiplex ſcilicet cum Deo, cum proximo, cum mundo, & diabolo: Pugnare autem debet ſervus Dei cum ipſo Deo orando, inſtando, plorando, & quodammodo ipſum compellendo, ut illum accipiat ad coronam; eſt enim glorioſius coronam obtinere per pugnam, quàm ex dono: Debet item pugnare cum proximo ad malum ſe ducente, & ſuadente: debet & pugnare cum mundo, carne, & Diabolo, mundus enim ſervos Chriſti quærit attrahere per divitias, item capere per tentamenta & tribulationes: Caro per voluptates, & Diabolus per doloſitates, & deceptiones, atque tentationes: ſic erit felix, & ſecuta pro Chriſto pugna, quæ ad triumphum, & coronam æternam animam conducit. *Ser. 1. & 2. de S. Lucia ſer.18. Hexam ſer.4. Dom. 14. poſt Pentec. Ecclem c.4.*

115. *Diabolus ſuos vinculis ferreis ligat: Chriſtus ſuos ſolvit.*

Et in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi ſceptrum regni. Hic ad literam loquitur de Joſeph, qui à Pharaone in carcerem miſſus eſt, & vinculis ferreis ligatus; à quibus Deus ipſum liberavit, & ad ſceptrum regni ipſum elevavit: ſic enim Diabolus ligat ſuos ſequaces; ligat inquam in pedibus per affectum pravum in manibus per malum opus: in collo per mala, & impura verba; in lingua per indebitum ſilentium: ſuos enim ad peccandum inducit, & per peccatum ligat, & poſtea in carcerem, ſcilicet in confuſionem, ut tandem in carcerem inferni eos mittat. Chriſtus è contra ſuos ab omni vinculo ſervitutis ſolvit, & ad libertatem regni elevat: qui vult ergo à vinculis diaboli ſolvi, & evadere, & in libertatis ſtatum ire, virtutes ſectetur, cum Joſeph, ſcilicet fidelitatem, puritatem, obſervantiam mandatorum Dei. *Ser. 3. Dom.11.Pentec.*

116. *Chriſtus pulſat ad cor, ut intret: Diabolus idem facit.*

Intravit in animam ſervi Dei, & ſtetit contra reges horrendos in portentis, & ſignis. Nota hæc verba, intravit Deus in animam, & ſtetit contra reges horrendos, ergo ad animam noſtram pulſant reges horrendi ſcilicet Dæmones, ut intrent; pulſat & Deus pariter, ut intret: Unde hic adverte, quod diabolus non ceſſat pulſare ad oſtium cordis noſtri, ut ipſi aperiamus, conſentiendo ſuis vocibus, & tentationibus & ut poſſit intrare in animam ad devorandum, & occidendum, ut fecit cum Juda. Pulſat & Chriſtus ad cor noſtrum per inſpirationes, vocationes, flagella, ut intret in nos ad ſuſcitandam animam à morte peccati, ad defendendum eam à dæmonis tentationibus, & ad convivendum nobiſcum: aperiamus ergo oſtium animæ Chriſto, & claudamus diabolo. *Ser.2. Dom.23. Pentec.*

117. *Sapientia cæleſtis in anima, ſcientiaque Sanctorum mirabiles effectus producit.*

Intravit in animam ſervi Dei, & ſtetit contra reges horrendos. Quid eſt quod intravit in animam ſervi Dei Ioſeph? intravit ſapientia cæleſtis, quæ eſt ſcientia ſanctorum, docens declinare malum, & facere bonum. Hæc ſapientia intravit, & intrat in animam juſtorum, & ſtat contra reges horrendos, ſcilicet infernales; quia ejus lux eſt triformis, id eſt illuminans potentiam intellectivam, & expellens tenebras Ægypti, cum ſit candor lucis æternæ; inflammat, & affectum, ipſum lætificans, & ad operandum fortificans contra eoſdem reges horrendos, quia nulla virtus nec humana, nec angelica tantum fortificat, ut ſapientia hæc, à Deo deſcendens. *Serm.2. Hexam.*

118. *Non otioſis, ſed operantibus redditur merces æterna.*

Reddet Deus mercedem laborum ſuorum. Nota; quod dicit: reddet: & mercedem reddit; & hanc laboribus tantum: ergo certum fit, quod non otioſis, ſed laborantibus in campo Eccleſiæ, Deus reddet, non ſolum dabit; ſed reddet, & ſolvet mercedem, juxta proportionem laborum, & operum: ergo aliis plus, aliis minus. omnibus tamen Deus reddet mercedem, quam meruerunt operibus bonis celeriter. ſtatim ac perfecta eſt via hujus vitæ, ſolvitur liberaliter, quia copioſa merces datur ſcilicet poſſeſſio ipſius, & æternaliter. Si ergo labor terret, merces invitet; quia unuſquiſque ſecundum ſuum laborem, mercedem accipiet. *Ser.3. Dom. in ſeptuag. in Luc.c.6.v.23.*

119. *Sicut Iſraëlitæ ſine peccato tulerunt ſpolia Ægyptiis: ita ſancti tollunt ſpolia doctrinarum moralium Ethnicis, ſuaſque faciunt.*

Juſti tulerunt ſpolia impiorum & decantaverunt. Hic ad litteram dicit, quod Iſraëlitæ tulerunt Ægyptiis ſpolia aurea, & argentea; nec id fuit furtum; quia hoc fecerunt juſſu Dei, qui eſt Dominus omnium; & ideo dicit: tulerunt, non abſtulerunt, vel rapuerunt. Myſticè autem dat intelligere, quod SS. Doctores juſſu Dei ab ethnicis tulerunt velut ſpolia doctrinas morales, & contulerunt eas in ſacris libris, diviſeruntque catholicis. *Pſal. 118. c.12. v.1. & in ſapiente cap.10.*

120. Spiritus

120. *Spiritus ſanctus aperit os ad fructuosè loquendum : diabolus ad malè loquendum.*

Quoniam ſapientia aperuit os mutorum , & linguas infantium fecit diſertas. Ecce quid operatur Spiritus ſanctus cum juſtis : nam ipſorum ora aperit ad loquendum ſancta quod præcipuè operatur in Prædicatoribus , quando juſſu Dei ; & ſuperiorum mittuntur ad prædicandum verbum Dei ; & ipſi ad hoc moventur ſolùm zelo Dei, & animarum , ipſorum enim ora ille aperit:quia prius ſapientiam infundit in corde per inſpirationes , & in lingua eloquentiam ; dat enim os, & ſapientiam eis , cui non poſſunt reſiſtere adverſarii , & inimici Chriſti : & licet aliquando veritas ad tempus proſternatur , oportet tamen, quod tempore ſuo reſurgat,& operetur. E contra diabolus operit os ſuis ad verba mala , impudica , detractoriaque , &c. *in Luc. c.1. v.64. c.3.v 23 c.12. v.12. & c.21. verſ.14. & ſerm.2. de S. Ambroſ.*

CAPUT XI.

121. *Ex petra myſtica Chriſti exierunt flumina aquarum cæleſtium.*

SICUT *Iſraëlitis Deus abundanter aquam in deſerto de petra dedit ad extinguendam ſitim* ; propter quod ſapiens hic dicit ; ſteterunt , & invocaverunt te , & data eſt illis aqua de petra altiſſima , & requies ſitis de lapide duro : ſic, & nobis Chriſtianis de petra myſtica , quæ eſt Chriſtus Jeſus exierunt flumina aquarum gratiarum , ad extinguendam noſtram ſitim , & refectionem animarum. *In ſap.c.11.*

122. *Deus,cum tentationes immittit , ſuam miſericordiam nobis magnam impartitur.*

Cum enim tentati ſunt , & quidem cum miſericordia diſciplinam accipientes ſcierunt , &c. Primò dicit,tentari ſunt,deinde connectit cum diſciplina miſericordiam Dei,ut videas , quod Deus cum permittit nos tentari , & tribulari tunc miſericordiam ſuæ diſciplinæ nobis impartitur. *Pſ.118. c.4.v.16.* & ideo ſubdit ſacer textus : Hos tanquam pater monens probaſti ; illos autem durus rex interrogans condemnaſti : quaſi dicat ; Deus ut pater piè corrigit ſuos filios virgâ afflictionum , & pœnarum ; ut judex punit rigidè impios : quia afflictiones bonis ſunt ad ſalutem, impiis ad damnationem. *in Luc.c.8. v.28. & 30. & in ſap.hic.*

123. *Per quæ quis peccat,per hæc & punitur : Ideo nos Deus punit per creaturas*, quia per ipſas Deum offendimus, quia omnia ,quæ ad uſum vitæ accipimus , vertimus in culpam : tranquillitatem humanæ pacis in ſecuritatem : peregrinationem viæ pro habitatione diligimus patriæ : ſalutem corporum redigimus in uſum vitiorum ; ubertatis abundantiam , non ad neceſſitatem carnis, ſed ad perverſitatem vertimus voluptatis , ſerenitatem aeris , cogimus nobis ſervire ad amorem terrenæ delectationis. Jure ergo nos omnia feriunt , & ferient in judicio , & in alia vita , ut quot habuimus gaudia , tot poſtmodum ſentiamus tormenta. *in Luc.c.21.v.11.op.de prof.religioſ. l.2.c.56.*

124. *Per quæ quis peccat , per hæc & punietur in inferno.* ſcilicet , quia peccator Deum offendit in corpore per concupiſcentiam oculorum ; & carnis : ideo in inferno & patietur in calore nimio, & frigore maximo , per quæ ſignificantur , & aliæ pœnæ. *in Luc.c.13. v.27.* Hinc etiam eſt , quod quia per carnem maximè peccator Deum offendit , ideo & caro privatur ſtolâ ſuâ, & in loco vili , & tenebroſo ponetur , cum collocanda eſſet in cœlo. *l 2. d.33. a. 3. q 1.* Hinc etiam in hac vitâ magis punitur caro fame, ſiti, & jejuniorum abſtinentia. *L.2. d.31.a.1.q.2. & op.de prof.religioſ.l.1.c.22.& l.2.c.56.*

125. *Per quæ quis peccat , per hæc & punietur.* Hoc verificatum eſt in Chriſto : quia enim homo mortis debitor fuit ideo Chriſtus homo mortuus eſt,& quia mors per lignum venit, ideo per lignum mors deſtrui debuit. *Ser.2. Dom.2. Advent.*

126. *In mundi , & creaturarum creatione Deus omnia fecit in numero , pondere, & menſura.*

Et hoc patet primò in creatione in communi; ſcilicet in numero per principiorum diſtinctionem ; in pondere per propriam cujuſque inclinationem, in menſura per proportionem illorum ad invicem ; ſicque ipſis dedit modum, quo conſtant , ſpeciem , qua diſcernuntur , & ordinem ipſis convenientem : & ideo , quia in omnibus eſt veſtigium Trinitatis, ideo ſecundum hæc tria omnia gubernat , & judicaturus eſt ſcilicet in numero, pondere , & menſura , vel ſecundum modum , ſpeciem , & ordinem. *Ser. 3. Dom.Trinit.l.1.d.3.p.1.dub.6.l.3.d.27.a.2.q.5. in fund.ſer. 2. Hexam. Pſal. 38. Pſal. 118. v. 129. Pſal. 138.* Nota autem quod dicitur Deus creaſſe omnia in numero , pondere & menſura ; ſcilicet quia unus eſt , à quo quodlibet numeroſum , & multitudo , ideo ab ipſo eſt modus : eſt & ſimplex ; à quo omne compoſitum , & ſpecies : eſt & immobilis , à quo omne pondus , & motus , & mobile , & ordo.*Pſal.146.* Idem dicitur , omnia creaſſe in numero , pondere , & menſura ; ut denotetur , quod creaturæ ſunt effectus ſanctiſſimæ Trinitatis ſub triplici genere cauſalitatis: ſcilicet efficientis , à quo eſt in creatura unitas modus , & menſura : exemplaris , à quo eſt in creatura unitas ſpecies.& numerus:finalis, à quo eſt in creatura bonitas ordo & pondus;quæ quidem reperiuntur in omnibus creaturis, tanquam veſtigium creatoris.*Op. Brevil.p.2.c.1.Centil.p.3. ſect.8.l.2. d.35.a.2.per totum. op. de 7.itin. ætern. itin.7.d.5. Ioan. c.1.v. 4.*

127. *Deus , & homo certant ad invicem ; ille in benefaciendo animæ rationali , iſte in deſtruendo bonum ipſi à Deo collatum.*

Omnia Deus fecit in numero , pondere , & menſura. Si hoc eſt verum,ergo & fecit animam rationalem

tionalem in numero, pondere, & menſura: quia ipſam fecit menſura capaciſſimam, quia capacior cælo, & mundo: numero, quia eſt unica,& ſimpliciſſima: & pondere leviſſima,quia ſpiritualis, & ad Deum tendens. Ecce quanta, & qualis miſericordia Dei noſtri: ſed attende, quod peccator certat ſuâ malitiâ contra hanc Dei Bonitatem: quia peccando, anima fit arctiſſima, ita ut vix capere poteſt parvam ſtillam miſericordiæ divinæ, quæ prius capiebat Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum: & quæ erat ſimplex fit diverſiſſima: fit enim leo per ſuperbiam, lupus per avaritiam, porcus per luxuriam, & ſic de ſingulis aliis vitiis: fit & graviſſima, quia ſubito ſubmergi poteſt ad infernum. *Ser.3.Dom.1.poſt oct.Pentec.*

128. *Mundus in comparatione Dei eſt veluti momentum, vel punctum ſtateræ.*

Tanquam momentum ſtateræ, ſic eſt ante te orbis terrarum, & tamquam gutta roris, &c. Ut videas, quod mundus non poteſt comprehendere Deum incomprehenſibilem, nec quælibet potentia creata poteſt ei reſiſtere. *Sap. c.11. ſer.20. Hexam. Luc.c.4.v.3.& c.16.v.10.*

129. *Ex parvitate mundi reſpectu Dei, infertur immenſitas Mariæ.*

Tamquam momentum ſtateræ ante te eſt orbis terrarum. Nempe quia Deus eſt immenſus, & incomprehenſibilis,non poteſt capi à toto mundo: ergo cum Maria intra ſe concluſerit Deum incomprehenſibilem, major & capacior eſt toto mundo. *Op.de Eccleſ.Hier.p.4.c.7.*

CAP. XII.

130. *Spiritus divini bonitas, & ſuavitas expenditur.*

O *Quam bonus, & ſuavis eſt Domine ſpiritus tuus.* Nota hanc conjunctionem bonus, & ſuavis, ut videas, quod ſolùm Deus, ejuſque ſpiritus eſt bonus, & ſuavis: nam in quolibet creato non copulantur ſimul bonitas, & ſuavitas: pœna enim eſt bona, ſed non ſuavis: voluptates ſunt ſuaves, ſed non bonæ: at ſpiritus Dei ſolus bonus, quia bonum eſt honeſtum, & ſuavis, quia delectabile, & afferens omne delectamentum corpori, & animæ. *Ser.3.Dom.3.poſt Paſcha.*

131. *Spiritus ſancti bonitas, & ſuavitas, qualiter nobis communicatur.*

O quam bonus,& ſuavis eſt Domine ſpiritus tuus: Obſerva,quod hic dicit abſolute, quod Spiritus eſt bonus,& ſuavis; non ſolùm in ſeipſo quia eſt infinitas, & ſuavitas, ſed etiam quoad nos, quia ab hoc bono derivat in nos talis bonitas, per quam habemus veniam peccatorum, victoriam inimicorum, gratiam donorum, & gloriam præmiorum: primum habemus in baptiſmo, & pænitentiâ, quibus aſſiſtit continuè ſpiritus ſanctus, purgans nos ab omni immunditiâ peccati: ſecundum obtinemus, fortificante nos eodem ſpiritu: tertium per infuſionem ſuorum donorum: quartum per ingreſſum in cælum. Dicitur autem bonus, quia ſolus communicat ſua: omnis autem creatura communicat aliena. *Ser.10.& 11.& 12 in Pentec.op.de 7. donis c.5: in fine Luc.c.9.v.53.& c.18.v.19. in Ioan.c.14.v.20. in ſap.c.12. & 11.* Dicitur etiam bonus, quia nobis aufert malum culpæ; & ſuavis, ſcilicet conſolans contra malum pœnæ: bonus, quia facit hominem bonum, etiam de malo: ſuavis, quia facit hominem conſolatum inter malos, & mala. *Ioan.collat.71.*

132. *Peccatoris conſuetudinarii difficultas in reſurgendo, qualis.*

Nequam eſt natio eorum,& naturalis malitia ipſorum, & quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum. Verba iſta continent maximam difficultatem, quia videtur, quod malitia peccatoris ſit naturalis; & ſi hoc, ergo malitia hæc à Deo creata eſt in homine? addit quoniam non poterat mutari cogitatio illorum; & ſi hoc, ergo datur peccatum irremiſſibile in hac vita? ergo aufertur liberum arbitrium? quæ omnia ſunt maxima abſurda. Sed reſpondetur,quod dicitur naturalis malitia, non quod ſit à Deo unita in natura, ſed quia peccator conſuetudinarius ob habitum malum, ſibi veluti connaturalem fecit talem habitum malitiæ: non poterat mutari, ideſt vix & cum maxima difficultate: impoſſibile enim (etiam ſecundum Philoſophum) dicitur,quod vix, aut difficulter fit, per quæ explicatur difficultas reſurgendi à peccato in homine habituato in vitiis. *In ſap. cap.12. In Luc. c.9.v.40.*

133. *Peccatum origo omnis maledictionis.*

Semen erat maledictum ab initio. Hic loquitur de Cananeis habitatoribus terræ promiſſionis, qui (ait ſacer textus) nati fuerunt ex ſemine maledicto, ſcilicet quia deſcendebant ex Canaam, qui fuerat à Patre maledictus: Nobis autem dat intelligere, quod cum nos omnes naſcamur: per propagationem carnalem deſcendentes ex Adam maledicto propter peccatum, dicimur naſci ex ſemine maledicto, quia peccatum eſt origo, & radix omnis maledictionis culpæ, & pœnæ. *Sap.hic.l.2.d.31.dub.1.& 3.*

134. *Pœnæ peccatorum à Deo exhauriuntur de theſauro ſuæ bonitatis.*

Tu dominator virtutis cum tranquillitate judicas; & cum magnâ reverentiâ diſponis nos. Notanda hæc verba, quæ mirabiliter exaltant Dei bonitatem in nos etiam dum punit. Punit enim peccatorem abſque paſſione, ſed cum tranquillitate, & cum magnâ reverentiâ; ſcilicet moderatione; quia ſemper punit ex innata ſua bonitate citra condignum, & remunerat ſupra dignum. *Sap.hic Op.Eccleſ.Hier.p.4.c.6.*

135. *Deus ſummè odit, quos ad modum infantium videt vivere.*

Propter hoc tamquam pueris inſenſatis, infantium more viventibus judicium in deriſum dediſti, &c. Cur punit eos, qui infantium more vivunt? Nonne aliàs dixit Chriſtus, ſinite parvulos venire ad me? ſed attende, quod infans dicitur, quaſi non fans, taleſque ſunt, qui non loquuntur in confeſſione, & oratione; ſcilicet qui abhorrent peccatorum confeſſionem, & orationem, iſtique Deo ſunt exoſi. *Ser.2 de dedicat.*

CAP. XIII.

136. *Sine ductu Sacra Scriptura vana ſunt omnes ſcientia & ſapientes Mundi vaniores.*

VANI autem ſunt ſenſus hominis, in quibus non ſubeſt ſapientia Dei; & de his, qua videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui eſt. Si vani ſunt homines, in quibus non eſt ſapientia Dei, ideſt ſacra ſcriptura, ergo & Ariſtoteles, & Plato, & tot doctiſſimi homines? & tamen fuerunt iſti lumina ſcientiarum: quomodo ergo hoc verificatur? optimè dicitur, quia ſine lumine fidei, & ſacræ ſcripturæ omnes ſcientiæ ſunt vanæ, & multis erroribus ſcatentes, nec ducentes noſtrum intellectum ad finem proprium ipſarum, qui eſt cognitio & dilectio Dei. *Op. Eccleſ. Hier. p.4.c.4.*

137. *In creaturis exhibetur à Deo nobis liber, in quo poſſumus addiſcere Deum, ejuſque attributa.*

A magnitudine ſpeciei, & creatura, cognoſcibiliter poterit creator videri. His verbis dat nobis intelligere ſapiens, quod ultra librum ſacræ ſcripturæ nobis exhibitum ad percipiẽdam notitiam de Deo, etiam alius liber in creaturis exponitur, in quo poteſt Deus cognoſci cum ſuis attributis: in magnitudine enim creaturarum, Dei omnipotentia; in pulchritudine, & ordine ſapientia? in utilitate, & fructu ejus bonitas ſumma: in productione earum Creator ipſarum: Et ideo nobis debent eſſe ſcala, & ſchola ad Dei notitiam, reverentiam, & amorem percipiendum, & quia talem cognitionem non habuerunt Philoſophi, ideo fuerunt ſimiles infantibus legentibus litteras pulchras, & deauratas, eaſque attentè reſpicientibus, ſed non intelligentibus, quid ipſæ ſignificent. Addiſcant hoc, & notent diligenter incumbentes ſcientiis humanis, ne deficiant in vanitate labores eorum. *Op. Diet. tit. 6. c.3. & de prof. relig. l.2. c.65. & de Eccleſ. Hier. p.1. c.1. & itiner. mentis per totum ſer.2. Dom. in Albis. in Ioan. c.1. v.3. in Luc. c.9. v.33. & c.18. v.37.*

CAP. XIV.

138. *Sancta Crux eſt lignum ducens nos ad portum ſalutis.*

EXIGUO ligno credunt homines animas ſuas; & tranſeuntes mare per ratem liberati ſunt. Ad litteram deſcribit induſtriam hominum tranſeuntium mare, & aquas per navem: ſed miſticè datur nobis intelligi induſtria Chriſti Jeſu, qui ſicut ipſe tranſivit ad Patrem per navem ſanctæ Crucis, ſic providit nobis, & exhibuit eandem navem, ut per ipſam per mare hujus Mundi evaderemus tot pericula, & tandem perveniremus ad portum ſalutis: eſt enim mortuorum reſurrectio, infirmorum baculus, paſtorum virga, animæ ſalus, & lignum vitæ æternæ: quocumque ergo metu, ò homo procellis mundi involveris, lignum aſcende Crucis, ut à mari, ideſt tempeſtate libereris. *Ser.1. Dom.4. Pentec. ſerm.1. in Invent. S. Crucis in ſap. c.14. in Luc. c.17. v.25.*

139. *Ex Chriſti tactu benedictum fuit lignum S. Crucis, & medium ad noſtram vitam neceſſarium exhibitum.*

Benedictum lignum, per quod fit juſtitia, &c. Ad litteram loquitur de Arca, per quam ſalvatus eſt Noë cum filiis. Myſticè hæc eſt Crux in quam Chriſtus aſcendit, & contactu ſuo ipſam ſanctificavit, reddiditque venerabilem, & medium ſalutis noſtræ, receptaculumque, & fontem vitæ ſpiritualis. *Ser.1. in Invent. S. Crucis in Luc. c.17. v.25. ſer.2. Dom.2. Adv. in Ioan. collat.83.*

140. *Obedientia eſt navis ducens ſecurè ad portum ſalutis.*

Exiguo ligno committunt homines animas ſuas, & tranſeuntes mare per ratem, liberati ſunt. Per hanc navem intelligitur obedientia, quæ dicitur exigua, quia eſt exercitium humilitatis, ſed tamen eſt tuta, quia perducit homines ad terram beatam. *Luc. c.5. v.7.*

141. *Deus quomodò odio habeat peccatum, & peccatores.*

Similiter autem odio ſunt Deo impius & impietas ejus. Nota hic, quod odium Dei non conſiſtit in affectu, & paſſione aliqua, ſed in effectu, quem in peccatum, & peccatorem oſtendit. Quod autem odium vehementiſſimum in peccatum habeat, certum eſt, & patentiſſimum: ſed dubitatur quomodò oderit peccatorem, cum ſit manuum ſuarum factura? ſed reſpondetur, quod homo peccator operans, ut peccator, ſcilicet male faciens, eſt apud Deum abominabilis: ut factura ſua, & ut habens aliqua dona gratuita non deſeritur à ſua miſericordia *l.3. d.28 a.1. q.3. ad 1. & 2. l.4. d.15. p.1. a.1. q.5. in ſapient. cap.1.*

142. *Idem*

142. *Idem argumentum de odio Dei in peccatum.*

Deo ſunt odio impius, & impietas eius. Hæc verba ſæpe ruminanda à nobis, ut videamus, & cognoſcamus, quàm abominabile ſit Deo peccatum: Deus autem ſummè ſuper omnia deteſtatur peccatum, quod patet multipliciter: primò, quia ſemel ob peccatum ferè diſſipavit omnia opera ſua per diluvium: & cum reges terræ diſſipent terras inimicorum ſolùm; Deus diſſipavit etiam ſuam terram; in quam peccatum intraverat: ſecundò, quia non ſolùm peccatum à ſe projicit, ſed & ipſum peccatorem, licet à ſe creatum, & ſuo ſanguine redemptum; in ignem ejicit: tertiò quia propter odium peccati tradidit in mortem unigenitum ſuum: item in odium peccati projecit è cœlo Angelos malos; & ut à tanto morbo liberaret terram, deſcendit ipſe indutus carne in hunc mundum; & tandem in judicio ipſum projiciet, & includet in inferno. *Op. Diat. iii. 1. c. 1.*

143. *Perverſitate peccatoris, creaturæ, quæ à Deo factæ ſunt, ut ad Deum nos conducant, ſunt occaſio damnationis.*

Quoniam creaturæ Dei in odium factæ ſunt, & in tentationem animabus hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium. Ecce denuò effectus peccati, & perverſitas hominum; nam illæ creaturæ, quæ factæ ſunt à Deo ad utilitatem noſtram, & ut deducant nos in notitiam, & amorem creatoris, perverſitate hominum, ſunt occaſio erroris, & damnationis, quod præcipuè evenit in Idolis gentium; item in abuſu creaturarum. *In ſap. c. 14. op. expoſit. regulæ c. 6. & l. 1. d. 3. p. 1. q 3.*

144. *Homo avertendo ſe à Deo, infinitis ſe immiſcuit malis.*

Omnia commixta ſunt: ſanguis, homicidium, furtum, fictio, corruptio, & infidelitas, turbatio, perjurium, tumultus bonorum, Dei immemoratio, animarum inquinatio, nativitatis immutatio, nuptiarum inconſtantia, inordinatio mœchiæ, & impudicitiæ, &c. Ecce in quot mala per averſionem à Deo, & peccatum involutus reperitur mundus, & hæc humana natura, & cum ipſis commixta, & infecta. O maledictum peccatum quot mala nobis paris. *l. 1. ſent. in prol. in ſap. hic.*

CAP. XV.

145. *Dei cognitio omnia bona ſecum portat: Unde hic dicitur.*

NOSSE enim te, conſummata juſtitia eſt; & ſcire juſtitiam & virtutem tuam, radix eſt immortalitatis. Sic etiam dicebat Chriſtus: Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te, &c. ſcilicet cognitione practicâ, cum dilectione. *In ſap. hic, & c. 8.*

CAP. XVI.

146. *Mundus, caro, & diabolus, tanquam ſerpentes venenum propinant nobis: Chriſtus adveniens in animam nos liberat ab iſto veneno.*

FILIOS tuos neque draconum, neque venenatorum vicerunt dentes: miſericordia enim tua adveniens ſanabat eos. Hic ſacer textus anthiteſim facit inter morſus muſcarum, & locuſtarum, quibus Ægyptii à Deo puniti ſunt: & quos talia animalia morſibus ſuis occidebant, ſic exigente divina juſtitia: Iſraëlitas verò ex ſerpentium, & aliorum venenatorum morſibus vulneratos, Deus aſpectu ſuo ſanabat. Myſticè autem dat nobis intelligere, quod ſine Deo, diabolus, Mundus, & caro tanquam venenati ſerpentes, & animalia morſibus & veneno mundanis propinato, mortem animæ afferunt: at adveniens Deus in animam, ſuos ſanat, liberat, & præſervat ab omni malo, mediante ſua gratia, quæ omnibus præſto eſt: unde in medio venenatorum iſtorum animalium ſecuri vivunt ab omni morſu, & damno. *Ser. 4. Dom. 1. Adv.*

147. *Aſpectus in Chriſtum Crucifixum ſanat animam à morſu peccati, & roborat eam ad pugnam.*

Qui ad eum (ſcilicet ad ſerpentem æneum) convertebatur, non per hoc quod videbat ſanabatur, ſed per te omnium ſalvatorem. Nota quod hic intendens demonſtrare virtutem Crucifixi Jeſu arguit à minori ad majus, dicens: quod ſi Iſraëlitæ ſanabantur ad aſpectum ſerpentis ænei, non per virtutem talis imaginis ſed quatenus erat ſignum Crucifixi; multò magis anima, quæ aſpectum devotè figet in ipſum ſignatum, ſcilicet Jeſum Chriſtum in cruce pendentem, ipſum audiendo, & obediendo; non ſolùm ſanabitur à morſibus ſerpentis infernalis, ſed & roborabitur, & confortabitur ad pugnandum ſecurè contra diabolum, Mundum, & carnem. Crux enim, & Crucifixus eſt vexillum animans, armans, & fortificans ſuos in bello. *Ser. in exaltat. S. Crucis. in Luc. c. 1. v. 74.*

148. *Miſericordia Domini confortat nos in hac peregrinatione, & ſimul ſanat tanquam efficax medicina à quocunque langore.* Unde hic dicitur: filios tuos nec draconum, nec venenatorum vincunt dentes: miſericordia enim tua adveniens ſanabat eos. *Pſal. 118. c. 4. v. 16. & c. 10. v. 5.*

149. *Medicina ſanans mala ſpiritualia animæ eſt verbum Dei: Medici ſunt Prædicatores linguâ lambentes vulnera.*

Neque herba, neque malagma ſanavit eos, ſed tuus Domine ſermo, qui ſanat omnia. Nota, ô anima hoc ſalutare documentum, quo efficacia verbi Dei exprimitur, dans nobis intelligere, quod verbum Dei eſt medicina efficaciſſima ad ſanandas omnes infirmitates animæ. Hanc medicinam exhibent Prædicatores, & Doctores

Eccleſiæ, ſimul lambentes vulnera ſuâ linguâ. *Ser.3.Dom.2.poſt Epiph. Pſal.118.c.2.v.1.Luc.c.4.v.40.& c.6.v.10.& c.7.v.7.& 14.Ioan.collat.76.*

150. *Homo peccando occidit ſeipſum.*

Homo occidit per malitiam animam ſuam: & cum exierit ſpiritus, non revertetur, &c. Vide qualem crudelitatem exercet homo in ſe ipſum, quia peccando, occidit animam propriam, ipſam privans gratia Dei, quæ eſt vita animæ. *Ser.2 fer.3.Pentec.& fer.1.Dom.3.Pentec.*

151. *Euchariſtia eſt eſca de cælo deſcendens, & omne delectamentum ſaporis continens.*

Angelorum eſcâ nutriviſti populum tuum, &c. Nota, quod manna fuit figura Euchariſtiæ, & dicitur panis Angelorum, quia de cælo deſcendit, habetque omne delectamentum ſuavitatis: & ſicut ille panis de cælo venit, & de terra colligebatur, ſine agricultura, ſic iſte panis de terra virginali exhibitus eſt ſine cultura hominis: & ſicut ille liquefiebat calore ſolis, & indurabatur ad ignem; ſic iſte liquefit, & reſolvitur in ſuavitatem calore amoris Dei, & induratur ad ignem concupiſcentiæ, & peccatorum. *Ser. 3. in vigil.Nativ.fer.4.& 5. & 6. in cœna Domini fer.3. Dom.2. Pentec. & fer.1. Dom.6. Pentec. op.Eccleſ. Hier.p.1.c.1.& 3.Comp.Theol.l.6.c.15.*

152. *Euchariſtia affert ſenſibilem delectationem omnibus ſenſibus internis animæ.*

Angelorum eſcâ nutriviſti populum tuum, omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuavitatem. Ecce quales effectus gignit panis Euchariſticus in anima: nam omne delectamentum affert animæ, & ejus ſenſibus: nempe elevat viſum interiorem ad contemplationem externorum: excitat & aures ſpirituales ad perceptionem allocutionum divinarum; olfactum ad æternorum odorem ſentiendum: ô qualis odor flagrat devotis animabus hoc ſacramentum; & ſic de aliis ſenſibus, qui replentur omni ſuavitate. *Op.de 7.itiner.æternit.itin.6.d.6. de perfect.vitæ c.8.de dono ſap.c.5.in ſap.hic.in Lucam c. 22. v.18. & c.34.v.43.l.4.d.8.p.1.dub.2.*

153. *Oratio devota cibus de cælo deſcendens, & reficiens mirabiliter animam.*

Omne delectamentum habentem, &c. Hoc etiam dicitur myſticè de oratione devota; eſt enim cibus Angelicus de cælo deſcendens, & omnem ſuavitatem animæ afferens. *Thren.c.4.op. Diæt.tit.2.c.5.*

154. *In Transfiguratione Chriſti, qualia beneficia nobis exhibita.*

Omnia transfigurata, omnium nutrici gratiæ tuæ deſerviebant ad voluntatem eorum, quæ à te deſiderata ſunt. Ad literam loquitur textus de manna, ad cujus complementum omnia ſuavia videbantur, cum ipſo transfigurata, & collecta: myſticè hoc manna eſt Chriſtus, qui in transfiguratione reddidit omnia transfigurata, & ſublimata; quia in ejus humanitate perfectiones omnium creaturarum compilatæ fuerant, quod miraculum inſervivit, non ad accipiendam dotem claritatis gloriæ, ſed ad nutriendum, & fortificandum debiles Apoſtolos in fide, & maximè in hora mortis Chriſti. *Ser.4.Dom.2.quadrag.*

CAP. XVII.

155. *Iniquorum proprium eſt ſubjicere juſtos ſuæ ipſorum voluntati, & ad malum eos inducere, eóſque perſequi crudeliter.*

PERSUASUM habent iniqui nationi ſanctæ poſſe dominari, vinculis tenebrarum, & longæ noctis compediti, &c. Hoc fuit ſemper proprium iniquorum, ad imitationem diaboli, perſequi, ligare, affligere juſtos eoſque impedire ne proficiant in virtutis via, & inducere ad malum, cum ſint ipſi vinculo ſuperbiæ ligati, & compediti, nec poſſunt ſe ad humilitatem inclinare: ſed tamen juſto Dei judicio ab ipſo confuſi remanent. *fer. 2. Dom. 11. Pentec.Luc.c.1.v.15.*

CAP. XVIII.

156. *Nativitas Domini Jeſu Chriſti in media nocte, & tempore pacis univerſalis expenditur.*

CUM quietum ſilentium tenerent omnia, & nox in ſuo curſu medium iter &c. omnipotens ſermo tuus &c. Hic ad litteram agit de occiſione primogenitorum Ægyptiorum facta ab Angelo in medio tempore noctis: ſed allegoricè exprimit nativitatem Chriſti Jeſu, qui fuit Angelus miſſus à Patre, tunc cum quietum vel ut alia littera legit, medium ſilentium tenerent omnia; ſcilicet poſt ſilentium primum, quando exterminato peccato ſub diluvio tempore Noë: poſt ſecundum ſilentium, quando totus Mundus erat in pace, tempore Auguſti Cæſaris, venit Princeps pacis: vel poſt primum ſilentium tempore legis natus; poſt ſecundum legis ſcriptæ, venit tertium; ſcilicet in tempore pacis univerſalis, quando nox in ſuo curſu medium iter haberet, ideſt in media nocte ad litteram; & myſticè in medio curſu & in profundo ignorantiæ, & peccatorum, mundo obtenebrato, lux venit in mundum, naſcens Chriſtus, ſol illuminans totum Mundum à regalibus ſedibus uteri virginalis, & Mariæ ad deſtruendum, & tollendum peccatum à Mundo. *Ser.1. Dom.3. Adv. Luc.c.2.v.9. Pſal.38. fer.4. Dom.2. Adv.op.ſpecu.B.Virg.lect.16.*

157. *Stans in terra Iuſtus, mentem erigens ad Deum, dicitur: attingere capite Cœlum: ut hic adnotatur à ſacro textu, de Aaron ſacerdote. Op Eccleſ.Hierar.p.1.c.1.*

158. *Contra iram Dei opponere debemus ſcutum orationis, & memoriæ paſſionis Chriſti.* Sicut hic dicitur

dicitur.*v.*21. hæc enim reprimunt iram Dei, & liberant nos ab angaſtiis.*Ser.*3.*Dom.inſr.oct. Nati. in Luc.c.*18 *v.*1.

159. *Summo Pontifici demandata eſt à Chriſto cura omnium hominum totius mundi*; in cujus figuram juſſit Deus, ut in veſte poderis ſummi ſacerdotis eſſet inſculptus totus orbis terrarum. *Op expoſ.regula in præfat.*

160. *Sacerdotis officium, & maximè Prælatorum eſt ſuper humeros ſuos ſuſtentare orbem terrarum.*

In veſte poderis totus erat orbis terrarum &c. Cur deſcriptum orbem terrarum volebat Deus in veſte ſacerdotis ſummi? Per hoc, ut apprehenderent ſacerdotes, Prælati, & Doctores, quod ipſorum munus eſt ſuſtentare orationibus, & meritis orbem terrarum; ut in ipſorum vita eluceſcant ſol charitatis, luna miſericordiæ, ſtellæ munditiæ, & caſtitatis, converſatio, ſanctaque vita.*Op.Eccleſ.Hier.p.*4.*c.*5.*ſer.*14.*Hexam.*

CAP. XIX.

161. *Omnis creatura præcipuèque dæmon, præceptis Dei obedire conſtringitur.*

OMNIS *creatura deſerviens eſt præceptis tuis &c.* Quod verum eſt, cum Dei potentiæ, ejuſque præceptis, non poſſit quis reſiſtere: & hoc maximè Dæmon, cum ſit ligatus à Deo, præceptis Chriſti conſtringitur obedire.*Luc.c.*8.*v.*29.

162. *Deus magnificat ſervos ſuos mirabiliter, & multipliciter.*

In omnibus enim magnificaſti Populum tuum, & honoraſti &c. O quàm hoc eſt verum, quod Dominus in omnibus ſemper magnificavit ſervos ſuos: In omnibus inquam: primò eis conferendo gratiam ſuam; ſecundò miraculis illuſtrando: tertiò ſublimando eos dignitatibus Eccleſiaſticis: quartò ad cæleſtis regni gloriam elevando. *ſap.c.*19.*in Luc.c.*1.*v.*58. O utinam & nos in numero ſervorum fidelium Dei mæreamur adnumerari, ut tandem per gratiam ad ejus viſionem, & fruitionem perveniamus. Amen. &c.

IN

IN ECCLESIASTICUM.

PROLOGUS.

PRIMO Nota, quod inter libros ſapientiales, hic liber Eccleſiaſtici ponitur quarto, & ultimo loco: Ejuſque Author fuit, non Salomon, ut falsò dixerunt aliqui, fræti auctoritate aliquorum Patrum, qui appellarunt authorem ipſius Salomonem, idque antonomaſticè, comparantes authorem ipſi Salomoni Regi Iſraël, tum quia in ipſo multas ſententias ejuſdem Salomonis intermiſcuit, tum ob ſublimitatem doctrinæ, qua refertus eſt dictus liber. Author igitur verus fuit Jeſus filius Sirach, qui ipſum in Hebraica lingua ſcripſit; & in Græca tranſlatus fuit ab alio Jeſu nepote ejuſdem Authoris. Ejus Titulus eſt Eccleſiaſticus, ſicut alius Salomonis eſt Eccleſiaſtes. Differunt autem iſti duo tituli inter ſe: quia Eccleſiaſtes ſignificat Concionatorem, quia in eo Salomon geſſit munus Concionatoris: Eccleſiaſticus autem liber ſignificat aggregationem ſententiarum quæ pertinent ad Concionem, quia in ipſo copioſiſſima ſeges diverſarum materiarum Concionatoribus exhibetur. Appellatuſque eſt Eccleſiaſticus, ait D. Auguſt. quia ab initio Eccleſiæ in ipſius ſinum receptus erat, inter ſapientiales, & Propheticos libros meruit cooptari; quare ex hoc patet quanta ſit auctoritas hujus libri in Eccleſia, & quare meritò inter Canonicos libros adnumeratus eſt. Qui plura alia deſiderat ſpectantia ad prologum hujus libri adeat Gloſſam, Ugonem, Tufum, Paulum de Palatio, Pinnam, & alios expoſitores, qui fusè de ipſo diſſeruerunt.

CAPUT PRIMUM.

1. *A Deo provenit omnis ſapientia, ideo ad ipſum recurrendum principaliter pro ipſa obtinenda.*

OMNIS ſapientia à Domino Deo eſt, & cum illo fuit ſemper, & eſt ante eum. Hic diſquirunt ſancti Doctores de qua ſapientia hic loquatur ſapiens: ſcilicet an de increata, an de creata? utrumque poteſt dici: nempe verbum divinum, quod eſt ſapientia increata ab æterno gigni, & ante ævum, id eſt durationem creatam quarumcumque rerum etiam ſpiritualium, quæ omnes creatæ ſunt in tempore: Item dicitur ſapientia, ſcientiaque intellectum noſtrum imbuens; & hæc à Deo, qui eſt ſumma, & prima veritas: unde illi, qui non à Deo, ſed à diabolo ipſam quæiunt, vel à mundo, & in ejus ſchola decipiuntur, & in maximos errores ſe præcipitant. *l.2.d.2.p.1.a.1 q.1.ſap.prolog.& c.15.& ſer.2.de S. Antonio de Padua.*

2. *Impietas, & ingratitudo gloriantium de donis à Deo receptis expenditur.*

Omnis ſapientia à Domino Deo eſt, & cum illo fuit ſemper, & eſt ante ævum. Nota, quod iſta dicuntur contra ingratos, & ſtultos, qui gloriantur de donis à Deo receptis; contra quos dicitur: quid habes, quod non accepiſti? Nonne ſtultum, & rationi contrarium eſt gloriari de dono alterius contra dantem? & de iſtis ſtultis plenus eſt mundus. *Ser.1.de uno S.Mart.*

3. *Fidei altitudo, & profunditas expenditur.*

Arenam maris, & pluviæ guttas, & dies ſæculi quis dinumeravit? Altitudinem cæli, & latitudinem terræ, & profunditatem abyſſi quis dimenſus eſt? Hic exprimere contendit ſapiens divinæ ſapientiæ, & præcipuè ſanctæ fidei mirabilia: nomine enim Cæli ſignificatur, & terræ, & abyſſi: ideo dicit, quod altitudo fidei eſt tanta, quod ſuperat omnem creatam rationem, ſic & ejus latitudo, & profunditas myſteriorum: & cum ſit incomprehenſibilis, vim habet ducendi animam ad cognitionem incomprehenſibilis Dei, & ſuorum arcanorum myſteriorum, & ſimul ad inflammandum affectum, & voluntatem igne amoris ſeraphici. *Ser. 8. Hexam. & ſer. 1. de uno S Doctor.* Notandum autem, quòd rectè comparatur fides cælo, ob altitudinem objecti, ordinis ornatum, & operum concurſum, quæ ipſa fides proponit nobis, & mirabiliter in hoc cælo relucent. *Pſal.* 118. *c. 6. v.9.* Dat igitur intelligere ſapiens ex innumerabilitate arenæ maris, guttarum pluviæ, & dierum ſæculorum, & altitudine cæli, latitudine terræ, & profunditate abiſſi, ſive aquarum, tanquam argumento à minori ad majus, cognitionem Dei eſſe nobis incomprehenſibilem,

henſibilem, etiam ſi adjutorio fidei multa ſublimiſſima nobis pandantur. *l. 1. prolog. ſer. 1. de Apoſtol.* Nota etiam, quod his verbis Spiritus ſanctus intendit elevare animam ad conſiderationem altitudinis, latitudinis, & profunditatis gloriæ, quam nobis præparavit Deus in patria cælesti. *Ser. 2. in Cathed. S Petr.*

4. *Mariæ Virginis privilegia expenduntur in his verbis.*

Altitudinem cæli, latitudinem terræ, & profundum abyſſi quis dimenſus eſt. Hic alluſio fit ad privilegia Mariæ, quæ nomine Cœli, terræ, & abyſſi ſignificantur, fuit enim cœlum ob cœleſtem puritatem, claritatem, aliaſque virtutes cæleſtes: tum quia ſedes fuit Dei altiſſimi: Item terra benedicta, quæ fructum vitæ nobis protulit: item & abyſſus in bonitate, & miſericordia profundiſſima: quis igitur hujus Cœli altitudinem quis hujus terræ latitudinem, quis hujus abyſſi profunditatem penetrare poterit? quaſi dicat: nemo niſi ſolus ille, qui ſolam tam altam, latam, & profundam in gratiâ, & gloriâ, in miſericordiâ fecit. *Op. ſpecu. B. Virg. lec. 5.*

5. *Verbum Dei à fonte divino verbi increati in nos derivat.*

Fons ſapientiæ Verbum Dei in excelſis, & ingreſſus illius mandata æterna. In his paucis verbis nobis innoteſcere facit ſapiens maxima myſteria: & primò originale principium Verbi increati à Patre emanantis: Hoc verbum exhibetur fons ſapientiæ; quia ab ipſo verbum divinum creatum derivat in nos, clarificans mentem noſtram, refrigerans, & reficiens nos in hac valle miſeriarum: Unde auditores verbi Dei mentem debent, & oculos ad Deum elevare, ut ſecurius percipiant fructus ipſius; nempe radicationem indelebilem divinorum mandatorum in corde. *Ioan. collat. 5. & 21. & 31. ſer. 2. Hexam. ſap. c. 3. in fine l. 1. d. 24. p. 1. qu. 1. Pſal. 118. c. 8. v. 16. c. 10. v. 2. c. 11. v. 12. Thren. c. 1. in Luc. c. 10. v. 30. l. 1. d. 27. a. 1. qu. 3. ad 1.*

6. *Amor in Deum, & obſervantia mandatorum ejus eſt ſchola, in qua ſecurè homo addiſcit ſapientiam cæleſtem.*

Diſciplina ſapientiæ cui revelata eſt, & manifeſtata? & multiplicationem ingreſſus illius quis intellexit? Et effudit illam ſuper omnia opera ſua, & ſuper omnem carnem; & præbuit illam diligentibus ſe: timor Domini delectabit cor &c. Nota, & diſce ex his verbis, in qua ſchola edocentur omnes doctrinæ ſapientiales de Deo, & creaturis, in quibus omnibus relucet mirabiliter divina potentia, ſapientia, & bonitas, nempe in ſchola amoris; nam ſolùm diligentibus Deum, & exercentibus diſciplinam ſapientiæ, ſcilicet obſervantibus divina præcepta, à Deo diſtribuitur omnis ſapientia. *Pſal. 118. c. 11. v. 5. & 12.* Ecce quomodo, & quàm faciliter poteſt quis eſſe Theologus, & Philoſophus: nempe diligendo Deum, & obſervando ejus præcepta: Hic enim addiſcit Theologiam de Deo uno; Unde dicit: Unus eſt altiſſimus creator omnipotens: & Trino, unde dicit: ipſe creavit illam, & ſupra dixit prior: creata eſt ſapientia; ſcilicet producta ſapientia increata ab æterno; & ſubdit, & effudit illam ſuper omnia opera ejus. &c. quia vera Philoſophia conſiderat effectus naturales rerum à Deo productos, eoſque in cognitionem, & amorem Dei reducit. *Ser. 1. Hexam.*

7. *Mariæ Virginis privilegia à ſolo Deo perfectè cognoſci poſſunt.*

Unus eſt creator altiſſimus omnium &c. vidit, & dinumeravit, & menſus eſt illam. Quam illam? ſcilicet ſapientiam, virtutes, magnitudinem, & privilegia Mariæ Virginis: ſolus Deus poteſt hæc perfectè cognoſcere; qui non ſolùm in gratia, & gloria, ſed etiam in miſericordia tam latiſſimam, tam altiſſimam, tam profundiſſimam fecit. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 5. & S. Bernardinus ſer. 52. Andreas Cretenſis ſer. 1. de dormit. Virg. & S. Aug. ſup. magnificat tom. 9*

8. *Maria Sedes, & Thronus Dei, ipſum magnificans.*

Rex potens Deus, ſedens ſuper thronum illius & dominans Deus. Nota, quòd hic innuitur, quòd Deus ſe regem potentem oſtendit, & dominatorem Mundi, dum ſe exhibet ſedens ſuper thronum hunc. Quis hic thronus? quæ ſedes Dei? Hæc eſt Beata Virgo Maria, ejuſque uterus, verè thronus, & ſedes digna Dei, de qua poteſt cani: implevit domum Domini, ſuperni regis gloria, tuo ſacratam nomini Salomonis induſtria, dum te ſuperna gratia, Gabrielis afflamini Patentem virgo Maria, replet te dicatam numini. Notat hic Dei filium, Salomon rex pacificus, qui fecit thronum regium, quod hic artifex cælicus, & nuncius angelicus præparavit hoſpitium, noſtræ ſalutis piſticus, verum deferens gaudium: Maria Mater gratiæ, mater, & fons bonitatis, mater miſericordiæ, fons, & fomes pietatis, Triclinium deitatis, mater ſolis juſtitiæ perpetuæ claritatis, conferens lunæ gloriæ. *Op. laus Virg. ſig. 12.*

9. *Timoris Domini effectus varii expenduntur.*

Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam & gaudium, & longitudinem dierum: timenti Dominum, benè erit in extremis. In his, & ſequentibus verbis exprimit Spiritus ſanctus effectus mirabiles timoris Dei: dat enim intelligere, quod timor Domini initium eſt ſapientiæ, per ipſum, tamquam per portam intrat divina ſapientia, gratia, & omne bonum: lætitia, & delectatio cordis eſt: finem vitæ glorioſæ præparat homini: eſt & veluti medicina univerſalis repellens omnes morbos, & nocivos humores, & occaſiones peccati, ſanguinem luxuriæ, fleumam accidiæ, melancoliam iræ, & coleram ſuperbiæ: compunctionem generat, reverentiam in Deum ingerit, pacem, & tranquillitatem mirabilem affert, & Deum habitantem in anima facit. *Op. de dono tim. c. 4. Comp. Theol. 65. c. 39. regula novit. c. 1. l. 3. d. 34. p. 2. qu. 1. & a. 2. qu. 3. & l. 4. d. 17. p. 1. q. 3. Diæt. tit. 6. c. 1. Pſal. 118. c. 3. v. 6. ſer. 2. de S. Steph. in addit.*

10. *Peccatum privat animam vera ſapientia: unde peccator ſtultus eſt apud Deum.*

Fili concupiſcens ſapientiam, ſerva juſtitiam, & Deus præbebit illam tibi. Quid ſe habet juſtitia ad ſapientiam? nonne multi ſunt ſapientes abſque juſtitia, & viventes in peccatis? minimè, nam ſapientia eſt cognitio ſapida Dei, ſcilicet cum odio ad peccatum, & dilectione vittutum, & gratiæ: ideo rectè deſideranti ſapientiam, præcipitur conſervatio juſtitiæ, per quam homo habet, & vivit in gratia, & obſervat Dei mandata, ſine quibus non infunditur à Deo ſua ſapientia. Es quo inferri licet, quod peccator, carens ſapientià, in ſtultitiam incidit. *Ser.2. Hexam. in ſap.c.16. in Luc.c.19.v.26.*

11. *Deus ſolus vult eſſe habitator cordis noſtri: ubi de multiplici fine cavendo in noſtris actibus.*

Ne acceſſeris ad Deum duplici corde; ne fueris hypocrita in conſpectu hominum. Cur Deus vetat duplex cor, ſcilicet duplicem finem in actibus noſtris? nonne in homine triplex vis, & potentia; ſcilicet rationalis, concupiſcibilis, & iraſcibilis, & quælibet iſtarum habet diverſam inclinationem, & finem? nonne etiam poteſt quis ſervire Deo ob finem mercedis, & boni utilia, & delectabilis? ſed attende ô homo ſerve Dei, quid eſt, quod hic prohibetur à Deo? poteſt enim quis ſuis actibus præfigere plures fines bonos, ita quod non ſint contrarii inter ſe, ſed ſint ſubordinati ad principalem: v.g. ad Dei honorem, & ad bonum proximi; & hoc eſt ſanctum, & meritorium: vel quod unus ſit finis principalis, alius diſparatus, ſed non oppoſitus; ut celebrare miſſam ad Dei honorem, & etiam ob ſtipendium licitum; & hoc non eſt peccatum mortale, licet ſit admixtum cum aliqua tolerabili imperfectione humana: tertiò ita quod præfigatur duplex finis principalis: v.g. celebrare miſſam ad Dei honorem, & ad habendum ſtipendium ad fornicandum; & hic actus eſt impiiſſimus, Deo exoſus, & Deum à corde excludens, & ſeparans: & de iſto modo loquitur ſacer textus, quia eſt proprium hypocritarum; ideo Deus non habitat in tali corde duplici; quia Deus vult eſſe ſolus in corde. *l.2. d.38.a.1.q.2. in Lucam c.12.v.3.& c.12. v.15. & c.20. in fine.*

CAP. II.

12. *Deus probat ſuos tribulationibus.*

FILI accedens ad ſervitutem Dei, ſta in juſtitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Notent hoc diligenter illi, qui Deo ſervire intendunt: in his autem verbis proponuntur duo: primum eſt, quod tentationes, tribulationes, & incurſiones diaboli ipſos aggredientur: ſecundum eſt remedium evadendi omnia iſta pericula. Sta in juſtitia, & timore, per quod ſuadet Dei timorem, quo vitatur culpa, & cultus in Deum exercetur, & ſtudium virtutum ad ſecuritatem animæ. Addit, & præpara animam tuam ad tentationem; quia iis, qui pietatem colunt, adverſa multa accidunt: nempe à Deo per ipſa probante ſuos ſervos: à diabolo, qui fortius inſurgit in Dei ſervos, ut eos proſternat. *Op. de profec. religioſ.l.1.c.1 ſer.3. Dom.1. quadrag. ſerm.3. in cœna Dom. ſer.10. in Pentecoſt.* Hoc diligenter notent Novitii intrantes in Religionem, quia libenter diabolus immittit tentationes in eos, qui exierunt de Ægypto peccatorum, & Mundi, reducendo ad memoriam mundana delectamenta, ut eos faciat deſcendere de monte pœnitentiæ. *Ser.1. Dom.6. poſt Pentec.*

13. *Pœnitens caveat à tumore ſuperbiæ; & toto corde conetur Deo ſatisfacere.*

Deprime cor tuum, & ſuſtine; ſuſtine ſuſtentationes Dei, & ſuſtine, ut creſcat in noviſſimo vita tua. Deprime cor tuum, ideſt te humilia: ſuſtine Dominum, ideſt patienter expecta Dei viſitationem: ſuſtine ſuſtentationes Dei, ſcilicet tribulationes immiſſas, patienter ſuſtine; vel ſatisfactionem Deo debitam pro peccatis commiſſis, Deo redde. Dat igitur hic intelligere, quod pœnitens debet diligenter cavere à tumore ſuperbiæ, & inanis gloriæ; ne exiſtimet ſe aliquid eſſe, cum nihil ſit, vel poſſit: & laborem condignæ ſatisfactionis ſuſtinere, & expectare Dominum; ſic enim pœnitentiam perfectam aſſumet, & Deus ipſum exaltabit. *Serm.1. Dom.6. Pentec.*

14. *Correctio & Diſciplina acceptanda tanquam medicina efficax ad ſanandum vulnera animæ.*

Omne, quod tibi applicitum fuerit, accipe, & in dolore ſuſtine, & in humilitate tua patientiam habe. Nota illud verbum applicitum fuerit; ſeu ut legit S. Doctor applicatum fuerit: nempe illud, quod vulneribus tuis ſanandis applicatum fuerit, tanquam medicina, accipe: & quid accipiendum? accipe ſcilicet dolores, tribulationes à Deo immiſſas, & correctiones Prælatorum; quia iſtæ ſunt medium efficax ad ſananda vulnera vitiorum in anima. *Op. Eccleſ. Hier.p.3.c.1.*

15. *Patientia quàm efficax ad tollenda vitia; & augendas virtutes, præcipuè humilitatem.*

Omne quod tibi applicitum fuerit accipe; & in humilitate tua patientiam habe. Vide hic quàm efficax ſit patientia in tribulationibus, & adverſitatibus: nam eſt medicamentum efficax ad ſanandum animam à languoribus vitiorum, ad conſervandam, & fovendam humilitatem; & alias virtutes *op. Eccleſ. Hier.p.1.c.1.& p.3.c.1.* Unde veſtes viles habere, demiſſo capite incedere, aliaque ſigna exteriora oſtendere humilitatis, verum humilem non oſtendunt; ſed ſolum patientia in adverſitatibus: ſed in nobis, qui ſuperbire volumus in clauſtro, qui jam non niſi humiles fuimus in Mundo, nec patimur haberi contemptui

Digitized by Google

contemptui in domo Dei, qui in noſtra non niſi contéptibiles eſſe potuimus. *Op. de perfec. vita c.2.*

16. *Pauperes contenti ſint eorum, quæ ſibi dantur ab aliis.*

Omne quod tibi applicitum fuerit accipe &c. Nota, quod hæc verba etiam diriguntur ad pauperes, quibus itidem à Chriſto dictum eſt: manducate quæ apponuntur vobis; ſcilicet, non quæ vos ipſi paratis: vult autem, ut vili ſint contenti refectione, tamquam eſurientes, & hilariter talia recipiant. *in Luc. c.10. v.8.*

17. *Contritio vera humilitatem in corde parit, & animam expurgat ab omni ſcoria peccati.*

In dolore ſuſtine, & in humilitate tua patientiam habe; quoniam in igne probatur aurum, homines vero receptibiles in camino humiliationis. Iſta verba non ſolùm ad patientiam in tribulationibus excitant: ſed etiam ad contritionem, & dolorem peccatorum: In dolore (ait) ſuſtine, & in humilitate tua patientiam habe; ſcilicet dolorem de peccatis habe: ſic enim verè humiliaberis, & te libenter ſubdes Deo offenſo: ſic enim velut aurum probatum evades; quia ſalubriter tibi veniam concedet *Ser.4. Dom.10. Pentec.*

18. *Ignis tentationis ſalubriter probat, & purgat animam, & ipſam in humilitate radicat.*

Quoniam in igne probatur aurum, &c. Hoc veriſſimum eſt: Deus enim humiliat nos per tentationum tribulationes, ut agnoſcamus, quid ſimus ex nobis, ne extollamur ex eo, quod à Deo accipimus, vel accepiſſe putamus: & ulterius, quicquid ſcoriæ, vel falſitatis intus latuit, ignis tentationis prodet. *Op. de profect. religioſ. l.2. c.1.* Nota autem quòd dicit ſicut aurum in igne probatur, non dicit conſumitur, quia juſti in igne tribulationum non deficiunt ſed ad gloriam præparantur: Ulterius dicit: ſicut aurum in igne probatur, ideſt cognoſcit, & videtur magis lucens: ſic juſti in nocte hujus vitæ, & tribulationum magis lucent veluti ſtellæ: ſicque patet, quod per tribulationes toleratas, apparebit quinam boni, & qui non. *Pſal. 134. ſap. c.3.*

19. *Fides perfecta in Deum qualis habenda, ejuſque effectus*

Crede Deo, & recuperabit te &c. qui timetis Dominum credite illi, & non evacuabitur merces veſtra. Poſtquam ſapiens ſuaſit patientiam in tribulationibus, proponit fidem habendam in Deo; & meritò, quia ejus magnificentia dignoſcitur ſi in ſolo Deo confidit non in propriis viribus, vel in alieno creato auxilio etiam ſi naturalis ratio contradicat: item ſi in adverſitate non deficiat, ſed tunc plus invaleſcat; ſic enim Martyres per fidem vicerunt regna, ludibria, verbera, carceres &c. item ſi homo propter dilationem præmii non deficiat, ſed ſemper proficiat quouſque obtineat: ſic enim dicit, & non evacuabitur merces veſtra. *Op. Diat. ait. 5. c.3.*

20. *Miſericordia ſuperabundans Dei in timentes Deum, deſcendit modo peculiariſſimo.* Unde hic dicitur: qui timetis Deum ſperate in eo, & in oblectationem veniet vobis miſericordia, ex hoc quod amorem, & dilectionem in Deum ſecum affert. *Luc. c.1. v. 36. & v.50. op. de dono tim. c.3. Pſal. 118. c.8. v.12.*

21. *Confidens in ſolo Deo, omnem confuſionem evitat: confidens in creaturis incurret in miſerias.*

Reſpicite filii nationes hominum, & ſcitote, quia nullus ſperavit in Domino, & confuſus eſt. Vide, & audi hoc monitum ſublime, & neceſſarium Spiritus ſancti: vide inquam, & percurre omnes hiſtorias ſacras, & invenies, quod nullus homo in Deo confidens, & ſperans, umquam confuſus remanſit ſicut è contra, qui confidit in creaturis, & præcipuè in pecunia, & divitiis, confuſionem ſemper invenit. *Ser. de S. Agata ſap. c.19. in fine.*

22. *Iniqui duplex cor habent, & duabus viis ambulant: totique, & in vita, & in morte in iniquitate immerſi.*

Væ duplici corde, & labiis ſceleſtis, & manibus malefacientibus, & peccatori terram ingredienti duabus viis. Hic exprimit ſapiens infeliciſſimum ſtatum iniquorum, quibus væ divinæ maledictionis imminet, ſcilicet ob peccata cordis oris, & operis; & hoc maximè dicitur de Chriſtianis malis, qui duplici corde operantur; ſcilicet corde ad Deum ut Chriſtiani, & corde ad Diabolum ut iniqui: væ ergo iſtis maledictis, qui etiam duplici via ingrediuntur, ſcilicet & in vita, & in morte: In vita enim toti ſubmerſi vivunt, & ſepulti in vitiis, & pravitate cordis, & in morte eundem finem habent. *Op. ſpecul. diſcipl. p.2. c.5. ſpecu. B. Virg. lect.2. Pſal. 118. c.8. v.7. in Luc. c.16. v.14.*

23. *Qualem præparationem exigat Dei adventus in animam.*

Qui timent Dominum, inquirent quæ beneplacita ſunt ei, & præparabunt corda ſua, & in conſpectu illius ſanctificabunt animas ſuas. Nota, quod hic loquitur textus tantum ad timentes Deum; timentes inquam timore filialis reverentiæ; iſtiſque ſuadere ſtudet ad præparandum corda ad adventum Dei; & hoc facient auferendo immunditiam ab anima, mundando ipſam per cuſtodiam ſuorum mandatorum, per exercitium operum miſericordiæ in proximum, per invocationem, & orationem ferventem: talibus enim Deus affert ſanctificationem, & omnem gratiam: felix igitur anima, quæ talem præparationem facit Domino. *Ser.1. Dom.4. Adv. ſerm.2. de S. Agnete. ſer. de S. Elizab. ſer.3. de Dedicat. in Luc. c.19. v.21. & c.13. v.3. Pſal. 118. c.1. v.6.*

24. *Sola pœnitentia poteſt nos liberare à manu juſtitiæ Dei.*

Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini, non in manus hominum. Ecce quid à nobis ſæpe meditandum in corde; quia enim ſola pœnitentia poteſt nos liberare de manu juſtitiæ; ideo pœnitentia aſſumenda eſt, alioquin in manus Dei viventis horribiliter incidemus,

à quibus nemo poterit nos liberare. O beata, & potens pœnitentia. *Ser. 1. in die cinerum.*

CAP. III.

25. *Eccleſiæ, & Congregationum ſpiritualium conditiones, & perfectiones, quales. Congregationes impiorum quàm execrabiles Deo, & hominibus.*

FILII ſapientiæ, *Eccleſia juſtorum, & natio illorum obedientia, & dilectio.* Hic ſapiens dirigit ſermonem, & ſuas admonitiones Eccleſiæ, & Congregationibus fidelium, maximéque religioſorum: daturque intelligi quales eſſe debeant ipſarum conditiones, & mores: nempe quia Eccleſia eſt congregatio, & unio rationalium uniformiter, & concorditer unitorum per concordem, & uniformem cuſtodiam divinæ legis, per unionem, & concordem cohærentiam divinæ pacis, per uniformem, & concordem conſonantiam divinæ laudis & hoc quia laus eſſe non poteſt, ubi non eſt pax, nec divina pax ubi non eſt obſervantia divinæ legis. Igitur ad Eccleſiæ unitatem, (quæ eſt columna, & fundamentum, & firmamentum veritatis) exigitur obſervantia divinæ legis, ſine qua non eſt unitas vera; exigitur conformis cohærentia divinæ pacis, & charitatis, & conſonantia divinæ laudis: & è contra Congregatio gregum, & brutaliter viventium caret iſtis perfectionibus ob cupiditatem, & carnalitatem, quam ſequaces diaboli ſequuntur. *Ser. 1. Hexam.*

26. *Eccleſiæ, & Congregationum ſpiritualium perfectio, conſiſtit in obedientia, & charitate principaliter.*

Filii ſapientiæ Eccleſia juſtorum, natio illorum obedientia, & dilectio. Ecce quomodo Spiritus ſanctus exprimit, quòd excellentia, & perfectio Eccleſiæ, & Congregationum conſiſtit, non in numero, ſed in ordine conformi principatibus cœleſtibus: nempe in hoc, quod ſubditi ſuis Prælatis obediant ſicut Domino Deo & hoc non ex timore, ſed ex amore, & quod inter ſe ſervent mutuam charitatem: Tunc enim verè redundat maxima gloria Chriſto Jeſu. *Op. Eccleſ. Hier. p. 3. c. 1. in Luc. c. 7. v. 34.*

27. *Oratio frequentanda inſtanter.*

Qui diligit Deum, exorabit pro peccatis, & in oratione dierum exaudietur. Nota, quod hic ſapiens exaltat virtutem orationis factæ cum debitis circumſtantiis: orans enim debet diligere Deum, & eſſe juſtus: debet & ipſam frequentare, & inſtantiſſimè fundere cum contritione cordis: unde dicit in oratione dierum, ſcilicet frequentata quotidie: ſic enim effectus multiplices experietur. *in Luc. c. 18. v. 2.*

28 *Filii parentes honorantes quàm felices: inhonorantes quàm infelices.*

Qui honorat Patrem ſuum jucundabitur in filiis, & in die orationis, &c. Nota, quod principaliter admonitiones hujus capitis diriguntur à Deo filiis, ut parentes honorent, & ipſis obediant & ut hoc diligenter exequantur, proponit obligationes ipſorum, præmia, quæ expectare debent à Deo, & pœnam ob inobedientiam, & inhonorationem: primò igitur promittitur vita jucunda honorantibus patrem, dicens: jucundabitur in filiis: ſumma enim jucunditas eſt, quod homo non ſit rebellis ſuperiori; quia qui eſt rebellis ſuperiori, inveniet rebellem inferiorem juſto Dei judicio. Sic enim Adam, quia fuit rebellis Deo, invenit rebellionem in inferiora omnia: ſecundò promittitur longævitas vitæ, ſcilicet felicitas vitæ: Tertiò benedictio divina, ſcilicet multiplicatio bonorum temporalium, & ſpiritualium; quia benedictio Patris firmat domos: Addit: & maledictio Matris eradicat domos, ideſt maledictio à filio in Matrem intellige, & in Patrem, inobedientia, inhonoratioque eradicat domos, portat excidia, & maledictionem divinam. *Op. ſerm. 5. de decem precep. in Luc. cap. 11. verſ. 1.*

29. *Quomodò improperium parentum redundat in filiorum dedecus, vel in gloriam.*

Ne glorieris in contumelia Patris, non enim eſt tibi gloria ejus confuſio, &c. Hic dat ſapiens intelligere, quod improperium Patris redundat in filium, quando filius gloriatur in contumelia Patris; ſcilicet quando fit imitator ſcelerum Patris: quando autem ei contrarius eſt, quantum ad mores, tunc ei redundat major gloria. *L. 3. d. 12. a. 1. q. 1.*

30. *Quicquid obſequii exhibet filius parentibus, pro eleemoſyna ſancta acceptat Deus: ubi de fructu elemoſynæ.*

Fili ſuſcipe ſenectam Patris tui, & non contriſtes eum in vita illius: eleemoſyna enim Patris non erit in oblivione (& poſt pauca) & ſicut in ſereno glacies, ſolventur peccata tua. Vide igitur quomodo à Deo in his, & ſuperioribus verbis præcipitur filiis honor reverentiæ, obedientiæ, & beneficentiæ, inculcatque præcipue hanc obligationem, quando Pater, & Mater ad ſenectam, & in ſtatum debilitatis, vel miſeriæ, vel paupertatis reducuntur: tunc enim, ſicut eleemoſyna habet vim impetrandi remiſſionem culpæ, & pœnæ, aliaque multiplicia bona, tam temporalia, quam ſpiritualia, multò magis obſequia præſtita à filiis ipſis parentibus, poſitis in neceſſitate, & indigentia: hæc enim habent apud Deum vim efficaciſſimæ eleemoſynæ. *Op. ſer. 5. de decem precept. in Luc. c. 11. v. 40. & Ugo Card. aliique PP.*

31. *Filiorum, & Navitiorum obedientia cum manſuetudine præſtanda.*

Fili in manſuetudine opera tua perfice, & ſuper hominis gloriam diligeris. Cur in manſuetudine à filiis, novitiis, & ſubditis præſtanda eſt obedientia, & opera perficienda? ſed nota illud verbum perfice; in ipſo enim continentur omnes conditiones practicandæ à filiis, & noviiis in executione obedientiæ, ſed inter ipſas præcipitur manſuetudo; perfice ait manſuetè, hoc eſt ſine murmure, & diſplicentiæ ſigno; & perfice, nempe magna devotione, libenter, acceptabiliter; ſcilicet ut ſatisfiat prout honeſtè fieri poterit; bis, quibus miniſtratur integrè, & perfectè: ſic enim acquirent gratiam apud Deum, & homines, ſi hæc fecerint ob amorem, & laudem puram Dei. *Op. ſpecul. Diſcipl. p.1. c.21.*

32. *Deo homo appropinquat deſcendendo: ſe elongat aſcendendo.*

Quanto maior es humilia te in omnibus. Nota, quod hic movetur quæſtio difficillima; nempe, cur cum Deus ſit altiſſimus, & ſuper omnia ſublimiſſimus, non ei approximamus, aſcendendo, ſed potius deſcendendo? ideoque hic dicitur: quantò major es, qui in altiori ſtatu vivis, eo te dejicere, & deſcendere magis debes, ſi vis invenire Deum, ejuſque gratiam? ſicut enim cælum cum ſit altiſſimum ei magis approximamus, quo in altiores montes aſcendimus? ſic & volentes ad res altas. v.g ad ſummitatem Turris accedere, ſcalas nobis facimus, ut ibi aſcendamus: ergo videtur, quod ad Deum altiſſimum inveniendum, magis deberemus aſcendere, quàm deſcendere? & tamen verum eſt, quod quanto te plus elevas, tanto plus à Deo diſtas? ſed reſpondetur quod in creatis hoc verificatur; ſcilicet, quia infra cœli circumferentiam adæquatè non ſunt concluſa, ideo ad invicem ſunt diſtantia, quia finita, & ob id dum partes medias pertranſimus, ipſis magis appropinquamur: non ſic reſpectu Dei, qui eſt immenſus, & infinitus, & nullo loco concluſus, ſed ubique totus; & ideo ab ipſo non diſtamus, nec ei localiter per nos poſſumus vel approximare, vel elongari, ſed ipſius eſt ad nos inclinare, & ibi ad ſe nos levare: & quia humilitas nos perfectè Deo ſubjicit, Deum ad nos inclinat, & gratia ejus nos exaltat. Cum ergo per noſtram magnitudinem non poſſimus Deo approximare, ſed ſola humilitate, hinc ſapiens nos invitat ad humilitatem amplexandam, ut Deo poſſimus appropinquari, ut per ejus gratiam poſſimus exaltari & ipſius effectibus mirabilibus perfrui. *Ser. 3. de uno Confeſſ. ſer. 4. Dom. 10. Pent.*

33. *Humilitatis conditiones, & fructus expenduntur.*

Quanto major es, humilia te in omnibus, & invenies gratiam coram Domino. Hic ſapiens nos ad humilitatem invitat, & affert motivum inducens valde efficax: dicit autem humilia te; & quomodo humilia te, ait, in omnibus, ſcilicet corde, ore, opere: corde per veram contritionem, ore per veram peccatorum confeſſionem, & opere per veram ſatisfactionem: addit: & gratiam invenies coram Domino: ideſt invenies gratiam te exaltantem, & ad Deum elevantem; & ſic invenies, & poſſidebis Deum tuum. Hæcque eſt gratia, quæ ſola reſpicit, & cognoſcit humilia ſola dignificat, & extollit ad ſublimia. *Ser. 3. de uno Confeſſ. & ſer. de S. Martin. & op. de perfec. vita c.2.*

34. *In ſchala Chriſti minimus eſt maximus, & maximus eſt minimus.*

Quanto maior es humilia te in omnibus. Cur hoc præcipit Spiritus ſanctus? quia cum omnia bona à Deo accipimus, ideo humilitas ſuo originali principio ea attribuit, & reducit in ſuum originale principium; & hinc ſequitur, quod alia dona meretur; & ideo ſubdit: quoniam magna potentia Dei ſolius, quia ipſe per ſe ſolus eſt magnus. E contra, non recognoſcens ipſa à Deo, ſed ſuperbiens contra Deum, infideliſſimus, & ingratiſſimus eſt; ſicque exaltatus per Deum, contra Deum erigitur. *Ser. 2. & 18. Hexam. op. de gradib. virtut. c.3. & ſpecul. Diſcipl. p.1. c.6. in Luc. c.3. v.16. c.5. v.2. c.9. v.48. cap.21. verſ.26.*

35. *Humilitas eſt radix, & fundamentum totius fabricæ ſpiritualis.*

Quanto major es, humilia te in omnibus. Cur vult, ut qui major eſt humiliet ſe, & ad ima deſcendat? quia volens ædificium ſpirituale in altum extollere, debet profunda fundamenta jacere: humilitas enim eſt fundamentum, & ad modum radicis ſemper ad ima deſcendentis; & ideo quanto arbor fuerit procerior, tanto radix ipſa debet eſſe profundior: alioquin citius à vento inflationis ſubverteretur, ſi non magna, & profunda humilitatis radice firmetur; ſic & erit ædificium ſpirituale. *Op. ſpecul. B. Virgin. lect. 17.*

36. *Mariæ humilitas expenditur, & fructus ejus.*

Quanto major es, te humilia in omnibus, & invenies gratiam coram &c. Quis unquam major fuit B. Virgine? certe nullus homo, vel Angelus: ergo etiam ſuper omnes humillima fuit; & quia ſuper omnes humillima fuit, ideo invenit ſuper omnes gratiam apud Deum: qui ergo cum Maria, & per Mariam vult invenire gratiam apud Deum humiliet ſe cum ipſa per veram humilitatem. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 5. & 17. de perfect. vita c.2. in Luc. 1. v.50.*

37. *Deus à ſolis humilibus honoratur; ſicut fecit Maria Virgo, quoniam magna potentia Dei ſolius, & ab humilibus honoratur.* Cur à ſolis humilibus, & non etiam ab aliis? quia ſoli humiles ſunt qui verè Deo appropinquant, & ad ſe ipſum Deus eos trahit, & exaltat: igitur qui gigantea magnitudine elati ſunt, nec ſe inclinare volunt ſub Deo, non honorant Deum, ſed inhonorant, & deſpiciunt *Ser. 4. Dom. 10. Pentec. ſer. 2. Dom. 11. Pentec. in Luc. c.7. v.9. & c.8. v.40. c.12. v.31. & c.14. v.11.*

38. *Qualis ſcientia eſt quærenda ad ſalutem, & qualis rejicienda.*

Altiora te ne quæſieris, &c. Ergo homo non debet quærere ſcientiam de Deo, quæ eſt altiſſima, & ſublimiſſima? ſed attende, quod hic ſuadet nos evitare perſcrutationem ob curioſitatem rerum altiſſimarum de Deo, ſed tantum ad utilitatem: ſed quænam ſunt iſta? Nota, quod ſubdit ſapiens: majora te ne quæſieris;ſed quæ præcepit tibi Deus, cogita illa ſemper: cogitatum habe in præceptis altiſſimi, & in mandatis aſſiduus eſto, & concupiſcentia ſapientiæ dabitur tibi: ergo ante omnia ſi volumus eſſe ſapientes, debemus attendere diligenter ad mandatorum Dei acquirendam cognitionem, ut ipſa obſervemus, & rejicere à nobis ea, quæ pariunt curioſitatem: nam utilia nos dirigunt ad ſalutem, & curioſa diſtrahunt. *l.1.qu.2.in procem. ſer.1.de S.Gregorio ſer.7.Hexam ſer.5.in op.de dec. pracep.op. Eccleſ. Hier.p.4. c.4.in Luc.c.10. v.26. & c.12.v.41.& 55. Pſal.118. c.3. v.5.c.9. v.9.in Ecclen.c.1.& 7.ſap.c.9.*

39. *Vanitates ſectantes in qualia mala incidant.*

Multos ſupplantavit ſuſpicio, & in vanitate detinuit ſenſus illorum. Nota, quod hic carpuntur ſectantes vanitates: iſti enim ſubjecti ſunt ſupplantationi, deceptionibuſque, & præſumptioni: nam vanitatem pro vanitate ſuſpicantur, & amplexantur; ſicque & ſenſus, ſcilicet mens,& anima ſeducitur, & in varios errores excidit. *Pſal.118.c.3.v.5.*

40. *Obduratio non à Deo, ſed à multiplicatione peccatorum advenit: & per contritionem tollitur.*

Cor durum male habebit in noviſſimo, & qui amat periculum, in illo peribit. Quodnam eſt cor durum? quomodo fit durum? durum fit non ex Deo, ſed à nobis, ſcilicet per multiplicationem peccatorum: ob id difficilis redditur converſio, ſed quomodo aufertur? aufertur per contritionem, quæ conterit, & molle redditur ad pœnitentiam. *l.4.d.17.a.1.q.1. in Luc.c.3.v.19.c.7. v.37.& c.10.v.12.*

41. *Aurium uſus in juſtis qualis, & qualis aurium impiorum.*

Auris bona audiet cum omni concupiſcentia ſapientiam. Hic ſapiens dat intelligere quinam ſit uſus aurium juſtorum, & ex conſequenti impiorum: nam auris bona, eſt, quæ non eſt ſurda, ut audiat, non eſt ſuperba, ut audita contemnat, non eſt oblivioſa, ut audita non teneat: item auris bona eſt, quæ libenter audit verba caſta, vera, dulcia, & divinis benedictionibus plena, & verba divina; unde libenter audit prædicationem verbi Dei, & fugit mundi rumores. E contra auris mala eſt, quæ libenter audit verba vana, verba laſciva, maledicta, & mundana; ergo qui vult acquirere ſapientiam, aptet aures ad audiendum verbum Dei; & ea, quæ reſpiciunt obſervantiam mandatorum Dei, abſque curioſitate. *Ser.1.de S.Gregor.Ioan.c.8.v.46.*

42. *Doctrina, & ſapientia Chriſtiana ſtudium quàm fructuoſum.*

Sapiens cor, & intelligibile abſtinet ſe à peccatis. Quodnam eſt cor ſapiens, & intelligibile? Hoc eſt, quod ſtudet, & recipit ſapientiam, & doctrinam Chriſti. Felix igitur eſt tale cor; nam per talem doctrinam diſcit evitare peccata, & per conſequens, gratiam Dei conciliat. *Ecclen. c.3.*

43. *Eleemoſina quàm efficax contra peccata.*

Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemoſyna reſiſtit peccatis. Nota hanc comparationem inter aquam ignem extinguentem, & eleemoſynam peccatis reſiſtentem. Per hoc dictum dat ſapiens intelligere, quod ſicut aqua ignem ſerpentem omnia longe, lateque vaſtantem facit ſiſtere, & extinguit, ſic eleemoſyna, favorem divinum impetrat, reſiſtit peccatis, ita quod præterita peccata facit deponere, & futura cavere: & ratio eſt, quia miſericordia compatiens miſeris, eſt ignis cor accendens, ipſum mollificans, & rubiginem ab ipſo auferens: ortum enim trahit ab amore Dei, qui eſt ignis cæleſtis. *Ser.1. de S. S. Apoſ. Philip.& Iacob.l.4.d.15.q.6.in Luc.c.11. v.31.& c.12.v.49.*

Additque textus: *& Deus proſpector eſt ejus, qui reddit gratiam, meminit ejus inpoſterum, & in tempore caſus ſui inveniet firmamentum.* q. d. quod Deus attente proſpicit eleemoſynario, & oculos ſuæ miſericordiæ in ipſum fixos habet pro tempore hujus vitæ; & in morte inveniet Chriſtum firmamentum nobile ipſum continens, & præmians in vitam æternam. *Op.Eccleſ. Hier.p.4. c.6.*

CAP. IV.

44. *Eleemoſyna pauperibus danda, multis ſuadetur rationibus.*

F*ILI eleemoſynam pauperi ne defraudes.* Notanda ſunt diligenter iſta verba à divitibus, quibus multis rationibus, & monitis ſuadetur eleemoſyna, tum ex obligatione, quam habent dandi ſuperflua pauperibus, tum ad obedientiam Deo præſtandam, tum ex multiplici fructu ipſius eleemoſynæ: tum ex flagellis, quæ Deus immittit crudelibus, negantibus eleemoſynam indigentibus: & ideò eleemoſinarii aſſimilantur Angelis; quia ſtatim quando pauperis indigentiam percipiunt, manum adjutricem porrigunt, & modò occultè, modo manifeſtè ad ſubveniendum pauperibus ſe exponunt. Notandum autem ex his verbis, quod qui dat eleemoſynam, debet habere modum pium immunem à ſuperbia, modum gratum, oſtendendo vultum hylarem, dulce verbum, & promptam manum. *Op. Eccleſ. Hier.p.3.c.3. Diat.tit.2.c.7.in Luc.c.16.v.6.& 21. c.19.v.8.c.8.v.41. l.4.d.15.p.2.dub.7. Ecclen.c.11.*

45. *Confeſſario ut medico, detegenda ſunt vulnera.*

Preſbitero humilia animam tuam. Cur preſbitero potius, & non Deo? quia Chriſtus poſuit preſbiteros, ut ſuos medicos ad ſananda vulnera ſpiritualia animæ: qui igitur vult ſanari à vulnere peccatorum, ſe humiliet detegendo vulnera ſacerdoti: ſic enim ſanitatem recipiet: qui vero ipſa teget, morietur. *Ser. 3. de uno Confeſſ. & Pſal. 118. c. 5. v. 11.*

46. *Per eleemoſynam, & charitatem homo ſolvit, & reddit ſua debita Deo.*

Declina pauperi aurem ſine triſtitia, & redde debitum tuum. Quodnam debitum eſt hoc, quod vult ſapiens, ut ſolvamus, declinando, ſeu aurem porrigendo pauperi? ergo audiendo pauperem clamantem ſolùm, ſolvitur debitum? ſed attende, quod dicit: ſolve debitum tuum; quia debitum divitis eſt, non ſolùm audire, ſed & ſubvenire pauperi poſito in neceſſitate: quòd debitum eſt charitatis exercitium, quòd in proximum expendimus, & per quod ſolvimus debita, quæ habemus cum Deo pro peccatis noſtris in hac vitâ, & etiam in alia. *Ser. 1. Dom. 21. Pent op. Confeſſ. c. 4 p. 1.*

47. *Superiores tenentur defendere pauperes ab oppreſſionibus potentium*

Libera eum, qui injuriam patitur de manu ſuperbi, & non acidè feras in animâ tuâ. Audiant hoc Prælati, tenentur enim ex officio defendere pauperes oppreſſos à potentibus, & in hoc non acidè, & deſidioſè ſe gerere debent, ſed fortiter, & conſtanter. *in Luc. c. 18. v. 3.*

48. *Qualem miſericordiam pauperi, & proximo reddes, talem à Deo recipies: hocque præcipuè in judicibus verificatur.*

In judicando eſto pupillis miſericors, ut pater, & pro viro Mater illorum; & eris tu velut filius Altiſſimi obediens; & miſerebitur tui magis quam Pater. Attendant Prælati, & judices ad hæc verba Spiritus ſancti, ſi cupiunt ſecundum regulas divinæ legis judicare, & retributionem à Deo recipere: & quia circa ſuum munus poſſunt conſiderari actus judicandi, condemnandi, dimittendi, & donandi, quorum, primi ſunt æquitatis, ſecundi ſeveritatis, tertii pietatis, quarti liberalitatis, exigit Deus, ut non ſolum Potentes donent liberaliter, & pietatem exerceant in pauperes. ſed etiam in actibus ſeveritatis, & in judicando, vult ut miſceatur miſericordia, quia ſecundum proportionem ipſius, ipſe miſericordiam impertiet, & concedet: & ideo judicium ſine miſericordiâ fiet illi, qui non fecit miſericordiam: & è contra: judicium cum miſericordiâ fiet illi, qui fecit miſericordiam. *in Luc. c. 6. v. 37.*

49. *Subditi fideliter Prælatis obedientes Deo chariſſimi veluti filii.*

Eris tu velut filius altiſſimi obediens; & miſerebitur tui magis quàm Mater. Audiant hæc dulciſſima verba Spiritus ſancti ſubditi, & attendant quàm Deo ſit chara obedientia fidelis, & reverentialis exhibita ſuis ipſorum Prælatis; nam Deus promittit ipſis maximam pietatem, & miſericordiam, & majorem, quam unquam à chariſſima Matre poſſent expectare. *Op. Eccleſ. Hier. p. 3. c. 1.*

50. *Chriſtus ſapientia Patris filiis ſuis vitam confert.*

Sapientia vitam filiis ſuis inſpirat. Nota, quod hic loquitur de Chriſto, qui ſuis filiis, ſcilicet ſanctis inſpirat vitam, & hoc regenerando eos per ſe ipſum, & per Spiritum ſanctum juſtificando. *in Luc. c. 7. v. 34.*

51. *Maria Virgo vitam confert ipſam diligentibus.*

Sapientia vitam filiis ſuis inſpirat, & recipit inquirentes ſe, & præibit in die juſtitia; & qui illam diligit, diligit vitam; & qui vigilaverint ad illam complectentur placorem ejus. Hic ad litteram dat intelligere, quod ſapientia eſt vita intelligentiæ; informat enim mentem ſuâ vitali formâ: ſed myſticè loquitur de Maria Virgine: quæ ſicut cœlum ſua virtute, & influentiâ mortua, & inveterata reviviſcere facit, & renaſci, & ſine ipſius influentiâ nihil poteſt vivere: ſic Maria Virgo radios ſuæ miſericordiæ transfundit ad vivificationem peccatorum, & ad conſervationem electorum, corda arida irrigat, & virtutes germinare facit: feſtinemus igitur ad Mariam, ipſam diligamus, ſerviamus Mariæ quia qui hæc faciet vitam gratiæ, & gloriæ acquiret. *Op. Eccleſ. Hier. p. 4. c. 7. Pſal. 118. c. 5. v. 15. ſap. c. 7.*

52. *Tentationis tempus pretioſum eſt, & diligenter cuſtodiendum.*

Fili conſerva tempus, & devita à malo. Quodnam eſt hoc tempus conſervandum? tempus ſcilicet tentationis diabolicæ: hoc enim eſt à Deo determinatum; & quia ſolùm poteſt tentare dæmon permiſſus à Deo, ideo quando id permittit, debet tale tempus tanquam pretioſiſſimum conſervari, & obſervari, ne in mala incidat homo, & ut in bonum proficiat. *in Luc. cap. 4. v. 13.*

53. *Tempus malè expendere quàm malum.*

Fili conſerva tempus, & devita à malo. Hoc monet ſapiens nos, ne tempus malè expendamus: & meritò, quia nihil tempore pretioſius: ſicut enim capillus non peribit de capite, ſic nec momentum peribit de tempore, quin oporteat reddere rationem: rationalis enim creatura facta eſt ut operetur, & per hoc finem ſuum conſequatur. *Op. de 7. itin. æterni itin. 7. d. 2.*

54. Tem

54. *Temporis opportunitas in vocatione divina obſervanda diligenter*

Fili conſerva tempus,&c. Legit Græcus: obſerva tempus: ſed cur præcipit, ut obſervemus tempus cum alibi vetet Deus talem obſervationem temporis? *Galat.* 4. 10. ſed attende, quod prætendit Deus,ut obſervemus non dies, vel annos curioſè; ut futura præcognoſcere poſſimus, ſed temporis opportunitatem quærendi, & inveniendi Deum: non enim expectare debemus tempus mortis, ſed dum vivimus. *Serm. 6. in rogat.*

55 *In confeſſione peccatorum veritas, integritas ſervanda, & quàm utilis ſit erubeſcentia.*

Pro animâ tua ne confundaris dicere verum. In iſtis verbis & ſequentibus ſuadet Spiritus ſanctus confeſſionem peccatorum; monetque mendacium fugiendum, veritatemque, & fidelitatem ſervandam, ſuadetque verecundiam, & erubeſcentiam æſtimandam, tanquam medium valde Deo placens, & conferens ad remiſſionem peccatorum. *Ser.2.in rogat.l.4.d.17.p.2.a.1. qu.3.op.Confeſſionale c.1. p.5. Pſal.118.c.1. v.7. & c.4.v.11.*

56. *Ad bellum invitatur anima pro juſtitia ſervanda.*

Pro iuſtitiâ agonizare pro animâ tuâ; & uſque ad mortem certa pro iuſtitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos. Ecce quid à nobis exigit Deus, nempe ut aſſumamus bellum contra carnem, ipſamque tamquam domeſticum hoſtem domemus,eam ſubjiciendo ſpiritui: & hoc eſt pro juſtitia ſervanda agonizare pro anima: hoc enim melius eſt morte vitam finire, quàm juſtitiam deſerere; quia qui ſic certat in via,in morte habebit Deum expugnatorem hoſtium,& remunerationem. *Ser.3.de uno S. Mart. & ſer.1. Dom. 10. Pentec.ſer.18.Hexam.*

57. *Prælatorum conſtantia quàm fructuoſa: Puſillanimitas quam noxia.*

Pro juſtitia agonizare, &c. Nota, quod hæc verba diriguntur Prælatis, quorum munus eſt virtuoſè defendere juſtitiam ſtrenuè, & fortiter abſque timore; pro ipſa cuſtodienda pugnare: & è contra puſillanimitatem cavere, & à ſe elongare: eſt enim valde pernicioſum vitium hoc tam Prælatis, quàm ſubditis. *Op. de Eccleſ. Hier.p.2.c.1.*

58. *Carpuntur qui multa verba habent, & ſæpe litigioſa; magnaque promittunt, pauca faciunt.*

Noli eſſe citatus in lingua tua, & inutilis, & remiſſus in operibus tuis. Quaſi dicat: noli eſſe ſimili eis,qui multa promittunt, & pauca obſervant, qui multa verba habent, ſed pauca, vel nulla opera faciunt: ſunt enim ſimiles arbori ficus apud Lucam,quæ multa folia habebat, ſed nullum fructum. *In Luc. c.9. v.57. c.13. v.9. & c.16.v.24.*

59. *Prælati vel in medio conſiſtant inter miſericordiam, & ſeveritatem, vel magis ad pietatem,quàm ad ſeveritatem,exemplo Chriſti propendeant.*

Noli eſſe quaſi Leo in domo tua, ſubvertens domeſticos tuos. Hæc verba diriguntur ad Prælatos, & Patres familias monens eos ſpiritus ſanctus, ut curent medium ſervare inter benignitatem, & ſeveritatem; ſed quia id ſemper non poteſt teneri, docet,ut ad benignitatis partem magis inclinent, quàm ad ſeveritatem, eo quod per ipſam magis redduntur amabiles, & ob quam eis libentius ſubditi obtemperant, & audacius ad eos recurrunt, in quibus indigent, & alacrius imitantur; cum ipſa poteſtatis auctoritas faciat eos ſatis timendos ſubditis; & ſi huic poteſtati jungatur auſteritatis ſeveritas pavidis ſit mentibus oneroſa, & tali modo regendi exemplum ſectabuntur ſummi principis paſtorum Ieſu Chriſti, qui ſemper magis ſe amabilem, & benignum, quàm ſeverum oſtendit: unde dicit: noli eſſe ſicut Leo in domo tua; ideſt ne ſævitiam Leonum imiteris, nec eos, qui ſunt in domo tua, & tibi parent,clamoribus obtundas, & minis graviſſimis territes, impetiis duriſſimis exerceas,iràque tuâ, & impatientiâ graves: dicit autem in domo tua, contra eos qui foris humanitatem ſimulant,domi verò omnia conturbant, evertentes tanquam inſani domeſticos ſuos. *op. de ſex alis Seraph. cap.7. & alii ſacri expoſitores communiter.*

60. *Manum ſuam aperiens pauperi, Dei manum apertam inveniet in morte: claudens eam, clauſam manum Dei inveniet.*

Non ſit porrecta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta. Cur hoc? quidnam mali ex hoc accidit? quia qui manus clauſas nunc habet ad benefaciendum, & ad eleemoſynam faciendam, vel dandam pauperibus; apertas autem habet ad accipiendum; in morte manus Dei clauſas inveniet ad remunerandum: & è contra, qui nunc manus haber apertas, & promptas, ad dandum, manus Dei apertas inveniet in morte. *Ser.1.Dom.11. Pentec. in Thren. c.4. & in Luc. c.16.v.28.*

CAPUT V.

61 *Divitiæ contemnendæ in hac vita; quia in morte ad nihilum proſunt.*

NOLI attendere ad poſſeſſiones iniquas, & nè dixeris, eſt mihi ſufficiens vita; nihil enim proderit in tempore vindictæ, & obductionis. Vide hîc quomodo Spiritus ſanctus intendit abſtrahere homines à cupiditate, & amore inordinato divitiarum, quas meritò appellat iniquas, quia decipiunt eas deſiderantes: ſunt enim veluti ſomniunt: unde ſicut illi qui dum dormiunt, ſomniando, divites ſe eſſe credunt, ſed dum evigilant, vacuos ſe inveniunt

niunt; ſic divites, dum multa ſe congregaſſe credunt, adveniente morte, nihil ſe habere inveniunt, niſi peccata, quæ propter divitias commiſerunt: quid igitur proſunt divitiæ? non enim liberant hominem à morte, non defendunt a verme, non eripiunt à fœtore. *Ser. 2. de Invent. S.Crucis.*

62. *Qui lætatur in juventute, in ſenectute dolebit.*

Ne ſequaris in fortitudine tua concupiſcentiam cordis tui: Deus enim vindicans vindicabit. Quid eſt ſequi in fortitudine? in fortitudine, ſcilicet in juventute: & per hoc dat intelligere, quod qui lætatur in juventute, ſequens concupiſcentias proprias, dolebit in ſenectute. *Ecclen. c.11.in Luc.c.5.v.27.* Et hinc ſubdit, altiſſimus enim eſt patiens redditor: nempe quia licet patienter ſuſtineat peccatores, tamen in fine pœnam debitam reddit. *l.2.d.36.a.2.qu.1.ad primum.*

63. *De remiſſione peccatorum non præſumendum; ſed ſemper cum metu vivendum.*

De propitiato peccato noli eſſe ſine metu; neque adjicias peccatum ſuper peccatum. Cur præcipit ſacer textus, ut timeat homo de propitiatione, & remiſſione recepta à Deo pro peccatis ſuis? poteſtne in divina promiſſione hæſitari, cum Deus non judicet bis in idipſum? ſed attende, quod meritò ſuadet nos ad metum, & timorem etiam poſt pœnitentiam peractam; quia neſcimus ſi vera fuerit iſta converſio, ſi fuerit Deo accepta; quia divino tantùm penſatur judicio, non humano; ideo non debemus ſtultè præſumere, neque propter Dei magnam miſericordiam, noſtram pœnitentiam negligere. *Ser. 2. Dom.10. Pentec.l.4.d.16.p.1.a.3.qu.2. Ecclen.c.9.* Addit autem aliam particulam: neque adjicias peccatum ſuper peccatum: quia perfecta pœnitentia exigit emendationem vitæ anteactæ. *Ioan. c.8. v.11.* Nota tamen quod S. Doctor ſuprad.cta verba poſuit ſecundum codices antiquos, dicens de propitiatu peccatorum; & quia minus latinè videtur hoc poſitum, codex emendatiſſimus noſtræ vulgatæ tranſtulit idem verbum, dicens: de propitiato peccato.

64. *Differre pœnitentiam de die in diem, quàm periculoſum.*

Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem: ſubito enim veniet ira illius; & in tempore vindictæ diſperdet te. Notent hoc conſilium Spiritus ſancti peccatores pœnitentiam differentes; & attendant quale periculum ſubeunt in tali dilatione: Non tardes, ait textus, converti ad Dominum, & ne differas de die in diem: quid eſt differre de die in diem? differunt de die in diem, qui unum certum diem non habent; qui vocem corvinam cras, cras proferunt: iſtis enim quando minus ſperant, tunc clauditur oſtium, & ſupervenit eis ira divina, eos condemnans. *Ser.5.in die ciner.& ſer.6.in die Paſchæ.*

65. *Spiritus Dei repentinus ſollicitè obedientibus eſt ad ſalutem: differentibus pœnitentiam ad damnationem.*

Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas &c. ſubito enim venit ira illius &c. Quaſi dicat: cave ne differas de die in diem, ſed ad primam vocationem Dei obtempera, & amplectere pœnitentiam, quia neſcit tarda molimina Spiritus ſancti gratia; ſic enim repentinus ſpiritus Dei in te deſcendet ad ſalutem: & è converſo, ſi differas pœnitentiam, repentinus ſpiritus iræ divinæ ſuper te deſcendet ad damnationem. *Ser.5.in Pentec.ſer.1. Dom.23. Pentec.op. Comp. Theol.l.6. c.21.in Luc.c.1.v.39.Ecclen.c.8.*

66. *Divitiæ malè acquiſitæ non ſolùm non proſunt; ſed in mare tempeſtuoſum, & procellis plenum collocant acquirentem, & tandem extremum excidium pariunt:* Sic dicitur hic: noli eſſe anxius in divitiis injuſtis, non enim proderunt in die obductionis, & vindictæ. *Luc. c. 6. v. 19. in ſap. c.15.*

67. *Perſeverantia, & progreſſus de virtute in virtutem neceſſarius in via Dei.*

Eſto firmus in via Domini, & in veritate ſenſus tui, & ſcientia, & proſequatur te verbum pacis, & juſtitiæ. In his verbis proponit ſacer textus rem ſcitu neceſſariam, & frequenter ruminandam: nempe neceſſitatem, quam habent ſervi Dei perſeverandi conſtanter in Dei obſequio: parum enim valet hominem fuiſſe Chriſtianum, religioſum humilem, devotum, & continentem, ornatumque cæteris virtutibus, niſi adſit perſeverantia; cum enim omnes virtutes currant, ſola perſeverantia accipit bravium pacis, juſtitiæ, & gloriæ æternæ. *Op.de perfect.vitæ c.8.* Ad religioſos igitur principaliter diriguntur iſta verba: eſto firmus in via Domini; quaſi dicat: neminem audiamus, non ſanguinem, non ſpiritum quemlibet deſcenſum à cruce ſuadentem; perſiſtamus conſtanter, & perſeveranter in cruce, moriamur in cruce, deponamur aliorum manibus, non noſtris; ut poſſimus cum Chriſto dicere verè in fine vitæ: conſummatum eſt: ſcilicet regulam quam vovi, obſervavi, obedientiam, pœnitentiam, præcepta Dei, totum curſum conſummavi. *Ser.2.Dom.in oct.Paſchæ.*

68. *Detractio, & ſuſurratio quàm mala, exitioſa, & Deo exoſa.*

Non appelleris ſuſurro, & linguâ tuâ ne capiaris, & confundaris: ſuper furem enim eſt confuſio, & pœnitentia, & denotatio peſſima ſuper bilinguem: ſuſurratori autem odium, & inimicitia, & contumelia. Nota hic, quod nomine ſuſurrationis venit detractio, quæ eſt denigratio famæ proximi; & in tali denigratione tollitur amicitia, & rixa ſeminatur: dicitur ſuſurratio; quàm autem ſit peſſimum hoc vitium, & Deo exoſum patet ex his verbis ſapientis: nam illi qui per fraudulentiam, & dolum alios infamant, & damnificant, Deo odibiles ſunt, & maledicti, & apud homines vituperabiles, & infames; hoſque Deus juſto ſuo judicio facit incidere in laqueos, quos aliis paraverunt. *Ser.4.Dom.21. Pent.ſer.1. in oct.Paſchæ & op.Pharet.l.3.c.3.* Dicitur autem quod

quod ſuſurratori advenit odium, ſcilicet Dei, & Angelorum, inimicitia, ſcilicet hominum; & contumelia, infamia apud Deum, & homines.

CAP. VI.

69. *Quam turpe eſt detrahere proximo: & cum detractore fieri detractor; ut detractori ipſi placeat.*

NOLI *fieri pro amico inimicus: improperium enim & contumeliam malus hereditabit.* Quis eſt, qui pro amico fit proximo inimicus? Hic eſt, qui audiens aliquem laudantem proximum, ipſi ſe opponit detrahendo; vel qui audiens aliquem detrahentem proximo, ne cum ipſo detractore amicitiam perdat, fovet, adjuvat, & amplificat eandem detractionem: ob id ſanum conſilium eſt, maximè religioſis, ut in ſancta familiaritate ſervetur modeſta quædam ſeveritas, & juſtitiæ rectitudo, ut nullatenus vitium foveatur, nec pro amico proximus offendatur. *Op. ſpecul. Diſcipl. p. 2. c. 6.*

70. *Omnis peccator quomodò dicitur invidus.*

Omnis peccator invidus eſt. Quomodò hoc verum eſt? nonne committuntur alia peccata præter invidiam? ſed attende quomodò omnis peccator convenientiam habet cum invido, & è converſo: nam invidus eſt omnis boni adverſarius, & corporalis, & moralis, & intellectualis: quia execratur & in ſe, & in proximo omne bonum; ſic & omnis peccator. *Pſalm. 118. ca. 6. verſ. 15.*

71. *Superbia à Deo deprimitur, humilitas exaltatur.*

Non te extollas in cogitatione animæ tuæ, velut taurus, ne forte elidatur virtus tua per ſtultitiam, & folia tua comedat, & fructus tuos perdat, & relinquaris velut ſignum aridum in eremo. Nota, quòd in iſtis verbis ſapiens monet ut caveamus à cogitationibus vanis, ne ſuperbia in corde nidum faciat, & ad extra prorumpat: admonetque periculum ſuperborum, contra quos Deus inſurgit ipſos deprimens, & ad nihilum redigens veluti ſtultos: quantò enim magis quis ſe exaltat, tantò magis à Deo dejicitur: & è contra quantò quis ſe humiliat, multo magis exaltatur: advertit autem, quod ſuperbia eſt veluti ventus vrens, omnia bona exſiccans. *In Ecclen. procem. in Luc. c. 9. v. 46. c. 14. v. 8. & v. 11.*

72. *Ex qualitate verborum cognoſcitur qualitas cordis, & animæ.*

Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos; lingua eucharis, ideſt gratioſa, in bono homine abundat. Ecce quàm verum eſt, quod Chriſtus dixit *Luc. c. 6. ex abundantia cordis os loquitur:* daturque intelligi, quòd ex qualitate verborum ex ore procedentium dignoſcitur qualitas cordis; & ob id dicit, quòd lingua gratioſa in bono homine abundat; ſcilicet ex abundantia cordis boni dignoſcitur. *in Luc. cap. 6. verſ. 45.*

73. *Injurias tolerare, & verba dulcia proferre medium efficax ad emolliendum inimicos.*

Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos. Quam vera ſit hæc ſententia Patet continuâ experientiâ: habet enim neſcio quid latentis virtutis vox dulcis, & humilis, ita ut iratorum impetus frangat & ad manſuetudinem ducat. Audiant hæc religioſi, ut ſive fratri, ſive extraneo, ſive magno, ſive parvo loquantur, ſemper in ore verbi dulcedinem habeant, omnem ad omnes manſuetudinem oſtendentes, & nunquam prætextu ſuæ conſtantiæ, vel religionis cum communitatis injuria in verba contumelioſa prorumpant. *Op. ſpec. ad Novit. p. 1. c. 20. ſer. 5. de uno Confeſ. in Ecclen. c. 1. & ſer. 4. Dom. 8. Pent.*

74. *Conſilium ab aliis, præcipue à Deo in oratione petendum; nec de ſe præſumendum.*

Multi pacifici ſint tibi, & conſiliarius ſit tibi unus de mille. Spiritus ſanctus ſuadet nos habere pacem, & amicitiam cum multis, ſed non tamen ab ipſis omnibus conſilium petendum; quia hoc à paucis, & prudentibus, & probatis requirendum: qui enim de ſe præſumens in rebus gravibus operatur, proprio innixus cerebro, & ſuæ ſententiæ defixus, incidit in diviſiones, vanitates, & alia mala: qui autem conſiliis prudentum innixus operatur, ambulat ſecurè: & hoc præcipuè dicitur in ordine ad Deum, à quo in oratione conſilia, & directiones quærenda ſunt. *In Luc. c. 8. v. 51. op. de dono Conſil. c. 3. & l. 3. d. 35. qu. 4. op. Diat. tit. 6. c. 2.*

75. *Verus amicus eſt qui amicum non deſerit in tribulatione: ubi de amicis Chriſti.*

Si poſſides amicum, in tentatione poſſide eum; & ne facile credas ei. Nota, quod ſapiens nos monet, quod non facile credamus illi, qui ſe amicum noſtrum jactat, niſi prius illum in adverſitatibus probemus: ille enim eſt verè amicus, qui in adverſis non deſerit, ſed conſtanter ſervat amicitiam: nam qui ſolùm eſt amicus in proſperis, dicitur amicus ad menſam, vel amicus fortunæ, non perſonæ: ſic dicebat Seneca: ego amicum quæro, cui ſerviam, pro quo mori valeam, non à quo munera ulla recipiam: amicitia enim virtus eſt, non quæſtus. Hoc idem obſervat Chriſtus, qui ſolùm amicos ſuos appellat, qui permanent ſecum in tentationibus, nec illum deſerunt. *Ser. 1. de SS. Philip. & Iacob. ſer. 1. de S. Barthol. in Luc. c. 22. v. 28. ſer. 10. de Apoſtol.*

76. *Iniqui licet videantur amici, tamen verè ſunt inimici: ideo ipſorum ſocietas eſt vitanda:* Unde hic dicitur: ab inimicis tuis ſepara te, & ab amicis tuis attende; ſcilicet ab iniquis ſepara te, quia nihil tam eſt nocivum, ſicut converſari cum pernicioſis, & ſcandaloſis. *In Luc. c. 17. v. 2.*

77. *Amici*

77. *Amici fidelis inventio quale bonum.*

Amicus fidelis protectio fortis; & qui illum invenit, invenit theſaurum: amico fideli non eſt digna ponderatio auri: Amicus fidelis medicamentum vitæ. Nota, quod ſapiens proſequitur laudes amicitiæ, intendens demonſtrare quale bonum ſit inventio fidelis amici, & quomodò ſit majus quàm inventio theſauri, & quam ſit quæcunque conſanguinitas, hoc enim vinculum eſt naturæ, ſed vinculum amicitiæ eſt voluntarium, & liberum, ideo nobilius, & ſecurius. *Ser.2.de S.Thom.ſer.*10. *de Apoſtol.op.Diat.tit.*6.*c.*6.*in Luc.c.*16.*v.*6.

78. *Chriſtus, & Angeli ſunt veri Amici noſtri.*

Amicus fidelis medicamentum vitæ, & immortalitatis; & qui metuunt Dominum, inveniunt illum. Quis eſt homo, qui poſſit dici talis amicus, & medicamentum vitæ, & immortalitatis? & ad quid exigit timorem Domini, cum amicitia poſſit ſtare ſine ipſo? ſed attende, quod talis amicus ſolùm eſt Chriſtus, qui ſanguinem ſuum fudit, ut ſuis eſſet medicamentum vitæ, & immortalitatis; & ad hoc habendum requiritur timor Dei: Amici etiam juſtorum ſunt Angeli Dei, qui adjuvant nos ad vitam ſpiritualem, & immortalitatem comparandam. *Ser.*4.*Dom.*8. *Pentec.Ioan. collat.*69.*in Luc.c.*21.*v.*6.

79. *A pueritia, & juventute doctrina Chriſti excipienda: Et qualem ſe quis in juventute gerit, talis in ſenectute perſeverat.*

Fili à juventute tua excipe doctrinam, & uſque ad canos invenies ſapientiam. Nota, quod inter ſententias, quæ ad mores pertinent in hoc capite, nulla aut utilior, aut verior hac excogitari poteſt. Veriſſimum quidem eſt, quod quis qualem ſe gerit in juventute, talis perſeverat in ſenectute; unde dicit ſapiens: fili à juventute, & à teneris annis excipe doctrinam, ſcilicet Chriſti, & verbo, & opere, ſtudioque lectionis, orationis, & ſanctæ vitæ; & uſque ad canos invenies ſapientiam; ideſt talem praxim conſervabis in ſenectute. *ſap.c.*8. Et hinc D.Ambroſius dicebat, quod rota in medio rotæ viſa ab Ezech. c.1. eſt vita juventutis, quæ eſt veluti cor reliquarum partium ætatis, quæ illis ſpiritum ſubminiſtrat: bonum igitur eſt viro cum portaverit jugum ab adoleſcentia. *In Thren.c.*3. ſubdit autem: accede ad eam, & ſuſtine bonos fructus illius; in opere enim exiguum laborabis, & cito edes de generationibus ſuis: quaſi dicat: ſtude ô juvenis lectioni, orationi, doctrinæ, & Chriſtianæ vitæ: accede ad doctrinam, & ſapientiam Chriſti; labora, ut ipſam acquiras, quia labor eſt modicus, & brevis, & delectabilis, & panis pretioſus, delicioſus, & permanens: ſicut è contrario pro vanis ſcientiis, & delitiis mundanis labor eſt magnus, & infructuoſus, & vanus. *Ioan.collat.*31. *ſap.c.*6.*in Luc.c.*2.*v.*14.

80. *Qualitas doctrinæ, & ſapientiæ Chriſtianæ expenditur: Boniſque facilis eſt, impiis ardua.*

Sapientia doctrinæ ſecundum nomen eſt ejus, & non eſt multis manifeſta; quibus autem cognita eſt, permanet uſque ad conſpectum Dei. In his verbis dat Spiritus ſanctus intelligere qualitates doctrinæ, & ſapientiæ Chriſtianæ ex etymologia nominis: dicitur enim ſapientia à ſapore, quia eſt ſapida; ſcilicet non ſolùm informat intellectum veritatibus fidei, ſed etiam inflammat voluntatem in amorem Dei: ideo rectè comparatur ſoli facienti nos cognoſcere res divinas, & melli cæleſti habenti omnem ſaporem, quia ſibi ſapiunt omnia, ut debent, ſcilicet tam mala quam bona temporalia ut vilia, & inſipida; & bona ſpiritualia ut chara: & bona æterna ut fructuoſa, & ſummè nobilia: ſed tamen multis hæc ſapientia non eſt manifeſta, ſed paucis, quia plurimis videtur hoc ſtudium arduum, & difficile, quia impii ſibi ex vitiis difficile reddunt: Juſtis vero facile eſt, & dulce. *Op.Diat.tit.*6.*c.*4.

81. *Conſilii donum Spiritus ſancti, ejuſque effectus.*

Audi fili, & accipe conſilium intellectus, & ne abjicias conſilium meum. Hæc verba à Spiritu ſancto diriguntur nobis, ut locum intra nos demus inſpirationibus ejus, & præcipuè, ut recipiamus donum conſilii, quod eſt habitus infuſus à Deo, ex quo ſecundùm conſilium Spiritus ſancti movemur ad operationes bonas à nobis fiendas, & ad amplexandum bonum, & fugiendum malum, & ad obtinendum ea, quæ conferunt ad vitam æternam, & non præcipitanter agere: dicit igitur Spiritus ſanctus: audi fili conſilium meum, quantum ad intellectum, accipe quantum ad affectum, & ne abiicias illud quantum ad effectum; ut dicas cum Pſalmiſta: mane aſtabo tibi, ſcilicet conſilia tua inquirendo, & videbo, ſcilicet veraciter intelligendo ex his, quæ tibi placita ſunt, vel diſplicent fideliter exequendo. *Op.de ſeptem donis.de dono Conſil.c.*2.*&* 4.

82. *Non ſufficit apprendere doctrinam Chriſti, ſed requiritur cooperatio ad illa, quæ docet.*

Iniice pedem tuum in compedes illius, & in torques illius collum tuum; ſubijce humerum tuum, & porta illam. & ne acedieris vinculis eius. Vide quod non ſufficit apprehendere conſilium, & doctrinam Chriſti, ſed requiritur, ut totis viſceribus, & omnibus membris, & potentiis corporis, & animæ ad ipſius regulas, mores, & facta componamus; ita ut veluti ligati vinculis ipſius ab ipſa numquam abſcedamus tamquam ſervi Chriſti: & ſimul ſubjiciamus humeros noſtros, ut in laboribus, & gravaminibus fidem oſtendamus; ſed quid eſt, quod vult Deus à nobis? vult à nobis, quod docuit, & fecit Chriſtus: humilitatem in converſatione, ſtabilitatem in fide, in verbis modeſtiam, in factis juſtitiam, in operibus miſericordiam, in moribus diſciplinam, injuriam facienti non nocere, & illatam tolerare poſſe, pacem cum omnibus tenere, crucifixo

fortiter aſſiſtere, charitati ejus inſeparabiliter adhærere. Chriſto nihil præponere: hæc ſunt, quæ vult à nobis Spiritus ſanctus: In his vinculis ne acedieris, nec te tædeat, quia vincula ſunt dulcia, & libertatem veram afferentia. *Ser. 1. in Pentec. op. de dono Conſil. c. 4.*

83. *Numquam à ſervis Dei deſiſtendum à progreſſu virtutis.*

Inveſtiga illam, & manifeſtabitur tibi, & continens factus, ne derelinquas eam. Quaſi dicat: inveſtiga illam, ſcilicet omnibus viis doctrinam practicam Chriſti ſupra traditam quære, nec ſe tibi ſubducet; & ubi ſemel eam apprehenderis, ne eam dimittas. Dat igitur Spiritus ſanctus intelligere ſervis ſuis, quod debent omnibus viis, & etiam per creaturas ad exemplum magorum inveſtigare, & quærere ſapientiam Chriſti, & continens factus, ideſt ipſa obtenta totis viribus laborare quiſque debet, & ſtudere, ne ipſam perdat. *Ser. 1. Dom. 2. poſt oct. Epiph.*

84. *Obedientia, & præceptorum Dei vincula ſi timentur ferrea ſunt; & aurea ſi amentur.*

Et erunt tibi compedes ejus in protectionem fortitudinis &c. & vincula illius alligatura ſalutis. Quomodò compedes, & vincula ligantia pedes, manus, & membra poſſunt dici vincula ſalutis, & libertatis? ſed attende, quòd hic loquitur de vinculis obedientiæ, & præceptorum Dei; hæc enim hominem impediunt, & maximè pedem, ne eat quo vult, vel faciat, quod vult; ſcilicet prohibendo, & comminando, aliiſque modis ligando ſpiritum, ne liberè, ſecundum deſideria carnis, vel Mundi moveatur; ne ſcilicet eat ad luxuriam, vel ad avaritiam, vel ad alia vitia, conſtringitur quaſi quodam vinculo: quæ vincula ſunt ſalutaria, & ſalutem afferentia. Vincula hæc quamdiu timentur ferrea ſunt, ſi amentur aurea ſunt: his vinculis trahit ad ſe homines Chriſtus Jeſus; felix igitur qui ſinit ſe ipſis ligari. *Ser. 3. Dom. 3. Adv. ſer. 3. Dom. 12. op. de ſeptem itiner. ætern. itin. 4. d. 5. a. 2. & in Ioan. collat. 86.*

85. *In Chriſti ſchola exigitur in Diſcipulis cor auris, & affectus præparatus ad apprehendendam ſapientiam Chriſti.*

Fili ſi attenderis mihi, diſces, & ſi accommodaveris animum tuum, ſapiens eris, &c. Ecce quid exigit Chriſtus in cupientibus apprehendere ſuam doctrinam, nempe animum, & corpus accommodare debent, & aures præparare animæ ad excipiendam ipſius doctrinam, ex ore magiſtrorum, & Prædicatorum; quia habenti deſiderium audiendi, dabitur à Deo ſenſus intelligendi; & habenti voluntatem operandi, dabitur facultas ad operandum. *Ser. 2. de uno Doct. in Luc. c. 7. v. 40. & c. 19. v. 26. in ſap. c. 6.*

86. *Piorum hominum conſortium, & familiaritas quam utilis.*

Et ſi videris ſenſatum evigila ad illum, & gradus oſtiorum illius exterat pes tuus. Suadet hic ſapiens, ut conſortium, & familiaritatem piorum hominum quæramus; hocque præcipuè in diſcipulis, & religioſis, & juvenibus practicandum, quia ſocietas bonorum maximè utilis eſt. *In Ioan. c. 1. v. 38.*

87. *Ad ſcientiam ſanctorum acquirendam cor præparandum, & diſponendum.*

Cogitatum tuum habe in præceptis Dei, & in mandatis illius maxime aſſiduus eſto; & ipſe dabit tibi Cor, &c. Ecce ad quid prætendit Deus; ut ad ſcholam Chriſti accedamus: nempe ad ſcientiam ſanctorum acquirendam; hæc enim docet non vanitates, non curioſitates, ſed divina præcepta, in quibus eſt animæ vita; ad hanc ſcientiam invitat nos Spiritus ſanctus, ut ad ipſam dirigamus cor, inclinemus aures animæ; ſicque nobis dabit cor, ideſt ſenſum aperiet, quo facilè ſapientiam talem aſſequamur. *Serm. 1. de S. Gregorio.*

CAP. VII.

88. *Peccator peccando primò ſibi ipſi infert malum.*

NOLI facere mala, & non te apprehendent. Quomodò dicitur noli facere mala & non apprehendent te? ſi peccator malum facit ipſe malum apprehendit nec peccatum apprehendit peccatorem? ſed attende mirabiles, imo horribiles effectus peccati: quia peccatum poteſt ſumi activè, & paſſivè: ſi paſſivè ſumitur ipſum, eſt corruptio, paſſio, & privatio boni redundans in peccantem; ſi activè, habet rationem culpæ, tenens ſimul rationem pœnæ paſſivè, & hinc inſeparabiliter fert ſecum pœnam: unde primum malum, quod efficit peccator eſt contra ſe ipſum, quia à peccato apprehenditur, ipſum deformante, & puniente: fuge ergo peccatum ò homo, quia hoc ſolùm verè malum eſt; & quia ab ipſo, & ex ipſo mala omnia adveniunt. *L. 2. d. 35. a. 1. qu. 2. Pſal. 118. c. 1. v. 3. in Ioan. c. 9. v. 1. & l. 2. d. 5. a. 2. qu. 2. ad 2.*

89. *Quæ ſeminaverit homo, hæc & metet.*

Fili non ſemines mala in ſulcis injuſtitiæ, & non metes ea in ſeptuplum. Metaphora hæc eſt clariſſima, deſumpta ab agricultura, in qua quale granum ſeminatur, vel bonum, vel malum, talis eſt fructus, qui colligitur: ſic omnis homo ſeminat in hac vita vel bonum granum ſancti operis, vel malum, & zizania peccati: ſi in ſulcis injuſtitiæ, & peccati ſeminaveris, metes in ſeptuplum pœnam in gehennam. Sed cur ſeptuplum? quia licet per hunc numerum ſignificentur omnes pœnæ, tamen ſeptem principales enumerantur; ſcilicet ignis, vermis, fœtor, fumus, tenebræ, vincula, & ſitigua ex quo patet ſtultitia impiorum, qui per totam ſuam vitam ſeminant urticam, vel zizania triticum expectantes. *Ser. 2. Dom. ſexag. in Luc. c. 11. v. 26.*

90. *Ambitio*

90. *Ambitioſa honorum, & dignitatum procuratio damnatur.*

Noli quærere à Domino ducatum, neque à rege cathedram honoris. Hic ſapiens reprehendit eos, qui vana ambitione quærunt primas cathedras à Dominis, & Prælatis; & hoc ex tribus, primò quia ipſas quærunt ex ſe, non vocati à Deo, & à ſuis Prælatis: ſecundò, quia carnaliter, & à carnalibus promoventur, non intuitu Dei, ſed ſanguinis, & hinc ſubdit; neque à rege cathedram honoris: tertiò, quia quærunt per ſimulationem fictam bonitatis: unde ſubdit: non te juſtifices ante Deum, quoniam agnitor cordis ipſe eſt;& penes regem noli velle videri ſapiens; ideſt ne te juſtum ſimules, vel tuam juſtitiam laudando, vel ſimulando, ut fecit Phariſæus: tales autem indigni ſunt honore, quia honor debetur veræ virtuti, non apparenti, vel hypochriſi. *in Luc.c.14. v.9. c.20. v.46. c.18.v.12.in Ioan.c.12.v.26.*

91. *Electus ad Prælaturam ſit vir.*

Noli quærere fieri judex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates: ne forte extimeſcas faciem potentis, & ponas ſcandalum in æquitate tua. Notent hæc verba diligenter electores, & electi ad Prælaturas; dat autem ſacer textus intelligere quod in electis requiritur virilitas, & ut ſint verè viri, ſcilicet viriliter agentes: & ideo comparantur ordini cæleſtium virtutum: quia in Prælatis requiritur bonitas, & humilitas pro fundamento ſuæ ipſorum perfectionis, & pro recto regimine aliorum virilitas, & virtuoſitas angelica; ut nec benedictione, nec maledictione à rectitudine juſtitiæ moveantur; nec ab ipſa odio, timore, & amore deflectant. Debent igitur eſſe propugnatores juſtitiæ fortiſſimi, & promptiſſimi, alioquin ſcandalum graviſſimum aliis dabunt & ruinam deplorabilem invenient, in ſuo munere. *Op.Eccleſ.Hierar.p.2. c.2.in Luc.c.23.v.52.in Ecclen.c.3.*

92. *Prælatorum crimina graviora quam ſubditorum.*

Non pecces in multitudine Civitatis, nec te immittas in populum, neque alliges duplicia peccata: neque enim in uno eris immunis. Duplicem ſenſum referunt ſupradicta verba ad Prælatos directa: alius eſt ſecundum textum vulgatæ, quo advertit Spiritus ſanctus Prælatos, ut caveant diligenter à peccatis, maximè tangentibus regimen publicum, quia eorum delicta longe graviora ſunt peccatis ſubditorum; quia ſunt duplicia; ſcilicet ſibi ipſis, & ſubditis pernicioſa; & ideo de omni damno ex ſua incuria, & malitia proveniente ſtrictiſſimè reddent Deo rationem: ſecundus ſenſus eſt, ut caveant, ne ubi deſunt rationes juſtitiæ ob multitudinem, & auctoritatem malignorum, deficiant à rectitudine juſtitiæ; ut fecerunt Judæi, & Pilatus contra Chriſtum. *Luc. c.23. v.1. ſer. 4. Dom.4. poſt oct. Epiph. & ſer.4. Dom.2.quadrag.*

93. *Confidens in oblatione munerum, & ſacrificiorum, & nolens vitam emendare Deo quàm exoſus.*

Non alliges duplicia peccata &c.ne dicas,in multitudine munerum meorum reſpiciet Deus. In his verbis reprehendit ſapiens eos, qui abſque propoſito emendationis, & volentes perſiſtere in peccato, confidunt in oblatione ſuorum munerum, facta Deo, vel proximo; qui tamen valde decipiuntur: nam quia Cain obtulit Deo munera cum corde invidiâ, & malitiâ infecto, Deus ad ipſa non reſpexit, ſed ad munera Abel: & de iſtis dicitur, quod duplicia peccata committunt; nempe perſiſtendo in peccato,& irridendo Deum, confidentes in ſuis oblationibus. *in Luc.c.21.v.4. ſer.2.Dom.5.Pent.*

94. *Divites largè eleemoſynam facere ſuadentur: ubi etiam de oratione cum eleemoſyna conjuncta.*

Noli eſſe puſillanimis exorare, & facere eleemoſynam ne deſpicias. Quomodo connectuntur ſimul abſtinentia à puſillanimitate, & ſuaſio eleemoſynæ, & orationis contra puſillanimitatem? ſed transfer mentem ad illum juvenem, cui dixit Chriſtus: vade, vende, & da omnia pauperibus; qui contriſtatus eſt ob puſillanimitatem à ſua tenacitate cauſatam. Hinc ſapiens monet divites, ut caveant ab iſta tenacitate, & puſillanimitate, ſed in Deum confidentes ad orationem, & eleemoſynarum diſtributionem ſe conferant; & meritò connectit orationem cum eleemoſyna, quia oratio, & miſericordia ſunt ſociæ ſimul penetrantes Paradiſum, & evolantes ad conſpectum majeſtatis divinæ.*in Luc.c.18.v.23.& Op. Pharet. l.4.c.45.*

95. *Irriſores proximi poſiti in amaritudine Deus ſeverè punit.*

Non irrideas hominem in amaritudine animæ: eſt enim qui humiliat, & exaltat circumſpector Deus. Per quæ verba patet, quod Deus ſeverè punit irriſores proximi poſiti in amaritudine animæ propter peccata ſua, vel (ut alii DD. addunt) poſitum in ærumnis, & miſeriis. Caveant igitur iſti irriſores, & metuant Deum ultorem, qui humiliat, & exaltat, ne ipſos dejiciat in eaſdem miſerias, vel etiam majores: eſt enim Deus circumſpector,vel ut legit Tigurina, animadverſor. *Luc.c.18.v.11.*

96. *Mendacium verbi, & facti Deo exoſum.*

Noli arare mendacium adverſus fratrem tuum nec in amicum: Noli velle mentiri omne mendacium: aſſiduitas enim illius non eſt bona. Sed Quomodo aratur mendacium? nonne aratur ſolùm terra, non verbum? præterea poſtquam prohibuit mendacium in fratrem, iterum vetat omne mendacium? ergone alia mendacia committi poſſunt præterquam per verba? maximè ſed attende ad metaphoram arandi: nam in primo verſu vetatur mendacium verbale hac metapho-

rà arandi agrum ; nam linguâ veluti vomere mendacio aratur campus veritatis , qui eſt Deus, & campus mendax , qui eſt Diabolus : ille enim eſt pater veritatis, iſte pater mendacii ; & quia eſt contra veritatem Dei , ideo ipſi ſummè eſt exoſum mendacium, & veluti ſemen maledictum : ſic ſacri expoſitores ad ſenſum *Seraph. Doct.* Addit aliam particulam: noli mentiri omne mendacium, quia ultra mendacium verbale , datur mendacium facti ; quando ſcilicet quis ſe fingit actionibus exterioribus qualis non eſt apud Deum ; & hoc eſt proprium hypocritarum magiſque perniciofum ; quia factis magis alloquuntur hypocritæ , quam verbis. *In Ioan. cap.8. verſ.44.*

97. *Juvenes coram ſenioribus ſervent ſilentium.*

Noli verboſus eſſe in multitudine presbiterorum; & non iteres verbum in oratione tua. Hæc verba diriguntur ad juvenes , maximè religioſos , quorum diſciplina eſt , vel nihil loqui , vel ſi loqui eis contingat , loquantur voce remiſſa , & vultu placido : & ne ſint audaces coram ſenioribus ſuis, ſed verecundi auſcultent doctrinam eorum : ſeniorum enim eſt docere ; juvenum eſt humiliter addiſcere. *Op.de inſtitut. novit.p.1. c.30.& ſpecul. diſcipl.p.1.c.6.& 20.*

98. *Agricultura ſpiritualis per vitam activam ſuadetur animæ devotæ.*

Non oderis laborioſa opera , & ruſticationem creatam ab altiſſimo. In his verbis dat ſapiens intelligere , quod agricultura terræ à Deo ordinata eſt , ſed magis agricultura ſpiritualis animæ , qua colitur , & expurgatur à ſpinis peccatorum , & ſeminatur ſanctis operibus ; & hoc eſt proprium vitæ activæ. *In Ecclen. cap.2. ſer.1.Dom.ſexag.*

99. *Qui non vult ab alto cadere , humiliet ſe ad terram.*

Humilia valde ſpiritum tuum , quoniam vindicta carnis impii ignis , & vermis. Vult dicere ſi non vis cadere ab alto humilia te : humilitas enim neſcit caſum : quia nullus cadit , niſi ab alto ; & cum humilis ſituetur tantùm in imo, non eſt , à quo cadere poſſit locus. *Ser.4.de uno Confeſſ.*

100. *Humiliandum non ſolum coram Deo , ſed & ejus Vicario Confeſſario.*

Humilia valde ſpiritum tuum , quoniam vindicta carnis impii ignis , & vermis. Nota quod indefinitè dicit : humilia valde ſpiritum tuum : in quibuſnam rebus humiliandum , & coram quibus ? humilia te , ait , non ſolùm coram Deo , ſed etiam coram ejus Vicario presbitero, confitendo peccata tua : & ad hoc excitandum conſidera , quòd vindicta , & punitio peccati erit ignis gehennæ , qui non extinguetur , & vermis conſcientiæ , qui non morietur : valde igitur debes humiliare ſpiritum tuum per timorem coram ejus Vicario , & ejus pedibus provolutus cum dolore , & lachrymis tuà peccata confiteri , ut dolore , & amaritudine compunctionis vermem interficiat, & flumine lachrymarum ignem extinguat : ſic etiam dicitur ſupra *cap.4.* presbitero humilia animam tuam. *Serm.4. Dom.10. Pentec. ſerm.3. Dom.16.Pent.In Luc.c.9.v.23.*

101. *Verecundia eſt donum in muliere , & uxore auro pretioſius.*

Unde hic dicitur viro : noli diſcedere à muliere ſenſata , ideſt prudente , bona virtuoſaque , quam ſortitus es in timore Domini : ſcilicet quia invenire uxorem Deum timentem eſt maxima ſors à Deo proveniens : gratia enim verecundiæ illius ſuper aurum ; hoc enim eſt donum ſpeciale Dei morale. *Pſalm. 118. cap.8. verſ.15.* Uxor enim prudens cum aliis debet eſſe caſta , cum viro demiſſa , & verecunda , ait *Ugo Cardin.* ut videas , quod in ducenda uxore , ad bonos mores magis debet aſpicere homo , quam ad divitias , & pulchritudinem.

102. *Ingratitudo hominis in Chriſtum , qui ſe noſtrum ſervum effecit expenditur.*

Ne lædas ſervum in veritate operantem , neque mercenarium dantem animam ſuam. Quis eſt ſervus tam fidelis , qui animam ſuam ponit pro alio ? Hic eſt Chriſtus Jeſus , qui ſe ſervum hominis conſtituit , ſerviendo triginta tribus annis , & in tali ſervitio , dedit animam ſuam pro nobis : Vide ergo quali ingratitudine à multis tractatur , dum animam, quæ eſt Jeſu-Chriſti , rapiunt diabolo renunciantes , & non ſolùm animam propriam , ſed & aliorum ſcandalo , & malo exemplo : ait igitur ſapiens : ne lædas ſervum Jeſum Chriſtum in veritate , &c. *Serm. 3. Dom. 1. poſt oct. Paſchæ.*

103. *Prælatus invigilet ſuper cuſtodiam gregis ſibi commiſſi.*

Pecora tibi ſunt ? attende illis ; & ſi ſint utilia perſeverent apud te. Nota , quòd myſticè per pecora intelliguntur homines irrationabiliter viventes , & peccatores : monetquè Spiritus ſanctus Prælatos debere invigilare ſuper cuſtodiam gregis ſui ; & ſi in ipſo adſint perverſi homines brutaliter viventes , non debent deſiſtere ; ut eos corrigant , & ad bonam frugem reducant. *Pſalm. 118. cap. 6. verſ.11.*

104. *Paren*

104. *Parentum cura in educatione filiorum, qualis à Deo exigatur, ubi de ſubjectione ſenſualitatis ſub dominio rationis practicanda.*

Filii tibi ſunt, erudi illos, & curva illos à pueritia eorum. Ad litteram monet Spiritus Sanctus parentes qualiter ſe gerere debeant circa filiorum curam, & educationem; duoque jubet: primum eſt inſtructio, unde dicit: erudi illos: ſecundum eſt correctio, unde dicit: curva illos à pueritia: hæc enim eſt ſtricta obligatio parentum in filios; unde bis dixit Petro: paſce agnos meos: *Ioan.* 21. Nota etiam quod hæc verba ſpiritualiter poſſunt intelligi, nempe quod nomine Patris intelligatur ratio, nomine filii pars animalis inferior; dans intelligere, quod ad imperium rationis debet erudi, & curvari inferior, ut recte, & ſecundum regulas rationis vivat. *Ioan. collat.* 24. *& c.* 21. *v.* 15. Addit autem textus pro filiabus: filiæ tibi ſunt, ſerva corpus illarum, & non oſtendas faciem hilarem ad illas. Super quem textum notant expoſitores, quod educatio filiarum potiſſima conſiſtit in eas cuſtodiendo in domo incluſas, ſeparatas à conſortio hominum, tamquam muro circumſeptas, & raro egreſſum è domo eis concedere, etiam occaſione eundi ad Eccleſiam: Item monet ſeveritatem eſſe adhibendam cum juvenculis à parentibus, quia per blanditias peiores fiunt: *Sic D. Hieron. S. Bernardus aliique.* Addit 1. trade filiam, ſcilicet nuptui, & grande opus feceris; ideſt te liberabis à gravi onere cuſtodiendi filiam, veluti animal indomitum, ait Rabanus, Vgo cum aliis: ſed da illam homini ſenſato, ſcilicet prudenti, & moribus ornato. Addit item: mulier ſi eſt tibi ſecundum animam tuam, non projicias illam; ideſt ſi bonam uxorem inveniſti, dilige illam: & ſi odibilem, tene illam, ſed ne cor tuum ipſi aperias, & ſecreta tua: *Sic Cartus: Vgo: aliique.*

105. *Subjiciuntur hic aliqua notationes circa educationem Filiorum à Parentibus faciendam ex SS. Patribus, & S. Scriptura; pro uſu, & commoditate Concionatorum.*

S. Petrus Chryſol. *ſer.* 27. pondetat illud *Matth. c.* 14. de ſemine jacto in agro à Patre familias, quo facto, ſtatim Diabolus ſuperſeminavit zizania in medio tritici, & poſtea ſtatim abiit; & dicit ſuper hunc textum S. Pater: cum autem creviſſet herba, & fructum feciſſet, tunc apparuerunt & zizania; quia quod latet in herba, manifeſtatur in ſpica, & quod latet in gramine, aperitur in fructu: dat per hoc intelligere, quod diabolus ſummopere curat ſuperſeminare zizania in ſemine ſtatim ac ſeminatum eſt; ideſt in juventute ſtatim ac lumen rationis affulſit, & ſtatim abiit, quaſi perfunctus ſit ſuo munere, & licèt non ſtatim appareat zizania tunc in principio, tamen vivit quaſi ſecurus, quod juvenis poſt aliquale tempus reducet talia zizania ad perfectam frugem; quia mores peſſimi, quibus puer imbuitur, ipſum ſequuntur ad ſenectam. Hinc Iob *c.* 1. mittebat ad filios, occupatos in conviviis, ad eos ſanctificandum, & offerebat pro illis ſacrificium, addeque rationem: ne fortè benedixerint Deo in ſordibus ſuis; ideſt ne peccent corde, & animo, vel quid mente voluant contra jus, & fas; per hocque ait *D. Greg. l.* 1. *mor. c.* 4. aperte demonſtrabat Iob pater ſollicitus de filiis, quid diſtrictionis erga illos præſens ageret, quibus abſens ſollicitudini non deeſſet. *Gen. c.* 9. *v.* 14. habetur, quod Noe evigilans de ſomno ex vino, cum didiciſſet quæ fecerit ei filius junior, ſcilicet Cham, maledixit Chanaan filio: ſed ſi pater peccat, cur Filius maledicitur, & punitur? ſed reſpondet Theodoretus, quod Chanaan Filius Cham fuit, qui impudicè virilia deſpexit, & Patri retulit, & tamen Moyſes tale peccatum retulit in Cham; quia filium à crimine non deterruit, nec correxit; ideo ob Patris ſocordiam, cum non acriter objurgaſſet Filium, ipſi Patri peccatum attribuitur, & Moyſes rectè notat maledictum fuiſſe Filium, ipſi Patri peccatum attribuitur, & Moyſes rectè notat maledictum fuiſſe Filium. *lib.* 1. *Reg. c.* 2. *v.* 12. Filii Heli appellantur Belial: & cur hoc? quia fuerunt Filii Patris nimium indulgentis, qui eorum vitia non repreſſit, neque eos ad pietatem inſtituit, ut patet ad litteram ex textu. *Gen. c.* 18. *v.* 17. dixit Dominus: *num celare potero Abraham, quæ geſturus ſum?* ſed cur hoc? ſubdit: *ſcio enim, quod præcepturus ſit Filiis ſuis, & domui ſuæ poſt ſe, ut cuſtodiant viam Domini, &c.* Vide igitur quomodò hoc unum virtutis genus reliquis antefertur; quod ſcilicet educaturus eſſet Filios juxta legem Domini: quod & notavit *S. Chryſ. hom.* 42. *in Gen.* Et iſtæ ſunt præcipuæ primitiæ, quas Deo debent offerre Parentes: juxta legem Domini. *Exod. c.* 13. Omne autem primogenitum hominis de Filiis tuis pretio redimes: quia Deus non ſolùm primitias proventuum exigit, ſed magis animarum, & corporum Filiorum; ait Philo: ſunt enim partes inſeparabiles viſcerum parentum. Idem Philo expendit textum Gen. *c.* 6. *poſtquam ingreſſi ſunt filii Dei ad filias hominum, illæque genuerunt*, legit ex hebræo, *illæque genuerunt ſibi, iſti ſunt potentes à ſæculo viri famoſi*: & notat, quod alii ſunt Filii Dei, alii hominum: illi in lege Dei ſunt inſtructi, iſti in rebus mundanis; dicuntur filii hominum, quia non generantur Deo, ſed parentibus, & ab iſtis tota cura eſt, ut augeant honores, divitias, &c. *Pſal.* 105. dicitur de quibuſdam parentibus, quod *immolaverunt filios ſuos & filias dæmonibus & infecta eſt terra, &c.* O quot, ait S. Bonaventura, immolant filios ſuos diabolo, deficientes eos inſtruere in lege Dei, & hinc oritur infectio terræ. Addit Petrus Simon *tract. de Epiphan. c.* 14. *filias ſuas immolant diabolo, qui earum pudorem non multum curant.* Et hinc Chriſtus, loquens de Agnis, bis dixit Petro: *paſce agnos meos*; & loquens de ovibus una vice dixit: *paſce oves meas*, ut videas, ait S. Thomas, quod major parentum, & Prælatorum cura debet eſſe circa inſtitutionem, vel inſtructionem juventutis, quia ex hac dependet ſalus totalis ovium.

106. *Rationes expenduntur cur à Filiis honorandi ſunt parentes.*

In toto corde tuo honora patrem tuum; & gemitus Matris tuæ ne obliviſcaris: memento quod niſi propter illos natus non fuiſſes, & retribue illis quomodo & illi tibi. Nota quod hic præcipitur filiis honor debitus parentibus; & hoc triplici ratione; ſcilicet quia eos genuerunt, nutrierunt, & inſtruxerunt:

runt : debetur ergo eis obſequium corporale, quia eos genuerunt; temporale nutrimentum, quia per eos ſunt nutriti; & imitationis exemplum; quia ab eis ſunt inſtituti : corporale autem ſubſidium conſiſtit in dilectione cordis, in locutione reverentiali, in obedientia, & ſervitio eis præſtando : & hinc eſt, quod contrarium facientes; hoc eſt inhonorantes parentes, graviter à Deo multipliciter puniuntur. *op.Diet.tit.3.c.3.*

107. *Confeſſarium adeat, qui vult à Lepra curari peccati.* Unde hic dicitur : Honora Deum ex tota animâ tuâ; ſcilicet per tui ipſius accuſationem coram Deo, & honorifica ſacerdotes; ideſt per confeſſionem tuorum peccatorum; & propurga te cum brachiis, ſcilicet à Lepra peccatorum purgaberis, mediantibus operibus tuis; ideſt mediante confeſſione, & ſatisfactione. *Luc. c.17. v. 14.*

108. *Diligendus à nobis eſt Deus ut auctor naturæ.*

In omni virtute tua, & anima tua time Deum, & dilige eum qui te fecit. Nota, quod dicit in tota anima tua; ſcilicet non ſecundum partem : addit Deum, qui te fecit, ideſt ut auctor naturæ totum nobis ipſe dat; ſcilicet eſſe carnis, & animæ cum omnibus aliis bonis. *ſer.8.de Apoſtol.Pſal.118.c.9. v.12.* Item addit : & ſacerdotes ejus ſanctifica; & Miniſtros ejus ne derelinquas : ſcilicet ſacerdotes ejus, ut ſanctos venerare, ut legit Græcus : & eos ne derelinquas; ideſt amore eos proſequere, ſaltem ratione officii.

109. *Tendens ad perfectionem diligenter ſe etiam à minimis peccatis conatur expurgare* : & ideo hic dicitur : de negligentiâ purga te cum paucis? ideſt etiamſi pauci ſint, qui ad hæc minima vitanda, & purganda attendant : Tu ut placeas Deo, purga te frequenter, & maximè vitæ activæ ſi incumbas. *Luc.c.2.v.25 Ioan.c.15. v.8.*

110. *Eleemoſyna obtinet propitiationem peccatorum:* Unde hic dicitur : Pauperi porrige manum tuam, ut perficiatur propitiatio, & benedictio tua. *ſer.4. Dom.Trinit.*

111. *Charitas in proximum maximè elucet in conſolando miſeros, & viſitando infirmos : & quàm ſit tale opus meritorium, Deoque charum.*

Non deſis plorantibus in conſolatione, & cum lugentibus ambula : non te pigeat viſitare infirmum; ex his enim firmaberis in dilectione. Vide quid eſt quod confirmat animam in dilectione Dei activa, & paſſiva : nempe pietas in lugentes ipſos conſolando, & in infirmos ipſos viſitando, & eis ſerviendo, & ſubveniendo : tale enim opus eſt Deo ſummè charum : quid enim eſt miniſtrare infirmo pro Chriſto, niſi miniſtrare ipſi Chriſto: quia proximo ſervit, non ut homini, ſed ut in homine Deo, totum referens ad Ieſum : & ideo ſi vis invenire Chriſtum, ò anima, vade ad infirmariam, ubi jacet, ubi anguſtiatur, ubi dolore gravatur, & torquetur in infirmo : ſic enim audies in judicio illam vocem dulciſſimam : venite benedicti, &c. infirmus enim eram, & viſitaſtis me &c. *Op.ſtim.p.2.c.7.Luc.c.10.v.32.c.1.v.79.c.14. v.13. c.16.v.20.op.expoſi.regul.c.6.in fine.*

112. *Recordatio mortis, & noviſſimorum ſuadetur.*

Memorare in omnibus operibus tuis noviſſima tua & in æternum non peccabis, &c. Cur noviſſima recordanda, & non potius miſeriæ nativitatis, vel progreſſus hujus infeliciſſimæ vitæ? ſed attende: dicit recordare noviſſima tua; quia talis memoria eſt ſummè ſuper omnia efficax ad cavendum peccatum, ad converſionem, & ad excitandum ad bona opera : ſicut autem aſpis deludit incantatorem, obturando unam aurem caudâ, & aliam terrâ; ſic ſancti deludunt incantatorem diabolum tentantem, obturando unam aurem caudâ, ſcilicet memoriâ mortis, & aliam terrâ, memoriâ ſuæ incinerationis : Et ſicut gubernator navis, ut rectè gubernet navem, collocat ſe ad caudam; ſic qui in mari hujus vitæ vult rectè gubernare vitam, ad caudam navis ſe conferat, recogitando noviſſima ſua : nec enim motivum magis efficax ad contemptum mundi, ad Deo fideliter ſerviendum, quam frequens recordatio noviſſimorum. *op.Diet.tit.5.c.5 & tit.7.c.1.ſer.de animabus, & in Ecclen.c.7.Pſal.49.Ioan.c.19.in fine.*

CAPUT VIII.

113. *Contentiones fugiendæ, maximè cum Potentioribus.*

NON litiges cum homine potente, ne forte incidas in manus illius : non contendas cum locuplete &c. ſuadet in his verbis ſapiens cavendum eſſe à litibus, & contentionibus, maximè cum potentioribus; nam contentiones faces odiorum accendunt, pacem cordis extinguunt, concordiam rumpunt, & rixam pariunt inter competitores. *op.Phare.l.3.c 3.*

114. *Perdendum eſt aurum, ne perdat poſſeſſorem: nam ut ait ſapiens :* quòd multos perdidit aurum, & argentum : Unde abundantia non prolongat, ſed abbreviat vitam frequenter. *Luc. c.12. v.15.*

115. *Ab homine linguato, loquace, & verboſo cave:* ne in rixas fecum prorumpas : nam loquacitas deſtruit mutuam charitatem : *Luc.c.16. v.24.*

116. *Gaudere de promotione propria, & de dejectione aliorum, etiam inimicorum prohibet Deus ſuis ſequacibus :* Unde hic dicit : noli de mortuo inimico tuo gaudere, quoniam omnes morimur; ideſt quia idem & nos experiemur : nec enim nos volumus in gaudium venire, ideſt nolumus ut ſimiliter inimici noſtri de noſtra morte gaudeant. *Luc.c.10.v.20.l 3.d.30.a.1.q.4.*

117 *Verbum Dei ab ore prædicatoris reverenter audiendum.*

Ne deſpicias narrationem presbiterorum ſapientium, & in proverbiis eorum converſare. Hic exigit Spiritus Sanctus à nobis, ut reverentiam habeamus ad Doctores, Magiſtros, & prædicatores, & cum reverentia ab ipſorum ore audiamus doctrinam ſacram. *Luc.c.7.v. 12.ſer.2.de uno Doct.*

118. *Socie*

118. *Societas malorum quàm nociva.*

Cum audace non eas in via, ne forte gravet mala ſua in te: ipſe enim ſecundùm voluntatem ſuam vadit, & ſimul cum ſtultitia illius peries. Vult dicere ſapiens, quod in itinere caveamus habere ſocium audacem, malignum, & perditum, ob periculum, quod inficiat nos, & ſic cum ipſo ob defectum humilitatis, in eadem ſtultitiâ pereamus. *Luc. c. 13. v. 2.*

119. *Iracundus tamquam omnium peſſimus vitandus.*

Cum iracundo non facias rixam, & cum audace non eas in deſertum: quoniam nihil eſt ante eum ſanguis. Dat in his verbis ſapiens intelligere quale periculum ſit rixari cum iracundo, & cum eo ſocietatem habere in loco ſolitario, quia iracundi non ſunt dicendi homines, ſed potius feræ furibundæ, eo quod ad modum ferarum ſunt ſine miſericordia, ſugentes ſanguinem aliorum. *ſer. 1. Dom. 5. Pent.*

120. *Quales viri in conſilium adhibendi, & eis arcana cordis aperienda.*

Cum fatuis conſilium non habeas, non enim poterunt diligere, niſi quæ eis placent. Supponit ſapiens conſilium ſumendum eſſe in arduis; ſed quia non omnes ſunt apti ad conſilium bonum dandum, ideo advertit nos, ne hoc ſumamus à fatuis: & qui ſunt fatui? iſti ſunt impii, & ſine conſideratione, & ratione operantes: hinc ad conſilium ſumendum primò ad Deum recurrendum, deinde eligendi homines, qui non ſunt impii, & perverſi, & irrationabiliter operantes; ſed ſint probi, juſti, prudentes, & experti; hiſque arcana cordis aperienda. *op. Dict. titul. 6. c. 2.*

121. *Apud Mundum gratia falſa invenitur, apud Deum vera.*

Non omni homini cor tuum manifeſtes: ne forte inferat tibi gratiam falſam, & convitietur tibi. Vide, quod ſapiens iterum refricat non omni homini manifeſtandum eſſe arcanum cordis; & hoc ob periculum incurrendi in gratiam falſam: ſed quænam eſt hæc gratia falſa? ſi eſt gratia, quomodo falſa? ſed attende, quod gratia falſa eſt illa, quæ ſæpe in mundo apud homines invenitur, qua fictam benevolentiam foris oſtendit impius, ſed intus livorem continet: gratia vera eſt, quæ apud Deum invenitur; ſicut evenit Mariæ Sanctiſſimæ Virgini, cui dictum eſt: inveniſti gratiam apud Deum. *op. ſpecul. B. Virg. lec. 5.*

CAP. IX.

122. ZELOTYPIA *in uxoratis hic damnatur à ſapiente dicente:* Ne zeles mulierem ſinus tui, ne oſtendat ſuper te malitiam doctrinæ nequam: talis autem zelus eſt amor nimius viri in uxorem, nolens conſortium in amata uxore, ob quàm flagellat, & malè tractat ipſam: Caveat igitur vir à tali zelotypia, quia eſt fons diſcordiæ, & ſæpe inducit uxorem ad multa mala. *Pſal. 78. l. 1. dub. 3. in prolog.*

123. *Saltatrices damnantur.*

Cum ſaltatrice ne aſſiduus ſis, nec audias illam, ne fortè pecces in efficacia illius. Notent, hoc qui choræarum ſunt amatores, notent inquam quale periculum ſubeunt in frequentandis choræis; & præcipuè vir admoneatur ne cum ſaltatrice muliere aſſiduus ſit; nam maximum incentivum, & ſignum eſt impudicitiæ: unde dicebat D. Ambroſ. ſaltet, ſed adulteræ filia; quæ verò pudica eſt, filias religionem, non ſaltus docet. *op. Pharet. l. 1. cap. 8.* Meritò igitur damnantur choreæ à Spiritu Sancto, quia inventæ fuerunt à diabolo, ut homines in circuitu idolorum ſaltarent; & ſic eos ad venerem allicerent.

124. *Oculorum cuſtodia qualis habenda à ſervis Dei.*

Noli circumſpicere in vicis Civitatis, nec oberraveris in plateis illius. Hoc conſilium datur à Spiritu Sancto ſervis ſuis, maximè religioſis, ut attendant quali diligentia, & mortificatione cuſtodiam habere debeant oculorum, & quam ſedulo evagationem per vicos, & plateas evitare debeant. *op. ſpecu. Diſcip. p. 1. c. 27.*

125. *Ab aſpectu, & colloquio Mulieris comptæ quam ſollicitè cavendum.*

Averte faciem tuam à muliere compta, & ne circumſpicias mulierem alienam; propter ſpeciem enim Mulieris multi perierunt: ex hoc concupiſcentia quaſi ignis exardeſcit. Verba hujus textus ſunt de ſe clariſſima, quibus admonentur viri ut ſollicitè caveant ab aſpectu, & colloquio mulieris, præſertim comptæ, & pulchræ; quia ex hoc augetur concupiſcentia ardens ſicut ignis: quia ex hoc ut plurimum ruina viri advenit: idem & dicitur mulieribus reſpectu virorum. *Ecclen. c. 7. l. 21. d. 32. a. 2. q. 1.*

126. *Vilitas infamis meretricis expenditur.*

Omnis mulier fornicaria, quaſi ſtercus in via conculcabitur. Ecce qualiter ab aſpectu, & colloquio, converſationeque mulierum homo debet cavere, maximeque meretricis: cum enim proprium ſit mulieris verecundia, modeſtia, & continentia, quæ tamquam aurum pretioſiſſimum ipſam reddunt ſpectabilem, omnibuſque charam; ſi tale aurum permutaverit in ſtercus incontinentiæ, & luxuriæ, etiam ipſa ut ſtercus viliſſimum in via conculcabitur, ſcilicet tamquam res viliſſima, conculcabilis, & contemptibilis habetur & à prudentibus tractatur: & ſicut ſtercus, quo magis conculcatur, eo magis fætet: ſic & talis mulier, & qui cum ipſa converſabitur ſolum fætorem, & infamiam contrahet: & quot ſunt, qui cum prius nutrirentur in croceis, ſcilicet deliciis ſpiritualibus, ut ait Hierem. *Tren. c. 4.* ipſas deſerentes, amplexati ſunt ſtercora,

ideſt delicias fætentes' carnis, & in ipſis ſordidè vivunt. *ſer.3.in Epiph.Thren. c.4.*

127. *Via mundana,& peccati immunda,& plena Stercoris.*

Mulier fornicaria quaſi ſtercus in via conculcabitur. Cur quaſi ſtercus? quia via peccantium, & peccati, mundique eſt immunda, fætens, vilis, ſordida, & infamis. Hanc viam incedunt, qui ob bona temporalia relinquunt ſpiritualia, & relinquentes viam ſpiritualem, in peccata dilabuntur. *Pſal.118.c.2.v.13.Thren.c.4.*

128. *Quàm periculoſa ſit converſatio cum mulieribus in frequentatione commeſſationis, & potationis, & tripudiorum.*

Ne altercaris cum muliere in vino, ne forte decli' net cor tuum in illam. Nomine vini venit non ſolùm potatio vini materialis, ſed etiam commeſſationis, delectationis, tripudiorum, & omnis ſenſualis lætitiæ: Hinc ſapiens monet nos, ut caveamus in his altercari, & cum mulieribus contendere, cùm in his occurrant ſemper incitamenta ad libidinem, & manifeſta pericula corporis, & animæ. *Ioan.collat.12.*

129. *Loquacitas, & impatientia quam vituperabiles, & maximè in Prælatis.*

Terribilis in civitate ſua homo linguoſus, & temerarius in verbo ſuo odibilis erit. Nota, quod cum loquacitas, & nimia facilitas loquendi quicquid in buccam venerit; item & temeritas, quæ ex impatientia præcipuè oritur, ſit abominabilis, & damnoſa in omnibus, magis tamen in principe, & in Prælato, de quo hic loquitur textus, dicens; terribilis in civitate ſua: in quo magnum dedecus, quia ex talibus vitiis rixæ, & tragediæ, freneſiæ ut plurimum oriuntur; præcipueque ex temeritate, quæ in verba impertinentia cum impatientia, & ſine reſpectu facit prorumpere; quia ex hac redditur ſubditis exoſus, & contemptibilis; & ſic omnia confundit. *Op. de ſex aliis Seraph.c.5. Eccleſ.c.5.*

CAP. X.

130. *Iudicis,& Prælati ſapientis conditiones expenduntur.*

IUDEX *ſapiens judicabit populum ſuum, & principatus ſenſati ſtabilis erit.* In his paucis verbis innuuntur conditiones neceſſariæ in Prælato, & Iudice ſapiente, & prudente: debet enim eſſe ſapiens, & ſenſatus: nempe non temerè judicare; ſed habeat in judicio rectitudinis æquitatem, & notitiæ claritatem: debet judicare populum ſuum, non alienum: ideſt non extendere ſuam auctoritatem extra ſuam ſpheram contra fas: neve ſæculares judices rebus, & perſonis Eccleſiaſticis, & è contra ſe immiſcere: item populum ſuum, ideſt juxta merita populi; neve ſontes palpet, aut inſontes puniat, nec moveri odio, vel nimio amore, vel pretio ad judicandum: debet & habere notitiam cauſæ clariſſimam, ut ſecundùm acta, & probata judicet: ſicque principatus ſenſati erit ſtabilis. *Op. Eccleſ. Hier.p.1.c.1.ſer.2. Hexam.*

131. *Qualis eſt rector, tales ſunt ſubditi.*

Secundum judicem populi, ſic & miniſtri eius: & qualis eſt rector Civitatis, tales & inhabitantes eam. ſententia hæc quotidianis experimentis probatur; patet enim, quòd ſuperiores perfecti in ſe, alios perficiunt, & ad modum ſupernorum ordinum Angelorum, alios ex ſuo lumine illuminant: ideo debitum eſt eorum qui præſunt, ut verbo, & exemplo alliciant ſua probitate convertendos & perficiant perficiendos, ut ſic cortina cortinam trahat. Hinc boni magiſtri bonos diſcipulos facere conſueverunt: & multi fierent meliores in Religionibus, & in Eccleſia, ſi melioris vitæ eis exempla à ſuis doctoribus, & ſuperioribus proponerentur; quia de correctis exemplaribus correcta ſcribuntur volumina, de corruptis corrupta: negligentia verò hujuſmodi ab illis, qui culpabiles ſunt, diſtrictè in judicio requiretur. *Op.de ſex alis ſeraph.c.6.de Eccleſ.Hierar.p.2. c.1.ibid determinat.qu.13. ſap. in prolog.* Quæ cum ſint veriſſima, magis tamen confirmantur, ex eo, quod textus ſubdit immediatè: rex inſipiens perdet populum ſuum; & civitates inhabitabuntur per ſenſum, ideſt prudentiam potentium, ex quibus patet quantum proſit probitas potentium: & è converſo, quantum noceat eorum mala vita, & improbitas. *idem D. Bonaventura loc.cit.*

132. *A Deo à ſubditis petendus eſt bonus Prælatus: & iſte ſub Deo vivat ſubditus.*

In manu Dei poteſtas terræ; & utilem rectorem ſuſcitabit in tempus ſuper illam. Hic ad litteram dat ſapiens intelligere, quod bona proviſio Prælatorum à Deo dependet: hoc enim ſibi reſervavit Principes eligere; ideo ſubditi inſtanter bonum Prælatum petant: & cum dicitur: in manu Dei poteſtas eſt terræ, monet ipſos Principes, ut ſeipſos conſiderent, & de ſuſcepta poteſtate non ſuperbiant; imò quantò videntur aliis eſſe magis auctoritate, & potentiâ tranſcendentes, tantò abundantiori humilitate ſint aliis condeſcendentes, & ſub Deo totaliter ſubjecti. *Op. Eccleſ.Hier. p.2.c.3.de alis Seraph.c.8.Luc.c.20.v.2.*

133. *Superbia Deo,& hominibus odioſa: humilitas gratioſa.*

Odibilis coram Deo, & hominibus ſuperbia: & execrabilis omnis iniquitas gentium. Sententiæ hujus veritas, experientiâ continuâ patet; nam videmus, quòd nihil abominabilius eſt apud Deum, & homines ſuperbiâ, maximéque Prælatorum: & è contra humilitas conciliat amorem Dei, & hominum. *Op.Diet. tit.7. c.1.ſer. de S.Martino.*

134. *Injuſtitia facit transferre regna; & mutationem principatuum cauſat.*

Regnum à gente in gentem transfertur propter injuſtitias, & injurias, & contumelias, & diverſos dolos. Vide qualis malignitas ſit incluſa in peccato; quam non ſolùm animam inficit interius, ſed etiam prodit exterius in peſſimos effectus: *Pſal 118.c.9.v.5.* Quodquè videtur maximè in tranſlatione regnorum, & mutatione principatuum, quæ evenit propter injuſtitias, opes malè partas, dolos, injurias, contumelias à regibus illatas in ſubditos: Unde rectè dicebat Daniel *c.2.* quod Deus mutat tempora, & ætates, transfert regna, atque conſtituit: Iuſtus enim eſt Deus, qui à regnis, ac regibus repetit, quæ ipſi in alios commiſerunt; & malleus, qui alios tundit, tunditur & ipſe: & hinc regum purpuræ ſanguine pauperum quandoque rubeſcunt magis, quàm vermium, aut concharum, qui ad Deum clamat, non ſecus ac ſanguis Abel, auditurque à Deo in principum perniciem, ac ruinam. *Pſal.118.c.9.v.5. ſic Cartuſ. Ugo Card. & alii.*

135. *Avaritia quale malum.*

Avaro nihil eſt ſceleſtius: nihil iniquius, quàm amare pecuniam; hic enim animam venalem habet, quoniam in vita ſua projecit intima ſua. Mirum eſt quod dicit hic Spiritus ſanctus de avaro: at quomodo ipſo nihil eſt ſceleſtius? quomodo nihil iniquius, quàm amare pecuniam, ergo ſceleſtior eſt avarus idololatra? ſed attende, quod hoc veriſſimum eſt; nam primò dicitur omnium criminum ſceleſtius, ſcilicet omnium criminum ſupra enarratorum: illa enim particula (autem) id indicat: ſecundò quia avaritia, & cupiditas eſt vitium omnia alia mala inducens: dicitur enim à D. Paulo radix omnium malorum; & ob id contra omnes leges: tertiò quia ad omnium rerum viliſſimam rem, nempe ad aurum, & argentum inclinat animum: quartò catinne objecti; ſuntque divitiæ, quæ ſunt incentivum, & adminiculum omnium malorum, & materia, qua nutriuntur, & augentur, non ſecus ac radix præbens fomentum toti arbori; & quod pejus eſt addit, quod iſte animam ſuam venalem habet: ubi Vatablus legit: qui animam quoque, cujuſvis exigit: nempe non ſolùm pauperum opes, & ſanguinem, ſed & ipſam animam proximi, & ſic etiam propriam diabolo vendit pro auro, & argento, proiicitque intima ſua, ſcilicet extra ſe, & in terra defigit cor, mentem, virtutes omnes, & remanet veluti dæmon exſpoliatus omnibus bonis. Vide igitur quale malum eſt avaritia. *Op. de decem prae. ſerm. 10. in Ioan. collat. 19. op. Eccleſ. Hier. p. 3. c. 3. Comp. Theolog. l. 3. c. 19. in Luc. c. 14. v 19. & c. 16. v. 9. in Ecclen. c. 5. & ſerm. de SS. Sim. & Iuda in addit. & Cartuſ. Ugo aliique PP. communiter.*

136. *Superbia noſtra retunditur per aſpectum ad originem noſtram.*

Quid ſuperbis terra, & cinis? Nota, quod ab avaritia ad ſuperbiam facilis eſt gradus, ideo ſapiens intendit retundere ſuperbiam noſtram, maximéque divitum, & potentum proponendo

viliſſimum ortum noſtrum, qui eſt ex terra, & cinere: unde dicit: quid ſuperbis terra, & cinis; intendens quod nos exemplo Pavonis, qui caudam ſuam erigens oculatam, plurimum gloriatur in ea; ſed dum ad pedes, quos turpes habet, oculos flectit, verecundiâ ſuæ turpitudinis ductus, mox caudam deponit, & rotam deſtruit, quam erexit: ſic divitibus & omnibus gloriantibus de divitiis, opibus, potentiâ, & faſtu ſapiens proponit, & ponit ad pedes terram, & cinerem, ex qua generati ſumus, ejuſque vilitatem, cum ſit ab omnibus conculcata, inſinuat ut humiliemur: Et verè mirum eſt quomodò homo, ſciens ſe in ſordibus generatum, in tenebris jacentem, matrem onerantem, natum nudum, membris omnibus impotentem, infinitis ærumnis expoſitum, & tandem vitam terminantem in ſtercore, in vermibus, & fœtore, mirum inquam eſt, quomodò audeat ſe extollere per ſuperbiam gloriabundus. *Ser. 4 ſexag. ſerm. de uno Confeſ. in Luc. c. 10. v. 19. op. de perfect. vita c. 1. & lignum vitæ.*

137. *Inveteratus in peccato, difficulter ſanatur.*

Languor prolixior gravat medicum: brevem languorem præcidit medicus. Notent hoc monitum inveterati in peccato, & de die in diem pœnitentiam differentes: nam ſicut in naturalibus morbus inveteratus difficulter ſanatur: & è contra brevis facilè curatur à medico: ſic & in ſpiritualibus, inveteratus in peccato laborat infirmitate periculoſa, & difficillimè curatur: Cave ergo ô homo periculum hoc: pœnitentiam aſſume, quia hæc quoſcumque languores ſanat, leproſos curat, mortuos ſuſcitat, ſanitatem auget, quam & conſervat *Ser. 5. in die cin. in Luc. cap. 7. v. 21. c. 8. v. 43. & c. 13. v. 11.*

138. *Princeps, & Prælatus malus eſt morbus inficiens populos.*

Omnis potentatus brevis vitâ: languor prolixior gravat medicum: & Rex eſt hodie, & cras morietur. Nota connexionem horum verborum, primò enim proponit vitam Principis, & Prælati avari (de hoc enim hucuſque actum eſt) & poſtea ſubdit: languor prolixior &c. ergo Princeps malus eſt morbus inficiens populos; & ideo Deus citò præcidit ipſi vitam, ne majora mala cauſet in ſubditos: ſic ſacri expoſitores; & meritò: nam Principis error multos involuit, & tot obeſt, quot præeſt. O miſeri principes cogitate quàm brevis, & quàm nullus ſit veſter principatus: ubi enim ſunt tot reges, Principes, & locupletes, qui velut umbra tranſierunt. *Ser. 1. Dom. 16. Pent. Ioan. collat. 81.*

139. *Ex ſuperbia oriuntur omnia mala.*

Initium ſuperbiæ hominis apoſtatare à Deo: & ſuperbia initium omnis peccati. Quomodo poteſt dici, quod initium ſuperbiæ ſit apoſtatare à Deo, & quod ſuperbia ſit initium omnis peccati, cum adſint peccata, in quibus non intervenit apoſtaſia? ſed nota, quod hic damnatur ſuperbia ex ſuo effectu, & initio: nempe quia initium ſuperbiæ fuit apoſtaſia Diaboli, & primi hominis,

quia à Deo apoſtataverunt, & converterunt ſe ad propriam excellentiam: effectus autem fuit talis, quod ſtatim ac fixit radices in terra, ſtatim introduxit omnia peccata: & quia in omni peccato concurrit inordinatus appetitus propriæ excellentiæ, in quo conſiſtit ſuperbia, quia in omni obedientia concurrit ſubjectio ad legem, quam ſuperbia refugit tamquam contrarium propriæ excellentiæ; in omni etiam peccato reperitur libertas à lege, quam ſuperbia amat, tamquam pertinentem ad propriam excellentiam; hinc ſequitur, quod nullum peccatum committitur, in quo ſuperbia non concurrat; caveamus igitur à tanto malo, & humilitatem ſectemur, & amemus. *l.2.d.5.a.1.qu.1.& l.2.d.21.a.2.qu.2. & d.22.qu.1.& d.42.a.3.qu.2. Op. Brevil.p.3.c.9. & Centil.p.1.ſect.26. Pſal.134.in Luc.c.14.v.19.in Ioan.cap.6.v.57.ſer.4. Dom.3. Pentec. ſap. cap.5. & 14.*

140. *Sicut Deus per Filium diſperſit ſuperbos Angelos de ſede Paradiſi.* Sic & ſuperbos duces, & homines, tamquam apoſtatas, & inimicos ſuos ſæviſſimos diſperdit quotidie e ſede ſua, & in ipſa collocat humiles. *in Luc.c.1.v.52.& c.6.v.10. Ecclen.c.4.*

141. *Qualis reverentia habenda ad ſuperiorem: & quam ſollicitè irreverentia cavenda.*

In medio fratrum rector eorum in honore: & qui timent Dominum erunt in oculis ejus. Hæc verba propriè ad religioſos diriguntur, ut advertant, quod cum Conventus totus ſit venerabilis inter fratres, tamen major reverentia, & honor exhibendus eſt ſuperiori, cui quantò major reverentia exhibenda eſt, tantò etiam majoris offenſæ arguitur irreverentia circa ipſum: Hæcque irreverentia contrahitur committendo, & omittendo. *Op. ſpec. Diſcipl. p.1. c.6.* Addit autem ſapiens: & qui timent Deum erunt in oculis ejus, ſcilicet chariores; quia ſuperior debet majore amore, & honore proſequi meliores, & magis timentes Deum. *ibid.*

142. Gloria divitum, & potentium eſt timor Dei, & non deſpicere pauperem, nec exaltare divites &c. ſic advertit eos ſapiens. *in Luc. cap.3. v.19.*

143. Manſueti omnia æquanimiter tolerantes, ſunt filii Dei, Deoque ſummè inter alios chari: unde hic dicitur: fili in manſuetudine ſerva animam tuam. *Ser.1.de omni.ſanctis.*

CAP. XI.

144. *Ex ſpecie, vel Phiſyonomia externa non judicandus homo bonus, vel malus.*

NON laudes virum in ſpecie ſua; neque ſpernas hominem in viſu ſuo: Brevis in volatilibus eſt apis, & initium dulcoris habet fructus illius.* In his verbis ſapiens carpit errorem multorum, qui ex ſpecie externa arguunt ſtatum conſcientiæ, & morum proximi, fundantes ſuum ipſorum judicium in Phyſionomia externa: ſicut enim quia qui eſt pulcher exterius, non eſt bonus ſemper, univerſaliter loquendo; ſic nec qui exterius eſt vilis, & deſpectus, vel deformis, malus judicandus eſt; & ad hoc probandum affert ſimilitudinem apis, quæ licet ſit deformis, & deſpecta, tamen initium eſt, & artifex mellis. *Luc.c.5.v.21.& c.18.v.9.ſic & Cartus. Ugo Lyran. & alii.*

145. *Maria Virgo apis argumentoſa fructum dulciſſimum nobis produxit.*

Brevis in volatilibus eſt apis, & initium dulcoris habet fructus illius. Legit Vatablus: Apis eſt parva &c. & principatum dulcedinis habet: vel fructus ejus eſt origo dulcium. Quænam eſt iſta apis tam ingenioſa ſecundum ſenſum myſticum, niſi Beata Virgo Maria, brevis quidem humilitate, & parva, ſed in volatu altiſſima, quæ diſcurrens de flore in florem, ſcilicet de virtute in virtutem, edidit nobis mel dulciſſimum; ſcilicet genuit nobis Jeſum Chriſtum fructum ſuaviſſimum & dulciſſimum ſuper mel, & omnia: Benedictus igitur fructus ventris tui ô Beatiſſima Virgo. *Op.ſpecul.B.Virg.lect.16.& 17.*

146. *Juſtus, & vir ſpiritualis eſt veluti apis quærens mellis fructum.*

Brevis in volatilibus eſt apis, & initium dulcoris habet fructus illius. Nota etiam, quod hæc apis myſtica eſt anima juſti, quæ veluti apis diſcurrit de horto ad hortum, de arbore ad arborem, de flore ad florem pro fructu mellis; ſcilicet in meditationibus, & deſideriis, & zelo imitandæ virtutis. diſcurrit inquam circa exempla juſtorum & maximè perfectorum de horto ad hortum, de ſtatu ad ſtatum, de arbore ad arborem, id eſt de juſto ad juſtum, de flore ad florem, ſcilicet de virtute ad virtutem, de exemplo ad exemplum, & maximè ſuper illum florem qui eſt flos, & fructus, in quo invenit totum divini mellis fructum: laboremus igitur bene pro fructu, quia bonorum laborum fructum percipiemus. *Op. ſpecul. B.Virg. lec.17. In Ioan. collat.57.*

147. *Veſtium pompa vanitas expenditur.*

In veſtitu ne glorieris umquam, nec in die honoris tui extollaris; quoniam mirabilia opera altiſſimi ſolius, & glorioſa, & abſconſa, & inviſa opera illius. Hic ſapiens contra communiſſimum abuſum pompæ veſtimentorum invehit, dicens: in veſtitu ne glorieris: & cur hoc? quia veſtis nihil pulchritudinis addit corpori; imo ad hoc inventus eſt à Deo veſtium uſus, ut celetur turpitudo noſtra: & ob id eſt potius ſignum infamiæ noſtræ (ſicut eſt in damnatis inquiſitionis ſacræ calculo induſiolum illud, ſeu habitellus) ſic veſtes, quas induimus, quaſi induſiolum illud peccati, & tranſgreſſionis primæ reos arguit apud omnes, de quibus *Gen. c.3* & ideo per veſtes nobis non detrahitur, ſed potius manifeſtatur turpitudo, nec additur pulchritudo, ſicut plumbum auro connectum non deſinit eſſe plumbum: ergo maxima vanitas eſt gloriatio in veſtium

ſtium

ſtium pompa, contra quam tot SS. Patres invehunt. Hinc nota, quod Chriſtus ad confuſionem hujus vanitatis voluit in ſua nativitate involui pannis; ſcilicet non una veſte, ſed multis, & vilibus, ut pannoſus pauper poſſet dici. *Ser.1.de uno Mart.*

148. *In quibuſnam peccatur circa veſtium pompam.*

In veſtitu ne glorieris unquam; ideſt ne per vaná gloriam te extollas in veſtium pompa, nec pecces, & Deum offendas: quia ille dives damnatus eſt, qui induebatur purpura, & biſſo, in quo peccatur quadrupliciter: primò propter pretioſitatem; valde enim abſurdum eſt putridum cadaver pretioſa veſte ornari, unde poſſent multi pauperes ſuſtentari: excuſatur autem hoc ratione dignitatis perſonæ, ratione ſignificantiæ ut in ritibus Eccleſiæ, & ratione cautelæ: ſecundò propter ſuperabundantiam ultra neceſſitatem: tertiò propter curioſitatem: quartò propter indecentiam. *In Luc.c.16.v.19.*

149. *Caveat à vanitate, & ambitione, qui in dignitate ſuper alios conſtituitur.*

Et in die honoris tui ne extollaris. Nota, quod dicit in die honoris; ideſt quando aliis præferri te vides, ſive in officio dignitatis, ſive in privilegiis ſanctitatis, ſive in magiſterio veritatis: ne te ipſum ex tua voluntate ad talem ſtatum conſcendas: & ſi ab aliis extollaris, ne te in ſuperbiam eleves. *in Luc.c.14.v.8.* Addit autem rationem ſacer textus: quoniam mirabilia opera altiſſimi ſolius, & glorioſa, & abſconſa, & inviſa opera ejus: nempe, ut exponunt *Janſen. Liran. Carthus. & Vgo*, quia uni Deo gloria competit, & quia Deus lætitiam in luctum quandoque convertit, ejus enim judicia abſconſa ſunt, & inviſa; & quia Deus etiam malos regnare permittit, & quia neſcit homo cur ſibi honorem Deus tribuat; & quia mali non turbant ordinem univerſi, nec eius pulchritudinem dedecorant. *Pſal.118.c.2.v.2. & c.9. verſ.1.*

150. *Deus ludit cum potentibus, alios dejiciendo in profundum, alios de imo ad ſolium exaltando.*

Multi Tyranni ſederunt in throno, & inſuſpicabilis putavit diadema: Multi potentes oppreſſi ſunt validè, & glorioſi traditi ſunt in manus alterorum; in manus adverſariorum legit Græcus, vide quàm bene apparent judicia Dei abſconſa, & nulli viſa, nec cogitata; quia Deus ſuperbos ſæpe humiliat, eos juſto ſuo judicio privans regno, & humiles exaltat ad ſolium *in Luc.c.14.v.9.* Videtur autem Deus ludere, & quaſi oblectari, reges deprimendo, & alios in regem erigendo, ad modum ludi latrunculorum, in quo modò rex dejicitur, modò alius latrunculus infimæ ſortis vicem ſubit. Addit autem inſuſpicabilis putavit diadema, quod toties in Eccleſia viſum eſt; nam Deus viliſſimos exaltavit in hac, & in alia vita: ſic Paulus ex perſecutore factus eſt Apoſtolus; ſic alios quondam paſtores exaltat ad coronam. *Ser. 4. Dom.3. quadrag.*

151. *Suſtinendus eſt proximus, dummodo non contra Deum operetur.*

De ea re, quæ te non moleſtat, ne certeris, & in judicio peccantium ne conſiſtas. Docet hic ſapiens nos non debere pro qualibet operatione proximi à nobis viſa, quæ ad nos non pertinet, nec eſt contra Deum, nos inquam non debere certare: Unde Chriſtus *Lucæ cap.9.* dixit Apoſtolis de quibuſdam, non inter ſuos diſcipulos adnumeratis, qui in nomine Jeſu Chriſti dæmones ejiciebant, & volebant eis talia opera prohibere: qui non eſt adverſum vos, pro vobis eſt; & ideo iſte utilis nobis, & tolerabilis, cùm nos non impugnet, ſed adjuvet; ſic videntes aliquos laborare in Eccleſia Dei benè; & fructuosè, licèt mercenariorum more, dummodo id reſultet ad gloriam Dei, & utilitatem animarum, debemus tolerare: quando verò id contra Deum fit, & ejus honorem, debemus nos ſegregare à numero talium impiorum, eiſque nos metipſos ardenter opponere, & impedire offenſam divinæ majeſtatis pro viribus noſtris. *In Luc.c.9. verſ.50.*

152. *Nimia ſollicitudo, & occupatio in vita ſpirituali damnatur, maximè in Prælatis: quia pluribus intentus, minor fit ad ſingula ſenſus.*

Fili ne in multis ſint actus tui. Cur hoc contulit: nonne bonum eſt multa facere in Dei ſervitio ſed attende, quod vetat hic nimiam occupationem, ſicut Chriſtus Matth. dixit Martha, Martha ſollicita es, & turbaris erga plurima: porrò unum eſt neceſſarium. *Luc.c.10.* ſuperflua igitur, & non neceſſaria ſaluti, vel profectui animarum negotia convenit expedire, maximè in Prælatis pro ſe, & ſuis ſubditis: Cum enim ob temporis brevitatem, & diei malitiam vix neceſſariis ſufficimus diſponendis, ſi ſupervacaneis, vel alienis volumus occupari negotiis, negligimus utiliora, & meliora, cum diſtractus animus ad plura, fit minor ad ſingula providè peragenda; quia ex uſu exteriorum ſuperfluo tenebreſcit oculus mentis ad contemplationem ſpiritualium, & internorum, & tepeſcat ad deſiderium ſupernorum. Sicut enim humores noxii affluunt, ubi corporis fuerit læſio, niſi cautè removeantur, ne fiat ibi tumor, vel ulcus, ita & negotia creſcunt ad extinctionem ſpiritus, qui ſe ab eis acquieverit occupari. *Op. de ſex alis ſeraph. c.7. in Luc.c. 10.v.41. Eccleſ. c.5.*

153. *Vix ſine peccato poſſidentur divitiæ; quæ cum offenſa Dei acquiſitæ non poſſunt ſtabiles eſſe.*

Et ſi dives fueris, non eris immunis à delicto: ſi enim ſecutus fueris non apprehendes. Nota, quod verſus antecedens connexionem habet cum iſto; quo ſuadetur homo, ut caveat à nimia ſollicitudine acquirendi divitias: quia, ait, vix ſine peccato poſſunt poſſideri: tum quia ut plurimum cum peccato acquiruntur, vel cum præjudicio ſervitii Dei, vel quia malè ipſis utuntur poſſeſſores. *Luc.c.11.v.13. Ecclen.c.5.* Addit ſi ſecutus fueris non apprehendes, & non effugies,

ſi præcucurreris q.d.ut exponunt Cart.Liran.Ugo & Alii : ſi Deus non ſecundat labores tuos, in caſſum laborabis : & ſi eas aſſecutus fueris cum Dei offenſa, non effugies inopiam, &c.

154. *Chriſtus libenter condeſcendit infirmis, & pauperibus ipſum invocantibus.*

Eſt homo marcidus egens recuperatione, plus deficiens virtute, & abundans paupertate; & oculus Dei reſpexit illum in bono, & erexit eum ab humilitate ipſius &c. Vide in quos præcipuè feruntur oculi divinæ miſericordiæ, nempe in marcidos; ſcilicet in infirmitate gravatos, & pauperes : ad hos enim, ſi Deum adjutorem invocaverint, facile, & libenter fert ſuam opem, & eos ſublevat à miſeria. *In Luc.c.7.v.21.& c.14.v.2.& c.1.v.48. & 63.& c.8.v.25.*

155. *Quomodo bonum, & malum, vita, & mors, paupertas & honeſtas ſunt à Deo; ut hic dicitur v.14.* Dicendum, quod bonum verè eſt à Deo, ſicut & malum pœnæ, non culpæ : ſic itidem vita, mors verò ſecundum quòd eſt pœnalitas : ſic enim non eſt privatio mera, ſed aliquid poſitivum, habens Deum pro cauſa efficiente, ordinante talem mortem, & mala ad exercitium ſuæ juſtitiæ; item dicitur eſſe à Deo, ſcilicet quatenus habet poteſtatem ſuper vitam, & mortem noſtram. *Sap. cap. 1.& c.16.& l.2.d. 36.a.3. qu.1.*

156. *Pauperes Chriſti veſtiti veſte pretioſiſſima incedunt.*

Paupertas & honeſtas à Deo. Nota iſtam connexionem, per quam datur intelligi, quod pauperes Chriſti, & pro Chriſto paupertatem ſectantes, pretioſa veſte incedunt induti, licèt exteriùs appareant veſtes ſordidæ; quæ veſtes ſunt pretioſiſſimæ, nempe honeſtas, & ſanctitas. *Op.Diat.tit.4.c.3.*

157. *Cæcitas peccantium expenditur.*

Error, & tenebræ peccatoribus concreata ſunt. Quomodo dicuntur error, & tenebræ concreata? & à quo? Ecce quàm maligna vis peccati : concreata dicuntur error, & tenebræ à peccatore peccatum patrante : quia inſeparabiliter ad peccatum conſequitur error, & cæcitas mentis, qua depravata, depravantur etiam opera. *In Luc. c.11.v.34.& c.7. v.22.l.1. d.17. dub.3.& l 4.d.15. dub.1.* Vide ergo, quod cum communiter Theologi negent creationem à Deo eſſe communicabilem creaturæ : tamen tanta eſt malignitas peccati, quod reddit ipſum peccatorem per talem actum deficientiæ, veluti creatorem ſuæ miſeriæ, & excidii.

158. *Exultatio, & jactantia de peccato; & malo quàm Deo exoſa, & homini pernicioſa.*

Qui autem exultant in malis, conſeneſcunt in malo. Quid eſt exultare in malis? ergone invenitur aliquis, qui in malo exultat, cum nemo intendens ad malum malum operetur? Hoc totum verum eſt, ſed tamen etiam veriſſimum, quòd reperiuntur homines tam peſſimi, qui dicunt malum bonum, qui jactabundi ad ſui ipſorum commendationem, lætantur cum malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis, quibus facta eſt frons meretricis mulieris : & hoc eſt contra naturam, & contra rationem rectam, & ad provocandam divinam inimicitiam. *l.4 d. 17.p. 2.a.1. qu.1.ad 4.* Hic autem notant expoſitores, quod meritò connectit ſapiens talem jactantiam cum ſenectute, nam hoc eſt malum plurium ſenum peſſimorum, qui cum non amplius poſſint ſe in cæno luxuriæ, aliarumque voluptatum volutare, jactabundi narrant peccata commiſſa vera, & ſæpe falſa in juventute : & hoc eſt peſſimum ſignum; nam iſti vitiis adoleſcentiæ repleti, tales etiam ad ſepulchrum ut plurimum terminant.

159. *Infelix qui ſolus ſine ſocio, & proximi ſubventione vult ſuis frui rebus.*

Eſt qui locupletatur parcè agendo; & hæc eſt pars mercedis illius, in eo quod dicit : inveni requiem mihi; & nunc manducabo de bonis meis ſolus, & neſcit, quòd tempus præterit : & relinquet omnia aliis, & morietur. Ecce ſtultitia avarorum qui tota die, & nocte non ceſſant laborare, ut ditentur; hæcque eſt pars mercedis ipſorum in hac vita (nam in alia erit pœna æterna) & ſic ſine ſocio, & ſubventione proximi proponunt ſoli his bonis frui; & ecce mors adveniens, cogit eos bona cum tantis laboribus parta, aliis relinquere : per quæ patet, quod avarus totus evaneſcit per avaritiam, & in effectu per labores continuos, & in affectu, quia numquam ſatiari poteſt; & in intellectu, quia non cogitat, quod aliis, non ſibi, laborat. *In Ecclen.c.4.*

160. *Perſeverantia in Dei ſervitio ſuadetur; & quàm neceſſaria maximè Religioſis.*

Sta in teſtamento tuo, & in illo colloquere, & in opere mandatorum tuorum veteraſce. Hic ſuadet ſapiens perſeverantiam in Dei ſervitio, maximeque dirigitur hoc monitum ad Religioſos, quorum regula eſt veluti teſtamentum ultimum, quod ad executionem exigit mortem, ſcilicet mundo, ait Ugo; & cum illo colloquere, ideſt cogita, quod hoc teſtamentum à te requirit : & in opere mandatorum tuorum veteraſce? hoc eſt, ait S Bonav. mandata Dei obſervando opere, & vita, & in converſatione perſevera uſque ad finem vitæ *Ioan.collat.64.*

161. *Idem de perſeverantia probatur, & de confidentia in Deo collocanda.*

Ne manſeris in operibus peccatorum : confide autem in Deo, & mane in loco tuo : facile eſt enim in oculis Dei honeſtare pauperem. Proſequitur hic ſapiens propoſitum argumentum de perſeverantia conſervanda ab eo, qui reliquit ſocietatem, & vitam peccatorum; & docet eſſe in Deo confidendum, ſimulque in ſtatu ſuo perſeverandum & ſi etiam ſe videat poſitum in ſtatu paupertatis, vel ſubjectionis, non aſpiret ad ſtatum divitum, vel prælationis : ſed ſe totum in Dei providentiâ committat, ſciens quod facile eſt Deo ditare pauperem in hac vitâ, & alia in Cælo. *Ecclen.c. 11. Sap.c.11.ſer.3.Dom ſeptuag.*

162. *Deus*

162. *Deus ſuos juſtus feſtinè à ſiniſtra ad benedictionem dextera in alia vita transfert.*

Benedictio Dei in mercedem juſti feſtinat. Quæ eſt hæc benedictio? & quo feſtinat? feſtinat Deus ad transferendum juſtos à ſiniſtra hujus vitæ, in qua datur ſolùm benedictio ſiniſtræ; ſcilicet fruitio bonorum temporalium, ad dexteram, in qua exhibet illam benedictionem: venite benedicti Patris mei: è contra maledictio perverſorum ad infernum ordinatur, & in inferno terminat ſine termino. *ſer. 3. Dom. ſeptuag. Luc. c. 6. v. 23. Pſal. 66. & 128.*

163. *Benedictio alia Dei, alia Mundi, alia diaboli.*

Benedictio Dei in mercedem juſti feſtinat. Nota, quòd dicit benedictio Dei, quæ juſtis datur à Deo, quia multiplex eſt benedictio: alia enim diaboli, quæ eſt verè maledictio, qua ungit adulatione, vel vana ſpe ſuos, eoſque conſecrat ad habitandum, & ardendum ſe in igne æterno: alia eſt Mundi, quæ eſt vana & ſecundum dici, quæ eſt fortunæ; & opulentiæ temporalis: alia eſt Dei, quæ in hac vita eſt gratiæ, per quam anima conformatur Paradiſo, & in alia eſt gloriæ. *ſer. 4. Dom. Trinit. & ſer. 5. de ana Virg.*

164. *Deus ſuos ſequaces modò conſolationibus replet, modò anxietatibus, & ariditatibus probat.*

In die bonorum ne immemor ſis malorum; & in die malorum ne immemor ſis bonorum. Quid eſt, quod prætendit Deus à ſuis? quid ſibi vult hæc recordatio bonorum, & malorum? Sed attende, quod iſta diriguntur ad eos, qui profitentur vitam ſpiritualem, ut ſciant, quomodo Deus eos fovat conſolationibus, & tunc vult, ut ſe præparent ad ſuſtinendum patienter tempus ariditatis, anxietatum; & derelictionum: quia ſuos ſæpe poſt conſolationes videtur eos derelinquere, & in tribulationibus; & anxietatibus probare: unde hic monet ipſos, ut recordentur utriuſque ſtatus ne ipſum Deum deſerant; ſed ſemper de bono in melius proficiant. *Op. de prof. religioſ. l. 2. c. 77.*

165. *Memoria mercedis, & pœna æterna frequenter refricanda.*

In die bonorum ne ſis immemor malorum; & in die malorum ne immemor ſis bonorum. Ecce quid à nobis exigit Deus: nempe quod poſito homine in qualicumque ſtatu, ſive proſperitatis, ſive adverſitatis numquam à memoria ejus decidat conſideratio præmiorum, & pœnarum æternarum: ſi enim in proſperitatis ſtatu es poſitus, ne immemor ſis adverſitatum, quæ tibi poſſunt accidere in hac vita: & è contra. *in Luc. c. 1. v. 63. c. 9. v. 41. & c. 12. v. 36. Eccle. c. 7. in Tiren. c. 1.* Et hinc eſt, quod Chriſtus prædixit diſcipulis ſuis paſſionem ſuam, & reſurrectionem; ut per primam ad timorem, & compaſſionem eos excitaret; & per ſecundam ad amorem, & ſpem. *Luc. c. 24. v. 7.*

166. *In damnatis qualis recordatio remanebit: ubi de recordatione, & cognitione animarum purgatorii.*

Malitia horæ oblivionem facit luxuriæ magnæ: & in fine hominis denudatio operum illius. Ergone in damnatis pœna auferet omnem recordationem præteritorum? nonne damnato diviti dictum eſt: recordare? &c. Sed attende, quod alia eſt recordatio aliquorum ad mœſtitiam, & dolorem, & confuſionem, alia aliquorum ad directionem, & aliquorum ad conſolationem; ſecundam, & tertiam non habent, nec habebunt damnati, nec reſpectu Dei, nec reſpectu aliorum; quia non erit eis memoria Dei, vel ut convertantur, vel ut delectentur: habebunt autem primam, ideſt ſemper memoriam peccatorum, quæ commiſerunt, & Dei, quem offenderunt ad ſuam ipſorum confuſionem: nec hoc repugnabit pœnis; quia pœnæ exteriores excitant memoriam, & mentem damnatorum ad cogitandum interius eorum demeritum, & ita recordatio illa non eſt via lucis; ſed tenebrarum, nec ponet hominem in ſtatu bono coram Deo: & in hoc illa malitia, ſeu vexatio delebit quidem memoriam voluptatum, magis tamen elongabit à Deo, & vero lumine; & licet ſint ſubjecti variationi paſſionum, adeo tamen erit actus memorandi converſus ad ea, quæ ſpectant ad pœnam, & adeo ſine intermiſſione, quod non poterit unquam per omnia ſæcula ſæculorum anima obliviſci: O infelix memoria: infelix ſtatus, infelix miſeria, terribilis, & horribilis. *l. 4. d. 50. a. 2. q. 2.* An vero animæ Purgatorii ita à pœnis abſorbeantur, ut ubi ſint, ignorent; eſt in quæſtione; in qua licet aliqui id aſſeruerint, tamen certior, & communior eſt negativa: nempe in ipſis eſſe certitudinem; expectationis præmii; & evacuationis timoris; quia ſciunt ſe confirmatas eſſe in gratia, nec amplius poſſe peccare. *l. 4. d. 20. p. 1. a. 1. qu. 4. l. 3. d. 26. dub. 6. op. Brevil. p. 7. c. 2.*

167. *Ante mortem nemo laudandus, & prædicandus beatus: ubi etiam de inſtitutione Parentum in filios.*

Ante mortem ne laudes hominem quemquam; quoniam in filiis ſuis agnoſcitur vir. Notat hic ſapiens ne laudemus, ideſt ne beatum dicamus aliquem etiam juſtum ante mortem ob mutabilitatem vitæ, cui expoſiti ſumus omnes: ſed poſt mortem ejus laus erit ex bonis, vel malis operibus; & in Parentibus maximè ex eo, quod benè, vel malè inſtruxerint filios. *Luc. c. 9. v. 36.*

168. *Superbi facilè capiuntur à venatoribus dæmonibus.*

Sicut eructant præcordia fœtentium; & ſicut perdix inducitur in caveam, & ut capra in laqueum; ſic & cor ſuperborum; &c. In hac ſententia ſapiens dat intelligere miſeriam ſuperborum; nam cor ipſorum eructat fœtorem per verba, & opera vana; & ſuperbi & facilè à venatoribus dæmonibus capiuntur in laqueis, & in caveam inferni ducuntur, ſicut perdix, & capra à venatoribus. *Pſal. 118. c. 2. v. 5:* quæ ſententia tamen etiam cæteris peccatoribus à SS. DD. accommodatur, quorum cor naribus Dei, & Angelorum fœtet; & ipſi

Digitized by Google

ipſi in cavea, & fovea peccati cuſtodiuntur à dæmonibus ligati, & conſtricti veluti beſtiæ.

169. *Detractoris, & invidi proprium eſt convertere bonum in malum.*

Bona enim in mala convertens inſidiator; & in electo imponit maculam. Nota, quòd hoc eſt proprium invidi, detractoris, & inſidiatoris perverſi convertere bonum in malum, & maculam imponere etiam in ſpeculo purgato; nempe in juſtis, & puris. *Op. Diet. tit. 1. c. 4. & ſpecu. anima c. 1. in Luc. c. 5. v. 29. & c. 7. v. 34. & v. 39. & c. 19. v. 7. & c. 22. v. 71.* Addit ſapiens à ſcintilla una augetur ignis & ab uno doloſo augetur ſanguis: vult dicere, quod proprium eſt talium detractorum, invidorum, & inſidiatorum hominum accendere ignem diſcordiæ, ſagittas contra proximum fabricare, & jacere, & ſanguini inſidiari, & effuſionem ſanguinis, & homicidia ſæpe cauſare. *In Ioan. collat. 9. Pſalm. 118. cap. 4. verſ. 5.*

CAP. XII.

170. *In eleemoſynarum elargitione diſcretio in electione ſuadetur.*

SI benefeceris, ſcito cui feceris, & erit gratia in bonis tuis multa; Dat hic Spiritus ſanctus intelligere, quod in eleemoſynæ largitione, maximéque copioſæ diſcretio magna requiritur in electione, cui datur, in qua electione addit in verſu ſequenti: benefac juſto & invenies retributionem magnam, & ſi non ab ipſo, certè à Domino: nempe in hac electione debent ſemper præponi boni, & juſti improbis; quia ſic exigit, cæteris paribus, charitas ordinata; & invenies magnam retributionem. *In Lucam c. 11. v. 21. c. 19. v. 8. c. 14. v. 13. & c. 6. verſ. 35. Pſal. 118. c. 7. v. 16. In Ecclen. c. 11. ſer. 7. in rogat. op. Diet. tit. 2. c. 7. ubi de electione dicta, & de modo agitur. L. 4. d. 15. p. 2. dub. 7. & in Luc. cap. 6. verſ. 30.*

171. *Idem ſuadetur de eleemoſyna danda potius bonis, quàm malis.*

Si benefeceris, &c. benefac juſto &c. non eſt enim ei benè, qui aſſiduus eſt in malis, & eleemoſynas non danti; quoniam & altiſſimus odio habet peccatores, & miſertus eſt pœnitentibus. Ecce rationem cur potius juſto danda eſt eleemoſyna, quàm impio: nempe primò, quia quicquid impio dederis, perit illico, in malos uſus divitias commutante peccatore: ſecundò videtur miſericordiam non promereri, qui immiſericors eſt: tertiò quia Deus hujuſmodi homines odit, cum pœnitentibus gratiam ſuam largiatur: *ſic ex textu ad litteram.* Et meritò hoc dicitur: nam ſicut mercator pecuniam ſuam non dat eis, qui reddere non poſſunt, vel eis, qui ad nundinas venturi non ſunt; ſic homo prudens non dat eleemoſynam hiſtrionibus, qui nihil habent, ſcilicet de gratia Dei, & qui venturi non ſunt ad nundinas Paradiſi; & ideo dicitur à Spiritu ſancto: & ne dederis impio: quod obſervandum eſt in duobus caſibus: unus quando datur hiſtrionibus, non intuitu pietatis, ſed ratione hiſtrionatus: (hocque attendant Principes, & Magnates) alius eſt ſi credas, quod propter eleemoſynam tuam impius negligat juſtitiam; eleemoſyna enim datur, ut proſit, non ut noceat; ſic etiam habet commune adagium: ne puero gladium, &c. *op. Diet. tit. 2. c. 7. & cum eo D. Amb. l. 1. offic. c. 30.* Unde addit textus: ſi dederis impio, duplicia mala invenies, &c. ſcilicet quia ipſum foves in errore ſuo, & ipſe abutitur dono tuo. *ſic Ugo aliique.* Nota etiam, quod agendo de eleemoſyna data intuitu pietatis, dat intelligere, quod malis non datur, quod dicitur non abjiciendo, ſed præponendo: ſcilicet quod cæteris paribus præferatur pauper bonus, & juſtus impio. *L. 4. d. 15. p. 2. dub. 7.*

172. *Deus in peccatore odit peccatum, & amore proſequitur naturam peccatoris.*

Da bono, &c. benefac humili, & non dederis impio, &c. quoniam altiſſimus odio habet peccatores, & impiis reddet vindictam. Hæc ſententia affertur etiam ſupra v. 3. At quomodo Deus odit peccatores? moveturne Deus affectu iræ? minimè: hoc intelligitur quoad effectus; tamen eſt advertendum, quod duo cum ſint in peccatore, ideſt peccatum, & natura, Deus odit in peccatore peccatum, & dicitur ipſum odiſſe ratione vitii, & culpæ; & ideo ipſum punit; ratione autem naturæ, ad bonum ordinatæ, fovetur, & attrahitur à divina miſericordiâ: in quo apparet quomodò divina miſeria relucet in medio iræ, & furoris ſui. *L. 3. d. 18. a. 1. qu. 3. ad 2. Pſal. 118. c. 8. v. 1. in Luc. c. 15. v. 10. in ſap. c. 11. & c. 13.* Nota hic quod Deus facit ſicut Ales inſignis ſagittator, qui videns filium ſerpente circumdatum, ſumpto arcu, ſagittâque, tam benè ictum libravit, collimavitque, ut nil læſo puero, ſerpentem intermit: ſic Victor *L. 16. c. 8. Manilius l. 5. & Virgil. Eglo. 5.* ita & Deus odium dirigit in peccatum, quod eſt ſerpens nos circundans, non in peccatorem: ſic & nos cum impiis, ut filii Dei debemus facere, ſcilicet in illis deteſtare vitium, amare naturam.

173. *Alii exterius ſe humiliant ad malum, alii ad bonum.*

Non credas inimico tuo in æternum, &c. & ſi humiliatus vadat curvus: adjice animum tuum, & cuſtodi te ab illo. Hic ſapiens monet nos, ut caveamus ab inimico noſtro; qui præcipuè eſt dæmon, & hæreticus, & homo malignus, nec ei debemus confidere noſtra, etiam ſi humiliatus incedat curvus. Nota hoc verbum, nam curvitas eſt ſignum exterius humiliationis; quod ſignum in iſtis eſt ad tegendam ipſorum doloſitatem vulpinam; in bonis eſt ad profectum. *Pſal. 118. c. 7. v. 11.*

174. *Qui amat periculum peribit in illo.*

Quis miſerebitur incantatori à ſerpente percuſſo, & omnibus, qui appropiant beſtiis? ſic & qui comitatur cum viro iniquo, & obvolutus eſt in peccatis ejus. Ut evitemus ſocietatem impiorum, ſapiens affert hanc ſimilitudinem incantatoris, qui ſæpe

à ſerpentibus mordetur ; & tandem occiditur; nec mæretur in hoc compaſſionem, cum ejus converſatio continuè ſit cum ſerpentibus : ſic qui cum malis, & impiis converſatur, qui ſunt inutiles, imo damnoſi in temporalibus, & ſpiritualibus, & ad nihilum boni apti, nullam mæretur compaſſionem, ſi ab ipſis ad malum, & præcipitium trahatur : unde patet, quod qui non cavet periculum in illo peribit. *In Luc. cap. 14. v. 34 ſer. 3. Dom. 3. poſt oct. Epiph. & ſer. 2. Dom. 3. poſt octa. paſcha & ſerm. 5. Dom. 2. quadrag. ſic & ſacri Expoſitores.*

CAP. XIII.

175. *Mala ſocietatis pericula expenduntur.*

QVI tetigerit picem, inquinabitur ab ea: & qui communicaverit ſuperbo induet ſuperbiam.* Ecce quàm periculoſa eſt communicatio; & ſocietas malorum; nam ait ſapiens : ſicut qui tetigerit picem, inquinationem à tali contactu deportat; ita qui communicat cum impiis : ſic etiam videmus, quod anima ex conjunctione ad corpus contrahit infectionem peccati. Fuge ergo ô ſerve Dei ſuperbos, veluti viperas, fuge malos, tamquam dæmones, contemne ſocietatem malorum tamquam virus peſtiferum, ne & tu eis ſimilis efficiaris. *Op. de perfec. vita c. 2. de tribus terna. c. 7. Apolog. paup. reſp. 3. c. 2. Comp. Theol. l. 3. c. 21. in Luc. c. 5. v. 29. & c. 7. v. 34. & ſer. 4. in vigil. Nativ.*

176. *Magnum pondus ſubit, tam in bono, quàm in malo, qui inæquales amicitias nectens, potentiori ſe communicat.*

Pondus ſuper ſe tollet, qui honeſtiori ſe communicat : & ditiori te ne ſocius fueris. Non ſolùm prohibet ſapiens ſocietatem, & amicitiam cum impiis, ſed etiam monet, ut caveamus à communicatione honeſtioris, & ab amicitia cum ditiore : primum eſt in bonum, quia intendit nos advertere, nè onus, vel officium ſupra vires noſtras etiam ad bonum animæ ordinatum ſuſcipiamus, quia erit nobis nimium excedens pondus intolerabile : quia infirma mens non capit Dei verbum, ſcilicet ejus mirabilia, nec pondus ſapientiæ ſuſtinere: ſic ex tali intentione dixit Petrus Chriſto : exi à me Domine, quia homo peccator ſum; cui Chriſtus annuit, dum aſcendit in navim, & ab eo elongatus eſt : & hic actus eſt non in contemptum ſuperbiæ, ſed ex timore reverentiæ. *in Lucam c. 8. v. 37.* Hinc etiam Seraph. P. S. Franciſcus ſentiens ſe divinis conſolationibus repletum, dicebat ex timore reverentiæ; & affectu humili, ſatis eſt Domine ſatis, ſicut plures alii ſervi Dei. Addit & ne ditiori ſocius fueris; ob multa pericula quæ occurrunt in tali amicitia, ut patet ex ſequentibus verſibus.

177. *Diabolus quales cibos præparat ſuis.*

Confundet te in cibis ſuis, donec te exinaniat, & in noviſſimo deridebit te. Ecce quales fructus reportant, qui communicant cum potentiori : hæc autem poſſunt adaptari impio habenti communicationem cum diabolo : nam hic malignus ut ſuos ſequaces confundat, & ad præcipitium reducat, præparat ipſis ſuos cibos, qui ſunt luxuria, detractio, invidia, aliaque vitia, quæ apponit diabolus in menſa ſua, ut eos ad interitum ducat. *In Ioan. collat. 31.*

178. *Humilitas alia bona juſtorum, alia mala ſuperborum.*

Humiliare Deo; & expecta manus ejus : attende ne ſeductus in ſtultitiam humilieris. Ecce duplex humilitas, aliaquè eſt bonorum Deo placens, & ab ipſo impetrans ejus protectionem : alia eſt ſuperborum, qui ſeducti ſic humiliantur, qui humanam verecundiam ſic verentur, quod divinam iracundiam promerentur : & hæc eſt infelix tyrannis: ſeducti etiam dicuntur ſimulque ſtulti, qui ſe reputant aliquid magnum : quia iſti juſtè humiliantur à Deo. *In Lucam cap. 14. verſ. 9. Pſalm. 118. cap. 5. verſ. 3. & cap. 11. verſ. 6.*

179. *Quali cautela loquendum cum Principibus, & Prælatis.*

Ne retineas ex æquo loqui cum illo, ſcilicet cum Principe : nec nimis credas verbis illius : ex multa enim loquela tentabit te, & ſubridens interrogabit te de abſconditis tuis. Notandum quod in hoc verſu documentum politicum pro principibus, & ſubditis aſſignat. Pro ſubditis, ut caveant ſe immiſcere colloquiis familiaribus cum Principe; & maxima cautela curent loqui cum illis; ex hoc quod Princeps prudens cautè tentat ſubditum ad hoc, ut ipſi manifeſtet ſua, & aliorum etiam intima : proprium enim Principis cauti ſic probare, & experimentum facere de eo, quod eſt in ſubdito. Nota etiam, quod talis probatio aliquando fit à ſuperbis, ſe doctos reputantibus, qui varias interrogationes proponunt alteri non ut diſcant, ſed ut probent ipſum. *L. 2. d. 21. a. 2. qu. 1. & in Luc. c. 10. v. 25.*

180. *Charitas proximi eſt ſecundum dictamen naturæ; & ab omni natura dictata.*

Omne animal diligit ſibi ſimile, ſic & omnis homo proximum ſibi : ſcilicet amare debet. Si omne animal diligit ſibi ſimile, ergo natura dictat talem amorem, ergo magis in homine reſidet hæc obligatio diligendi proximum: & hoc argumentum à fortiori convincitur, ex eo quod cum omnia alia proceſſerint ex duplici principio immediato, ſcilicet ex materia, & forma, & animantia ex maſculo, & fæmina: in homine tamen omnes procedunt ex unico homine, ut dum ab uno, & eodem principio homines ſe eſſe viderint, unitatem inter ſe ſervent ut fratres, & conſanguinei : Ad hanc charitatem, & amorem omnis creatura tam cæleſtis, quàm inferior nos invitat ſuo exemplo : omnia enim jun-

Hh gunt

guntur ſuo amore : ſic elementa inter ſe contraria, in unum uniuntur : In unum mundum conveniunt cæleſtia, & terreſtria, licet in ſe ſint tam difformia, & contraria, & ſi hoc, ergo multò magis inter ſimilia : & cum inter homines ſit maxima ſimilitudo, & ratione unitatis principii, & ratione præcepti accepti, & ratione ſimilis boni, ad quod ſunt ordinati, quantò magis homo cum homine, amore debet connecti. *Ser.9.de Apoſtol. op. de profec. religioſ. l.2. c.26. Diet.tit.7.c.1.l.4.d.40.a.1. q.2. ad 2. in Luc. c.6. v.31.& c.10.v.29.bis.*

181. *Similitudo cauſat amorem, & unionem: ubi de unione bonorum inter ſe, & malorum.*

Omne animal diligit ſimile. Si hoc, ergo qui inter ſe ſunt ſimiles, mutuo ſe amant : hinc mirum non eſt, quod mundus, & ſpiritus ſint inter ſe contrarii, quia ſunt inter ſe diſſimiles : ſic & mali ſimiles inter ſe, etiam facileſuniuntur contra bonos ſibi ipſis diſſimiles : & è contra boni ſimiles in moribus maximè ſe mutuo diligunt; & ratio eſt, quia cum imago ſit in naturalibus, ſimilitudo in gratuitis, quia ſimiles ſunt in gratia, ideo fortius ſe mutuo amant. *In Ioan. c. 15. v.19.in ſap.c.2.* Et hinc ſubdit ſapiens: ſi communicabit lupus agno aliquando, ſic peccator juſto: quæ communicatio ſancto homini ad canem ? quæ pars diviti ad pauperem ? oſtendens quod inter Chriſtum, & diabolum, inter ſpiritum, & carnem, inter juſtum, & impium, inter mundum, & Deum non eſt ſimilitudo, ideoque inter ſe mutuo ſunt contraria. *Luc.c.8.v.28.c.9.v.52.& 59. & c.16.v.19.*

182. *Peccator meritò appellatur lupus, & canis rabidus.*

Si communicabit lupus agno aliquando : quæ communicatio ſancto homini ad canem ? Quis eſt lupus, quis canis ? Hic eſt peccator; qui meritò venit in ſacra ſcriptura nomine lupi : nempe homo rapax, ſubjiciens : invadens juſtos, & pauperes: meritò etiam nomine canis venit, ſcilicet detractor, rixoſus, invidus in proximum. *Ser.6.de Apoſtol.*

183 *Paupertas apud mundum, deſpectum reddit : divitiæ honorabilem hominem reddunt.*

Dives locutus eſt, & omnes tacuerunt, & verbum illius uſque ad nubes perducent : pauper locutus eſt, & dicunt, quis eſt hic ? & ſi offenderit ſubvertent illum. Ecce quid facit mundus ; & quomodò paſcitur apparentiâ, & opinione : ſi dives locutus fuerit verba ejus, & ſententiæ laudantur, & extolluntur uſque ad Cælos, etiam ſi malè locutus fuerit : ſi verò pauper ſenſatè loquatur, omnes ipſum contemnunt, & ſubrident. *Ecclen.c.9. ad finem in Luc.c.5.v.21.& c.7.in fin.*

184. Paupertas coacta, & cum impatientia nequiſſima eſt : quæ autem eſt voluntaria, & cum tolerantia, meritoria, & ſancta eſt : unde de prima hic dicitur : nequiſſima paupertas &c. *Ecclen.c.7.*

185. *Subſtantiæ temporales, ubi non adeſt peccatum, ſunt à Deo ; quæ cum peccato acquiruntur ſunt à Diabolo :* Unde de primis dicitur hic : bona eſt ſubſtantia, cui non eſt peccatum in conſcientia ; & nequiſſima paupertas in ore impii. *Ecclen. c.2.& 6.& 7.*

CAPUT XIV.

186. *Felicitas qualis cuſtodientium linguam ſuam à lapſu, & ſervantium ſe à triſtitiâ culpæ.*

BEATUS vir, qui non eſt lapſus verbo ex ore ſuo, & non eſt ſtimulatus in triſtitia delicti. Quomodò beatus talis poteſt dici ? quia qui cuſtodit linguam ſuam à mendaciis, dolis, aliiſque malis, iſte perfectus eſt vir ; quia effugit innumera mala culpæ, & pœnæ ex lingua provenientia : dicitur autem fælix, & beatus, quia in ſua conſcientia non arguitur triſtitiâ delicti : ſcilicet qui in corde non fovet, vel retinet peccatum maximè mortiferum. *Luc. c.24.v.21.ſer.2.in feſt.omni.ſanctor.* Et hinc ſubdit ſapiens : felix, qui non habuit animi ſui triſtitiam, & non excidit à ſpe ſua : ideſt felix, qui non corroditur à verme triſtitiæ, qui à putrefactione peccati gignitur.

187. *Infelicitas avarorum, cupidorum, & invidorum expenditur.*

Viro cupido, & tenaci ſine ratione eſt ſubſtantia, & homini invido ad quid aurum ? Vide infelicitatem avarorum, & cupidorum, item invidorum: nam avaro ſine ratione eſt ſubſtantia, ſcilicet divitiæ ipſi non proſunt, nec ipſis fruitur, ſed ſemper laborans anxius, vivit miſertimè, & tandem alienis, & extraneis relinquit divitias tot laboribus partas : & invido ad quid aurum ? quia avarus ſemper ab invidia roditur ; & ipſi divitiæ inſerviunt ad augendas ſuas miſerias. *Ecclen. c.6.ſap.c.6.*

188. *Qui cum Dei offenſa, & juſtitiæ congregat, pro aliis laborat, & ſibi ipſi ignem conſumentem præparat.*

Qui acervat ex animo ſuo injuſtè, aliis congregat, & in bonis illius alius luxuriabitur. Nota, quod contra injuſtos judices, vendentes ſententias, & juſtitiam : item contra raptores, & opes ſuas aggregantes cum oppreſſione, & damno proximi, fulminatur hæc ſententia ; ut ſciat unuſquiſque, quod parans cum injuſtitia divitias, parat ſibi excidium. *Pſal.118. c.5.v.4.* Ideo rectè *Mich.c.6.v.10.* dicitur, adhuc ignis in domo impii theſauri iniquitatis ; ideſt talis habet in domo ignem devorantem : & addit ſacer textus : & in bonis ſuis alius luxuriabitur ; quia ut plurimum tales divitiæ malè partæ, extraneis tranſeunt, & in luxuriis, & comeſſationibus dilapidantur. *Sic S.Bon.Hugo & alii Expoſit.*

189. Charitas

189. *Charitas ordinat primò hominem ad bonum ſui; poſtea extenditur ad alios.*

Qui ſibi nequam eſt, cui alii bonus erit? & non jucundabitur in bonis ſuis. Supponit hic ſapiens doctrinam communem Theologorum in materia de charitate: nempe, quod prius debet ordinari ad bonum ipſius hominis diligentis, & deinde ad alios extendi: & licet præcipiat Deus, ut diligamus proximum ſicut nos ipſos, illa tamen particula (ſicut) non eſt nota perfectæ æqualitatis, ſed expreſſæ ſimilitudinis, ſcilicèt in ordine ad finem, debet ordinari bonum proximi, ad quod ordinat, & diligit ſeipſum, eo quod poſt ſalutem propriam, nihil tantum debet deſiderare, ſicut ſalutem alienam; ob idque proprium bonum debet quærere, quod ſit ſine præjudicio communis utilitatis: qui igitur ſibi nequam eſt; nempe qui pro aliis benefaciendo, ſuam ſalutem relinquit, valdè decipitur, quia nec ſibi, nec aliis proderit: hoc præcipuè dictus in textu contra avaros, qui veluti inimici propriæ ſalutis, totum ſtudium collocant in congregando, abſque eo, quod aliis poſſint prodeſſe. *L.3. d.29.a.1.q.3.in Luc.c.4. v.23 ſer.1. Dom.21. Pentecoſt.*

190. *Qui bonum honeſtum à ſe rejicit, nec utile, nec delectabile habebit.*

Qui ſibi nequam eſt, cui alii bonus erit? & non jucundabitur in bonis ſuis. Sapiens hic ſupponit doctrinam Philoſophicam de triplici bono in genere; ſcilicet honeſto, utili, & delectabili; datque intelligere, quod qui ſibi nequam eſt, id eſt qui rejicit à ſe bonum honeſtum, nequitiam in ſemetipſo fovens, nec utile, nec delectabile, jucundumque habebit: hoc præcipuè evenit in avaris, ut ſupra dictum eſt. *Ser.1. Dom.21. Pentec. op.de profeſſ.religioſ.l.2.c.17.* Vide ergo quomodò peccatum aufert homini bonum honeſtum, utile, & delectabile, eo quod eſt, ut dicebat Tertullianus, theſaurus dives, & plenus omnium malorum.

191. *Ex mala intentione inficiuntur omnia opera: idque præcipuè in invido.*

Nequam eſt oculus lividi, & avertens faciem ſuam, & deſpiciens animam ſuam. Per oculum intelligitur intentio voluntatis; ſic etiam Chriſtus *Luc.11.* & licet præcisè loquatur de livido, & invido, tamen generaliter verificatur de quocumque alio ex mala intentione operante, datque intelligere, quòd mala voluntas, & intentio avertere facit faciem à Deo, & totam animam inficit; & per conſequens obtenebratur anima, & depravatur omne opus; ſicque totum corpus fit tenebroſum, & infectum; quia ex malo fine, nihil boni poteſt provenire. *In Luc. c.11.v.34.in Eccleſ.c.4.& 5.& ſer.de S.Martino.*

192. *Avaritiæ peſſimi effectus expenduntur.*

Inſatiabilis oculus cupidi, in parte iniquitatis non ſatiabitur, donec conſumat areſaciens animam ſuam. Nota hæc verba, quæ continent peſſimos effectus avaritiæ: datque intelligere ſapiens infelicitatem avari, eo quòd ejus cor cum ſit vacuum, non poteſt divitiis repleri, & ſatiari, cum ejus anima à ſolo Deo repleri poſſit, & temporalia cor non poſſint intrare niſi ſecundùm phantaſticam ſimilitudinem; & quia concupiſcentiam augent, & quia animam non faciunt meliorem, cum ſint omnino alterius naturæ: & ideo avaritia eſt veluti ignis areſaciens animam omni humore bono gratiæ, & veluti conſumitur quoad bonitatem moris. *In Luc.cap.12.verſ.18.cap.6.verſ.11.cap.7.v.22.c.18. verſ.23.*

193. *Divites ante mortem eleemoſynis faciant ſibi pauperes amicos, ut iſti veluti Patroni recipiant eos poſt mortem in æterna tabernacula.*

Ante mortem benefac amico tuo, & ſecundùm vires exporrigens, da pauperi. Cur præcipit ſapiens, ut amicis benefiat, & non omnibus? & cur primò amicis, poſtea pauperibus benefaciendum? Reſpondent hic aliqui expoſitores, quòd prius charitas exercenda eſt in cognatos, & amicos, quàm in inimicos, & externos; poſtea vult ut exerceatur etiàm in pauperes: ſic enim exigit ordo charitatis: primò enim ſibi ipſi benefaciendum, poſtea cognatis, & amicis, & deinde cæteris etiam inimicis. *Sic Ianſen. & etiam S.Bonavent. l.3.d.29.* Sed tamen aliam expoſitionem hic textus myſticè exigit: nempe pro amico intelligitur Chriſtus, qui in paupere ipſe recipit eleemoſynam, & pro ſui amore vult, ut erogetur eleemoſyna: Ante mortem igitur, ait, benefac amico, ſcilicet fac ut pauper fiat per erogationem eleemoſynæ tibi amicus, quia amicitiam Chriſti contrahes, qui te recipiet in æterna tabernacula poſt mortem, ſi ante mortem contraxeris talem amicitiam: ſi ergo patrimonium in cælo eleemoſynis emitur, pauperes, non ſolùm ſunt audiendi ut egeni, ſed ut patroni exorandi: ergo exporrige; id eſt extra te porrige manum pauperi hilariter, velociter, abundanter, ſecundùm vires tuas, & frequenter, ad hoc ut tuam famem in altera vita reparare poſſis. *Ser.4. Dom.8. Pentec. & ſer.5. de plur. Mart. opuſ.Diet.tit.2.c.7.In Luc.c.11.v.41.*

194. *Tempus hujus vitæ eſt bona dies bene operantibus, & tempus nundinarum: malis autem mala, & tempus devectionis.*

Non defrauderis à die bono, & particula boni diei (boni doni alii legunt) non te prætereat. Quiſnam eſt hic dies bonus; nonne omnes dies ſunt æquales? minimè dies boni ſunt illi, qui exercentur in bonis operibus, per quæ fiunt nundinæ, & negotiationes pro alia vitâ: dies mali è contra ſunt, qui conſumuntur in malis patrandis; illi autem ſunt dies lucidi, iſti ſunt tenebroſi, & tenebroſiores nocte: cave igitur, dum vivis, quòd particula tanti doni, vel brevis hora te prætereat abſque fructu, ne poſtea ſine fructu defleas in aliâ vitâ. *In Eccleſ. cap.7.*

195. *Qualis uſura, & quàm lucroſa eſt erogatio eleemoſyna.*

Nonne aliis relinques dolores, & labores tuos in diviſione ſortis? da, & accipe, & juſtifica animam tuam. Notant hic ſacri expoſitores, quod proſequitur ſapiens conſilium erogandi eleemoſynam, dicens diviti: nonne aliis relinques dolores, & labores tuos in diviſione ſortis? per dolores, & labores intelligit divitias tantis doloribus, & laboribus partas: quaſi dicat; ad quid relinquere aliis fructus tuorum laborum? nonne melius eſt, ut ipſis utaris pro ſalute animæ tuæ? ò quàm melius! Hinc ſubdit: Da, & accipe: quomodo hoc? quomodo copulat cum verbo dare, accipere? quid in dando accipit homo? da, ait, ſcilicet gratis eleemoſynam pauperi, & recipe, ideſt recipies hoſpitium æternum in Cœlo; da tectum, & accipe Cœlum: da calicem aquæ frigidæ, & accipe torrentem voluptatis æternæ, recipe pauperes, ut ab eis recipiaris: da eleemoſynam pauperi, & accipies juſtificationem animæ per liberationem à peccato: da pauperi, & recipe cum fœnore, & locuples fies in merito, & donis cœleſtibus: da in hac vita, & tu recipies in alia *ſer. 1. Dom. 3 Pentec. & ſer. 5. Dom. 8. Pentec.*

196. *Eleemoſyna eſt actus miſericordiæ, & ſimul juſtitia: ſic & confeſſio peccatorum & pœnitentia.*

Ante obitum operare juſtitiam: quia non eſt invenire apud inferos cibum. Conveniunt in hoc D.D. quod ſacer textus loquitur, non ſolùm de operibus juſtitiæ, ſed etiam de erogatione eleemoſynæ: mirum tamen eſt, quòd ipſam appellet opus juſtitiæ: nonne eſt actus miſericordiæ? ſed reſpondetur, quòd ideo hic actus miſericordiæ appellatur juſtitia, quia erogando eleemoſynam, reddit homo pauperibus, quod ſuum eſt, & debita eum ipſis ſoluit: ideo divitum non ſunt ſuperflua, ſed pauperum: dicit igitur; operare juſtitiam ante obitum tuum: ſcilicet te exerce in hoc opere juſtitiæ, ideſt nunc de peccato pœnitere, nunc confiteri, nunc eleemoſynas dare ſtudeamus; quia nulla iſta poſſunt eſſe poſt mortem; nec tunc eſt cibum invenire, quo famem noſtram valeamus reparare: quod non poterunt obtinere miſeri damnati, qui in inferno fame, ſiti, & frigore ſemper tabeſcent. *ſer. 5. de pluri. Mart. & ſer. 2. de S. Jacobo.*

197. *Vita noſtra decurſu ad mortem expenditur.*

Omnis caro ſicut fœnum veteraſcit, & ſicut folium fructificans in arbore viridi. Alia generantur, & alia dejiciuntur: ſic generatio carnis, & ſanguinis, alia finitur, & alia naſcitur. Cur potius fœno aſſimilat ſapiens carnem noſtram, quàm aliis rebus? optima ratione id facit, quia inter cæteras herbas, ſolùm fœnum ſcinditur antequam matureſcat: & per hoc dat intelligere brevitatem vitæ noſtræ: & ideo addit, quòd generatio carnis, alia finitur, alia dejicitur: ideſt vita noſtra eſt continuus tranſitus ad mortem: quia ſicut folium fructificat, ſcilicet ſtatim ac fructum producit, elanguet, & vergit in occaſum; ſic & vita noſtra. *Eccle. c. 3. & 1. Pſal. 21.*

198. *Præſentia divina exercitium quid prærequirat, ejuſque fructus.*

Beatus vir, qui in ſapientia morabitur, & qui in juſtitiâ ſuâ meditabitur; & in ſenſu cogitabit circumſpectionem Dei. Notanda diligenter hæc verba à ſervis Dei, in quibus ſuadet, acquiſitionem ſapientiæ, quæ eſt cognitio, & dilectio Dei; item meditationem juſtitiæ divinæ, ſcilicet ſanctitatis, & attributorum ejus; & cogitationem per ſenſum circumſpectionis Dei. Quomodo in ſenſu poteſt quis cogitare? ſed attende, quod per ſenſum intelligit conſiderationem ſenſatam præſentiæ Dei, omnia proſpicientis; ad quod requiritur fixa conſideratio quaſi ſenſibilis talis præſentiæ: ſed tamen dicens: beatus, qui in ſapientia moratur, docet, quòd ad hoc exercitium præire debet contemplatio ſapientiæ, & ſanctitatis, & aliorum attributorum Dei: quod debet fieri perſeveranter efficaciterque, tamquam quærendo Deum ſibi præſentem: qui igitur incumbit huic exercitio, verè beatus eſt, & particeps beatitudinis cœleſtis. *Pſal. 118. c. 3. v. 15. op. de profec. religioſ. l. 2. c. 20. ſtimul. p. 2. c. 2. & 4. & 7. ſap. prolog.* Vide igitur, quòd ad contemplationem divinæ ſapientiæ, conſequitur tamquam effectus proprius ſenſata circumſpectio Dei; ideſt exercitium divinæ præſentiæ, & hinc participatio beatitudinis cœleſtis.

199. *Chriſti vulnera ſunt portæ, & feneſtræ, per quas intratur ad participationem Paradiſi.*

Beatus qui reſpicit feneſtras illius, & in januis illius audiens. Quænam ſunt feneſtræ, & januæ divinæ ſapientiæ? Nota, quòd divina ſapientia eſt Chriſtus; ejuſque vulnera ſunt portæ, & feneſtræ omnibus expoſitæ, & præcipue volenti ſe exercere in præſentiâ Dei, reſpiciat ergo anima ad iſtas januas, quia per ipſas intrare poterit tamquam in Paradiſum glorioſum, & ex ipſis, & in ipſis haurire lac, & ſanguinem, & theſaurum gratiarum. *ſer. 4. in Paſcha; & ſer. 4. in oct. Paſchæ. & op. p. 1. c. 1. ſer. 3. Dom. 4. quadrag.* ſed ad majorem conſolationem noſtram ponderanda ſunt verba, quæ ſacer textus ſubjungit, dicens: qui requieſcit juxta domum illius, & in parietibus illius figens palum, ſtatuet caſulam ſuam ad manus illius, & requieſcent in caſula illius bona per ævum, ſtatuet filios ſuos ſub tegmine illius. Quæ omnia perfectiſſimè agnovit Seraph. Doctor, qui in ipſius Ieſu vulneribus, ſibi fabricavit caſulam, & domum, & tabernacula, in quibus legebat, orabat, comedebat, & dulcedine paradiſi fruebatur. *Op. ſtim. p. 1. c. 1.*

CAP. XV.

200. D*EI timor filialis cumulat bona opera; & voluntatem Dei perficere ſemper ſtudet*; Unde hic dicitur. Qui timet Deum faciet bona, &c. *Op. de grad. virtut. c. 28. comp. Theol. l. 5. c. 39.*

Digitized by Google

201. *Maria Virgo, quia Mater Dei honorificata, Mater facta eſt noſtri.*

Obviabit illi quaſi Mater honorificata, & quaſi Mulier à virginitate ſuſcipiet illum. Hic ſacer textus loquitur ad litteram de ſapientia Dei; ſed myſticè adaptatur B. Virgini Mariæ, ſic S. Ildephonſus, aliique Patres: dicitur enim Mater honorificata, & quia multo honore digna, & quia filiis ſuis multum honorem præſtat: & meritò, nam ipſa eſt Mater Filii excedentis omnem nobilitatem humanam, & angelicam; ideo & ipſa nobiliſſima, & omni honore digniſſima mater: Mater item eſt omnium Fidelium, univerſalis, per quam Chriſtus eſt frater noſter, per quem inducimur ad dilectionem per miſericordiam, ad timorem per juſtitiam, ad agnitionem per ſapientiam, ad ſpem per gloriam. *Op. ſpecul. B.Virg.lec.*10. *&* 16.

202. *Panis vitæ, & intellectus, & aqua ſapientiæ, ſcilicet doctrina cœleſtis, qua Chriſtus paſcit ſuos, quam ſublimis, dulcis, & utilis.*

Cibabit illum pane vitæ, & intellectus, & aqua ſapientiæ ſalutaris potabit illum, & firmabitur in illo, & non flectetur. Ecce quales cibos præparat divina ſapientia ſuis cultoribus; nempè panem vitæ, & intellectus: ſed quis panis vitæ, & intellectus? dicitur panis intellectus, ut ipſum diſcernat à pane materiali: & hic eſt unicus, & multiplex cibus: nempe veritatis puræ perceptio, non per figuras, & velamina, qua anima Deum videre ſtudet per quandam experimentalem deguſtationem, & unionem: quia non ſolùm interius facit Deum cognoſcere, ſed & intimè, & veraciter ſuper omnia amare. *Op. de dono intellec. c.*7. *Luc.c.*9. *v.*17. *c.*11. *v.*8. *c.*22. *v.*12 *Ioan.collat.*21. 30. *&* 38.

203. *Chriſtus cibavit S. Ioannem Evangeliſtam in ſinu ſuo iacentem pane vitæ, & intellectus, ut ipſe reficeretur plenitudine divinæ ſapientiæ, & ad nos transfunderet ipſam, ſicut, & ipſe fecit in Evangelio. In Ioan.collat.*62.

204. *Panis doctrinæ ſolùm reficit operantes, non otioſos.*

Cibabit illum pane vitæ, & intellectus, & aqua ſapientiæ, potabit illum. Ergo ne Chriſtus ſuis ſolùm exhibet panem, & aquam? ſed attende, quòd dicitur panis, non ſimpliciter, ſed panis vitæ, & intellectus, & aqua ſapientiæ: ut det intelligere, quòd panis habens omne delectamentum ſuavitatis eſt doctrina, & ſapientia cœleſtis: idest ſapientia Sacræ Scripturæ, ejuſque intelligentia anagogica, quæ ſimul paſcit, & potat ipſam ſumentes: ut autem paſcat, & reficiat animam, exigit operationem; nam otioſis non datur: & ideo dicitur panis vitæ propter opera bona, & intellectus propter illuminationem mentis, quam ſecum ducit, & aqua ſapientiæ, propter refectionem animæ. *Op. de dono intell. c.*7. *ſer.* 2. *Dom.*4. *Quadrag.Pſal.*1. *&* 141. Nota autem, quod dicitur aqua ſapientiæ potabit illum: ſcilicet ſapientia hæc cœleſtis dicitur potus, in quantum ſitis ſæcularis extinguit ardorem: guſtatâ enim iſtâ ſapientiâ, deſipit omnis caro; & quia dirigit omnes vires animæ ſecundum ductum Spiritus, dicitur etiam cibus deſcendens, & ordinans omnes ad proprium uſum perfectum Spiritus, *l.*1. *d.*14. *dub.*5.

205. *Euchariſtia quare dicitur panis vitæ, & intellectus, & aqua Sapientiæ.*

Cibabit illum pane vitæ, & intellectus, & aqua ſapientiæ potabit illum. Per hunc panem vitæ, & intellectus intelligitur ſacramentum Euchariſtiæ, verè panis vitæ, & intellectus, ſcilicet illuminans intellectum, & reficiens animam; ſed tamen additur: aqua ſapientiæ: quia ad hoc ut habeantur iſti effectus, requiritur aqua lachrymarum, & pœnitentiæ, in cujus veritatis ſignum, Chriſtus mittens ſuos diſcipulos ad præparandum cœnaculum, dixit: occurret vobis homo amphoram aquæ portans, quia hæc amphora requiritur in cænaculo, ubi diſtribuitur iſte panis. *Luc. c.*22. *v.*12.

206. *Panis Eccleſiæ à Maria paratus.*

Cibabit illum pane vitæ, & intellectus. Quis eſt, qui cibabit timentem Deum? Mater honorificata: obviabit illi quaſi Mater honorificata, & cibabit illum, ſcilicet Maria Virgo; Mater honorificata: meritò igitur hoc dicitur de Maria, quia ipſa eſt, quæ ut Mater noſtra nobis providit Chriſtum; qui dicitur fructus ventris ſui, & corporaliter per aſſumptam naturam humanam, & ſpiritualiter per gratiam, & ſacramentaliter per Euchariſtiam, & æternaliter per gloriam: ipſa enim in ſuo utero paravit hunc cibum nobis Filiis ſuis. *Op. ſpecu. B. Virg. lec.*16. *& meditat.c.*4. *Pſal.*138. *&* 106.

207. *Multiplex aqua eſt, qua potamur à Chriſto.*

Et aqua ſapientiæ potabit illum, & firmabitur in illo, &c. Quæ aqua eſt iſta, qua Chriſtus ſapientiâ patris nos potat? Nota quod triplex aqua eſt, qua potamur: ſcilicet aqua compunctionis peccata abluens: ſecunda eſt gratia ſanctificans, extinguens concupiſcentiam: tertia eſt ſapientiæ, quæ à latere Chriſti fluxit, qua anima ſitiens potatur, & reficitur. *Pſal.*143.

208. *Doctores, & Concionatores inſtituuntur, & inſtruuntur circa ſuum munus exercendum.*

In medio Eccleſiæ aperiet os eius, & adimplebit illum Dominus ſpiritu ſapientiæ & intelligentiæ; & ſtola gloriæ veſtiet illum. Loquitur hic ſacer textus de Doctoribus, & Concionatoribus, eos inſtruens, primò quibus debeant ſermones depromere: ſecundò unde incipere: tertiò ubi terminare: nempe debent depromere Eccleſiæ quæ eſt congregatio fidelium, non ſynagogæ brutaliter viventium, & verbum Dei rejicientium: ſecundò debent incipere à medio ſcilicet à Chriſto, qui eſt mediator Dei, & hominum, & verbum Patris ducens in ipſius cognitionem: ideo ad Chriſti cognitionem, & amorem aſſequendum debent ſuam prædicationem dirigere: tertiò debent terminare ſermonem ad animarum profectum in

plenitudine ſapientiæ, quæ illuſtrat intellectum, inflammat, & lætificat affectum, & roborat operativam potentiam exemplaris vitæ, *ſer.* 1. & 2. *Hexam.*

209. *In Chriſti ſchola qualis metaphyſica edoceatur.*

In medio Eccleſiæ aperiet os ſuum. In quo medio? ſcilicet in Chriſto, qui eſt medium omnis ſapientiæ, & doctrinæ, & ſine quo omnes ſcientiæ ſunt vanæ: medium inquam, ideſt eſſentiæ metaphyſicum, æternali generatione primarium: quia enim metaphyſica conſiderat ens in ſua abſtractione, ob id omne ens reduci habet ad primum; ſcilicet ad eſſe primum Patris ex ſeipſo, qui eſt principium originans: eſſe primum ſecundùm ſeipſum in ratione medii exemplantis, quòd eſt verbum: eſſe primum propter ſe in ratione termini quietantis, qui eſt Spiritus Sanctus. Et hinc patet diſcrimen inter Metaphyſicam Ariſtotelis, & Chriſtianam: nam illa conſiderat quidditates nudiſſimas, & abſtractiſſimas, & per hoc inſipidiſſimas, nullum ſaporem, & fructum afferens affectui: at hæc metaphyſica Chriſtiana conſiderat veritates relucentes in prima, & æterna veritate; quæ eſt Verbum, imago, & forma, exemplar, ars, & ſimilitudo Patris, exprimens omnes alias veritates, & per quam reducimur per cognitionem, & affectum in eandem primam cauſam: & hæc eſt tota metaphyſica ſcholæ Chriſtianæ. *ſer.* 1. *Hexam. & op. princip. S. Scripturæ.*

210. *In ſchola Chriſti qualis Phyſica, & Philoſophia edocetur.*

In medio Eccleſiæ, &c. ſcilicet in Chriſto, qui eſt medium omnium ſcientiarum, & per conſequens etiam phyſicæ Chriſtianæ: ſicut enim phyſica mundana conſiderat mobile, & generationem ſecundùm influentiam corporum cœleſtium in elementa, & ſecundùm ordinationem elementorum ad formam mixtionis, & ſecundùm ordinationem formæ mixtionis ad formam complexionis ſeu corporeitatis, & hujus ad animam vegetabilem, ſenſibilem, & rationalem, in qua eſt finis, & ad hoc utitur duplici medio, ſcilicet mundi majoris, quòd eſt ſol, & minoris, quòd eſt cor: ex quibus duobus mediis regular Phyſicus conſiderationem generationum, & motuum: ſic in Philoſophia chriſtiana, Chriſtus eſt medium, ſcilicet ſol, caput, & cor, maximè in incarnatione, à quo effluunt omnes ſpiritus in membra, & omnes motus: ex qua doctrina apprehenditur neceſſitas, quam habent membra unionis per gratiam ad hoc caput, & ſine qua unione, corruptioni & morti ſubjacent. *ſer.* 1. *Hexam.*

211. *Qualis mathematica in ſchola Chriſti edocetur.*

In medio Eccleſiæ, &c. ideſt in Chriſto fonte totius ſapientiæ, ergo & mathematicæ chriſtianæ: ſicut enim mathematica mundana conſiderat quantitatum proportiones manifeſtas, & ſecundùm ipſas docet metiri hæc corpora, quorum medium eſt terræ menſura; ſic mathematica chriſtiana habet pro medio Chriſtum, qui operatus eſt ſalutem in medio terræ: & ob id in centro humilitatis crucis, ſecundum quòd docet, ut menſuremus nos ipſos. *ſer.* 1. *Hexam.*

212. *Qualis logica in Schola Chriſti.*

In medio Eccleſiæ, &c. ſcilicet in Chriſto, in quo habemus perfectiſſimæ logicæ ſcientiam: ſicut enim Logica mundana utitur medio, ut unitum cum extremis compellat rationem ad aſſentiendum: ſic Chriſtus, in ſe copulavit duo extrema, ſcilicet divinitatem, & humanitatem, ut hinc eliceremus perfectam concluſionem, credendo ipſum Deum, & hominem, & ipſum imitando ad diſſolvenda ſophiſmata diaboli. *ſer.* 1. *Hexam.*

213. *Qualis Philoſophia moralis in Schola Chriſti.*

In medio Eccleſiæ, &c. ſcilicet in Chriſto fonte omnium ſcientiarum; & ob id etiam Philoſophiæ moralis: ſicut enim hæc conſiderat virtutem in communi conſiſtentem in medio, & recedentem ab extremis, & ſecundum hoc, deſcendit ad conſiderationem quatuor virtutum cardinalium: ſic in ſchola chriſtiana hoc medium eſt Chriſtus, & talem ſe oſtendit in aſcenſione, quando nubes ſuſcepit eum in cœlo ab oculis ſuorum; ut hinc invitaretur anima ad aſcenſum in Cœlum per exercitium virtutum, aſcendendo de virtute in virtutem, non ſtatuendo terminum virtutis, quouſque pervenitur ad Cœlum. *ſer.* 1. *Hexam.*

214. *Spiritus Sapientiæ in domo Dei qualis.*

In medio Eccleſiæ, & implevit eum Dominus Spiritu ſapientiæ. Quis eſt Spiritus ſapientiæ? Hoc eſt donum ſapientiæ Spiritus ſancti: eſtque lux deſcendens à Patre luminum, & radians in animam; ſcilicet illuſtrans intellectivam, inflammans affectivam, & corroborans operativam, facit ipſam animam Dei formem, & domum Dei. Hoc donum tribuitur ſecundùm menſuram fidei, quia ſecundùm gradus captivationum intellectualium, operante principaliter affectu, eſt gradus effuſionum ſpiritualium, & ſapientialium. *ſer.* 2. *Hexam.*

215. *Donum intellectus quale ſit.*

In medio Eccleſiæ, &c. & implevit eum Spiritu ſapientiæ, & intellectus. Nomine intellectus hic non venit vis naturalis, ſeu habitus animæ, quo intellectualia naturaliter percipit; ſed ſtat pro dono Spiritus Sancti, quod eſt habitus ſupernaturalis à Spiritu Sancto infuſus in animâ principiorum ſupernaturalium, quæ ſunt articuli fidei; & ex conſequenti quarumdam operationum, quæ ordinantur ad fidem; quia fides per dilectionem operatur: & ideo virtute hujus habitus, anima penetrat ad cognitionem, & penetrationem arcanorum cœleſtium: exigit autem hoc donum in ſuſcipiente gratitudinem, quæ conſiſtit in hoc, quod homo cognoſcat ſeipſum miſerum & incapacem, & Deum auctorem omnium bonorum, ei gratias agendo. Ad hoc donum

donum recipiendum diſponimur, ſinceriſſimè, & ſanctè vivendo, manſuetiſſimè converſando, & intelligentiam captivando in obſequium Chriſti: ſic autem per donum intellectus docet quid evitandum, quid agendum, quid expectandum. *Ser. 3. Hexam.*

216. *Adventus Spiritus ſancti in animam per infuſionem donorum ſuorum, excitat ad laudes Dei.*

In medio Eccleſiæ, &c. & implevit eum ſpiritu ſapientiæ, & intellectus; & aqua ſapientiæ. Nota, quod ſimul cum impletione ſapientiæ, & intellectus, connectit apertionem oris: ſcilicet ad Deum laudandum, & prædicandum ipſius mirabilia: hicque eſt fructus adventus Spiritus ſancti in animam. *in Luc. c. 1. v. 67. & v. 42.*

217. *Chriſtus in medio ſemper ſtat, & medium amat.*

In medio Eccleſiæ aperuit os eius, &c. Hic eſt Chriſtus, qui dicitur ſtare in medio, medium amans: ideſt ut ſe oſtendat mediatorem Dei & hominum: item ſtat in medio, ut ad illuminandum Mundum; & ſicut cor ad vivificandum membra; & ſicut Imperator in medio militum, & ſummus Pontifex in medio Cardinalium ad omnium gubernationem, item & Magiſter in ſcholarium eruditionem: vide igitur quàm ardenter amet Chriſtus nos, illuminando, inflammando, armando, & elevando ad ſtatum nobiliſſimum ſuos fideles. *In Ioan. c. 20. v. 28. in Luc. c. 2. v. 44.*

218. Jucunditas, & exultatio, ſcilicet conſolatio, & gaudium interius, & exterius datur à Deo per adventum ipſius in animam per gratiam: unde hic additur: *Iucunditatem, & exultationem theſaurizabit, &c. in Sap. c. 8.*

219. *Dei laudes à juſtis libenter ipſe audit: ab impiis nequaquam.*

Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris: &c. ſapientiæ Dei aſtabit laus, & in ore fideli abundabit. Ecce diſcrimen inter eos, qui Deo grati ſunt ipſum laudando: & è contra; Deo non eſt ſpecioſa, ideſt meritoria laus in ore peccatoris: benè autem in ore juſti. *Luc. c. 4. v. 35. c. 6. v. 45. c. 11. v. 14. l. 4. d. 17. p. 2. a. 2. qu. 4.*

220. *Deus non ſolùm liberum fecit hominem; ſed juſto judicio aliquando relinquit peccatorem in manu conſilii ſui ad ſui majus præcipitium.*

Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui, &c. In his verbis duo attendenda ſunt diligenter: primò, quòd conſtituerit Deus hominem ab initio, ſcilicet à ſua origine liberum, & habentem libertatem formaliter ad malum, ad bonum, & ad omne, quòd ſibi libuerit: ſecundum eſt, quòd reliquit eum in manu conſilii ſui: nempe quòd poſt electionem ſuam liberam factam in malum, & ad malum, reliquit ipſum in manu; ideſt in poſſeſſione effectuum electionis ſuæ malæ, ſic exigente juſto Dei judicio: ſic fecit cum Adam poſt tranſgreſſionem; ut experiretur ab eo effectus ſuæ malæ voluntatis, & ærumnæ inde conſequentes: ſic cum filio prodigo, cui diviſit ſubſtantiam ſuam, ex quo in profundum miſeriarum devenit. *Luc. c. 15. v. 12. c. 20. v. 9. in Ioan. c. 3. v. 28. & c. 15. v. 8.*

221. *Qui mandata Dei ſervat, ab illis ſervatur ab omni malo:* Unde hic dicitur: ſi volueris mandata ſervare, conſervabunt te. *Pſal. 118. c. 1. v. 4.*

CAP. XVI.

222. *Parentes non delectari debent in multitudine filiorum impiorum; ſed in probitate etiam unius.*

NE jucunderis in filiis impiis, ſi multiplicentur: nec oblecteris ſuper ipſos, ſi non eſt timor Dei in illis: non credas vitæ illorum; & ne reſpicias in labores eorum. Hæc verba dicuntur à Deo parentibus, qui vanè gloriantur de multitudine filiorum, etiam ſi mali ſint; quia hanc proſperitatem frequenter habent impii; & quia confidunt ipſos futuros ſublevamen, & adjutorium ſecurum in eorum ſenectute; ſapiens notat ipſos valde decipi in hac vana ſpe, dicens & ne reſpicias labores &c. quia vel non vivent, vel ſi vivent, erunt in cauſa amaritudinis, & afflictionis cordibus parentum: eſt ergo maxima vanitas hæc oblectatio. *In Ecclen. c. 6.*

223. *Apud Deum plus unus juſtus valet, & æſtimatur, quàm maxima multitudo impiorum.*

Melior eſt enim unus filius timens Deum; quàm mille filii impii: & utile eſt mori ſine filiis, quàm relinquere filios impios &c. Hoc dictum ſapientis certiſſimum eſt; & apud fideles notiſſimum: quia Deus plus æſtimat unum juſtum, quàm centum, & mille impios; illum enim diligit; iſtos odit *Op. Diat. tit. 5. c. 1.*

224. *Omnis homo in hac vitâ eſt peregrinus vel in malum, vel in bonum.*

In ſynagoga peccantium exardebit ignis, &c. Non exoraverunt pro peccatis ſuis antiqui gigantes, &c. & non pepercit peregrinationi Loth. In his verbis oſtendit ſapiens, quàm abominabiles ſint apud Deum peccatores, eo quòd eos non relinquit impunitos; & affert exemplum de punitione factâ de gigantibus in tempore diluvii, & Provinciæ Pentapolitanæ: nec enim peregrinatio, & manſio Loth in illa regione aliquid profuit. Myſticè autem dat nobis intelligere per peregrinationem tali regioni inutilem Loth, quòd omnes ſtamus in hac vitâ peregrini: ſed alii in bonum, alii in malum: in malum ſunt omnes peccatores, qui peregrinantur de vitio in vitium, & de vitio in ſupplicium: in bonum eſt peregrinatio juſtorum, qui peregrinantur de virtute in virtutem, & de virtute in præmium. *Pſal. 118. cap. 4. verſ. 6.*

225. *Peccatum*

225. *Peccatum eſt ignis devorans omnia bona: ſolâ aquâ pœnitentia extingui poteſt.*

In ſynagoga peccantium exardebit ignis: & in gente incredibili exardeſcet ira. Quis eſt ignis iſte, qui in congregatione peccatorum exardeſcit? Hic eſt ignis maculans, deformans animam, & devorans omnia bona, inficienſque naturam, eſtque culpa. Verè enim peccatum mortale eſt ignis portans omne excidium: quia peccatum maculat animam, inficit naturam, deſtruit omnia bona, & in cinerem ea redigit: Ignis iſte ſolâ aquâ pœnitentiæ poteſt extingui. Sed advertat peccator, quod ignis difficile extinguitur, poſtquam plurimum in lignis convaluit, & culpa quando in anima radicata eſt fortiter difficillimè levatur: citiſſimè igitur illi per pœnitentiam occurrendum. *Ser. 1. de S. Laur.*

226. *Secundùm qualitatem operum miſericordiæ, Deus nobis dabit premium.*

Omnis miſericordia præparat locum ſecundùm operu ſua. Hic ſapiens dat intelligere, quòd ſecundùm qualitatem operum miſericordiæ, quæ à nobis aſſumentur, etiam nobis Deus præparabit locum in gloriâ: qui enim omnia opera miſericordiæ exercebit in proximum; & iſte præparabit in cœlo locum plenum divitiis divinitatis in gloria: nam beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur; & ideo in judicio exercitium iſtorum operum in medium afferetur à Chriſto: *eſurivi, &c. ſer. 1. Dom. 1. poſt Pentec.*

227. *Nullum peccatum; vel peccator impunitus: ubi de præſentia Dei.*

Ne dicas: à Deo abſcondar: & ex ſummo quis operis mei memorabitur? Hæc ad litteram dicuntur, primò contra illos, qui decepti credunt Deum non reſpicere, vel attendere ad opera cujuſque privati hominis; & ob id poſſe ab ipſius oculis abſcondi; ſecundò ad eos, qui credunt eorum opera mala impunita poſſe remanere; contra quos ait ſapiens: ne credas, vel dicas: A Deo abſcondar: ſic etiam Cain dixerat: ecce ejicis me hodie à facie tua, & à facie tua abſcondar: hæc enim eſt maxima ſtultitia, credere poſſe latere ab oculis Dei, in cujus proſpectu ſunt cœli, & omnia creata; nec Deus umquam reliquit, vel relinquere poteſt ullum peccatorem, vel peccatum impunitum. *In Eccleſ. c. 8.* Et hinc ſubdit ſapiens v. 20. omne cor intelligitur ab illo: q. d. quod Deus ſcrutator eſt cordium, & diſcretor omnium cogitationum, nec aliquid ipſum poteſt latere. *in Luc. c. 20. v. 23.* Attende igitur & in mente tua ſemper habe hanc propoſitionem: Deus me ſemper, & ubique videt.

228. *Felix quem Deus dignatur reſpicere.*

Deus in terram reſpexit, & implevit illam bonis ſuis. Quomodo hæc dicuntur de Deo? nonne omnia ſunt oculis ejus aperta? quomodo dicitur Deus in terram reſpicere, ſi ubique eſt? ſed attende, quòd cum dicitur: Deum oculos ſuos figere in aliquid, idem eſt ac benignitatem, & miſericordiam in ipſum convertere: dum ergo dicitur, quòd Deus in terram reſpexit, idem eſt ac hominem juſtum ſuis donis replere: felix igitur quem Deus dignatur reſpicere. *In Ioan. c. 6. s. 6.*

229. *Deus peculiari modo ſuper omnes in Mariam reſpexit.*

Deus in terram reſpexit, & implevit eam bonis ſuis. Per terram hic intelligitur myſticè Maria Virgo, quæ fuit terra benedicta abſque ſpina peccati: & Deus dignatus eſt in eam reſpicere, & ſimul implere bonis ſuis: ſcilicet omnibus donis gratiarum: talibus enim decebat virginem oppignorare muneribus, ut eſſet gratia plena, quæ dedit cælis gloriam, terris Deum; pacemque refudit, fidem gentibus, finem vitiis, ordinem vitæ, moribus Diſciplinam: dicitur etiam impletâ bonis Domini, quia dedit fructus omnes deſiderabiles; ſcilicet opera, mores, exempla, & diverſa merita ſanctiſſimæ ſuæ vitæ. *Op. ſpecul. B. Virg. lect. 7.*

CAPUT XVII.

230. *Privilegia, & perfectiones hominis in ſua prima conditione expenduntur.*

DEUS creavit hominem de terra, & ſecundum imaginem ſuam fecit illum, & iterum convertit illum in ipſam; & ſecundum ſe veſtivit illum virtute. Sapiens in his verbis explicat privilegia, & perfectiones, quibus Deus ditavit hominem à ſui principio: nam creavit illum de terra, quantum ad corpus, & ſecundùm imaginem ſuam quantum ad animam; & convertit illum in ipſam, quantum ad gratiam ſuperadditam, quæ animam convertit ad Deum per virtutem habitus, ſecundum quos veſtivit illum virtute: ſicque in ſui principio habuit intellectum adæquatum, & perfectum ad cognoſcendam ſummam veritatem: voluntatem conformem ſummæ bonitati in diligendo, & virtutem continuatam ſummæ in operando: ſicque dedit illi virtutem dominandi omnibus rebus ſecundum rationis imperium. O quanta, & qualis felicitas, à qua ſtultus voluit decidere. *L. 2. ſent. in prolog. & d. 16. a. 1. q. 1. & d. 29. a. 2. q. 2. in Luc. c. 15. v. 8. c. 20. v. 24. in Eccleſ. cap. 7. in ſap. cap. 10.*

231. *Beneficia Dei in hominem expenduntur; ipſiuſque ingratitudo.*

Deus creavit hominem de terra, &c. numerum dierum, & tempus dedit illi, &c. In his, & ſequentibus verbis notantur beneficia, quibus Deus cumulavit, & quotidie cumulat hominem, ut gratum tanto benefactori ſe exhibeat: hæcque reducuntur præcipuè ad quinque capita, ſecundum quinque talenta ex *Matth. c. 25.* Primum eſt datum naturæ, ſcilicet tot beneficia naturalia: ſecundum datum fortunæ, ideſt tot bona temporalia: tertium potentiæ mundanæ: quartum datum

tum ſcientiæ: quintum datum gratiæ: ſed inter bona naturalia maximè hic notatur tempus vitæ dicens: numerum dierum, & tempus dedit illi: expende hoc, ô homo: quis tibi dat diem, quo hodie vivis, & omnes dies, quibus adhuc vives, vel vixiſti, niſi ſolus Deus? quot ergo dies, aut horas vixeris, tot beneficia à Deo recipis, & quid dicendum de bonis naturalibus, quæ in anima, & corpore, & in omnibus membris tibi dantur; & de temporalibus, & ſpiritualibus, & de ſacramentalibus: O dator Deus æterne! quanta putatis dabit in cælo, qui tanta dat in mundo? *Ser.4.in rogat.*

232. *Præcepta legis naturæ in omni ſtatu obligant hominem.*

Creavit illis ſcientiam ſpiritus: ſenſu implevit cor illorum, & mala, & bona oſtendit illis; poſuit oculum ſuum ſuper corda illorum, &c. Hic dat intelligere, quòd Deus in corde hominis inſpiravit ſua præcepta reſpicientia legem naturæ: & ideo hæc præcepta obligant in omni ſtatu tum naturæ inſtitutæ, tum deſtitutæ, tum legis ſcriptæ: & hinc præcepta decalogi ſuper ipſa ſunt fundata. *L.3. d.37.a.1.qu.3.*

233. *Lex data à Deo homini: qualia bona interius, & exterius afferat.*

Addidit illis diſciplinam, & legem vitæ hæreditavit illos. Nota hæc verba Spiritus ſancti, quibus dat intelligere, quòd homini primò dedit præceptum de diſciplina, & quòd hæreditate dedit illi legem vitæ: quæ eſt hæc lex vitæ? quia lex Dei format, & reformat, & perficit hominem & exterius, & interius: ſic enim omnem occaſionem mortis & in te, & in alios aufert: Hac lege Deus ſtatuit hominem formatum; ſed ea deſtituit deformatum, & eadem reſtituit reformatum: datque illi nomen hæreditatis; quia reducit hominem ad remunerationem, & poſſeſſionem præmii cæleſtis. *Pſal.118.c.5.v.8.c.7.v.13. c.10.v.9.*

234. *Charitatis in proximum præceptum in lege naturæ incluſum.*

Mandavit illis de proximo ſuo unicuique, &c. Vide quod Deus primis parentibus dedit præceptum charitatis proximi; ipſumque impreſſit in corde uniuſcujuſque: & ideo inobſervantiæ hujus præcepti non datur excuſatio. *Pſal. 118. c.1. v.4.c.4.v.8.in Luc.c.4.v.23.*

235. *Deus privilegiavit hominem ſuper omnia, deſignando illi Angelum Cuſtodem.*

In unamquamque gentem præpoſuit rectorem, & pars Dei Iſraël manifeſtata eſt. Ecce qualiter Deus honore ſublimavit hominem, deſignando in ſuam cuſtodiam Angelum cæleſtem, qui ipſum regeret, dirigeret, & cuſtodiret in omnibus viis ſuis: appellatque ipſum rectorem: quia Angelus miniſterium exercet non ſubjectionis, ſed præſidentiæ. *L. 2. dub.11. q.1. & d.16. a.2. qu.1.*

236. *Congregationes regulares ſunt veluti cælum ornatum ſole, ſtellis, &c.*

In unamquamque gentem præpoſuit rectorem, & pars Dei Iſraël facta eſt manifeſta; & omnia opera illorum veluti ſol in conſpectu Dei. Hic loquitur ad litteram de populo Iſraël, qui ob ordinem rectum ſimilem cælorum ordini, manifeſtatus eſt apud omnes gentes, tamquam populus peculiaris à Deo dilectus: ſed quia talis ordo, & pulchritudo tranſiit poſt adventum Chriſti ad chriſtianum populum; ideo rectè poteſt dici, quòd iſta verba verificantur ſpecialiter de congregationibus religioſorum, in quibus relucet ordo ſimilis illi, qui reſidet in cælis; nempe, quia aliqui gerunt vicem prælationis, & hi ſunt veluti ſolſtitiales, in quorum vita, & converſatione ſol juſtitiæ debet expreſſus relucere, veluti ſol in conſpectu Domini: Alii ſunt Equinoctiales, ſuntque illi, qui in ſtatu ſubjectionis, die, noctuque debent æquare, & continuare in laudibus Dei: Contemplativi vero ſunt circuli æſtivales, qui polo appropinquant, & verſus verticem cæli ſe elevant: Activi ſunt circuli hyemales, terræ appropinquantes, ſolliciti laborare pro aliis. *Op. de Eccleſ.Hier.p.4.c.4.*

237. *Eleemoſyna eſt ſacculus, in quo recondita, & obſignata manet gratia, & gloria.*

Eleemoſyna viri quaſi ſignaculum cum ipſo: & gratiam hominis quaſi pupillam conſervabit; & poſtea reſurget, & retribuet illis retributionem unicuique in caput ipſorum, & convertet in ſuperiores partes terræ. Notandum, quod in veteri Codice legebatur loco ſignaculi, ſacculus; ſic & in omnibus locis cit. à S. Bonavent. ponitur ſacculus: at in correctioribus legitur ſignaculum: uterque tamen optime convenit ſenſui dictato à Spiritu ſancto in hoc textu: dat enim intelligere, quòd ſicut in ſacculo viaticum reponitur, ad quod in neceſſitate recurrimus; ſic eleemoſyna in morte ſubvenit tamquam ſacculus, & pera, in qua, & cum qua multa bona, ſcilicet remiſſio peccatorum, gratiâ, gloria, Dei aſſiſtentia ſervata ſunt ad illud tempus: quia ſola miſericordia comes eſt defunctorum: & quia ſacculus ſolet ad majorem ſecuritatem obſignari ſigillo; ſic etiam eleemoſyna poteſt dici ſigillum regium hujus ſacculi; ut etiam dicebat Chryſoſtomus; quo in tuto retinentur ſupradicta bona; & obtinetur à Deo quicquid petitur, & deſideratur: felix, & verè dives, qui facit ſibi ſacculos, qui non veteraſcunt, theſaurumque ſibi præparat pro alia vita, non deficientem in cœlis. *In Luc.c.6.v.11. & 37.c.10.v.7. cap.11. v.40.c.12.v.33.c.14.v.14.& c.22.v.36.*

238. *Ex operibus miſericordiæ lucrum quod reportatur eſt pœnitentiæ inſpiratio, confirmatio divini auxilii, & gloriæ acquiſitio.*

Pœnitentibus autem dedit viam juſtitiæ, & confirmavit deficientes ſuſtinere, & deſtinavit illis ſortem veritatis: convertere ad Dominum, & relinquere peccata. Ecce quàm maximum fructum reportant viri miſericordes: reportant enim in-

pirationem pœnitentiæ veræ, relinquere corde,& opere peccata, & converſiooem ad Dominum cum puritate conſcientiæ : iſtis igitur dat Dominus viam juſtitiæ per remiſſionem culpæ : & quia cum ſint pœnitentes, denotant converſi,in hac via juſtitiæ ſolent deficere, ſi ſuæ voluntati relinquaotur, ſive culpæ, ideo Deus eos confirmat documento divinorum eloquiorum,& exemplo ſanctorum,donans ſortem æternæ veritatis, & ſupernæ hæreditatis: Ecce qualis ſors viri miſericordis, & verè pœnitentis. *Ser.4.Dom.14 Pentec.Pſal.118.c.2.v.12.*

239. *Meditatio judiciorum, & juſtitiæ Dei quanta bona afferat peccatoribus.*

Revertere ad Dominum,& avertere ab injuſtitiâ tuâ, & nimis odito execrationem, & cognoſce juſtitias,& judicia Dei,& ſta in ſorte propoſitionis. & orationis altiſſimi. Proſequitur ſapiens vocando peccatores ad pœniteotiam, & converſionem; & ut efficaciter obtineat intentum, proponit peccatori recordationem, & meditationem judiciorum,& juſtitiæ Dei : ut ſic excitatus, peccatum relinquat, & juſtitiæ viam amplectatur: q.d.revertere ſcilicet ad judicem à præjudiciis avertere, ideſt corrigendo vitam tuam, præjudicia deteſtare,& jodicia meditare, quæ juſta, & ſevera ſunt in puniendo, quorum terrore perterritos, ſta in ſorte propoſitionis, & orationis devotæ in conſpectu altiſſimi.*Ser.4.Dom.14. Pent.Pſal.118.c.10.v.5.In Ioan.coll.19.*

240. *Perfecta converſio exigit confeſſionem peccatorum, & propoſitam in via virtatis.*

Sic dicitur à ſapiente hic : *In parte vade ſæculi ſancti, cum vivis, & dantibus confeſſionem Deo : non demoreris in errore impiorum, ante mortem confitere*, q.d. Tu qui per pœnitentiam, & eleemoſynas, cæteraque opera ſatisfactoria ad Deum converſus es, & in illius gratiam aſcitus es, quod vitæ reliquum habes, totum in divinas laudes, & gratiarum actiones, & frequentem confeſſionem impende : ſicque ibis in partes ſæculi ſancti, ſcilicet ambulabis viam ſanctorum ad Cœlum.*Luc.c.17.v.14.Ioan.c.8.v.11.*

241. *Pœnitentia non differenda uſque ad mortem.*

Ante mortem confitere : à mortuo quaſi nihil, perit confeſſio. Poſtquam ſapiens invitavit ad pœnitentiam. nunc tempus aſſignat, excludens aliud poſt mortem,pœnitentiam exigit ante mortem; ante tempus infirmitatis mortalis, & mortis temporalis : ratio eſt, quia quando præſcriptio eſt prope terminum ſuum, periculum imminens eſt amittendi res noſtras : ſic nobis tempus à Diabolo per multiplicationem peccatorum præſcriptum eſt valde periculoſum, ſi non auferatur præſcriptio lachrymis, confeſſione, & oratione : vivus ergo, & ſanus convertere ad Dominum; quia à mortuo confeſſio facta, nihil valet *Op.Dict.tit.1.c.7.in Luc c.16.v.30.*

242. *Suadetur frequens confeſſio homini, dum vivus, & ſanus eſt.*

Confiteberis vivens,vivus,& ſanus &c. In his verbis Spiritus ſanctus intendit ſuadere peccatori, ut pœnitentiam, confeſſionemque peccatorum, & laudis divinæ aſſumat ante mortem, dum vivit, & ſanus eſt. cum ſit certus de mortis, aut infirmitatis celeritate : non quòd pœnitentia rectè facta in infirmitate, & prope mortem non ſit valida; ſed hoc ob periculum, & difficultatem ipſam rectè faciendi. Notandum etiam, quòd dicit : vivus, & ſanus confiteberis, abſque eo quod determinet tempus, ut videas, quòd hæc medicina confeſſionis eſt frequentanda, & reiteranda frequenter : O quam felix eſt iſte, qui ſecutus erit invenire miſericordiam Dei. *Ser.8.in rogat. Pſal.118.c.1.v.7.In Ecclen.c.12.*

243. *Dei miſericordia in ſe convertentes, & pœnitentes expenditar.*

Quàm magna miſericordia Dei, & propitiatio illius convertentibus ad ſe. Poſtquam ſapieos invitavit peccatores ad pœnitentiam, proponit conſiderationem magnitudinis divinæ miſericordiæ, quam Deus exercet in converſos, & pœnitentes : dicit igitur : quam magna, ſcilicet oon ordinaria, non modica, ſed magna, imo maxima eſt hæc Dei miſericordia in acceptando peccatores, & pœnitentiam noſtram : magna equidem, ideſt major quam noſtra miſeria : tardius ſiquidem ei videtur veniam dare, quam peccatori accipere : vere magna, quia feſtina, & liberaliſſima; quia ſic feſtinat à tormento conſcientiæ eum abſolvere, quaſi eum plus cruciet compaſſio miſeri, quàm ipſum miſerum paſſio ſui.*Ser.3.Cinerum.*

244. *Idem de divina miſericordia.*

Quam magna miſericordia Dei, & propitiatio illius convertentibus ad ſe. Vide quam magna : nempe magna oſteoditur tripliciter; ſcilicet in peccatorum remiſſione, in collatione, & conſervatione gratiæ, & remuneratione gloriæ.*ſer.2. Dom.10. Pent.* Addit autem textus : noo omnia poſſunt eſſe in hominibus &c.ut denotetur fragilitas humana, ejuſque indigentia de divina miſericordia : cum igitur in communicando eam nobis Deus reſpiciat hanc noſtram inhabilitatem, idem & debent facere Prælati; nempe non exigere ab omnibus æqualiter, ſcientes, quòd non omnes ſunt æqualiter perfecti. *Op.de ſex alis ſeraph.c.4.*

245. *Nihil pejus peccato.*

Quid nequius eſt, quam quod excogitavit Caro, & ſanguis. Ideſt quid nequius quam fructus concupiſcentiæ, qui eſt peccatum? nihil enim eſt pejus peccato; quia in ipſo eſt contemptus divinæ potentiæ, injuria læſæ majeſtatis, tranſgreſſio divinæ legis, & abuſio creatæ univerſitatis. *Ioan.collat.71.ſer.1.Dom.3.poſt oct.Paſcha,*

246. *Contemplativi in Cælo habitant : Peccatores in terra.*

Virtutem altitudinis cæli ipſe conſpicit, & omnes homines terræ, & cinis. Quid eſt conſpicere virtutem altitudinis Cœli? quia loquitur de hominibus cæleſtibus, qui virtute contemplationis Cœlum habitant, & ad Deum perveniunt; ipſeque ſolus conſpicit ſublimitatem eorum: conſpicit & terreoos, & peccatores habitantes terram, ipſorumque pericula.*Op.Eccl.Hier.p.4.c.4.*

CAPUT

CAP. XVIII.

247. *Quomodo dicitur Deus omnia creaſſe ſimul, cum multa ſucceſſivè fecerit, & faciat.*

QVI vivit in æternum, creavit omnia ſimul. Si ſimul, ergo falſum eſt, quod per decurſum ſex dierum creaverit creaturas? ſed reſpondetur, quod utrumque eſt verum, creaſſe enim omnia ſimul dicitur in ſuis principiis, ſcilicet in materia prima, ex qua poſtea ſucceſſivè eduxit formas elementorum, & mixta; illa dicitur creatio, iſta factio. *Op Brevilog.p.2.c.5.l.2. d.12. a.1. q.2. op. Comp.Theol.l.2.c.1.*

248. *In Deò laudibus, ubi non ſuppetunt vires, ſuppleat cor, & deſiderium.*

Unde hic dicitur: quis ſufficit enarrare opera ejus? quis inveſtigabit magnalia ejus? virtutem magnitudinis ejus quis enunciabit, &c. non eſt minuere, vel adjicere, &c. quaſi dicat nemo eſt: ſed tamen non per hoc debet homo ceſſare à laudibus divinis: & ubi non poteſt lingua, suppleat cor, & deſiderium, *Luc.c.8.v.39.*

249. *Humilitatis fundamentum primò jaciendum in fabrica ædificii ſpiritualis.*

Cum conſummaverit homo, tunc incipiet. Quomodo ex conſummatione & perfectione, tranſitus fit ad principium operis? ſed attende, quod conſummatio hæc eſt humiliatio, & vilificatio ſui, ſine qua non poteſt inchoari fabrica ſpiritualis ædificii. *Luc.c.17. v.8.* Hinc in ordine creationis rerum, dicitur: factum eſt veſpere, & poſtea mane, &c. ſic & Chriſtus inchoavit fabricam operis redemptionis noſtræ. *Luc. c. 2. v. 21.*

250. *In ſtudio Sacræ Scripturæ non datur finis intelligentia myſteriorum.*

Cum conſummaverit homo, tunc incipiet. Ideſt poſt conſummationem, & perfectionem ſtudii ſacræ ſcripturæ, quando te reputaveris ad complementum, tunc invenies, quod adhuc es in principio: tot enim, & tam varia myſteria continet, quod impoſſibile eſt homini ea omnia penetrare. *Op.princip.S.Script.*

251. *Miſeria, & fragilitas noſtra humana, motivum eſt excitandi Deum ad exhibendam miſericordiam ſuam:* unde dicitur: *miſericordia ejus ſuper omnem carnem. Luc.c.14. v.2.*

252. *Charitatem proximi à nobis exigit Deus pro miſericordia, quam nobis exhibet.*

Miſeratio hominis circa proximum ſuum: miſericordia autem Dei ſuper omnem carnem. q. d. ob miſericordiam, quam Deus omnibus exhibet, exigit à nobis miſerationem in proximum. *Luc.c.3.v.50. & c.10. v.37. & c.14. v.12.* Vide igitur, quod ad menſuram tuæ miſericordiæ in proximum, Deus ſuam tibi impertietur.

253. *Chriſtus paſtor, & magiſter paſcit oves ſuas verbo, & erudit exemplo: ſic & bonus Prælatus.*

Qui miſericordiam habet, docet, & erudit quaſi paſtor gregem ſuum. Nota hic, quòd Chriſtus nobis proponitur verus, & bonus paſtor: & meritò; nam cum totus ſit ad exercendam miſericordiam nobiſcum; ideo etiam talis in eruditione doctrinæ fuit, quæ tota eſt ad benignitatem miſericordiæ & charitatem benevolentiæ: ideo eſt facilis ad intelligendum, brevis & utilis ad faciendum: & hinc propter nimiam dulcedinem ſuæ miſericordiæ, & charitatem benevolentiæ, quam habet erga gregem ſuum, docet eam verbo doctrinæ, & erudit exemplo vitæ; ut diſcant Prælati qualis ſit ipſorum obligatio: nempe ſe conformandi ſummo Paſtori: nam docere ſolo verbo eſt vanum, erudire ſolo exemplo eſt parum; ſed utroque modo eſt perfectum: ſic enim faciliùs imprimitur, ut ſigillum ceræ in cordibus ſubditorum; & propter hoc non ceſſabat Chriſtus circuire per civitates, & Caſtella, annuntians regnum Dei, & tali modo paſcens gregem ſuum. *ſer.1. Dom.1. poſt oct. Paſcha.ſer.1. Dom.6. Pentec.Ioan.collat.49.Pſal.118.c.4.v.16.*

254. *Verbum Dei devotè receptum inflammat ſimul & refrigerat.*

Nonne ardorem refrigerabit ros ſic & verbum meliùs quàm datum; ſeu donum. Quaſi dicat, Verbum Dei eſt quidem inflammativum cordis; ſed quia hæc inflammatio eſt amoris, ideo etiam ſimul refrigerat, & conſolatur, quia fert ſecum liquefactionem ſuaviſſimarum affectionum. *Luc. c.24.v.32.*

255. *Verba dulcia pauperibus, & afflictis proferantur.*

Nonne ardorem refrigerabit ros, &c. Dat etiam intelligere ſapiens, quòd divites verba dulcia habeant cum pauperibus, & afflictis; quia hæc ſæpe plus mitigant afflictiones quàm data, & dona; & qui utrumque exercent, beati. *Luc.c.11. v.41. & c.16. v.6.*

256. *Ante judicium, & mortis terminum qualis præparatio facienda.*

Ante judicium para juſtitiam tibi, & antequam loquaris diſce. Ante languorem, adhibe medicinam: & ante judicium, interroga te ipſum, & invenies propitiationem in conſpectu Dei. Quid eſt hoc? quomodo paranda eſt juſtitia, & non potius miſericordia antè judicium, & mortem? ſed nota hæc verba, dicit enim: *para tibi*; ideſt tu tibi juſtitiam fac, interrogando, & examinando conſcientiam tuam, & poſtea in confeſſione tractando cum judice compoſitionem coram ſacerdote qui eſt mediator cum Deo: confitere peccata tua Vicario Chriſti, & ſatiſfactionem cum contritione exhibe, & ſic invenies miſericordiam. *Op. Diat.tit.9.c.1.*

257. *Prius diſcat, qui vult docere.*

Antequam loquaris diſce. Notent hoc. qui volunt eſſe aliorum Magiſtri, quia debent prius diſcere, aotequam doceant: & attendamus ad hoc monitum omnes, quo nos docet ſacer textus, antequam loquamur, diſcere debemus; ſcilicet excogitare, quæ dicenda, & promenda ſunt: hocque maximè dirigitur ad prædicatores; ut prius in ſeipſis ſint, non ſolùm doctrinâ neceſſariâ imbuti, ſed & in virtutibus exercitati in ſeipſis: hoc enim eſt perfectè diſcere, & proprium diſcipulorum Chriſti. *Ecclen.c.3.& c.12. Luc. c.2. v.46. & c.24.v.49.*

158. *Peccator in ſeipſo contra ſe judicium ſubeat, antequam à Domino judicetur.*

Ante languorem adhibe medicinam: & antè judicium interroga te ipſum, & in conſpectu Dei invenies propitiationem. Quid eſt interroga te ipſum: ad quid hæc interrogatio? ad hoc ordinat interrogationem in peccatore faciendam ab ipſo contra ſeipſum; hoc eſt judicium, & conſiſtorium ſuæ cauſæ ex ſe aſſumat, & conſcientia accuſet, ratio judicet, amor liget, dolor cruciet: & ad hæc facienda præmittat interrogationem ſui per conſcientiæ diſcuſſionem, arguendo ſeipſum, quare hoc, vel hoc fecerit? Interroget & Confeſſarius peccatorem: ſicque inveniet peccator propitiationem in divino conſiſtorio. *Pſal.118.c.11.v.9.ſer.7.in rogat.*

159. *Confeſſio peccatorum eſt Medicina Salutaris.*

Ante languorem adhibe medicinam; humilia te, & in tempore infirmitatis oſtende converſationem tuam. Dat ſapiens intelligere, quod peccatum eſt infirmitas mortalis, aſſignatque medicinam; hæcque eſt confeſſio peccatorum, & pœnitentia; medicus, & mediator cum Deo eſt confeſſarius, cui detegenda ſunt vulnera, ut ipſe curet omnes morbos: ſed ante præmittenda eſt legatio, dicens: humilia te, & oſtende converſationem tuam: q.d. humilia te: ideſt mitte ante te legationem Deo; legationem ſcilicet humiliationis lachrymarum, bonorum operum, & piorum affectuum; ſic omnia mala curabis. *Luc. c.14. v.32. c.5.v.11.& c.17. v.14.*

160. *Tempus quodlibet eſt aptum ad orationem: Numquam ab ipſa ceſſandum.*

Non impediaris orare ſemper, & non verearis uſque ad mortem iuſtificari; quoniam merces Dei manet in æternum. Nota illam particulam, *ſemper:* ergone poteſt quis ſemper orare? maximè, ait Chriſtus: *oportet ſemper orare, & numquam deficere.* Sed quomodo hoc poteſt fieri, cum neceſſario ad alia opera ſit incumbendum, & tempus applicandum? Sed attende, quòd poteſt ſumi, *ſemper*, non pro omni parte temporis, ſed pro horis ſtatutis, ſicuti ab Eccleſiaſticis practicatur pro horis canonicis: vel quatenus oratio ſit vel per poſtulationem: vel corde per deſiderium, vel opere per præparationem: qui enim bona agit, ſe diſponit, ut ejus oratio mereatur audiri, & ſemper orat, qui benè agit ſemper, nec deſinit Iuſtus eſſe. *Luc.c.18.v.1.c.11.v.1.ſer.5. de uno Confeſſ.*

261. *Homo non ceſſet ſemper denuo iuſtificari: quia talis erit merces in Cælo, qualis juſtificatio in terra.*

Ne verearis uſque ad mortem iuſtificari: quoniam merces Dei manet in æternam. Quomodo dicit ſapiens: *ne verearis uſque ad mortem iuſtificari?* Quomodo in juſtificato poteſt replicari juſtificatio? ſi enim quis eſt juſtificatus, ad quid nova juſtificatio ſuperponenda? ſed nota myſterium; quia non ſolùm mali juſtificari debent, tranſeundo de peccato ad gratiam; ſed & boni, & iuſtificati in juſtitiâ proficiendo, & repetendo opera juſtificationis uſque ad mortem: Ratio eſt, nam *Domini merces manet in æternum:* quid eſt manet in æternum? ideſt quia merces juſtificationis, & juſtitiæ noſtræ, parata eſt æterna; nempe excedens omnia bona temporalia, & ob id excedens quoſcumque labores, & paſſiones hujus temporis: item indeficiens quantumcumque dividatur, & pluribus communicetur, & hoc quia conſervatur perenniter in pixide aurea indeficiente; nempe in Chriſto Ieſu. O regnum, ô gloriam ſemper veracem, & veraciter ſempiternam: cujus lux veritas, cujus lux charitas, cujus modus æternitas: ad hanc igitur adſpiremus chariſſimi, & juſtitiam ſervemus, & proficiamus in juſtitia, ſi volumus hanc mercedem æternam. *Ser.3.Dom.ſeptuag.Luc.c.18. v.30.*

262. *Qualis præparatio facienda ab orante.*

Ante orationem præpara animam tuam, & noli eſſe ſicut homo, qui tentat Deum. Notent, qui volunt gratam Deo orationem fundere, hæc verba Spiritus Sancti: ſed qualis eſt iſta præparatio, quam exigit Deus? conſiſtit in purganda animâ à tribus malis, & impedimentis: primò à mentis elatione: ſecundò à carnis delectatione: tertiò ab exteriori occupatione: mentis elatio tollitur per veram humilitatem cordis, quia Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam, ut patet in Phariſæo, & Publicano: habet autem neſcio quid latentis virtutis vox dulcis, & humilis, itaut iratorum impetus frangat, & ad manſuetudinem ducat, hocque maximè in Deo, qui reſpicit in orationem humilium, & non ſpernit preces illorum: ſecundò delectatio, cogitatioque carnalis à mente reſcindenda in oratione: tertiò purganda eſt mens ab omni tumultu rei familiaris, ideo anima, relictis ſenſibus corporis, tamquam impingentibus, & perſtrepentibus, redeat ad ſe mentis aciem: alioquin interpoſita erit nubes, vel murus inter ſe, & Deum, *Ser.3.de uno Confeſſ.op.regul. Novitior. c.2.*

263. *Idem de orationis præparatione, ejuſque conditionibus.*

Ante orationem præpara animam tuam, & noli eſſe quaſi homo, qui tentat Deum. Nota, quòd dicit, *præpara animam*, non dicit linguam, vel corpus, ſed animam, ſcilicet cor tuum: ergo ſi vis eſſe bonus orator, præpara cor tuum ad humilitatem,

ad

Digitized by Google

ad devotionem intimam, ſi vis attingere ad divinam prægustationem: quia oratio eſt cordis, non labiorum, nec Deus tantum aſpicit ad verba, ſed ad cor orantis: & *noli eſſe quaſi qui tentat Deum:* tentat enim Deum, qui orat cum hæſitatione, ſi Deus velit audire, vel abſque cordis præparatione currit ad vocalem orationem, & perit ibi divinam ſpeculationem: & qui aliter facit, non devotus orator, ſed verborum latrator dicitur: præpara ergo cor tuum: quia quales volumus orantes inveniri, tales ante tempus debemus nos ipſos præparare; ad quam præparationem tria occurrunt: primò quinque ſenſuum exteriorum revocatio, ideſt ab exterioribus, ut ad nihil intendat anima, niſi ad quietem ſui, ne fortè quæ ſoli Deo vacare intendit, per eos ad plura ſe diffundat; ſicque inviſibilis anima Deo inviſibili ſe facit conformem, intra igitur in cubiculum tuum, & clauſo oſtio, ora Patrem tuum. Secundò, ſi anima vult aſcendere ad Dei contemplationem, priùs ipſa deſcendat per ſui humiliationem, ſicque conſiderando Dei immenſitatem, cognoſcet ſui parvitatem. Tertiò conſiderando Christi Ieſu ignitam dilectionem; ſicque cogitando Chriſti dignationem paulatim mentaliter aſcendet ad collegium beatorum, ubi charitate ignita, incipiet orare ferventer. Intrandum eſt ergo in Cœlum in conſpectu Ieſu Chriſti ab eo, qui vult facere dignam orationem. *Op. regul. Novit. c.2.& de profec. religioſ.l.2.c.71.ſer.2. de S.Marti. in addit.*

264. *Tentat Deum in oratione, qui hæſitat, & diffidit de Dei promiſſionibus.*

Et noli eſſe quaſi homo, qui tentat Deum. Quis eſt, qui tentare poſſit Deum? eſt ille, qui orat ad Deum ſine confidentia, diffidens de Dei promiſſionibus, vel hæſitans de impetratione. *Op. de Profec. religioſ.l.2.c.71.ſap.c.1.* Et hæc eſt una potior cauſa, quare oratio non exauditur: nam oratio perfecta exigit perfectam confidentiam in Dei promiſſionibus, innixam meritis Chriſti. Ibidem.

265. *Iudiciorum Dei recordatio frequentanda.*

Memento iræ in die conſummationis, & tempus retributionis in converſatione faciei: ideſt in converſione faciei. *memento paupertatis in tempore abundantiæ.* Quaſi dicat cogita, & recogita, & meditare in oratione judicia Dei, & furorem juſtitiæ ejus in peccatores; & maximè quando Chriſtus in judicio oſtendet faciem ſuam iratam peccatoribus (nam ſecundùm expoſitores, converſatio hic ſtat pro converſione faciei) ſic enim excitabitur anima ad timorem. *Luc. c.1. v.63.* Addit: *memento paupertatis in tempore abundantiæ:* ſcilicet quia durè, & aſperè torquebit impios in illa die judicis, carentia meritorum, quæ tam facilè poterant congregare in hac vitâ. Sic expoſitiones Sanctæ, &c.

266. *Ambulans poſt concupiſcentias, ab ipſis ligatur, & occiditur.*

Poſt concupiſcentias tuas ne eas, & à voluntate tua avertere. q. d. cave à concupiſcentiis animæ tuæ, ne ſequaris eas, alioquin ab ipſis captivaberis; & ad mortem te ducent; & in manus inimicorum tuorum te tradent: ubi patet, quod prohibet; non ſenſum concupiſcentiarum, ſed conſenſum; qui eſt ad mortem animæ. *in Ioan. c.8.v.36. ſer. de SS. Petro. & Paulo. l.2.d.42.a.2.q.1. op. Diet. tit.1. c.8. Luc. c.14.v.26. Eccleſ. c.2. & 21. ſap. c.16.*

CAP. XIX.

267. *Quam grave periculum eſt non cavere à minimis culpis.*

OPERARIUS *ebrioſus non locupletabitur, & qui ſpernit modica, paulatim decidet.* Sententia hæc verificatur in temporalibus, & ſpiritualibus rebus; & primò loquitur de laborantibus pro victu, qui ſi ad ebrietatem propenſi ſunt, numquam diteſcent, ſed vivent ſemper miſeri, eo quòd qui modica ſpernit, paulatim in extremam ruinam deveniet: ſed tamen communiter trahitur à SS. Patribus ad ſpiritualia: dat enim intelligere Spiritus Sanctus; quàm noxia ſint peccata venialia, & omiſſiones etiam minimæ, maximè in religionibus tranſgreſſiones ſtatutorum, & ordinationum regularium, etiam externarum, quarum obſervantia, & cuſtodia, ſi contemnetur, eveniet, quòd in peccata maxima, & inobſervantias eſſentiales devenient paulatim: ut palam fit in multis congregationibus, ob hanc cauſam radicalem deformatis. Ratio autem potiſſima hæc eſt, quia ex culpis noſtris, & ingratitudine, & contemptu iſtarum negligentiarum, vel obſervantiarum minimarum, gratia abundans à Deo nobis ſubtrahitur, ex qua carentia, remanet anima cum ſola gratia ſufficiente eſſentiali (jure redemptionis ipſi debitæ, ut dicunt Theologi) ſicque deſtituta multis auxiliis, facilè in culpas maximas cadit. Hinc ô ſerve Dei vitaſti grandia, cave ne arenâ obruaris: nam ex minimis guttis multiplicatis, aliquando inundationes fiunt aquarum, quæ quandoque etiam magna mœnia ſubruunt; & per modicam rimam, aqua latenter in navem influit, donec ſubmergatur: minima etiam adverſa patientes tolerare aſſueſcamus, quia majora non ſuperat, qui minora tolerare non diſcit: multi optant pro Chriſto mori, qui pro Chriſto nolunt verba levia pati: ſed quem terret ſonitus folii volantis; quomodo ſuſtinebit ictum gladii terribiliter vibrantis? Diſcamus ergo omnia peccata pro poſſe cavere; & pro his, quæ commiſimus, omnia adverſa humiliter pati, & omnibus beneficiis Dei debitam conſiderationem cum gratiarum actione exhibere ſemper, & gratiam Dei non in vacuum recipere; & digni erimus, ut gratiâ nobis ſubtractâ, etiam augmentata reddatur, & ut ad magnum profectum virtutis pervenire mereamur: unde valdè æſtimanda ſunt à ſervo Dei minima opera in bonum, ut per ipſa paulatim creſcere poſſit in profectu virtutis. *Op. de prof. religioſ. l.2 c.5. de ſex alis Seraph. c.7. determ. q.18. regul. Novit. c.14. Luc. c.11.v.42. & c.15.v.8.*

268. *Ebrietas, & luxuria quæ mala afferant animæ.*

Vinum, & Mulieres apoſtatare faciunt ſapientes, & arguent ſenſatos. In his verbis Spiritus Sanctus conatur nos avertere ab ebrietate, & immunditia carnis, ex eo quod nihil eſt magis contrarium ſapientiæ chriſtianæ; & quia inducunt uſque ad apoſtaſiam hominem, ut patet in Salomone, aliiſque magnis viris, & nota, quod copulat ſimul iſta duo vitia, quia ut plurimum ſunt ſibi mutuo cauſæ: ebrietas enim rationem perturbat, memoriam enervat, oblivionem inducit, errorem infundit, ad ignorantiam perducit, & ad carnalitates excitat uſque ad apoſtaſiam; Idem & multò fortiùs dicendum de converſatione mulierum vitioſa; quia Mulier loquens eſt ſagena, & vinculum, quo faciliùs capiuntur homines, quàm qualibet eſca aves, & ſagenâ piſces. Fuge ergo ô homo, ô ſerve Dei à muliere tamquam à ſerpente. *Ser. 2. Hexa. ſer. 2. de Invent. S. Crucis Ioan. collat.* 12.

269. *Malorum Societas cauſa ferè omnium malorum in Eccleſia, & Religionibus.*

Qui ſe iungit fornicariis, erit nequam: putredo, & vermes hæreditabunt illum. Sapiens hic vetat ſocietatem fornicariorum; & licèt mala, & nociva ſit ſocietas omnium malorum, tamen peſſima fornicarii: ratio eſt, quia cum ad carnalitates natura valdè proponſa ſit, faciliùs homines trahuntur ad ſimilia perpetranda ex contubernio, & ſocietate luxurioſorum; tum ob malum exemplum ipſorum, tum ex perſuaſionibus, & irriſionibus, quas impii in ſocios faciunt: & hæc eſt quaſi præcipua cauſa, quare multiplicata ſunt mala in Eccleſia, & quod in aliquibus religionibus ſtudia ſpiritualia defecerunt, & ad exteriora ſtudia, & negotia plurimi fluxerunt, ſcilicet mala conformitas, & ſocietas, dum quilibet vult alios imitari, ſive quia aliud quia neſcit, niſi quod videt in aliis, ſive quia non audet aliter vivere, ſive diverſimodè ab illis, cum quibus verſatur, ex malo pudore timens aliis videri diſſimilis; ſive quia pravus tepor, & carnalis libertas gaudet ſe habere occaſionem, & quandam excuſationem apud homines agendi quodlibet, etiam ſi non licet: quare ſtat concluſio, quod inter homines verum eſt proverbium commune; coülulare debet lupis, qui communicat cum illis. *Op. de profec. religioſ. l. 1. c. 39.*

270. *Qui cito credit revelationibus, & viſionibus, levis eſt corde.*

Qui cito credit, &c. Hæc propoſitio maximè verificatur in viſionibus, & revelationibus: non enim omni Spiritui eſt facile credendum, ſed probandum utrum ex Deo; unde in ipſis potius eſt formidandum: & ideo qui habent tales viſiones, & revelationes debent ſuſpendere credulitatem ſuam, & ſe humiliare, & indignos ſe talibus exiſtimare: ſic enim artes diaboli humilitate franguntur: ſic etiam legitur de quodam S. Patre, cui cum apparuiſſet diabolus in ſpecie Chriſti, ille clauſis oculis dixit: ſe in hac vita nolle Chriſtum videre, ſed in alis: unde diabolus humilitate ipſius confuſus, evanuit, *l. 3. d. 9. a. 1. q. 6.*

271. *Qui cito credit oblocutionibus, vel laudationibus, vel detractionibus, vel de aliis, vel etiam de ſeipſo: levis eſt corde.*

Hoc maximè debet quiſque attendere in detractionibus, oblocutionibus, vel laudibus etiam de ſeipſo factis. Non igitur præbeas fidem cunctis ſermonibus; quia parva fides adhibenda eſt verbis; quia multi multa loquuntur, & quia difficilè eſt audire, & non credere; ſæpi aures tuas ſpinis, & noli audire linguam nequam, nec debes eſſe ſollicitus ad audiendum quæ de te dicuntur; ſic enim multa mala, & inquietudines effugies. *Ecclesi. c. 7.*

272. *Qui delectatur loquacitate, replebit animam ſuam peccatis: qui odit eam vitabit infinita mala.* Sic ſacer textus dicens: *qui gaudet iniquitate*, ideſt qui in multiloquiis delectatur, in multa peccata incidet; & qui loquacitatem odit, vitabit plurima mala, *Luc. c. 10. v. 4.*

273. *Vitia proximi occulta non detegenda, niſi aliquando Prælato ad bonum ipſius proximi.*

Audiſti verbum adverſus proximum tuum? commoriatur in te, fidens, quoniam non te dirumpet. Docet hic ſapiens, quod vitium occultum proximi non eſt de facili publicandum, etiam ſi turbatio aliqua ex ipſo ſequatur in aliis: ait ergo: *tene in te, quod audiſti de proximo tuo*, ſecurus quod talis celatio non tibi nocebit. Nota tamen, quod non reputatur publicari defectus proximi, quando ex charitate ad cautelam prælato detegitur, propter periculum aliquod vitandum *Luc. c. 22. v. 23.*

274. *Correctio fratris qualiter facienda.*

Corripe amicum, ne addat facere: corripe proximum, &c., Hic præcipitur correctio proximi, quam & præcepit Chriſtus: quæ correctio debet fieri amico, & proximo; ideſt debet eſſe amicabilis, & ex charitate, & clementia, non ex libidine vindictæ, ſed ex amore juſtitiæ: & ideo, primò debet revocari à peccato proximus amore, quod fit quando amicabiliter corripitur: ſecundò, pudore, ſi non profecit prima correctio; quod fit cum teſtes adhibentur: tertiò timore, & terrore, & hoc eſt in facie Eccleſiæ, qui ordo congruitatis eſt, non neceſſitatis. Quando enim proximus incorrigibilis eſt, primo, vel ſecundo modo, vel majus periculum imminet, tunc fiat correctio in facie Eccleſiæ. *Luc. cap. 17. v. 3.*

275. *In Sacra Scriptura continentur omnes ſcientiæ; & ab ipſa ortum habent.*

In omni ſapientia eſt diſpoſitio legis, ſcilicet diſpoſitio Sacræ Scripturæ: q. d. in lege divina, & Sacra Scriptura continetur omnis ſapientia; quia ex ipſa ortum habent omnes veritates ſcientiarum, etiam humanarum: nec eſt ulla vera ſcientia in Mundo, quæ diſcordat à veritate Sacræ ſcripturæ: ſi enim diſcordat à veritate Sacræ ſcripturæ, eſt vana, falſa, & erroribus ſcatens. *Op. princip. S. Scrip.*

276. Alii

Digitized by Google

276. *Alii utiliter, & ſanctè ſe humiliant: alii malè: illa eſt humilitas ſancta, iſta vulpina, & aſinina.*

Eſt qui nequiter ſe humiliat; & interiora ejus plena ſunt dolo. Quomodò nequiter quis ſe poteſt humiliare, cum humilitas ſit virtus iam Deo chara? Sed nota, quòd alia eſt humiliatio ſancta, Deoque grata: & eſt eorum, qui interiùs, & exteriùs ſe humiliant; verus enim humilis, non humilis, ſed vilis vult haberi: alia eſt ficta, & hypocritarum, qui quidem exteriùs ſe humiliant, ſed interiora ſunt plena dolo, ſuperbiâ, & malitiâ: & hæc eſt humilitas communiter dicta vulpina, vel aſinina. *Op. de perfec. vitæ c.2. In Ioan. collat.9.*

277. *Diabolus ſemper habet malam voluntatem*; tamen non poteſt ſemper quando vult tentare homines, & illis malum facere, niſi à Deo permiſſus: & ideo hic dicitur: *ſi invenerit tempus malefaciendo*; ſcilicet à Deo permiſſum, malefaciet. *In Luc. c.4. v.13.*

278. *Ex aſpectu exteriori, ſæpe indicantur mores interiores.*

Ex viſu cognoſcitur vir, & ab occurſu faciei cognoſcitur ſenſatus: amictus corporis, & riſus dentium, & ingreſſus hominis enunciant de illo. Ex hoc textu apparet quàm ſit verum, quòd ſæpe per exteriora cognoſcitur interius, & per membrorum diſpoſitiones exteriores, cognoſcitur qualitas animæ: unde & ait Philoſophus: mollities carnis, boni ingenii ſignum eſt: ſic frequens clauſio oculorum ſignum eſt mobilitatis animi; & per aſpectum faciei, indicant Medici, qui ſint cholerici, vel phlegmatici, &c. & ſicut hoc accidit in naturalibus, etiam evenit in ſpiritualibus: unde ſicut impudicus oculus impudici cordis eſt nuncius; ſic & oculus pudicus pudici cordis: & ideo non eſt credendum ordinatum eſſe interius, qui ſit deordinatus exterius: hoc attendant maximè religioſi. *Serm.1. de S. Gregorio.*

CAP. XX.

279. *Qui corripitur acceptando correptionem, effugit pactum cum diabolo.*

QUAM bonum eſt, correptum acceptare pœnitentiam? ſic enim effugies voluntarium peccatum. q. d. ſi à Deo, vel ab homine corriperis, & correptionem acceptaveris humiliter, effugies voluntarium peccatum: ſed quid eſt voluntarium peccatum? daturne peccatum, quod non ſit voluntarium? minime: ſed hic loquitur de pacto, & amicitia, quæ fit cum diabolo, & cum hominibus malis contrahitur, peccando, & ſuis ſuggeſtionibus adhærendo; quod totum evitatur, acceptando correctionem, & emendando vitam. *Pſal.118. c.7. v.12.*

280. *Alii tacent in bonum, alii in malum.*

Eſt tacens, qui invenitur ſapiens, & eſt odibilis, qui procax eſt ad loquendum: eſt tacens non habens ſenſum loquelæ: Homo ſapiens tacebit ad tempus. In his verbis dat ſapiens intelligere, quod aliud eſt ſilentium bonum, & fructuoſum, aliud malum, & nocivum: qui enim tacet ex prudentia, & tempore opportuno, benè tacet, & meritoriè: qui verò ex timore vano, vel adulatione, vel avaritia, vel negligentia, hoc eſt ſilentium malum, & nocivum; ſic ſervus ille damnatus eſt, qui abſcondit mnam in ſudario; ſcilicet noluit exercere munus docendi, ſicuti tenebatur, ex negligentia, & inordinato affectu. *In Luc. 19. v.20. & ſer. de S. Elizabeth.* Et hinc addit: homo ſapiens tacebit uſque ad tempus: laſcivus autem, & imprudens non ſervabit tempus: quia non ſemper tacendum, nec ſemper loquendum, ſed id fiat in tempore opportuno. *Ser.2. in Hexam. In Ecclen. c.3. In Luc. c.3. v.23: c.9. v.36. & c.20. verſ.26.*

281. *Multiloquium quàm nocivum.*

Qui multis utitur verbis, lædet animam ſuam. Sapiens refricat iterum, cavendum à multiloquio in quo non deerit peccatum: ad quod vitandum breviter loquendum; & ſine utilitate, vel neceſſitate non multiplicentur verba: ſolum enim duo verborum genera nobis permiſſa ſunt; ideſt quod cito dicantur, & quod ſint neceſſaria, vel utilia: nam apud ſapientem pauca verba ſufficiunt; & multa faſtidiunt: apud inſipientem nulla verba ſufficiunt: igitur anima, quæ mutum ſilentii non habet, patebit inimicis. *Op. de profec. religioſ. l.2. c.10.*

282. *Peccator quali proceſſu ruit in interitum.*

Eſt proceſſio in malis viro indiſciplinato, & eſt inventio in detrimentum. Qualis eſt iſta proceſſio impiorum? Nota, quòd ſicut boni paulatim aſcendunt de virtute in virtutem uſque ad cœlum: ſic impii è converſo procedunt de malo in pejus uſque ad interitum: quia primò eſt impietas in corde per conſenſum; deinde in manu per conſummationẽ operis: deinde verbum gloriationis, & defenſionis mali: deinde amicitia, & ſpes impunitatis: deinde ſponſio per obducationem: & tandem mors impœnitentiæ finalis. *In ſap. c.1. in fin. & c.17.*

283. *Deus non aſpicit quantum, ſed ex quanto.*

Eſt datum, quod non eſt utile; & eſt datum cujus retributio duplex. Quodnam eſt hoc datum non utile? Hoc eſt beneficium datum à Deo, quod non eſt utile illi, qui ingratus eſt, vel qui opus bonum facit, ſed infectum mala intentione: illud verò, quod recipitur cum gratiarum actione; & quod piè, & ſanctè exercetur, duplicem retributionem habet: ſcilicet in præſenti gratiam, & meritum, & in futuro gloriam; ut videas, quod Deus non reſpicit quantum, ſed ex quanto. *Pſal.118. c.7. v.1. & Vgo Card. hic.*

284. *Qui ſe humiliat exaltabitur, & qui ſe exaltat humiliabitur.* unde hic dicitur: *eſt propter gloriam minoratio; & eſt qui ab humilitate levabit caput:* ideſt qui gloriam, & altitudinem quærit, minorationem,

rationem, & deſcenſum invenier; quia Deus ſuperbis reſiſtit: & qui ſe humiliaverit corde, ore, & opere exaltabitur à Deo, qui humilibus dat gratiam. *In Luc.c.18.v.14.*

285. *Avari apud omnes abominabiles ſunt: viri miſericordes omnibus grati, & chari.*

Sapiens ſe ipſum amabilem in verbis facit: gratia autem fatuorum effundentur; & infra, fatuo non erit amicus. Sub nomine fatui hic loquitur de avaris, quia verè fatuus eſt qui pro aliis laborat die, noctuque: & de viro ſapiente, ſcilicet qui miſericordiam exercet & verbis, & factis: ille apud omnes abominabilis, iſte charus eſt omnibus. *Op.Eccleſ.Ater.p.1.c.1. Pſal.118. c.7. v.5. in Ecclen.c.10.*

286. *Diabolus iniquus mercator animarum.*

Datus inſipientis non erit utilis tibi: oculi enim illius ſeptemplices ſunt; exigua dabit, & multa improperabit, &c. Quis eſt iſte inſipiens, cujus converſationem, & negotiationem ſuadet nos vitare? Iſte eſt diabolus inſipiens ad bonum, & ſagaciſſimus ad malum: Iſte eſt falſus mercator, qui exigua offert, ſcilicet per rapinam, uſuram, & quamcumque injuſtam acquiſitionem, ut ipſum adores: exigua dat in Mundo, & in delectatione, & multa improperat in inferno, & in puniuione. Cave ô homo ab iſto mercatore, quia oculi ejus ſunt ſeptemplices; ideſt ejus ſubtilitates, & aſtutiæ ſunt ionumeræ, quibus animabus inſidiatur per ſeptem vitia capitalia: O Domine Jeſu mitte nobis ſeptem oculos tuos contra iſtos oculos diaboli. *Ser.7.in Pentec.* Vide igitur quomodo Deus, & diabolus diverſimodè tractant hominem: nam diabolus magna petit, ſcilicet animam, gratiam, cælum, & Deum, & parva exhibet: è contra Deus modica petit à nobis, & maxima dona exhibet. *Ser.4. in rogat. op.ſpec.anim.c.1.*

287. *Qui ab incaptoitinere perfectionis retrocedunt, fatui ſunt: & ut tales deridentur à diabolo.*

Et multa improperabit, ideſt diabolus: & fatuo non erit amicus, & non eſt gratia bonis. Nota, quòd improperium eſt injuria, quæ fit alicui objiciens ei beneficia recepta; ſic facit diabolus cum fatuis: ideſt cum illis, qui benè incipiunt ambulare in viâ perfectionis, ſed poſtea tædio victi, retrorſum recedunt, iſtique deridentur à diabolo, & à Mundo pro temeritate io præſumendo, pro ioſtabilitate in proſequendo pro puſillanimitate io deſiſtendo: ſicque gratiam, & dona Dei amittunt, & à diabolo confuſionem pati coguntur. *In Luc c.14. v.30. c.16. verſ.1. & verſ.24.*

288. *Qui per lapſum in culpam perdidit gratiam; eandem culpam proſternat ad pavimentum per humiliationem: ſic enim hic dicitur.*

Lapſus falſa lingua quaſi in pavimento cadens. q.d. quia Deo honorem peccando abſtuliſti, quantum eſt in te, ſicque gratiam Dei perdidiſti: ideo cum non remittatur peccatum, niſi reſtituatur ablatum: ad pavimentum te humilia interius coram Domino, honorem proprium exuendo, & totum in Deum referendo. *Pſal.118.c.2.v.9.*

289. *Signum fatuitatis loqui extra opportunitatem temporis, loci, & Perſonarum; quod maximè religioſis dirigitur.*

Ex ore fatui etiam parabola improbatur, quia non dicit eam in tempore ſuo. Quis fatuus iſte, cujus verba reprobantur? Hoc non dicitur de fatuo naturali, ſed morali, qui extra opportunitatem perſonarum, loci & temporis loquitur: unde ſi etiam benè loquitur, tamen reprobatur ejus diſcurſus: Ideo diſcretio maxima requiritur, præcipuè io religionibus, in collationibus fratrum, & maximè in juvenibus, ad quos dirigitur hæc admonitio. *Op.ſpecul. Diſcipl. p.1.c.20. Luc.c.14. v.8.Ecclen.Proœm.*

290. *Mendacium eſt pejus furto:* unde hic dicitur.

Potior eſt fur, quam aſſiduitas viri mendacis; perditionem autem ambo hæreditabunt. q.d. furtum quidem Deo valdè diſplicet, & perditionem rerum temporalium, & bonorum ſpiritualium afficit, tamen magis odit Deus mendacium, eo quod hoc eſt contra veritatem primam; illud contra bona temporalia. *l.3.d.38.qu.4.* Nota tamen, quòd hic loquitur reatus de mendacio mortali. *ibid.*

291. *Chriſtus ſcripſit ipſe Evangelium, & vitam ſuam per manus Evangeliſtarum, & ipſo dictante:* unde de ipſo dicitur: quòd *ſapiens in verbis producit ſeipſum*, ſcilicet totam vitam ſuam. *In Ioan. proœm.*

292. *Qui colit virtutem, aggregabit cumulos meritorum: & à Deo exaltabitur in gloria.*

Qui operatur terram ſuam, exaltabit acervum frugum: & qui operatur juſtitiam, ipſe exaltabitur. Vide quid exigat Deus à nobis, nempe cultum virtutis; qui enim ipſam colit, dives fiet, & cumulum meritorum accervabit, & tandem exaltabitur in gloria. *Ser.4. Dom.10. Pentec. Op.Comp. Theol.l.5.c.38.*

293. *Caveant Judices ab avaritia, & à muneribus.*

Xenia, & dona excæcant oculos judicum, & quaſi mutus in ore avertit correptiones eorum. Vide quid excæcat Judices, eoſque prævertere facit in judiciis; nempe avaritia, item xenia, & dona: & quia cæci fiunt, ideo cauſas pauperum diſtrictè examinant, divitum autem diſſimulant, parcendo Camelo, & non culici; caveant igitur à

muneribus

muneribus. *Ser. 3. Dom. quinqu. op. de gradib. virtut. c. 1.*

294. *Sapientia cæleſtis à Doctoribus, & Paſtoribus debet in publicum exponi.*

Sapientia abſconſa, & theſaurus inviſus, quæ utilitas in utroque? Dat hic intelligere ſapiens, quod Doctores, Paſtores, & Concionatores non debent, nec poſſunt ſine offenſa Dei abſconditam conſervare ſapientiam, & doctrinam Chriſtianam; ſed eam ſuper candelabrum exponere ad utilitatem audientium, & ad magnificandam gloriam Dei; alioquin reddent rationem Deo de vita, & officio eorum inutili. *In Luc. c. 11. v. 33. in Ioan. c. 1. v. 40.* ſed attende, quòd etiam dicitur tenere abſconditam ſapientiam ad damnum graviſſimum aliorum, qui doctrinam ſine exemplo bonæ vitæ exponit. *In Ecclen. c. 2. ſap. c. 7.*

CAP. XXI.

295. *Iteratio peccati quàm noxia, & Deo diſplicens poſt remiſſionem conſequutam.*

FILI peccaſti, ne adiicias iterum: ſed & de priſtinis deprecare, ut tibi dimittantur.* Proponit Deus in his verbis ſtatum miſerabilem peccatoris, qui poſt acceptam remiſſionem peccatorum, iterum repetit ea: & hoc quia incidit in manus ſerpentis infernalis: ſic enim ingratitudinem maximam, & abominabilem oſtendit in Deum tam beneficum, qui ipſum curaverat à lepra peccati; & ideo iterans morbum, ſupplicia majora meretur; juſtoque Dei judicio in poteſtatem draconis infernalis traditur. *Ioan. collat. 26.*

296. *Peccatum mortale ſolo flatu inficit, & interficit.*

Quaſi à facie colubri fuge peccata, & ſi acceſſeris ad illa ſuſcipient te. Nota hæc verba, & memorare apparitionem ſerpentis factam Evæ, quia id permiſit Deus, ut diſceremus, quòd peccatum mortale eſt ſerpens dilanians animam, eique mortem ſuo veneno inſtillans: ergo fuge ô homo non ſolùm à peccato, ſed etiam ab aſpectu, ſi vis vitam nobiliſſimam in te conſervare. *Ser. 2. & 17. Hexam. ſer. 2. in Invent. S. Crucis. l. 2. d. 24. p. 2. dub. 3.*

297. *Quaſi à facie Colubri fuge ô homo ab aſpectu mulieris; quia ſuo alitu te interficiet. Serm. 2. in invent. S. Crucis.*

298. *Peccatum mortale eſt romphæa bis acuta.* Cur romphæa bis acuta appellatur peccatum mortale? quia & mortem affert ejus plaga, ut dictum eſt, & omnia bona mortificat, nihilque valent perſeveranti in ipſo. *Pſal. 118. c. 11. v. 3.*

299. *Lachrymæ pupilli, & viduæ aſcendunt ad cælum, ſed non ad aures Iudicis iniqui.*

Deprecatio pauperis ex ore uſque ad aures perveniet, & judicium feſtinato adueniet illi. Notent hoc judices iniqui, & metuant judicium Dei, qui dicit, quod lachrymæ, & gemitus, & deprecatio pauperum, viduarum, & pupillorum, licèt ob duritiem non perveniant ad aures iniquorum judicum, perveniunt tamen ex ore ipſorum ad aures Dei, qui feſtinatò puniet judices, & exaudiet clamores pauperum. *In Luc. c. 18. v. 3. & ſeq.*

300. *Qui impendiis alienis ædificat, quærit ruinam.*

Qui ædificat domum ſuam impendiis alienis, quaſi qui colligit lapides in hyeme. Ut hæc ſimilitudo pateſiat, ſupponendum, quod continua experientia certum eſt; nempe ædificia, quæ fiunt cemento, & lapidibus congelatis, non poſſe dici perſiſtere ob deffectum colligationis, & unionis: ait igitur ſapiens, quòd *qui rem familiarem colligit impendiis alienis*, ſcilicet bonis acquiſitis furto, rapinâ, uſurâ, Deique offenſâ; vel qui erigit ædificium ſpirituale animæ eleemoſynâ injuſtâ, ſimulatâ oratione, hypocriſi &c. iſte ædificat ad ſui ruinam, & citò tale ædificium corruet, quia ei deficit colligantia charitatis. *Vid. Op. Phar. l. 2. c. 49. & 50. & Ugo. hic.*

301. *Peccantium iter quàm aſperum: & ipſorum exitus quàm miſerabilis.*

Via peccantium complanata lapidibus; & in fine illorum inferi, & tenebræ, & pœnæ. Mirum eſt quod refert hic ſapiens de via, & itinere peccantium, dum aſſerit viam, quam ipſi calcant, eſſe complanatam lapidibus: ſi lapidibus complanata, ergo eſt facilis, quod eſt contra dictum in ſapientiæ libro: ſcilicet ambulavimus vias difficiles &c. ſed attende, quòd dicit lapidibus, per quos ſignificatur durities, labor, aſperitas, & difficultas: datque intelligere in his verbis qualis ſit vita in hoc mundo peccantium, & qualis exitus: docens, quòd ipſorum vita eſt plena difficultatibus, ſpinis, laboribus, ærumnis, periculis, & ſpecialiter, quod cor ipſorum durum, & pervicax velut lapis: & tandem exitus, & finis talis viæ eſt ad infernum, ad tenebras, & pœnas æternas. *Pſal. 118. c. 1. v. 19. Ecclen. c. 3. in ſap. c. 5.* Vide igitur quomodo initium progreſſus, & terminus viæ peccantinm eſt infelix, miſerabilis, difficilis, aſper, & ærumnoſus.

302. *Doctorum, & Prædicatorum munus, & obligatio expenditur: ubi de prædicatione S. Antonii Patavini.*

Scientia ſapientis quaſi inundatio abundabit, & conſilium eius quaſi fons vitæ permanet. Hic deſcribit Spiritus ſanctus munus prædicatorum, & DD. & fructus prædicationis ipſorum; & dat intelligere, quod debent eſſe ſapientes; ideſt primò pro ſe ipſis, & in ſeipſis, ſapientiâ, ſcilicet ſapidâ doctrinâ pleni; nempe vigilando, orando, jejunando, & carnem propriam ſervire ſpiritui cogendo: & poſtea aliis talem ſapientiam communicando: ſic enim aqua ſapientiæ ipſorum inundabit ad alios, & veluti fons vitæ, vitam gratiæ, ſalutis, & gloriæ communicabit proximis ſuis: & in hoc mirabiliter excelluit glorioſus. S. Anton. Patav. *Ser. 2. de S. Anton. Patav.*

303. *Felix qui vas cordis habet ligatum, & ſanum: fatuus habet illud confractum.*

Cor fatui quaſi vas confractum, & omnem ſapientiam tenebit. Ecce diſcrimen inter ſapientem, & inſipientem: nam ſapiens cor integrum, & non confractum habet; ſtultus habet illud confractum: ſed quid eſt hoc? ergone poteſt quis vivere corde confracto, & vulnerato? hic myſticè docet, quòd ſapiens habet cor ſanum, integrum, quia cuſtodiâ præceptorum Dei eſt ligatum, & ideo ſapientiâ cæleſti repletum: è contra fatuus habet cor confractum & diſſectum in partes; per diſcordiam & ideo non poteſt continere ſapientiam cæleſtem, nec gratiam Dei: & hoc patet continuâ experientiâ: qui enim Deum diligit, qui timore ejus afficitur, facile conſervat doctrinam cæleſtem: è contra, qui Deum non timet, nec in ſe continere poteſt quæ ſunt Dei. *Ser. 3. Dom. 12. Pentec.* Ex hoc rectè infertur, quomodo Deus implet cor integrum, & pretioſum, non verò vile, & confractum per diſcordiam, vel luxuriam. *Serm. 1. de S. Stephano in addit.* Unde Maria Virgo tamquam prudentiſſima, & diſcreta omnia verba Dei conſervabat in vaſe ſano, & integro cordis ſui. *In Luc. c. 2. v. 19. ſer. 1. S. Steph. in addit.*

304. *Deum timentes libenter audiunt verbum Dei; & ad ſui profectum ipſum applicant: impii vel illud rejiciunt, vel aliis, non ſibi applicant:* ſic dicit ſacer textus. *Verbum ſapiens quodcumque audierit ſciens laudabit, & adjiciet ad ſe*; ſcilicet ad ſui profectum: audivit luxurioſus, & diſplicebit illi, & projiciet illud poſt dorſum ſuum. *In Luc. c. 7. v. 43.*

305. *Doctorum, & magiſtrorum Chriſti, & diaboli, quale diſcrimen.*

Narratio ſtulti quaſi ſarcina in viâ: nam in labiis ſenſati invenietur gratia. Ecce diſcrimen inter docentes viam veritatis, & ſalutis; & malum docentes; nam qui docent verbo, & exemplo viam ſalutis, & vitæ, ſunt ſenſati, & verè ſapientes, & Doctores, magiſtrique in cælo à Chriſto inſtructi; & in eis invenietur gratia; ſcilicet gratia Dei, quæ elevabit eos ad ſtatum Archangelorum, quorum eſt docere, & illuminare inferiores. E contra, mala docentes, ſunt apud Deum ſtulti, & inſipientes, & in inferno à diabolo inſtructi, quorum doctrina eſt veluti ſarcina in via, id eſt gravis, & oneroſa audientibus, & ſibi ipſis impia, eſtque propria dæmonum. *Op. Eccleſ. Hierar. p. 1. c. 1. in Luc. c. 4. v. 22.*

306. *Qui cor vanitatibus plenum habet, non percipit ea, quæ Dei ſunt: ubi de religioſis tepidis.*

Compedes in pedibus, ſtulto doctrina, & quaſi vincula manuum ſuper manum dexteram. Loquitur hic de ſtulto, ſcilicet de homine habente cor ſuum plenum vanitatibus, & maximè de religioſo tepido, qui ſolùm veſtem exteriorem religionis portat: nam iſti doctrina prælatorum, & majorum potius inſervit pro compedibus in pedibus, & manibus, ne ad ulteriorem perfectionem procedat: vacuus enim gratiâ, & tepidus, quod eſt gratiæ, ſeu minus neceſſariæ tentionis, nempe ſupererogationis quod diſciplinæ, quod morum, quod virtutis perfectio conciliat, negligens, illud difficile, vel certè ſuperfluum arbitratur; ægrèque doctrinam ad talia patitur, doctorem nimis perfectum ironica irriſione pronuncians; ſicque verificatur hoc ſapientis dictum *compedes in pedibus, ſtulto doctrina*: otio gaudens labore vel modico læditur; & tales ſunt peſtes in religionibus. *Op. ſpec. diſcipl. p. 1. c. 5.*

307. *Prædicator, & Prælatus non curſitet facilè per alienas domos; quia hoc proprium hominis vani, & ſtulti:* ſic dicitur hic *pes fatui facilis in domum proximi:* & Chriſtus vetuit Apoſtolis in eadem domo manere. *Luc. 10. v. 7.*

308. *Caveat ſervus Dei ab evagatione mentis, & oculorum, maximè exiſtens in Eccleſia: & religioſus non ſit facilis ad ingreſſum in domos ſæcularium:* dicitur enim hic.

Stultus à feneſtra reſpiciet in domum: vir autem eruditus foris ſtabit. Ideſt vir ſapiens, maximè religioſus quando eſt in Eccleſia fugiat evagationem mentis & oculorum, qui ſunt feneſtræ animæ; ſed ordinet ſeipſum interius, nihil cogitando niſi ea, quæ ſpectant ad Dei ſervitium: & ad litteram quando eſt extra domos ſæcularium, in ipſas non intret ipſis ignorantibus. *Ser. 19. Hexam Op. ſpecu. diſcip. p. 1. c. 27.*

309. *In ore ſtultorum ſtat cor: in corde prudentis ſtat os.* Sic dicit hic Spiritus ſanctus, dans intelligere; quòd ſtulti quando aperiunt os ad loquendum effundunt per ſtultitiam totum, quod habent in corde ſicut olla bulliens: E contra os ſapientum eſt in corde ipſorum, quia os eorum non profert niſi quod prius maturè deliberavit, & cognovit benè eſſe loquendum: conſiderat enim quid loquitur, & qualiter, & coram quo, diſponens ſermones ſuos in judicio diſcretionis, ne alicui loquendo noceat, ne quem indebitè offendat, vel ſcandalizet, ne quid falſi admittat, quod conſcientia poſtea remordeat, & dixiſſe pœniteat. *Op. de profec. religioſ. l. 2. c. 10. Ecclen. c. 5.*

CAPUT XXII.

310. *Acediæ peſſimi effectus expenduntur.*

IN *lapide luteo lapidabitur piger, & omnes loquentur ſuper aſpernationem illius.* Quid eſt quod piger lapidabitur in lapide luteo, & non potius baculo, vel flagello, ut magis excitetur ad tollendam pigritiem? ſed optimè dicit: *in lapide luteo*; qui cum ſit res viliſſima, denotat tum peccatum carnale, tum & vilitatem, & opprobrium: datque intelligere, quod pigritia, & acedia reddit hominem non ſolùm viliſſimum, & contemptibilem, exoſumque aliis, ſed & inclinatum ad peccata carnalia. quod experientiâ patet; nam tales accidioſi ſunt vehementer inclinati ad hoc vitium. *Op. Diet. titul. 1. cap. 7.* Unde ſubdit *de ſtercore boum lapidatus eſt piger. &c. ſermon. 2. de S. Steph.*

311. *Qualem*

311. *Qualem confuſionem, & ignominiam religioni afferant religioſi tepidi, minimos defectus non curantes.*

Confuſio Patris eſt de filio indiſciplinato: filia autem in deminorationem fiet. Hæc verba ad litteram ſunt clara, nam & Filius,& Filia iniqua reddunt contumeliam parentibus, & præcipue Filia ſtulta, & inhonorata: Myſticè loquitur de religioſis, qui minimos defectus vitare non quærunt, ſicque paulatim in deminorationem veniunt, ſcilicet impii, & ſuam Matrem religionem inhonorantes. *Op. ſpecul. diſcipl. p.2. cap.6.*

312. *Super mortuos corporaliter permittitur ploratus ex compaſſione naturæ.*

Sed ſuper mortuos ſpiritualiter; ideſt ſuper exiſtentes in peccato mortali, planctus præcipitur, ut homo excitetur ad compatiendum, orandum, & adjuvandum hos mortuos carentes vita Spirituali, quæ eſt Deus, cum hæc ſit maxima omnium miſeriarum: hinc dicit ſapiens: *ſupra mortuum plora, &c. Luc.c.7.v.12.& 13.& ſeq. Ioan.collat.27. Ecclen.c.12.*

313. *Maledicta, contumeliæ, & minæ facta cum animo deliberato, ſunt ejuſdem qualitatis cum peccato operis,& velut preambula ad homicidium:* unde hic dicitur: *ante ſanguinem, maledicta,& contumelia,& minæ.Op.ſpecu.anima.c.1.*

314. *Quale ſigillum in ore exigat Spiritus Sanctus à nobis.*

Quis dabit ori meo cuſtodiam, & ſuper labia mea ſignaculum certum? Quale eſt ſignaculum, quod deſiderat ſapiens ſuper labia? Sed nota, quòd hoc ſigillum exigit à nobis Spiritus Sanctus ſuper os, & labia: Hoc autem ſigillum apparet in ore, cum de dilecto libenter quis loquitur. Amantium mos eſt, ut amorem ſuum ſilentio tegere nequeant: ſigillum hoc optimè claudit os, & cuſtodit à tacendis; unde ſive taceas, dilectione tace, ſive clames, dilectione clama. *Ser.1.Dom.17.Pentec.*

CAP. XXIII.

315. *IURAMENTORUM aſſuefactio valdè periculoſa eſt; cum non ſine maxima neceſſitate, vel utilitate aſſumendum ſit juramentum:* Unde hic dicitur: *Iurationi non aſſueſcat cor tuum, multi enim caſus in illa. l.3. d.39.a.1.q.3.op.ſer.3.de decem præcep.Sapien.c.14. in fine.*

316. *Tractans malè proximum verbis, & factis, maximè Patrem, & Matrem, quàm Deo exoſus.*

Memento Patris, & Matris tuæ; in medio enim magnatorum conſiſtis, ne fortè obliviſcatur te Deus in conſpectu illorum: & aſſiduitate infatuatus improperium patiaris,& maluiſſes non naſci, & diem nativitatis tuæ maledicas: homo aſſuetus in verbis improperii, in omnibus diebus ſuis non erudietur. Hæc monita Spiritus Sancti ſunt de ſe clariſſima: intendit enim ſuadere filiis parentum honorem, & reverentiam, & alienationem ab omnibus verbis improperii, & contumelioſis, non ſolùm in ordine ad parentes, ſed etiam ad alios, eò quod qui oppoſitum facit, Deum, & Angelos graviter lædit; & talis reducitur ad ſtatum miſerrimum, in quo ſpernit omnes docentes, & corripientes. *Pſal.118.c.9.v.6.Vgo Card.& Gloſ.*

317. *Anima immerſa in carnalitatibus, inſatiabilis eſt, eiuſque ardor inextinguibilis eſt;* unde dicitur: *anima calida quaſi ignis ardens, non extinguetur, donec aliquid deglutiat: & homo nequam in ore ſuæ carnis non deſinet, donec incendat ignem. Luc.cap.4. v.39. ſap.c.2.*

318. *Præſentiæ divinæ exercitii defectus cauſa omnium malorum.*

Omnis homo, qui tranſgreditur lectum ſuum, &c. & dicens: quis me videt? Ecce cauſa, cur homo deficit ab obſervantia præceptorum Dei: nempe quia in ſuis actionibus Deum præſentem non habet: defectus enim hujus exercitii, facit ut homo contemnat Deum, & animam ſuam inficiat: E contra ſi Deum præſentem habebit, cavebit ab omni actione, & locutione, unde diſpliceat. *Op.de ſex alis Seraph.c.8.*

319. *Idem de præſentia Dei.*

Qui tranſgreditur lectum ſuum.&c. dicens: quis me videt? & non intelligit, quòd oculi Domini multò plus lucidiores ſuper ſolem ſunt, circumſpicientes vias hominum. Proponit denuò ſapiens Dei præſentiæ exercitium; dans intelligere, quod cum ſit ubique Deus per eſſentiam, præſentiam, & potentiam, etiam circumſpicit omnia, nec aliquid poteſt ipſi latere: & tamen impii videntes, quod ſtatim non vindicat, credunt ſuas nequitias poſſe ei latere: vel ita vivunt, & operantur, ac ſi Deum lateret eorum nequitia: & hinc eſt, quod in tot ſcelera proruunt. *Ser.2.Dom.2.poſt oct.Paſch.ſer.4. Dom.11.Pent.Luc.c.5.v.4.c.9.v.47. c.12. v.3.c.15. v.21.c.22.v.13.Pſal.118.c.3.v.5.c.9.v.9. Eccle. c.5. Ioan. c.2.in fine. ſer.4. Dom.4. poſt oct. Paſcha. ſap. c.19.l.1.d.19.a.1.q.1.*

320. *Adulterorum miſerabilis ſtatus expenditur.*

Qui tranſgreditur lectum ſuum &c. Hic in plateis civitatis vindicabitur; & quaſi pullus equinus fugabitur,& ubi non ſperavit apprehendetur. Sic & Mulier omnis relinquens virum ſuum; &c. primò enim in lege altiſſimi incredibilis fuit: & ſecundò virum ſuum dereliquit: tertiò in adulterio fornicata eſt. Hic ad litteram agit ſacer textus de adulteris & dat intelligere gravitatem hujus peccati, & quàm Deo ſit exoſum, & ab ipſo puniatur: & ideo in lege tam graviter puniebatur, quia eſt deſtructivum concordiæ conjugum, in damnumque reipublicæ, & maximæ infamiæ; & hinc adulteri ſunt à Deo maledicti. *Pſal.1.8.c.2.v.14. l.4.d.38.dub.7.& 8.op.ſpecul. B.Virg. lec.17.* Nota autem, quòd addit hic, ſcilicet adulter in plateis vindicabitur, ideſt à Deo punietur pœna publica,

blica. Additque, quod mulier adultera tranſgreditur legem Dei, peccat in viſum ſuum, cum non habeat poteſtatem corporis ſui, & committit peccatum graviſſimum luxuriæ. *Sic Ugo Cardinalis.*

321. *Nihil dulcius eſt obſervantiâ mandatorum Dei, & in omnibus actibus humanis reſpicere ad ipſam. Pſal.*118.*c.*1.*v.*3.*c.*11.*v.*6.*ſer.*4. *Dom.quinquag.* Et hinc Deum diligentibus mandata ſunt dulcia: impiis ſunt amara, & difficilia. *Ser.*1. *in op.de decem præcep.*

322. *Glorioſum eſt ſequi Dominum: ignominioſum ſequi Mundum.*

Gloria magna eſt ſequi Dominum: longitudo enim dierum aſſumetur ab eo. Notat hæc ſapiens contra illam maximam, quam habent mundani, exiſtimantes vilitatem magnam relinquere pro Chriſto omnia, & vitam auſteritatis ſequi poſt Dominum: Hic enim eſt error maximus, quia qui ſequitur Chriſtum, conſequitur lucem, quia Chriſtus lux eſt, & veritas, & ſequens Chriſtum ducitur ſecurè in domum æternitatis: E contra, qui ſequitur Mundum, ſequitur utilitates, & ob id ignominioſa eſt hæc ſequela. *in Luc. c.*5.*v.*28.*c* 9 *v.*24.*c.*16.*v.*3. *in Ioan.c.*10.*v.*27. *collat.*41.*in Ecclen.c.*2.

CAP. XXIV.

323. *VERBI generatio ex ore, ſcilicet corde prodiit: unde dicit verbum, quod eſt ſapientia Patris: ego ex ore altiſſimi prodivi primogenita ante omnem Creaturam,* ideſt ab æterno à Patre genita, *l.*1. *in prolog.op.Centil.proœm.ſer.*1.*Dom.*11. *Pentec. in Ioan. c.*1.*v.*1. Nota etiam, quòd licèt propriè de ſapientia increata hic loquatur textus, tamen poſſunt appropriari ſapientiæ creatæ, nempe de ipſa ſapientia, per quam Filius miſſus temporaliter ad animam contemplativam, ipſi ſe manifeſtat, & per quam elevatur ad internam unionem dilecti. *Op. Myſt. Theol. cap.*3. *p.* 1. *& in proœm.*

324. *Chriſtus illuminans per fidem Eccleſiam, ipſam veluti Cœlum lucidiſſimum conſtituit.*

Ego in Cœlis feci ut oriretur lumen indeficiens. Hæc ſunt verba Chriſti, qui cum ſit ſapientia increata Patris, ipſam Eccleſiæ, & ſanctis communicavit infundendo in ipſis lumen fidei indeficiens, & firmum, cui non poteſt ſubeſſe falſitas, vel dubitatio de veritate. *Ser.*9. *Hexam.in ſap.c.*7. *in fine.*

325. *Maria virgo veluti Cœlum lucidiſſimum totum Mundum illuminavit, & Eccleſiam, & ſanctos irradiavit ſua luce:* unde ipſa dicit: *ego in cœlis feci, ut &c. op. Eccleſ. Hierar. p.* 4. *cap.* 7. *in fine.*

326. *Fides tota eſt de divinitate, & humanitate Chriſti.*

Ego in altiſſimis habito, & thronus meus in columna nubis, &c. In his verbis extollitur altitudo & profunditas noſtræ fidei, daturque intelligi, quòd ipſa in altiſſimis habitat; quia dictat divinitatem, ejuſque mirabilia oſtenſa in creatione: addit, & thronus meus in columna nubis, quia dictat incarnationem, quæ facta eſt in nube carnis: addit, & in fluctibus maris ambulavi; quia dictat paſſionem ſignificatam per fluctus maris: addit: *profundum abyſſi penetravi,* quia per Chriſtum poſt reſurrectionem manifeſtata ſunt myſteria ſcripturarum: unde tota eſt de divinitate, & humanitate Chriſti redemptoris. *ſer.*8.*&* 13.*Hexam.*

327. *Anima juſta, præcipuéque contemplativa habitat in altiſſimis.*

Ego in altiſſimis habito, & thronus meus in columna nubis. Hoc dicere poteſt verè anima juſta, & contemplationi dedita, quæ tranſcendens omnia creata, ſolum in divinitatis abyſſo habitat, ut in domo propria. *In Luc. c.*16. *v.*15. *ſer.*1. *de uno S. Doct.op.de ſeptem itiner. æternit. itin.*6. *d.*7. *Eccleſ.Hierar.p.*1. *c.*1.

328. *Adaptantur iſta verba Beatæ Virgini Mariæ.*

Ego in altiſſimis habito, &c. Quis poteſt verè dicere hæc verba ſicuti Maria Virgo? Nota autem, quòd non dicit in altis, ſed in altiſſimis; quia ſicut Cœlum eſt altius omni alio corpore, unde dicitur altiſſimum, ſic Maria Virgo fuit Cœlum altiſſimum; quia à mole fomitis, & ab amore carnalis affectionis per gratiam abſoluta, tota à mundano conſortio differens, & recedens, vita & moribus in cœleſtibus eſt locata: addit: *& thronus meus in columna nubis*; quia ipſa fuit thronus Chriſti, in quo habitavit, & reſedit. *Op.de Eccleſ. Hierar.p.*4.*c.*7. *Pſal.*88. Nota etiam, quod ſubdit ſapientia: *Gyrum cœli circuivi ſola:* ſcilicet quia ſola inter omnes Sanctos gyrum cœli facit, ut omnes reſpiciat, ut omnes protegat, ut omnibus auxilium ſuum præſtet. *Op.Pſal.B.Virg.Pſal.*11.

329. *Tota Theologia eſt gyrus Cœli.*

Gyrum cœli circuivi ſola, & profundum abyſſi penetravi, &c. Hæc dicuntur à ſapientia increata; per quæ dat intelligere qualitatem doctrinæ Theologiæ, & quòd ipſe ſolus Chriſtus ipſam perfectè poteſt penetrare, & nobis intelligentiam aliqualem de ipſa communicare: appellatur autem meritò Theologia gyrus cœli, qui eſt quadruplex; ſcilicet ſpheralis ambitus cœli, & convexa ſuperficies ſphæræ Cœli, qui dicitur æquinoctialis, ſcilicet orbis tranſiens per centrum terræ, quod eſt centrum Cœli, cum quo eſt uterque colurus: item Zodiacus dicitur gyrus Cœli, qui eſt regiratio primi in ultimum, & ultimi in primum, quia in eo rotatur ſol ab oriente in oriens per occidens: item revolutio eptaſyderea circa polum dicitur gyrus Cœli, in primo gyro

gyro ſignificantur omnia, quæ tractantur de Deo: uno, & trino: eſt enim Sphera intelligibilis, cujus centrum eſt ubique, circumferentia nuſquam: in ſecundo gyro ſignificantur, quæ de Deo creatore: in tertio gyro ſignificantur, quæ de Deo incarnato traduntur, per quam primum conjunctum eſt ultimo: in quarto, quæ de ſacramentis, reſurrectionis, judiciariæ poteſtatis Chriſti, & glorificationis traduntur. *Op. compendioſ. princ ſap. c. 7.*

330. *Sapientes Mundi ad veram ſapientiam Chriſti non poſſunt pervenire, niſi pueri ignari efficiantur:* unde hic dicitur, quod ſapientia increata ſuperborum, & ſublimium colla calcat: nempe dans intelligere, quod ad ſapientiam contemplationis numquam poterunt pervenire, niſi per viam puerilem ſe præparent, ſcilicet per viam purgativam, & humilitatis. *Op. Myſtic. Theol. c. 3. p. 4.*

331. *Maria Virgo adaptat omnes in Cœlo electos ad hæreditatem Domini capeſſendam.*

Et in hæreditate Domini morabor, &c. Quænam eſt hæc hæreditas Domini, in qua moratur B. Virgo Maria? Hæc hæreditas Domini ſunt omnes electi ad hæreditatem accipiendam in cœlo aſſumpti: in his moratur B. Virgo tamquam Domina cœli, ut ipſos ad hanc hæreditatem ſuſcipiendam diſponat, & coadaptet. Per te igitur ô Maria habeamus aſcenſum ad Filium, quæ es genitrix vitæ Mater ſalutis; ut per te nos ſuſcipiat, qui per te datus eſt nobis. *Op. Eccleſ. Hierar. p. 4. c. 7.*

332. *Maria Virgo requies Dei, ejuſque uterus.*

Et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo. Hæc ſunt dicta à Virgine Maria; quæ verba continent altiſſima myſteria. Si creavit te ô Maria, ergo totum quod es, eſt à Deo, quomodo ergo in te requievit? ſed transferamus mente ad verba Archangeli annunciantis incarnationem: *Dominus tecum*, ait Gabriel: ſed quale eſt hoc privilegium? nonne etiam eſt mecum? at hæc verba diſcretè ſumenda ſunt: ideſt Dominus tecum pluſquam mecum: Dominus tecum, ſed non ſicut mecum: in me licèt ſit Dominus, memetipſum creavit Dominus, per te autem naſciturus eſt Dominus; ergo non ſolùm ut Dominus univerſalis creaturæ rationalis, ſed Dominus ſingulariter aulæ tuæ virginalis; in qua requiem invenit poſt tumultus Angelorum, & hominum, tamquam in tabernaculo proprio; tamquam in lectulo, tamquam in ſolio excelſo, & elevato, & pleno majeſtate Domini: ergo ſi tale eſt ſolium uterus Mariæ in ipſo omnes poſſumus invenire ſolatium. *Luc. c. 1. v. 28. & 38. ſer. 2. in ſab. op. ſpecul. B. Virg. Lec 7. 8. & 9.*

333. *Adaptantur ſuprapoſita verba hujus capitis ad privilegia Mariæ ex S.S. Patribus.*

Sapientia laudabit animam ſuam: ideſt Chriſtus laude dignam effecit animam Beatæ Virginis, quæ dicitur anima Chriſti ob perfectam charitatis unionem: addit, *& in Domino honorabitur:* ideſt à Domino Angeli ſalutatione, in Domini conceptione, in ejus portatione, in ejus partu, in ejus lactatione: addit: *& in medio populi ſui gloriabitur:* ideſt in Chriſti nativitate apud Bethleem, ubi erat populus, & tribus ejus, ubi angeli cantaverunt: Gloria in altiſſimis, &c. vel etiam in ejus aſſumptione: addit: *& in Eccleſiis altiſſimi aperiet os ſuum;* ſcilicet in purificatione, quando in templo Filium, & hoſtias præſentavit Simeoni: tunc enim aperuit os ſuum in oratione, in laude, & in gratiarum actione: addit, *& in conſpectu virtutis illius exaltabitur*, ideſt in illo miraculo converſionis aquæ in vinum facto ad petitionem Mariæ: addit: *& in medio populi ſui exaltabitur;* ſcilicet quando Mulier dixit Domino: *Beatus venter, &c. Luc. c. 11.* addit: *& in plenitudine ſancta admirabitur*, ſcilicet in paſſione, quando omnia completa fuerunt mirabilis fuit, quia imperterrita, quia filio ſuo pendenti in cruce aſſiſtit, & in ipſa ſola fides illibata permanſit: addit: *& in multitudine electorum habebit laudem, & inter benedictos benedicetur;* ideſt in reſurrectione & aſcenſione, quando inter Apoſtolos prædicatrix, & conſolatrix permanſit; & in ſua aſſumptione ſuper omnes choros Angelorum benedicta collocata eſt. Ex ſupradictis ergo patet, quod Maria Virgo à Domino laudatur, quia humilis fuit: à populis glorificatur, quia reſidens ſolitaria fuit: ab Eccleſia exaltatur, quia tacens fuit: ab angelicis virtutibus glorificatur, quia ſtrenua fuit: quod multitudo ſanctorum in ejus ſpeculatione paſcitur; quia fuit pia: quod electi omnes ſuæ ſalutis cauſam gratiarum actione proſequuntur: quia Mater, & Virgo fuit, quod benedicti Patres ſupra ſe, & prope ſe eſſe lætantur, quia mitis, & pauper fuit. *Sic Sanc. Doct. ſparſim in Luc. c. 1. & c. 2. & c. 11: op. ſpecul. B. Virg. & Pſalt. B. Virg. Sic & Ugo Card.*

334. *Proſequitur idem argumentum de laudibus B. Virginis Mariæ.*

Ego ex ore altiſſimi prodivi primogenita ante omnem creaturam. Quomodo id poteſt dicere ſpeciali modo Maria, cum omnes creaturæ prodierint ex ore altiſſimi? & quomodo primogenita, cum ante ipſam omnes creaturæ prodierint? ſed attende: dicit ex ore altiſſimi, &c. ſcilicet ſingulari modo, ut Mater, & principium Chriſti qui eſt os Patris, & ut eſſet adjutorium Chriſti, ſimile ſibi: prodiit ergo fere eodem modo ac Chriſtus? ſcilicet primogenita, digniorque omni creatura: addit: *ego in Cœlis feci, ut oriretur lumen indeficiens;* ideſt genui Chriſtum lumen indeficiens, *& ſicut nebula texi omnem carnem;* ſcilicet ab ardore iræ Dei: dicit, *veluti nebula*, ideſt nebula lucens, radios ſolis recipiens, tenuis per humilitatem, rorans per charitatem, infrigidans exemplo caſtitatis, obumbrans contra ardorem ſolis, ſcilicet tentationes, & perſequutiones; fœcundans Eccleſiam, medians inter Deum, & homines, ut advocata: ſine ventis, ideſt ſine pompa, & inani gloria: addit: *ego in altiſſimis habito:* ideſt in mandatis charitatis, & in conſiliis perfectionis; in contemplationibus ſupercœleſtium, inter choros Angelorum, in conſortio Apoſtolorum, & in montana, ubi manſit cum Eliſabet tribus menſi-

bus: Addit: *& thronus meus in columna nubis:* ideſt poteſtas mea ſtabilis eſt, ut columna, & toti Mundo utilis: ideſt ut columna nubis, quæ ſolis ardorem, ſcilicet itam Dei temperat, & terram irrorat, & fœcundat, ut advocata peccatorum: item thronus ejus in columna nubis; ideſt, ſedes ejus in Cœlo eſt juxta Chriſtum hominem: Addit: *gyrum cœli circuivi ſola*; ſcilicet Chriſtum, qui eſt gyrus cœli mirabilis, continens omnia: item gyrum cœli; ideſt Eccleſiæ perfectionem continens, confovens, & conſervans: Item dicit: *gyrum Cœli circuivi ſola, &c.* quia omnes Sancti, & Angeli ipſa orante orant, ipſa tacente, omnes tacent: Addit: *& profundum abyſſi penetravi:* ideſt profunditatem ſcripturæ: quia ipſa eſt doctrix, & magiſtra Eccleſiæ: profundum item abyſſi, ſcilicet cor peccatoris, pro ipſo exorans: item profundum abyſſi, ideſt Purgatorii adjuvans illas ſanctas animas: ideo addit: *in fluctibus maris ambulavi*, ſcilicet inter adverſa Mundi, & amaritudines: Addit: *& in omni terra ſteti*, ideſt quaſi ſol fixus ad omnes, expandens radios pietatis: ambulat enim in mari hujus vitæ tamquam navis, nos ducens ad portum ſalutis: & in terra ut Caſtellum, & portus ſalutis: item dicit: *in omni terra ſteti, & in omni populo, & in omni gente primatum habui*, quia ſtationem habet in omni terra: quia ubique terrarum Eccleſias habet, & principales, inter omnes ſanctos, & omnes angelos principatum obtinet, *& omnium excellentium, & humilium corda propria virtute calcavi:* ſcilicet reges, & Principes meo Filio ſubjugavi: item *omnium excellentium, & humilium corda virtute calcavi:* ſcilicet greſſibus piæ viſitationis, quibus viſitat Beata Virgo omnes amicos, familiares, & devotos ſuos: addit: *& in his omnibus requiem quæſivi, & in hæreditate Domini morabor:* ſcilicet inquietudinem, & lites fugiens, requiem quæſivi in bonis, & juſtis, & devotis, qui ſunt hæreditas Domini, *tunc autem præcepit, & dixit mihi creator omnium*, quando ſcilicet requiem quærebat: ideſt qui creavit me ſingulare templum ſibi, venit, & requievit in me novem menſibus: addit: *& in Iacob inhabita, &c. radices*; ſcilicet in populo, quem dilexi; & in juſtis, & electis mitte radices, cordis, & tuæ protectionis. *D. Bonaventura locis ſupra citatis, &c. Ugo aliique S.S.P.P.*

335. *Idem argumentum de laudibus B. Virginis.*

Ab initio, & ante ſæcula creata ſum, & uſque ad futurum ſæculum non deſinam; & in habitatione ſancta coram ipſo miniſtravi. Quomodo dicitur Maria creata ab initio, & ante ſæcula? ſcilicet diſpoſita, & prævisa creari quodam modo privilegiato; & præfigurata in creatione lucis, ut Mater Dei, & refugium omnium, nec unquam deſeram hoc officium: coramque ipſo miniſtravi, miſeris ſubveniendo, humiles ſublevando, pro peccatoribus exorando, *& ſic in Sion firmata ſum: & in Hieruſalem poteſtas mea:* ideſt firmata ſum in Eccleſia militante, & triumphante, potentiſſima apud Deum potentiſſimum: *& ſic in populo honorificato radicavi:* ſcilicet radices virtutum poſui in populo timente Deum. *Op. ſpecu. B. Virg. lec. 8. Eccleſ. Hierar. p. 4. c. 7. ſap. c. 6.*

336. *Mariæ Virginis plenitudo gratiarum expenditur.*

Et in plenitudine ſanctorum detentio mea. Quomodo hæc poſſunt adaptari B. Virgini? cum plenitudo gratiæ membrorum ſolùm ſit propria capitis, quod eſt Chriſtus? Sed attende ſupereminentiam, ad quam Maria exaltata eſt à Deo. Verum quidem eſt, quòd plenitudo omnium gratiarum, primò eſt in Chriſto, qui eſt caput primarium totius Eccleſiæ: attamen voluit hanc prærogativam communicare aliqualiter Mariæ Virgini Matri, ut poſt ipſum recognoſcatur caput omnium electorum: & ob id in hoc ſenſu ſupra allato ſe appellat primogenitam, ſcilicet poſt Chriſtum ante omnem creaturam. Bene igitur dicit: *in plenitudine Sanctorum:* ideſt totum teneo in plenitudine, quod alii Sancti tenent in parte; nam cæteris per partes datur gratia, ſed in Mariam ſe tota infudit plenitudo gratiæ: unde ei non defuit fides Patriarcharum, Spiritus Prophetarum, Zelus Apoſtolorum, conſtantia Martyrum, ſobrietas Confeſſorum, Caſtitas Virginum, fœcunditas conjugatorum, puritas Angelorum: præterea habuit plenitudinem illuminationis ſapientiæ, & intellectus, ut ab æterno illuminare poſſet totum Mundum: plenitudinem inundationis gratiarum in omnes electos: plenitudinem unctionis miſericordiæ, ut omnibus ipſam poſſet communicare: & quia ipſam non poſſumus in hac plenitudine imitari, laboremus, ut accipiamus partem, quam poſſimus, ne vacui bonis apud Deum inveniamur. Eia ergo pleniſſima Virgo Maria nos tam inanes, tam vacuos, ſic participes plenitudinis tuæ fac, ut tandem ad æternam plenitudinem pertingere valeamus, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. *Op. Specul. B. Virg. lec. 7. & ſer. 2. & 3. de B. Virg.*

337. *Ex Maria, & per Mariam omne bonum habetur & malum vitatur.*

In plenitudine Sanctorum detentio mea, &c. Nota, quod illud verbum, detentio mea, ſumitur etiam activè, facitque ſenſum: ego detineo ſanctos in plenitudine ſua, ne minuantur, detinet nimirum virtutes ne fugiant; detinet merita ne pereant; detinet dæmones ne noceant: detinet filium ne peccatores puniat: unde bene dicit de ſe: *in plenitudine Sanctorum detentio mea:* ſcilicet mei ſingulariter: nam ante Mariam non fuit, qui detinere Dominum auderet; teſtante Iſaia *c. 64. non eſt qui invocet nomen tuum, qui conſurgat, & teneat*, ô benedicta Maria tam nobis benefica. *Op. ſpecu. B. Virg. lec. 7.*

338. *Maria habitat cum juſtis, non cum impiis.*

In plenitudine Sanctorum detentio mea. Dicit Maria ſe detineri cum Sanctis, non cum impiis; ipſa enim detinetur, & quieſcit in Sanctis, & in juſtis, non verò cum impiis, qui ſunt pleni ſuperbia, & vitiis. *Op. Specu. B.V. lec.7.*

339. *Mariæ, gloriæ plenitudo qualis.*

Et in plenitudine Sanctorum detentio mea. Hæc dicit B. Virgo Maria nunc exiſtens in Cœlis. Sed quid eſt detentio hæc in plenitudine Sanctorum? Hoc eſt in plenitudine gloriæ, quæ ſanctitati ſuæ debetur; plena enim gratia, plena Deo, plena virtutibus, non poteſt non poſſidere pleniter plenitudinem claritatis æternæ. *Op. ſpecu. B. Virg. lec.7. l.3. d.1. dub.1.*

340. *Maria hortus conſitus diverſis plantis nobilibus oſtenditur.*

Quaſi Cedrus exaltata, &c. Cypreſſus, &c. Palma, roſa, oliva, Platanus, balſamum. Vide quomodo in his, & ſequentibus verbis Maria Virgo oſtenditur veluti hortus variis plantis, floribus, & fructibus nobiliſſimis conſitus, & repletus; quibus exprimuntur variæ prærogativæ eminentiſſimæ ejus: dicitur etiam quaſi cedrus, cur Cedrus? quia ſicuti de Cedro Libani fabricatum eſt Templum, ſaltem ex parte, & ſine vermibus eſt, quia imputribilis, ſemper viret, odore ſuo fugat ſerpentes; eſt altior cæteris arboribus: ſic Beata Virgo materiam præſtitit corpori Chriſti efformando: ipſa fuit præſervata à corruptione, & ſpirituali, & corporali: ſuo aſpectu fugat Dæmones: altior eſt cæteris Sanctis: ideo rectè dicitur: *quaſi cedrus exaltata ſum in Libano*; ſcilicet in Eccleſia. Dicitur quaſi Cypreſſus, per quem ſignificatur miſericordia; & pietas Mariæ, qua infirmis medetur: Cypreſſus enim eſt molle lignum, & medicinale. Dicitur quaſi palma exaltata in cades: ſicut enim palma alta eſt, & annoſa, & fructifera; ſic Maria alta virtutibus, & meritis, annoſa, quia in figuris, & Prophetiis manifeſtata à principio mundi, & fructuoſa, quia fructum attulit nobis benedictum Jeſum Chriſtum. Dicitur *plantatio roſæ in Hierico:* ſcilicet pulcherrima inter flores, id eſt ſanctos; redolens fama virtutum, & exemplorum: frigida, præſtans refrigerium contra æſtum libidinis: modica in ſtatura ſcilicet in humilitate, rubea, & candida per charitatem: Addit textus: *quaſi oliva ſpecioſa in campis*, ratione miſericordiæ, & pietatis: Item quaſi platanus, &c. quæ arbor habet folia ad modum ſcutorum; ſic ipſa fuit, & eſt veluti ſcutum inexpugnabile fidei catholicæ: Addit: *ſicut Cinamomum*, quod ſignificat pietatem, & humilitatem Mariæ: Item per balſamum, quod eſt calidum fervor charitatis: per Mirrham electam, voluntaria paupertas: per ſtoracem, qui ſanat lippitudinem oculorum, virtus diſcretionis, per galbanum, quod apoſtemata ſanat, humilitas: per ungulam, quæ ſcabiem ſanat, virtus abſtinentiæ: per guttam, quæ ſanat arteticum, virtus fortitudinis: per terebinthum extendentem ramos ſuos, exempla operum Mariæ: per vitem, ſanctam converſationem Mariæ Virginis: *S. Bon. ſparſim in op. ſpecul. B Virg. lec.7. Pſal. B Virg. laus B. Virg. Pſal. minus. in Ave, & in Salve ſer.4. in ſexag. op. Eccleſ. Hierar. p.4. c.7. ad finem.* Singulariter tamen expendenda ſunt illa verba: *ſicut Cinamomum, & balſamum, & Mirrha electa:* quia odor Mariæ ſicut Cinamomum exterius in cortice converſationis: ſicut balſamum interius in unctione devotionis: ſicut Myrrha in amaricatione caſtitatis: vel ſicut cinamomum in actione: ſicut balſamum in contemplatione: & ſicut Mirrha in paſſione.

341. *Chriſti odor veluti balſami tantùm communicatur puris mentibus.*

Sicut Cinamomum, & balſamum odorem dedi, &c. Qualis eſt iſte odor Chriſti, & quibus effunditur? datur deguſtandus tantùm puris mentibus; per quem excitatur anima ad concurrendum in odorem unguentorum ſuorum, & ad cætera creata reſpuendum. *Op. de dono ſap. c.2.*

342. *Humilitatis odor quàm pretioſus.*

Sicut Cinamomum, & balſamum aromatizans odorem dedi. Cinamomum eſt cinerei coloris, & cum frangitur, ſpitat quaſi viſibilem, & fragrantiſſimum odorem, qui eſt quidam vapor ad modum cineris: & rectè per ipſum exprimitur qualitas veræ humilitatis, & humilis, qui cum ſe cinerem viliſſimum reputat, fragrantiſſimum odorem exempli emittit, redditque ſe amabilem cunctis. *Op. Diet. ſalu. tit.7. c.1.*

343. *Puritas B. Virginis Mariæ explicatur ſimilitudine Libani, & balſami non mixti.*

Ego quaſi Libanus non inciſus evaporavi: & ſicut balſamum non mixtum odor meus. Sequitur B. Virgo Maria ſuarum perfectionum explicationem, ſe comparando libano non inciſo, & balſamo non mixto. Sciendum autem eſt, quòd libanus in Sacra Scriptura, aliquando ſignificat montem, aliquando ſumitur pro arbore aromatico, aliquando pro thure: hic autem ſignificat arborem quæ eſt ſimilis lauro in cortice, & foliis, emanat autē thus in vere, abſque eo, quod cultello incidatur, & eſt candidum, & dicitur maſculus, perfectuſque, in Autumno verò non emanat, niſi incidatur cultello, eſtque minus perfectum. Balſamum autem arbor ſimilis ruthæ; inciſa autem emittit liquorem valdè odoriferum, qui aliquando adulteratur, miſcendo cum ipſo vel mel, vel oleum cyprinum. Dicit igitur Maria ſe eſſe, & fuiſſe quaſi libanum non inciſum, ſcil. immunem ab omni fœditate peccati, & emiſiſſe odorem ſuum veluti balſamum non mixtū; id eſt non melle carnalitatis & mūdanæ conſolationis, nec oleo vanæ laudis, vel adulationis vitiatum: Balſamum igitur Mariæ eſt unctio gratiæ Spiritus Sancti, qua ſuperinfuſa fuit tanta copia, tantaque plenitudine, ut copioſiſſimè circumquaque effluxerit: & ideo quicquid in Maria geſtum eſt totum puritas, & ſimplicitas, totum gratia, & veritas, totum miſericordia, & juſtitia fuit, quæ de Cœlo proſpexit.

proſpexit. Adeamus igitur ad Mariam cum fiducia, ut miſericordiæ balſamum conſequi mereamur. *Op.ſpecu.B. Virg.lect.5. Eccleſ. Hier.p.4.c.7. ſer.2.Dom.3.poſt oct.Epipha.*

344. *Maria Excellentia, ejuſque multiplicis gratia in terebintho expoſita.*

Ego quaſi terebinthus extendi ramos meos: & rami mei honoris, & gratiæ. Hac metaphorâ pulchrè exponitur multiplicitas gratiarum Mariæ Virginis: Nam terebinthus eſt arbor magna in Syria, maſculus non producit fructum, ſed tantùm fœmina, ejuſque fructus eſt duplex, ideſt rubeus, & pallidus, eſtque jucundi odoris. Et optimè ſignificatur in hac arbore B. Virgo Maria, quæ humore gratiæ in arborem maximam crevit: ejus rami ſunt honoris, & gratiæ, ſcilicet virtutes, & gratiæ, miſericordiæ, & beneficia: In his ramis libenter habitant, & incolunt cæleſtes aviculæ: ideſt animæ ſanctæ. O quàm latè, quàm altè arbor iſta magna B. Virgo Maria ramos ſuos extendit, quàm latè ad homines, quàm longè ad Angelos, quàm altè ad Deum; quia de plenitudine ejus omnes accipiunt: captivus redemptionem; æger curationem; triſtis conſolationem; peccator veniam; juſtus gratiam; Angelus lætitiam; denique tota Trinitas gloriam, filiique perſona carnis humanæ ſubſtantiam: ejus fructus, ſcilicet Chriſtus Jeſus fuit rubeus paſſione, pallidus morte; jucundiſſimus tamen devotis animabus: curramus igitur ad hunc fructum, ad hunc odorem, & inveniemus refrigerium animabus noſtris. *Op. ſpecu. B. Virgin. lec.5.*

345. *Maria Virgo vitis odorifera, & fructifera.*

Ego quaſi vitis fructificavi ſuavitatem odoris; & fructus mei fructus honoris, & honeſtatis. O quàm verè hæc dicuntur de Maria Virgine: quæ fuit vitis odorifera, quæ nobis protulit botrum, & vinum, per quod ſitis Mundi ſedata eſt: verè vitis, cujus fructus ſuaviſſimus eſt, & odoriferus Chriſtus cujus odor, & ſapor trahit ad ſe omnes ſitientes, & refrigerat omnes. *Op. ſpecul. B.Virg.lec.12.& 16. & Pſalt. min. B.Virg.* Nota etiam, quòd Maria Virgo dicit: *flores mei fructus honoris, & honeſtatis:* quia non ſolùm fructum Jeſum Chriſtum botrum Paradiſi nobis protulit, ſed etiam flores, & fructus virtutum, & exemplorum, quæ per totam Eccleſiam redolent, & trahunt odore ſuo ad ſe fideles. *Op. ſpec. B.Virg.lec.12.ſer.4.Dom.ſexag.*

346. *Quales fructus, & flores producat nobis Eccleſia.*

Ego quaſi vitis fructificavi ſuavitatem odoris: & flores mei fructus odoris, honoris & honeſtatis. Hoc etiam dicitur nomine Eccleſiæ, quæ veluti hortus voluptatis gignit flores, & fructus delectabiles, & optimos: & quia fructus delectabilitas eſt ex colore, ex odore, & ex ſapore; ideo ejus fructus ſunt delectabiles ex colore pulchræ converſationis: item ex odore bonæ opinionis, & famæ, & ex ſapore melliſluæ devotionis. Ad hos flores, & fructus currunt electi; è converſo impii ad ſtercora currunt vitiorum, & mali exempli. *Ser.3.Dom.7.poſt Pentec. op. Diat. tit.5. cap.1.*

347. *Chriſtus vitis myſtica: ejus flores, & fructus expenduntur.*

Ego quaſi vitis fructificavi, &c. Hæc propriè dicuntur de Chriſto; qui in *Ioan. c.15.* dicit: *ego ſum vitis vera:* Vitis fuit habens tres propagines; ſcilicet divinam naturam, ſpiritualem, & corporalem; ejus fructus ſunt virtutes, exemplaque, ex quibus homo colligere debet in calice pœnitentiæ divinas dulcedines, ut abſtractus ab his terrenis, poſſit inebriari conſolatione cæleſti. *In Ioan.coll.67.*

348. *Maria præcipuè ex tribus commendabilis, venerabilis, & amabilis.*

Ego Mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & ſanctæ ſpei. In his verbis triplex excellentia prædicatur in Maria Virgine; ſcilicet charitatis, virtutis, & dignitatis: ideo amabilis, quia dulcis charitate, & dilectione: venerabilis ex timore, & reverentia ei debita; & prædicabilis, commendabiliſque ex agnitione ſuarum excellentiarum, & ex fiducia, ſpeque in ipſam habenda. Ex quo enim facta eſt Mater Dei, ſumma Domini omnium eluxit dignatio, & ideò ſumma cum fiducia ad ipſam eſt confugiendum, tamquam ad ſummæ miſericordiæ Matrem. *In Luc.c.1.v.28.& 43.*

349. *Chriſtus tamquam Mater nos ardentiſſimè diligit: & ad noſtram ſalutem ſemper ſollicitus.*

Ego Mater pulchræ dilectionis, &c. Hæc ad literam dicuntur de ſapientia increata, quæ eſt Chriſtus Jeſus, comparans ſe Matri, non ratione fragilitatis muliebris, ſed affectus materni, & ſollicitudinis, quam habet Mater ad filium, dans nobis intelligere ejus mirabilem providentiam, ſollicitudinemque, quam habet in nos velut Mater clementiſſima ad filios, ut ad ipſum tamquam filii chariſſimi confugiamus in noſtris neceſſitatibus, ipſumque ardenter diligamus. *In Luc.c.15.v.8.in ſap.c.7.*

350. *In Maria fuit omnis gratia communicabilis puræ creaturæ: unde ipſa dicit.*

In me omnis gratia vitæ, & veritatis; in me omnis ſpes vitæ, & virtutis. Ergo in Mariam infuſa eſt omnis gratia communicabilis puræ creaturæ: ſcilicet operans, cooperans, & conſummans: gratia vitæ, ſcilicet activæ, & contemplativæ; item innocentiæ, & pœnitentiæ, & veritatis, ideſt vitæ, doctrinæ, & juſtitiæ: omnis ſpes vitæ gloriæ, & virtutis: vitæ, quia in ipſam intravit tamquam in mare flumen gratiæ Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, & omnium ſanctorum. *Op.ſpecul.B.Virg.lec.3.& 6.& 7.* Ergo quicquid habet vitam, gratiam, lumen, & bonum à Maria, per Mariam, & ex Maria provenire neceſſe eſt. *Op.Eccleſ.Hier.p.4 c.7.Comp. Theol.l.4. c.14.in Luc.c.1.v.28.* Quæ tamen magis propriè competunt Chriſto, qui eſt caput omnis gratiæ fontalis.

fontalis.' *In Luc. c.2. v.41. in Ioan. c.1. v.14. op. Eccleſ.Hier.p.1.c.1.*

351. *Alii tranſeunt ad Chriſti partes: alii ad partes diaboli.*

Tranſite ad me, qui concupiſcitis me, &c. Quid eſt, quòd jubet Deus, ut tranſeamus? qui tranſitus iſte, & quo? Nota, quod dicit: tranſite ad me; & vide Iſraëlitas à Deo vocatos ab Ægypto ad terram promiſſionis: iſti tranſietunt mare rubrum feliciter: tentaverunt & ipſum tranſire Ægyptii, ſed in mare omnes demerſi ſunt. Cur hoc diſcrimen, niſi quia Iſraëlitæ tranſierunt benè, Ægyptii malè; illi à tenebris, à vanitatibus ad veritatem, & ad lucem fidei: iſti à vanitate ad vanitatem. Dicit ergo ſapientia divina: *tranſite ad me*, ſcilicet à culpa ad gratiam, à vanitate ad veritatem; & non ſicut Lucifer, non ſicut Adam, qui à veritate ad veritatem tranſierunt: *tranſite*, ait, *ad me, & à generationibus meis adimplemini*; ſcilicet à virtutibus meis, quarum ego ſum Mater, à terrenorum contemptu à cæleſtium appetitu, ab agnitione veritatis, à dilectione bonitatis, & gratiæ adimplemini. Nota, autem, quòd dicit tranſite ad me; quod non poteſt fieri ab homine, niſi inſurgat contra ſe, & elevetur ſupra ſe, & diligat Deum ſuper omnia: igitur tranſeundum eſt à Chriſto ad Chriſtum per Chriſtum. O felix tranſitus: & hoc eſt paſcha, quod continuè debemus celebrare cum Deo. *Ser.2. & 19. Hexam. Pſal.38. in titulo. in Ecclen. c.2. in ſap. c.6. & 8. op. ſolilo. c.4. itiner. mentis c.1. in Luc. c.2. v.16. c.8. v.25. c.12. v.37.*

352. *Mariæ vera devotio eſt ipſius imitatio.*

Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me, & à generationibus meis adimplemini. Hæc verba ſunt Mariæ invitantis ſuos devotos, deſiderantes ipſam honorare: *tranſite*, ait, *ad me*: ſcilicet omnia, quæ ſunt Mundi tranſiliendo vos omnes, non ſecundùm partem, ſed ſecundùm vos totos, corpore, animâ, mente, & corde: tranſite à vobis ad me, & à me ad vos, id eſt vos, qui concupiſcitis me honorare: & à generationibus meis adimplemini: quæ generationes ſunt iſtæ Mariæ? ſupra dixit: *ego Mater pulchræ dilectionis, & agnitionis, & timoris, & ſanctæ ſpei*: ſcilicet à generationibus meis, quæ ſunt opera mea adimplemini; me, & meas virtutes, operaque imitando: hæc enim eſt vera devotio, quæ beatos facit, & Deo, & Mariæ charos. *Op. ſtim. p.3. c.16. ſpec. B. Virg. lec.12. Pſal. B. Virg. Pſal.118. & ſer.2. de B. Virg. ad finem.* Nota etiam, quòd hæc proferuntur tanquam verba Mariæ ſtantis ad pedes crucis: *Tranſite*, ait à vobis ad me, *& videte, ſi eſt dolor ſicut dolor meus*, tranſeundo à me ad vos, meditando dolores meos; & à generationibus meis adimplemini; ſcilicet à gratia filii mei implemini. *Op. ſtim. ibid.*

353. *Sapientia eſt donum Spiritus ſancti ſapidiſſimum.*

Spiritus meus ſuper mel dulcis & hæreditas mea ſuper mel, & favum. Hæc verba dicuntur à ſapientia increata, quæ eſt Chriſtus, datque intelligere, quòd ſapientia, quæ eſt donum Spiritus ſancti, eſt donum ſapidiſſimum; non ſolùm ſicut mel, ſed pluſquam mel: mel namque unum habet ſaporem, & illo guſtato, deſipiunt alia etiam meliora; ſicut vinum, quod poſt mellis guſtum non apparet, ſapidum: ſed ſapientia divina omnem habet ſaporem, quia ſibi ſapiunt omnia, ut debent, ſcilicet tam mala, quam bona temporalia, ut vilia, & inſipida: bona ſpiritualia, ut chara: bona æterna ut fructuoſa & ſummè nobilia; ſicque reddit omnia cognoſcibilia, ut ſunt. *Op. Diæt. tit.6. c.4. ſapient. c.8.* Et hinc hæc dulcedo ſic dulciter reficit, ut perfectè animam ſatiet, nec generat faſtidium, imò continuat deſiderium: non ſic dulcedo terrena quæ ſemper cum amaritudine eſt reſperſa, generatque faſtidium, vel ob amaritudinem mixtam, vel præ frequenti aſſuetudine. *Ser.3. Dom.3. poſt oct. Paſcha.*

354. *Chriſti ſaporis deguſtatio proponitur: ejuſque qualitas eruatur ex vulneribus eius, & Euchariſtia.*

Spiritus meus ſuper mel dulcis, & hæreditas mea ſuper mel, & favum. Si ſuper mel, ergo excedit dulcedinem mellis? ſed in quo? Nota, quòd hic Spiritus Chriſti eſt panis quem exhibet contemplativis, & devotis animabus, qui dicitur ſuper mel dulcis; quia mel unum tantum ſaporem habet; at iſta dulcedo à Chriſto exhibita ſuis charis habet triplicem ſaporem ſpiritualem; nempe mellis, quoad divinam naturam; olei ſeu balſami, quoad animam gratiâ ſpecioſiſſimam & unitam; & ſimilæ, quoad corpus purum à furfure fomitis, & corruptionis originalis totaliter abſtractum. Sed unde eruendus eſt iſte ſpiritus Chriſti? Attende, quod ex vulneribus ſalvatoris, licet tibi ſugere mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo: vel recurrere ad ſacramentum Euchariſtiæ, in quo ſenſibiliter experieris quomodo ſpiritus ejus eſt ſuper mel dulcis. *Ser.1. & 6. in cœna Dom. ſer.1. Dom.6. poſt Pentec. Ser.4. in Pentec. ſer.2. Dom.3. poſt oct. Epiph. ſer.3. Dom. in albis. Pſal.118. c.7. v.7.*

355. *Mariæ Virginis devotio ſuper mel dulcis.*

Spiritus meus ſuper mel dulcis &c. Hæc dicuntur à B. Virgine: cum enim ſupra ſuaſerit ad ſui devotionem, & imitationem, ſubdit, *quia ſpiritus meus ſuper mel dulcis &c.* qui enim frequentant preces, & laudes Mariæ Virginis, qui ipſam imitari quærunt, ipſa voluptates ſempiternas, & dulcorem ſuper mel, & requiem pacis confert. *Op. Pſalt. B. Virg. Pſal.134. Pſal.118. ad quomodo dilexi.*

356. *In via Dei debet homo procedere de pane in panem; ſemper eſurire novum cibum & potum: ubi de differentia bonorum ſpiritualium, & temporalium.*

Qui edunt me adhuc eſurient, & qui bibunt me adhuc ſitient. Ecce quid accidit ſervis Dei in via perfectionis ambulantibus: nempe ſemper manducare, & ſemper de novo eſurire, ſemper bibere, & ſemper de novo ſitire. Sed quid eſt hoc? nonne dicit Chriſtus, quod qui eſuriunt, & ſitiunt

tiuot juſtitiam ſaturabuntur ? ſed nota, quod eſt eſuries, quæ provenit ex indigentia, & faſtidio, & intemperantiâ potantis, & rei inſufficientiâ, & ex deficientia virtutis rei potatæ, & de hac currit objectio: Nam rerum temporalium poſſeſſio potiùs famem generat, ſimulque faſtidium: at delitiæ ſpirituales ex oppoſito ſatiant, reficiunt, & ſui continuationem, & deſiderium ſemper de novo ingerunt: Unde excitant ad tranſeundum de pane ad panem. *v.9.* de pane pœnitentiæ ad panem juſtitiæ, & ſanctorum operum: item ad panem ſacramentalem, ad panem verbi Dei, & hinc ad panem internæ refectionis, & contemplationis, & tandem ad panem, & vinum cæleſtis gloriæ. Felix igitur, qui manducabit panem iſtum, & biberit aquam cæleſtem, quia ultra non habebit penuriam ullam. *In Luc. c.14. v.15. Ioan.c.4. v.14.& c.6. v.35.& coll.28. Op.de prof.relig.l.2.c.14.*

357. *Opus bonum bene factum eſt veluti ſemen, & incitamentum ad aliud de novo faciendum: ubi de deſidioſorum miſeria.*

Qui edunt me adhuc eſurient &c. Nota, quòd hoc teſtatur Chriſtus Jeſus loquens de deliciis, conſolationibus, & fructibus Spiritus ſancti, quæ ab ipſo infunduntur in cor ſervorum ſuorum; quod tamen verificatur etiam de ipſis operibus bonis rectè factis. Hoc autem eſt diſcrimen inter ferventer operantes in Dei ſervitio, & inter deſides, & tepidos: nam in primis opus rectè, & fervidè factum eſt veluti ſemen, & excitamentum ad aliud de novo faciendum, & procedendum ſemper de virtute in virtutem ad altiora, eò quòd (ait Chriſtus) qui edunt, & guſtant me adhuc eſurient, & nova arripere denuò deſiderant. E contra, qui deſidioſè, & tepidè agit, quia illud opus eſt veluti emortuum, & ſine ſemine, elangueſcere facit animam in Dei ſervitio, & faſtidium generat, ita quod non amplius arripere illud opus tentat. *Op.de prof. relig. l.2.c.14.de ſex alis ſeraph.c.8.*

358. *Humilis verus contendit cum Deo veluti de pari in bonum, & profectum animæ.*

Qui edunt me adhuc eſurient &c. Ergone cibus cæleſtis erit deficiens? nec valens ſatiare animam? ſed attende, quòd hic loquitur de humili vero, qui ad tantam ſublimitatem humiliando ſe, evehitur; quod quaſi de pari contendit cum ſumma liberalitate Dei, ejus gratiam ſemper recipiendo; quia quantò divina liberalitas animæ plura tribuit, tantò ipſa ſe annihilando ad recipiendum fit capacior: & hinc in perſona Dei de humili dicitur: qui bibunt me, adhuc ſitient. *Op.Diet.tit.7.c.1.*

359. *In vita ſpirituali, & maximè in gloria eſt fames ſine defectu, & ſatietas ſine faſtidio.*

Qui edunt me, adhuc eſurient, & qui bibunt me adhuc ſitient. Nota iterum diſcrimen, quod eſt inter bona terrena, & cæleſtia: nam bona temporalia, quò copioſiùs ſumuntur, eò majorem famem, & ſitim cum faſtidio generant, quia ſatiare non poſſunt animam, capacem bono infinito, unde magis irritant famem, & ſitim accendunt. E contra bona cæleſtia, non ſolùm in hac vita, ſed magis in gloria & ſatiant, & reficiunt, & eſurire, & ſitire de novo faciunt ſine faſtidio: quia edere Chriſtum, aut bibere eſt in eo delectari, in quo qui plus delectatur, plus deſiderat delectari, ibi exiſtens ſimul fames, & ſatietas; & ideo fames ſine defectu, & ſatietas ſine faſtidio. Felix igitur, qui ad menſam Chriſti accedit, ut ipſum Chriſtum edat. *Ser.2. fer.2. Pent.in Ioan.c.4. v.14.c.6.v.35.& ſeq.& collat.38. in Luc.c.6.v.20.c.14. v.15.*

360. *Alii audiunt verbum Dei benè, alij malè.*

Qui audit non confundetur, & qui operantur in me non peccabunt. Nota, quòd dicit hic ſapientia increata, quòd omnis, qui ipſam audit non patietur confuſionem: quomodo hoc verum eſt, cum dicat S. Jacobus, quòd auditores legis non juſtificabuntur, ſed factores? ſed attende, quòd ad auditionem verbi Dei, ſubjungit: *qui operantur in me*; ut videas, quòd alii audiunt verbum Dei in bonum, alii in malum: in bonum audiunt illud, qui non ſola aure corporis, ſed etiam cordis, & cum reverentia, & obedientia illud recipiunt: in malum, qui ſola aure corporis, abſque opere illud audiunt. *In Luc. c.9. v.35. c.11. v.28.c.14.ad finem. & c.19.ad finem.*

361. *Invitatur anima ad intrandum in vulnera Crucifixi.*

Qui audit non confundetur, qui operantur in me, non peccabunt; qui elucidant me vitam æternam habebunt. Quid eſt operari in Chriſtum? qui operantur in me, ait Chriſtus; quid eſt hoc, quod operandum eſt in Chriſto? ſed attende, quòd hæc verba ſunt Chriſti Jeſu crucifixi invitantis animam ad excavandum vulnera ejus, & ad intrandum in ipſa; non ad perſcrutandam ejus majeſtatem incomprehenſibilem, ſed ad elucidandam ejus voluntatem, ut conformitas perfecta cum ipſa habeatur: qui igitur ſic cooperabitur in Chriſtum, vitam æternam habebit. *Op. medit. vita Chriſti c.53.*

362. *Prædicatori elucidanti, & explicanti verba Dei, & mirabilia Chriſti ad profectum auditorum promittitur vita æterna*: ait enim ſapientia: *qui elucidant me, vitam æternam habebunt. ſap. c. 8.in Luc.c.11.v.28.*

363. *Cultus, imitatio virtutum Mariæ, prædicatioque ſuarum prærogativarum ſuadetur.*

Qui audit me, non confundetur, qui operantur in me, non peccabunt: & qui elucidant &c. Hæc ſunt verba Mariæ, quibus dat intelligere, quod qui ipſius monita, conſilia, & inſpirationes audierit, confuſionem non patietur, quia vivit ſub jugo Mariæ: Addit, *& qui operantur in me*, ſcilicet per imitationem meatum virtutum, colentque per devotionem, immunes erunt à peccatis: Præterea ſubdit: *& qui elucidant me &c.* nempe quia nobis impoſſibile eſt ipſam imitari in ſua ſublimiſſima

gratia

gratia, & perfectione, eſt tamen prædicanda, laudanda, & benedicenda. & in noſtrum auxilium invocanda: qui enim hæc facient, *vitam æternam habebunt. Ser. 2. de B. Virg. Pſal. 118. in v. mirabilia, &c.*

364. *Mundus eſt liber, in quo leguntur magnalia, & attributa Dei.*

Hæc omnia liber vitæ, & teſtamentum altiſſimi, & agnitio veritatis. Legem mandavit Moyſes in præceptis juſtitiarum, &c. Quis liber iſte continens omnia ſupradicta; nempe arbores, civitates, plantas, herbas, &c. Nota, quòd duplex eſt liber nobis propoſitus: alius eſt liber Mundi continens omnes creaturas, alius Sacræ ſcripturæ: in illo legitur, & cognoſcitur Deus cum ſuis attributis; nam creaturæ omnes nobis prædicant, quod ipſe Deus fecit eas, & non ipſæ ſe ipſas: prædicant & ejus potentiam, & ſapientiam, & bonitatem: liber Sacræ ſcripturæ, & teſtamenti veteris, præcipuè continet libros à Moyſe conſcriptos, & omnia authentica neceſſaria ad ſalutem. *in Luc. c. 20. v. 28. in ſap. c. 13.*

365. *Maria Virgo liber vitæ, & legis divinæ.*

Hæc omnia liber vitæ, & teſtamentum altiſſimi, & agnitio veritatis. Hæc optimè quadrant B. Virgini, quæ verè fuit liber continens legem, & magnalia Dei: ſi enim totus Mundus eſt liber, nobis prædicans, & dictans Dei omnipotentiam, ſapientiam, & bonitatem, multò magis Maria Virgo, quæ eſt Mundus major hoc Mundo dictans omnes perfectiones divinas. *Op. Laus B. Virg. fig. 15. & Pſalt. min. quinquag. 3.*

366. *Maria fontes gratiarum omnibus communicat.*

Qui implet quaſi Phiſon ſapientiam, & ſicut Tigris in diebus novorum, & quaſi Euphrates adimplet ſenſum qui multiplicat. quaſi Iordanis in tempore meſſis, &c. & quaſi Geon, &c. Nota quòd ſacer textus enumerat hic quatuor flumina exeuntia è Paradiſo, & addit quintum, ſcilicet Jordanem, ex quibus irrigatur, & fæcundatur tota terra: ideo rectè de influentiis à Beata Virgine, tanquam è Paradiſo provenientibus poſſunt exponi: datque nobis intelligere, quòd ex Maria proveniunt ad creaturas rationales omnia bona, gratiæ, & illuminationes: & ideo qui ſe aridos, vel etiam mortuos in peccatis ſentiunt, ad Mariam debent feſtinare; quia ab ipſa vitam, & opem obtinebunt: quia quantum eſt de ſe, omnibus ſe æqualiter commenſurat, luminiſque ſui radios indeſinenter omnibus ſubminiſtrat; nec ab ullo ſe ſubtrahit; niſi illi forſitan, qui voluntariè ſe ab ea illuminari negligit, vel contemnit. *Op. Eccleſ. Hierar. p. 4. c. 7. ad finem.*

367. *Chriſtus ſapientia Patris velut fons, miſit Prædicatores per totum Mundum veluti flumina,* ad hoc, ut aquâ doctrinæ Chriſtianæ inundarent Eccleſiam, & irrigarent animas fideles, eaſque fæcundarent ad producendos fructus ſalutares: unde hic dicitur: *Ego ſapientia effudi flumina. In Ioan. c. 20. v. 21. & collat. 59.*

368. *Incarnatio verbi Dei fuit generatio medicamenti ad ſalutem noſtram, ex Patre æterno, & Maria derivans.*

Ego ſapientia effudi flumina: ego quaſi trames aquæ immenſæ de fluvio: ego quaſi fluvius Dorix, & ſicut aquæ ductus exivi de Paradiſo. In his verbis explicatur origo incarnationis verbi, ejuſque effectus ſalutares: nam verbum Dei exiit à Patre æterno, & in tempore ex Paradiſo ventris Mariæ; rectéque ſe aſſimilat fluvio Dorix: Dorix interpretatur medicamentum generationis, vel generatio medicamenti: quia verbi incarnatio facta eſt ad medendos languores noſtros; effuditque flumina ſacramentorum, & doctrinæ evangelicæ, quæ ſunt medicamenta omnium infirmitatum ſpiritualium. *L. 1. ſent. in prolog. ſer. 2. Hexam. Pſal. 118. c. 3. v. 8.*

369. *Chriſtus aquâ S. Scripturæ rigavit, & fundavit totam Eccleſiam.*

Rigabo hortum meum plantationum, & inebriabo prati mei fructum. Hæc ſunt verba Chriſti Jeſu incarnati: ſed quis, vel qualis eſt hortus plantationibus refertus: eſt Eccleſia ab ipſo plantata, & conſita variis plantationibus fidelium, qui ſunt fructus & partus laborum, & paſſionis ſuæ. Hunc hortum irrigat continuè aqua doctrinæ S. ſcripturæ, quæ eſt alimentum perfectum eorum, quæ aluntur indigentiam adimplens, infirmum curans, reflorere faciens, & renovans, bonum effectum donans, à triſtitia liberans, & lætitiam largiens: Ecce qualis rigatio fit continuè à Chriſto in Eccleſia. *Op. princip. S. Scrip. in ſap. c. 15. in Luc. c. 11. v. 28. c. 23. v. 43. in Ioan. collat. 79.*

370. *Maria irrigavit, irrigat, & fæcundat Eccleſiam totam, & fideles.*

Ego ſapientia effudi flumina: Ego quaſi fluvius Dorix: & ſicut aquæductus exivi de Paradiſo: rigabo hortum meum plantationum. Hæc verba optimè quadrant B. Virgini Mariæ, quæ in conceptione exivit de Paradiſo; ſcilicet immunis ab omni fœditate, & conſtituta veluti fons, vel Mare plenum omnibus gratiis effudit aquas medicinales ad ſanandas infirmitates noſtras: eſt enim medica, & medicina ſalutis, ejuſque munus eſt irrigare totam Eccleſiam, ejuſque plantationes, ſcilicet fideles omnes. *op. ſpec. B. Virg. lec. 9. & 11. & in ſalve.*

371. *Maria extendit ſuam protectionem ad peccatores peſſimos; & ad exiſtentes in Purgatorio.*

Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inſpiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in Domino, &c. videte quoniam non ſoli mihi laboravi, ſed omnibus exquirentibus veritatem. Hæc ad litteram dicuntur de Chriſto: ſed etiã adaptantur B. Virgini, quæ dicit ſe penetrare omnes inferiores partes terræ. Quænam ſunt iſtæ partes inferiores terræ? ſunt corda peccatorum peſſimorũ; & ad litterã eſt Purgatorium. Benè igitur dicit: *penetrabo omnes, &c.* quia ubiq; charitas & gratia Mariæ excurrit, homines beneficiis afficiendo, auferens peccata, & afferẽs fæcunditatem bonorum

norum operum. *op. Pſ. B. Virg. Pſ.* 34. & 10. & 112. Et hinc etiam viſitat ſua interceſſione animas exiſteutes in Purgatorio. Si enim Chriſtus miſeretur ſuper ipſas, excitans nos ad auxilium ipſarum, idem & facit B. Virgo Maria tamquam Mater miſericordiæ. *ſermon. 3. Dom. 6. Pentec. Pſalt. cit.*

CAP. XXV.

372. *Concordia, & unio ſummè chara Deo, maximè inter fratres, & proximos, & uxoratos.*

IN tribus beneplacitum eſt ſpiritui meo: ideſt inter alia, valdè in his tribus complaceo, ait Spiritus Sanctus: nempè in concordia fratrum carnalium, & religioſorum, amore proximorum, & dilectione uxoratorum: ſi enim à rixis, & contentionibus erunt homines immunes, erunt veluti cœli, & illa congregatio, in qua non dominabitur diſcordia, erit veluti Paradiſus: nempe ſi nulla erit diſparitas in victu, in veſtitu, & in affectu: ſic & inter proximos, & virum, & mulierem. *Op. Eccleſ. Hier. p. 4. c. 4. Luc. c. 6. v. 14. vide ſer. 1. Dom. 24. poſt Pent. ubi de diſcipl. inter virum, & uxorem.*

373. *Pauperem ſuperbum, divitem mendacem, & ſenem fatuum valdè abominatur Deus: & quomodo id intelligendum ad litteram, & myſticè.*

Sapiens enumerat ſpecialiter hæc tria genera vitioſorum, tamquam inter alios abominabilium apud Deum, & primò pauper ſuperbus abominabilis eſt: qui enim nutritur de bonis aliorum, deberet eſſe humilis in opere, & in ſermone: ſi autem eſt ſuperbus, bilinguis, detractor, deriſor, latro, blaſphemator, dæmones imitans, opera falſificans, malitioſus, otioſus, malè reſpondens, & mendax, iſte apud Deum valdè abominabilis eſt: & hoc poteſt dici de omni ſuperbo, quia eſt pauper, & nudus bonis operibus, Secundò dives mendax: quia divites deberent eſſe pii, miſericordes, modeſti, patientes, humiles: ſi erunt ſine miſericordia, mendaces, ſine fide, & fidelitate, raptores bonorum pauperum, Deo execrabiles ſunt. Tertiò ſenes fatuus; Qui enim deberent eſſe prudentes, magnæ ſapientiæ, & conſilii, ſi ſint ſine prudentiâ, abſque conſilio bono, ſine patientiâ, pudicitia, queruli, triſtes, impatientes, accidioſi, tenaces, avari, laudatores veteres, vituperantes modernos, & cum magis appropinquant ad mortem, ſunt magis avidi in congregando; iſti ſunt Deo valde abominabiles. Nota etiam, quod myſticè per divitem mendacem intelligi poteſt diabolus, dives in promiſſione, ſed mendax in ſolutione. Senex fatuus eſt Mundus, qui fatua ſequitur, & fatuos facit. Pauper ſuperbus eſt ille religioſus, qui paupertatem promiſit, & profitetur, & tamen vult, ut nihil ei deſit. *ſer. 3. Dom. infra oct. Epiphan. ſer. 1. Dom. 3. quadrag. ſer. 1. Dom. 24. Pentec. op. comp. Theol. l. 3. c. 15.*

374. *Qui in juventute congregabit ſemina operum bonorum, in ſenectute fructum metet: & è contra, qui mala ſemina jacit in juventute, pœnas &c. metet in ſenectute:* unde hic dicitur: *Quæ in juventute tua non congregaſti, quomodo in ſenectute tua invenies?* Quaſi dicat: mane, ſcilicet in juventute ſemina bonum ſemen, ideſt ſanctæ vitæ, ſi vis fructum bonum colligere in veſpere ſenectutis: quæ enim ſeminaveris, hæc & metes. *ſer. 2. & 3. Dom. ſexageſ.*

375. *Qualis ſapientia deceat ſenes, Presbiteros, & Prælatos.*

Quàm ſpecioſum canitiei judicium, & presbyteris cognoſcere conſilium; quàm ſpecioſa veteranis ſapientia, & glorioſus intellectus, & conſilium: corona ſenum multa peritia, & gloria illorum honor Dei. Hæc diriguntur ſenibus veteranis, Presbiteris, & Prælatis; ut pateat qualis ſit ipſorum obligatio, decor, & honor: tenentur enim inferioribus ſuâ ipſorum vitâ viam ſalutis denunciare, eſſeque forma ſubditorum; quia plus movent exempla, quam verba. *Serm. 4. Dom. 2. quadrag. Pſal. 118. c. 7. v. 4. & c. 8. v. 13.*

376. *Sapientia cum tumore inflat, cum timore filiali ædificat; eſtque initium omnis boni.*

Quàm magnus qui invenit ſapientiam, & ſcientiam. Quaſi dicat certè videtur magnum donum, & decus, præditum eſſe multa ſcientiâ, & ſapientiâ, ſcilicet dono contemplationis altiſſimarum rerum; ſed tamen hoc nihil eſt ſine timore Domini filiali: nam ſcientia ſine hoc timore non ædificat, ſed inflat, ut expertus eſt Adam: ſed timor Dei ſuper omnia ſe ſupraposuit: ſine enim timore Dei nihil boni poteſt obtineri. *Pſal. 118. c. 3. v. 6.* Et hoc dicitur meritò, quia timor Dei eſt veluti Abbas, vel janitor ſine cujus licentia nil intrat, vel exit; & per ipſum omnia dona Spiritus Sancti habet ingreſſum in animam. *Sic Ugo Card.*

377. *Secundùm menſuram dilectionis, & reverentia ſubditorum ad Prælatos, & ipſi à Prælatis, & aliis diliguntur, & fovebuntur:* quia ut hic dicitur. *Timor Domini initium eſt dilectionis.* Timor enim Domini facit, quod ſubditi obediant, & reverentiam præſtent Prælatis, ſicut Deo; & ideo Deus ipſos reddit gratos iiſdem Prælatis, & cæteris. *Op. Eccleſ. Hier. p. 3. c. 1. Luc. c. 17. v. 5.*

378. *Væ illis, qui à ſenſualitate ſe ſinunt dominari.*

Brevis eſt omnis malitia ſuper malitiam mulieris. Mulier ſi primatum habeat, contraria eſt viro ſuo. Hæc, & alia contra mulieres affert ſacer textus; quæ tamen myſticè intelligenda ſunt de ſenſualitate, quæ ſi dominari ſibi ſinitur à nobis, in omnia mala incidemus; unde debet refrænari, comprimi, & occidi, ne ad interitum nos ruero faciat. *Ser. 2. de dedicat.* Nota etiam, quod litteraliter dat intelligere quâ diligentiâ cavere debeat homo à conſortio mulierum; quia diabolus, ut plurimum per ipſas intrat in poſſeſſionem cordis, *Luc. c. 22. v. 57. ſer. 4. Dom. 17. Pentec. Ioan. coll. 21. Pſal. 118. c. 9. v. 8.*

CAPUT

CAP. XXVI.

379. *Mulieris bonæ conditiones expenduntur: & felicitates viri, & talis Mulieris.*

MULIERIS *bonæ beatus vir; numerus enim annorum illorum duplex.* Ad litteram exprimit ſapiens conditiones uxoris bonæ, & felicitates inde redundantes ipſi, & viro ſuo. Sed quænam eſt mulier iſta bona? hæc eſt, quæ ſub viro obedientialem ſubjectionem exercet; quæ fervidam dilectionem ad virum, & familiam, & ſedulam operationem in gubernatione domus, & piam compaſſionem ad proximum, & ſalubrem nutritionem ad filios, & infirmos habet. Felix igitur eſt talis Mulier, & vir, cui tanta ſors obvenit: quia numerus annorum illorum erit duplex; ſcilicet quia iſti ducunt vitam lætam, & pacificam. *Ioan. c.16. v.21. & collat.66. & Ugo hic.*

380. *Eccleſiæ ſponſæ Chriſti qualitates expenduntur. Item, & animæ juſtæ. Item & B. Virginis, & S. Ioſeph.*

Mulieris bonæ beatus vir. Nota quòd myſticè hæc intelliguntur de Chriſto ſponſo Eccleſiæ, ejuſque conditiones innuuntur, dum dicitur: *mulieris bonæ*: bona enim eſt hæc ſponſa Chriſti ratione obedientialis ſubjectionis ſub ipſo Chriſto, ratione fervidæ dilectionis; ratione ſedulæ operationis; ratione piæ compaſſionis, & ſalubris nutritionis infirmorum: hæc enim parturit divinum verbum in matrice; ſcilicet in memoria ſuſcipiendo, & retinendo, ex quo bonum organizatur meditando, vivificatur conſentiendo, & parturitur operando. Hæc autem lætificat ſponſum, prædicando, operando, laudes cantando, & gratias referendo. Id & poteſt applicari animæ juſtæ. *Ioan. c.16. v.21.* Nota etiam, quòd hæc à fortiori poſſunt applicari B. Virgini Mariæ, quæ ſuper omnes fuit bona, pia, caſta, benigna, & modeſta: & ideo S. Ioſeph ejus ſponſus poteſt verè dici beatus vir: ſcilicet ad menſuram bonitatis ſponſæ, & ipſe fuit felix, beatus, & ſanctus. Nota item, quod idem myſticè poteſt dici de religione, de ſanctimoniali, de Parochia, quæ cum habeant ſupradictas conditiones lætificant Chriſtum. *Ugo hic.*

381. *Pax in hac vita ſervanda, ut per ipſam perducatur anima ad pacem æternam.*

Mulier fortis oblectat virum ſuum; & annos vitæ illius in pace implebit. Nota hoc ultimum verbum: *in pace implebit*: ut videas, quod duplex eſt pax; ſcilicet pax vitæ mortalis, quæ eſt tamquam medium ad obtinendam pacem completam in monte: qui enim militaverit, & vicerit titillationes carnis, & Mundi vanitates, oblectabitur in hac vita pace perenni, & in alia completam pacem obtinebit. *Ioan. collat.66.*

382. *A Mulieris, & carnalitatis tactu vitandum eſt, ſicut à tactu ſcorpionis, qui capite blanditur, & pungit caudâ:* unde hic dicitur, *qui tenet Mulierem nequam, quaſi qui apprehendit ſcorpionem. op. comp. Theolo. l.3. c.21.*

383. *Idem probatur: ubi de cuſtodia filiarum à parentibus habenda.*

In filia non avertente ſe, firma cuſtodiam; ne inventa occaſione abutatur ſe. Ad litteram Spiritus Sanctus monet parentes maximam diligentiam habere ad cuſtodiam filiarum; & præcipuè illarum, quæ malè inclinatæ ſunt ad vanitates, & voluptates. Myſticè autem advertit quali cuſtodiâ cavendum eſſe à ſenſualitate, & carnalitate, ne inſurgat in ſpiritum; ipſumque trahat ad ignominiam peccati. *Luc. c.4. v.39.*

384. *Maria Virgo gratiâ repleta, & impinguata, impinguavit, & impinguat fideles, & lætitiam Chriſto affert.*

Gratia Mulieris ſedulæ delectabit virum ſuum, & oſſa illius impinguabit. Hæc ad litteram de Muliere bona, & prudente, & Deum timente quæ lætitiam viro affert, & ſimul robur, & auxilium in gubernanda domo. Myſticè loquitur de Mariâ Virgine, quæ dicitur Mulier ſedula; quia ſecreta Dei ore tacito, cum corde vigili ſedula ſcrutabatur: Ejus vir eſt Chriſtus, quem circumdedit utero ſuo: oſſa hujus viri ſunt quicumque in corpore ejus, ſcilicet Eccleſiâ fortes ſunt: Iſta oſſa, ſuffragante gratiâ Mariæ impinguantur unctionibus gratiæ, & pinguedine Spiritus Sancti. O quis æſtimare valeat, quàm multæ animæ, opitulante gratiâ Mariæ, ſint per gratiam impinguatæ; imò certè quis æſtimare valeat quanta in ipſa Maria fuit impinguatio gratiarum, cujus gratiâ impinguata ſunt tot millia animarum? cujus enim virtutis pinguedine ipſa caruit, quæ omnium virtutum pinguiſſimum habitaculum fuit? dicitur autem, quod jucundavit virum, ſcilicet Chriſtum; quia ipſam ſuper omnes Mulieres adamavit, & diadema regni poſuit in capite ejus: ut habetur in Eſther; ſcilicet tantam gratiam apud Deum invenit, quod & pervenit ad coronam regni, & ipſum placavit, eripiendo à morte genus humanum. *Op. ſpec. B. Virg. lec.5.*

385. *Mulieris prudentis Philoſophia conſiſtit in addiſcendo ſilentium ubi de taciturnitate Mariæ Virginis.*

Diſciplina illius datum Dei eſt. Mulier ſenſata, & tacita, non eſt immutatio eruditæ animæ. Proſequitur ſacer textus laudes Mulieris bonæ; notatque hic qualis ſit ejus ſchola, & diſciplina, vel Philoſophia. *Diſciplina ejus*, ait, *datum Dei eſt*: ſcilicet ordinata converſio morum eſt donum ſpeciale talis Mulieris à Deo ipſi datum: ſicque ut ſenſata, prudens, & tacita non concitat animum viri eruditi ad iram, vel indignationem. Vide igitur, quòd Mulier in ſchola Philoſophiæ totum ſtudium debet collocare

in addiſcendo ſilentium, & vitando loquacitatem; quia in hoc ſuper omnia digna eſt laude; quia quantò mens eſt infirmior, & ad loquacitatem proclivioe, eò magis elucet ejus virrus. *Ioan. c.11. v.26. & 28.* Nota autem, quòd ſuper omnes Mulieres, hæe meliùs adaptantur Beatæ Virgini Mariæ, ipſa enim fuir ſpeculum omnium virtutum; & ideo ad ſcholam ipſius invitantur omnes Mulieres, præcipuèque ſponſæ Deo ſacratæ, ut ab ipſa diſciplinam ſilentii diſcant: ſi enim percorras Evangelium perpauca, & cum paucis invenies eam loquotam fuiſſe: quare in veritare magna confuſio eſt ſexui fæmineo, & maximum dedecus eſt ſacris virginibus non habere oris cuſtodiam, non ſervare linguæ diſciplinam, cum cuncta mala per linguæ inquietudinem committantur. *Op. de perfec. vita. c.4.*

386. *Gratia ſuper gratiam Mariæ Virginis expenditur, ubi de ejus immaculata conceptione.*

Gratia ſuper gratiam Mulier ſancta, & pudorata. Si hic loquitur de muliere ſancta, quænam fuit ſanctior Maria Virgine? ergo de ipſa ſpecialiſſimè eſt ſermo. Sed quænam eſt hæc gratia ſuper gratiam. Nota quod hic exprimit ſacer textus privilegia Mariæ Virginis in ſui conceptione ipſi collata: quia non ſolùm habuit gratiam cæteris Sanctis communem: ſed aliam grátiam ſibi ſpecialem; nec alicui alii umquam conceſſam puræ creaturæ: & hæc fuit gratia, ipſam præſervans ab omni contagione peccati originalis in ſua conceptione, quod privilegium eſt, & fuit ſpeciale ejuſdem beatiſſimæ virginis: voluit enim verbum ſibi habitaculum præparare, non fædum, ſed mundum, & purum. *Ser. 2. de B. Virgine.*

387. *Gratia Virginitatis cum fæcunditate expenditur in Beata Virgine.*

Gratia ſuper gratiam Mulier ſancta, &c. Ergo loquitur hic ſacer textus de gratia ſpeciali Mariæ ſoli conceſſa? At quænam eſt hæc? Nota, quod ultra præſervationem à peccato originali, de quo dictum eſt, alia gratia ſuper gratiam ei collata eſt; nempe gratia virginitatis cum fœcunditate: & ideo de ipſa prædicatur ab Eccleſia illud Luc. *optimam partem elegit ſibi Maria*: optimam ſanè; quia bona eſt fœcunditas conjugalis, melior caſtitas virginalis, optima verò virginea fœcunditas, & fœcunda virginitas. O quàm altum, quàm magnum præmium, quanta utique laude dignum, quod ſimol, & ſemel Dei eſſet Mater, & filia, Ancilla, & Virgo, & fœcunda. *Ser. 2. de B. Virg. op. Spec. B. Virg. lec. 6.*

388. *Caſtitas, & pudicitia in quocumque, ſed maximè in Muliere, gratia, & donum ſuper omnia excellentiſſimum, & pretioſiſſimum.*

Gratia ſuper gratiam Mulier Sancta, & pudorata. omnis autem ponderatio non eſt digna continentis animæ. Hic ſapiens extollit ad ſydera laudes caſtitatis, & pudicitiæ; maximè quando relucet in Muliere; ipſam vocat gratiam ſuper gratiam, & pretioſiorem quacumque alia virtute. Sed cur meretur hunc titulum? cur dicitur gratia ſuper gratiam? Meritò ſic appellatur, ſic extollitur; nam quod Mulier ſit ſenſata, ſit prudens, ſit bona, ſit taciturna, ut ſupra notatum eſt, hoc eſt donum Dei maximè æſtimandum: ſed tamen ſi eſt pudica, caſta, pura, hoc donum cætera alia excellit, & excedit, ſicut ſol ſtellas: & ratio eſt, quia non invenitur majus prodigium, & miraculum, quàm in carne vivere præter carnem: hoc enim non eſt humanæ naturæ, ſed angelicæ: & ideo ſubdit: *non eſt digna ponderatio quæcumque animâ continente*: & hoc quia ſervatur theſaurus, vel gemma pretioſiſſima illæſa & ſecura in vaſe corruptibili hujus carnis; & hinc elucet magis excellentia animæ continentis. Et in hoc textu fundant aliqui Theologi ſuam opinionem; quod hoc votum ſit indiſpenſabile; quia non habet compenſationem. *l.4. d. 38. art. 2. q. 3. op. Eccleſ. Hier. p. 1. c. 1. & p. 3. c. 2. Diat. tit. 4. c. 4. Luc. cap. 6. v. 14. ſer. 3. in Epiph.*

389. *Eccleſia Sancta mirabilia expenduntur.*

Sicut Sol oriens Mundo in altiſſimis Dei, ſic Mulieris bonæ ſpecies in ornamentum Domus ejus. Lucerna ſplendens ſuper candelabrum, Columna aurea ſuper baſes argenteas. Fundamenta æterna ſuper petram ſolidam, &c. Nota, quòd hic proponitur comparatio ſolis, lucernæ, columnæ, & fundamenti cum Muliere Sancta, &c. fit; alluſio ad privilegia S. Eccleſiæ: eſt enim veluti ſol, quia illuminata à Chriſto mirabiliter, alios illuminat, eſt lucerna ſplendens, quoad converſationem Sanctam: columna immobilis, & nobiliſſima, & fundamentum ſtabiliſſimum obſervantiæ mandatorum Dei. *ſer. 13. Hexam. Luc. c. 6. v. 48. Pſal. 118. cap. 2. v. 10. c. 7. v. 4.*

390. *Sapientia divina ſicut ſol, ornamentum eſt domus Dei.*

Sicut ſol oriens Mundo in altiſſimis Dei, ſic mulieris bona ſpecies in ornamentum Domus ejus. Sapiens dat intelligere pulchritudinem Domus cœleſtis, ex hoc quod ſicut ſol eſt ornamentum cœlorum, ſtellarumque; ſic & ſpecies Mulieris ornamentum eſt domus ejus. Nomine hujus Mulieris, venit ſapientia divina, non ratione fragilitatis, ſed ratione ſpecioſitatis, prudentiæ, & clementiæ, quas virtutes exhibet in Cœlo ad ornamentum domus ſupernæ, & ſolatium ſanctorum. *Sermon. 1. in feſt. omni. Sanctor.*

391. *Maria Virgo Sol, Domus, Lucerna, Columna, & fundamentum oſtenditur.*

Sicut ſol oriens Mundo in altiſſimis Dei; ſic Mulieris bona ſpecies, &c. Hæc omnia quadrant mirabiliter B. Virgini Mariæ; rectè enim comparatur ſoli; quia ſol eſt decor, & ornamentum

namentum Cæli, & terræ: ſic B. Virgo per ſuas gratias, prærogativas, perfectiones, & pulchritudinem, ornamentum, decor, vita eſt Cœli, & terræ, & præcipuè Empyrei per ſuam gloriam eminentiſſimam; eſt & lucerna ſplendens ſuper candelabrum Eccleſiæ, & totius mundi, quia lucem veram continebat intra viſcera: Eſt columna ſuſtentans Eccleſiam, quæ ut nubes protegit nos ab æſtu indignationis: & ut ignis illuminans nos in nocte tenebrarum hatuio: eſt & fundamentum, & fortitudo noſtra. *Op. Eccleſ. Hier. p. 4. c. 7. ſpecu. B. Virg. lec. 3. & 11.*

392. *Retrogrediens ab itinere incepta perfectionis: contemnens proprium munus publicum: vel contemnens exercentem publicum munus Prælatura: & deficiens à juſtitiâ, quàm Deo exoſus.*

In duobus contriſtatum eſt cor meum: & in tertio iracundia mihi advenit; ira Zeli contra peccatum: Vir bellator deficiens per inopiam: Ideſt qui bellando contra mundum carnem, & Diabolum, arripuit iter perfectionis, & poſtea per puſillanimitatem defecit: Vir ſenſatus contemptus: ſcilicet Prælatus propter malam vitam contemptus; vel à Mundo contemptus, qui rectè, & ſenſatè exercet ſuum munus, & qui tranſgreditur à juſtitia ad peccatum: ſcilicet qui conculcando gratiam, quam receperat, ipſam relinquens, ad peccatum revertitur, Addit: *exuitur negotians à negligentia*; ſcilicet mendacii, vel fraudis: *& non juſtificabitur campo à peccatis labiorum*: ideſt mendacio, perjurio, detractione: vel myſticè negotians eſt Prælatus, cui tradita ſunt quinque talenta ad negotiandum pro ſalute aliorum; & Campo eſt Magiſter, Doctor, Prædicator, deficiens in ſuo munere: Contra hos omnes Deus paravit Romphæam, ſcilicet pœnam æternam ſenſus, & damni. *Pſal. 118. c. 9. v. 1. Op. de profec. relig. l. 2. c. 4. ſer. 1. Dom 24. Pent. ſer. 1. de Apoſt. ſer. 2. f. r. 2. Pent. & Ugo Card. hic.*

CAP. XXVII.

393 *Paupertas alia vitioſa, & nociva, alia virtuoſa, & proficua.*

PROPTER *inopiam multi deliquerunt: & qui quærit locupletari, avertit oculum ſuum.* Si propter inopiam multi deliquerunt, ergo inopia vitanda ut nociva? & tamen Chriſtus vocat pauperes beatos: quomodò hæc ſimul ſubſiſtere poſſunt? ſed attende, quòd alia eſt inopia voluntaria, & bona, alia involuntaria, & exoſa: item alia eſt inopia ſpiritualis, alia corporalis, & materialis; multi quidem defecerunt, & damnationem incurrerunt propter inopiam, quam oderunt; & quia ipſam oderunt, ut eam vitarent, & locupletarentur, ad varia facinora, ad perjuria, mendacia, furta, & alia ſcelera ſe præcipitaverunt; & ſic ut vitarent inopiam corporalem, in ſpiritualem inciderunt, ideſt in privationem gratiæ Dei, & virtutum: ob idque ſubditur: & qui quærit locupletari, avertit oculum ſuum, ſcilicet rationis, à licito ad illicitum, & ad inobſervantiam præceptorum Dei; & talis paupertas nequiſſima eſt, & Deo exoſa. Paupertas autem voluntaria, aſſumpta pro amore Dei, & ſequela Crucifixi, eſt ſancta, fructuoſa, & fundamentum totius fabricæ ſpiritualis. *Op. Apolog. paup. reſp. c. 3. ad finem. Pſal. 118. c. 3. v. 5. c. 5. v. 3.*

394. *Moniales inſtruantur in recipiendo novitias cum pecunia, & dote temporali.*

Propter inopiam multi deliquerunt; & qui quærit locupletari, avertit oculum ſuum, nempe à Deo. Si hoc verum eſt, quod affert hic ſacer textus, videtur patenter ferire moniales, quæ abſque dote, & pecunia nolunt recipere virgines, & puellas volentes Deo ſervire, & mundo renuntiare; ſed attende hanc doctrinam: pluribus modis poteſt quis recipi intra religionem: primò nec cum pecuniâ, nec pro pecunia, ſed purè pro amore Dei, & zelo ſalutis animarum; & hic modus eſt puriſſimus coram Deo, & hominibus; & à ſeraphico P. S. Franciſco ſuis fratribus præceptus: ſecundò non pro pecunia, ſed cum pecunia, ita tamen quod etiam ſine pecunia reciperetur; qui modus eſt ſanctus, remoto forſan ſcandalo ſæcularium, vel affectu aliquo avaritiæ, & lucri: tertiò pro pecunia, & cum pecunia, ita tamen, quod finis principalis eſt acquiſitio pecuniæ, & poſſeſſionis; & ſi poſſet obtineri talis pecunia ſine perſona, hæc nullatenus reciperetur; & hic modus eſt impurus, & ſimoniacus, quia ibi pecunia eſt cauſa principalis receptionis perſonæ; & venderetur conſortium ſpirituale pro temporali; quartò quando recipitur perſona cum pecunia, ſed non pro pecunia, nec tamen reciperetur ſine pecunia, eo quod aliter non poſſent vivere in illo Conventu; & ipſe, & cæteri in neceſſitatibus maximè paterentur, & hoc licitum eſt. Caveant ergo religioſi, præcipuéque moniales recipere aliquem, vel aliquam pro pecunia, vel poſſeſſione principaliter etiam ex mera inopia, ſcilicet ut eorum inopia reparetur, vel debita contracta ſolvantur, vel bona concupita emantur, vel ædificia conſtruantur; quia emergit in his caſibus manifeſtum periculum ſimoniæ: & de his dicitur propter inopiam multi defecerunt, ſcilicet multæ religiones: quod Deus avertat ab Eccleſia. *Op. libell. apologet. qu. 18.*

395. *Cupidus, & avarus Mercator, tamquam bos ligatus venditus, & emptus.*

Sicut in medio compaginis lapidum figitur palus; ſic & inter medium venditionis, & emptionis angustiabitur peccatum. Nota diligenter lector hæc verba Spiritus ſancti: & magis notentur ab avaris, & cupidis mercatoribus, quæ plena ſunt altiſſimis documentis: vide palum fixum in medio compaginis lapidum, quomodo undiquè conſtringitur: vide & mercatorem, & venditorem,

venditorem, quomodo utrinſque animus conſtrictus, ligatus, anguſtiatur, & anxius eſt ob peccata varia, quæ hioc inde committuntur; & uterque verè poteſt dicere: juga boû emi quinque, ſcilicet collum ligatum, cervicem oppreſſam, & totum in terram depreſſum habeo cor. *In Luc.c.6.v.58. c.13.v.19.* O quàm hoc verum eſt. Vide, & audi quod venditor jurat quod non dabit niſi pro tanto: emptor jurat, quod tantum non dabit: unus jurat, quod valet tantum ſexaginta; unde difficile eſt, ait S.Leo Papa, quod inter venditorem, & emptorem non interveniant peccata: *Sic & Vgo Card.*

396. *Contritio pœnitentis eſt ad efformandum novum vas cordis: contritio damnatorum eſt ad diſſipandum totum.*

Conteretur cum delinquente delictum. Hoc dicitur de cupido, qui finaliter ad infernum dejicitur: ſed quomodo dicitur, quod conteretur delictum? nonne contritio ſancta, & bona pœnitentis delictum, & culpam conterit, & deſtruit? ergone etiam hoc evenict in damnatis? ergo ſi conteretur delictum, non amplius remanebit aliquid puniendum? ſed attende, quod duplex eſt contritio: contritio hujus vitæ, in qua delictum totaliter cum corde conteritur, veluti in minutiſſimas partes per deſtructionem delectationis actualis, ut generetur novum vas, & ſolidum per humorem gratiæ. & lachrymarum; ſic enim dicitur contritio, non attritio, ſcilicet partium tritarum conjunctio, ut fiat vas in honorem: alia eſt contritio peſſima damnatorum, per quam removetur totaliter delectatio peccati, abſque eo, quod remaneat veritas actus, vel ſapor; non tamen ad efformandum aliud vas, ſed remanebit tamen reatus culpæ, quæ diſſipationem, & pœnam æternam afferet, & animam emabilem faciat. *L.4.d.16. p.1.a.1.qu.1.ad ult. in Luc. cap.53. verſ.5. in ſap. cap.14.*

397. *Sine timore correctionis ſubvertitur religio, & domus animæ.*

Si non in timore Domini tenueris te inſtanter, cito ſubvertetur domus tua. In hac ſententia dat Deus intelligere, quod timor Domini omnis boni eſt fundamentum, quia per eum homo dimittit peccatum, & incipit agere bonum, & aſpirat ad optimum, & impeditur ne reincidat in malum: unde deficiente timore correctionis, ſtatim corruit fundamentum fabricæ ſpiritualis: quod etiam verificatur in religionibus, ſi defuerint Capitula, & correctiones, in quibus puniuntur culpæ, & defectus. Tene igitur te in Domino per timorem filialem, ſcilicet cum amore, ſi vis ab ipſo Deo teneri, & deduci ad gratiam, & ſalutem. *Ser.2.de uno S Doct.ſer.1.Dom.23. Pentec. op.Diet.tit.6.c.1.Comp.Theol.l.5.c.39. & de gradib.virt.c.28.*

398. *Avarus ſemper pauper miſerrimus.*

Sicut in percuſſura cribri remanebit pulvis; ſic aporia, ideſt paupertas hominis remanet in cogitatione illius. Hic loquitur de homine cupido, dans intelligere, quod ſicut in cribro remanet pulvis, ſcilicet quiſquiliæ, vel paleæ, vel lapides, ſic paupertas in corde cupidi, qui quantummodo habeat, ſemper tamen vertit in cogitatione cordis paupertatem, quam timet. *Luc.c.10.v.11.*

399. *Ignis tribulationis probat quis ſit prædeſtinatus. & quis præſcitus: ubi de bonis effectibus tribulationum.*

Vaſa figuli probat fornax; & homines juſtos tentatio tribulationis. Nota quam apta ſit hæc comparatio ad explicandum effectus tribulationis in bonis, & in malis: *vaſa figuli*, ait, *probat fornax*: nempe ſicuti videmus, quòd ſi vas terreum, vacuum ponatur ad ignem, frangitur, non verò ſi ſit plenum aquâ; quia ſic in nullo læditur; ſic homo, qui de ſua conditione eſt terreus, ſi ponatur ad ignem adverſitatis, tribulationis, & tentationis, ſtatim frangitur per impatientiam, ſi ſit gratiâ vacuus: ſi autem ſit gratiâ plenus, non læditur; ſicque patet, quod per ignem tribulationis probatur homo, an ſit de numero prædeſtinatorum, an præſcitorum. *Op.Diet.tit.1.c.5.*

400. *Tribulationis effectus boni expenduntur.*

Vaſa figuli probat fornax; & homines juſtos tentatio tribulationis. Nota illud verbum, *probat*, ideſt probatos, purgatos manifeſtat, per quod innuuntur effectus optimi tribulationis: nam per tentationes, & tribulationes homo probatur, exercitatur, eruditur, & humiliatur: probatur, quia quod diu durare debet, ſolet probari, ſi ſit durabile & omne charum ſolet probari, ſi valeat ſicuti debet: ita virtus hominis, quæ nobiliſſima eſt, & quæ in perpetuum durare debet, in tempore tribulationis probatur, ſi conſtans ſit; & Deus ſuos probat, ſi fideliter in ipſa perſeverent. Purgatur etiam igne tribulationis à ſcoria peccati, ut majori gratiâ capax fiat, & ut citiùs ad gloriam volet. Exercitatur item, ut agilior fiat, & promptior ad opera juſtitiæ, & virtutum exercitia, quia in ſtatu quietis, & conſolationis, ſola quies mentis, & ſtudium devotionis videbatur ei ſufficere; ſed per tribulationem diſcit ſe in aliis virtutibus exercere. Eruditur etiam igne tribulationis, diſcens experimentaliter fructus ipſius. *Op.de prof.religioſ.l.2.c.1.& meditat.c.36.& l.4.d.15.dub.3.*

401. *Verbi divini prædicationis fructus expenditur ſub metaphora vineæ excultæ.*

Sicut ruſticatio de ligno oſtendit fructum illius; ſic verbum ex cogitatu cordis hominis. Per hanc ſimilitudinem dat intelligere Spiritus ſanctus, quod prædicatio eſt ruſticatio ſpiritualis, qua excolitur vinea Eccleſiæ; in qua ex qualitate fructuum, cognoſcitur qualis ſit cultura facta circa ipſam: ſic ex qualitate fructuum verbi Dei prædicati, cognoſcitur qualitas terræ cordis; nam ſi producit fructum optimum ſignum eſt; quod cor eſt divinâ gratiâ benè excultum: ſi verò loco uvæ dulcis producit labruſcas, peſſimum ſignum eſt. *Pſal.118.c.7.v.11. in Luc. c.13. v.6.& 7.*

402. *Chriſtus ut firmamentum continet omnes homines : bonos ad gloriam, malos ad gehennam : unde dicitur hic :*

Si ſequaris juſtitiam, apprehendes illam, & in die agnitionis invenies firmamentum. Nota hoc verbum, *firmamentum* per quod ſignificatur Chriſtus, qui veluti firmamentum cæleſte continet omnes tam bonos, quàm malos : illos præſervans ad gratiam, & gloriam ; iſtos diſtinans ad gehennam ; & hæc eſt perfecta juſtitia ipſius. *Op.Eccleſ.Hierar.p.4.c.6.*

403. *Sanctus, & juſtus eſt ſol, non declinans ab ecclyptica : Impius, ſtultus, & lunaticus.*

Homo ſanctus, in ſapientiâ manet ſicut ſol : nam ſtultus, ut luna mutatur. Ecce diſcrimen inter viros perfectos, & ſanctos, & inter impios, & peccatores : nam qui eſt ſanctus, & juſtus eſt veluti ſol, ſemper irradiatus à lumine ſuperno Dei ; & ideo ſtabilis ſemper veluti ſol incedens per ecclypticam directè ; mandatorum Dei, nec retrogradus, nec ſtationarius eſt, ſed ſemper proficiens de virtute in virtutem. E contra impius eſt volubilis ut luna ſeu potiùs lunaticus, nec umquam in propoſito bono ſtabilis manens. *Ser.2. Dom.18. Pent. ſer.2. de una Virg. in Luc.c. 7.v.23. c.18.v.35.& ſer.2.& 13.Hexam.*

404. *Infelicitas eligentium indignos ad Prælaturas, & ipſorum electorum : ubi de iis, qui injuſtè malè tractant proximum.*

Qui in altum mittit lapidem, ſuper caput ejus cadet : & plaga doloſa, doloſi dividet vulnera : & qui foveam fodit, incidet in eam : & qui ſtatuit lapidem proximo ſuo, offendet in eo : & qui laqueum alii ponit, peribit in illo : facienti nequiſſimum conſilium, ſuper ipſum devolvetur, & non agnoſcet unde adveniat illi. Hæc verba ſunt de ſe clariſſima; quibus primò dat intelligere infelicitatem malè eligentium ad Prælaturas : nempe, qui in altum prælaturæ ſine conſideratione jaciunt lapidem, hominem ſcilicet indignum, vel talis prælatus erit in eligentium excidium, vel à Deo ſeveriſſimè punietur. Secundò dat intelligere, quòd qui doloſè foveam, vel ſcandali, vel detractionis, vel ruinæ fodit in ruinam proximi ipſe juſto Dei judicio incidet in eam : tertiò qui malè conſulet ad malum proximum ſuum, tale conſilium excogitatum ſuper ipſum conſulentem devolvetur : quia illuſio, improperium & vindicta, & laquei, & ruina parata eſt his, qui proximo ſuo nocent, vel fabricant ad ruinam ipſius. O quàm verum eſt, & continua experientia probatum, & pluries in ſacra ſcriptura per varios caſus iniquorum traditum. *Ecclen.c.10. Pſal. 118.c. 5.v.14.& Ugo & Gloſ.hic.*

CAP. XXVIII.

405. *Vindicta mala Deo exoſa ; & bona Deo chara qualis.*

QVI vult vindicari, à Deo inveniet vindictam ; & peccata illius, ideſt vindicantis ſervans ad vindictam Deus ſervabit, ſcilicet ad pœnam. Quomodo hoc dicitur à ſapiente, cum *Luc. c.18.* habeatur ; quòd ſancti clamant vindictam à Domino contra ingratos ? ſed attende, quòd alia eſt vindicta ex zelo juſtitiæ, & ad correctionem, & emendationem peccati : & hæc eſt ſanctorum zelantium honorem Dei : alia eſt ex ira, & libidine vindictæ ; & hæc eſt peſſima, Deo exoſa, & ab ipſo ſeverè punita in hac, & in alia vitâ ; & de hac loquitur iſte textus. *In Luc. c.18.v.7. l.1. d.48.a.1.qu.2.ad ult.*

406. *Injurias condonanti promittitur à Deo indulgentia peccatorum : vindicanti verò, & odienti negatur juſtè à Deo.*

Relinque proximo tuo nocenti te ; & tunc deprecanti tibi peccata ſolventur, homo homini reſervat iram, & à Deo quærit medelam ? in hominem ſimilem ſibi non habet miſericordiam, & de peccatis ſuis deprecatur ? Ipſe dum caro ſit reſervat iram ; & propitiationem petit à Deo ? quis exorabit pro delictis illius ? Notanda diligenter, & memoriæ recolenda ſunt hæc monita Spiritus ſancti ; maximè ab inhiantibus ad vindictam, & nolentibus injurias remittere. Dat autem intelligere, quod qui pro Chriſto condonat injurias, erit ſecurus de indulgentia ſuorum peccatorum : & talis indulgentia publicata eſt à Chriſto *Matth. 6.* illis verbis : *ſi dimiſeritis hominibus peccata eorum dimittet & pater veſter cæleſtis peccata veſtra.* Ecce quàm magna, & ſecura indulgentia. E contra qui negat remittere peccata, & injurias proximo, huic negabit Deus remiſſionem ſuorum peccatorum : & hoc meritò ; nam verè mira res, imò indigniſſima protervia hominis petentis à Deo remiſſionem ſuorum, & tot, & tam abominabilium peccatorum, & poſtea negantis pro Chriſto minora ; vel ſimilia proximo condonare ; & hoc maximè ; quia hoc eſt facere contra naturam humanitatis ; caro enim carni debet compati, & miſericordiam præſtare. *In Luc. c.6.v.22.& 37.& c.17.v.4. ſer.3. Dom.21. Pentec. l.3.d.30.a.1.q.4.*

407. *Qualis fueris cum proximo, talis erit tibi Deus.*

Homo homini reſervat iram ; & à Deo quærit medelam ? in hominem ſimilem ſibi non habet miſericordiam ; & de peccatis ſuis deprecatur, &c. Ecce quàm Deus æſtimat amorem, & charitatem proximi : dat enim intelligere, quod qualis eris proximo tuo, talis erit tibi Deus : & qualem indulgentiam impenderis proximo tuo, talem accipies à Deo. Propitius ergo erit tibi Deus, ſi

propitius eris proximo, ipſum non gravando, nec gravamen affectando, & ipſum gravatum alleviando, & tecum portando: ſi verò malè tractabis proximum; nec Deus tibi erit propitius. *In Luc. c. 6. v. 22. & ſer. 3. in rogat. ſer. 1. Dom. 10. Pentec.*

408. ***Memoria noviſſimorum incitamentum eſt ad condonationem injuriarum.***

Memento noviſſimorum tuorum, & deſine inimicari: tabitudo enim, & mors imminent in mandatis ejus. Alii legunt: *Beatitudo, & mors, &c.* nempe qui ad futura proſpicit; ſcilicet ad mortem, ad judicium, ad infernum, & ad Paradiſi gloriam, cogitans, quod beatitudo dabitur obſervantibus mandata Dei; mors, & pœna æterna inobedientibus, facilè convertetur ad condonandas injurias proximi, & miſericordiam impertiendam ipſi. *In Luc. c. 19. v. 42.*

409. ***Iracundus incendiarius diaboli; nec ulla Domus ipſum ſuſtinere valet.***

Homo iracundus incendit litem, & vir peccator turbabit amicos; & in medio pacem habentium immittet inimicitiam, ſecundùm enim ligna ſilvæ, ſic ignis exardeſcit; & ſecundùm virtutem hominis, ſic iracundia illius erit, & ſecundùm ſubſtantiam ſuam exaltabit iram ſuam. Vide qualis infelicitas ſit iracundi hominis: nam ejus proprium eſt accendere ignem inimicitiarum; & ideo rectè appellari poteſt incendiarius diaboli: ira enim eſt ignis devorans omnia bona iracundi, & proximi; & ſecundùm qualitatem, divitias & potentiam majorem, vel minorem, ignem applicat ſuæ, & alienæ domui; nec ulla domus ipſum ſuſtinere valet. *Ser. 3. Dom. 3. quadrag.*

410. *Ignis concupiſcentiæ à Diabolo accenditur, & quò plura appetibilia ipſi apponuntur, eò magis creſcit incendium, auferens omnia bona animæ:* unde hic dicitur: *ſecundùm enim ligna ſilvæ ignis exardeſcit:* Per ligna ſilvæ ſignantur ipſa concupiſcibilia, per ignem ardor cupiditatis, qui non extinguitur, ſed augetur appoſitione concupiſcibilium. Audiant hæc ſtulti mundani, qui immergunt ſe in voluptates, exiſtimantes ſe poſſe explere, & extinguere talem ardorem tali pacto; & non percipiunt miſeri, quod hoc eſt medium aptum ad augendum ardorem concupiſcentiæ. *Ioan. collat.* 80

411. ***Infernus eſt ſilva combuſtibilium, quæ quò plus creſcunt, eò major erit ignis, & flamma puniens.***

Secundùm ligna ſilvæ, ignis exardeſcit. Ergo ſi pauca erunt ligna combuſtibilia, eò minor erit ignis: è contra quò plura erunt ligna combuſtibilia eò major erit ignis. Quantus ergo erit ignis, quando omnes ſteriles arbores ſimul ardebunt in inferno; ſicut patet quando nemus incenditur, & tot millia arborum, ſimul ardent, & quantò plures, tantò horribilius? Et ubi eſt ſilva in mundo, quæ habeat tot arbores, quot ſunt peccatores in inferno? unde Iſa. c. 30. dicitur: *gehenna præparata, profunda, & dilatata, nutrimenta ejus ignis, & ligna multa:* præparata, ut citò recipiat; profunda, ut nullus exeat, dilatata, ut omnes capiat: ibi cum arbore cortex, & rami ſimul ardebunt; id eſt anima, & corpus, quæ priùs arida erant per peccatum. *Ser. 2. Dom. 7. Pentec.*

412. ***Lingua tertia diaboli, detractoris, ſuſurronis, ſcandaloſi, quàm pernicioſa.***

Suſurro, & bilinguis maledictus, multos enim turbavit pacem habentes, lingua tertia multos commovit, & diſperſit illos de gente in gentem. Civitates muratas divitum deſtruxit, & domos magnatorum effodit, virtutes populorum concidit, & gentes fortes diſſolvit, lingua tertia mulieres viratas ejecit, & privavit illas laboribus ſuis, &c. Quid eſt lingua hæc tertia? Nota, quòd tres linguæ ſunt in Mundo: lingua Dei, lingua mundi, & lingua diaboli: ſed ad rem in univerſum, alia eſt lingua Dei, quæ loquitur quæ ſunt Dei, & à Spiritu ſancto movetur: diaboli lingua eſt lingua hæc tertia; quæ innumera mala efficit in mundo: & primò lingua ſuſurronis, ſcandaloſi & quæ eſt ſerpentis, & bifurcata; aliud clam, aliud coram loquens, quæ ſeminat inter amicos, & fratres, & conjunctos inimicitias: hæc commotiones, turbationes, bella, jurgia, contentiones cauſat in mundo, hæc privavit, & privat mulieres honeſtas laboribus ſuis, & honore: hæc juvenes ad malum trahit; & alia infinita mala producit. *Ser. 2. de S. Laure. Op. Diet. 1. 3. c. 7. Phar. l. 3. c. 3. & ſeq. Pſal. 118. c. 3. v. 10. c. 11. v. 12.*

413. ***Idem argumentum de mala lingua, & detractione: ſuadeturque fuga ab ipſa.***

Beatus qui tectus eſt à lingua nequam. Proſequitur ſapiens effectus pernicioſiſſimos linguæ nequam; eſtque illa, quæ ita aſſueta eſt detractioni, & infamationi, & ita firma in talibus detractionibus, & facilis ad eas, ut vitium verſum eſt in naturam: & quod pejus eſt, id faciunt tam doloſè, ſcilicet ſub ſimulatione zeli juſtitiæ, & ſpiritu ſanctitatis vitæ: & quia innocentes ſæpe incidunt in laqueos iſtos; ideo dicitur: *beatus qui eſt tectus à lingua nequam.* caveant autem diligenter Prælati, & Principes ab iſtis detractionibus, & ſepiant aures ſuas, ne audiant detractiones iſtorum; eoſque abhorreant tamquam peſtes inficientes terram. *Ser. 4. Dom. 21. Pent. ſer. 19. Hexam. Op. de prof. relig. l. 1. c. 31. Ecclen. c. 3. & 7.*

CAP. XIX.

414. ***Miſericordia in proximum, & pauperes ſuadetur.***

Qui facit miſericordiam, fœneratur proximo ſuo; & qui prævalet manu, mandata ſervat. Perde pecuniam propter fratrem, & amicum tuum; & non abſcondas illam ſub lapide in perditionem.* Suadet ſapiens in hoc capitulo eleemoſynam

eleemoſynam, & miſericordiam in pauperes, ex hoc, quod inde fit uſura lucroſiſſima cum Chriſto: & præcipuè hortatur divites, ut perdant pecuniam propter ſubventionem proximi; nec ipſam abſcondant ſub lapide in perditionem; ideſt ne ipſam perdant æternaliter ſub lapideo corde ſuo: felix igitur qui perdit pecuniam, ut cum ea perdat hanc temporalem; infelix qui perdit vitam æternam, ne perdat pecuniam temporalem. *Pſal. 118. cap. 2. v. 3. & v. 12. & c. 4. v. 12. Luc. cap. 8. verſ. 16. c. 12. verſ. 15. cap. 16. verſ. 8. & c. 19. v. 10.*

415. *Eleemoſyna eſt ſacculus, in quo reconditur theſaurus pretioſiſſimus pro alia vita.*

Pone theſaurum tuum in præceptis altiſſimi, & proderit tibi magis quam aurum: eleemoſyna viri quaſi ſacculus. Videns Deus maximam inclinationem hominis ad congregandum, & conſervandum aurum, & theſauros; exhibet, & proponit nobis, ſuadetque, ut aurum recondamus in ſacculo eleemoſynæ, ibique ſervemus hunc theſaurum pro alia vita. *Ser. 3. Epiphan.* Nota autem, quod in ſupradictis, & ſequentibus verbis Spiritus Sanctus exprimit plures effectus mirabiles eleemoſynæ: purgat enim à peccatis, diſpoſitivè, ea enim ut glaciem ſolvit, cum ſit ignis ſpiritualis; liberat à pœna æterna, & à tranſitoria: mitigat fomitis concupiſcentias: dat de hoſte triumphum: unde ſubdit: *ſuper ſcutum potentis, & ſuper lanceam adverſus inimicum tuum pugnabit:* ſcutum eſt ad protegendum à jaculis diaboli, & lancea ad impugnandum & debilitandum vires ejus: conſervat gratiam, quaſi in ſacculo reconditam: habet & vim orationis efficaciſſimæ apud Deum; unde dicit: *& ipſa exorabit pro te:* & tamdem dat fiduciam ad perveniendum ad gloriam. *Pſal. 118. c. 7. v. 2. Luc. c. 11. v. 40 & c. 18. v. 1. op. Eccleſ. Hier. p. 4. c. 4. Diat. tit. 2. c. 1. Ecclen. c. 7. & 11. ſap. c. 18.*

416. *Sola miſericordia, & eleemoſyna in die Iudicii advocabit pro peccatoribus.*

Conclude eleemoſynam in ſinu pauperis; & hæc orabit pro te ad Dominum ab omni malo: & ſubdit: eleemoſyna quaſi ſacculus cum viro; & gratiam hominis quaſi pupillam conſervabit; & poſtea reſurget, & retribuet illis retributionem, unicuique in caput illorum. In quibus verbis patenter Spiritus Sanctus dat intelligere, quod ſola miſericordia comes eſt defunctorum, quod ipſa ſuperexaltat judicium; quod ſola in judicio erit optima advocatrix. Sicut quandoque reus evadit judicium humanum vel per bonum advocatum, vel per munus abſconditum, vel per preces amicorum: ſic etiam miſericordia in judicio optima eſt advocatrix; & eſt munus abſconditum in ſinu pauperis, quo redimitur peccator de manu judicis: eſt & optima interventrix: ipſiuſque preces plus valent in judicio, quàm omnium ſanctorum. *Ser. 2. Dom. 1. poſt oct. Pent.*

417. *Chriſtus apud Patrem noſter fidejuſſor exigit à nobis gratitudinem, ubi de gratitudine debita pauperis ad ſuum benefactorem.*

Gratiam fidejuſſoris ne obliviſcaris; dedit enim pro te animam ſuam. Ad litteram hæc verba diriguntur ad pauperes, per eleemoſynam viri miſericordis ſublevatos, ſuadetque eis ne ſint ingrati ad ipſum; cum ipſe dederit animam ſuam; ſcilicet res ſuas neceſſarias ad vitam ſuſtentandam; myſticè loquitur de Chriſto, qui dedit animam ſuam pro nobis, qui eramus maximis debitis, vitæ, ſcilicet, & animæ Deo obſtricti: dedit enim vitam ſuam, corpus, & animam expoſitam paſſioni, & morti, tamquam noſter fidejuſſor, ut nos à tanto debito mortis, & damnationis liberaret. Quid igitur amplius facere potuit? nam nobis dedit bona naturæ, bona fortunæ, quæ ſunt auxilium naturæ, & gratiam contulit: & ut nobis nihil deeſſet, ſeipſum totum impendit; ideſt non aurum, non lapidem pretioſum; non aliquem Angelorum; ſed ſeipſum: quis igitur tam ingratus, qui non amet ſe a carcere liberantem? quis tam ingratus, qui cum ſit ad mortem infirmus, non amet medicum ſine pretio curantem? quis adeo perverſus, cum ſit cæcus non amet illuminantem ſe? quomodo ergo non amabimus illum, qui nos diabolico carceri mancipatos, penitus cæcos, & à vera luce alienos, peccato mortuos, & jam quaſi in inferno ſepultos, ſuâ gratiâ illuminavit, à carcere diaboli liberavit, à morte culpæ ſuo ſanguine redimens, vitæ reſtituit? ô inaudita dilectio, ô magnificus amor, ô vera probatio dilectionis, dum pro amore hominis, ſuum ſanguinem fudit, & crudeliſſimæ morti ſe tradidit; nec de concernentibus quidquam omiſit. Si ſic canis dominum ſuum amat pro modico pane: ſi ſic Equus pro modico hordeo: ſi ſic & Aſinus pro pabulo, & fœno quantum ille à nobis amandus exiſtit, qui carnem ſuam dedit nobis in cibum, ſanguinem in potum, vitam in meritum, & ſe totum in præmium? Legitur autem in hiſtoriis, quòd Leo, dum à ſerpente ductus, & ab eo fortiter aſtrictus eſſet, cum fuiſſet à quodam milite liberatus; ſic illi toto corde adhæſit, ut ab eo niſi morte, ſeparari nequiverit: Cur ergo non facit homo rationalis, quod animal brutum facit; & Deo ſuo negabit, quod homini mortali Leo impendit? Cur ergo homo ei non eſt obediens, cui obediunt cœleſtia agmina, dæmonia, cœleſtia corpora, & omnia animalia bruta? *ſer. 3. Dom. 1. poſt oct. Paſcha. ſer. de exaltat. S. Crucis Ser. 1. & 8. de Apoſt. op. Diet. tit. 7. cap. 1. Ioan. collat. 17. & 50. Pſal. 118. c. 1. v. 16. & c. 6. v. 13. Ecclen. c. 9.*

418. *Promiſſio agendi pœnitentiam ſine executione, eſt in differente ipſam maledicta.*

Peccator tranſgrediens mandatum Domini, incidet in promiſſionem nequam. Quæ eſt hæc promiſſio nequam, & maledicta? Sed nota, quòd dicit peccator tranſgrediens mandatum Domini; ſcilicet qui actu vult vivere in peccato, & de die in diem procraſtinat pœnitentiam; iſte tamen

proponit ſegniter ſe velle aliquando interius, & exterius pœnitere, & mutare vitam, numquam tamen ad effectum deveniens; iſta promiſſio, inquam, eſt nequam, & maledicta, & multos perdidit. *Pſalm.* 118. *cap.3. v.15. & c.1. v.15. & D.Thom.hic.*

419. *Frugalitas victus ſuadetur.*

Initium vitæ hominis aqua, & panis, & veſtimentum, & Domus protegens turpitudinem. Proponit hic ſapiens victum; quem in principio Mundi adhibebant homines, ut nos ſuadeat ad frugalitatem victus, & ad ſuperfluitatem vitandam; & hoc eſt, quod petitur in oratione dominica: panem noſtrum &c. *Luc.c.11.v.3.*

420. *Paupertas, & modica ſubſtantia temporalis magis deſideranda quàm divitiæ multæ.*

Minimum pro magno placeat tibi, & improperium peregrinationis non audies. Iſta verba conferenda ſunt cum illis villici *Luc.c.16.quid faciam? fodere non valeo. mendicare erubeſco, &c.* & ideo diriguntur iſta verba volentibus ſequi Chriſtum, qui & cum ipſo labores, & paupertatem debent ſubire libenter: ut in Ordine Minorum practicatur, in quo habetur in maximo pretio labor pœnitentiæ, mendicatio, & paupertas. *Luc.c.16.v.3.*

421. *Evagatio de domo in domum vitanda; & quomodo.*

Vita nequam hoſpitandi de domo in domum. Quomodo vita hæc nequam appellatur, cum Deus velit nos peregrinos in hoc mundo? Sed nota, quòd Deus vult nos veluti peregrinos in hoc mundo; ut non figamus affectum noſtrum in his terrenis, ſed in cœleſtibus; attamen vetat evagationem, & curſitationem de domo in domum, quod proprium eſt ſcurrarum, & vagorum: mutatio enim hoſpitii teſtatur impatientiam, & inſtabilitatem; quod maximè vitandum eſt à religioſis, & Prædicatoribus; ſalva tamen obedientia Prælatorum. *Luc.c.6.v.4. & c.5. v.27. op. de tribus quæſtion.*

CAP. XXX.

422. *Parentum obligatio in educatione filiorum, qualis; expenduntur que fructus boni, & mali.*

QVI diligit filium ſuum, aſſiduat ei flagella, ut lætetur in noviſſimo ſuo, & non palpet oſtia proximorum. Qui docet filium ſuum, laudabitur in illo. Hæc verba ordinantur ad inſtruendum patres circa obligationem, & fructum bonæ educationis filiorum; nec indigent expoſitione, cum ſint pro ſe clara; dat enim intelligere Spiritus Sanctus, quòd ſi parentes rectè educabunt filios verbo, doctrinâ, exemplo, flagello, & correctione, laudem apud Deum, & homines reportabunt, & fructus bonos percipient in ſenectute ſua: & è contra, ô Pater, ô mater ſi ipſius correctionem negligas, ſi in timore non educaveris; ſi voluntatem ſuam adimplere permittas, paventem te faciet, & poſtea in fine flentem, mæſtum, & triſtem. *Ecclen.c.7. Ioan.c.21.v.10. ſer.2.fer.2.Pent.ſer.2.Dom.5. Pent. ſer.2. Dom.13. ſer.1.Dom.24.Pentec.*

423. *Pater educans benè filios, in ipſis etiam poſt mortem vivit.*

Mortuus eſt autem pater ejus, & quaſi non eſt mortuus: ſimilem enim ſibi reliquit Filium poſt ſe, &c. In his verbis dat Deus intelligere, quod Pater ſanctè educans filium ſuum, immunis erit ab omni triſtitiâ etiam in morte, dum poſt mortem vivit in Filio, quia remanent in ipſo doctrina, converſatio, & mores. *Luc. c.1. v.59. & Ugo Card.hic.*

424. *Seraphicus P. S. Franciſcus tamquam alter crucifixus poſitus à Chriſto in Mundo.*

Mortuus eſt pater ejus, & quaſi non eſt mortuus: ſimilem enim ſibi reliquit poſt ſe. Cum iſta ad Chriſtum poſſint myſticè verè transferri; ipſe enim eſt Pater noſter amantiſſimus, qui pro nobis in cruce vulneratus, & mortuus eſt, ad quem ſanctorum debemus, vel poſſumus dirigere illum ſimilem ſibi, quem poſt mortem ſuam reliquit; verum eſt, quod plurimi ſimiles aliqualiter quoad animam in virtutibus fuerunt; ſed quis etiam quoad corpus, niſi S. Pater noſter Franciſcus, qui ſimilis Chriſto in humilitate, in paupertate, in puritate, ſimplicitate, aliiſque virtutibus eroicis; & etiam in corpore per impreſſionem ſacrarum ſtigmatum; Unde verè poteſt dici, quòd Chriſtus poſt mortem ſuam reliquit ſimilem ſibi Franciſcum; & ideo mortuus eſt, & quaſi non mortuus. *Ser.1.de S.Franc.*

425. *Mundana concupiſcentia magnipendit aurum, & terrena: cœleſtis ſanctitatem, & juſtitiam.*

Salus animæ in ſanctitate juſtitiæ, melior eſt omni auro, & argento. Vide quomodo ſalus animæ ſtans in juſtitia, & gratia Dei, apud illam deſiderantes præponitur auro, & rebus creatis: è contra mundana concupiſcentia magis æſtimat aurum, & terrena. *Pſalm.* 118. *cap.5. v.8. Ioan.coll.*48.

426. *Sanitate inter bona corporalia nihil deſiderabilius: Sanctitate, & puritate cordis inter gaudia Spiritualia nihil jucundius.*

Non eſt cenſus ſuper cenſum ſalutis, non eſt oblectamentum ſuper cordis gaudium. Vide hic comparationem, quam facit ſapiens inter duo bona, unum corporale, aliud ſpirituale: primum conſiſtit in ſanctitate corporis, ſine qua nihil oblectari poteſt: ſecundum in puritate, & munditia; hæc enim affert cordi gaudium, quo nihil jucundius: hoc enim gaudium cordis eſt fundamentum omnium gaudiorum: ſicut enim

cor eſt totius vitæ principium; ſic cordis gaudium eſt fontale principium omnium gaudiorum: ex quo patet, quod ſine puritate cordis, non poteſt eſſe gaudium verum *Ser. 3. de una Virg. ſer. de S. Martin. op. Diat. tit. 8. c. 1. Pſal. 118. cap. 4. v. 5. Ecclen. c. 3.*

427. *Vita corporalis præſens eſt languor perpetuus, & mors continua.*

Melior eſt mors, quàm vita amara: & requies æterna, quàm languor perſeverans. Quomodo hoc verè poteſt dici? nempè, quòd melior eſt mors, quàm vita etiam amara; nam licèt ſit vita hæc admixta cum amaritudine, tamen eſt verè vita, ob idque nobilior morte: Sed attende, quòd comparat hanc vitam cum morte juſtorum; & quia hæc vita eſt continua, diutina, & pœnoſa longa mors, languorque diutinus propter amaritudines, pœnalitateſque, quæ neceſſariò comitantur hanc vitam; ideo melior eſt mors juſtorum, quia eſt tranſitus ad requiem æternam. *Ser. 4. Dom. 15. Pentec. Ecclen. c. 7.*

428. *Qui abſcondit frumentum verbi Dei ob reſpectum vanum, plurima bona perdit: & quàm grave malum.*

Bona abſcondita in ore clauſo, quaſi appoſitiones epularum circumpoſita ſepulchro. Hic alluſio fit ad perverſos, & ignorantes infideles, qui ſuper ſepulchra apponebant epulas, credentes, quòd eas comederent mortui, & melius ſe haberent: loquitur autem de Prædicatoribus, qui ob timorem vanum, vel ob adulationem, vel negligentiam, vel alium reſpectum mundanum, non prædicant; nec arguunt peccantes, quia in eis eſt affectio mortua ad proximum; ideo tales epulæ temporales eis non ſolùm non juvant, quia multa bona perdunt, ſed Deum lædunt, & in conſpectu Dei ſunt veluti mortui. *Luc. cap. 19. verſ. 20.*

429. *Eleemoſynarius prius ſibi faciat eleemoſinam, poſtea aliis.*

Miſerere animæ tuæ placens Deo, & contine: & congrega cor tuum in ſanctitate. Vide quomodo Deus ordinem tuis eleemoſynis aſſignat; ita ut prius tibi ipſi eleemoſynam facias pœnitentiâ, & ſanctitate, poſtea aliis; ideo dicit; *miſerere prius animæ tuæ,* non alienæ, ſicut multi faciunt, qui bonum, quod aliis exhibent ſibi ipſis magis indigentibus denegant. Et nota, quod dicit: miſerere animæ tuæ, non carni tuæ, ne ſub ſpecie pietatis, aut diſcretionis, benefacias carni cum animæ præjudicio; & ſic eris placens Deo, & placebunt ei aliæ eleemoſynæ; quod ut facias, ſubdit: *congrega cor tuum in ſanctitate:* quomodo congregandum eſt cor? congregatur cor, quando omnes potentiæ ad unum ſimpliciſſimum feruntur, ſcilicet ad Dei amorem, qui te diriget, & ordinabit operationes tuas. *Op. de grad. virt. c. 6. l. 4. d. 15. p. 2. a. 1. q. 4. ſap. c. 5. Pſal. 36. & 102.*

430. *Prælati priùs corrigant ſeipſos, poſteà alios.*

Miſerere animæ tuæ placens Deo, & congrega cor tuum in ſanctitate. Hæc præcipuè diriguntur ad Prælatos, qui antequam aliis benefaciant, & pro aliorum ſalute ſe impendant, debent ſibi ipſis beneplacere, & incumbere ſaluti propriæ, ſic enim recto ordine procedent. *Luc. c. 17. v. 3. Pſal. 118. c. 10. v. 6.*

CAP. XXXI.

431. *Ad vigiliam invitatur homo, ut poſtea in æternum feſtum agat.*

VIGILIA *honeſtatis tabefaciet carnes; & cogitatus illius auferet ſomnum.* Sapiens hic excitat ad vigiliam, & quia eſt vigilia pœnitentialis, & vigilia relativa cum ſomno, de utraque poteſt intelligi verbum ſapientis: & notandum, quod ſicut antiquitùs multiplex aſſignata erat noctibus vigilia, ſic moraliter alia eſt vigilia pueritiæ, alia adoleſcentiæ, alia juventutis, alia virilitatis, alia ſenectutis: & ideo à puero incipienda eſt vigilia in ſervitio Dei, & proſequenda eſt uſque ad mortem? & quia hic loquitur de vigilia afflictiva carnis; & ad hanc invitatur homo, ut poſtea in altera feſtum, & quietem habere poſſit. *Thren. c. 2.*

432. *Infirmitas, & tribulatio à Deo, reddit animam magis cautam, ne deinceps in caveam malorum incidat.* & ſic dicitur hic: *cogitatus præſcientiæ avertit ſenſum. & infirmitas gravis ſobriam facit animam. In Thren. c. 3.*

433. *Pauper Spiritu verè dives ſine macula, & beatus.*

Beatus dives, qui inventus eſt ſine macula, & qui poſt aurum non abiit, &c. Non loquitur hic ſapiens de divite materiali, qui poſt aurum abit, & ſperat in pecunia, & theſauris: hic enim eſt pauper miſerrimus: ſed qui verè eſt pauper Spiritu affectionem non habens in terrenis rebus; iſteque verè eſt dives, qui electus ad regnum, & hæres regni cœleſtis eſt: Iſte dives eſt beatus, quia clavem regni cœleſtis habet, jam cuſtodiam januæ. *Ser. 2. de omnib. Sanctis.*

434. *Laus viri juſti ſuper quod bonum præcipuè fundatur.*

Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, facere mala, & non fecit, ideo ſtabilita, &c. Videtur hoc dictum non poſſe ſubſiſtere, cum ex eo eruatur, quod poſſe peccare ſit bonum? nonne hoc dicit deſtructibilitatem, & ob id imperfectionem maximam? ideò enim in hoc præcellunt beati à viatoribus, quòd illi non poſſunt deficere ſicut iſti? ſed attende, quòd iſta laus præciſè non fundatur in deficientiâ, ſed in efficientia, ſcilicet in virtute & operibus bonis factis à viro juſto, & quia oppoſita juxta ſe poſita magis eluceſcunt, ideo opponitur bono facto malum quod poterat fieri, ne

Digitized by Google

magis ſanctitas ipſius eluceſcat : & hinc additur laudi eſſentiali debitæ bono facto laus, & veluti gloria accidentalis.*l.2.d.44.dub.1.& a.1. q.1. & d.23. dub.2. & op. Comp. Theol. l.2. cap.65. Pſal.*100.Et ſi objicias,ergo in Chriſto, qui nullo modo potuit peccare, deficiet iſta laus accidentalis? Reſpond. negativè, quia & de ipſo, ut de capite poteſt dici,qui potuit tranſgredi, &c.ſcilicet ratione membrorum ſuorum, quibus dedit hanc virtutem præſervativam à malo,tum etiam, quia in Chriſto relucet omnis perfectio eſſentialiter ſine admixtione imperfectionis.*l.3.d.12.a.2. q.1.ad* 1.

435. *Eleemoſyna multiplex viri juſti expenditur.*

Et eleemoſynas illius enarrabit omnis Eccleſia ſanctorum. Sed quomodo id dicitur de viro juſto, cum inter ipſos multi ſint pauperes, & mendici, ut Lazarus,qui non poſſunt facere eleemoſynam? Sed attende, quod dicit eleemoſynas, non eleemoſynam; quia plura ſunt genera eleemoſynæ, tam corporalis, quàm ſpiritualis, quæ cuilibet etiam mendico ſunt proportionatæ : Nam opera miſericordiæ alia ſunt ſpiritualia, alia, corporalia, & inter ſpiritualia eſt remiſſio injuriarum, oratio pro proximo, & alia adjumenta, quæ ad profectum ſpiritualem faciunt animæ; & quia iſtæ eleemoſynæ ſunt Deo gratiſſimæ; & quia maximè fidem Eccleſiæ manifeſtant;ideo dicitur: eleemoſynas illius enarrabit Eccleſia &c.*l.4.d.15. p.2.dub.3.& d.16.p.2.dub.4.& ſcr.2. Dom.1. Pent. Pſal.*118.*c.6. v.2.*

436. *Voracitas ad menſam vitioſa, & deteſtabilis oſtenditur : & religioſorum diſciplina qualis in menſa : ubi de lectione ſacra.*

Supra menſam magnam ſediſti : non aperias ſuper illam faucem tuam, &c. Nota ad litteram hic deteſtari voracitatem,& loquacitatem in menſa, eſt enim vitium valdè deteſtabile, & indecorum. *Pſal.*118.*c.7. v.7.* Nota tamen quòd maximè ad religioſos diriguntur hæc, & ſequentia ſapientis monita, dicentis : non dicas ſic? *multa ſunt,quæ ſuper illam ſunt :* ſi multa,ideſt ficta : vel ſi multa, ideſt, quòd ſuperflua ſunt,turpe enim vitium eſt contemnere, quæ ibi apponuntur, vel tamquam malè cocta,vel condita,vel vilia, quia Religioſus debet eſſe communibus contentus. Modeſtia quoque,& diſciplina ſervanda in menſa in omnibus aliis actibus : & lectioni Sacræ attendere; eſt enim introducta à Chriſto. *Op. ſpecul. Diſcipl.p.1.c.21.& c.32.* Ubi multa alia ad hanc materiam, & diſciplinam ſervandam in menſa religioſorum, & ſæcularium expoſita habebis. *Luc.c.10.v.7.c.14.v.12. Vide etiam infra in hoc capit v.19.& 20.qui à S.Doct. ibid. exponuntur. Ecclen. c.5.*

437. *Invidus iniquiſſimus eſt, & judicans facilè temerariè proximum; & ab ipſis tamquam à diabolo cavere conſulit ſapiens, dicens : memento quoniam malus eſt oculus nequam, nequius malo quid creatum eſt? Pſal.*128.*c.3.v.5.Luc.c.7.v.39.*

438. *Sis tibi ipſi tu regula, & menſura, ut te regules,& menſures Sanctè cum proximo tuo.*

Intellige quæ ſunt proximi tui ex te ipſo. O utinam hoc monitum Spiritus Sancti attenderent, & intelligerent omnes homines; ſic enim eſſet perfecta pax in mundo : ſi enim ex ſtatu proprio,ex propriis neceſſitatibus, ex propriis defectibus, lapſibus, & caſibus menſuraremus proximum,certè in frigore intelligeremus nuditatem, in fame, & ſiti eſuriem, in dolore infirmitatem; in detractione de nobis, nobis exoſa, vitare detractionem, & omnem offenſam proximi; & opera miſericordiæ promptè in ipſum exerceremus : & ſi aliquid dictum contra nos audiremus recordaremur nos etiam contra alios ſæpe obmurmuraſſe; & ſic de ſingulis accidentibus : & hoc pacto charitas proximi illæſa conſervaretur ſicut & perfecta pax,quod & deberemus cognoſcere ex lumine naturali. *Op.Diat.tit.6.c.3. Eccleſ. c.7.Luc.c.12.v.57.*

439. *Nimia comeſtio aufert corpori ſomnum, & animæ : E contra frugalis, & moderata cauſat & ſomnum, & quietem :* Sic dicitur hic à ſapiente; *Vigilia, & cholera, & tortura,* ſcilicet ventris, *homini infrunito*, ideſt non ponenti frænum crapulæ, & gulæ : *Somnus ſanitatis in homine parco dormiet uſque mane.In Ecclen.c.5.*

440. *Vomitus in confeſſione ſuadetur.*

Si coactus fueris in edendo multum, ſurge è medio, & evome, & refrigerabit te, & non adduces corpori tuo infirmitatem. Ad litteram ſuadet ſapiens moderationem in comedendo, & bibendo; hoc enim valdè juvat ad ſanitatem : ſuadet etiam ad vomitum, quando contingit comedere excedenter : ſed myſticè dat intelligere, quòd qui nimis comedit; ſcilicet voluptuoſa ſumit noxia animæ, evomat illa in confeſſione; ſic enim ſanitas recuperabitur ſpiritualis. *Serm. de S. Petro ad vinc. ſerm.1. Dom.4. poſt Pentec.*

441. *Torpor vitandus, ſollicitudo amplexanda in operibus pœnitentiæ.*

Audi me Fili, & ne ſpernas me. In omnibus operibus tuis eſto velox, & omnis infirmitas non occurret tibi. Quomodo hic ſapiens ad vitandam infirmitatem omnem, ſuadet velocitatem in omnibus operibus ſuis? eſtne hoc medicamentum proportionatum vel ad curandum infirmitates, vel ſaltem ad præſervationem? Sed attende ad quid ſuadet velocitatem? nempe ad bonum faciendum, & malum vitandum; & ob id cavendum à conſuetudine peccandi : hæc enim eſt omnis infirmitas ferens ſecum omnia mala; & ideo dicit:*cave ab accidia,cave à torpore, & ne procraſtines pœnitentiam*; & ſic omnem infirmitatem evitabis. *Serm. 1. Dom. 20. Pent. Ecclen.c.9.*

442. *Eleemoſyna largitio cum hilaritate,& abundantia benedictionem maretur apud Dominum,& homines.*

Splendidum in panibus benedicent labia multorum. Nota, quòd ad litteram dat intelligere ſapiens, quòd eleemoſyna elargita hilariter, & abundanter mæretur benedictionem multorum, ſcilicet Dei, & hominum: qui enim ſic dat, bis dat. *in Luc. cap.16. verſ.19. in Ioan. cap.6. verſ.15.*

443. *Vini potatio nimia cavenda ob multos peſſimos effectus*; de quibus vide hic tcatum à *num.25. & ſeq. In Ioan coll.33.* ubi etiam proprietates vini boni applicantur Evangelio: *& ſer.1.de SS.Sim, & Iud.in addit.*

444. *Qui cum violentia injuſta,vel alio medio iniquo repetit à proximo ſuo etiam quæ ſua ſunt Deo valde exoſus, quia operatur contra charitatem:* Unde hic dieitur: verba improperii non dicas proximo, & non præmas illum in repetendo, ſcilicet cum injuſtitia, vel ex cupiditate. *In Luc. c.6.v.30.*

CAPUT XXXII.

445. *Væ Prælatis ſuperbientibus ab Prælaturam ſuper alios: felices verò, qui humiles humiliter ſe gerunt cum ſubditis.*

RECTOREM *te poſuerunt, noli extolli; eſto in illis quaſi unus ex ipſis.* Vide quàm ordinatè dirigit ſapiens Prælatos: primò enim dicit, quòd non ſe extollant, vel ſuperbientes ſe oſtendant; & maximè loquendo de Prælatis Eccleſiaſticis, ſed *eſto*, ait, *quaſi unus ex ipſis* ſcilicet exemplo Chriſti, qui tam familiariter ſe gerebat cum Apoſtolis: ſis humilis in vita,in corde,in actibus exterioribus, in præcipiendo, & dirigendo ſubditos: ſic enim Deus dabit tibi gratiam ſuam,quam & apud homines habebis. *Op.de ſex alis Seraph.c.6.ſer.9. in Pentec.in Luc.c.22.v.14.& 26.opuſ. Eccleſ. Hier. p.1.c.1.*

446. *Prælatus bonus ſtat in medio ſubditorum.*

Rectorem te poſuerunt, noli extolli in eis, ſcilicet per ſuperbiam,& excellentiam privatam, *ſed eſto quaſi unus in ipſis.* Quomodò unus in ipſis? in ipſis, ſcilicet in medio ipſorum ad imitationem Chriſti: ſi enim vult eſſe Chriſti imitator, debet ſtare in medio: primò per humilitatem,ut ſupradictum eſt: ſecundò per communitatem abſque acceptione perſonarum: tertiò per omnium diligentem conſiderationem; debet enim agnoſcere vultum pecoris ſui; ideo ſubdit: *& curam illorum habe*: quartò per pacis confirmationem, & conſervationem: quintò, iterum communis eſto in illis, non ſupra illos in throno poteſtatis, nec extra illos in cameris privatis, ſed inter illos in dormitorio, in refectorio, in oratorio: *& quaſi unus ex ipſis* ita veſtitus, ita procuratus: quod eſt contra illos, Prælatos qui dimittentes auſteritates religioſis ſubditis, ipſi vivunt laxi,laxati, diſſoluti, ſuis commoditatibus, tamquam principibus ſervientes, & procurantes. *in Thren.c.1.& Vgo hic.*

447. *Prælatorum obligationes iterum refricantur.*

Curam illorum habe, & ſic conſidera; omni cura tua explicita recumbe. Ecce qualis circumſpectio exigitur in Prælato maximè religioſo: curam ſubditorum habe, ſcilicet curam tui, & ſubditorum; & ſic conſidera: quid? Chriſti affectiones ad tuas oves conſidera, & quòd in loco Chriſti collocatus es, & de ſingulis rationem redditurus es. Item conſidera conditionem, & ſubditorum infirmitates, ut compati ſcias. Conſidera dæmonum aſtutias, hoſtium inſidias contra te, & gregem tuum, qualiter poſſis evadere, & omni cura tua, ſcilicet quacumque alia amota, & poſtpoſita, vel conſummata, recumbe tamquam gallina ſuper pullos, & ad menſam lectionis, & refectionis cum eis, ut læteris hic & in æternum recipiens ornamentum gloriæ. *In Thren.c.1.ſerm.1.Pentec. de ſex alis Seraphin. per tot.*

448. *Prælatus ſit maior natu qucad mores unde hic dicitur.*

Loquere major natu,decet enim te primum verbum, &c. Sic enim conſuetudo erat antiquitus, ut major natu loqueretur, cæteris tacentibus: ſed tamen hic dat intelligere, quòd Prælatus debet eſſe major natu, ideſt alios præcellere,non quoad ætatem, ſed quoad mores, ad vitam,prudentiam,& ſanctitatem. *In Thren.c.2.in Luc. cap.24. verſ.18.*

449. *Prædicatori dicitur: Vbi auditus non eſt, non effundas ſermonem*; datur per hoc intelligi prædicatoribus ne verbum veritatis effundant ubi capacitas non eſt ad credendum, & ſuſcipiendum verbum: unde prius conſiderent audientium qualitates, ne effundant in vanum ſermonem, & ut ſermocinentur ſecundùm indigentiam, & capacitatem auditorum. *in Luc. cap.9. verſ.36.*

450. *Qualis gloria præparata bonis Prælatis.*

Gemmula carbunculi in ornamento auri, & comparatio muſicorum in convivio vini. Poſt præmiſſa munera exercenda à Prælatis bonis proponit gratiam, & gloriam ipſis à Deo præparatam: ait enim: *ut læteris propter coronam, & ornamentum conſequaris*: qualemque coronam, & ornamentum, exponit, dicens: *gemmula carbunculi*, ſcilicet poſſeſſio divinitatis ſignificatæ in carbunculo, & humanitatis Chriſti ſignificatæ in auro: item glorificatio animæ in corpore ſibi præparata in cœlo,ubi muſica, ideſt perpetua gratiarum actio erit. *Ser.2.Dom.1.poſt octa. Epiphan.*

451. Cor

451. *Cor claudatur per obſervantiam taciturnitatis in ore: ubi de bonis ſilentii: & hoc præcipitur iuvenibus.*

Audi tacens, & pro reverentia accedet tibi bona gratia. Ecce quod hic ſuadet taciturnitatem, & ſilentium; ſed ut ſcias quale ſilentium; addit: *& pro reverentia, &c.* reverentia eſt exhibitio honoris, procedens à timore filiali, & humili affectu; ut videas quo motivo ſilentium debeas colere; ſcilicet ob reverentiam debitam majoribus: ſic enim cor claudes vanitatibus, & aliis peccatis, ſi priùs claudes os à vanis verbis; & ſic accedat tibi bona gratia, quam habebis apud Deum, & homines. *Ser.5. de una S. Virgine. Op. expoſ.regul.& regula novitior.c.1.ſer.2. Hexam. in Luc.c.1.v.29.c.9. v.35.c.20. v.26. & c.24. v.8. in Ecclen.c.3.*

452. *Magiſtrum loqui decet: Diſcipulum tacere.*

Adoleſcens loquere in tua cauſa vix, & cum neceſſe fuerit: ſi bis interrogatus fueris, habeat caput reſponſum tuum. In his, & ſequentibus verbis dat intelligere ſapiens, quòd proprium eſt Magiſtri loqui, & docere: & proprium eſt Diſcipuli, & juniorum tacere, & audire; & ob id ſilentium ſervare. *De hoc vide Op.ſpec. Diſcipl. p.1.c.5.& 20. & de profec. religioſ. l.2. c.10. & regul. novit. c.15. in Luc. c.3. v.23. & ſerm.2. Hexam.*

453. *Domus conſcientiæ ſit, in qua ante omnia opera tua veluti in templum intres, & diſponas de omnibus agendis.*

Præcurre autem prior in domum tuam, & illic avocare; & illic lude, & age conceptiones tuas, & non in delictis, & verbo ſuperbo. Super his omnibus benedicito Dominum, qui fecit te, & inbriantem te ab omnibus bonis ſuis. Notanda ſunt diligenter verba iſta; & utinam adverterentur diligenter: docet autem, quòd qui vult Deo ſervire, & cavere ab omni malo, debet priùs intrare, & præcurrere in domum ſuam: quid eſt hoc? quomodò in domum ſuam intrare debet prior, qui jam manet in ea? ſed attende perbellum myſterium. *Præcurre prior in domum tuam*, ait Spiritus ſanctus) præveni tu quamcumque cogitationem, & conſiderationem, & intra prior in domum conſcientiæ tuæ, antequam præoccupetur ab aliis extraneis, & illic advoca te, ſcilicet cogitationes tuas, & ad te collige, & advoca, ideſt advocatus, & judex eſto contra te ipſum; & illic lude, & ludum tuum aſpice, hic ſit tibi theatrum, & age conceptiones tuas, ideſt cogitationes, & affectiones tuas, agita diligenter circumſpiciendo quales hic ſint tibi ſcholæ; hic diſputa, hic advoca, hic lude, hic omne genus officinæ habeas in domo tua: ſi miles es, hic te arma contra inſidias diaboli; ſi clericus es, ſcholas hic habes: ſi ruſticus, ibi eſt ager, ibi vinea: ſi monachus ibi clauſtrum habes pulcherrimum, & regulam rectam vivendi: habita tu in domo tua, & non extra, ſicut mimi, qui vagantur per alienas: nec permitte, ut domus tua fiat ſpelunca latronum, vel domus negotiationis alienorum, vel lupanar, & proſtibulum meretricum: & præcipuè fac, quòd conſcientia ſit teſtis, qui accuſet, dolor qui cruciet, & ratio judex, quæ judicet: verè enim conſcientia cujuſque, & anima eſt domus propria uniuſcujuſque, ſive in bonum, ſive in malum. *In Luc.c.19. v.7.ſer.30.Dom.10. Pent.ſer.1.de dedicat. Pſal.82. & 118.c.10.v.10.ſer.7.rogat.in Luc.c.2.v.28.c.5. v.27.c.8.v.39.& Ugo hic.*

454. *Eccleſia Dei frequentanda.*

Præcurre prior tu in domum tuam; & illic avocare, illic lude, & age conceptiones tuas, & non in delictis, & verbo ſuperbo & ſuper his omnibus benedicito Dominum &c. Quæ eſt hæc domus noſtra, niſi ſancta Eccleſia; ad quam ante omnia opera invitatur homo ad benedicendum Deum? præcurre, ait, prior, ſcilicet cum Angelis, qui & ipſi præveniunt conjuncti intrantibus, & ibi orantibus, pſallentibus, & Deum laudantibus, hic ſint tua præcipua negotia, hic ludus, hic tuæ cogitationes, hic occupationes; & in his omnibus benedicito Dominum, qui te inebriantem ſua gratia faciet. *Ser.1.de dedicat.*

455. *Timor Dei vigilantem reddit animam ad hoc ut capax fiat benedictionum Domini;* ſolùm enim iſtæ infunduntur in vigilantes corpore, & Spiritu: unde hic dicitur: *qui timet Dominum excipiet doctrinam; & qui vigilaverint ad illum, invenient benedictionem.Thren.c.1.*

456. *Apud Deum quiſque invenit judicium juſtum; & miſericordiam: rarò apud homines.*

Qui timent Dominum invenient judicium juſtum & juſtitias quaſi lumen accendent. Ecce quid tibi faciendum eſt ô homo, ſi vis invenire illam juſtitiam, quam ad homines tam rarò, & difficulter invenire potes. Time Deum, ſcilicet amore filiali, in Deo confide, ad ipſum recurre: injurias offer Deo, & eris ſecurus; quia Dominus facit miſericordias, & judicium omnibus injuriam patientibus; invenies apud Deum judicium, & juſtitiam: quid eſt, & qualis hæc inventio? Invenies, ſcilicet in judicio membra tua in reſurrectione, etiam ſi à canibus conſumpta: invenies bona opera in manifeſtatione: invenies fructum eleemoſynarum, & operum bonorum: invenies juſtitiam in retributione æterna: Non ſic impii, qui nihil invenientes in manibus ſuis, invenient malam retributionem. *Ser.7.in rogat.*

457. *Prælatus à Spiritu ſancto conſilium quærat, nec aliquid ſine conſilio agat.*

Fili ſine conſilio nihil agas, & poſt factum non pœnitebit. Ecce quid omnibus, etiam Prælatis conſulitur ne aliquid agant ſine conſilio; hoc enim exigit Deus ab omnibus, & maximè à Prælatis, cum ipſorum diſpoſitiones ad bonum, vel malum publicum ordinentur: & quia inter omnes tentationes periculoſior cuicumque Chriſtiano eſt proprio ſenſui nimis inniti, cum quilibet homo quantumcumque perſpicax poſſit falli. Rector igitur primò quærat conſilium in oratione à Spiritu ſancto, & etiam conſilia aliorum

libenter

libenter audiat, & humiliter quærat; in quo triplex humilitas conſiſtit & fructus: primò, ſi alii ſentiunt, quod & ipſe, ſecurior erit, quòd non decipiatur: ſecundò quicquid fecerit cum prudentum conſilio, ſi aliquod inde evenerit contrarii, minus ei poterit imputari, quàm ſi de ſuo tantùm ſenſu id feciſſet: Tertiò, quòd ſæpe in merito talis humilitatis, Deus dat ei agnoſcere per ſe, vel per alium, quod ante non intellexit. E contra ſuperbi aliter faciunt, qui cum ad officium regiminis aſſurgunt, ita ſe continuò repletos ſpiritu ſcientiæ reputant, ut omnia anteceſſorum ſuorum facta, ſtulta judicent, & perverſa: Alii verò è contrario cum ab eodem abſolvuntur officio, quæcumque ſucceſſores eorum faciunt ſimili modo condemnant, quod eſt ſignum maximæ ſuperbiæ. *Op. de 7. alis Seraph. c. 7.*

458. *Via mandatorum Dei ſecura: via peccati ruinoſa.*

In via ruinæ non eas, & non offendes in lapides: nec credas te viæ laborioſæ, ne ponas animæ tuæ ſcandalum. Supponit hic ſapiens, quòd eſt certum, ſcilicet quod duplex eſt via homini propoſita: alia quæ ducit ad cælum, alia ad infernum: prima eſt via mandatorum Dei, ſecunda eſt peccati: prima ſecura, & ſine offendiculo plana, & facilis: ſecunda eſt cum offendiculis variis, laborioſa, ruinoſa, & periculoſa: dicit igitur ſapiens; *non eas*, & cave ne ambules hanc viam periculoſam, ſed in via mandatorum Dei gradere, ſicque ſecurus incedes ad cælum. *Pſal. 118. c. 2. v. 10. & 16.*

459. *Homo ante omnia conſilium à Deo quærat.*

Qui credit Deo, attendit mandatis, & qui confidit in illo, non minorabitur. Quid eſt, *attendit mandatis?* attendit mandatis, quaſi legibus conſulendis; quaſi dicat: qui vult in omnibus ſuis actibus rectè procedere, ante omnia conſulat Deum in mandatis ejus; quia per ipſa dirigetur in omnibus agendis: & hoc faciet, ſi credet ſe Deo, & in ipſo confidat. *Pſal. 118. cap. 11. verſ. 10. & 16.* Dat enim intelligere, quod qui credit Deo, obſervat ipſius mandata; quia fides ſine operibus mortua eſt. *In Ioan. cap. 5. verſ. 24.*

CAP. XXXIII.

460. TIMENTEM Dominum, mala occurrentia in hac vita non impediunt, quin de bono in bonum proficiat; accepiat enim ea, ut evadat æterna; unde dicitur: *timenti Dominum non occurrent mala*, ſcilicet æterna, quia non timuit temporalia. *Dict. tit. 6. c. 1.*

461. *Doctori, & Prædicatori neceſſaria præmeditatio, oratio, & operatio.*

Qui interrogationem manifeſtat, parabit verbum, & ſic deprecatus exaudietur, & conſervabit Diſciplinam, & tunc reſpondebit. Nota, quòd hoc dicitur de Doctoribus, de Prælatis, & Prædicatoribus, qui ſemper debent eſſe parati ad ſatisfactionem omni poſcanti rationem, ut *ait S. Petrus 1. c. 3.* debent enim præmeditari verba, & rationes congruas ad docendum & reſpondendum; debent etiam deprecari Dominum, ut aperiat ipſorum intelligentiam; & conſervare diſciplinam per bonam operationem, ſicque ſecurus erit, quod reſpondebit ſine ſcandalo, vel damno aliorum, vel ſui. *Pſal. 118. c. 3. v. 10. in Luc. c. 8. v. 9.*

462. *Impius, & præcipuè detractor ſemper in gyrum volvitur quaſi rota plauſtri.*

Præcordia fatui quaſi rota currùs, & quaſi axis verſatilis cogitatus illius. O quàm hoc eſt verum! nempe interiores cogitationes, & affectiones impii eſſe ſicut rota Plauſtri, quæ ſemper murmurat, & numquam in eodem ſtatu permanet, & lutum cordis calcat; quia ſemper malum cogitat, & de malo in malum tranſit, & ejus cogitationes in gyrum volvuntur, tumultum cauſantes in corde. *Sap. c. 1. & 12.* Et hinc ſubdit: *equus emiſſarius ſic & amicus ſubſannator, ſub omni ſupraſedente hinnit*: ideſt deriſor, & detractor, & adulator proximi, abſque diſcuſſione, omnibus ſubſannans adulatur, & omnes deridet, & de omnibus detrahit. *Hugo hic.*

463. *Ordo, & diſpoſitio dierum, motum ſolis, & lunæ, quid nobis myſticè indicant: ubi de Euchariſtiæ dignitate.*

Quare dies diem ſuperat, & iterum lux lucem, & annus annum à ſole? à Domini ſcientia ſeparati ſunt, facto ſole, & præceptum cuſtodiente; & immutavit tempora, & dies feſtos ipſorum. Nota quod hic deſcribit ad litteram ſapiens ordinem naturalem dierum &c. nempe quomodò dies æſtivalis diem hyemalem ſuperat in caliditate, quantitate, & calore: & lux unius ſyderis lucem alterius: & lux ſolis lucem lunæ; & annus ſolaris annum lunarem; ſcilicet undecim diebus; & ſol ſolem, non alium, ſed ſeipſum ſuperat in calore, & mora; ſcilicet nunc calidior, nunc minus calidus, nunc morans plus in noſtro Emiſpherio, nunc minus: nunc major eſt curſus; ſcilicet ſecundùm motum violentum firmamenti, nunc minor ſecundùm naturalem; quæ omnia eveniunt ex ſole, vel accedente, vel recedente, ſic divina ſapientia ordinante; & ſecundùm quem motum immutati ſunt dies feſti: de quibus vide *l. 2. d. 14. q. 2. dub. 3. & 4.* Myſticè dat intelligere, quod Chriſtus ſol ſecundùm divinitatem ſuperat humanitatem, & ipſa, qui eſt lux, ſuperat lucem Apoſtolorum, & ſanctorum, & annus gloriæ annum gratiæ; quia ſemper eſt ſupra condignum, & ipſa præcepit immutationem feſtorum; ſcilicet ſabbati in dominicam diem; & ſecundùm curſum ſolis, licèt

aliqua remanſerint ſecundùm motum lunæ. *L.2. d.14. & in Lucam cap.4. verſ.19.* Nota etiam, quòd aliqui DD. applicant illa verba ſol ſolem ſuperat, Chriſto in Euchariſtia exiſtenti: ubi Chriſtus ſol ſeipſum ſolem factum in Euchariſtia ſuperat; quia ea hoc ſuper omnia elucet divina potentia, ſapientia, bonitas, charitas, pietas, & amor. *In Ioan.c.6.v.32.ſeq.*

464. *Feſtorum obſervantiæ pro tempore legis veteris, & legit novæ mutatio expenditur.*

Et mutavit tempora & dies feſtos ipſorum. Ad quid hic apponit ordinem ſtellarum ſolis, & Lunæ, & ſtellarum cum inſtitutione, & mutatione feſtorum? ſed attende, quòd in lege veteri feſta inſtituta erant ſecundùm motum lunæ; nunc autem in lege gratiæ ſecundùm motum ſolis; & hoc ait textus, quia id *factum à Domini ſcientia facto ſole*: quid eſt facto ſole? quia ſynagoga priùs ambulabat in tenebris, & minuenda erat ad modum Lunæ: at Eccleſia ambulat in lumine facto ſole, ideſt incarnato verbo, Ideo ſecundùm motum ſolis celebrat feſta, excepto tamen Paſchate, & Pentecoſtea, ex hoc, quòd adhuc expectat reſurrectionem ultimam; & ideo ex parte eſt etiam conformis ſynagogæ; ſed tamen ipſum Paſcha celebrat non in ſeptima, ſed in octava die, per quod excedit ſynagogam. *L.2.d.14.p.2.dub.4.*

465. *Dei mirabilis diſpoſitio in ordinando malum, quod facit creatura in bonum, & in opponendo mala noſtro bonum ſuum.*

Contra malum bonum, & contra mortem vita; ſic & contra virum juſtum peccator. Vide quàm mirabilis ſit diſpoſitio, & ordinatio Dei in omnibus operibus ſuis: Cum enim fecerit omnia valdè bona, tamen contra hæc bona oppoſuit Angelus malus, & homo, malum peccando, & totum mundum veluti ſubvertendo: & tunc, quod fecit Deus, qui non poteſt pati in ſua creatura aliquid deordinatum, voluit honeſtare, & ordinare, & decorare hoc univerſum, quaſi quibuſdam antitheſibus, ut conſpicitur in picturis; ſicque ordinavit malum à creatura factum contra bonum, ut etiam malum inſerviret ad decorem univerſi; non quidem ratione ſui, ſed vel ratione ſubjecti, quod ordinatur in pœnam ad manifeſtationem divinæ juſtitiæ, vel ut per oppoſita magis eluceſceret bonum: vel ratione boni eliciti; quia ex malo multa bona elicita ſunt; uti eſt incarnatio: unde Eccleſia canit: ô felix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere Redemptorem: per quem natura humana fracta per peccatum, veluti ſcyphus vitreus, denuo religata, & ſanata eſt filo aureo; & ſpecioſior facta: & hinc hac ratione contra Angelum malum nos tentantem, oppoſuit Angelum bonum cuſtodientem: Cantemus igitur Domino canticum novum, & ipſi gratias agamus, quod tanta fecit pro nobis, & ad noſtram utilitatem. *L.1.d.46.q.ult.l.2.d.3.p.2.a.1. q.1. & d.11.q.1.in Luc.c.12.v.53.ſer.5. de S. Maria. in ſap.c.2....*

466 *Prælati, & Patres non ſe ſinant dominari à ſubditis, & filiis; ſed ipſos viriliter uſque ad finem regant, & ſalubriter ipſis præſint.*

Audite magnates, & omnes Populi, & rectores Eccleſiæ auribus percipite: filio, & mulieri, & matri, & amico ne des poteſtatem ſuper te in vita tua. In quibus verbis, & ſequentibus docet rectores, Prælatos, & parentes, ut dignitatem ſuam laudabiliter teneant uſque ad finem; nec ſinant ſe vinci a carnali affectu; ne ipſos poſtea pœniteat; quòd experientia continua docet, quàm ſit verum, & ſalubre documentum, & maximè in filios ingratos: de qua re vide exemplum horribile. *Serm. 5. op. de decem præceptis.*

467. *Corpus, & caro qualiter tractanda ad exemplum Aſini, & ſervi.*

Cibaria, & virga, & onus Aſino: panis, & diſciplina, & opus ſervo. Operatur in diſciplina, & quærit requieſcere: laxa manus illius, & quærit libertatem: Iugum, & lorum curvant collum durum; & ſervum inclinant operationes aſſiduæ. Servo malevolo tortura, & compedes, mitte illum in operationem ne vacet. Videntur hæc verba, & monita ſapientis reſonare crudelitatem, & aſperitatem nimiam in ſervos; ſed benè intellecta, myſteria & monita ſalutaria continent. Nota autem, quòd copulat ſimul modum quo tractari debet aſinus, & ſervos. At cur iſta connexio? eſtne ita tractandus homo rationalis, ſicut beſtia? minimè; ſed attende, quòd per aſinum, & ſervum intelligitur caro, corpus, pars ſenſitiva, & animalis, quia inclinationem, & concupiſcentiam irrationalem ſectatur, & ideo rectè dicit, quòd ſicut aſinus debet provideri quidem pabulo neceſſario, ſed tamen ut laboret; & ut laboret, ne recalcitret, debet frænari baculo: ſic & corpori, & carni debetur viaticum, ſed ut laboret & ne otio torpeſcat, debet virgâ diſciplinæ, jejuniis, mortificationibus uſque ad ſanguinem torqueri, ut ſenſualitas reddatur ſubjecta rationi, ut aſſueſcat laborare, ut evitet otioſitatem, ne acedia torpeſcat, & ut obediens reddatur omni imperio domini ſui, ſcilicet rationis: ô utinam addiſcant hanc lectionem qui ſuo corpori nimis inclinati ad indulgentiam ſunt: qui anxii vivunt ne minimum aliquid patiantur adverſi, qui evitant, & fugiunt mortificationes, nuditates, paupertatem, laborem, jejunia, & his ſimilia: Ideo aſinus in eos recalcitrabit, & eos reddet ſui miſeros captivos. *Op. de profec. religioſ. l.1. c.33. ſer.3. Dom.4. quad. ſer.3. Dom. palm. ſap.c.1. Pſ.118. c.2.v.7. & c.8.v.10. in Luc.c.17.v.9.*

468. *Otioſitas ſchola diaboli.*

Multam malitiam docuit otioſitas. Quomodò docuit? ergone eſt ſchola otioſitatis? maximè: ſchola eſt, & ſchola dæmonum, in qua multiplex malitia edocetur: vide quomodo occupatus, ab uno dæmone impugnatur: qui verò in ſcholam otii intrat, ab innumeris vaſtatur: quia quot cogitationes, & tentationes in corde verſat, tot inimicorum jaculis patet, omnium enim malarum cogitationum, & tentationum

ſentina

ſentina eſt otium : væ igitur, & qui in hanc ſcholam, vel potiùs, ſentinam intrat; quia ibi cor, & mens impletur omnibus malis, & armatur, & inſtruitur ad patrandum omne malum. *Op. de prof. religioſ. l. 1. c. 39. & regul. novit. c. 8. ſer. de S. Martino.* & hinc eſt, quod Seraph. P. S. Franc. *in cap. 5.* ſuæ regulæ tam graviter præcipit fugam ab otio ſuis fratribus: *Op. expoſit. regul. c. 5.*

469. *Servi fideles ſicut à Deo remunerantur; ſic & à Dominis temporalibus debent recognoſci, amari, & præmiari ad exemplum Dei, tam liberaliter ſuos ſervos tractantis :* dicitur enim hic: *ſi tibi ſervus eſt Fidelis, ſit tibi ſicut anima tua. ſer. 2. de S. Thom. Luc. c. 17. v. 9.*

CAP. XXXIV.

470. *Vanitas divitiarum, & rerum terrenarum expenditur : ubi de vanitate ſomniorum.*

VANA *ſpes, & mendacium viro inſenſato ; & ſomnia extollunt imprudentes: quaſi qui apprehendit umbram, & perſequitur ventum, ſic qui attendit ad viſa mendacia: ſecundum hæc viſio ſomniorum.* Nota, quod in his verbis ſapiens perhellè ad duas vanitates cavendas dirigit ſermonem; altera eſt obſervantium ſomnia; habent enim inter ſe maximam ſimilitudinem : & primò dicit : *vana ſpes, & mendacium viro inſenſato* : ſcilicet viro irrationabiliter viventi, & ad divitias acquirendas totum cor dirigenti : iſte enim ad vanitatem acquirendam laborat; quia omnia iſta ſunt vana, & evaneſcunt, & ſunt veluti bonum ſomniantium : unde *Eccle. cap. 2.* dicit Salomon : *vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere ſub ſole,* verè in omnibus, in divitiis, in voluptatibus vanitas eſt; ſicut vanum eſt ſomnium, vana eſt umbra : umbram enim equi pro equo tenere, vanitas eſt, ſic tranſitoria reſpectu æternorum, & benè dicit : *quaſi qui apprehendit umbram, &c.* Quomodo apprehenditur umbra? apprehenditur quando in ipſam intratur; ſic anima ex converſione ſui ad terrena, obſcuratur, & eclypſatur per interpoſitionem terræ inter eam, & Deum, vel veram fidem. *Sap. c. 5. & 3. & 15. Ecclen. proœm. & c. 5 ſer. 5. Dom. 12. Pent.*

471. *Vita exemplaris in Prædicatore exigitur :* nam dicitur.

Ab immundo quid mundabitur? & à mendace quid verum dicetur? q. d. nihil. Nota etiam, quod hæc verba poſſunt applicari diabolo, qui eſt fons immunditiæ, & Pater mendacii; qui tamen aliquando vera dicit, ſed ad finaliter decipiendum; unde ſtulti ſunt, qui credunt diabolo; & conſilium ab ipſo, vel aliquam doctrinam percipiunt. *Luc. c. 6. v. 42. Ugo hic.*

472. *Opera bona facta in peccato mortali quanam habent effectum, & quænam nequaquam : ubi de confectione Sacramentorum.*

Ab immundo quid mundabitur? & à mendace quid verum dicetur? Hæc verba ingerunt quæſtionem : an exiſtens in immunditia peccati mortalis, conficiens Sacramentum; v. g. baptizans, verè conficiat; cum hic dicatur : ab immundo, ſcilicet operante, quid mundabitur? Et reſpond. quòd opera, quæ habent ſuum valorem ex opere operantis; iſta facta in peccato mortali, non mundant, nec meritum de condigno acquirunt : opera verò, quæ ſuam efficaciam habent non ab ipſo operante immediatè, ſed à Chriſto, in cujus nomine, & ipſo cooperante principaliter habent veram efficaciam, ut eſt baptizare in peccato mortali; quia Chriſtus eſt qui baptizat principaliter, & de iſtis non currit, nec verificatur hoc dictum. *lib. 4. d. 5. a. 2 quæſt. 1.*

473. *Divinatio ſuperſtitioſa, & vana à diabolo decipiente eſt.*

Divinatio erroris, auguria, & mendacia, & ſomnia malefacientium, vanitas eſt. In his verbis connectit ſapiens ad invicem divinationem, auguria, mendacia, & ſomnia vanè obſervata, quia in his omnibus vanitas eſt, & maxima deceptio dæmonis. Divinatio autem eſt ſuperſtitioſa inveſtigatio præſcientiæ futurorum, cujus ſunt quinque ſpecies ſcilicet mantia, maleficium, ſortilegium, augurium, & præſtigium, & ad has reducitur omnis ſcientia prohibita, quia eſt à diabolo. Vide *Op. Centiloq. p. 1. ſect. 29. l. 2. d. 7. p. 2. a. 2 q. 3. Ecclen. proœm.*

474. *Somnia, quæ ſunt à Dæmone, vel à vitioſitate noſtra, ſunt deceptoria : quæ à Deo ſunt vera ſigna futurorum.*

Sicut parturientis cor tuum phantaſias patitur, niſi ab altiſſimo fuerit emiſſa viſitatio. Per hæc verba datur intelligi, quòd aliqua ſomnia ſunt vana, alia vera ſigna vera futurorum. Quæ ſunt vana, ſunt illa quæ immittuntur ad noſtrum cerebrum eo modo, quo immittuntur phantaſmata ad cerebrum parturientis, nempe vel à Dæmone, vel à ſollicitudine noſtri cordis, & iſta ſunt cauſa erroris in ipſa obſervantibus : quæ ſunt à Deo vel Angelis, ſunt vera ſigna futurorum, ſed in hoc maxima cautela adhibenda eſt : quia aliquando ſunt aliqui ſpirituales, qui in ſaipſis fidentes nimis, & credentes ſe viſionem videre, decipiunt ſe, & alios, vel ad quæſtum avaritiæ retorquent, & in multis ſunt ſigna inſaniæ futuræ, quia cerebro confuſo, & fumo ipſum obnubilante, etiam viſus oculorum confunditur, ut putet ſibi aliquod veraciter apparere, quod phantaſticum eſt, & falſum, *l. 2 d. 7. p. 2. a. 1. q. 3. & d. 23. a. 2. q. 2. op. de prof. religioſ. l. 2 cap. 75. & Diat. ſit. 7. c. 1.*

475. *Datur in ſupradictis verbis admonitio magni ponderis viris Spiritualibus circa orationem mentalem.*

Sicut parturientis cor tuum, patitur phantaſias, niſi ab Altiſſimo fuerit emiſſa viſitatio. Nota, quòd ad viros ſpiritales cupientes elevati ad meditationem de rebus ſpiritualibus dirigitur hæc admonitio: daturque intelligi, quòd per quamcumque diligentiam factam ab anima ſe elevandi ad meditationem ſublimiorem rerum cœleſtium, tempus in vanum conſumpſerit, niſi à Deo ipſi adveniat allocutio divina, ſine qua cor repletur phantaſmatibus noxiis, & igne vanitatis, & cupiditatis: Iſtæ verò allocutiones ſunt accenſa deſideria à Deo provenientia, Deum fideliter adorandi; de ipſo vehementer admirandi, confidenter ipſum deprecandi, ipſum humiliter timendi, cum ipſo familiariter confabulandi. cum ipſo ut ſponſo cohabitandi, & dulciter ſuſurrandi, hæ ſunt viſitationes divinæ, quæ cor replent, non phantaſiis, ſed lumine, & affectionibus divinis, de quibus vide *Opuſ. de 7. itin. ætern. itin. 2. d.4.& 5.*

476. *Homo non petat à Deo non tentari, ſed non induci in tentationem*; ideſt in conſenſum tentationis: & ob id vincere ipſam; nam tentatio eſt utilis: dicit enim hic ſapiens: *qui non eſt tentatus quid ſcit? Luc.c.11.v.4.& op. de profec. religioſ.l.2.c.4.*

477. *Qui timet Deum, ſecurus eſt, & nihil timet: imò omnes timent eum: qui non timet Deum, expaveſcit de omnibus*: unde dicitur hic: *qui timet Deum, nihil trepidabit, quoniam ipſe eſt ſpes ejus. Op. Diæt.tit.6.c.1.*

478. *Amans Deum, attrahit oculos Domini ſuper ſe: ubi de protectione Chriſti in ſuos.*

Oculi Dei viderunt diligentes ſe. Ergo ſolùm diligentes? nonne videt omnia Deus? videt quidem, ſed non eo modo, quo videt diligentes ſe: videt enim eos oculis gratiæ ſuæ, & gloriæ; quia amor in Deum, attrahit Deum ipſum ad ſe & ſuper ſe adſpicientem, ad illuminandum, ad auxiliandum, & ad omne bonum, & ſe ipſum communicandum. *Ser.2. Dom.2. poſt oct. Paſcha. ſap.c.5.Op.Eccleſ.Hier.p.4. c.6.* Nota etiam ſequentia, quæ mirabilem liberalitatem Dei in timentes ſe explicant. Subdit autem, quod *ipſe eſt firmamentum virtutis*, ſcilicet virtutis perditæ reſtauratio, *tegmen ardoris, & umbraculum meridiani*, ſcilicet ardoris concupiſcentiæ; & diabolicæ inflammationis: repreſſio, mitigatioque perſecutionis, de offenſis remiſſio, & apud Patrem pro peccatis propitiatio. *Op. Eccleſ. Hierar. p.4.c.6.* Subdit: *exaltans animam, & illuminans oculos dans ſanitatem, & vitam & benedictionem; nam timentes ſe exaltat:* Quomodò exaltat? exaltat in via dupliciter, ut exaltet in gloria: nempe propter humilitatem contritionis & pœnitentiæ in corde ex recordatione commiſſæ iniquitatis: exaltat decore cœleſtis gratiæ, delentis maculas peccatorum, & illuminat oculos intellectus à tenebroſitate cæcitatis ſplendore veritatis, & intelligentiæ: dans ſanitatem ejus carni per repreſſionem carnalis concupiſcentiæ; & vitam æternæ immortalitatis, & benedictionem ſupernæ hæreditatis. *ſerm.4. Dom. 10. poſt Pentec.*

479. *Offerentis ex iniquo, oblatio eſt maculata: & dona iniquorum non probat Deus.* Notanda diligenter iſta verba Spiritus Sancti, maximè ab illis, qui ſua, vel etiam aliena Deo offerunt, ſed non ſeipſos. Dat autem intelligere primò circa eleemoſynam, quòd hanc Deus non acceptat, niſi fiat ex charitate, & de propria ſubſtantia: ſecundò, quòd quælibet oblatio Deo facta proveniat non ex corde impuro; nec maculato culpis, & peccatis. nec infecta perverſa intentione; alioquin non erit probata, & meritoria vitæ æternæ, *l.4.d.15.p.2.dub.7.& a.2.q.1. Luc.cap.16.v.9.& c.21.v.4.*

480 *Idem probatur de eleemoſyna facta ex furto: vel de oblatione facta Templo ex re aliena.*

Qui offert ſacrificium de ſubſtantia pauperis, quaſi qui mactat filium in conſpectu Patris. Vide, quòd Deus, ut tollat à mente multorum divitum iniquorum hunc errorem, qui in conſuetudinem apud plures abiit; ſcilicet offerendi ſacrificia, munera Deo, vel templo, vel in eleemoſynam pauperum ex re, vel ære alieno, vel rapto, & vi, vel fraude, doloque acquiſito, firmat hanc propoſitionem: qui offert ſacrificium de ſubſtantia pauperis, quaſi qui mactat Filium in conſpectu Patris: mactat enim pauperem ſua ſuſtentatione privans in conſpectu Dei, facitque ipſum Deum veluti ſocium ſuæ iniquitatis: & reddit rationem, ſubdens ſacer textus: panis egentium vita pauperum eſt, qui defraudat illum, homo ſanguinis eſt; & ſequitur ad rem alia verba ſimilia afferens idem textus. *ſer.3. Dom. 1. poſt oct. Paſcha.ſer.2.Dom.5.Pentec.ſer.1. Dom.10. Pent.op. apolog.paup.reſp.4.c.3.*

481. *Qui ſurripit Chriſto animam ſuam, vel alterius, ſimilis eſt crucifixoribus Chriſti: ubi de fraudantibus mercenario mercedem ſuam.*

Qui effundit ſanguinem, & qui fraudem facit mercenario fratres ſunt. Ad litteram ſapiens invehitur in fraudantes mercedem ſuam mercenario, & auferentes panem pauperi in ſudore acquiſitum, & quæ ſunt ei neceſſaria ad victum: dat enim intelligere, quòd iſti iniqui punientur ut homicidæ, quia hoc peccatum clamat ad Deum vindictam, ſicut clamabat ſanguis Abel. Sic Ugo. Myſticè autem docet, quòd Chriſtus eſt mercenarius noſter, qui ſervivit 30. annis pro anima noſtra, & eam redemit ſuo ſanguine: qui igitur defraudat ſua mercede Chriſtum Dominum animæ, vel ipſam auferendo, & dando diabolo; vel alterius animam per ſcandalum; iſte homicida eſt, & veluti crucifixor Chriſti, imo pejor. *Ser.7.Dom.1.Adv.*

482. *Felix qui ædificat ſpiritualiter uſque ad complementum: infelix qui incipit ædificare, & poſtea deſtruit quod ædificatum eſt.*

Unus ædificans, & unus deſtruens, quid prodeſt illis niſi labor? unus orans, & unus maledicens, cujus vocem exaudiet Deus? In his verbis ſapiens docet, quòd non ſufficit incipere fundamenta ædificii ſpiritualis, & perfectionis, niſi etiam perveniatur ad complementum; nam qui benè incipit, & denuo ad vomitum revertitur, deſtruit infeliciter, quod ædificaverat, & eſt veluti ille, qui orat Deum, poſtea in maledictiones contra Deum prorumpit *Luc. c. 14. v. 29. ſer. 1. de S. Anton. in addit.*

483. *Non ſufficit pœnitentiam facere pro commiſſis, ſi non abſtineas à committendis: unde pœnitentia debet eſſe perpetua.* Sic enim hic dicitur: qui baptizatur à mortuo; ideſt qui ſe liberat à peccato ſi iterum ad peccatum redit, quid illi prodeſt? & ſi jejunat pro peccatis, & iterum ad ipſa revertitur, quid proficiet? *Op. ſtim. p. 3. c. 17. Luc. c. 3. v. 6. ſer. 6. in die ciner.*

CAP. XXXV.

484. *Oratio, & Sacrificium Deo charum, eſt obſervantia mandatorum ſuorum.*

QUi conſervat legem, multiplicat orationem: ſacrificium eſt attendere mandatis, & diſcedere ab omni iniquitate, & propitiationem litare ſacrificiis ſuper injuſtitias. Vide quid exigat à nobis Deus, & qualem orationem, & quale ſacrificium: nempe conſervare legem; ideſt corde, ore, & opere, eam obſervare; nam talis obſervantia vicem gerit ſacrificii, & hoſtiæ Deo chariſſimæ, ad expiationem culpæ, ad evaſionem pœnæ, ad obtinendam gratiam, & gloriam: qui igitur obſervat legem Dei, continuè ſacrificium Deo offert. *Pſal. 118. c. 1. v. 6. & c. 11. v. 6. & 13.*

485. *Prælatus exercens juſtitiam cum miſericordia, offert charum ſacrificium Deo.*

Retribuet gratiam, qui offert ſimilaginem: & qui facit miſericordiam, offert ſacrificium. Quid eſt ſimilaginem offerre? ſimilago eſt farina ſubtilis, ſignificatque ſubtilem delictorum cognitionem, quod eſt proprium Prælatorum attendere ad defectus delinquentium ſubditorum, eoſque punire; ſed tamen ut offerant ſacrificium Deo charum, debent & offerre miſericordiam; ſcilicet miſcere miſericordiam cum juſtitia. *Op. Eccl. Hierar. p. 1. c. 1. op. de ſex alis Seraph. c. 7.*

486. *Beneplacitum eſt Domino recedere ab iniquitate, & ab injuſtitia: iniquitas reſpicit Deum, & ipſum peccatum: injuſtitia proximum:* unde qui vult Deo placere, ordinet ſe ad Deum, ad ſeipſum, & ad proximum *Pſal. 118. c. 7. v. 6.*

487. *Cum exultatione Deo offeratur ſacrificium; & hilaritate vultus offeratur eleemoſyna.*

In omni dato hilarem fac vultum tuum, & in exultatione ſanctifica decimas tuas. Ecce quomodò Deus exigit quidem à nobis compunctionem, & pœnitentiam, ſed admixtam cum hilaritate, & exultatione: & hoc etiam in diſtributione eleemoſynæ. *Luc. c. 21. v. 4. ſer. 3. de dedic.*

488. *Deus facillimè exaudit voces, & gemitus perſonæ læſæ, & Viduæ, & pupillorum.*

Non accipiet Dominus perſonam in pauperem, & deprecationem læſi exaudiet: & non deſpiciet preces pupilli, & viduæ. &c. Attendant hæc potentes, & Judices, & caveant ab oppreſſione injuſtâ pauperum, & pupillorum, & viduarum; nam ipſorum gemitus penetrant ad Dei aures, & facile eos exaudit. *Luc. c. 18. v. 4.*

489. *Oratio cum humilitate, & puritate facta Deo, Angelis, Sanctis, eſt ipſi oranti ſuavis, & efficaciter impetrat.*

Qui adorat Deum in oblectatione, ſuſcipietur, &c. & oratio humiliantis ſe, penetrat nubes. Vide effectus orationis fuſæ cum humilitate, puritate, & fervore ad Deum: nam de ipſa valdè oblectatur Deus cum Angelis, & ſanctis, quia ad Cœlos penetrat. *Ser. 5. de uno Confeſſ. ſer. 2. de rector. in addit.*; dicitur autem, quòd penetrat nubes, quia facit pluere gratiam in animam. *ſer. 3. Dom. 16. Pentec.* Tum etiam quia impetrat quicquid petitur. *Pſal. 118. c. 9. v. 4. op. reg. Novit. c. 2. Luc. c. 9. v. 38. c. 15. v. 19. c. 18. v. 13. c. 2. v. 42.*

490. *Judices ad imitationem Dei, cognitis meritis cauſarum, maximè pauperum, ſine mora abſolvant Innocentes, & puniant reos.*

Sic enim dicitur de Deo: Dominus non elongabit, ſed judicabit juſtos, & faciet judicium: & fortiſſimus non habebit in illis patientiam. Hocque dicitur, non quòd Deus non expectet peccatores; ſed quia imminente tempore opportuno judicii ſtatim ad ſententiam venit, & ad executionem; quodque inculcatur judicibus, & maximè in cauſis pauperum; nam dilatio ſententiæ ipſis ſæpe eſt ad maximum præjudicium. *Op. Eccleſ. Hier. p. 2. c. 2. Luc. c. 18. v. 7.*

491. *Præſervatio à peccatis eſt unus ex effectibus præcipuis, & maximus divinæ miſericordiæ: unde de tali dicitur.*

Specioſa eſt Dei miſericordia in tempore tribulationis, ſicut nubes pluviæ in tempore neceſſitatis. O quam ſpecioſa eſt divina miſericordia, quando homo in tempore ſiccitatis, & tribulationis, & tentationis, periculique præſervatur à Deo à lapſu: & hinc ſuper omnes ſpecioſam hanc miſericordiam experta eſt Maria virgo, dum in tempore tribulationis, quando omnes

Google

naſcebantur Filii iræ, ipſa præſervata fuit ab omni lapſu tam originali, quàm actuali: hoc enim eſt maximum ſuper omnia alia beneficium Dei. *Pſalm.* 118. *cap.*6. *verſ.* 8. *ſerm.*1. *&* 2. *de B.Virgine.*

CAP. XXXVI.

492. ***Oratio ſervorum Dei ordinanda eſt ad impetrandam divinam miſericordiam, ad hoc ut manifeſtetur ejus divina potentia, ſapientia, & bonitas.***

MISERERE noſtri Deus omnium, & reſpice nos. & oſtende nobis lucem miſerationum tuarum, & immitte timorem tuum ſuper gentes, quæ non exquiſierunt te; quia non eſt Deus niſi tu, ut enarrent mirabilia tua. Nota, quod cum ſupra dixerit ſapiens, quòd oratio humiliantis ſe penetrat nubes; hic autem in praxi exhibet orationem faciendam Deo, & proponit motiva, quibus excitanda eſt anima ad Deum exorandum: nempe quia miſeria noſtra eſt maxima, ideo indiget divina miſericordia ſublevante: petit & timorem ſuum; quia hæc omnia manifeſtant Dei potentiam, ſapientiam, bonitatem, veritatem, aliaque attributa: hinc proponit hoc ultimum motivum, tamquam finem principalem, quo anima ad Deum recurrere habet in oratione, ad hoc ut omnia referantur ad Dei gloriam. *Luc.c.*18.*v.*13. *c.*9.*v.*39. *Pſal.*118. *c.*5 *v.*13.*c.*9.*v.*4.*c.*1.*v.*2.

493. ***Chriſtus manus eſt Patris, qua facta ſunt mirabilia.***

Oſtende nobis lucem miſericordiæ tuæ, &c. Innova ſigna, immuta mirabilia tua, glorifica manum tuam, & brachium dexterum. Nota, quòd hic ſapiens petit adventum Chriſti, ejuſque incarnationem, & prodigia inde conſequentia prædicit: Chriſtus enim eſt lux, ſcilicet ſapientia æterna divinæ miſericordiæ: eſt & manus omnipotentis Dei, per quam operatur cuncta & per quam reparat univerſa; & ideo dicit: glorifica manum tuam: Ex quibus dat intelligere, quòd tot miracula, quæ facta ſunt in Mundo, facta ſunt à Deo per Chriſtum: & fit præcipuè alluſio ad miraculum baptiſmi in Iordane, ad tranſmutationem aquæ in vinum: quæ omnia ad ſpiritualem ſenſum referri debent: ait igitur: innova ſigna; ſcilicet tu qui Jordanem fluentem retrorſum mirabiliter converiſti: immuta mirabilia tua; ideſt aquæ litteralis intelligentiæ mandata Dei patrum, vel nihil exequentis in uſum ſpiritualis intelligentiæ, ut Creatori obediatur ſecundum intentionem præcipientis: glorifica manum, & brachium dexterum per oſtenſionem præeminentis potentiæ in ſubita tranſmutatione naturæ obedientis, ut timeant, qui habitant terminos terræ à ſignis tuis; ut cognoſcant quoniam tu ſolus Altiſſimus ſuper omnem terram cujus voluntati nihil poteſt reſiſtere. Ad hanc manum Dei Patris igitur recurramus, ut in nobis innovet hæc mirabilia. *Ser.*1. *Dom.*2. *poſt oct.epiph.Luc.c.*13.*v.*13.

494. ***Conceptio Chriſti Ieſu in utero Mariæ eſt maximum omnium miraculorum Dei.***

Oſtende nobis lucem miſericordiæ tuæ, ſcilicet incarnationem verbi divini, &c. innova ſigna, &c. Nota, quòd ad expoſitionem Incarnationis dominicæ, quam ſuppliciter petit ſapiens, rectè tranſit ad proponenda ſigna, & mirabilia, ut videas, quòd inter omnia mirabilia opera Dei, & ſigna magna, maximum omnium & cætera omnia continens, eſt incarnatio Verbi in utero Virginis Mariæ, abſque opere virili, ſed pure operante Spiritu Sancto. *Luc.c.*1.*v.*36.*l.*3.*d.*3.*p.*2.*a.* 3.*q.*2. *op. Comp.Theol.l.*4.*c.*10.

495. ***Diaboli afflictio maxima eſt obſervantia mandatorum Dei.***

Extolle adverſarium, affige inimicum. Quid eſt quòd petit hic ſapiens, & anima à Deo? ergone petimus, quòd Deus extollat adverſarium, & non potius deprimat? Sed attende, quòd extollere, eſt extra tollere; petimus, ut extra noſtram Spheram tollat diabolum, & ab ipſo nos liberet: & ulterius petit, ut nobis concedat ipſum affligere: & quomodo? hoc fit implendo præcepta, declinando prohibita, ſperando promiſſa, & timendo comminationes: ergo modus affligendi diabolum eſt obſervare præcepta Dei. *Luc.c.*12. *in fine.*

496. ***Chriſtus, ut facilius traheret nos ad ſe promittit mercedem æternam ipſi ſervientibus; & fidejuſſores conſtituit prophetas, Apoſtolos, & Sanctos: unde hic dicit Sapiens.***

Da teſtimonium, &c. da mercedem ſuſtinentibus te. ut prophetæ tui fideles inveniantur, ideſt in promiſſionibus ſibi factis. Nota illud verbum da mercedem, nempe debitam operibus noſtris, ad quod habemus Apoſtolos, & Prophetas fidejuſſores, ut excitemur ad debitam fidem. *ſer.*3. *Dom. ſeptuag.Pſal.*118.*c.*2.*v.*5.*Luc.c.*1.*v.*70.

497. ***Euchariſtia ſumenda eſt magis in ore cordis quàm in ore Corporis, ubi de ejus excellentia, & verbi Dei.***

Omnem eſcam manducabit venter: & eſt cibus cibo melior. Quid eſt manducabit venter omnem eſcam? ergone venter, & non potius os manducat? maximè, loquendo de cibo, qui eſt omnis eſca, & melior omni cibo, & quis? hic eſt panis de Cœlo deſcendens, ſcilicet Euchariſtia: diciturque omnis eſca, quia omne delectamentum ſuavitatis continet, eſtque melior omni cibo: & hoc eſt diſcrimen inter hunc, & cæteros cibos, quod iſte ſumi debet ore ventris, ſcilicet interioris, & cordis, & viſcerum amoris: ſic *D.Bonav.cum Ugone aliiſque Patribus.* Nota etiam, quod hoc poteſt exponi de verbo Dei. *Ioan.collat.*33.

498. *Pœnitentia eſt ſepes defendens vineam animæ à direptione diaboli.*

Ubi non eſt ſepes, diripietur poſſeſſio. Quid ſepes, quid poſſeſſio? poſſeſſio eſt anima, vel vinea Domini, quæ ſi erit ſine ſepe, expoſita etiam remanebit direptioni beſtiarum; at ſi munita erit ſepe, ideſt pœnitentiâ, quæ eſt ſepes fortiſſima, ſecura erit à peccatis, & beſtiarum feritate. claude igitur animam tuam hac ſepe, & eris ſecurus. *Op. Diat. tit. 2. c. 1.*

499. *Ubi non eſt bonus Prælatus, ibi direptio erit vineæ.*

Ubi non eſt ſepes diripietur poſſeſſio; ſcilicet ubi non eſt bonus Prælatus regens, & defendens vineam à beſtiis infernalibus, & peccatis, & lapſibus diripietur poſſeſſio, & vinea. Væ igitur vineæ carenti tali ſepe. *Eccleſ. c. 10.*

500. *Protectio Angelorum, & Sanctorum eſt ſepes defendens vineam Dei.*

Ubi non eſt ſepes: ideſt protectio Angelorum, & Sanctorum diripietur poſſeſſio: quia iſti muniunt, & defendunt vineam Eccleſiæ, locorum, & animarum. *Luc. c. 20. v. 8.*

CAP. XXXVII.

501. *Amicus verus, & falſus quis: ubi de legibus amicitiæ veræ, & falſæ.*

OMNIS *amicus dicet: & ego amicitiam copulavi: ſed eſt amicus ſolo nomine amicus: nonne triſtitia ineſt uſque ad mortem? ſodalis autem & amicus ad inimicitiam convertentur.* Nota, quòd in his, & ſequentibus verbis docet ſapiens quis ſit amicus verus, & quis doloſus; amicus re, & amicus ſolo nomine, & verè inimicus: nam amicitiæ veræ leges ſunt idem velle, & idem nolle in rebus honeſtis; & omnia bona, & mala ad invicem communicare; & communia facere in bonum; eſtque dilectio proximi propter bonum ipſius proximi, & pars juſtitiæ; & ideo non inter bona fortunæ, ſed inter honeſta collocanda; & hinc aut eſt beatitudo aut non ſine beatitudine. E contra amicus fictus & doloſus, eſtque eorum, qui ſolum ad bona fortunæ adſpiciunt, & qui aliquod utile expectant: qui tibi blanditur, ut ad tempus placeat, & à te aliquid rapiat; iſte non eſt verus amicus. *Ser. 10 de Apoſtol. Luc. c. 6. v. 32. c. 14. v. 12. l. 1. d. 48. q. ult. op. Centil. p. 3. ſec. 44. ſer. 1. & 2. de S. Barthol.*

502. *Quàm præſumptuoſa ſit amicitia ficta, & doloſa.*

O præſumptio maxima; unde creata es operire aridam malitiâ? Verè maxima præſumptio amici ficti, & doloſi, qui malitiam intus exiſtentem cooperit, & foris verba dulcia promit: verè maxima eſt hæc præſumptio imo malignitas quæ cooperit animæ malitias; *Luc. capit. 6. verſ. 8. cap. 14. verſ. 4. Opuſ. Apol. paup. reſp. 2. & 3.*

503. *A malis conſiliariis cavendum, & ipſis abſconde tua interna, ne ab ipſis decipiaris.* Sic monet hic ſapiens. *Pſal. 118. cap. 1. verſ. 1. Luc. cap. 23. v. 51. & c. v. 1. & op. Diat. tit. 6. cap. 2. Ecclen. c. 4.*

504. *Conſilium viri juſti, licèt pauperis, ut plurimum ſalubrius, quàm omnium ſapientum hujus Mundi: unde dicitur hic: Anima viri Juſti annunciat aliquando vera, quam ſeptem circumſpectores ſedentes in excelſo ad ſpeculandum.* Patet hoc in B. P. Franciſco, qui licèt pauper, & abjectus, monuit principes Chriſtianos ne pugnam inirent cum ſaracenis ſub civitate Damiatæ; quod monitum deriſerunt, tamquam contrarium omnibus legibus rationis, ſed eventus fecit innoteſcere ſupradictam veritatem. Quare Principes aliquando à viris bonis deberent ſumere conſilium, cum ipſis ſæpe aſſiſtat Spiritus Sanctus. *Op. Legenda S. Franciſ. c. 11.*

505. *Quomodo dirigere poſſumus vias Domini, & rectas facere ſemitas ejus.*

Deprecare Altiſſimum, ut dirigat in veritate viam tuam: ante omnia opera tua verbum verax præcedat te. Quid eſt dirigere in veritate viam? Hoc eſt opera juſtitiæ recta facere in veritate; ſcilicet rectè, & integrè confiteri peccata coram Deo; hoc enim eſt dirigere vias Domini, rectas facere ſemitas ejus: Ideo deprecare Deum toto cordis ardore in oratione ferventi, ut dirigat in veritate viam tuam per pudorem confeſſionis, ne aliquid per pudorem mendosè reticeas, ſed in veritate peccata tua recognoſcas, & agnita per ſalubrem confuſionem dicas. *Pſal. 118. c. 1. v. 5.* Et hinc addit: *ante omnia opera tua verbum verax præcedat te:* ideſt lingua exprimat, quod conſcientia ſentit; quia veracitas eſt eſſentialis confeſſioni. *l. 4. d. 21. p. 2. a. 1. q. 2.*

506. *Veritas quàm Deo chara: Mendacium quàm exoſum.*

Ante omnia opera tua verbum verax præcedat te. Nota, quòd dicit: ante omnia opera, ut videas, quòd veritas eſt quæ dirigit noſtra omnia opera in Deum: ſicut è contra, mendacium nos unit diabolo: & ratio eſt, quia ſicut Verbum divinum eſt verbum verax, & ſapientia Patris, per quod omnia facta ſunt; ſic & in nos veritas ſit, quæ dirigat nos in omnibus operibus noſtris, ut à corde procedat illuminatio ad os, & hinc ad omnia opera. Caveamus igitur ab omni mendacio, quod eſt à diabolo, qui eſt Pater mendacii, & veritatem amemus in omni vita noſtra. *Op. ſpecul. diſcip. p. 1. c. 20. Ioan. collat. 1. ſer. 1. Hexam. Eccleſ. c. 12. in ſup. c. 6.*

507. *Qui alios decipere intendit, juſto Dei judicio ipſe defraudabitur & à Deo privabitur cognitione veraci: Dicit enim hic ſapiens.*

Qui ſophiſticè loquitur, odibilis eſt. Scilicet Deo, & hominibus: qui loquitur ſophiſticè, ſcilicet ad decipiendum alios, & in omni re defraudabit: omni ſapientia à Deo defraudabitur. *Ioan. c.2.v.23. Vgo hic.*

508. *Prælatis ſumma diſcretio, & circumſpectio neceſſaria in regendo ſubditos, & in imponendo eis obſervantias, & in exigendo ab eis ſervitia:* nam non omnia omnes poſſunt, ait ſapiens *c.17. & hic;* non enim omnia omnibus expediunt, & non omni animæ omne genus placet, ſcilicet, vel voluntatis, vel actionis vel vivendi: & hinc aliquibus Eccleſia permittit poſſeſſionem rerum temporalium, ut Eccleſiaſticis, quod jam vetitum erat; aliis ut religioſis obſervantibus eam vetat. *Op. expoſit. reg. c.5. de ſex alis ſeraph. c.4.6. & 7.*

509. *Crapula, & ciborum ſuperfluitas damnatur: Abſtinentia laudatur.*

In multis eſcis erit infirmitas &c. propter crapulam multi obierunt: qui autem abſtinens eſt, adjiciet vitam. O quàm hoc eſt verum, & continua experientiâ patet ex ſuperfluitate ciborum, ex crapulaque oriri plurimas infirmitates corporales, & ſpirituales, & plurimis obtruncari vitam corporalem, & ſpiritualem: nam ſicut in corporalibus ſuperfluitas eſt cauſa omnis ægritudinis, quia inde provenit corruptio humoris naturalis, & ſuperfluitas innaturalis, & diſtemperantia complexionis, & defectus regiminis ſpirituum, & potentiarum animalium, & hinc infirmitates: ſic ex ſuperfluitate, & diſtemperantia affectuum, & defectu regiminis partis ſuperioris animæ oritur infirmitas, & mors, quæ eſt peccatum, præcipuéque luxuria, & mors, ſcilicet naturæ, culpæ, & inferni gehennæque. E contra verò abſtinentia eſt virtus elongans vitam corporalem, & ſpiritualem, & plurimos effectus bonos gignens animæ, & corpori. *Op. Diet. tit. 1. c.8. & tit. 2. c.6. Ioan. collat. 24. & op. regul. Novit. c.6. Comp. Theol. l.4. c.20.*

510. *Abſtinentiæ laudes iterum proponuntur; & ſimul cautela in ipſa obſervanda.*

Qui autem abſtinens erit, elongabit vitam. Nota, quòd dicit: abſtinens elongabit vitam: ergone ſolùm ad elongandam vitam abſtinentia fovenda? nonne hoc eſt præfigere finem temporalem huic cæleſti virtuti? ſed attende, quod abſtinentia ordinatur ad elongandam vitam; ſed quam vitam? forſan hanc temporaneam, quæ eſt veluti continua mors, & cum morte mixta? minime quidem, licet etiam conferat mirabiliter ad hanc vitam prorogandam, ut patet experientiâ; & ideo gentiles Philoſophi, qui ſolùm adſpiciebant hanc vitam corporalem, nec aliam æternam expectabant, valde abſtinentes erant, ut notavit. *S. Hieronym. & S. Bonav. ſer. de S. Petro ad vincula:* attamen vita, quam expectare debemus eſt æterna, ad quam per ſobrietatem, & abſtinentiam à crapula, & ebrietate, & ex conſequenti à laſciviis, & voluptatibus terrenis ſancti pœnitentes aſcenderunt. *Ser. 2. de omnib. ſanct.* Meritò ergo hæc ſublimis virtus in maxima erat exiſtimatione, & fuit ſemper apud ſanctos, & luce cæleſti illuminatos; & apud Deum ſummè chara; nam ſicut ex defectu hujus abſtinentiæ Adam & Eva ceciderunt, & ruinam toti mundo paraverunt; ſic è contra hæc virtus homines angelicos reddit, nec umquam aliquis ad culmen perfectionis aſcendit, niſi prius devicerit in ſemetipſo carnem, gulam, luxuriam, cæteraque vitia; & hinc eſt quòd ſancti tam diligenter, & continuè carnem ſuam crucifigebant jejuniis, & abſtinentiis, ut edomata carne, ſpiritus eſſet ſuperior. Et hæc cum veriſſima ſint, tamen accipe hanc cautelam D. Auguſtini, & D. Gregorii: cum cibus in culpa non ſit, ſed vitium, ideo quod locis, & tempori, & perſonis conveniat diligenter attendendum: fieri enim poteſt, ut ſine aliquo vitio cupidinis, vel voracitatis, pretioſiſſimo cibo ſapiens utatur; inſipiens autem fœdiſſimæ gulæ flammam in viliſſimum cibum ardeſcat, & ſanius quiſque maluerit, more Domini, piſce veſci, quàm lenticulâ, more Eſaü, aut hordeo more jumentorum: Unde lautiores cibos plerumque ſine culpa ſumimus, & abjectiores non ſine reatu conſcientiæ deguſtamus; Vnde Eſaü primatum per lenticulam perdidit; & Elias in Eremo, carnes edendo, virtutem corporis ſervavit: ſic & primus homo, non carne, ſed pomo cecidit, & Chriſtus, non carne, ſed pane tentatus eſt. Hæc diligenter notanda, & ſapienter acceptanda, veluti, ut dicitur cum grano ſalis. *Op. Apol. paup. reſpon. 2. c.2. & 3.*

CAP. XXXVIII.

511. *Quali honore medici honorandi.*

HONORA *Medicum propter neceſſitatem, etenim illum creavit Altiſſimus. A Deo eſt omnis medela, & à rege accipit donationem.* Nota illud verbum: *propter neceſſitatem:* dat enim intelligere ſapiens, quòd medicina, & medicus à Deo ſunt poſiti in Mundo propter neceſſitatem infirmitatis: addit: honora illum; quali honore? honora, ſcilicet non honore ſermonum, ſed munerum; ſicut illa mulier *Luc. c.8.* omnia erogaverat in medicos, & ideo eos honoraverat, erogando omnia, quæ habebat, quia unicuique debetur ſua merces. Sed notent tamen medici, quòd non poſſunt vendere ſuam artem, ſed laborem, & prætendere mercedem pro labore tantùm, quòd advertit. *Vgo Card. hic S. Bonav. in Luc. c.8. v.43.*

512. *Medici corporales inſtruuntur in ſua arte.*

A Deo omnis medela, &c. Diſciplina medici exaltabit caput illius, & in conſpectu magnatorum collaudabitur. Ecce qualia ſunt munera, & obligationes medicorum, qui inſtruuntur, quòd à Deo ſolo eſt medela; & quòd ipſi diſciplinam in ſe debent exercere: nempe in ordine ad Dei potentiam, ut Diſcipuli Chriſti, vel ut chriſtiani; &

& ex parte infirmi in ordine ad naturam abſtractam, ſcilicet ſecundum ſe, & non ut concretam cum infirmitate: nempe à Deo debent petere, & expectare medelam, & effectus pretioſos ex medicina parata, & exhibita ad coadjuvandam naturam: debent item & curare diſciplinam in infirmo; ideſt ut primo purget conſcientiam per pœnitentiam; quia ſæpe ob peccata immittuntur à Deo infirmitates, ſicquè ut ceſſante cauſa, ceſſent & infirmitates; & in hoc peccaverunt illi medici, qui curare conati ſunt illam mulierem, quæ erogaverat omnia in medicos, & ideo venit Chriſtus ad ipſam curandam ſuâ potentiâ, & pietate. O ſi medici id obſervarent, quot bona reportarent, & ſpiritualia, & temporalia, qua facilitate, & ſecuritate majori curarent infirmos. *in Luc. c. 8. v. 44. l. 4. d. 5. a. 3. q. 1. ad 2. & ſerm. 3. Dom. 5. Pent.* unde infra ſubdit textus: Medici Dominum deprecabuntur, ut dirigat requiem eorum, & ſanitatem propter conſervationem illorum.

513. *Medicus Chriſtus infirmitatum ſpiritualium, & corporalium.*

Honora medicum propter neceſſitatem; etenim illum creavit Altiſſimus. Nota, quòd propriè hoc nomen competit Chriſto, qui eſt verus medicus à Patre miſſus ad curandũ infirmitates noſtras maximas, & corporales, & ſpirituales: magnus quidem medicus venit, quia magnus in terra jacebat infirmus. *in Luc. c. 8. v. 43. & 44. & c. 4. v. 23. & c. 5. v. 31.*

514. *Medicina multiplex corporalis, & ſpiritualis præparata nobis à Deo.*

Altiſſimus de terra creavit medicinam.] De terra ſcilicet producere faciens herbas, aliaque neceſſaria ad medicinam conficiendam: dicit medicinam in communi; quia in particulari multiplex eſt, ſcilicet præſervativa, curativa, conſervativa, confortativa, reſtaurativa, ſeu corroborativa, & meliorativa: & quia medicus Chriſtus de cælo venit ad conficiendam multiplicem medicinam pro infirmitatibus hominum, ideo ſacramenta inſtituit, quorum alia ſunt curativa, alia præſervativa, alia confortativa, corroborativa, & meliorativa. *L. 4 d. 2. dub. 1. & d. 26. p. 1. a. 3. qu. 2. ad 4. & op. ſtim. div. amo. p. 1. c. 1.*

515. *Chriſtus medicus ſeipſum fecit noſtram medicinam, & virtutem abſcondit, & expoſuit in vulneribus ſuis.*

Altiſſimus de terrâ creavit medicinam. Quomodò Chriſtus de terra creavit medicinam? de terrâ, ſcilicet de ſua humanitate, & ſeipſum fecit medicinam; & ideo nomine terræ; ideſt humanitatis veniunt omnia ingredientia ad confectionem medicinæ; quia in humanitate Chriſti ſunt caro, ſanguis, corpus, & anima, mortalitas, & vita, humanitas, & divinitas, per quæ facta eſt confectio medicinalis pro noſtris infirmitatibus, & ipſam repoſuit in vulneribus ſui corporis. *Op. ſtim. cit. & l. 4. in prol. ſer. 1. Dom. infra oct. Nat. & ſer. 7. Hexam.* Et hinc exclamans S. Doctor, ait: venite ergo ad vulnera Chriſti, & ibi habebitis medicinam curativam, conſervativam præſervativam, & confortativam. *Op. ſtim. cit.*

516. *Chriſtus unguentarius confecit pro nobis in ſacramentis pigmenta ſuavitatis, & medicamenta ſanitatis.*

Vnguentarius conficiet pigmenta ſuavitatis, & unctiones ſanitatis, & non conſumabuntur omnia opera ejus. Quis eſt iſte unguentarius? Hic eſt Chriſtus Jeſus; qui è Cœlo venit noſter medicus, & unguentarius ad conficiendum pigmenta ſuavitatis, & ſanitatis: & qualia ſunt iſta? & quomodò facta? ſed vide artem mirabilem hujus artificis: Hæc ſunt ſacramenta Eccleſiæ, quæ ſunt & pigmenta ſuavitatis, & medicamenta ſanitatis: nihil enim aliud exigit infirmus, niſi quòd medicamenta habeant ſuavitatem in uſu, & efficaciam in effectu; & in hoc eſt laus perfecta tam medicamenti, quam medici; quia omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci: ſunt autem iſta medicamenta redolentia ſuavem odorem reſpectu Dei, quia Deum placant, & propitium reddunt, & impetrant gratiam, & veſtiunt hominem expoliatum gratiâ: & ſunt unctionis ſanitatis; quia hominem infirmum ſua curant virtute, & ſic reparant naturalia. *L. 4. prolog. ſer. 3. & 4. Dom. 12. Pentec.*

517. *Nomen Ieſu pigmentum ſuavitatis, & unctio ſanitatis, & medicina.*

Vnguentarius conficiet pigmenta ſuavitatis, & unctiones ſanitatis. Si hoc fecit Chriſtus; in quo vaſculo repoſuit hoc medicamentum? In vaſe nominis Jeſu; de quo dicitur cant. 1. oleum effuſum nomen tuum: lucet enim, paſcit, & ungit: lux, cibus, medicina: lucet enim per ipſum fides in univerſo mundo; & per ipſum vocavit nos in admirabile lumen ſuum: eſt & cibus (ſcilicet pigmentum ſuavitatis) virtutem enim cogitantis impinguat, exercitatos reparat ſenſus, virtutes roborat, vegetat bonos mores, caſtas fovet affectiones: ideo aridus eſt animæ cibus, ſi non oleo iſto conditur, inſipidus, ſi non hoc ſale conditur: Jeſus mel in ore, in aure melos, in corde jubilus; eſt & medicina: nam ad exortum hujus nominis nubilum omne triſtitiæ diffugit, redit ſerenum: & ſi aliquis labitur in mortem peccati, ad invocationem hujus nominis, ſtatim reſpirat ad vitam; aufert & duritiam cordis, ignaviam, torporem, rancorem animi; languorem acediæ, fiduciam præſtat, depellit mortem in periculis palpitanti, & trepidanti: eſt ergo omnis medicina, & corporis, & animæ. *Op. meditat. c. 100. Pharet. l. 1. c. 2. & in Ioan. collat. 84.* In hoc vaſculo Jeſus incluſit miſericordiam ſalvantem, & ſanantem omnia vulnera noſtra: unde & habet virtutem ſanandi infirmitates non ſolùm ſpirituales; ſed etiam corporales: ad hanc recurrunt pauperes, & divites, & omnes, ut medicinam eruant pro omnibus infirmitatibus, etiam inſanabilibus. *Sic D. Thom. in opuſc. & S. Bernardinus de nomine Ieſu & in Luc. cap. 5. verſ. 15.*

518. *In Apotheca vulnerum ſuorum præcipuè lateris, concluſit Dominus omnia medicamenta.*

Unguentarius conficiet pigmenta &c. Sed in qua Apotheca hæc pigmenta, & medicamenta collocavit? Hæc repoſuit in ſuis vulneribus, præcipuè in latere ſuo Chriſtus Jeſus. Intra ergo in hæc vulnera, ô anima, & ibi invenies medicamentum quodcumque tibi neceſſarium, & omnes infirmitates tuas curabis. *Op. ſtimul. div. amo. p.1.c.8.*

519. *Anima invitatur ad conficiendum pigmentum ſuavitatis, & ſanitatis unguentum.*

Unguentarius conficiet pigmenta &c. Quis unguentarius? Hæc eſt anima, quæ ad imitationem Magdalenæ conficit unguenta ſuavitatis, & ſanitatis, ſcilicet contritionis, devotionis, & pietatis primum pungit: ſecundum lenit; & tertium ſanat: primum conficitur ex viliſſimis ſpeciebus, quæ ſunt peccata noſtra, quæ creſcunt in horto noſtro; ſed confectum cum aqua compunctionis, & lachrymarum eſt pretioſiſſimum: unguentum pietatis in proximum conficitur ex ſpeciebus amariſſimis, ſcilicet miſeriis proximorum, quæ creſcunt in horto vicino: unguentum devotionis ex ſpeciebus ſuaviſſimis, ideſt ex omnibus Chriſti beneficiis, quæ creſcunt in horto dominico hæc unguenta ad ſepulturam Chriſti portanda. *Luc. c.23. in fine Ioan. collat. 84. & 55.*

520. *Homo infirmus primò ad Deum recurrat.*

Fili in infirmitate tua ne deſpicias te ipſum, ſed ora Deum, & curabit te. Nota hoc conſilium Spiritus ſancti ad infirmum directum: ne te deſpicias (ait textus) cum fueris gravatus infirmitate: ſed quid illi faciendum eſt? ad Deum recurrere: ergone ſolùm ad Deum? nonne ſupra proponit medicum curantem infirmitates? optime, ſed hoc faciendum eſt ordinatè; primò recurre ad Deum, ipſi confitere peccata tua, ut ſi ob ipſa afflictus fueris, ceſſante causâ, ceſſet infirmitas, poſtea recurre ad medicum corporalem: & adverte, quòd non ſemper, & ſtatim tenetur homo recurrere ad medicos, & maximè cum aliis mediis ſperat poſſe recuperare ſanitatem, ſed ſemper ad medicum ſpiritualem debet homo recurrere. *Ser. 3. Dom. 5. Pent. ſer. 1. Dom. 20. Pent. in Luc. c.5. v.14.*

521. *Sacrificium miſſæ, & Euchariſtiæ qualiter offerendum: ubi de oratione Deo facienda.*

Da ſuavitatem, & memoriam ſimilaginis, & impingua oblationem, & da locum medico. Qualis eſt hæc ſuavitas, & memoria ſimilaginis & oblatio inde conſequens, quæ debet impinguare? Nota, quòd nomine ſimilaginis venit vel farina puriſſima, vel panis pretioſus; & ideo ſignificatur ſacrificium miſſæ, & Euchariſtiæ oblatio: eſt enim ſacrificium Deo ſuaviſſimum, & memoriale paſſionis Chriſti. Hoc ſacrificium ut Deo ſit charum, debet impinguari, ſcilicet devotione, ſicut & quælibet oblatio ſpiritualis; quia hac immolatione exercetur ad Deum maxima perfectio, quia eſt oblatio pura, placida, & plenaria: pura, quia ibi offertur idem corpus, & ſanguis, & Chriſtus, qui in cruce fuit oblatus: placida, quia medium eſt efficaciſſimum ad placandum Deum: plenaria, quia ibi totus Chriſtus offertur Deus, & homo. Si igitur offerre volumus dignè in odorem ſuavitatis, debemus oblationem hanc impinguare fide, charitate, & devotione, ut in ipſum transformemur: & ſic da locum medico; quia Chriſtus per hoc ſacramentum curabit infirmitates tuas. *Op. Brevil. p.6. c.9. & de ſex alis Seraph. c.*88. ubi docet, quòd omnis noſtra oratio, & oblatio debet impinguari devotione, ut Deo gratior fiat. *& in Luc. c.8. v.2.*

522. *In manus medici vel cæleſtis, vel infernalis neceſſario incidit homo.*

Qui delinquit in conſpectu Domini, incidet in manus medici. Ergo neceſſariò omnis peccans incidet in manus medici: nonne multi moriuntur ſine manu medici: ſed attende, quòd duplex medicus eſt, alius è cælo venit, alius ex inferno: ille eſt Chriſtus, iſte eſt diabolus, & neceſſariò in manus vel unius, vel alterius incidere oportet. Nota autem, quòd differenter iſti curant ſuos infirmos: Chriſtus enim medicus cæleſtis in manibus tenens infirmum, artis ſuæ peritiam probat: primò ſtupida membra diu palpando, ad ſenſum revocat, & tactu levi dolentia membra, & vulnera tangendo ad ictum confirmat, deinde ſecat; quodque facit conquerendo, increpando, percutiendo, & affligendo: deinde ungit per conſolationem, poſtea ligat per præcepta, tandem fovet ad plenam ſanitatem reparans, ſcilicet per gratiam, & orationem: diabolus è contra extendit manum per ſuperbiam, elidit per invidiam, diſſipat per iracundiam, & dilaniat per cordis impatientiam, & tandem in infernum ipſum detrudit: unde lenit delectationes exhibendo, multa bona promittit, ut occidat, & damnet. *Ser. 2. de S. Matthia in Pſalm. 118. v.161. in Luc. c.9. v.40.*

523. *Officium funeris ad corpus mortui ſuadetur.*

Fili in mortuum produc lachrymas, & quaſi dira paſſus incipe plorare, & ſecundum judicium contege corpus illius, & non deſpicias ſepulturam illius. Vide quomodò ſuadet ſapiens hoc officium pietatis, ſcilicet comitari mortuos ad ſepulturam, & de eorum morte plorare, & tandem ſepulturæ eos tradere: hoc enim eſt opus miſericordiæ, per quod exercetur humilitas, & pietas; & eſt Deo valde charum. *in Luc. c.9. v.59. & c.23. v.55.*

524. *Mortuus in peccato mortali, licet vivens plangendus.*

Fili in mortuum produc lachrymas. Ad quid flendum? quia mortuus eſt, vivens in peccato mortali; verè enim exiſtens in peccato mortali, mortuus eſt ſpiritualiter Deo; & ideo plangendus; & Deus orandus eſt pro ipſo: eſt enim hoc opus maximum pietatis. *in Luc. c.8. v.52. & ſer. 3. de mortuis in addit.*

525. *Celebratio memoriæ ſepulturæ Chriſti, & modus hic traditur.*

Fili in mortuum produc lachrymas. Quaſi diceret: plange fortiter mortem Chriſti tui Salvatoris, & ne deſpicias ſepulturam ejus: & trade ſepulturam ſpiritualiter corpori Chriſti; ſcilicet ipſum ſepeli in horto tui cordis, floribus virtutum referto. *Ioan.c.19.& collat.86.Luc.c.23. v.55. & 28.*

526. *Diabolus qualem ſtragem afferat animæ exiſtenti in peccato.*

A triſtitia feſtinat mors, & cooperit virtutem, & triſtitia cordis flectit cervicem. Quomodò à triſtitia venit mors? mors venit ex infirmitate, non à triſtitia? Sed attende, quòd per triſtitiam intelligitur fons triſtitiæ, qui eſt diabolus, cujus impulſu venit in animam mors peccati mortalis: quo exiſtente, ecce quòd diabolus hanc animam privat omni virtute, elidens eam per invidiam, & ſuperbiam, diſſipans per iracundiam, quæ omnes cogitationes conturbant, & dilaniant per cordis mœſtitiam, & per has dilaniatur in conſcientia: O peſſimus habitator: infelix anima exiſtens in peccato mortali: *Luc.c.9.v.40.*

527. *Caveat homo diligenter à diffidentia, & cuſtodiat confidentiam in Deum.*

A triſtitia feſtinat mors; &c. ne dederis in triſtitia cor tuum; ſed repelle eam à te: & memento noviſſimorum tuorum. Quomodo prætendit ſapiens, quòd homo repellat à ſe triſtitiam, & ut repellat eam, vult ut recordetur noviſſimorum, ſcilicet mortis, & judicii? cum hæc ſint materia propria ad ingerendam cordi triſtitiam? ſed optimè id dicit: prætendit enim, ut à corde repellatur triſtitia illa, quæ oritur à diffidentia in Deum; ſed ut armet cor confidentiâ verâ in ipſum Deum, exhortatur, ut meminerit mortis, & judicii, ut ad Deum recurrat toto corde, & fide. *Pſal.118.c.1.v.16.*

528. *Homo mortuus proponitur viventi tanquam ſpeculum, in quo iſte videat ſeipſum, & audiat ejus prædicationem.*

Memor eſto judicii mei, ſic enim erit, & tuum; mihi heri, & tibi hodie. Vide quomodo hic ſapiens introducit in medium hominem mortuum loquentem cum vivente; ſed quomodo mortuus loquitur? ô ſalubris locutio? mortuus homo proponitur contemplandus à vivente, ut videat veluti in ſpeculo ſeipſum, ſuamque miſeriam dicens mihi heri, tibi hodie: q.d. memor eſto quòd mors te expectat; quòd mortem in humeris portas, quòd ad mortem, & ad ſepulchrum curris velociſſimè quòd mors ſeparabit te à voluptatibus, à riſu, à vita mortali, quòd ſicut ego ſubii judicium Dei, ſic & tu quam citò ſubibis idem judicium, & ideo ad finem tuum ſemper oculos mentis fixos habe: ô felix qui ad hoc ſpeculum ſemper adſpicit, qui has voces apprehendit attentè: *ſer. de animabus: In ſapient.c.6. Eccleſ.c.7. Luc.c.16.v.30. in thren.c.1.*

529. *Qui vult ad Contemplationis ſtatum intrare exuat ſe, & ſeparet ab omnibus occupationibus exterioribus.*

Sapientiam ſcribe in tempore vacuitatis, & qui minoratur actu ſapientiam percipiet, & ſapientia replebitur. Quodnam eſt tempus vacuitatis, & quænam eſt hæc minoratio actuum neceſſaria ad percipiendam ſapientiam? Nota quòd hic dirigit hominem ad percipiendam ſapientiam in ſtatu vitæ contemplativæ: datque intelligere, quòd qui ipſam vult ſcribere in tabulis cordis, ipſaque repleri debet ducere tempus, & vitam vacuam, & immunem ab actibus, & occupationibus exterioribus, quia dum animus ab exterioribus ad interiora abſtrahitur ad ſeipſum colligitur, & robuſtior ad contemplandum cœleſtia elevatur, & cum à delectatione exteriori abſtrahitur neceſſe eſt, ut aliquid ſpiritualis gaudii prægustare incipiat: ô felix receſſus: ô beati qui intrant in cubiculum hoc animæ & claudunt oſtium, & feneſtras ad omnia exteriora: felix tempus eſt iſtud vacuitatis, quod omnem plenitudinem portat: *Opuſ. medit.c.36. op. de 7. itin. ætern. itin. 6. d.4. in Lucam c.15. verſ. 11. ſap. prol.*

530. *Prælati, & Prædicatores teneant aratrum in agricultura Dei, ut boves ſtimulentur ad laborem.*

Qui tenet aratrum, & qui gloriatur in jaculo ſtimulo boves agitat, &c. Nota quòd Chriſtus eſt qui tenet aratrum, ſcilicet regimen dirigit omnium operationum Eccleſiæ; & boves agitat, ſcilicet prælatos, & Prædicatores ad ſui imitationem, exigens ut manu teneant aratrum, ſcilicet priùs bonis operationibus teneant aratrum prælationis, alios ſtimulans exemplo, & verbo ad laborandum in agro dominico, ſic enim perficient opus ſuum: *Ser.2. dedicat. ſer. 4. de una Virg. Ugo hic.*

531. *Tene aratrum in manu ad excolendum agrum animæ, ſi vis fructus abundanter percipere.*

Qui tenet aratrum, ſtimulis agitet boves; &c. Ad quid tenet aratrum? & quis eſt? Nota quòd hic dirigit ſapiens activos, docetque eos debere tenere in manu aratrum ad arandum agrum cordis, & ibi ſeminare granum purum ſi volunt percipere abundanter fructus: Confitens autem eſt qui ſumit aratrum; ſcilicet mentem ſuam per conſiderationem peccatorum, & vomere Confeſſionis aperit terram cordis, confringit eam per contritionem, & ſeminat opera juſtitiæ, ex quibus multum fructum affert: *Serm. 3. Dom. ſexageſi.*

532. *Chriſtus tenens aratrum prælationis in Eccleſia, alios trahit ad laborandum blanditiis: alios ſtimulat paternis admonitionibus: alios tribulationibus.*

Qui tenet aratrum, & gloriatur in jaculo, ſtimulo boves agitat, &c. Nota hic eſt Chriſtus, qui

ſuper Eccleſiam tenet regimen, omnes ad laborandum in agrū ſuo invitans, & ad hoc alios jaculo inſpirationum: alios ſtimulis tribulationum: alios cantu conſolationum trahit ad ſuum agrum. *Ioa.6.v.45.*

533. *Quiſque ſit Pictor, ſi vult eſſe verus Chriſti ſequax.*

Sic omnis faber,& Architectus, cujus aſſiduitas variat picturam, cor ſuum dabit in ſimilitudinem picturæ. & vigilia ſua perficiet opus. Nota quòd hac metaphora dat Spiritus Sanctus intelligere quòd unuſquiſque debat eſſe ſapiens pictor, & pingere proprium Cor in ſimilitudinem picturæ: nempè pingere legem Dei tanquam in tabula, eamque in ſe indelebiliter imprimere,& per conſequens opera, verba,& documenta Chriſti Jeſu: *Pſal.118.c.1.v.11.*

534. *Chriſtus pictor,qui ad ſui ſimilitudinem pinxit S. P. Franciſcum.*

Cujus aſſiduitas variat picturam. Nota quòd hic pictor ſapiens eſt Chriſtus, qui optans pingere, & imprimere in corde noſtro ſeipſum & ſuam paſſionem, & opera,verè pinxit S. P. Franciſcum ad ſimilitudinem ſui, ipſumque veluti alium Chriſtum plagatum in mundo collocavit, ad quod tantum opus ipſe Franciſcus non ſe habuit merè paſſivè, ſed ad id toto corde cooperatus eſt; nam in cunctis virtutibus quàm perfectiùs poterat imitatus eſt Chriſti paſſionem, ita quòd perficiente, & complente Jeſu per impreſſionem ſacrorum ſtigmatum fuit in Chriſtum transformatus totaliter, & veluti pictura ipſius Chriſti crucifixi factus. *Op. meditat. vita Chriſti proœm.*

535. *Iuſtus pingit in Corde Chriſtum Crucifixum.*

Cor ſuum dabit in ſimilitudinem picturæ. Quomodo hoc poteſt fieri? quomodo cor pingi poteſt? & quid in ipſo pingendum? Nota quòd originale picturæ, quam homo debet pingere in corde eſt Jeſu Chriſti vita, paſſio; crucifixio,& mors: Proponitur enim in Eccleſia tanquam verum memoriale ut ad ipſius ſimilitudinem in corde pingatur. Sit igitur Chriſtus tua vita, tua lectio, tua meditatio, tua locutio: ipſe deſiderium tuum,lucrum tuum, tota ſpes tua,& merces tua: ſi aliud quæris præter Chriſtum, damnum patieris,laborabis, & requiem non invenies. *Op. Alphab.religioſ.*

536. *Eccleſia eſt pictura viva Ieſu Chriſti Crucifixi.*

Cor ſuum dabit in ſimilitudinem picturæ. Ecce quid fecit Chriſtus cor ſuum ſcilicet animam, divinitatem, & Corpus, & Carnem ſuam dedit in ſimilitudinem picturæ, totum cor, vitam, & totum ſeipſum ad efformandam picturam: & quomodo hoc fecit? Vide autem mirabilem charitatem Chriſti excellentiſſimam: primò depinxit ſeipſum colore ſanguineo, in Cruce, vel potius ſeipſum in ſimilitudinem charitatis effinxit: & ut altiùs oſtenderet ſuum amorem ſeipſum depinxit in hoſtia Altaris, in qua memoriam fecit ſuorum mirabilium, & maximè ſuæ paſſionis: Vide qualem memoriam, vel potiùs memoriale? quia triplex memoriale habemus paſſionis, ſcilicet in ſcripto, ut quando paſſio deſcribitur,ut patet in Evangelio, in quo per ſcripturam narratur,vel quando imaginibus exprimitur,& hoc eſt memoriale quaſi mortuum, eſtque in ordine ad viſum: item in Verbo, eſtque ad auditum, eſtque mortuum in voce: ſed in Sacramento Altaris eſt memoriale vivum,quia ſeipſum ibi Chriſtus præbet, offerens nobis corpus quod in Cruce occiſum fuit,& ſanguinem qui pro nobis fuit effuſus, ut in hac pictura, viva vel memoriali ſemper nobiſcum viveret;& ut idem Chriſtus exhiberetur,& ſumeretur a nobis.& ſimul imprimeretur in nobis memoria paſſionis ejus.*lib.4.d.12.p.2.a.1.q.1.ad 4. Vide Garciam d.59.*

537. *Imagines Chriſti, & Sanctorum ſancto inſtinctu Spiritus Sancti introductæ, & expoſitæ.*

Cor ſuum dabit in ſimilitudinem picturæ, &c. cujus aſſiduitas variat picturam. Quomodò dicitur de Chriſto, quòd variaverit picturam? ſed attende perbellum Myſterium; Chriſtus ſe oſtendit pictorem quando pictor Miſſus ab Abagaro Ediſſenorum rege, ut imaginem Chriſti depingeret, ſed id non valens facere propter reſplendentem faciem Chriſti, ipſe Chriſtus appoſita tela faciei ſuæ ipſam mirabiliter impreſſit, & miſit eidem regi: hocque voluit Chriſtus facere ut daretur intelligi quòd cum in teſtamento veteri uſus imaginum non adeſſet, poſt Incarnationem Verbi volebat ut introduceretur in Eccleſia, ſicuti de facto piiſſimè practicatur ipſarum cultus, & veneratio cum magna fidelium utilitate, ſunt enim libri. & litteræ ſimplicium, & ſimul excitamentum ad virtutem, & imitationem Sanctorum,Mariæ,& Chriſti Ieſu. *Op.de dono piet.c.2. & lib.3.d.9.*

538. *Chriſtus Faber ædificans, & purgans: diabolus deſtruens, & inficiens.*

*Sic Faber Ferrarius ſedens juxtà incudem,& conſiderans opus ferri, &c.*Nota quòd etiam hæc myſticè dicuntur de Chriſto,de quo Marci. *c.6.* dicebatur quòd erat Filius Fabri: verè enim fuit Faber,qui fabricatus eſt Auroram,ſolem, cœlos, & terram, omniaque elementa: verè Faber, qui calore Spiritus,& malleis increpationis,& eruditionis facere nos vaſa in honorem contendit: E contrà diabolus Faber ingenioſus,& totus intentus ad deſtruendum,& deturpandum animas, quas igne Inferni infuſas, & perignitas, malleis inferni, ſcilicet tormentis variis malleat: *Op. ſpecul. B.Virg. lect. 4. & ſerm.3. Dom. 2. poſt Pent. & Vgo hic.*

539. *Deus eſt figulus cœleſtis formans hominem de terra in rota inſtabilitatis mundans.* Aliumque in vas honoris: alium in vas contumeliæ effingens ſecundum merita, vel demerita: unde hic dicitur: *figulus ſedens ad opus ſuum, &c. Sap.c.15.*

540. *Prælatus eſt figulus*, qui verè gubernans effingit ſubditos in vaſa honoris: malè regens eos

effingit

Digitized by Google

effingit in vaſa contumeliæ: quia vita prælatorum, eorumque mores ſunt forma ſubditorum: *Op. de Eccl. Hier. p. 4. c. 3.*

541. *Non ſufficit benè inchoare, & proſequi niſi ad complementum. mandetur virtutum exercitium:* unde dicitur hic de Juſto: *Cor ſuum dabit in conſummationem operum:* ſola enim perſeverantia eſt quæ coronat. *Pſal. 118. cap. 1. verſ. 20. thren. cap. 2.*

542. *Deus ex omnibus gentibus, & ſtatibus vocat ad cœlum ſine acceptione perſonarum.*

Sine his omnibus non ædificatur civitas! quæ civitas? & qui ſunt iſti omnes? ſed attende ad myſterium verè dulciſſimum: hæc Civitas eſt Eccleſia tum militans, tum triumphans, utraquè ædificatur ex lapidibus vivis, ſcilicet hominibus: Vidit ſapiens hic illuſtratus à Deo Paradiſum, & Eccleſiam ſub ſimilitudine civitatis plenæ populo: In civitate vidit varios artifices neceſſarios ad conſervationem civitatis: nempè Doctores, Prælatos, Sapientes, ſcribas propter gubernationem, & eruditionem, medicos propter infirmitates, & cæteros artifices neceſſarios ad vitam civilem, & naturalem: ſic civitas cœleſtis Hieruſalem, ſicut & militans his lapidibus variis ædificatur: Sic Ugo, & Gloſa: igitur ait S. Bonaventura, intelligere, & diſcere per hoc debemus quòd Deus non eſt acceptator perſonarum, ſed in omni gente, in omni populo, in omni conditione, & ætate beneplacitum eſt ei: & cum divites ſibi ſubjicit, pauperes non repellit, & cum fortes humiliat, debiles ad ſe venire non recuſat, cum nobiles colligit, ſimul ignobiles apprehendit, cum ſapientes ſuſcipit imperitorum ſtultitiam non contemnit: ô quam bonus Deus? *Ser. 1. Dom. 2. Pent.* Erigamus nos ad cœlum oculos, & videbimus ad cœleſtem illam Hieruſalem ædificandam concurrere Imperatores, Principes, Pontifices, nobiles, Doctores, artifices cujuſcumque generis, ſatellites, carnifices, mulieres, viros cujuſcunque conditionis, quia Deus eſt communis omnibus.

543. *Orat qui benè facit, etiamſi in mechanicis ſit involutus.*

Deprecatio illorum in operatione artis, accommodantes animam, & conquirentes in lege altiſſimi. Si à ſapiente petas, quâ oratione, quibus jejuniis, ſolitudinibus, macerationibuſque cœlum poterunt tot artifices? reſpondet, deprecatio illorum in operatione artis, ſcilicet oratio, & pœnitentia illorum fuit dum artem ſuam exercebant: ſed quomodo hoc verum eſt? ergo oratio eſt ordinatio Medicorum, ſcriptura ſcribarum, pictura pictorum, & aliorum ars? Sed attende ad ſequentia: accommodantes animam, & conquirentes in lege altiſſimi: quid eſt accommodare animam, & ad quid, & quid eſt conquirere in lege altiſſimi? id eſt, quia iſti quidem ſolliciti erant in opere ſuo benefaciendo, ſed etiam in obſervando legem altiſſimi; Hoc autem eſt operari quidem exterius, ſed interius conſervare devotionem ad Dei voluntatem, ſicque exequebantur quod dixit Chriſtus, oportet ſemper orare: & D. Paulus volo viros orare in omni loco, quia ſemper orat, qui ſemper benèfacit, & alia externa temporanea agens, devotionem in corde ad Deum conſervat. *Op. expoſ. reg. c. 10. & op. reg. Novit. c. 2. & ſer. 5. de uno Confeſ. & Ugo hic.*

CAP. XXXIX.

544. *Prædicatoris, & Doctoris munus expeditur in prædicatione.*

SAPIENTIAM antiquorum exquiret ſapiens, & in Prophetis vacabit: narrationem, &c. Hæc, & conſimilia affert hic ſapiens pro inſtitutione Doctorum, & Prædicatorum, ne temerè ſuo proprio Marte proponant ſuis auditoribus ſuas conciones, ſed ad Prophetas recurrant alioſque authores Sacræ Scripturæ, & ad Sanctos Apoſtolos, & Doctores ſcilicet Eccleſiæ, eorumque ſenſus, & interpretationes exquirant diligenter, & ſecundum iſtorum dictamen apertè, & dilucidè proponant, & explicent Verbum Dei: *Pſal. 118. c. 1. v. 2. & c. 3. v. 1. & 14. & in Sap. c. 8.*

545. *Oratio Matutina, & ſollicitè facta ante omnia opera quàm Deo chara.*

Cor ſuum tradet ad vigilandum diluculo, &c. Nota illam particulam diluculo, datque per hoc intelligere ſapiens quòd oratio debet præmitti cæteris operibus, & diluculo fieri: Hæc enim oratio facit Deum ad animam evigilare, & attrahit maximam quietem, & aſſiſtentiam divinam cæteris ſuis ſequentibus actionibus. *Pſal. 118. c. 10. v. 4. & c. 11. v. 10. Luc. cap. 12. verſ. 37.*

546. *Anima ſit veluti pulliculus, & infans aperiens os in oratione ad recipiendum cibum è cœlo.*

Aperiet os ſuum in oratione, & pro delictis ſuis deprecabitur. Quomodò os aperiendum in oratione? ſi oratio erit mentalis, vel contemplationis, quomodò aperi debet os? Sed attende quod hic loquitur de ore cordis, & animæ, per devotionem, & fiduciam: aperiat ergo anima os ſuum ſicut infans ad ſumendum lac ex ubere Matris: vel ſicut pulliculus exiſtens in nido, qui dum ſentit venire Matrem apetit os verſum cœlum, ut cibum recipiat: ſic & anima cum Deus nos frequenter viſitet è cœlo per inſpirationem, teneat os ſuum apertum per orationem devotam, ut ipſam recipere devotè poſſit. *Op. Diet. tit. 2. cap. 5.*

547. *Doctor, & Prædicator ad Deum recurrat ut impleatur Spiritus Sancti rore, ut alios poſſit fructuoſè irrorare.*

Si enim Dominus magnus voluerit replebit illum Spiritu Sapientiæ, & ipſe tanquam imbres mittet eloquia ſapientiæ, & in Oratione confitebitur Domino, & ipſe diriget conſilium ejus, &c. Ecce quid faciendum à Doctoribus, & Prædicatoribus, nempè Spiritu Sancto curent repleri antè prædicationem, & ad hoc obtinendum orent, & recurrant ad Deum, ut ſic tanquam nubes imbre roris cœleſtis doctrinæ irrorare valeant auditores, & ipſe Spiritus Sanctus diriget conſilia, & opera ejus: *ſer.3.f.2.Pent.Pſal.118.c.6.v.2.& c.9.v.3. Luc.c.1.verſ.41. & c.6.verſ.5. Ecclen. c.2.& 11.*

548. *Iuſti ſint tanquam roſa emittentes non ſolùm florem, ſed & fructum Divinum.*

Obaudite me divini fructus, & quaſi roſa plantata ſecus decurſus aquarum fructificat. Mirum eſt quod dicit hic ſapiens: quomodo vult ut juſti fructificent divinos fructus ad modum roſarum? quos fructus parturit roſa? nonnè ſolùm flores emittit? flores ſolùm emittit roſa materialis, ſed non illa, quæ in viridario Eccleſiæ plantata eſt: ſed quos fructus? nota quòd roſa oſtendit ſuum decorem emittendo florem pulcherrimum, & odoriferum, & utiliſſimum inter ſpinas: ſic anima juſta decorem pulchritudinis Munditiæ non producit, neque ſervat odoriferum odorem caſtitatis niſi inter ſpinas acutarum diſciplinarum pœnitentiæ, & ideò dicuntur roſæ plantatæ ſecus decurſus aquarum, ideſt divinarum influentiarum fructificantes fructus lucis, & honeſtatis in omni juſtitia, & ſanctitate; & tali pacto dicuntur divini fructus, quia habentes Munditiæ puritatem in cogitatione, affectione, & locutione adeò in Dei formam, & pulchritudinem gratiæ transformantur totaliter, ut deificentur ſperando, cogitando, ſapiendo, & loquendo, & ita divini fructus appellantur: ô felix & ſancta puritas animæ, quàm fructuoſa, & miraculoſa? *ſer.1.Dom. ſexag.*

549. *Fructus delectabilitas in Viridario S. Eccleſiæ eſt ex colore, & odore, & ſapore.*

Obaudite me divini fructus, & quaſi roſa plantata, &c. fructificate. Nota quòd per quaſi roſæ fructificantes loquitur de roſis ſpiritualibus Eccleſiæ, quæ emittunt fructus delectabiles in colore ſanctæ converſationis inter aquas lachrymarum, & adverſitatum in odore bonæ opinionis, & in ſapore melliſluæ devotionis: *ſer.3.Dom.7. Pent.* Notanda iſta verba, quæ etiam poſſunt inſervire pro excitanda devotione SS. Roſarii, in quo proponuntur roſæ, quæ debent fructificare in devotis Mariæ Virginis ad differentiam roſarum hujus Mundi, & hinc ſubdit: date nomini ejus magnificentiam, & confitemini illi in voce labiorum veſtrorum, in canticis labiorum, & citharis: Nota quòd dicit in voce labiorum? Poteſt piè dici quod ſit alluſio ad devotionem roſarii, in qua voce alta decantantur laudes B. Virginis: ſono citharæ, quæ poteſt dici ſalutatio Angelica, & ſic voce, & mente, ideſt Sancta operatione datur magnificentia nomini Mariæ: ſic apud Bernardinum de Buſtis.

550. *Laudes Dei alta voce, & muſicis inſtrumentis, & corde decantandæ:* undè dicitur hic: date nomini ejus magnificentiam, & confitemini illi in voce labiorum, & citharis, &c. *in Lucam c.19. v.37.& Ugo hic.*

551. *Explicantur compendioſè plures verſus textus.*

V.21.& ſeq. Opera Domini univerſa valdè bona: in verbo ejus ſtetit aqua, &c. nempè cum ſint omnia per ſe bona, ſimul tamen congeſta ſunt valdè bona: ut videas quod unio, & concordia res per ſe bonas reddit meliores: *in Ioan. coll.77.* addit in verbo ejus ſtetit aqua, quando ad præceptum Dei congregatæ ſunt aquæ in unum, ut videas quod & ventis, & mari imperat, & obediunt ei: *Luc.cap.8.verſ.25. & cap.14. verſ.2.* addit: benedictio illius quaſi fluvius inundans, ſcilicet benedictio quam nobis immittit in Sacra Scriptura eſt quaſi fluvius inundans, & replens animam multiplici intelligentia ſpirituali; addit: *& quando cataclyſmus aridam inebriavit, ſic ora ipſius, &c.* ideſt ſicut diluvium inebriavit terram, ſic ita Dei inundabit peccatores: addit: *Hæc omnia ſanctis in bona, & malis in mala convertuntur,* quia bonis creaturæ cooperantur in bonum: malis occaſionaliter in malum: *Op.princ. Pſal.118. cap.1.verſ.2.in Ecclen.cap.2.* addit tandem: *Omnia in tempore ſuo comprobabuntur*, quia ſubſunt omnia judicio Dei æquiſſimo, & ideò in omni corde, & ore collaudemus, & benedicamus Deum: *Luc.c.14. verſ.2. op.de ſex alis Seraph. cap.8.*

CAP. XL.

552. *Occupatio multiplex noſtræ humanitatis expenditur communis omnibus in vita, & morte.*

O*CCUPATIO Magna creata eſt omnibus hominibus: & jugum grave ſuper filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, uſque in diem ſepulturæ in matrem omnium.* Vide quomodò ſapiens exponit ante oculos noſtros miſeriam noſtræ humanitatis communis omnibus tam divitibus, quam pauperibus, & primò dicit occupationem magnam ſubjicere omnes homines; qualiſne eſt iſta occupatio? hæc eſt triplex: alia neceſſitatis, & fragilitatis noſtræ, nempe laborandi, procurandi, & defectus noſtros reparandi, & hæc eſt mala: 2. eſt ex ignorantia, eſtque pejor; hæcque occupat

occupat omnes magis, vel minue; tertia peſſima, quæ eſt curinſitatis, & ſcupiditatis in acquitendis, & conſervandis temporalibus divitiis, honoribus, aliſque caducis, addit: *& jugum grave ſuper filias Adam*: ô quam grava jugum multiplicis pœnalitatis occupans, homines ab initió uſquè ad ſepulturam, quibus omnibue cum ſint omnibus communes, in hoc ſolùm differunt, quod qui ipſis pœoalitatibus benè utuntur inſerviunt ad ipſntum exaltationem, & aotonam in cœlo: iis, qui malè utuntur inſerviunt ad humiliatinoem in Inferno: ſicquè jugum grave portant in Mundo, & in Inſerno erit graviſſimum: & ideò oinnia vaniſſima ſunt, & à nobis contemnenda. *Ser.4.Dom.3. Quadrag. in Ecclen. c.1.& c.2.& c.3.& c.12.*

553. *Anima in gratia Dei exiſtens eſt in Paradiſo: In peccato mortali in Inferno.*

Gratia ſicut Paradiſus Domini in benedictionibus, & miſericordia in ſæculo permanet &c. Quomodò ſicut paradiſus Domini dicitur gratia? hæc enim ſtat etiam cum tribulationa, & ærumnis? nota quòd optimè dicit: nam ſicut Paradiſus eſt habitatin Dei, locus gaudii, locus lucis, & locus ordinati amoris: ſic anima exiſtens in gratia Dei eſt habitatio Dei, locus gaudii, locue lucis, & locus ordinati amoris: ſic anima exiſtens in gratia Dei eſt habitatin Dei, ibi eſt lux veritatis, & illuminationis, ibi eſt amor charitatis: E contra exiſtens in peccato mortali eſt veluti in Inferno quia eſt habitatio Dæmonum, ibi eſt vermis conſcientiæ, ſunt tenebræ ignorantiæ, & ignis concupiſcentiæ totum deordinans. *Op.Diat.tit.5.c.1.ſr.4. Dom. Trinit.ſer.3. Dom.3.poſt Epiph.in Luc.c.23.v.43.& lect.14.ſpec. B.Virg.*

554. *Maria Virgo eſt gratia, & Paradiſus fuit.*

Gratia ſicut Paradiſus Domini in tribulationibus. Nota quòd dicit gratiam eſſe Paradiſum Domini: cur non potius dicit animam in gratia? ſed attenda quod hoc maximè verificatur de Maria Virgina cum privilegio Altiſſimo: quia tam fuit imbuta gratiâ, quòd meritò poteſt dici non ſolùm grata, ſed ipſa gratia; quaſi deificata & identificata, & veluti transformata in gratiam (onde in textu græco legitur: Ave gratia plena unico verbo, & in abſtracto) & hinc meritò dicitur Maria gratia in abſtracto, & ſimul Paradiſus Domini, quia repleta eſt ejus anima omni gratiâ, & hæc ipſam delitioſam deliriis ſpiritualibue, tanquam Paradiſum Domini, reddidit; Paradiſus inquam fuit repletus benedictionibus multiplicium deliciorum ſpiritualium; quia in ea fuit Deus virginitatie cum munere fœcunditatis, inſigne humilitatis, diſtillans charitatis fivus, miſericurdiæ, & gratiæ plenitudo; & prærogativa gloriæ ſingularia: Paradiſus fuit Maria non ſolùm mente, ſed & ventre, continens in ſe lignum vitæ, & auferens maledictionem Evæ, quam meruit in Paradiſo terreſtri. *Op. ſpec. B.Virg.lect.5.& 14. & 15.*

555. *Virginitatis virtus quàm excellens, & præcipuè Virginitas Mariæ.*

Filii ædificatio Civitatis conſummabit nomen, & ſuper hanc mulier immaculata computabitur. Nota hic quòd comparat ſapiens matrimonialem ſtatum cum virginitate: nam ædificatio civitatis, ſcilicet multiplicatio hominum eſt per matrimonium eſtquè Sacramentum ſanctum; at ſtatus Virginitatis melior, quia eſt virtue perfectior involuens decorem ratione integritatis mentis, & corporis; & in hoc cæteros homines excelluit B. Virgo Maria, quia fuit cum ſuperabundanti gratia: *Lib.4.d.3,c.2.q.1.*

556. *Sapientia cæleſtis excellentia ſuper omnes alias ſcientias expenditur.*

Vinum, & Muſica lætificant cor & ſuper utraquè dilectio ſapientia. Nota quòd hic ſapiens metaphoricè loquitur; nam per vinum hauſtum intelliguntur ſpecies, quæ ea ſenſibus ab objectis ſenſibilibus extrahuntur, & veluti ea vite, vel uva exprimitur vinum ad ſedandam ſitim animæ, qua torquetur ex deſiderio innato ſciendi: & per muſicam conſonantia ſcientiarum; quæ per dictas ſpecies acquiruntur. Iſtæquè ſcientiæ lætificant quidem cor, ſed tamen eſt lætificatio apparens, nec ſatians animam, quia ſcientiæ mundanæ non explent ſitim animæ, quem habet ad ſciendum; & ratio eſt, quia ortum trahunt à terra: ſed ſapientia cæleſtis, quæ eſt cognitio Dei, deteſtatio vitii, dilectio virtutum, ſola eſt, quæ poteſt extinguere hanc ſitim animæ, quia eſt veritas increata, & divina, & attingit non ſolùm intellectum per illuminationem, ſed & affectum per dilectionem: & hæc eſt doctrina Chriſti. *Ser.2.Hexam.*

557. *Prædicator tubâ; Pſalterio, & cantu excitet auditores ad ſaltandum.*

Tibiæ, & Pſalterium ſuavem faciunt melodiam, & ſuper utraquè lingua ſuavis. Vide quod hic ſapiens deſcribit effectus ſoni inſtrumentorum muſicorum; & cantus: per quod dat intelligere munus Prædicatoris, qui comminationibus legis, & prophetarum excitare debet auditores ad ſaltum, ſcilicèt ad elevandum corpus ab his terrenis ad cæleſtia, & iſtis addere linguam ſuavem, ſcilicèt cantum Evangelii quod totum reſonat, & ſpirat charitatem, & amorem: ſic enim ſecurè trahet peccatores ad pœnitentiam. *In Luc.c.7.v.32.Pſalm.118.c.11.verſ.12.& ſerm.2.de S.Steph.in addit.*

558. *Gratia contemplationis, & intelligentia Scripturæ ſacræ ſuper omnia delectat animam. Ubi etiam de humilitate.*

Gratiam, & ſpeciem deſiderabit oculus; & ſuper hoc virides ſationes. Nota quòd metaphoricè loquitur ſapiens ex hoc quòd licèt oculus multam delectationem percipiat in gratia, & ſpecie, ſcilicet ex pulchritudine rerum artificialium; majorem tamen delectationem percipit in naturalibus ſignificatis per virides ſationes, nam viridis color magis oculo ſatisfacit: myſticè tamen comparat ſtatos vitæ ſpiritualis inferioris cum

comen-

contemplativa, quæ verſatur circa intelligentiam myſteriorum cæleſtium; datquè intelligerè quòd conſideratio contemplativæ ſuper cæteras reficit, & delectat animam, quia mentem quietat, & pacificat, & velut ſedem quietiſſimam ad divini ſuper adventus ſusceptionem præparat, & coaptat. *Op. Eccl. Hierarc. p. 1. c. 1. & ſerm. 14. Hex. & Pſal. 118. c. 9. v. 3.* Nota etiam quòd per colorem viridem intelligitur virtus humilitatis, quæ ſupereminet cæteris virtutibus, & gratior eſt oculis Dei, & hominum. *Op. Diat. tit. 7. cap. 1.*

559. *Timor Domini exaltat animam ad fruitionem Paradiſi etiam in hac vita.*

Facultates, & virtutes exaltant cor, & ſuper hac timor domini, &c. Timor Domini ſicut Paradiſus benedictionis ſuper omnem gloriam operuerunt illum. Vide effectus timoris domini mirabiles in anima, quæ ſicut per virtutes exaltatur ad poſſeſſionem Dei:ità tamen mediante timore filiali, ideò rectè comparatur Paradiſo propter amænitatem, & delectationem, ubertatem, & ſecuritatem, quia replet animam omnibus bonis, & removet ipſam ab omnibus malis. *Op. Diat. tit. 6. cap. 1. ſerm. 4. Dom. 10. Pentec. in Luc. cap. 23. verſ. 43.*

560. *Qualis indigentia vitanda, & qualis deſideranda: ubi comparatio fit inter petere, vel non petere eleemoſynam, & poſſe illam accipere.*

Fili in tempore vitæ nè indigeas: melius enim eſt mori quam indigere. Nota quòd hic textus malè intellectus dedit occaſionem aliquibus falſis doctoribus ſcribendi contra paupertatem fratrum Minorum ad cujus ſublevamen coguntur petere eleemoſynas ad victus ſuſtentationem, & pro neceſſariis vitæ mortali: & quia hoc manifeſtè eſt contra uſum Eccleſiæ acceptantis eleemoſynas copioſas, dicebant quòd licet accipere, non autem petere: contra quos inſurrexit Seraph. Doctor dicens hoc mirum videre, quòd aliquis poſſit in illud quod majus eſt, & non poſſit in quod minus eſt: quod aliquod monaſterium poſſit recipere centum marcas auri ab aliquo Principe, & unum pauperculum non poſſe ſuæ indigentiæ relevationem ſuppliciter implorare: quòd aliquis amicus poſſit ex amicitia petere ab amico, & Chriſtianus non poſſit ex charitate petere à Chriſto: Non igitur textus ſumendus eſt materialiter, ſed ſpiritualiter nempè: fili in tempore vitæ tuæ præſentis ne indigeas, ideſt ne otieris ad quod ſequitur egeſtas: melius enim eſt mori, ſcilicet morte corporali, quam indigere ſpiritualibus divitiis, quia talis indigentia eſt mors ſpiritualis gravior, & Paradiſum aufert, & mortem æternam in inferno cauſat: *Op. de paupert. Chriſti q. 1. in corp. & ad 4.*

CAP. XLI.

561. *Mors aliis eſt amara, aliis dulcis.*

O Mors quam amara eſt memoria tua homini injuſto, & pacem habenti in ſubſtantiis ſuis viro quieto, &c. ô mors bonum eſt judicium tuum homini indigenti; &c. noli metuere judicium mortis. Notà quòd in his verbis ſapiens dat intelligere infelicitatem felicium hujus mundi, & felicitatem infelicium, & quòd aliis mors eſt amariſſimus cibus, aliis dulciſſimus: ſed quomodò mors poteſt dici dulcis? nonne mors eſt ultimum terribilium, & occaſio pavoris omnibus etiam ſanctis? ſed attende ad id quod veriſſimè docet Philoſophia, quod quicquid recipitur per modum recipientis recipitur, & ſecundùm variam diſpoſitionem recipientium diverſos etiam gignit affectus: nam hominibus injuſtis, infidelibus, iniquis, divitibus, qui totam ſuam curam, & quietem in temporalibus collocant, & nihil ſiniſtrum pati conſueverunt: iſtis eſt amara ejus memoria: è contra miſeris ſenibus, ſed Deum timentibus ejus memoria eſt dulcis, quia iſtis eſt tranſitus à miſeria ad vitam, & quietem: *in Luc. c. 12. v. 51. & c. 16. v. 22. & in Ioan. collat. 52.*

562. *Impii ante mortem ultimatam moriuntur in hac vita.*

O mors quàm amara eſt memoria tua injuſto: Nota illud verbum injuſto, ideſt impio, & exiſtenti in peccato mortali per quod verè in hac vita ante mortem corporis, verè mortuus eſt ſpiritualiter: verè amara eſt iſta mors, quia privat animam verâ vitâ, quæ eſt Deus: mors quidem opprobrioſa. *In Luc. c. 16. v. 22. & Ioan. collat. 52.*

563. *Impius nullam pacem veram habet.*

O mors quam amara eſt memoria tua habenti pacem in ſubſtantiis ſuis. Si habet pacem ergo & quietam; quomodò ergo ſimul & amaritudinem? quia pax iſta quæ habetur non in Deo, ſed in poſſeſſione rerum terrenarum maledicta eſt, turbativa pax ſine pace: pax apparens, quia repleta eſt amaritudinibus, ſolùm enim pax, quæ eſt in Deo vera eſt. *In Luc. c. 12. v. 51.*

564. *Miſeria hominis in hac vita expenſæ reddunt contemptibilem mortem, & ſeipſum.*

Noli metuere judicium mortis: memento quæ ante te fuerunt, & quæ ſuperventura ſunt tibi. Vide quid offert conſiderationi noſtræ, ut non metuamus mortem: nempè quæ ante nos fuerunt conſiderare debemus, ſcilicet ſemen conceptus: alimentum fætus: periculum partus: vocem ploratus, ſpurcitiam ortus cum aliis circumſtantiis: item & quæ ſuperventura ſunt, nempè corpus viliſſimum ſine anima exanime, quod ambulabat, jacet, quod loquebatur tacet, oculi clauſi

lucem

lucem non capiunt, auribus nullæ voces pateſcunt, membrorum officia requieſcunt, non eſt qui moveat greſſus ad ambulandum, ſenſus ad perficiendum: nonnè iſta eſt domus, quam neſcio quis inviſibilis inhabitator ornabat? receſſit quod colebatur, remanſit quod horrere videtur. Undè eſt ergo quòd non advertimus quòd oculis videmus? nempè quia concupiſcentia carnis eſt præſtigiatrix ſenſuum, prætendit corpori juventutem, ſtabilitatem, ſanitatem, pulchritudinem, & fortitudinem: Undè & quaſi vitioſa naturali conſuetudine omnis homo pulchra oſtentat, occultat vitia, & turpia, & ſic concupiſcentia deludens ſenſus ſpirituales, & oculum rationis, obſcurat bona animæ ſpiritualia: hinc ſapiens volens auferre velamen ab oculis concupiſcentiæ dicit, memento &c. *Ser. de animabus.*

565. *Judicium mortis multipliciter conſiderandum.*

Memento quæ ante te fuerunt &c. judicium mortis à Deo omni carni &c. Nota illud verbum, Judicium mortis à Deo omni carni: datquè intelligere quòd mors quidem eſt à Deo infligente tanquam à juſto judice; ſed tamen ipſe mortem non fecit, cum ſit defectus, & ipſe ſit ens indeficiens: ſed à nobis, à noſtro peccato eſt mors, quam præcedunt infinitæ miſeriæ, & quæ ſeparat animam à corpore, & hinc ſolùm remanet judicium Dei ſtipendiantis opera noſtra. *Ser. 4. Dom. 15. Pent.*

566. *Nativitas alia ex Diabolo, alia ex Deo.*

Væ vobis viri impii: qui dereliquiſtis legem altiſſimi, & ſi nati fueritis, in maledictione naſcemini. Vide quòd loquitur hìc adultis ſacer textus: ſed quomodò dicit quòd maledictione naſcuntur? ergonè quis denuo poteſt naſci? maximè: quia alia eſt nativitas naturalis, qua naſcimur filii iræ: alia eſt moralis, qua homo naſcitur ex Diabolo, vel à Deo: A diabolo naſcitur cum peccat mortaliter, tunc ei ſupervenit maledictio, quibus dicitur vos ex patre diabolo: ô infelix nativitas, cum verò fit tranſitus ad gratiam tunc naſcitur homo ex Deo: *In Ioan. collat.* 15. Et hinc addit: omnia quæ terra ſunt, ſcilicet nata, in terram convertentur naturaliter: ſic impii à maledicto in perditionem: ecce finis ex nativitate naturali, & ex nativitate diaboli, illa terminat ad ſepulchrum, & vermes, & fætorem: iſta ad æternam perditionem. *In Ecclen. c. 6 Vgo. hìc.*

567. *Impii moriuntur ſine nomine & honore tam ab ipſis æſtimato in hac vita: Juſti bono nomine, ab iſtis ſanctè contempto.*

Nomen impiorum delebitur: curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi quàm mille theſauri: bonæ vitæ numerus dierum, bonum autem nomen permanebit in æternum. Quomodò hìc ſapiens tam inculcat conſervationem boni nominis? nonnè hoc eſt vanitas? ſed attende ad verba, & ſigna myſteria, & nota quòd ad bonum nomen conſervandum poſt mortem præmittit bonam, & ſanctam vitam; ideò loquitur de bono nomine procedente ex ſancta, & religioſa vita, ad quam conſequitur bonum nomen apud Deum: Et hinc diſcrimen inter impios, & juſtos: illi moriuntur ſine nomine, & infames: iſti honorati à Deo, & honor ipſorum conſervabitur in æterna vita: non igitur de exiſtimatione apud homines vana, ſed de vera apud Deum loquitur; hinc in Evangelio non ponitur nomen divitis, qui mortuus eſt, & ſepultus in Inferno, ſed tantùm mendici juſti. *In Ecclen. c. 7.*

568. *Væ Paſtori qui abſcondit cibum doctrinæ; nec paſcit oves ſibi creditas, vel qui eas paſcit cibo diabolico*, ſcilicet malo exemplo: dicitur enim hic: *ſapientia abſconſa, & theſaurus inviſus*, quæ utilitas in utriſque? melior eſt homo, qui abſcondit ſtultitiam ſuam, quam homo, qui abſcondit ſapientiam ſuam; quia ſtulto à Deo poſtponitur. *In Luc. c. 19. v. 20.*

CAP. XLII.

569. **F***ILIORUM, & maximè filiarum cuſtodia hìc parentibus commendatur pluribus verbis*; dicit enim: *ſuper filiam confirma cuſtodiam &c.* & multa alia ad hanc rem affert, ut parentes ſollicitè cuſtodiant filios, & filias, & cum diſciplina eos nutriant, ne laſciviæ, & voluptati fræna relaxent, ſic textus ad litteram.

570. *Caveat vir à converſatione mulieris tanquam à peſte:* ait enim ſacer textus: *in medio mulierum noli commorari: de veſtimentis enim prodit tinea; & à muliere iniquitas viri. Op. Diat. tit 3. c. 5. Pſ. 118. c. 10. v. 6. in Luc. c. 12. v. 57.*

571. *Explicatur verſus: melior eſt iniquitas viri, quam mulier benefaciens.* Quæ verba non ſunt intelligenda ad litteram, ſed cum ſenſu intento pro Prælatis rigidis, & indulgentibus; datque intelligere quòd eum regimen debeat eſſe medium inter rigorem, & indulgentiam: tamen ſemper plus nocet ille, qui nimis remiſſus eſt, & ſinit per ſuam nimiam indulgentiam diſciplinam corruere, eſt enim veluti mulier benefaciens, ſcilicet indulgens nimis ut fuit Heli, & plus prodeſt Prælatus ſeverus: *Ser. 33. Hex. & Pſal. 147.* item melius eſt eſſe rigidum in carnem ſuam, & potiùs excedere, quam nimis indulgentem eſſe in corpus ſuum. *Op. de inſtitution. Novit. p. 1. cap. 9.*

572. *Chriſtus ſolem ſe oſtendebat in mundo, gloriam Dei in omnibus manifeſtans.*

Sol illuminans per omnia reſpicit, & gloria Domini plenum eſt opus ejus. Quis iſte ſol ad cujus illuminationem gloria Dei per totum mundum extenditur? certè non eſt iſte ſol materialis, ſed ſpiritualis ſcilicet Chriſtus Deus, & homo: ut homo per condeſcentionem divinæ dignationis faciebat opera gratioſa: ut Deus opera glorioſa, quibus operatio ſuæ virtutis, & manifeſtatio ſuæ majeſtatis oſtendebatur. *In Luc. cap. 13. verſ. 17.*

573. *Anima contemplativa eſt veluti ſol reſpiciens omnia, & opus plenum gloriâ Domini.*

Illuminans, &c. Hæc eſt aoima contemplativa quæ exaltata ad lucidam ſpeculationem divinæ majeſtatis in Deo videt omoia, ſicut oſtenſus fuit totus Mundus incluſus in ſole B. Benedicto, dum raptus eſſet in divinam contemplationẽ, & ob id talis anima plena eſt gloria Domini. *Ser. 20. Hex.*
574. Maria Virgo ſol, & opus plenum gloria Domini: Vide infrà *cap. ſeq. ad verſ. 2.*

CAP. XLIII.

575. *Chriſtus firmamentum mundi oſtenditur ſecundùm humanam naturam.*

ALTITUDINIS firmamentum ſpecies cæli in viſione gloriæ, &c. Nota qoòd hic deſcribitur Chriſtus ut firmameotum Mundi ſecuodùm humanam naturam; natura enim noſtra aotequam aſſumeretur à verbo erat terra viliſſima, & infima, ſed poſteà aſſumpta à verbo; & ſublevata ſuper Aogelos facta eſt firmamentum lucidiſſimum, & ſimilis chryſtallo quæ ex aqua congelata indiſſolubilem firmitatem contrahit: ſic humaoitas Chriſti in hac vita aquæ fluxibilitatem habuit ſubjecta paſſionibus, & pœnis, ſed in reſurrectionis gloria incorruptibilitatem, & firmitatem obtinuit; & ſicut firmameotum eſt medians inter aqoas ſuperiores, & inferiores, ſic Chriſtus mediator Dei, & hominis io medio ſtat dijudicans inter bonos, & malos: & ſicut firmamentum omoia inferiora continet, & conſervat, ſic Chriſtus omnes prædeſtinatos in ſe continet, & conſervat: item firmamentum dicitur habitaculum Dei, quia per ipſum maoifeſtat ſuam majeſtatem, ſic in hac humanitate Deus ſpecialiter vendicat locum ſpecialem ſecundùm omnem plenitudinem divinitatis: item firmamentum contiouè volvitur ut in omnia inferiora influat; ſic Chriſtus ut ad omnes extendat ſuæ virtutis radios, omnes incendit, omnes vivificat, omnes reſpicit. *Op. Eccleſ. Hierar. p. 4. c. 6.*

576. *Fidei catholicæ altitudo, firmitas, & ſpecioſitas expenditur.*

Altitudinis firmamentum ſpecies cæli in viſione gloriæ. Nota quòd hic myſticè exprimitur triplex qualitas fidei, quæ eſt cælum myſticum poſitum à Deo in Eccleſia, ſcilicet altitudo, ſtabilitas, & ſpecioſitas, quæ mirabiliter elucent in firmamento: Altitudo ejus relucet in duobus, nempè in altitudine ſublimitatis, & in altitudine profunditatis: prima conſiſtit in cognitione æterna Dei: ſecũda in cognitiooe Dei humanati: Undè eſt veluti firmamentum poſitum in medio aquarum ſuperiorum, & inferiorum: firmitas, & ſtabilitas eſt ex teſtimonio Verbi Increati, quòd & Patrem, & ſeipſum exprimit, & alia, & ideò ſuper hoc verbum fundata eſt Eccleſia: item per Verbum Incarnatum habetur firmitas fidei: tertia firmitas eſt ex verbo inſpirato Prophetis, & ſanctis ſcriptoribus, Apoſtolis, & Martyribus, & ſanctis, quorum teſtificantium notitia fuit certa fama præclara, concordia plena, & ſententia firma conſentiente rationi: ſpecioſitas autem fidei eſt ex variis ſyderibus, quibus illuſtrata eſt, nempe ex diverſis articulis de Deo diverſas ſpeculationes intellectui exhibens: *Ser. 8. ad 12.* Nota etiam qoòd per hanc Eccleſia dicitur firmamentum glorioſè reſplendens ob fidei veritatem, qua formata eſt. *Ser. 2. de conver. S. Pauli.*

577. *Maria Virgo firmamentum, vel cælum myſticum eſt, quo nihil purius, nihil ſublimius, nihil pulchrius, nihil utilius, nihil communius, nihil velocius, nihil perfectius, nihil durabilius.*

Altitudinis firmamentum pulchritudo ejus. ſpecies cæli in viſione gloriæ. Nota quòd meritò applicantur iſta verba Mariæ Virgini quæ verè fuit firmamentum nobiliſſimum; quia ſicut cœlo nihil purius propter naturæ ſuæ tranſparentiam, & diaphaoeitatem, ſic Maria poſt Chriſtum nihil purius, nihil muodius, cum fuerit immunis ab omni peccato: item Maria nihil ſublimius, cum amore fomitis, & amore carnalis affectionis per gratiam fuerit abſoluta, tota à mundano conſortio differens, & recedens vita, & moribus, io cæleſtibus locata: item Maria nihil pulchrius, nihil aſpectui beatorum, & Aogelorum jucundius: item nihil Maria utilius, quia ab ipſa vita uniuſcujuſquè oritur: item Maria oihil communius, & durabilius, & perfectius, quia ipſa omnibus condeſcendit, omnibus ſe exhibet ad omnes influit, & communicat ſuam virtutem gratiam, & auxilium. *Op. de Eccl. Hier. p. 4. c. 7.*

578. *Chriſtus Jeſus ſol in aſpectu &c. vas admirabile &c.*

Sol in aſpectu annuntians in exitu, vas admirabile, opus excelſi, annuntians in meridiano exurit terram. Nota quòd in his verbis explicaotur mirabilia de Chriſto, qui eſt ſol juſtitiæ habens ſpecioſitatem in aſpectu interiori quantùm ad divinitatem, & exteriori quaotum ad humanitatem vas eſt admirabile, quia eſt cootentivum incomprehenſibilis divinitatis: dicitur opus excelſi, nam etſi Deus dicatur excelſus formando, & adjuvando omnem, tamen dicitur ſpecialiter excelſus Chriſtum formando, operando ſupra naturam, hic in meridiaoo exurit terram, ſcilicet cor, quando eſt in ordioatiſſimo deſiderio ſui, ſcilicet quando anima accenſa Dei amore ad ipſum totam ſe, & opera ordinat. *Ser. 1. Dom. ſexag.*

579. *Maria Virgo ſol in aſpectu, vas admirabile, opus excelſi &c.*

Sol in aſpectu &c. Nota quòd ſicut de Chriſto Jeſu, ſic de Maria magis propriè verificantur iſta verba, quam de quacunque alia creatura; dicitur autem Maria Sol io aſpectu, ſeu ut ſupradictum eſt *c. 42.* per omnia reſpicit, quia per omoes Angelos, per omnes Sanctos, & per totam Eccleſiam illuminationem ſuam extendit: ſol eſt in aſpectu interiori, & exteriori: ſol eſt per gratiæ pleoitudinem,

plenitudinem, quia eſt Maria, ſcilicet illuminatrix cœli, & terræ, & inflammans ſua radiante charitate: dicitur & vas admirabile, quia nunquam invenitur ſimile; nunquam factum eſt tale opus in univerſis regnis: vas eſt plenum gloria Domini, quæ ſuper omnem creaturam relucet,& reſultat in ea, nam præter aſſumptam à verbo naturam, nullum eſt opus, nulla eſt creatura,in qua tanta reluceat divinæ gloriæ materia, ſicut in Maria: Gloriam enim de reſtauratione facta in cœlo, gloriam de redemptione facta in Mundo, gloriam de liberatione facta in Inferno habet Dominus per Mariam, habet per plenitudinem Mariæ: dicitur hinc meritò opus excelſi, quia in formatione, & exaltatione relucet mirabiliter celſitudo, magnificentia, potentia,& ſublimitas Dei, & ideò opus verè plenum gloriâ Dei eſt Maria, quia per ipſam plena eſt omnis terra,& totus mundus gloriâ Dei. *Op.ſpec.B.Virg. lect.3.& 7.Luc.c.11.v.27.ſer.13. Hex. ſerm.2. de Nativ.M.Virg.in addit.*

580. *Anima humilis, & Mundi contemptrix dicitur vas admirabile: Vbi de S. Paulo Apoſtolo.*

Vas admirabile, opus excelſi. Pende illud Verbum vas admirabile, & transfer mentem ad alia dicta de Paulo: vas electionis eſt mihi, dicebat Chriſtus: quodnam vas fuit Paulus admirabile? tum propter humilitatem; quia anima humilis dum divina gratia impletur, tunc magis evacuatur in ſeipſa, & capacior fit nova gratia, ſicque quaſi de pari contendit cum divina liberalitate, & hoc facit triplici arte, ſcilicet ſe dilatando per gratiarum actionem, incurvando ſe per devotam orationem, & evacuando per modicam ſui reputationem: vas item admirabile, & opus excelſum dicitur talis anima,ut fuit S.Paulus, & opus cunctis admirabiliſſimum, nempè perfectè contemnendo Mundum, ſpernendo victum,non curando veſtitum, ſed omnia arbitrando ut ſtercora propter Chriſtum; addit: vas caſtrorum in excelſis, in firmamento cœli reſplendens; vas caſtrorum ſunt conſtellationes firmamenti illuminantes, & influentes, & S. Paulus fuit vas caſtrorum, quia per eum caſtra militiæ Chriſtianæ illuminantur, & reſplenduit mirabiliter in Dei Eccleſia, quæ eſt firmamentum veritatis: & Chriſtus magnum luminare claruit, & omnes gentes docuit. *Ser.2. de converſ. S. Pauli & op. Diat.tit.7.c.1.*

581. *Mariæ humilitas expenditur.*

Vas admirabile. Cur vas admirabile dicitur Maria? vas admirabile, quia verè contendit ſua humilitate cum divina liberalitate; quia quantò majores gratias Deus in ipſam infundebat, tantò capacior fiebat novâ gratiâ, tum ſe dilatando per gratiarum actionem, tum ſe incurvando per devotam orationem, tum ſe evacuando per modicam ſui reputationem: & quia ſuper omnes creaturas humillima fuit, ideò majoribus gratiis ſemper repleta fuit. *Op.Diat.tit.7.c.1. & op.ſpec. B.Virg.lect.13.*

582. *Deus ſol tripliciter irradians naturam in cognitione rerum naturalium.*

Tripliciter ſol exurens, radios igneos exſufflans,& refulgens radiis ſuis; &c. Cur tripliciter dicitur exurens; & irradians; & non potiùs multipliciter, cum ſupra triplicem irradiationem, alias etiam immittat in Mundum? Sed nota quòd hoc dicit ad myſterium indicandum: nempè ad ſignificandum quòd omnis illuminatio animæ tam in naturalibus, quam in ſupernaturalibus ad tria capita reducitur,& primò loquendo de cognitione naturali, quam habuerunt viri docti; hanc habuerunt à Deo, à quo omne lumen venit; & quia hæc eſt triplex, ſcilicet veritas rerum; veritas ſignorum, ſeu vocum; & veritas morum: prima eſt diviſio entis, & eſſe: 2. eſt adæquatio vocis, & intellectus: 3. eſt rectitudo vivendi: quæ irradiatio eſt ex ipſo Deo; per ipſum, & in ipſo, per quem cognoſcit anima veritatem rerum, ſignorum, & morum, nempè ſcientias reales, ſermocinales,& morales: *Ser.4. & ſeq.Hex.*

583. *Sol repræſentat Myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis.*

Tripliciter ſol,exurens,&c. Cur tripliciter? quia ſol habet ſubſtantiam, ſplendorem, & calorem; & idem eſt in cœlo quantum ad ſubſtantiam; idem in oculo quantum ad ſplendorem, & idem in corpore quantum ad calorem: ſic nobis repræſentat myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, ſcilicet Patrem, qui eſt principium originans: Filium, qui eſt ſplendor originatus: & Spiritum Sanctum, qui eſt calor ab utroque proveniens: *Ser.13.Hexam.*

584. *Hierarchiæ triplex actus in Angelis, & in Eccleſia à Deo.*

Tripliciter ſol exurens. Nota tripliciter: quia tres Hierarchias collocavit in Eccleſia triumphante in Angelis, quæ repræſentat tres perſonas divinas, quarum actus ſunt illuminare; eſtque proprium ſupremæ Hierarchiæ, & perficere, quod ſpectat ad ſecundam, & purgare quod ſpectat ad tertiam: ſimiliter & in Eccleſia militante. De quibus Vide *Sermon. 21. & 22. Hexam. ſup.prolog.*

585. *Chriſtus ſol tripliciter exurit animam in ipſa faciens diem perfectum per ſeptem dona Spiritus Sancti.*

Tripliciter ſol exurit, &c. Nota quòd hoc maximè verum eſt reſpectu animæ,quæ tripliciter à Chriſto ſole exuritur; & diem perfectum in ipſa generat per ſeptem dona Spiritus Sancti; nam Spiritus Sanctus primò exurit montes ſcilicet animas elevatas, nempè memoriam, intellectum,& voluntatem,monens memoriam, docens intelligentiam, & movens voluntatem: exurit quidem malum deſtruendo, & auferens offendicula per ignem charitatis meliorando iſtas potentias, & capaces divinitatis reddendo, virtutibus adornando, & perficiendo: & per ſeptem dona ſua animam perficit, ſcilicet humiliat alta

per donum timoris: liquefacit dura per donum pietatis: illuminat obſcura per donum ſcientiæ; conſolidat mollia per donum fortitudinis: reſtringit fluida, vel dirigit deviantia per donum conſilii: clarificat metalla per donum intellectus: ignit frigida per donum ſapientiæ, quos omnes effectus gignit in anima tripliciter faciens perfectum diem animæ, ſcilicet mane per inchoationem, meridie per perfectionem, & veſpere per complementum, & conſervationem: de quibus latè. *Op.de ſeptem donis in communi c.1.& 2. & de quolibet ſingulari, &c. op.myſt. Theol.c.3.p.1.op.Eccl.Hier.p.4.c.6. Luc. c.9. v.29. Ioan.c.20.v.21.& ſer.4.dom.quinq.op. de dono conſilii c.4.* Nota etiam quòd dicitur tripliciter mentes exurere Spiritus Sanctus, ſcilicet electos per contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem. *Ser.3.in vigil.Nat.*

586. *Niſi Maria refrigeraret nobis æſtum iræ divinæ, omnes in interitum rueremus.*

Sol tripliciter exurens montes. Quomodo exurit? ergo Chriſtus nos exurit? urit malos, & inflammat bonos, eoſque illuminans: urit nos impios, & peccantes: & væ nobis ſi non occurreret Maria Virgo aurora refrigetans æſtum divinæ iræ tanquam mediatrix fideliſſima, & potentiſſima: *Op. Spec.B.Virg.lect.11.*

587. *Sol divinus tripliciter urit animam.*

Sol tripliciter urit terram, &c. ideſt animam: & hoc tripliciter: nam venit pater memoriam viſitando, & excitando ad operandum: verbum patris illuminando intellectum ad clarè contemplandum, & Spiritus Sanctus voluntatem inflammando ad dulciter amandum: ô felix exuſtio, ô utinam & animam noſtram ſic exurat iſte ſol divinus. *Op.de dono conſilii.c.4.*

588. *Maria Virgo ſol tripliciter illuminans.*

Sol tripliciter exurit terram, &c. Nota quòd hoc dicitur etiam de Maria Virgine: quia ſicut ſol eſt vehiculum, & lucis vaſculum, & ideò habet in ſe duplicem naturam, ſcilicet lucis, quæ vehitur & corporis quod vehit, de qua re vide *lib.2.d.14.p.2.dub.3.* Sic eſt Beata Virgo Maria, in qua ſol æternus poſuit tabernaculum ſuum, & ideò habet in ſe duplicem naturam, ſcilicet lucis, quam vehit, ſcilicet Chriſti, & corporis quod vehit: tripliciter exurit, quia excellentiſſimè in ejus corde, & carne lucida virginitas reſidet, in virginitate lucida fœcunditas, & in fœcunditate lucida ſingularitas: *Ser.13. Hexam. & op. ſpec. B.Virg.lect.13.*

589. *De ſole, & luna quomodò præceptum Domini continuè obſervant, cum ſint facta in ſigna, & tempora, & annos,* de eorum motu, ut effectibus naturalibus, & quomodò apud Iudæos ſunt ſigna feſtivitatum: de qua re etiam ſupra dictum eſt. Vide *lib.2.d.14.p.2.dub.3.& 4.ſerm.20. Hexam.*

590. *Eccleſia luna myſtica à ſole æterno irradiata.*

Et luna in omnibus in tempore ſuo oſtenſio temporis, & ſignum ævi. Nota quòd in his verbis de luna duo, dicit, ſcilicet quod eſt oſtenſio temporis, & ſignum ævi: Ad litteram dat intelligere quòd in omnibus, ſcilicet apud omnes gentes luna in tempore ſuo, ſcilicet ſecundùm curſum eſt oſtenſio, ideſt diſtinctio temporum, ideſt per vices ſuas variat tempora, quia hebræi tempora, annos, & menſes diſtinguunt ſecundùm curſum lunæ: & ſignum ævi eſt, ideſt divini temporis, & ætatis mundi: de quibus, vide *lib.2. d.14. p.2. dub.4.* Myſticè verò luna eſt Eccleſia, quæ ſicut à Sole luna, à Chriſto illuminatur: & in hoc mirabiliter elucet ſapientia divina, quia cum Deus à nobis videri non poſſit ipſe illuminat Eccleſiam, ut in ipſa ipſius myſteria poſſimus videre, & ideò comparatur Eccleſia lunæ propter refulgentiam exceſſivam contemplationis, quia hæc vita in Eccleſia exercetur, & tunc maximè illuminatur: item propter refulgentiam ordinatam actionis, & contemplationis, & Hierarchicorum actuum. *Ser.20.Hexam.*

591. *Luna eſt luminare quòd minuitur in conſummatione repræſentans ſtatum animæ humilis, & contemplativæ, & activæ vitæ. Ubi de humilitate Mariæ Virginis.*

Luna eſt luminare minus quod minuitur in conſummatione, ideſt in plenitudine lucis, ſeu in plenilunio. Quomodò dicitur quòd luna tunc minoratur quandò eſt in ſumma perfectione luminis? ſed attende mirabilem diſpoſitionem Dei noſtri: luna quando eſt in plena oppoſitione ad ſolem, tunc licet à nobis appateat plena lumine, tunc verè minus illuminatur à ſole, quia quantò magis corpus ſphæricum luminoſum majus eſt opaco, & huic magis diſtat, tantò minus illuminat, quia angulus radiorum minor eſt, & baſis de corpore opaci minus attingit: è contra quantò magis appropinquat, tantò magis illuminatur corpus opacum, quia baſis corporis luminoſi eſt major, & angulus radiorum major: ergo quandò luna eſt in plena oppoſitione magis diſtat, & minus illuminatur, licet quoad apparentiam videatur à nobis oppoſitum: & per hoc optimè explicatur excellentia animæ ſe humiliantis coram Deo, & quo magis à Deo repletur gratiis, tunc magis in ſe minuitur, ut fecit B.Virgo Maria, quæ cum electa eſſet, & declarata mater Dei, tunc ſe ancillam viliſſimam Dei appellavit: ſtatus item animæ contemplativæ, & activæ. Nam hæc quo magis à Deo ſublimatur, eò magis ſe minuit, nec ad activam niſi coacta deſcendit: *Op.Diæt.tit.7. c.1. & ſerm.20. Hexam. Luc.c.1.v.38.& ſpec.B.Virg.lect.13.*

592. *Peccator eſt luna converſa in ſanguinem.*

Luna luminare minus quòd minuitur in conſummatione, &c. Nota quòd etiam per lunam, quæ minuitur in conſummatione ſignificatur anima, quæ dum eſt in pleni lunio gratiæ Dei, minuitur,

nuitur. & mutatur tranſiens ad peccatum, & tunc luna convertitur in ſanguinem. & hoc eſt ſignum, de quo. *Luc.c.21 ſignum judicii Dei. ſcilicet imminentis ſuper ipſam.ſer.1.Dom.1.Advent.*

593. *Eccleſia ordo, fortitudo, pulchritudo qualis in ipſius membris, & ſanctis.*

Vas Caſtrorum in excelſis, in firmamento cœli reſplendens glorioſè. ſpecies cœli gloria ſtellarum mundum illuminans, &c. Nota quòd myſticè proſequitur textus laudes Eccleſiæ, quam appellat vas caſtrorum in excelſis, & reſplendens in firmamento cœli. Vas quidem dicitur Eccleſia, quia eſt receptaculum gratiarum continens omne genus, & varietatem Sanctorum: dicitur caſtrorum vas, quia ſemper eſt in bello contra hoſtes, dæmones, tyrannos, hæreticos, & falſos fratres: dicitur in excelſis, nempè ſuper montes virtutum poſita: dicitur reſplendens glorioſè, quia in firmitate veritatis, & fidei luce prædicationis per totum orbem glorioſè reſplendet: additur ſpecies cœli gloria ſtellarum, idest ornatus Eccleſiæ eſt pulchritudo ſanctorum, qui ſunt illuminantes Eccleſiam veluti ſtellæ puriſſimæ, & lucidiſſimæ: *Op. Eccl. Hier. p.4.c.2.& 4.ſer.20.Hex.ſer.1.& 2. de Apoſtol.*

594. *Chriſtus in nativitate ſe oſtendit pro nobis arcum benignitatis, & amoris.*

Vide arcum, & benedic eum, qui fecit illum: valdè ſpecioſus eſt in ſplendore ſuo: gyravit cœlum in circuitu gloria ſuæ, &c. Nota ad litteram loquitur textus de arcu fœderis, ſeu de Iride, quæ eſt lumen ſolis receptum in nube concava. & aquoſa, ac ex adverſo ſoli oppoſita: eſtque ſignum ſerenitatis proximæ: myſticè tamen ſignificatur Jeſus Chriſtus, qui fuit verè Iris, & ſignum fœderis in ſua nativitate conſtans ex radio ſolari divinitatis, & nube humanitatis, & hæc nubes dicitur concava ratione humilitatis, & rorida ratione plenitudinis gratiarum, qui arcus fuit poſitus in nubibus (*ut dicitur Gen. c.9.*) idest in defectibus carnalibus tenebroſæ humanitatis impedientibus nobis ſalutem, poſitus, inquam, non ut obſcuraret, ſed ut contemperaret iram cum miſericordia, & ideo multiplici colore ſe oſtendit ornatum, & ditatum, nempè habens naturam corpoream, & incorpoream; divinam, & humanam, temporalem, & æternam, quod fuit miraculum miraculorum oſtenſum in ſua nativitate. *Ser.3. Hex. ſerm.1. Dom. infrà oct. Nat.*

595. *Chriſtus in Cruce, & in Euchariſtia arcus fœderis, & Iris pacis, & concordiæ.*

Vide arcum. & benedic eum. &c. Nota quòd Chriſtus in cruce dicitur arcus in nube, ſignumque pacis, & concordiæ, & ideò habet cornua verſus terram, quia non eſt ſurſum ad eam feriendam, extendit autem brachia tranſverſaliter, & caput inclinavit ad terram, ut ſignaret ſe ad hoc voluiſſe pati, ut eſſet ipſe ſignum gratiæ dandæ, & rigoris temperandi: Vide igitur hunc arcum ò homo, & attende ad capitis inclinationem ad oſculum, extenſionem brachiorum ad amplexum, aperitionem lateris ad affectum; vide ipſum multis locis corporis perforatum, ut tibi aperiat ſuarum gratiarum theſaurum: vide, & audi clamorem miſericordiæ ex vulneribus prodeuntem. Vide iterum arcum, ſcilicet Chriſtum in nube, ſcilicet Sacræ Euchariſtiæ, quæ eſt rorida. & plena gratiarum, in qua lux divinitatis, & nubes humanitatis jacet: dicitur autem nubes; quia contemperat lumen divinitatis oculis noſtris, ut poſſimus intendere in eum: tum quia eſt divinæ lucis vehiculum ſuper terram tenebroſam: tum quia ortum trahit de amaritudine, & pœnalitate naturæ humanæ mediante Virgine Maria: tum ut aquam gratiæ, quam hauſit in ſui origine, effunderet, cum à nobis agitatur orationis vento: in Sacramento autem velatur nubes humanitatis ſpeciebus ſacramentalibus, & in ſenſus ſolatium, & in fidei meritum, & ideo mediante fide oſtenditur carnem Chriſti paſſam, & animam traditam in Paſſione: Ad hunc arcum igitur recurre, & obtinebis propitiationem, & miſericordiam: eſt enim ſignum fœderis, & unionis Chriſti cum homine: *Luc.c.9.v.34.ſer.4.in cœna Domini. & lib.4. d.10.p.1.a.1.quæſt.1. Sap.cap.16. & ſerm.1. de dedicat.*

596. *Maria Virgo arcus fœderis inter Deum, & hominem.*

Vide arcum. & benedic. &c. Vide Mariam Virginem, quæ fuit arcus fœderis inſuperabilis, potens, fortis, dulcis. amabilis, patens: eſt in omnibus ſpem, & gaudium pariens, cujus color cæruleus eſt virginitas, rubeus charitas, & aqueus puritas: arcus quidem mirabilis potens ſimul congerere geminas naturas, nobiſque pacem à Deo promiſſam obtinere. *Op. Laus B.Virg.fig.5.*

597. *Maria gyrum cœli circuit ut omnes ad noſtrum auxilium cives cœli attrahat.*

Gyravit cœlum in circuitu gloria ſua: manus excelſi aperuerunt illum. Nota: hic loquitur de arcu fœderis, de quo non poteſt verificari ad litteram quòd hic dicitur cum faciat tantum ſemicirculum, ergò de alio arcu? & quis eſt iſte arcus gyrans totum cœlum? Hæc eſt Beatiſſima Virgo promptiſſima ad auxiliandum omnibus, quia benigna eſt miſericordia ejus ad omnes, qui invocant illam: & ideo dicitur gyrare cœlum ſola, ut omnibus ſubveniat, ſimulque attrahat ad noſtrum auxilium omnes ſanctos, ipſa enim orante, ait D. Anſelmus, omnes ſancti orant, ipſa tacente omnes tacent. *Pſalt.B.Virg. Pſal.4. & 11.& D.Anſel.*

598. *Chriſtus per Prædicatores facit Mirabilia.*

Imperio ſuo acceleravit nivem, & accelerat coruſcationes emittere judicii ſui: propterea aperti ſunt theſauri, & evolaverunt nubes, ſicut aves. Vide quæ fecit, & facit Chriſtus Ieſus regens

Eccleſiam ſuam: nam imperio ſuo facit evolare nubes per mundum, ſcilicet prædicatores, ut coruſcantes miraculis, & tonantes contra peccatores, & aperiendo theſauros verbi Dei accelerarent nivem, ſcilicet frigidos peccatores attraherent ad Chriſtum, ſicuti fecerunt Apoſtoli, & Sancti qui evolaverunt ut nubes per totum Mundum, ut videas quales fructus gignit prædicatio verbi Dei: *Ser. de SS. Sim. & Iud. ſap. c.5. Io. c.12. v.29.*

599. *Gratia Dei debiles facit fortes, & ſolidos ſicut chryſtallum.*

Gelavit chryſtallus ex aqua, &c. Nota quòd chryſtallus primò eſt aqueus, & fluidus, ſed perflante vento coadunatione partium fit ſolidus, atque durus: ecce prodigium gratiæ Dei, quæ flante Spiritu Sancto peccatores aqueos, & fluidos ſcilicet propenſos, & aſſuetos peccare ad omnem flatum tentationis, illos reddit ſolidos, & duros ad quamcunque tentationem, afflictionem, & tormentum, ut patet in Petro, qui primò ad vocem ancillæ viliſſimæ ob metum negavit Chriſtum, & poſteà opera Spiritus Sancti fuit in firmitatem chryſtallinam induratus: ô quam valida, & efficax gratia Spiritus Sancti: *opuſc. Eccleſ. Hierar. p.4. capit.2.*

600. *In utero Mariæ Virginis Chriſtus compoſuit medicinam efficaciſſimam.*

Medicina omnium in feſtinatione nebulæ, &c. Quomodò dicitur quòd medicina omnium ſcilicet infirmitatum præparabitur ex feſtinatione nebulæ? ergo hæc medicina ex nebula conficitur? Sed attende: ad litteram metaphoricè dat intelligere quòd in tempore ſiccitatis adveniens nebula immittens pluviam, veluti ſanitatem affert omnibus herbis, quæ prius languebant: & utitur hac metaphora ad vindicandum maximum myſterium nempè quòd hæc nebula eſt humanitas aſſumpta à verbo in utero Virginis, in qua, & per quam compoſuit medicinam ſacramentorum efficaciſſimam ad ſanandum omnia vulnera peccatorum, & ideò rectè appellatur medicus Chriſtus ut ſupra *c.* 38. & etiam Maria Virgo medica, quæ antidotum omnibus propinavit. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 7. cap.9. Luc. c.9. v.34.*

601. *In mari hujus ſæculi, qui vult effugere pericula confugiat ad Dominum.*

In ſermone Domini ſiluit ventus, &c. Qui navigant mare enarrant pericula. Nota quòd primò ſapiens dat intelligere quòd venti, & mare, & omnia obediunt Chriſto imperanti: poſteà addit quòd enavigantes hoc mare, quod eſt Mundus, experiuntur pericula inde occurrentia undique, ut det intelligere quod qui vult ea evadere ad Deum cœli, & terræ Dominum confugiat, quia ipſo abſente, vel dormiente impoſſibile eſt evadere tot pericula, & mala. *Ser. 1. in rogat. Luc. c.8. v.23. & v.24.*

602. *Verbi Incarnatio, & mors fuit conſummatio omnium ſermonum, & verborum Prophetarum*; undè dicebat ſapiens: multa dicemus, & deficiemus in verbis, conſummatio autem ſermonum ipſe eſt in omnibus. *in Luc. c.7. v.1. Ioan. cap.19. verſ.30. & coll. 11. 85. Pſal. 118. cap.1. v.1. in tit.*

603. *Ubi de Deo eſt ſermo, ibi concurrit Deus ad complendum diſcurſum, ſic dicitur hic multa dicemus, &c.* conſummatio autem ſermonum eſt ipſe in omnibus, ſic fecit Chriſtus cum diſcipulis euntibus in Emaus: *Luc. c.24. verſ.16. Eccleſ. c.1.*

604. *Unuſquiſque tenetur Deum laudare, & glorificare quantum poteſt, quia ipſe eſt dignus, & major omni laude, &c.*

Glorificantes Dominum quantumcunque potueritis, ſupervalebit adhuc, & admirabilis magnificentia ejus: & quia major eſt omni laude, debet ergo omnis homo conari ſemper Deum laudare quantum poteſt, hoc enim decet humilitatem noſtram, debetur ab omni creatura, & Deus ipſe dignus eſt omni laude, &c. *Luc. cap.1. v.46. & c.2. v.19. & c.7. v.16. & c.18. in fine: op. de prof. relig. lib.2. c.65. Ioan. c.13. v.56.*

CAP. XLIV.

605. *Deus nobis maxima bona contulit per Sanctos Prophetas, & Patriarchas, & omnes ſanctos: ideo & iſti laudari merentur ab omnibus.*

LAUDEMUS *viros glorioſos, & parentes noſtros in generatione ſua: multam gloriam fecit Dominus magnificentiâ ſuâ à ſæculo.* Nota quòd ſuprà probavit ſapiens Deum eſſe ſuper omnia laudandum in ſuis operibus, ſed quia inter alia maximum fuit mittere nobis viros Sanctiſſimos, ſcilicet Prophetas, & Patriarchas, qui licèt non fecerint miracula, fuerunt tamen prediti Sanctitate, & doctrina, & ideò per ipſos nobis tradidit Sacram Scripturam, & digniſſimi ſunt laude, quæ ad Dei gloriam reſultàt. *Ser.9. Hexam.*

606. *Prælati juſtitiæ miſceant miſericordiam.*

Dominantes in poteſtatibus ſuis homines magni virtute, & prudentia ſua prediti, &c. Vide qualiter illi Sancti dominati ſunt ſuos ſubditos, ſcilicet virtute, & prudentia; nempe juſtitia perfecta, ſed admixta cum miſericordia, & hoc dicitur ad inſtructionem Prælatorum: *Op. Eccl. Hierarc. p.2. c.2. & 3.*

607. *Sancti quantumcumque in contemplatione immerſi,* non tamen relinquunt opera miſericordiæ in proximos, hoc enim exigit vera charitas in Deum, & de iſtis dicitur: *illi ſunt viri miſericordiæ, quorum pietates non defecerunt, &c. opuſc. Eccl. Hier. p.3. c.3. ſerm. de SS. Simon, & Iuda: Luc. c.5. v.18. ſer.17. in Hexam. Pſalm.118. c.6. v.11.*

608. *Magna*

608. *Magna gloria eſt Prædicatorum, qui filios Chriſto generant prædicatione, doctrina, & exemplo: de quibus dicitur: Et cum ſemine eorum permanent bona hæreditas &c.* cum aliis ſequentibus teſtimoniis &c. *In Luc. c. 20. v. 31.*

609. *Juſtorum corpora ſepeliuntur in pace: impiorum in bello: illi vivunt celebres in nomine, famaque, iſti obliti ut iniqui.*

Corpora ipſorum in pace ſepulta ſunt. Quomodò in pace? qualis pax poteſt ineſſe corpori exanimi? præterea quot corpora ſepultæ fuere in igne, in mari, in ventre ferarum? ſed attende quam ſapienter hæc dicantur: Hæc pax non eſt ipſorum corporum exanimum, ſed ſanctorum quorum erant: nam dum viverent ea conſervabant in pace? ſed quomodò in pace, dum ſemper vixerunt in jejuniis, tormentis? &c. Hoc verum eſt, ſed tamen ſic viventes, & ſervantes corpora munda, ſcilicet modeſtiam in guſtu, continentiam in tactu, caſtitatem in ſenſibus quandò caſtigabant ipſum corpus in ſervitutem redigentes ob ſpem æternæ gloriæ futuræ: tunc in pace ducebant vitam, & fruebantur corpore in Deo; & cum tali pace reducebant ſe ad ſepulchrum: impii è contra non cum tali pace, ſed in continuo bello, & turbatione ſe reducunt ad ſepulchrum. *Ser. 18. Hexam.*

610. *Laudes in honorem ſanctorum decantandæ ſunt in Eccleſia.* & hoc ed Dei primò, & poſteà ad ipſorum ſanctorum exaltationem, & ad noſtram inſtructionem, & ut excitemur ad imitationem virtutum ipſorum: *in ſap. 4.* Unde hic dicitur: *laudemus viros glorioſos*, ſcilicet ob eorum virtutes, reſultantes in gloriam Dei, & noſtrum bonum. *Ser. 3. in feſt. omn. Sanct. in addit. Vid. num. 605.*

611. *Quomodò Eccleſia prædicat de quolibet viro juſto: Non eſt inventus ſimilis illi? &c.* Sed reſpondetur quòd in Eccleſia licèt ſint varii ordines Apoſtolorum Martyrum, Confeſſorum, &c. ſic & inter quoſlibet ipſorum in ſingulari, quilibet enim juſtus licèt informatus fuerit eiſdem habitibus ſicut alter, tamen in executione, & in variis circumſtantiis alter alterum ſuperavit, & ideò verè de quolibet dicitur: Non eſt inventus ſimilis illi, &c. *Lib. 3. d. 36. a. 1. q. 5. & lib. 2. d. 9. q. 8. & op. apol. paup. reſp. 1. c. 1.* Et in hoc exaltatur mirabiliter magnificentia Dei, & patet quam magna ſit domus ejus.

CAP. XLV.

612. *Diligens Deum, & Proximum dilectus eſt à Deo, & hominibus: ubi de S. Ioanne Evangeliſta, & Iacobo Apoſtolo.*

DILECTUS *Deo, & hominibus cujus memoria in benedictione eſt, &c.* Nota hoc ad litterã dicitur de Moyſe, qui fuit à Deo dilectus, & hominibus, quia ipſe fuit maximè diligens Deum, & proximum; ſed quia in Moyſa figurantur ſancti novi teſtamenti, & maximè Sancti Apoſtoli, & inter hos SS. Joannes Evangeliſta, & Jacobus: dat his verbis intelligere quòd ſignum dilectionis, & amoris perfecti in Deum eſt eſſe dilectum à Deo, & ab hominibus maximè juſtis, & inter hos S. Joannes Evangeliſta ſuper omnes fuit dilectus Chriſti ob integritatem ſacræ virginitatis, ob plenitudinem ſapientiæ cæleſtis, & ob affluentiam divini ſpiritus gratificantis: S. Jacobus verò rectè figuratus in Moyſe, quia uterque in filium adoptatus, Moyſes à filia Pharaonis, Jacobus à divina ſapientia, uterque Ægyptum ideſt Mundum dereliquit, & uterque dux Dominici gregis factus fuit, & uterque dilectus à Deo, & hominibus. *Ser. 1. de S. Iacobo, & in Ioann. collat. 62.*

613. *Deus multipliciter magnificat ſanctos ſuos.*

Magnificavit eum in conſpectu regum, & dedit illi coronam gloriæ, &c. Hoc dicit de Moyſe ad litteram, ſed & de cæteris ſanctis myſticè: quia Deus maximè honorat, & magnificat ſanctos ſuos: tùm gratias ipſis conferendo, tum miraculis illuſtrando, tum dignitatibus Eccleſiaſticis ſublimando: tum ad cæleſtis regni gloriam perducendo, eoſque in conſpectu regum, ideſt Angelorum honorando, & coronando. *In ſap. c. 19. in fine & c. 10.*

614. *Clericorum obligatio expenditur.*

In fide, & lenitate ipſius ſanctum fecit illum, & elegit eum ex omni carne, &c. Loquitur de Moyſe ad litteram, myſticè de clericis, quorum obligatio eſt habere fidem quoad Deum, ſcilicet firmiſſimam ad Deum, & fidelitatem firmiſſimam in ſuis officiis, & lenitatem ad proximum, ſcilicet patientiam in adverſis: & Deus elegit eum ex omni carne, ſcilicet clericum ſecernendo illum à populo ſæculari exigit ab eo ſeparationem ab omni carnalitate, ut totus ſpiritus, & ſpiritualis fiat: *Serm. 3. de dedicat. & ſapient. cap. 18.*

615. *Lex Dei lex vitæ, & diſciplinæ: ubi de Modeſtia diſcenda in Sacra ſcriptura.*

Et dedit illi cor ad legem vitæ, & diſciplinæ: Nota illa duo verba: vitæ & diſciplinæ: quia lex Dei eſt vitalis, ſcilicet vitam ſpiritualem animæ affert, & diſciplinam docet, ſcilicet modeſtiam in omnibus actibus; & hinc Sacra ſcriptura rectè dicitur lex diſciplinæ, & modeſtiæ, quia in ea non invenitur ullum verbum quòd nominet proprio vocabulo fornicationem, vel aliud membrum turpe, & hinc meritò appellatur lingua ſancta. *Op. princip. Sacr. ſcript. & Pſalm. 118. cap. 5. verſ. 8. & in Luc. cap. 10. verſ. 37.*

616. Corona

616. *Corona qualis, qua coronantur Sancti in Cœlo, ubi de aurea, & aureola.*

Corona aurea ſuper mitram ejus, expreſſa ſigno ſanctitatis, gloria honoris, &c. Nota hic loquitur de veſtibus ſacerdotalibus ſummi Pontificis Aaron, inter cujus ornamenta præcisè extollit coronam auream poſitam ſuper ipſius Mitram, in qua erat expreſſio ſanctitatis, &c. quia ibi erat inſcriptum nomen tetragrammaton, ideſt ineffabile, myſticè loquitur de corona, qua coronantur ſancti in cœlo; aliaque dicitur aurea, alia aureola: prima importat præmium ſubſtantiale: ſecunda accidentale, quod debetur virginibus ob triumphum reportatum contra carnis voluptates: Doctoribus ob donum magiſterii, quod in Eccleſia exercuerunt ad utilitatem fidelium: & martyribus ob victoriam contra hoſtes fidei reportatam. Præmium verò ſubſtantiale dicitur corona aurea: quia corona habet pretioſitatem, ſpecioſitatem, & interminabilitatem: pretioſitas eſt ex parte materiæ, ideò dicitur de auro: ſpecioſitas ex parte formæ: & interminabilitas ex parte figuræ, per quæ ſignificatur viſio, dilectio, ſeu fruitio, & tentio æterna. *Ser.3. de uno Mart. & op. Diet. tit.4. c.4. & tit.8. c.2. & tit.10. cap.2. & ſerm.2. de S. Barthol.* Nota etiam ut dictum eſt, fuiſſe inſcriptum nomen Dei tetragrammaton in Mitra, & ſuper mitram ſummi ſacerdotis erat corona: hinc à piis Doctoribus fit tranſitus ab hoc nomine ad nomen Jeſus, quod loco illius ſucceſſit, quod Chriſtus voluit ut conſcriberetur ſuper ipſius caput dum erat in Cruce pendens velut ſummus ſacerdos offerens ſacrificium Patri, ut daretur intelligi, ait *S. Vincent. Ferr.* quod in hoc nomine collocari voluit virtutem omnium rerum veluti in vaſculo ſacro.

617. *Sacerdotalis officii executio qualiter facienda.*

Factum eſt illi in teſtamentum æternum, & ſemini ejus ſicut dies Cœli, fungi ſacerdotio, & habere laudem, & glorificare populum ſuum in nomine ſuo, & offerre illi incenſum dignum &c. Nota quòd hic deſcribit Sacerdotium Aaron, quod appellat æternum quatenus figurabat Sacerdotium Chriſti; & ideò notat qualitates neceſſarias ad executionem Sacerdotii; & primò congruentiam ordinis, quo debet exequi; qui ordo conſiſtit non ſolùm in obſervantia externarum cæremoniarum, quatenus ordinatè fiant; ſed præcipuè in hoc quòd mens Sacerdotis dignè aſſiſtat conſpectui divino: ſecundò ut executio fiat ſecundùm exigentiam conſuetudinis, loco, & tempore debito, & ordinato: tum etiam quod fiat à Sacerdote non propria voluntate, ſed à Deo vocato: tertiò ut fiat propter aſſiſtentiam multitudinis, & populi, qui & ipſe oratione debet offerre cum Sacerdote; & hoc eſt quòd dicitur: offert incenſum dignum &c. ſcilicet orationem ſuam & populi: *in Luc. c.1. v.18. ſeq. & op. de ſex alis ſeraph.*

618. *Bonitas virtutis Sanctorum in quibus conſiſtat.*

In bonitate, & alacritate animæ ſuæ placuit Deo Iſraël Phinees. Sapiens hic tertiò loco deſcribit virtutes Phinees, ſed quia hoc facit figura Sanctorum legis gratiæ, ideò de ipſis verificantur ſupradicta verba, in quibus primo loco bonitas virtutis tanquam fundamentum aliarum collocatur; bonitas autem eſt ſubjectum, & objectum virtutis, & ideò circuit omnes virtutes, ſicut per oppoſitum malitia omnia vitia, & ideò quantò nobilior, & perfectior, tantò in pluribus reperitur, & à pluribus indigetur, videlicet in ſubjectione humilitas reverentiæ: in compaſſione pietas conſcientiæ: in converſatione integritas continentiæ: in refectione ſobrietas temperantiæ: in reſponſione longanimitas patientiæ: in affectione charitas amicitiæ: in operatione ſtrenuitas prudentiæ: & tali pacto vivitur in alacritate animæ, placens Deo. *Ser. de S. Martino.*

619. *Chriſtus in ſuo teſtamento reliquit nobis pacem.*

Statuit illi teſtamentum pacis, & principem fecit Sanctorum, &c. Quis eſt iſte cui à Deo ſtatutum eſt teſtamentum pacis, niſi Chriſtus Jeſus figuratus in Phinees, cui Pater impoſuit hoc præceptum, & ideo venit in Mundum ad pacem ferendam inter nos, & Deum, hanc pacem quaſi teſtamento reliquit diſcipulis ſuis, & ideò ter ipſam annuntiavit ſcilicet in nativitate ante mortem, & ante aſcenſionem, ut ſciat quòd qui pacem non habuerit, ſcilicet ad Deum, & proximum pro Chriſto abdicabitur à patre, exhæreditabitur à filio, & à Spiritu ſancto efficietur alienus. *In Ioan. collat.66.*

CAPUT XLVI.

620. S*. Ioannes Baptiſta figuratus in Ioſue:* de quo hic dicitur *Magnus ſecundum nomen ſuum, maximus in ſalutem electorum Dei:* Verè enim fuit magnus per vitæ meritum, major per doctrinæ magiſterium, & maximus per gratiæ privilegium. *In Luc. c.7. v.27.*

621. *Maria Virgo magna ſecundùm nomen, & omnium maxima in ſalutem electorum Dei.*

Magnus ſecundùm nomen, maximus in ſalutem electorum. Nota quòd hoc dictum eſt de Ioſue, & Joanne Baptiſta, ſed tamen id magis competit Mariæ Virgini, quia magna fuit ſecundum nomen: Maria enim interpretationes multiplices continet, per quas explicantur ejus prærogativæ: interpretatur enim amarum mare, ſcilicèt dæmonibus: ſtella maris ſcilicet hominibus: illuminata, & illuminatrix, ſcilicet angelicis ſpiritibus: item domina ſcilicet creaturis omnibus dominans, & hinc maxima fuit, quia ipſa ſalutem attulit Mundo. *In Luc. c.7. v.27. op. ſpec. B. Virg. lect.2.*

622. Nominis

622. *Nominis Ieſu prærogativæ.*

Ieſus magnus nomine, maximus in ſalutem electorum Dei. Hic loquitur ad litteram de Joſuë, qui fuit figura Ieſu Chriſti (ut dicit Gloſa) qui dicitur magnus nomine, & ſimul maximus re: Jeſus enim nomen convenit Chriſto, quia nominat primò divinam naturam relatam ad humanam, quia ratione divinæ naturæ eſt ſalvator auctoritativè, & ratione humanæ miniſterialiter: & quia ex re nomen habet, ideò magnum, & maximum eſt hoc nomen, quia ſalvat à peccato, à diabolo, ab inferno, & ſecundùm quinque litteras, quibus componitur, i,e,s,u,s, dat intelligi, quod hoc nomen eſt jucunditas mærentium, æternitas viventium, ſanitas lugentium, ubertas egentium, ſatietas eſurientium. *Op. Comp. Theol. lib. 4. c. 14.*

623. *Sanctus Franciſcus figuratus in Ioſue, de quo dicitur: magnus nomine, maximus in ſalutem electorum Dei, & uſquè in ſenectute permanſit illi,* ſcilicet S. Franciſcus magnus nomine per totum mundum cognito, maximus ſcilicet dulcis in conſiliis, paratus, & conſtans ad ſubeundas pœnas, & mortem, & fortis ad reprimendas libidines: & maximus in ſalutem electorum, ob quam à Chriſto miſſus eſt in Mundum: *Ioan. Collat. 91. & op. legend. S. Franc.*

CAP. XLVII.

624. VIRI virtus debet ſeparari ab omni immunditia carnis. ſicut hic dicitur de David quod fuit veluti adeps ſeparatus ab omni carne. *Op. Eccleſ. Hierarc. p. 1. cap. 1.*

625. *Iuſti laudent Deum inceſſanter, & ipſum diligant in toto corde*, ſicut dicitur de David hic quòd de omni corde ſuo laudavit Dominum, & dilexit Deum, qui fecit illum, ſcilicet in actionem gratiarum pro beneficiis à Deo receptis. *In Ioan. collat. 64.*

626. *Pſalmodia in Choro qualiter exercenda.*

Et ſtare fecit David cantores contra altare, &c. & dedit in celebrationibus decus, & ornavit tempora, &c. Nempè David inſtituit Pſalmodiam in templo, & ordinavit ut ſecundum qualitatem feſtorum majorum, vel minorum officium divinum, & muſica celebraretur: Et hinc eſt quòd in Eccleſia eſt uſus cantus pſalmodiæ, & ſoni inſtrumentorum, daturque intelligi exemplo hujus Sancti Prophetæ quòd officium divinum exigit diligentiam devotionis ut ſcilicet omnia fiant ordinatè, & non confuſè, & ſine erroris hæſitatione ut quiſque deputatum miniſterium congruè exequatur: item ut ſtrenuè & non pigrè peragatur: item ut devotè, & reverenter ſine diſſolutione & ſtrepitu diſtinctè, & attentè perſolvatur: Pſalmodia autem ordinata eſt in Eccleſia, primò propter imitationem cæleſtis concentus, quo Angeli, & ſancti in cœlo aſſiduè in præſentia Dei ejus laudibus ſunt intenti: ſecundò ut certis horis gratias agamus Deo pro beneficiis divinis: tertiò ut noſmetipſos ſic aſſiduè ad devotionem excitemus; & ignem amoris Dei nobis, ne per deſidiam, aliaſque occupationes tepeſcat, reaccendamus: quartò ut per hoc invitentur ſimplices, & ſæculares tunc temporis ad Deum laudandum, ſcilicet propter decorem religionis Chriſtianæ: ſi enim Gentiles, Judæi, Hæretici habent tempora determinata, in quibus conveniunt ad ſua conventicula: multò magis id decens eſt catholicis, & ideò inter omnes exteriores obſervantias, major debet diligentia divino officio adhiberi, alia enim tempora facimus pro Deo, in hoc autem aſſiſtimus Deo, & intendimus Deo, & alloquimur eum, & nos ipſe ſimul, & pro noſtris neceſſitatibus ejus auxilium poſtulamus: *Op. de ſex alis Seraph. c. 8.*

CAP. XLVIII.

627. S. *Ioannes Baptiſta, & S. Antonius de Padua figurati fuerunt in Elia:* de quo hic dicitur: *ſurrexit Elias quaſi ignis, & quaſi facula ardens:* nam uterquè fervore devotionis, & amoris, & ardore, & ſublimitate contemplationis fuit illuſtratus, & illuminatus in divinis theoriis, & arcània ſcripturarum myſteriis, & ſic fuit lucens aliis, & talis deberet eſſe verbi divini Prædicator. *In Luc. c. 1. v. 17. & c. 9. v. 8 & 19. & c. 11. v. 36. & in Ioan. c. 10. v. 42. & collat. 29. & ſer. 1. de S. Ioanne Baptiſta.*

628. *Collocutionum ſpiritualium effectus mirabiles expenduntur.*

Surrexit Elias quaſi ignis, & verbum ejus quaſi facula ardens: Nota *Verbum ejus, &c.* ut videas quòd collocutiones ſanctæ de rebus Sacris, & ſpiritualibus ſunt efficaciſſimæ ad corda inflammanda & loquentium, & audientium, quia Verbum Domini ignis eſt, & in cor intrat, & immutat, purgat, & animam innovat, & hinc eſt quòd Spiritus ſanctus apparuit in linguis igneis, ut daret intelligere quod linguæ de Deo loquentes ſunt ignitæ à Spiritu ſancto, & tunc Angeli ſancti ipſis libenter appropinquant. *Serm. 2. de S. Laur. & ſer. 2. de Evangeliſtis, & op. Diat. tit. 10. c. 5. in fin.*

619. *Verbum Dei prædicatum habet virtutem ſuſcitandi mortuos*, & ideò mens mortua eſt ad quam non pervenit Verbum Dei, ideò de Elia dicitur: ſuſtuliſti mortuum ab inferis, de ſorte mortis verbo Dei tui. *Op. Eccleſ. Hierar. p. 4. cap. 4.*

630. *Sine curru charitatis non aſcenditur in cælum.*

Qui receptus es in turbine igneo, in curru. Sic dicitur de Elia: ſed myſticè dicitur omnibus ſanctis, qui omnes recepti ſunt in Paradiſum in curru igneo: Nec aliquis unquam habuit, vel habere poteſt ingreſſum in cælum ſine hoc curru, qui eſt charitas ignea, habens quatuor rotas

tas igneas, ſcilicet amorem Dei, amorem ordinatum ſui, amorem amici, & amorem inimici: quicunquè aliqua harum rotatum caruerit, in cælum pergere non poterit. *Serm.5. Dom.8. poſt Pent.*

631. *Beati qui diligunt Deum, & ob ſui amorem patiuntur tribulationes:* ſic enim hic dicitur: *Beati ſunt, qui in amicitia ſua decorati ſunt:* in his enim vera amicitia cum Deo probatur: *in Luc. c.1.v.45. in Ioan. collat.69.*

632. *Prædicator zelans honorem Dei debet exemplo Eliæ, Principes non pertimeſcere, ſed peccantes publicè, arguere. in Luc. c.3.v.19.*

633 *Vita ſpiritualis recuperatio proponitur.*

Retrocedit ſol, & addidit regi vitam. Nota quòd ſententia mortis lata erat contra Ezechiam ſed ipſe oravit, & lachrymis vitam corporalem obtinuit, in cujus ſignum ſol rediit retrò decem lineis: myſticè invitatur homo mortuus ad recurrendum Deo pro obtinenda cura ſpirituali pluſquam corporali. *Ser.5. de Nativ.*

CAP. XLIX.

634. *Chriſti memorialia ſunt Sacramenta Eccleſiæ.*

MEMORIA *Ioſiæ in compoſitione odoris facta opus pigmentarii.* Nota quòd Joſias fuit figura Jeſu Chriſti, qui veluti pigmentarius reliquit memoriam ſui in Sacramentis, maximè in Euchariſtia, ut eſſent memorialia Paſſionis, & charitatis ſuæ. *lib.4. prol. Luc. c.22.v.11.*

635. *In quo ſenſu dicitur hic quod præter David Ezechiam, & Ioſiam omnes peccatum commiſerunt?* Et reſponderut quòd iſti tres ſoli non commiſerunt peccatum idololatriæ: & ſi alia peccata fecerunt, pœnitentiam condignam fecerunt, & ideò dicuntur non commiſiſſe peccata, quia delicta ſua purgata, habentur veluti non commiſſa: myſticè autem iſti tres reges ſignificant eos, qui ſe regere noverunt, ſuntque perfecti in perfectione, in converſatione, in contemplatione: per David ſignificatur perfecta contemplatio, per Ezechiam perfecta converſatio, & per Joſiam perfecta profeſſio ſeipſum ſacrificans in religione; & quilibet horum trium tria munera debet Deo offerre exemplo magorum; religioſus quidem tria vota: vir pœnitens aurum devotionis, thus orationis, & myrrham bonæ opinionis, & exempli: Contemplativus verò verſari debet circa reverentiam divinæ majeſtatis, divinæ clementiæ, & charitatis oſtenſæ in paſſione. *Ser.3. in Epiph.*

636. *Prælatus, & Princeps ſit alter Ioſeph imò Chriſtus*, ſcilicet princeps fratrum, ut ſcilicet regat ſubditos ut fratres: ſit ſtabilimentum populi, ipſum defendens ab oppreſſoribus, & ſimul refugium, & aſylus omnium. *Op. Eccl. Hierar. p.4. c.3. Ioan. c.20.v.27.*

CAP. L.

637. CHRISTUS *In utero Mariæ Virginis fuit ſtella in medio nebulæ*, ſcilicet Verbum in Carne ibi aſſumpta. *Op. ſpec. B. Virg. lect.7. & ſer.1. Dom.3. Adv.* Poteſt etiam dici quòd Chriſtus exiſtens in Euchariſtia eſt ſtella in medio nebulæ, ſcilicet ſpecierum, nos dirigens, illuminans, & inflammans. Item ſtella illuminans eſt vir contemplativus, ſed in medio nebulæ. ideſt in centro humilitatis. *Ser.20. Hexam.* Addit: *& luna plena in diebus ſuis lucet*, ſcilicet Eccleſia ex irradiatione Chriſti ſolis. *ſap. c.5.* Item Maria Virgo ſtella illuminata, & illuminatrix in medio nebulæ, ſcilicet in hac vita, & mundo. *Luc. cap.1.v.27. & op. ſpec. B. Virg. lect.2.*

638. *S. Franciſcus poſitus fuit à Chriſto in medio nebulæ*, ſcilicet in mundo quaſi ſtella matutina & quaſi arcus refulgens &c. nam in hoc tenebrarum chaos claris vitæ micans, & doctrinæ fulgoribus ſedentes in tenebris, & umbra mortis irradiatione præfulgida direxit in lucem, & tanquam arcus refulgens inter nebulas gloriæ ſignum in ſe dominici fœderis repræſentans pacem, & ſalutem evangelizavit hominibus. *Op. legend. S. Franc. in proœm.*

639. *Servus Dei ſit quaſi ignis effulgens, & quaſi thus ardens in igne:* ſcilicet habeat thus in igne, ſcilicet devotionem in fervore, & ignem effulgentem, ſcilicet exemplum bonum lucens. *ſer.4. in Epiph.*

640. *Juſtus vas auri ſolidum, & ornatum omni lapide pretioſo: impius vas terreum, fragile, & immundum.*

Vas auri ſolidum omni lapide pretioſo ornatum. Hoc ad litteram dicitur de Simone filio Oniæ ſummi ſacerdotis: Myſticè dicitur de Sanctis; nam ſanctos, & juſtus eſt vas aureum, ſolidum & ornatum: aureum propter refulgentiam charitatis: ſolidum propter conſtantiam firmitatis in tribulationibus; & ornatum propter refulgentiam honeſtatis; qua mundo fulget: quod excellentiſſimè verificatum eſt in Paulo Apoſtolo, de quo dixit Chriſtus vas electionis eſt mihi: E contra de impio dicitur, quod eſt vas terreum, fragile, & immundum. *Ser.2. in converſion. S. Paul. & op. Comp. Theol. lib.5. c.6. ſer.1. de S. Anton. in addit. ſer.1. in feſt. om ſanct. ibid.*

641. *Tempore ſolemnitatis, & oblationis in templo inſtructio datur ſacerdotibus, Prædicatoribus, & omni populo, quid ab ipſis agendum.*

Et ipſe ſtans juxta aram, circa illum corona fratrum &c. tunc exclamaverunt filii Aaron in tubis ductilibus, ſonuerunt &c. tunc omnis populus ſimul properaverunt, & ceciderunt adorare Dominum Deum ſuum, & dare preces &c. Nota quòd ad litteram explicat ſapiens oblationem, prædicationem, orationem factam in templo ab Aaron, & aliis miniſtris cum univerſo populo. Nobiſ-

què

què myſtice inſinuat quid faciendum io ſolemnitatibus, & celebrationis ſacrificii, tempore: nàm in dictis ſolemnitatibus debent offerre ſacerdotes Sacrificium devotè in honorem Domini Jeſu Chriſti: Prædicatores denunciare veluti tubæ Verbum Dei populo, & ipſe populus excitari ad laudes Dei, & adorationem, & ſic unitim Deum laudare, & benedicere. *In Ioan.c.7.v.37.op.Eccl. Hier.p.4.c.5.& Vgo hic.*

642. *Juſtus in corde ſuo reconditam continet ſapientiam calorum: impius ſpinas & tribulos.*

Beatus qui in iſtis verſatur bonis, qui ponit illa in corde ſuo, ſapiens erit ſemper; ſi enim hac fecerit ad omnia valebit, quia lux Dei veſtigium ejus eſt. Ecce diſcrimen inter ſervos veros Dei, & fictos, ſervoſquè Mundi: nam ſervi Dei continent in corde ſuo veluti in vaſculo auri ſolido Dei ſapientiam, ſcilicet amorem, charitatem, zelum, & virtutes: eaquè verſantur jugiter legendo, meditando, & operando, utique à lege divina in omnibus dirigentur? E contrà impii, & mundani ſpinas, & tribulos recondunt in corde, & in agro cordis, & ob id ſemper diſſipationem patiuntur, nec à Deo, ſed à diabolo ducuntur. *In Luc.c.1.v.66.Vgo hic & Gloſa.*

643. *Beata Virgo Maria fuit arca continens divinorum eloquiorum arcana.*

Unde hic dicitur de ipſa: Beatus eſt qui ponit illa in corde ſuo, iſte ſapiens erit ſemper, &c. Quis perfectius hoc fecit Maria Virgine, quæ conſervabat omnia verba, & actus Chriſti in corde? unde fuit perfectiſſima, & ſanctiſſima arca continens eloquiorum divinorum arcana: ſemperquè ea verſabatur legendo, meditando, & operando. *In Luc.c.2.v.19.Vgo hic.*

CAP. LI.

644. *Iuſtorum proprium eſt Deum laudare, & ei gratias agere pro beneficiis à Deo receptis.*

CONFITEBOR *tibi Domine rex, & collaudabo, &c. quoniam adjutor factus es mihi, &c.* Nota quòd hic enumerantur varia beneficia, quæ ſolet Deus ſuis ſanctis conferre, & præcipuè liberationem à poteſtate diaboli, & à malis, & ideo totum cor, & intentio illorum eſt ad confeſſionem laudis, & gratiarum actionem. *Sapient. cap.4. & cap.10.*

645. *Iuſtus habitat ſuper terram, & in calos impius in terra.*

Exaltaſti ſuper terram habitationem meam. Quomodò ſuper terram? ergo in aëre poſuit ſuam habitationem? Non in terra, non in aëre, ſed in cælo, quia habitatio juſtorum non eſt in terra, ſed ſuper terram, & in Paradiſo, & ideò aquæ diluvii hujus Mundi ad ipſos non perveniunt: E contrà impii habitant in terrà ſubjecti aquis diluvii. *Op.Diat.tit.5.c.1.*

646. *Qualis oratio exaudiri meretur; ubi explicatur textus hujus capitis ſparſim.*

Et exaudità eſt oratio mea: Cur exaudita? quià habuit omnes conditiones neceſſarias: fuit enim aſſumpta ad unicum finem principalem Deum laudandi: undè ait *confitebor tibi Domine rex, &c.* item ad actiones gratiarum reddendas Deo pro beneficiis, unde dicit: *confitebor, &c. quia protector, &c. liberaſti me, &c.* quia facta cum perfecta confidentia in Dei potentia, ſapientia, & bonitate, ideò dicit: *Invocavi Dominum patrem, &c.* & cum fiducia perfecta in meritis ipſius paſſionis, &c. & quia cum humilitate, & perſeverantia facta per hanc orationem exaltavit dominum, unde dicit; *laudabo nomen tuum aſſiduè*, ſcilicet cum humilitate, & perſeverantia, &c. Nam Dei nomen eſt nomen indicans ſummam ejus majeſtatem, & ob id reverentiam humilem quæ ei debetur, ejus veracitatem in promiſſis, ejus item ſummam pietatem: & ſic dicit humiliter, & lætanter, *& exaudita eſt oratio mea, &c. ſap.c.4.& 10.& 7.in Luc. c.16. v.24. & op. Diat. tit.5.c.1.Pſal.118.c.1. v.8. & cap.11. v.7. in Luc. c.18.v.1.& 13.*

647. *Manus ſuas in oratione extendens in altum à Deo ducitur.*

Manus meas extendi in altum, & in ſapientia ejus luxit anima mea. Ecce quid facit anima orationi dedita: extendit manus ſuas in altum, ſcilicèt orationem operibus roboratam: & ſic (ait) *ſapientia Domini luxit in me*, ſcilicet ductus ſum à Deo: & quo ductus? ductus ſum per virtutem obedientiæ: ductus ſum quo non volebat ſenſualitas mea: ſed ductus ſum ad imitationem perfectam Jeſu Chriſti: hoc verè dicere poterat Seraphic.P.S.Franciſcus. *in Ioan. collat. 9. & 4.*

648. *Invitatio fidelium ad Eccleſia ingreſſum proponitur.*

Appropiate ad me indocti, & congregate vos in domum diſciplina: Nota quòd in his verbis invitantur ſæculares ad Eccleſiam, maximè in diebus feſtis, ad audiendam diſciplinam, ſcilicet verbum Dei: quia Eccleſia eſt ſchola fidelium, & adverte quòd dicit appropiate ad me, ſcilicet relinquite foras curas ſæculi, & omnem immunditiam, ſi velitis, ad me appropiate dicit Dominus. *Ser.in dedic.ſer.4.Dom.9.poſt Pent.Luc. c.15.v.1.*

649. *Religio eſt domus diſciplina, & obedientia ad quam invitatur homo.*

Appropiate ad me indocti, & congregate vos in domum diſcipline. Nota quòd indocti invitantur ad domum diſciplinæ, & cur non omnes? & quæ eſt hæc domus? Domus hæc eſt ſchola virtutum, & obedientiæ, & eſt religio: ad hanc invitantur ſolùm indocti, ideſt qui indigent ſa-

pientia divina, nempè cognitione Dei, & deteſtatione vitiorum, & dilectione virtutum: appropinquate ad me, ait Chriſtus, ſcilicèt relinquendo terrena per pœnitentiam, & ad contemplationem accedendo: felix certè eſt hæc domus, & ſchola, & beati qui in illam introducuntur. *Luc. c. 19. v. 29.*

650. *Regulis fidei, & non ſenſui noſtro ſubjiciamus collum noſtra mentis.*

Collum veſtrum ſubjicite jugo, & ſuſcipiat anima veſtra diſciplinam. Cui jugo collum eſt ſubjiciendum? jugo regularum fidei, & ſacræ ſcripturæ: datque intelligere quòd homo non debet ſequi ſenſum ſuum, ſed illum ſubjicere veritati fidei, & ſcripturæ ſacræ, & in hoc ſtat perfectio ſapientiæ. *Op. de prof. religioſ. lib. 1. c. 5.*

651. *Pro præmio vitæ æternæ in hac vita laborandum.*

Operamini opus veſtrum ante tempus, & dabit vobis mercedem veſtram in tempore ſuo. Hæc eſt concluſio hujus mirabilis libri Eccleſiaſtici: ad hanc terminat omnis noſter labor, omne ſtudium hominis: ad omnes dirigitur hæc admonitio, & omnium ſententiarum hujus libri, imò eſt totius ſacræ ſcripturæ concluſio: operamini (ait) laborate dum tempus habetis: laborate ante tempus mortis; quia labor eſt modicus: laborate fideliter in vinea domini, quòd ſi laboraveritis fideliter, & devotè, Deus dabit vobis mercedem veſtram, & ad menſam regni cæleſtis vos introducet, ubi amplius vobis non erit labor vel triſtitia, ſed felices, & beati vivetis in ſæcula ſæculorum, quod & vobis, concedat Deus omnipotens. Et hic explicit expoſitio *Serap. Doct. in Eccleſ.* ad gloriam Dei omnipotentis, cui in æternum ſit gloria &c. *Ioan. collat. 31.*

EXPOSITIO SERAPHICI DOCTORIS

S. BONAVENTURÆ

IN ISAIAM PROPHETAM.

PROLOGUS.

ISAIAS Propheta inter Majores ponitur primo loco, eo quia cæteros præcellit, & tempore, & dignitate, & Sermonis urbanitate, & ſententiarum profunditate, & verborum aperitione, & manifeſtatione: Tempore præcellit; quia centum quinquaginta annis ante Hieremiam Prophetavit: dignitate, quia nobili genere fuit: urbanitate Sermonis, quia urbanus urbanè locutus eſt, non ſimplici vel paſtorali eloquio, ut cæteri: myſteriorum profunditate; univerſa enim de Chriſto, & Eccleſiæ Sacramentis profundiſſimè proſecutus eſt: Tum verborum aperitione præfuit; quia apertè de Chriſto locutus eſt, ita ut non de futuris, ſed potius de præteritis hiſtoriam texere videatur. Unde ait Hieronimus, quod non tantum Propheta; ſed & Evangeliſta, & Apoſtolus appellari meretur. Hic autem liber ſcriptus eſt intus, & foris, ſcilicet ejus materia extrinſeca eſt de Tribubus Iſraëliticis quas ad litteram intendit ſervare ab idololatria, & aliis vitiis: intrinſeca verò ſunt Sacramenta, & myſteria Chriſti, & Eccleſiæ per quorum explicationem intendit revocare omnes malos à vitiis, & ad deſiderium æternorum provocare: *Op. Princip.* Cætera verò, quæ ſpectant ad Prolegomena hujus libri, & Auctoris videantur apud D. Hieron. Gloſſam, Ugonem, alioſque Expoſitores.

CAPUT PRIMUM.

1. *NON ſufficit auribus ſolùm, vel corde ſolùm percipere legem Dei; ſed utroque modo, ita ut in corde recipiatur per aures corporales; ſed exterius per obſervantiam reſonet.* Unde hic Propheta volens legem Dei prædicare invitat Cœlos, & terram ad percipiendum ipſam auribus ſcilicet cordis, & corporis, interiùs, & exteriùs. Invitat autem Cœlos vel ad majorem expreſſionem, vel per Cœlos intelligit Majores, Doctos, & Prælatos, & per Terram Minores, indoctos & ſubditos, ut omnes indiſcriminatim percipiant legem Dei, quam Deus ipſe revelavit, quæ revelatio à Patre per Filium, qui eſt os ipſius, & Spiritum Sanctum, qui eſt ſonus oris ejus procedit. *Pſa. 118. c. 10. Pſal. 77. Ugo hic.*

2. *Ingratitudo maxima, eſt eorum, qui majora beneficia à Deo receperunt, & ipſa contempſerunt.*

Filios enutrivi, & exaltavi, ipſi autem ſpreverunt me. Nota, quòd ad litteram hæc dicuntur de populo Judaico, qui ſuper omnes exaltatus eſt à Deo maximis beneficiis, & præcipuè de Phariſæis, qui inter Judæos ſanctitatem majorem profitebantur, & tamen iſti ſuper omnes populos, & illi inter Iſraëlitas fuerunt ſuper omnes ingrati, & ſuperbi: Myſticè autem conqueritur Deus de populo Chriſtiano ſuper omnes populos beneficiis maximis honorato, & inter hunc de religioſis ſuperbientibus ex hoc quod ingratiſſimi præferant ſuam ipſorum propriam voluntatem Voluntati Dei, dediti ſuperbiæ, vanitati, & voluptatibus terrenis. *Luc. c. 7. v. 30. & c. 19. v. 14. & c. 9. v. 22. & c. 15. v. 19. & c. 23. v. 36.*

3. *Religioſorum confuſio maxima, quod à ſæcularibus ſæpe ſuperantur in Dei ſervitio.*

Filios enutrivi, & exaltavi, ipſi autem ſpreverunt me: Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui, Iſraël autem me non cognovit.

Qui ſunt iſti Filii tam à Deo exaltati, & ſimul ingrati Deo, & quomodo poteſt dici, quod bos, & aſinus, qui ſunt animalia irrationalia cognoverint Deum? ſed aſpice ad Chriſtum natum, & poſitum in Præſepio, & vide Reges gentiles ſignificatos in bove, quærentes adorare, hunc parvulum regem quem Hieroſolimitani non cognoverunt; & ideo dicebant: ubi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? & dic quod in hoc patefit ingratitudo, & negligentia religioſorum plurium, qui à ſæcularibus ſuperantur in Dei ſervitio: Vide hic Reges homines ſæculares regni negotia intermittentes, & Deum quærentes, quem tamen multi litterati, & aliquando religioſi negligunt? & ideo plerumqne actione ſæcularium confunditur vita continentium, dum illi extra habitum aſſumunt opera, & iſti intra ordinem proprium non excitant corda, & intermittunt ea, quæ debent aſſumere, & ad quæ ſunt obligati. O magna confuſio & intolerabilis verecundia, &c. *Ser.2.in Epiph.Luc.c.2.v.7.*

4. *Chriſtus elegit Gentiles obedientes relictis Iudæis inobedientibus.*

Filios enutrivi, &c. Cognovit bos poſſeſſorem ſuum & Aſinus, &c. Nota quòd per filios intelligit populum Iſraëliticum, per Bovem, & Aſinum Gentilem, ut videas quod filii exaltati à Deo, quia ingrati, & inobedientes fuerunt, ab ipſo derelicti, & Gentiles ad ſui ſervitium recepti, quia cognoverunt, & Chriſto vocanti obedierunt. *Serm.15.Hexam.*

5. *Confuſio maxima eſt hominis Deo non obedientis, dum cætera creatura ipſi obtemperant.*

Filios enutrivi, &c. Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, &c. Nota quòd in his verbis conqueritur Deus de ingratitudine execranda Chriſtianorum, qui cum Deum cognoſcant, cum infinita beneficia ab ipſo receperint: tamen ingratiſſimi ſpernunt, quem omnes Creaturæ cognoſcunt. Vide quomodo bos & Aſinus Chriſtum adorant, ſtellæ prædicant, cœli admirantur, & laudant, omnes Creaturæ ei obediunt: & tamen ſolus homo ingratus non prædicat, non laudat, non obtemperat, ſed ſpernit, perſequitur. *Serm. 3. de Angelis. ſap. cap.16. ſerm.4. de Una Virgin.*

6. *Deus non cognoſcit ipſum non cognoſcentes.*

Filios enutrivi, &c. Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, &c. Nota quod per Bovem, & Aſinum intelligitur peccator à Deo vocatus, & ad pœnitentiam veniens, & de iſto dicitur: *cognovit Bos, &c.* ſcilicet mandata ejus obſervando: ſuper hos autem dirigitur cognitio ſummi Paſtoris ſolùm cognitione approbationis cognoſcentis ſuos, & alios ignorantis, & reſpuentis: Væ igitur non cognoſcenti Dominum in mundo; quia poſtea cognoſcet punientem in alia vita. *Ser.2.Dom. 1.Poſt Oct.Paſch.ſerm.4.de Una Virg.*

7. *Chriſtus poſitus eſt in Præſepio, ut ad ipſum occurerent tamquam ad cibum cæleſtem Bos, & Aſinus.*

Cognovit Bos poſſeſſorem ſuum, & Aſinus præſepe Domini ſui, Iſraël autem me non cognovit. Nota quòd hic alluſio fit ad Chriſtum poſitum à Maria Virgine in Præſepio in medio duorum animalium; ſed quomodo dicitur, quod hæc irrationalia ipſum Chriſtum cognoverunt? Reſpondetur primò, quod ipſum, licèt irrationalia, veluti Dominum adoraverunt: ſecundò ad ſignificandum maximum myſterium nempe voluit reponi in Præſepio; ut daret intelligere, quod veluti panis vitæ expoſitus eſt cibus humilium, & ſimplicium, & ut ipſum ſumendo Judæi, & Gentiles naturam irrationalem, & beſtialem exuere poſſent, & in hoc paſtu, & Paſtore uniri: *Luc.c.2. v.7.*

8. *Deus, cum abhorreat omnes peccantes, ſuper omnes tamen odit trahentes alios ad peccatum.*

Væ genti peccatrici, væ populo gravi, ſemini nequam, Filiis ſceleratis, dereliquerunt Dominum, blaſphemaverunt Sanctum Iſraël; abalienati ſunt retrorſum. Nota hunc ordinem continentem gravia myſteria: *Væ*, quod importat æternam damnationem ſubdit: *genti peccatrici*, ſcilicet quoad ſe, & ſe ipſam ordinando nequiter propter malitiam cordis, quod eſt malum grande: ſubdit, *populo gravi iniquitate*: ad quid ſubditur hæc gravitas? nonne involvitur in primis verbis? ſed nota, quòd loquitur de ipſis, qui non contenti de proprio peccato in ſe, etiam alios in opere crudeliter lædunt, ipſos trahendo ad alia peccata: tunc enim gravantur, & propriis, & alienis: iſtis autem convenit, quod ſequitur, *ſemini nequam filiis ſceleratis*, quia imitatores diaboli ſunt, Deum derelinquendo, & blaſphemando, & vituperando: ut videas, quàm Deo ſint exoſi proximum lædentes, & ad peccatum attrahentes. *ſerm.4.Dom.21. Pent.*

9. *Peccantes ſunt filii ex ſemine diaboli.*

Væ genti peccatrici ſemini nequam. Quid eſt ſemen nequam? ſemen nequam eſt zizania, quæ ſuperſeminavit diabolus in agro Eccleſiæ, ſunt adulteri, raptores, uſurarii & alii perverſi, qui verè filii diaboli ſunt. Unde ſubdit: *abalienati ſunt retrorſum*: ſcilicet ex Filiis Dei facti ſunt Filii alieni, ſcilicet diaboli. *Serm.2.Dom.4.poſt oct. Epiph.ſer.4.de Dedic.Eccleſ.Luc.c.13. v.34. Thren. Prolog.v.5.*

10. *Languores à peccato in humanum genus cauſatos Chriſtus aſſumpſit, ut nos ab ipſis eriperet.*

Omne caput languidum, & omne cor mœrens: à planta pedis uſque ad verticem capitis non eſt in eo ſanitas, vulnus, & livor, & plaga tumens non eſt circum ligata, nec curata medicamine, neque fota oleo: Nota quòd licet Propheta deſcribere intenderet ad litteram ſtatum miſerabilem populi Judaici, tamen magis propriè adaptantur hæc verba ſtatui humanæ generationis antequam Verbum

Verbum ſumeret carnem: nam humanum genus propter peccatum Adæ totum languidum redditum eſt, & gravatum infirmitatibus variis mortiferis à planta pedis uſque ad verticem capitis, ſcilicet tam majores quàm minores, tam prælati quàm ſubditi, omnes languentes, infirmi, vulnerati, & mærentes leproſi per tumorem ſuperbiæ; Paralitici per invidiam; febricitantes per iram; languidi per accidiam; hydropici per avaritiam; lunatici, & epileptici per gulam; vulnerati, & ſanguifluì per Luxuriam: Chriſtus autem *omnes languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit*; ut nos liberaret à tot infirmitatibus. Adſpiciamus igitur ad hunc noſtrum medicum liberatorem, & videamus, ipſum: ut nos à tot languoribus liberet, in capite ſpinis coronatum, in corde lancea vulneratum, in pedibus & manibus clavis confoſſum, & breviter conſideremus à planta pedis uſque ad verticem capitis, & inveniemus quod in eo non eſt ſanitas; ergo corde, & ore, & opere tanto benefactori amorem pro tanta charitate rependamus: *Serm.1.& 2.in Paraſ. Ser.3. Fer.2. Paſcha. Luc.c.7.v.23.Ioan.Collat.24.*

11. *Impius caput languidum, Iuſtus ſanum habet?*

Omne caput languidum, & omne cor mærens. Vide ſtatum peccatoris miſerabilem, qui per peccatum totaliter eſt languidus, nec poteſt ad Cœlum levare caput: Iuſtus totus ſanus faciliter caput ad Cœlum, & ad Deum levat per fiduciam, & amorem. *Serm. 2. Dom.13. Pentec.*

12. *Dum Prælatus eſt malus & infirmus ſpiritualiter totum corpus ſubditorum dolet.*

Omne caput languidum: Quid eſt hoc caput languidum? Hoc eſt Prælatus malus; ſi enim Prælati ſint languidi in Dei ſervitio, ſi infirmi jacentes in peccatis; ſequitur quòd & cor, & cætera membra, ſcilicet ſubditi langueant; nam vita mala Prælatorum eſt ruina ſpiritualis ſubditorum. *Ser.3.Fer.2.Paſchæ.Luc.c.7.Ioan.c.Coll.24. Thren.c.10.*

13. ***Felicitas hominis poſt adventum, & mortem Chriſti curantis infirmitates expenditur.***

A planta pedis uſque ad verticem non eſt in eo ſanitas: vulnus, & plaga tumens non eſt circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo: Hæc dicebat flens Iſaias, videns miſerias in quibus jacebat totum genus humanum, & ardenter deſiderans adventum medici cœleſtis; quod tamen non potuit ipſe videre, ſicut & nos digni facti ſumus: apparuit enim ſamaritanus Chriſtus Ieſus de Cœlo medicus, qui vulnera, non tantùm concupiſcentiæ, ſed & omnium generaliter peccatorum ſanat, ligaturâ obſervantiæ mandatorum, oleo miſericordiæ egenorum, vino pœnitentiæ peccatorum. *ſerm.3.Dom.12.Pent.*

14. *Efficacia Sacramentorum novæ legis, inefficacia Sacramentorum veteris legis expenditur.*

Vulnus, & plaga tumens non eſt circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo: Si hoc dicitur de plagis ſpiritualibus hominum, quomodo, & quare Propheta conqueritur quòd non fuerint circumligatæ, nec curatæ? nonne in lege veteri aderant ſacrificia & Sacramenta inſtituta ad ſanationem infirmitatum ſpiritualium? Aderant quidem; ſed tamen meritò conqueritur, ut illuſtratus lumine cœleſti; quia cogitans, quod ſanationes legis veteris ſacramentales non erant ſanativæ; quia morbus erat lætalis, & unctio, & medicamenta erant ſuperficialia, nec penetrantia ex opere operato ad interiorem languorem: ſciens ex alia parte, quòd Chriſtus adveniens in mundũ inſtituturus erat ſacramenta efficaciſſima ad ſanandam quamcumque infirmitatem ſpiritualem; ideo ſciens, ut ait, D. Paul. ad Hebr.c.9.impoſſibile eſſe ſanguine Taurorum, & hircorum auferri peccata, clamabat: *Vulnus, & livor, & plaga tumens*: *Vulnus*, ſcilicet peccatum originale: *livor*, ſcilicet peccatum veniale: *Plaga tumens*, ſcilicet peccatum mortale, *non eſt circumligata, nec curata, &c.* Felicia igitur tempora, & ſtatus Chriſtianorum, quibus Chriſtus uniens mortalitatem noſtram vitæ divinæ ſe ipſum fecit, & medicum, & medicinam, in qua, & per quam mortuus reviviſcitur, & ex morte ipſius ſacramenta habent vivificandi efficaciam; & hinc vide quanta fuerit pietas hujus peritiſſimi medici, qui ne aliquis in infirmitate ſua excuſationem haberet, providit innumeris aliis medicinis ſpiritualibus Eccleſiam, ut ad hæc medicamenta percipienda invitaret peccantes, eaque applicaret indigentibus, & ſic ſanarentur: *Op. Apol. Paup. Reſp.4.c.3.& lib.4. in Prolog.* Nota etiam, quòd circumciſio efficax erat ad tollendum peccatum originale; ſed non ad alios effectus Baptiſmi. *Lib.4. in Prolog. Luc.c.10.verſ.37.& lib.4.d.1. p.1.q.5.*

15. ***Peccatum Mortale eſt graviſſima infirmitas torquens Animam & Corpus.***

A planta pedis uſque ad verticem non erat in eo ſanitas; In quonam non eſt ſanitas? Sed attende quòd ſupra dixit: *Væ genti peccatrici, populo gravi, ſemini nequam, filiis ſceleratis*: loquitur de exiſtente in peccato mortali; nam hoc eſt omnis infirmitas aggravans corpus, & Animam; & ad mortem reducens ſpiritualem, corporalem; & æternam. Unde poteſt appellari Febris tertiana, propter triplicem concupiſcentiam; oculorum, carnis, & ſuperbiæ vitæ: eſt, & Febris quartana propter quadruplicem gradum peccandi, ſcil. ore corde, opere, & conſuetudine: eſt, & podagra pedum propter accidiam: eſt, & paralyſis manuum propter peccatum invidiæ, & iræ: eſt hydropiſis propter peccatum avaritiæ: eſt ſquinantia propter peccatum gulæ: eſt lepra propter peccatum luxuriæ, & propter hæc omnia dicitur: *A planta pedis uſque ad verticem non eſt in eo ſanitas: op. Diat.Tit.1.c.1.ſer.1 de uno S.Confeſ. Luc.c.5. v.12.*

16. Propter

16. *Propter peccata maxime publica, & ingratitudinem veniunt deſolationes terrarum.*

Terra veſtra deſerta, Civitates veſtra ſuccenſa ſunt igni: regionem veſtram coram vobis alieni devorant, & deſolabitur ſicut in furore hoſtili: Ad litteram Propheta affert rationem captivitatis Iudæorum,& deſolationis terræ promiſſionis,quæ ob peccata maxime publica in deditionem alienorum data eſt à Deo. Datque nobis intelligere quòd propter peccata ſimilia,& maxime propter ingratitudinem noſtram veniunt deſolationes terrarum, ſterilitas, & alia flagella.*Luc.c.3.v.1. & cap.13. v.35. & cap.17. v.35. Thren. cap.6. Thren.c.2.*

17. *Quàm Deo ſit exoſum peccatum.*

Niſi Dominus reliquiſſet ſemen, quaſi ſodoma, & Gomorrha fuiſſemus: Nota quòd in medium Propheta affert Sodomam, & Gomorrham, quæ à Deo punitæ fuerunt tam acriter, quod nec ullus impunitus, nec incombuſtus ab igne ultionis divinæ remanſit: Dat igitur Spiritus Sanctus intelligere quale odium habeat Deus ad peccatum; nam in ulciſcendo peccata Deus oſtendit miram ipſius juſtitiam, quam ut ſervet illæſam nullo modo infringi permittit, & tantùm peccatum odit, ut propter peccatum, quos chariſſimos reputavit, abjiciat; & ideo tam ſpectandum divinæ ſeveritatis exemplum in Angelo nobiliſſimo, & in primo homine, quorum utrumque propriis manibus plaſmavit, ac decoravit,Deus nobis infirmis præponit,& oſtendit; ut diſcamus quantùm odit peccatum, & maximè ſuperbiam, quòd pro uno motu cordis nobiliſſima omnium creatura æternaliter, ac ſine ſpe veniæ eſt damnata, & pro uno eſu pomi, & ipſe Adam,& tota ejus poſteritas uſque ad finem mundi eſt mortalitati, & multiplici pœnalitati ſubjecta,& niſi Dominus reliquiſſet nobis ſemen (ſcilicet in Chriſto)quaſi Sodoma fuiſſemus:hoc efficaciſſimum relinquitur argumentum, quod horrendum eſt incidere in manus Dei viventis; ſi enim Deus non pepercit nobiliſſimo Angelo ſuperbienti, quid erit de viliſſimo, & abjectiſſimo cinere ſe in altum extollente, cum jacere debeat in cinere,& exilio, imò in ipſo ſterquilinio. *lib.2.d.6.a.1.q.1. ad ult.*

18. *Deus non deſtruxit, & damnavit genus humanum intuitu Chriſti Ieſu, & Beatiſſima Virginis Mariæ.*

Niſi Dominus reliquiſſet nobis ſemen,quaſi Sodoma fuiſſemus, &c. ſi Deus reliquit nobis ſemen: ubi & in quo loco,vel perſona remanſit? Nota hic alluſionem fieri ad Chriſtum, & Mariam Virginem, quæ per generationem carnalem traxit originem ex Adam: dat igitur intelligere, quòd Deus, habito reſpectu ad merita Chriſti principaliter,& ſecundariò Mariæ Virginis non deſtruxit vel damnavit æternaliter genus humanum, ſicut damnavit malos Angelos:Gratias igitur agamus Chriſto Ieſu, & Mariæ ejus matri pro tanto beneficio. *Ser.4.Dom.ſexageſ.*

19. *Deus repulit ſacrificia,& ſacramenta veteris legis, & quando: Vbi de eorum virtute.*

Quo mihi multitudinem victimarum veſtrarum? Plenus ſum: holocauſta arietum, &c. nolui, &c. Verba hæc diriguntur à Propheta ad Iudæos, & certè admirationem pariunt? Nonne Deus præceperat Iudæis,ut offerrent ſacrificia,victimas, Arietes,&c. quomodo tunc ea reſpiciebat? Sed attende;quòd primò conſideranda ſunt ſecundùm ſe ipſa, & hoc pacto nunquam Deus ipſa, niſi propter ſignificationem amavit, quatenus erant umbra, & figura ſacrificiorum, & Sacramentorum novæ legis: Unde inſtituta non fuerunt ad efficiendam, & producendam gratiam, ſicut Sacramenta novæ legis, licèt eſſent diſpoſitiva ad fidem Chriſti venturi: & hinc comparativè, ſcilicet in ordine ad Sacramenta legis gratiæ dicebat Deus: *Quo mihi multitudinem victimarum veſtrarum? Plenus ſum:* quæ magis poſtea verificata ſunt poſt adventum Chriſti,poſt inſtitutionem Sacramentorum, maximè poſt Pentecoſten, & aliquale tempus poſterius,nam ex tunc temporis ad nihil valent.*l.4.Prolog.& d.1.p.1.q.5.thren. c.2.Ioan.c.4.v.21.*

20. *Sacrificium,& oblationes non offerenda ſolùm in templo materiali,ſed magis in templo cordis.*

Cum veneritis ante conſpectum meum, quis quaſivit hæc de manibus veſtris? & ambulaſtis in atriis meis,ne offeratis ultra ſacrificium, &c. Nota quòd hic deteſtatur Deus ingreſſum in templum, & oblationes ibidem factas: & cur hoc cum ipſe hæc Deus ordinaſſet? ſed attende, quòd Deus hinc loquitur, non ſolùm Iudæis, ſed & nobis Chriſtianis: deteſtatur enim ſummopere Deus eos, qui intrant quidem in templum Sanctum Dei ad oblationes faciendas, ſed intrando exterius remanent: ſcilicet non intrant intus in corde,& ibi non quieſcunt: qui enim vult Deo ſacrificium offerre, debet priùs intrare intra ſe ipſum, congregare cœtum potentiarum, & ibi cum Domino quieſcere,& Deo offerre ſacrificia: & quia major pars ſolum ingreſſum materialem obſervat; ideo iſtis dicitur: *quo mihi multitudinem victimarum? Luc.c.4.v.16.*

21. *Feſta alia Dei,alia mundi,alia diaboli ab hominibus obſervantur.*

Calendas veſtras, & ſolemnitates veſtras odivit Anima mea: Hæc dicit Dominus. Sed nonne præceperat obſervantiam diei ſabbati? Cur ergo ipſam dicit ſe odiſſe? Attende quòd dicit calendas, & ſolemnitates veſtras,non meas, ſed veſtras:cur hoc? Quia alia eſt feſtivitas diaboli, alia mundi, alia Dei: Feſtivitas diaboli eſt illa in qua vacatur operibus peccatorum, & præcipuè theatris, ſaltationibus, choreis, nundinis, cum Dei offenſa: quia minus peccatum eſſet, ſi lanam, vel aliud opus ſervile facerent: Feſtum mundi eſt, in quo homo vacat comeſſationibus, ebrietatibus, ludis, & ſimilibus, quæ ſunt ejuſdem ordinis, ac feſta diaboli: Feſtum Dei eſt, in quo homo vacat cultui divino, toto corde, & opere ei

ſerviens

ſerviens : & quia multi celebrant feſta, diaboli, & mundi iſtis dicit. *Solemnitates veſtras odivit Anima mea. Ioan. Collat. 36. & 37. Luc. cap. 13. verſ. 14.*

22. *Qui offert ſacrificia, vel eleemoſynas, & orationem ad Deum, & fundit manibus ſanguine plenis fruſtra laborat.*

Cum extenderitis manus veſtras, avertam oculos meos à vobis, & cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam. Cur ô bone Deus, qui aliàs dixiſti, *petite, & dabitur vobis*, nunc oppoſitum dicis? Sed nota, quòd ſubdit. *manus enim veſtra ſanguine plena ſunt.* Quid eſt habere manus ſanguine plenas? Nota verba, ſigna myſteria ô lector : manus ſanguine plenas habet, qui odium in proximum gerit; qui peccatum mortale in corde gerit ſine propoſito emendationis; qui in carnali delectatione moratur : qui ſanguinem aliorum, ſcilicet ſubſtantiam bibit; qui nimis in eleemoſynarum largitione confidit, nempe continuando in peccatis : qui ſine miſericordia in proximum eſt: qui ſolum ad Eccleſiam vadit propter diſtributiones : qui ſe in Dei ſervitio collocat propter quæſtum temporalem : qui immundo corde ſumit Chriſtum in Eccleſia, iſtorum orationes Deus non acceptat, ſed rejicit eos à ſe tanquam inimicos. Quodque patet, ſi aliquis manibus plenis ſtercore veniſſet pedes tuos adorare ipſum conculcares: multo magis Deus conculcabit te ſi manibus, & corde pleno ſtercore peccati ad ipſum accedas : ô quot! ô quot ſunt tales, vitam hanc ducentes. *Serm. 2. Dom. 5. Pent. ſerm. 1. Dom. 24. Pent. ſerm. 2. de S. Marco. ſerm 5. de Uno Confeſſ. Ioan. c. 4. v. 21. & 22. & Collat. 59. Luc. c. 11. v. 14. & c. 22. v. 21. & op. Medit. cap. 46. Thren. cap. 2. Pſalm. 26. & 118. v. 5. ſap. c. 14. op. de Præpar. Miſſæ c. 4.* Nota tamen, quòd licèt oratio, & opus bonum factum in peccato mortali non ſit meritorium ad vitam æternam, eſt tamen diſpoſitivum ad gratiam, & alia multa bona confert. *lib. 4. Diſt. 45. a. 2. quæſt. 2. & op. Comp. Theolog. lib. 5. cap. 25.*

23. *Qui vult ad Dei juſtitiam, gratiam, & viſionem pervenire, debet mundare cor, & os, & manus in pænitentia Baptiſmo.*

Auferte malum cogitationum veſtrarum, quieſcite agere perverſè, diſcite benè facere, lavamini, mundi eſtote, &c. Nota, quòd hæc diriguntur ad omnes peccatores, ut intelligant, quod ſi prætendunt ad Dei juſtitiam, gratiam, viſionemque pervenire, debent neceſſariò mundare cor, os, & manus, & ad hoc proponit aquam pœnitentiæ; hæc enim habet vim efficaciſſimam abluendi omnes ſordes : *Serm. 2. de Circumciſ. ſerm. 4. de Apoſtol. ſerm. 2. de Dedic. Luc. c. 5. v. 22. & c. 6. v. 8. & c. 7. v. 39. & c. 11. v. 25. & 39. & c. 14. v. 33. Ioan. c. 13. v. 11, Thren. c. 1,*

24. *In ſchola Chriſti addiſcitur benè agere, non benè loqui, vel diſputare.*

Diſcite benefacere : Quid eſt diſcite benefacere? ergone in ſchola Chriſti non æſtimatur nobis bonum benè loqui? Nota quòd hoc eſt diſcrimen inter ſcholam Chriſti, & mundi; quia in ſchola mundi primò addiſcit homo benè loqui, poſteà benè diſputare, & intelligere : ſed in ſchola Chriſti prima lectio eſt circa benefacere, & de bono opere, & licèt ſupradicta ſint bona, tamen ſine hac lectione omnia nulla ſunt : *Sic: Vg. Card.* Nam ſicut in Grammatica octo ſunt partes orationis, velut fundamenta omnium eorum, quæ exprimi poſſunt per ſermonem : & decem prædicamenta ſunt fundamenta eorum, quæ determinantur in dialectica, & Philoſophia; ſic præcepta legis divinæ, quæ ſunt expreſſa in Decalogo, ſunt fundamenta, & regulæ omnium legum, & bonorum, quæ ſunt in moribus : Diſcite igitur hæc fundamenta, & vitam æternam percipietis. *Serm. 1. in opuſ. de Decem Præcep.*

25. Iudicum, & Prælatorum munus eſt præcipuè in defendendo pupillos, pauperes, & injuſtè oppreſſos, quod faciendo redduntur ſimiles Arcangelis, quorum officium eſt defendere oppreſſos, & liberare obſeſſos à diabolo : Unde hic dicitur Iudicibus : *Quærite Iudicium* ſcilicet modum rectè judicandi : ſubvenite oppreſſo, judicate pupillo, defendite Viduam, ſcilicet ab iniquis oppreſſionibus, & potentibus; hoc enim eſt, quòd exigit à vobis Dominus. *Luc. c. 18. v. 3. op. Eccl. Hier. p. 2. c. 2.*

26. *Qui obedit Deo in terra incipit guſtare Deum, ut in patria perfectè ipſum videre poſſit.*

Si volueritis, & audieritis me, bona terra comedetis : ſed quænam promiſſio, quodnam præmium eſt hoc, quod Deus promittit obſervantibus ejus mandata? Ergone ſolùm bona terræ? ſed attende quòd ad litteram Iudæis carnalibus promiſſa ſunt bona terræ promiſſionis, in qua tanquam carnales taliter erant fixi; quod ob timorem perdendi poſſeſſionem terrenam Chriſtum occiderunt : Sed Chriſtianis promittuntur bona terræ, ſcilicet in terra, bona cœleſtia, quia hic incipiunt guſtare quàm ſuavis ſit Deus, & poſtea in terra viventium plenè ſe dat videndum, & fruendum. *Op. Dial. Tit. 10. c. 6. ſap. c. 12. ſerm. 4. de Apoſtol.*

27. *Prophetarum, & Sacræ Scripturæ verba principaliter ordinata ſunt ad ſuadendum obſervantiam mandatorum Dei, & ad vitandum peccatum ubi de peſſimis peccati effectibus.*

Si volueritis, & audieritis me, bona terra comedetis : quod ſi nolueritis, & me ad iracundiam provocaveritis; gladius devorabit vos; quia os Domini locutum eſt : Cur ad comminationem, & promiſſionem ſupradictam addit, *quia os Domini locutum eſt?* Nota, per os Domini hic intelliguntur verba Prophetarum, & Sacræ

Scripturæ : Prophetæ ſunt os Spiritus Sancti exprimens ejus ſenſus : datque intelligere, quòd tota Sacra Scriptura principaliter ordinata eſt ad ſuadendum obſervantiam mandatorum Dei, & ad promittendum præmia obſervantibus præparata : & è contra ad comminationem malorum, quæ ex peccato proveniunt : Vnde dicit : *ſi volueritis, &c. gladius devorabit vos :* Quis gladius? Quænam devoratio eſt hæc? Sed tali modo loquendi dat Spiritus Sanctus intelligere, quòd peccatum mortale, eſt gladius vulnerans animam in naturalibus, & gratuitis, dicit : *devorabit vos*; quia eſt ignis, vel etiam gladius occidens Animam, & ſæpe corpus : devorat, etiam omnia dona ſcilicet ſpiritualia, & temporalia, quia eſt cauſa omnium adverſitatum : Nota etiam, quod dicit : *ſi volueritis :* ſi volueritis, ut detur intelligi, quod licèt liberum arbitrium per ſe legem implere non poſſit, nec gratiam in ſe efficere, licèt de ſe poſſit peccare, inexcuſabile tamen non eſt, ſi non facit, quod poteſt ; quia gratia gratis data ſemper præſto eſt ad commonitionem. cujus adminiculo facere poteſt, quod in ſe eſt. *Pſal. 32. & 77. op. Diat. Tit. 1. c. 2. ſerm. 3. Dom. 5. Pent. op. comp. Theol. lib. 3. c. 7. op. Brevil. p. 5. c. 3.*

28. *Eccleſiæ felicitas qualis ex probitate Prælatorum, & infelicitas ex improbitate eorum.*

Quomodo facta eſt meretrix Civitas fidelis, plena judicii: juſtitia habitavit in ea, nunc autem homicidæ : & poſt ſubdit : *Principes tui infideles, ſocii furum. omnes diligunt munera. ſequuntur retributiones : pupillo non judicant, & cauſa viduæ non ingreditur ad illos :* Vide qualem mutationem paſſa eſt Judæa : quæ prius dicebatur *civitas fidelis, plena judicii :* deinde appellatur meretrix : Vnde tanta mutatio? ex bonitate, & malitia Prælatorum. Civitas erat fidelis, quando Prælati ſervabant integerrimam juſtitiam ad Deum, ad ſe ipſos, & ad proximum : Hæc facta eſt meretrix, quando dereliquit Chriſtum, quando Principes ejus in reprobum ſenſum abierunt. Datque nobis intelligere ſacer textus, quod civitates, loca, & Eccleſia in ruinam abeunt propter peccata Prælatorum ; quando ſcilicet à juſtitia recedunt, quam nec in ſe exercentes, nec pœnitentiam agentes, imò bonos decipientes, nec malos punientes : Vnde ſubdit : *Principes tui infideles, &c.* per quæ reprobatur Principum, Rectorum, & Iudicum nequitia, conſiliorum injuſtitia, & officii negligentia, ipſorum violentia, malorum adhærentia, familiæ condecentia : qui tantò gravius cadunt, quantò plures involuunt, & relinquentes juſtitiam, currunt ad aurum, ad munera ; avaritiæque ſtudentes : *Serm. 1. Dom. 16. Pent. ſer. 1. de S. Magdal. ſerm. 5. de plur. Mart. Luc. cap. 10. v. 31. & c. 18. v. 4. & c. 19. v. 14. & v. 47. & cap. 21. v. 22. Thren. cap. 3. & 10. ſap. cap. 6. opuſ. de Grad. Virt. cap. 15.*

29. *Caupones mali longè ſint à domo Dei: Vbi de commixtione Amoris Dei, & carnali.*

Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam. Vinum tuum mixtum eſt aqua : Ad quid conqueritur Deus de argento converſo in ſcoriam, & de vino mixto cum aqua? nunquid non laudabilis eſt ſimilis temperantia vini? Sed attende quòd hic metaphoricè loquitur ſacer textus : nam pro argento puro intelligitur ſana doctrina, pro vino amor Dei : pro aqua carnalis delectatio : datque intelligere, quod qui Deo ſerviunt, & inficiunt purum Dei amorem cum carnali delectatione, ſunt veluti caupones iniqui, qui viliora ſub ſpecie melioris vendunt, & hoc maximè Inebriatis & rudibus, qui neſciunt diſcernere pretioſum à vili : ſic multi ficti Spirituales Deo ſervire intendentes, tamen ſe inficiunt in affectibus carnalibus, etiam ſub ſpecie pietatis, uti fit à religioſis, qui cum mulieribus etiam ſpiritualibus converſationem habentes etiam in principio Sanctam, tamen proceſſu temporis inviſcari ſe ſinunt in carnali amore, & tandem in præcipitia ruunt. Amor verò Dei purus carnalem odit, & fugit, & execratur : nec unquam eſt, vel poteſt eſſe fida ſocietas inter ipſos ; quia quantùm unus augetur, tantò alter minuitur. Non enim eſt ſocietas lucis ad tenebras, & Chriſti ad Belial : caveant ergo viri ſpirituales, ne inficiant ſpiritualem delectationem admixtione carnalis amoris, & à viridario religioſæ vitæ avellant hæc zizania maledicta : *Op. de profect. Religioſ. lib. 2. c. 27.*

30. *Quàm differant inter ſe amor & gaudium ſpirituale purum : & mundanum, & carnale.*

Vinum tuum mixtum eſt aquâ : Jam dictum eſt quod per vinum intelligitur dilectio pura Dei, per aquam carnalis ; ſic etiam per vinum intelligitur gaudium ſpirituale ; per aquam carnale. Per quod datur intelligi diſcrimen inter ipſa ; nam loquendo de gaudio, gaudium mundanum eſt, ſicut vinum cum aqua mixtum, ſcilicet cum remorſu conſcientiæ, & ſollicitudine cruciante ; gaudium ſpirituale eſt purum, & ideo fortius eſt ad inebriandam animam in amore Dei : Item gaudium ſpirituale eſt continuum, & ſecurum ; mundanum verò eſt breve, & tranſitorium : illud eſt de rebus divinis ; iſtud de carnalibus : illud ſalutare ; iſtud nocivum : illud è Cœlo derivans ; iſtud à carne, & à diabolo : illud eſt à cœleſti figmentario confectum, ſcilicet à Chriſto crucifixo ſuo ſanguine, & in nectar dulciſſimum converſum ; iſtud à diabolo amaritudine reſperſum : *Op. Diet. tit. 8. c. 1.* Loquendo verò de amore puro, & impuro : Amor, & dilectio pura eſt argentum purum, eloquia caſta, & ſancta habet : Amor carnalis de rebus divinis faſtidit, & ſolum de carnalibus delectatur : Amor ſpiritualis caſtam diſciplinam ſervat in colloquiis, in aſpectibus, in geſtibus, in loco & tempore : contra facit amor carnalis : *Op. de Profect. Relig. lib. 2. c. 27.* ubi proſequitur S. Doctor fusè hæc, & alia ſpectantia ad hanc materiam.

31. *Juſtus in bonum ſua arte vinum miſcet cum aqua: Impius è contra in malum.*

Vinum tuum mixtum eſt aqua: Nota quòd ut dictum eſt textus ſacer hæc dirigit contra miſeros carnales, miſcentes carnalem amorem cum ſpirituali: Attamen in bonum juſtus ſua arte divina hæc convertit; nam ſicut in conſecratione Eccleſiæ adhibetur vinum & aqua: ſic juſtus ad conſecrationem ſui cordis vinum exultationis,& gaudii ſumit,& in pretio habet;ſed tamen ſimul aquam compunctionis, & doloris adhibet: nam ſi vinum defuerit contabeſcet per triſtitiam, & ſi aqua defuerit luxuriabit in præſumptionem. Sic & Deus excitat Animam ad amorem, & timorem;ut ſic ſecurius ambulet in via Domini,& non declinet ad dexteram neque ad ſiniſtram. *Ser.3.de Dedic. Eccl.*

32. *Deus invitus punit peccatores, & quomodo.*

Heu conſolabor ſuper hoſtibus meis, & vindicabor de inimicis meis. Reddunt maximam admirationem hæc verba Dei; nam quomodo ſubſiſtunt ſimul: Heu conſolabor: Heu, eſt nota doloris, & ſubdit *conſolabor*: indicans cum dolore conſolationem: ſed attende, quod in Deo recognoſcunt Theologi multiplicem voluntatem; aliam abſolutam, aliam conditionatam; quia aliquid ſe oſtendit Deus velle abſolutè, & quantùm eſt in ſe, ut bona, quæ facit; aliquid oſtendit ſe velle conditionata voluntate quando oppoſitum vult quantùm eſt ex ſe; ut mala quæ infligit: &,in hoc ſenſu dicuntur ſupradicta verba; quia ergo Deus non delectatur in noſtris malis, & pœnis: ideo quaſi invitus nos punit, & affligit: hinc dicit: *Heu conſolabor:lib.1.d.48. q.ult. & in ſap.c.1.*

33. *Chriſtus per paſſionem ſuam, & mortem confudit diabolum,& reintegravit perdita per peccatum.* Unde Iſaïas hic de hoc loquens dicit in perſona Chriſti: *& convertam manum meam ad te,* ſcilicet extendendo eas in Cruce, & excoquam ad purum ſcoriam tuam, & auferam omne ſtamnum tuum: ſcilicet purgabo avaritiæ ſcoriam ſtamnum ſimulationis, plumbum luxuriæ, & reſtituam Judices tuos, & conſiliarios tuos, ſicut antiquitus: ſcilicet Principes bonos habentes bonos conſiliarios Eccleſiæ dabo: *& vocaberis civitas Juſti, Vrbs fidelis*, ſcilicet Chriſti, & Chriſto fidelis erit Eccleſia & redimetur à captivitate diaboli, & reducetur ad ſtatum ſanctitatis, & convertes ſceleſtos, & confundentur ab idolis quibus ſacrificaverunt: ſcilicet, qui decepti fuerant ab idolis,ad me convertentur.*Ser.22. Hexam. Pſal.118.c.3. v.14. & cap.9. v.6. & Vgo hic.*

CAPUT II.

34. *Chriſtus in Cruce mons ſuper omnes montes influens omnia bona in omnes inferiores.*

ET *erit in noviſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur ſuper omnes colles, & fluent ad eam omnes gentes:* Nota quod in hoc ſecundo capite prædicit Propheta incarnationem Chriſti, & effectus ex ipſa conſequentes; unde notandum, quòd dicit: *in noviſſimis diebus* ſcilicet in plenitudine temporum. Item in noviſſimis diebus, ſcilicet in ultimo tempore vitæ Chriſti,elevabitur Chriſtus ſuper omnes colles, nempe in Cruce: Ubi oſtendit ſe montem domus Domini ſcilicet Eccleſiæ; vel,quod idem eſt, caput omnium hominum, & ut tale influit in omnia membra meritoriè ut homo, effectivè ut Deus. Quia ab eo derivatur omnis ſenſus devotionis, & omnis motus ſanctæ operationis, & fluunt ab eo omnia chariſmata gratiarum. Sed attende quod ſolùm ipſa diffundit in membra ſibi unita, unde dicit: *mons in vertice montium, & ſuper omnes colles*; quia ipſi debent eſſe uniti, omnes alii montes,& colles,ſcilicet ſancti majores,& minores. *Serm.1.Hexam. & lib.3.d.13. a.2. q.1.& ſeq.Pſal.35. & in Luc. c.13. v.33. & cap.18. v.31.& c.2. v.47.in Ioan. c.8. v.2.* Nota etiam quòd dicitur ad hunc montem fluent omnes gentes; quia Chriſtus de Cruce traxit fide paſſionis, & virtute ſanguinis ſui omnes gentes, ſcilicet prædeſtinatos, & de omnibus generibus hominum, & quantum ad ætates, & quantum ad gradus, & quantum ad profeſſiones,& alias differentias, & quantum ad integritatem hominis ſcilicet corpus & animam. *in Ioan. cap. 12. verſ.31.*

35. *Maria Virgo mons ſanctitatis ſuper omnes montes aliorum ſanctorum.*

Et erit in noviſſimis diebus mons præparatus in vertice montium. Si hoc dicitur de Chriſto,etiam & ſuo modo dicendum eſt de Beatiſſima Virgine, quæ ut notavit etiam D. Gregorius: fuit mons ſuper montes; quia in vertice montium, & collium omnium aliorum ſanctorum fundavit ſuam ſanctitatem, & ſuper omnes ſanctos elevavit ſe per dona gratiarum uſque ad ſolium deitatis: unde immunis facta ab omni contagione peccati. *Ser.1.& 2.de B.Virg.*

36. *Prælatus Eccleſiaſticus debet eſſe quoad perfectionem mons ſuper omnes montes, & colles.*

Et erit in noviſſimis diebus præparatus mons domus Domini, &c. Quis eſt iſte mons domus Domini? ergo in domo vel ſuper domum erigendus erat à Chriſto mons ſuper omnes montes? maximè: Nota, Chriſtus fundavit ſuam domum, ſcilicet Eccleſiam, in hac collocavit montem ſuper omnes montes, ſcilicet Prælatu-

ram in Eccleſia exercendam; quia Prælatus Eccleſiaſticus debet eſſe mons ita perfectus, quod propter excellentem eminentiam Evangelicæ perfectionis debet excellere omnes ſubditos in vita quantumcumque perfectos, & tunc fluent ad eum omnes populi propter liberalem affluentiam piæ ſubventionis; ſed tamen multi faciunt oppoſitum. *Ser.4. Dom.2. Quadrag.*

37. ***Ad montem contemplationis invitatur anima; ut ibi illuſtretur lumine cæleſti.***

Venite accedamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob; & docebit vias ſuas, &c. Nota quòd hæc verba ſunt contemplativorum vel Eccleſiæ invitantium omnes ad otium contemplationis, quia per ipſam introducitur anima in domum Domini, & ibi illuſtrationes conferuntur à Deo, quibus illuſtrata, & illuminata videt Deum. *In Luc. c.9. v.28. & ſerm.1. in feſto omn. ſanctor.*

38. ***Ad montem Calvariæ aſcendit Chriſtus; ut nobis exhiberet omnia bona, & ideo nos invitat dicens.***

Venite aſcendamus ad montem Domini; quia de ſion exibit lex, & verbum Domini de Hieruſalem. Quaſi dicat: Venite aſcendamus ad Hieruſalem; quia & ego ibi aſcendi; ut in Cruce patiens regnum virtutis, ſacerdotium ſanctitatis, & legem judicii, & veritatis darem gentibus: Venite ad hunc montem ubi Crucifixus maneo, & docebo vos, & ambulare vos faciam in ſemitis Cœli. *in Luc. c.18. v.31.* Meritò ergo ad montem Calvariæ invitamur tanquam ad ſcholam; quia ex ipſo edocet Chriſtus ſuos legem ſuam judicia, & omnes virtutes Chriſtianas: *V. ſerm. 2. & 3. de S. And. ſerm. in exaltat. S. Crucis.*

39. ***Ad Prædicatores ſpectat invitare populos ad Eccleſiam; ut inſtruantur.***

Unde in perſona ipſorum dicitur: *Venite aſcendamus ad montem domini,* ſcilicet ad Eccleſiam & docebit nos Deus ibi legem, & judicia ſua, & ambulabimus in ſemitis ejus. *Pſal. 117. in Luc. c.14. v.17.*

40. ***Ad montem perfectionis per exercitium præſentiæ Dei aſcendit Anima.***

Venite aſcendamus ad montem Domini, &c. Nota quòd hæc verba ſunt Eccleſiæ invitantis omnes filios ad aſcenſum montis; ſed quis eſt iſte mons ſublimis? Eſt mons perfectionis, in quo videtur Deus, nempe ad hunc montem ſemper debet aſcendere anima, & numquam deſiſtere ab itinere, & hoc ſemper aſpiciendo in Cælum, id eſt per exercitium præſentiæ Dei: ſicque ambulando de virtute in virtutem anima pervenit ad Domum Dei, & ad poſſeſſionem cæleſtium bonorum. *In Ioan. c.12. v.36. Op. ſtim. Div. Am. p.3. c.4.*

41. ***Proficiens de virtute in virtutem currit in via Dei abſque fatigatione.***

Et fluent ad eum omnes gentes &c. Venite aſcendamus &c. & ambulabimus &c. Ecce qualiter ad hunc montem anima debet aſcendere, ſcilicet ad modum aquæ velociter decurrentis deorſum: & hoc fiet, ſi ambulabit de virtute in virtutem; hoc enim eſt currere velociter, & ſine fatigatione; Hoc enim eſt diſcrimen inter aſcenſum montis materialis, & ſpiritualis: nam in aſcenſu montis materialis quò quis magis ulterius procedit, & currit, eò magis fatigatur, & vires deperdit; quia caro infirma eſt, ideò quietem interpoſitam requirit: at in aſcenſu montis ſpiritualis non quieſcere eſt quieſcere; & qui quieſcere vult fatigatur; quia ſpiritus promptus eſt; nam ad aſcenſum ſpiritus requiritur, ut ſpiritus non quieſcat, ſed dum fatigatur, tunc aſcendere debet velociùs, currere fortius, & recentior fiet, & avidior erit ad majora, & ſibi levius apparebit, & delectabilius & ſuavius, & dulcius gradietur, non quieſcere eligens pro quiete. O attendant hoc monitum ſummè neceſſarium, qui in via Dei proficere volunt; nam tot ſtulti, & inexperti remanent decepti credentes, ſe poſſe validiores ſumere vires, dum moram, vel quietem intercipiunt. *Op. ſtim. Div. Am. p.3. c.4. ſer.2. fer.4. infra oct. Pent.*

42. *Ante diem Iudicii erit pax in toto orbe, ſicut in tempore Nativitatis Chriſti:* Unde hic Propheta dicit: *& judicabit gentes, &c. conflabunt gladios in vomeres, & non levabit gens contra gentem &c. ſer.15. Hexam.*

43. ***Prædicatio Verbi Dei qualiter facienda.***

Et judicabit gentes, & arguet populos multos, & conflabunt gladios in vomeres, & Lanceas ſuas in falces. Nempe poſt adventum Chriſti gladius utriuſque teſtamenti præparabitur, conflabitur in vomeres, ſcilicet prædicando ſimplici ſermone auditoribus; in Prædicatione enim verbi Dei collocavit Chriſtus ſummam ſalutis præcipuam. *Pſal. 118. c.2. v.11. in Luc. c.22. v.38.*

44. ***Malorum ſocietas cauſa diſperſionis bonorum, & hoc maximè in ſacris congregationibus.***

Projeciſti populum tuum domum Iacob: ideſt reprobaſti, & ejeciſti à facie tua domum Jacob: Nota quod dicit populum, non unum, vel duos, ſed populum, & totam domum Jacob, nempe totam congregationem eorum, qui prius erant ſancti, & in qua verus cultus Dei, & ſanctitas vigebat. Nota etiam cauſam talis reprobationis; quia repleti ſunt, ut olim, & augures habuerunt ut Philiſtiim, & pueris alienis, ideſt (idololatris) adhæſerunt. De quibus patet ad litteram, quod reprobatio advenit in populo Judaïco, ob ſua ſcelera, & quod in hæc tanta facinora prorupit, quia comertium habuerat cum Idololatris. O utinam non cadat talis calamitas in populo Chriſtiano, & præcipue in congregationibus religioſis, in quibus tantò majus periculum eſt: quantò in eis ſæpe commiſcentur iniqui, & perverſi; quia malorum ſocietas, ſicut in cœlo fuit pericu

perieuloſa, ſie magis in terra ſacras congregationes diſperdit, & ſubvertit. *Ser.3. Dom.3. poſt oct. Epiph.*

45. *Abundantia auri, argenti, & divitiarum cauſa ruina ſpiritualis multorum. Vbi de malis avaritia.*

Repleta eſt terra argento, & auro, & non eſt finis theſaurorum ejus, &c & repleta eſt terra idolis, opus manuum ſuarum, & incurvavit ſe homo, &c. Ecce effectus abundantiæ auri, & argenti, nempe fabricatio, & adoratio idolorum, per quod patet quàm abominabilis ſit cupiditas, & avaritia; quia avarus ſit ſervus auri, habet cor inſatiabile; dicitur enim, quòd theſaurorum ejus non eſt finis, quò enim plus habet, eò plus deſiderat, & ſit idololatra ob amorem ſervitutemque, quam præſtat ſuper omnia auro, & divitiis. *Op. Cenil p.1. ſect.21. op. Diat. tit.1. c.6. Comp. Theol. lib 3. c.19.*

46. *Iudæi laboraverunt in excavanda foſſa vulnerum Chriſti, & nos invitamur ad intrandum in dictis vulneribus ad percipiendum fructus laborum ipſorum.*

Ingredere in petram, & abſcondere in foſſa humo à facie timoris Domini, & gloria majeſtatis ejus. Quænam eſt hæc foſſa humus, & quis eam excavavit? & iterum quomodo ingrediendum eſt in petram? ſed attende, quòd hæc foſſa humus eſt humanitas Chriſti, qui exprimitur nomine Petræ, vel lapidis angularis; quia conjunxit utrumque angulum ſcilicet humanitatem cum divinitate: hæc excavata fuit à manibus Judæorum, qui malè laboraverunt in tali excavatione: ad has plagas invitatur anima, ut ibi intret ad percipiendum fructus timoris Domini, & gloriæ divinitatis ejus, ſicque intret in labores Judæorum. Intra ergo anima in hæc vulnera ſalvatoris, & ſi gravata fueris aliquo vulnere ibi invenies curationem, & remedium, invenies & vitam & benedictionem à Domino. *Op. Medit. Vita Chriſti cap. 50. op. ſtim. div. p.1. cap.1.*

47. *Intret in ſe homo, & humiliet ſe ad terram, ſi timorem, & amorem Dei deſiderat habere.*

Ingredere in petram: Quænam eſt hæc petra, niſi homo factus ex terra, & induratus? abſconde te in foſſa humo, ſcilicet excava te ipſum uſque ad profundum, & adſpice ad terram ex qua factus es, ſic enim humiliaberis, & ſimul timorem, & amorem Dei percipies. *in Luc. c.6, v.48. & c.13. v.8. & c.17. v.35.*

48. *Memoria paſſionis Chriſti, ejuſque meditatio ſuadetur.*

Ingredere in petram: quam petram? Petra hæc myſticè eſt Chriſtus crucifixus, & perſecutus à Judæis: ad quid ingreſſus ſuadetur? ut memoriam ejus paſſionis, & meditationem exerceamus: & ideo ſubdit ſacer textus: *abſconde te in foſſa humo à facie timoris Domini, & à gloria majeſtatis ejus:* q.d. accede ô anima pedibus affectionum tuarum ad Jeſum vulneratum, ad Jeſum ſpinis coronatum, ad Jeſum patibulo Crucis affixum, & cum B. Thoma non ſolùm intueri in manibus ejus fixuras clavorum, non ſolùm mitte manum tuam in latus ejus, ſed totaliter per oſtium latus ejus ingredere uſque ad cor ipſius Jeſu, ibique ardentiſſimo amore Crucifixi in Chriſtum transformata, clavis divini amoris affixa, lanceâ præcordialis dilectionis transfixa, ſpinis intimæ compaſſionis transverberata, nihil aliud quæras, nihil aliud deſideres, in nullo alio velis conſolari, quàm ut cum Chriſto poſſis mori in Cruce. *Op. de perfect. Vita cap.6.*

49. *Quænam meditanda ſint principaliter circa Chriſti Paſſionem.*

Ingredere in petram, &c. Quid eſt ingredere? niſi te intimè collige intra petram Chriſtum, ejus mirabilia myſteria paſſionis meditare? ſi igitur ô Anima ingrederis in Chriſtum Crucifixum intimè, hæc tibi meditanda proponuntur, nempe quomodo ejus paſſio fuit ignominioſiſſima, acerbiſſima, generaliſſima, & diuturniſſima: Ignominioſiſſima; quia fuit Chriſtus Crucifixus tanquam fur, & latro: item in loco viliſſimo, & turpiſſimo: item inter latrones, & in medio latronum tanquam ipſorum princeps: ſecundò fuit acerbiſſima; eo, quia Crux membra extenſa contrahi non permiſit, nec habuit, ubi caput reclinaret, & quia ejus corpus, & caro ſuper omnes fuit tenerior, nobilior, & delicatior: Tertiò fuit generaliſſima; quia in anima, in corpore, & in omnibus partibus, & membris extenſa, Quartò fuit diuturniſſima; quia incepit à primo die Nativitatis ſuæ uſque ad finem vitæ. Intra igitur ô Anima in Chriſtum Crucifixum, & ibi per meditationem te abſconde, & ita cum Chriſto conjunge: *Op. de Perfect. Vita c.6.*

50. *Fructus meditationis vita, & Paſſionis expenduntur.*

Ingredere in petram, & abſcondere in foſſa humo, &c. Ad quid invitatur Anima ad meditationem vitæ, & paſſionis vulnerum Chriſti? nota quòd dicit, *abſcondere in foſſa humo: & à facie timoris Dei:* datque intelligere, quòd ſuper omnia alia exercitia ſpiritualia roborat, & ſtabilit mentem contra vitia, & caduca: Fortificat contra tribulationes, & adverſitates: ſic enim martyres intrabant in vulnera Chriſti, & fortes fiebant, & hilares contra omnia tormenta; munit, & deffendit ab omni ira tentationum diaboli: Docet gerenda, ut nec hoſtes, nec vitia irruere, vel fallere poſſint, & hoc, quia perfectio virtutum reperitur ibidem; nempe virtus excelſæ paupertatis, eximiæ humilitatis, profundæ ſapientiæ, orationis, manſuetudinis, obedientiæ, patientiæ, cæterarumque virtutum exempla, & doctrina ibi reperitur. Incaſſum igitur laborat, qui aliunde virtutes acquirere credit; nam ad Chriſti virtutes imitandas, & adipiſcendas ex frequenti meditatione cor accenditur, & animatur: deinde illuminatur luce ſuperna, virtutem ex alto induens & ſic à veris falſa diſcernit, ut experientia continua patebit in multis illiteratis, qui ſuper omnes doctos ex meditatione paſſionis Chriſti mag-

na, & profunda myſteria Dei cognoſcunt. Sic ſeraphicus Pater Franciſcus hoc modo pervenit ad tantam virtutum copiam, ad tam luculentam ſcripturarum intelligentiam, ad tam etiam perſpicacem notitiam fallaciarum, hoſtium, & vitiorum: *Op. Medit. Vita Chriſt. Proœm. & Op. ſtim. p. 1. c. 4. ſeq.*

51. *Contra diabolum quàm efficax refugium ingreſſus in vulnera Chriſti.*

Ingredere in petram, abſcondere in foſſa humo: Ad quid hæc abſconſio? Abſconde te in foſſa humo, ſcilicet in corpore Chriſti, multiplici vulnere confeſſo, non per corporis præſentiam; ſed per meditationem aſſiduam: abſconde ibi ſi conſurgit in te diaboli fraudulentia; quia meliùs non poteſt vinci diabolus, quàm in memoria paſſionis Chriſti, quia nullus unquam dæmonum ſtare potuit videns gladium in quo devictus fuit: cum inſurgit tentationis moleſtia maximè carnis abſconde te in foſſa humo vulnerum Chriſti, & quòd deeſt tibi, uſurpa de viſceribus ipſius; quia de vulneribus ejus corporis admodum boni in torculari compreſſi, non deſunt in ipſis, & ex ipſis flumina gratiarum, quibus inflammatus, & confortatus faciliter de diaboli fraudulentia; de Mundi moleſtia, & de carnis illecebris triumphabis: Hæcque vulnera ſunt quinque lapides quibus diabolus vincitur, & enervatur. *Ser. 1. Dom. 1. poſt oct. Paſcha. & ſer. 9. de Nativit. & lib. 3. d. 19. a. 1. q. 3. & op. regula Novit. c. 10.*

52. *Ad ingreſſum in vulnus lateris Chriſti tanquam intra portam gloriæ invitatur anima.*

Ingredere in Petram: abſconde te in foſſa humo à gloria majeſtatis ejus: ergo proponitur foſſa humus in quam intratur; ſed quænam eſt iſta? Vulnus lateris Chriſti, quod fuit firmatum in oſtio Arcæ, in quam intraverunt omnia animalia: ad ingreſſum in hoc oſtium invitatur quælibet Anima non peritura diluvio, & licet videatur anguſtum, tamen in ipſum intrare poteſt totus mundus. Intra ergo in ipſum, ô Anima tanquam in templum gloriæ; quia ibi illuſtrationes, & fruitiones cæleſtes percipies. *Ser. 4. Dom. in Albis ſer. 4. in die Paſcha, ſer. 3. Dom. 4. Quad. op. ſtim. p. 1. c. 1.*

53. *Qui ſe exaltat à Deo humiliatur, & qui ſe humiliat, à Deo exaltatur.*

Oculi ſublimes hominis humiliati ſunt, & curvabitur altitudo virorum: Nota quod in his verbis dat intelligere quod proprium eſt Dei ſemper humiliare eos, qui ſe volunt per ſuperbiam exaltare, eò, quia qui ſe exaltant tanto magis gloriam humanam amant, & ſic cito evaneſcunt: è contra, qui ſe humiliat tantò magis Deum magnificat, & ſe cognoſcit, & à Deo ob id exaltatur. *In Luc. c. 14. v. 11. & c. 16. verſ. 15. Pſal. 118. c. 6. v. 2. in Luc. c. 21. v. 27.*

CAP. III.

54. PROPTER peccata publica impunita privantur loca Rectoribus, & Directoribus animæ: Unde Iſaïas prædicit diſperſionem populi Judaici, dicens in principio hujus capitis: *Ecce enim Dominator Dominus exercituum aufert à Hieruſalem, & à Iuda validum, & fortem, & virum bellatorem, & Iudicem, & Prophetam, &c.* In quibus verbis dat intelligere, quod poſt mortem Chriſti populus Judaicus à Deo privatus fuit Regibus, principibus, & ſacerdotibus, & Prophetis & reductus in deſolationem, & diſperſionem. Myſticè verò dat intelligere miſerias, in quibus propter peccata maximè publica, & impunè commiſſa loca rediguntur, quæ privantur Sacerdotibus, Doctoribus, & Ducibus in via ſalutis: *In Thren. cap. 1.* Vide ergo quando loca privata remanent ducibus, rectoribus, Sacerdotibus, Prædicatoribus bonis, tunc ſignum patens eſt iræ Dei in ipſa.

55. *Infelicitas populorum quando reguntur à Prælatis effeminatis, & impiis expenditur.*

Dabo pueros Principes, & effeminati dominabuntur eis: Vide quam ſeverè puniat Deus populos, quando permittit, ut eis dominentur Prælati pueri, ſcilicet ſenſu, & mente, & effeminati, ſcilicet vanitatibus, cupiditatibus, & voluptatibus dediti. Sic enim propter demerita ſubditorum permiſit Deus præfici Paſtorem deteſtandum, & peſſimum: *Tunc enim* (ſubdit) *corruet populus, vir ad virum, & unuſquiſque ad proximum ſuum tumultuabitur; puer contra ſenem, & ignobilis contra nobilem. Tunc enim naſcuntur diviſiones, & contentiones, rixa, bella, jurgia, & omnia mala.* Hoc advertant diligenter Electores in capitulo, & congregationibus, ne, per electionem malorum, tum Prælatorum tum præſidentium, fiant participes infinitorum malorum ex impia Prælatione provenientium. *Thren. c. 1. ſap. c. 14. c. 10. Ugo hic.*

56. *Conditiones eligendorum ad Prælaturam expenduntur.*

Veſtimentum tibi eſt, Princeps noſter eſto, ruina hæc ſub manu tua reſpondebit: Non ſum medicus, & in domo mea non eſt panis, neque veſtimentum, nolite conſtituere me principem populi. Notanda ſunt diligenter hæc verba ab electoribus, & eligendis ad Prælaturam; nam ad litteram prædicit miſerias in quas cecidit Judaicus populus poſt mortem Chriſti, quando obſidebatur à Romanis Hieruſalem, tunc enim temporis cum eſſent omnes redacti ad miſeriam, & penuriam conati ſunt eligere in caput & Principem aliquem, qui poſſet eis providere neceſſaria, ad victum, & veſtitum, in quo reſpi

reſpiciebant ad utilitatem propriam, non ad communem, nec inveniebatur qui vellet ſubire tale onus, cum omnes eſſent redacti in pauperiem maximam: At ſpiritualiter dat intelligere ſacer textus ſoccordiam, & impietatem eligentium in Capitulis, & congregationibus reſpicientium ad carnem, ſanguinem, vel divitias, vel ad aliquod commodum privatum. Dat etiam intelligere conditiones neceſſarias ad hoc, ut aliquis mereatur eligi in Prælatum, in illis verbis, *veſtimentum, panis, & medicus*. Hæc tria verba indicant tres conditiones; nam per veſtimentum intelligitur vita ſancta exercitiumque virtutum: per panem ſcientia, & doctrina per medicinam. In domo igitur Prælati exigitur bonitas vitæ, quæ eſt veſtimentum honorabile: Panis ſcientiæ; ut poſſit ſubditos paſcere, non ſolùm exemplo, ſed & verbo: & ars medicinæ ſcilicet doctrina, ut actu applicet doctrinam infirmis indigentibus ſanari à ſuis vulneribus, & infirmitatibus. Qui autem cognoſcit ſe iſtis carere tenetur recuſare prælaturam, dicens, non ſum medicus, &c. nolite me conſtituere principem; nam quibus hæc deficiunt, ſe ipſos cum ſubditis ducunt ad infernum. *Ioan.c.10. v.1.ſeq. & c.15. v.16.& ſerm.4.Dom.19.Pent.& ſer.1. de S.Matthia & Ugo Card.hic.*

57. ***Quando Prælati ſunt publicè mali, tunc imminet ruina patens populo, & ſubditis.***

Ruit Hieruſalem, & Iudas concidit, quia lingua eorum, & adinventiones eorum contra Dominum, ut provocarent oculos majeſtatis ejus. agnitio vulnerum eorum reſpondebit eis, & peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicaverunt: Nota quòd hæc verificata ſunt ad litteram de Judæis,& quia ſacerdotes, Doctores, & Prælati ſuâipſorum peſſimâ vitâ, & exemplo, ſicut in Sodomitis evenit traxerunt ſubditos ad diverſas impietates: ſed myſticè dat intelligere, quod quando Prælati impii ſunt, alios ſua mala vita ſcandalizando tunc inſtare, interitus, & ruina populi, & ſubditorum, ſicque ſeipſos cum ſubditis perdunt, & de iſtis omnibus dicitur. *Hier. c.50. Grex perditus factus eſt populus meus, Paſtores eorum ſeduxerunt eos: ſerm.2. Fer 3.Pent. Op. Phar. lib.1. c.12.* Et hinc ſubdit: *Væ animæ eorum; quia reddita ſunt eis mala:* ſcilicet infirmis. Nota quòd non dicit malum; ſed mala pluraliter; quia plura imò plurima malis reddentur in gehenna, ubi non ſolùm pœnæ magnitudinem; ſed & multitudinem exprimit: *Op. ſpec. B. Virg. lect. 2. Thren. cap.4.*

58. ***Ubi regnat Dei gratia ibi regnat omne bonum: ubi peccatum, ibi nullum bonum, & omne malum.***

Dicite juſto, quoniam benè, &c. Væ impio in malum: Dicite juſto: quid dicendum præcipit juſto? quoniam benè: quid benè? quodnam eſt hoc bonum? Reſpondit dicite juſto, & hoc ſufficit, quòd ſit juſtus, ſufficit juſtitia, ſcilicet gratia Dei ad hoc, ut omnia ſuccedant benè, & proſperè & è contra addit: *Væ impio in malum:* nempe ubi eſt peccatum, ibi omnia væ, & mala, & nullum bonū Vide ergo quàm juſtè, & rationabiliter dici poteſt juſto, *quoniam benè*; quia juſtus habet gratiam Dei, hæc enim ſanctificans animam vivificat expurgando eam à culpa: ſicut ignis expurgat aurum à ſcoria: Vitam item pulchrificat; & colorat per honeſtatem morum; affert enim pulchritudinem ſupernam interiùs. & exteriùs: item liberat ab omni malo: item in bono confortat, dum perducit ad vitam æternam. O quàm benè ſe habet juſtus: dicite ergo ô Prædicatores juſto quoniam benè,& è contra dicite impio quoniam malè; quoniam ex omnibus rebus nihil eſt malum niſi ſolum peccatum. Væ igitur impio in malum; quia Deum offendit, deformat liberum arbitrium, perimit donum gratuitum, & obligat ad ſupplicium æternum. Vide igitur; quoniam homo etiam ſi perdat cætera omnia, dummodo retineat gratiam Dei nihil perdit; quia habet Deum in quo ſunt omnia bona, ſine admixtione ullius mali: è contra non habens Deum, nihil boni habet: *Serm.5.de B.Virg. ſerm.2. in Invent. S. Crucis Op.Brevil.p.5. cap.3. Opuſ. Cemil.p.1. ſect.1.*

59. ***Iuſtus fructus ſuarum pœnitentiarum comedit.***

Dicite Iuſto quoniam benè, quoniam fructum ſuarum adinventionum comedet. Quænam ſunt adinventiones, artes, & ſtudia viri juſti? quis fructus eorum? Sed nota quòd vir juſtus dicitur, qui ordinationem rectam habet ad Deum, ad ſe ipſum, & ad proximum; quia ejus adinventiones ſunt ordinatæ ad exhibendam Deo humilem reverentiam, devotam obedientiam, & putam confidentiam: ad ſe ipſum per veram innocentiam, per veram continentiam, & munditiam: ad proximum per veram animi compaſſionem, per rectam inſtructionem; & per malorum tolerantiam. Iſtæ ſunt adinventiones, & ſtudia viri juſti, cui ſervantur à Deo fructus ipſarum; ut de ipſis comedat, & ſatietur in cœlis: *Opuſc. ſpec. B. Virg. lect.17. ſerm.1. de Uno Confeſſ.*

60. ***Prælati mali ſunt exactores, non protectores ſubditorum.***

Populum meum exactores ſui ſpoliaverunt. Qui ſunt exactores iſti? exactores ſunt mali Prælati, & Principes avari, qui cum deberent eſſe protectores, & nutritores ſubditorum, facti ſunt exactores iniqui: Qui cum deberent eſſe vigiles ſuper ſubditorum negotiis ſpiritualiter, & temporaliter, defendentes viduas, pupillos, & pauperes nutrientes, & tanquam veri patres de eis curantes, eos defendentes, in orationibus pro eis vigilantes: facti ſunt exactores iniqui, & raptores eorum bona uſurpantes, malè ipſos tractantes, opprimentes bonos, exaltantes, & faventes malis. Unde meritò de talium ſubditorum miſeriis conquæritur Deus: *Serm. 1. Dom.24. Pentec. Luc. c.3.v.14.*

61. *Benedictio, alia mundi, alia diaboli, alia Dei.*

Popule meus, qui beatum te dicunt, ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorum diſſipant. Qui ſunt iſti, beatum dicentes populum Dei? & cur tales ſunt decipientes? ſed nota, quòd alia eſt benedictio Dei, alia diaboli, alia mundi: Benedictio mundi, eſt vana; quia eſt in bonis temporalibus, & terrenis, Fortunæ, & hæc eſt vana; quia eſt tantùm ſecundùm dici, & vulgi opinionem, non ſecundùm eſſe; quia plus nocet, quàm proſit; quia hominem à vera beatitudine avertit, & ideò adjunxit Deus: Tu, qui es dives, & abundans divitiis, cave ab iſta benedictione, quia qui te beatum dicit decipit, & viam greſſuum tuorum diſſipat; ut ad perditionem te conducat: Benedictio diaboli eſt quando laudatur peccator in deſideriis animæ, affertque ſecum maledictionem Dei: Benedictio Dei eſt gratia Dei, quæ affert omne bonum. *Serm.4. Dom. Trinit. Luc. cap.15. v.13. Op. Eccleſiaſt. Hier. p.2. cap.1.*

62. *Caveant Prælati, & omnes ab adulatoribus.*

Popule meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt: q.d. Caveat homo maximè Prælatus ab adulatoribus; quia adulatio exulare facit veram humilitatem, & hoc maximè periculoſum eſt Prælatis, & Principibus ſibi in ſuis valdè placentibus dum inveniunt, qui eos bonos, ſanctos, prudentes vocant: caveant ergo ne adulatoribus aperiant aures, & maximè, eos in malis laudantes, & tanquam peſtem eos fugiant: *Op. de ſex alis Seraph.cap.7. op. Pharet. lib. 3. cap.2. Thren. cap.7.*

63. *Chriſtus Iudex in morte cuicumque, & in judicio proponitur.*

Stat ad judicandum Dominus, & ſtat ad judicandum populos: Dominus ad judicium veniet cum ſenibus populi ſui, & Principibus ejus. Nota quòd ſæpè in Sacra Scriptura fit mentio de judicio particulari, & univerſali à Chriſto faciendo, ſicut etiam hic à Propheta Sancto, dicendo, quòd Chriſtus ſtat ad judicandos populos bonos ad gloriam; malos autem ad pœnam, & in extremo tempore veniet ſimul cum ſenibus, id eſt Angelis, & perfectioribus Sanctis, & cum principibus, id eſt Apoſtolis, qui erunt teſtes humanorum actuum. Unde id intelligentes debemus providere nunc noſtris neceſſitatibus illius temporis, & amicitiam, & familiaritatem iſtorum principum procurare per munera orationum, & bonorum operum: *ſerm.1.Dom.16. Pent.Luc.cap.7.v.10.& c.9. v.26.& c.11. v.19.*

64. *Quàm grave ſcelus, Deoque exoſum ſubſtantiam temporalem auferre, & animam proximi ſcandalizare maximè in Prælatis.*

Vos enim depaſti eſtis Vineam, & rapina pauperis in Domo veſtra. quare atteritis populum meum, & facies pauperum commolitis dicit Dominus Deus exercituum. Nota quòd hæc verba præcipuè diriguntur ad parentes, Principes, & prælatos, qui veluti prædones opprimunt pauperes, eorumque ſubſtantias rapiunt, & quod peius eſt: quos fovere deberent verbo, & exemplo atterunt, & commoliunt ſcandalizando, & ad peccatum attrahendo. Væ iſtis, nam in futuro Dei judicio ab ipſis pauperibus colla eorum conculcabuntur. *Sermon. 3. in Dedic. Luc. capit. 12. verſ. 45.*

65. *Peccata mulierum in vanitatibus, & ornamentis expenduntur.*

Pro eo quod elevata ſunt filia Sion, & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, & ambulabant, & pedibus ſuis compoſito gradu incedebant, decaluabit Dominus in die illa verticem filiarum ſuarum, & crinem earum nudabit, & auferet ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, &c. Nota, quod hic innuit vanitates mulierum, & peccata gravia, quibus in ipſis offendunt Deum, & ſupplicia, quæ ob id in ipſas immittit: peccataque ipſarum, ut plurimum ſunt in nutibus oculorum, in ſuavitatibus unguentorum, in voluptatibus oſculorum; in capillorum ſuperfluitate, & ornamentis vanis totius corporis. Hiſque & conſimilibus peccatis Deum graviter offendunt, & à juſtitia Dei pœnas, & ſuplicia attrahunt. *Pſalm.118. c.1. verſ.3. Luc. cap.7. verſ.38.*

66. *Expenſio fit de fune, & cingulo Sancti Patris Franciſci.*

Et erit pro zona funiculus, & pro faſcia pectorali cilicium. Ad litteram deſcribitur mutatio in veſtibus facta à mulieribus Iudæorum poſt obſeſſionem, & captivitatem: Miſticè loquitur de mutatione facienda à pœnitente, maximè in ordine Sancti Franciſci, quia in hujus ingreſſu pro faſcia pretioſa aſſumitur cilicium, & habitus aſperrimus, & pro zona funiculus, vel funis viliſſima pro ſigno pœnitentiæ; ſic Sanctus Franciſcus elegit hunc funiculum pro cingulo in memoriam funium, quibus vinctus fuit Chriſtus: & ut cinguli vilitas concordet habitui; quia fune cingitur ſaccus; ut hoc cinctorio armati ſui fratres veritatis lancea mulris aſpera, ab Eccleſia diſturbarent Simoniacos alioſque ſceleratos exemplo Chriſti Ieſu. *Ioan. cap.21. verſ.18. Opuſc. Expoſit. Regul.cap.2.*

CAPUT

CAP. V.

67 *Chriſtus ſponſus omnium Eccleſiarum tanquam caput prævisus à Propheta.*

APPREHENDENT[1] *ſeptem mulieres virum unum* : Ad litteram loquitur de deſolatione terræ Iudæorum, in qua per captivitatem remanſerunt pauciſſimi homines, & multæ fœminæ, ita ut ſeptem; & plures ſe offerrent uni viro : Miſticè iſte vir unus eſt Chriſtus caput omnium Eccleſiarum, in quo cum ſint ſeptem dona Spiritus Sancti, & omnes gratiæ ipſe immittit ſuam virtutem, & gratiam ad cæteros. *Ioan. c.*1. *v.* 30. & hinc ſubdit, dicens (Sponſus iſte Eccleſiæ) Panem noſtrum comedemus, ſcilicet ſumendo corpus, & ſanguinem Chriſti, veſtimentis virtutum operiemur : tantummodo invocetur nomen tuum ſuper nos, ſcilicet ut omnes ſalvati, per te dicamur. *Ugo hic.*

68. *Virtutum deſponſatio quàm utilis.*

Apprehendent ſeptem mulieres virum unum. Quid ſunt iſtæ Mulieres, niſi virtutes; quæ ſibi deſponſant animam ? & nota, quod apprehendunt virum unum, ideſt faciunt hominem virilem, & unum; quia non dividunt eum, ſed uniunt Chriſto, & ſtabilem faciunt, fœcundumque, Idem etiam dicitur de donis Spiritus Sancti : *Sermon.*7. *Hexam. & lib.*3, *d.*4. *art.*2 *quæſt.*1.

69. *Mariæ Virginis fructus magnificentia exprimitur.*

In die illa erit germen Domini in magnificentia, & gloria, & fructus terræ ſublimis, & exultatio his, qui ſalvati fuerint de Iſraël : Quænam eſt hæc dies tam felix, in qua germen magnificum, glorioſum, & fructuoſum videbitur ? Hæc eſt dies Nativitatis Domini noſtri Ieſu Chriſti : qui fuit germen, & fructus ſublimis terræ, ſcilicet Mariæ Virginis, verè terra benedicta, pura, & fœcunda, & fluens lac, & mel fuit Maria Virgo, & ejus Filius dicitur germen in magnificentiâ ortus propter regalem magnificentiam, in gloria propter virginalem puritatem, & ſublimis propter paternalem generoſitatem : & hinc ſubdit : Talis nativitas erit exultatio his, qui ſalvati fuerint de Iſraël ; quia nativitas Domini noſtri Ieſu Chriſti fuit utilis, honeſta, & jucunda toti mundo. *Opuſc. ſpec. B. Virgin. lect.*16. *Comp. Theol. lib.* 4. *cap.*11. *ſermon.*11. *&* 14. *Hexam.*

70. *Felix, & Sanctus qui habitat in Hieruſalem.*

Omnis, qui relictus fuerit in Sion ; & reſiduus in Hieruſalem Sanctus vocabitur: omnis ; qui ſcriptus eſt in vita in Hieruſalem. Nota quod ad litteram Propheta prædicit felicitatem eorum; qui non ducti in captivitatem remanſerunt in Hieruſalem, quia iſti dicebantur Sancti, & felices, ob cultum veri Dei ; & ſcripti remanſerunt in propria genealogia, quam alii captivi perdiderunt. Per quod patet nunc inter hujus temporis Iudæos nullam eſſe notitiam de ipſorum deſcendentia, & de quibus tribubus ſint. Myſtice per Sion, & Hieruſalem intelligitur Eccleſia militans, & triumphans, & ſtatus animæ contemplativæ. Felix igitur eſt, & ſanctus qui à Deo gratiam recipit permanendi in gremio Eccleſiæ militantis, & in hac magis felix, qui in vita contemplativa moratur propter ſpeculationes, & illuminationes cœleſtes, & feliciſſimus, qui in fine vitæ ſcriptus invenietur in libro vitæ. *Luc. cap.*18. *verſic.* 31. *Ugo hic.*

71. *Baptiſmus ad purgationem Animæ proponitur.*

Si abluerit Dominus ſordes filiarum Sion, & ſanguinem Hieruſalem tulerit de medio ejus in Spiritu Iudicii, & Spiritu ardoris : Ecce quomodò anima appellari poterit Sancta, ut ſupra dictum eſt ; *ſi abluerit Dominus ſordes ejus* : ſed in quo balneo ? in balneo pœnitentiæ, & tribulationis per viam purgativam, & hoc facit Deus in Spiritu judicii ſcilicet incutiendo timorem judiciorum Dei, & in Spiritu ardoris inſtillando amorem : Hoc enim pacto abluit Dominus ſordes filiarum Sion, & ſanguinem Hieruſalem, ſcilicet maculas peccatorum Spiritualium, & carnalium. Ad hoc balneum invitantur omnes peccatores, ſi volunt baptizati, & mundari ab omnibus ſordibus peccati. *Sermon.* 4. *Dom.*3. *poſt oct. Paſch. Luc. cap.*3. *verſ.*16. *Ioan. collat.* 59.

72. *Ad majorem conſolationem, & præſervationem Eccleſiæ, & filiorum ejus collocavit Deus in ipſa Chriſtum, & Mariam Virginem tanquam columnam nubis, & ignis.*

Et creavit Dominus ſuper omnem locum montis Sion, & irroratus eſt nubem per diem, & fumum ; & ſplendorem ignis flammantis in nocte : ſuper omnem enim gloriam protectio, & tabernaculum erit in umbraculum diei ab æſtu, & in ſecuritatem, & in abſconſionem à turbine ; & à pluvia : Nota quòd hæc eſt prædictio felicitatis Eccleſiæ obvenientis, & ſuis filiis per adventum Chriſti in carnem : ſed tamen ad majus complementum, & perfectionem ſummam divinæ protectionis ; aliam columnam nubis, & ignis prædicit futuram eſſe in Eccleſia ; & hæc eſt beata Virgo Maria mater Chriſti : quam poſuit Deus in Eccleſia, ut nobis eſſet columna nubis, nos

protegens ab æſtu divinæ indignationis, & etiam diabolicæ tentationis in hac nocte tenebrarum, & ſimul eſſet columna ignis illuminans mundum multis miſericordiæ beneficiis, quid igitur nos miſeri, nos obtenebrati? Quid in nocte hujus ſæculi faceremus, ſi tam luminoſam columnam non haberemus? Ecce qualis felicitas noſtra, dum nobis dedit Deus umbraculum tam charum, tam ſecurum, tam amplum, ſcilicet Chriſtum, ejuſque Sanctiſſimam Matrem. *Op.ſpec.B.Virg.lect.3. & op.litania.*

73. *Sub protectione Crucifixi habemus ſecuritatem, & abſconſionem ab omni malo.*

Super omnem gloriam erit protectio, & tabernaculum erit umbraculum diei ab æſtu, & in ſecuritatem, & abſconſionem à turbine, & à pluvia; Vide felicitatem iterum Eccleſiæ in cujus medio plantatum eſt lignum vitæ ſcilicet Chriſtus Crucifixus, ut eſſet columna nubis, & ignis, imò ſol illuminans, & protegens, ut in ejus ſinu abſcondatur, foveatur, & cuſtodiatur homo, & ut eſſet umbraculum ab omni æſtu malorum: ſi igitur ô homo oppreſſus fueris, & anguſtiatus ab æſtu tentationum, à frigore malorum, & periculorum, curre, & recumbe ſub hoc umbraculo Crucifixi, & ab omni malo eris ſecurus. *Luc.cap.16.verſ.22. ſerm.1. Hexam.*

CAP. V.

74. *Eccleſiæ conditiones, & prærogativæ ſub metaphora Vineæ exponuntur.*

CANTABO *dilecto meo canticum patruelis mei vineæ tuæ: Vinea facta eſt dilecto meo in cornu filio olei, & ſepivit eam, & lapides elegit ex ea, &c.* Nota quod ad litteram exprimit beneficia à Deo collata ſinagogæ ſub metaphora Vineæ, & ſimul redarguit ipſius impietatem, unde hoc canticum non eſt lætitiæ; ſed mœroris, eſtque canticum primò cantatum à Patruele ſcilicet conſanguineo, ideſt David, vel à Chriſto. Myſticè dat intelligere fundamentum Eccleſiæ factum à Chriſto filio dilecto Patris: dicitur Filius olei, ideſt plenus gratiarum Spiritus Sancti: eam ſepivit cuſtodiâ Angelorum: eam locavit Agricolis ſcilicet Apoſtolis, Epiſcopis, Prælatis, Doctoribus, Prædicatoribus. In ipſa collocavit Turrim, ſcilicet Sacram Scripturam, per quam cuſtoditur, & ſervatur: Alias conditiones vide *Luc.c.20.v.9. & ſeq.*

75. *Ingratitudo noſtra quàm Deo exoſa.*

Expectavit, ut faceret uvas, fecit autem labruſcas: nunc ergo judicate inter me, & Vineam meam, quid eſt quod ultra debui facere Vineæ meæ, & non feci ei? Nota quòd ſicut ad litteram conqueritur de ingratitudine Iudæorum; ſic & de noſtra. Videns Deus, quòd poſt tot tantaque beneficia adhuc ingrati ſumus tantæ benignitati, & loco fructuum bonorum operum ſolùm labruſcas peccatorum producimus. *Luc. c.6.v.44.& c.9.v.40.& c.4.v.28.& cap.20. v.12. & ſeq.& cap.22.v.20. Op. Comp.Theol.lib. 6.c.21. Pſal.118.v.153.*

76. *Reprobatio Iudæorum ad litteram, & negligentia Chriſtianorum myſticè expenditur.*

Nunc oſtendam vobis quid faciam vineæ meæ: auferam ſepem ejus & erit in direptionem, diruam maceriam ejus, & erit in conculcationem, & ponam eam deſertam, non putabitur, & non fodietur, & aſcendent ſuper eam vepres, &c. Nota quòd hic Propheta prædicit deſolationem Judæorum, ad quam reducti ſunt poſt aſcenſionem Chriſti; quia remanſerunt ſine Prophetis, Sacrificiis, lege, & omnibus bonis cœleſtibus deſtituti. *Luc. cap. 20. verſ. 16.ſeq. & cap. 19. & 44.* Myſticè hæc comminatio dirigitur Animæ, quæ eſt Vinea myſtica, quæ ſi vocationem, & gratiam rejicit remanet deſtituta munimento virtutum, præſidio Angelorum, & in deſolationem, & privationem bonorum cœleſtium redigitur. *Sermon. Dom. in Quinquag.*

77. *Qui non extollit Vineam Animæ à ſpinis, ſuffocabitur, & in ignem mittetur.*

Ponam eam in direptionem, diruam maceriam ejus, &c. & aſcendent ſuper eam vepres. Ecce quid comminatur Deus non excolenti vineam animæ, & dimittenti eam ſpinis malarum cogitationum, & negligentiarum repleri, ſic enim frumentum bonum ſuffocatum remanet, & ſolùm redditur apta igni: *in Luc. cap.8. v.7. & ſerm.1. Dom. infra oct. Nativit. in fine.* Ad hanc igitur Vineam excolendam unuſquiſque vocatur: Alius quidem in pueritia, alius in juventute, alius in virilitate, alius in ſenectute, ut quiſque fructum fidei, & amoris, & juſtitiæ reddat, alioquin per damnationem exigetur, atque ejicietur, & alius aſſumetur. *Sermon. 2. Dom. ſeptuag. Luc. cap.13. verſ.6.*

78. *Qui ædificat, & concervat facultates terrenas in prædiis alienis ædificat ad excidium, & ruinam.*

Væ qui conjungitis Domum, ad Domum, & agrum agro copulatis uſque ad terminum loci, nunquid habitabitis vos ſoli in terra? Sed quodnam eſt hoc peccatum conjungere domum domui? Nonne eſt licitum divitibus emere à proximo res, & facultates? ſed attende quòd hic intendit

intendit conculcare avaritiam divitum, qui aliorum neceſſitatem faciunt ſuam voluptatem, qui eam damno proximi & cum præjudicio charitatis, & aliis modis indigniſſimis ſpoliant pauperes ſub ſpecie pietatis, & ſubventionis. Væ dicit Deus iſtis raptoribus, & avaris, quia contra illos fulminatur illa terribilis ſententia: *auferetur à vobis regnum*, & quod hic ſubdit: *Domus multæ deſerta* ſcilicet grandes, & magnæ, ac pulchræ ſine habitatore: Tales enim impii tali modo augendo facultates, quærunt, & inveniunt excidium, & ruinam in ſeipſis, & filiis, & rebus propriis. *Ser.1. Dom.24. Pent. in Luc. c.2. v.8. & c.17. v.18.*

79. *Divites epulones, & ſine miſericordia in pauperes quàm Deo exoſi.*

Væ qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam, &c. cithara, & lyra, & vinum in conviviis veſtris, & opus Dei non reſpicitis. Ecce quomodo redarguit Deus epulones deditos comeſſationibus, & ebrietatibus, non attendentes ad Dei opus, ſcilicet ad pauperum miſericordiam, & ad imitationem Dei, qui ſemper totus eſt in beneficiando: Væ Væ iſtis, quòd important æternam damnationem. *Thren. c.10. Pſal.101.*

80. *Ignorantia ſcientiæ ſalutis quàm pernitioſa.*

Captivus ductus eſt populus meus; quia non habuit ſcientiam, & nobiles ejus interierunt fame, & multitudo ejus ſiti exarſit; propterea dilatavit infernus animam ſuam &c. Vide quot peſſimos effectus ab ignorantia proveniant: ſed quænam fuit ſcientia ex cujus carentia captivus ductus eſt populus? ſcientia hæc eſt ſalutis: ſcientia hæc eſt doctrina Chriſti, quæ eſt omnimodè ſcitu neceſſaria, & qui in ejus ſtudio deficiunt, exponunt diſcrimini æternæ damnationis propriam ſalutem, & animam; & quia in multis hic error ſerpit; ideo *dilatavit infernus os ſuum.* Et nota, quòd iſtorum error præcipuus eſt in inadvertentia, quòd ſub eſca à diabolo propoſita delectationis. ſtat æterna damnatio. Hinc multi à diabolo remanent legati, & captivi. *Ser. in Nativit. in Luc. c.1. v.77.*

81. *Miſeria peccatorum poſt mortem, quoad corpus & animam expenduntur.*

Dilatavit infernus animam ſuam, ſcilicet ſuam capacitatem; *& os ſuum aperuit abſque ullo termino, & deſcendunt fortes ejus, & ſublimes, & glorioſi ejus ad eum.* Vide quid conſequitur ex captivitate diabolica ſupra enarrata, nempe damnatio plurimorum, & ut intelligatur ſecuritas talis perditionis, dicit: quod dilatavit infernus animam ſuam, os ſuum, ſcilicet factus eſt capax ad recipiendum innumerabiles peccatores, & aperuit os ſuum, ut recipiat animas nunc, & poſtea corpora, quæ in ſepulchro primò à vermibus, & tineis conſumpta ſunt, & ut percipiatur cauſa damnationis tot hominum præmittit, quòd homines interierunt fame, & multitudo ſiti exaruit, ſcilicet fame & ſiti cupiditatis, & avaritiæ, & voluptatum carnalium, quia iſta peccata præcipitant innumeras animas, & hinc eſt, quod ſubdit; *& deſcendent ad infernum fortes*, ſcilicet per potentiam proximum, & pauperes opprimentes, ſublimes per excellentiam, & ambitionem, & glorioſi, ſeu generoſi, per opulentiam, qui talibus abutuntur, & ideò deſcendunt tot millia peccatorum tanquam lapides graviſſimi in profundum inferni. *Ser.3. Dom.10. Pent. fer.3. in Paſch. fer.10. in Rogat. Pſal.118. v.16.* Ex quibus verbis etiam habetur, quòd major multitudo eſt eorum qui damnantur, quam qui ſalvi fiunt, quod plures ſancti Patres expendunt.

82. *Qui alios trahunt ad peccatum ſunt diaboli auxiliarii, & uſurpantes officium dæmonum.*

Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quaſi vinculum Plauſtri peccatum. Qui ſunt iſti, qui trahunt iniquitatem, & peccatum quaſi in plauſtro, & veluti vinculum? ſed attende ad metaphoram pulcherrimam: vinculum eſt peccatum impii, hoc peccatum trahunt peccato alterius connectentes, trahentes alios ad peccatum per ſcandalum ſcilicet verbo, conſiliis, malis exemplis, innumeriſque aliis modis infamibus, quod proprium eſt diaboli; & ideò iſti impii ſunt veluti dæmones, uſurpantes officium diaboli, quod eſt ſemper ordinatum ad ruinam animæ? Addit: *& quaſi vinculum plauſtri*, vel; quod idem eſt: peccatum quaſi in plauſtro: per quod intelligitur conſuetudo peccandi, quæ eſt vinculum durius, fortius, & difficiliùs frangi; quia & ipſi impii, & illi quos trahunt ad hæc peccata facilè in conſuetudinem talis officii veniunt, ideoque difficillimi ad converſionem: Væ igitur iſtis impiis; quia ſubjacent Væ iræ divinæ. *Ser.2. fer.4. Pent. Vgo hic.*

83. *Infelicitas addentis peccatum peccato expenditur.*

Væ, qui trahitis iniquitatem in funiculis, ideſt qui reſtem facitis peccatis compoſitam: Per quod datur intelligi, quòd qui peccatum ſtatim non delet pœnitentiâ, illud ad aliud trahit, & hoc ad alia donec in ſtatum miſerrimum deveniat. Væ igitur iſtis inſanis, & miſeris. *Pſal.118. c.10. v.6. & Pſal.30.* Dicitur autem væ iſtis; quia Deus eos flagellat proprio fune ab ipſis confecto. *in Ioan. cap.2. v.17.*

84. *Avaritia eſt currus diaboli, quo animas ad interitum ducit.*

Væ qui trahitis iniquitatem. &c. & peccatum quaſi vinculum plauſtri: Quænam eſt hæc iniquitas, quæ dicitur vinculum plauſtri? ſed attende quòd hic loquitur principaliter de avaritia, quæ eſt currus diaboli: cujus rotæ quatuor ſunt inhumanitas, puſillanimitas, contemptus Dei, & oblivio mortis: Duo ſunt equi, ſcilicet tenacitas, & rapacitas: Auriga eſt amor habendi; nam avaritia eſt avara, & uno ſolo eſt contenta, ſcilicet Vectore: Diabolus ergo quando induxit avaritiam in corde hominis quaſi triumphum agit. *Pſal.30.*

85. *Currus multiplex diaboli expenditur.*

Væ qui trahitis peccatum in plauſtro: Quis eſt, qui ducit peccatum quaſi in plauſtro? Nota quòd quadruplex eſt currus diaboli, ſcilicet cultus veſtium cum laſcivia, ſecundus ambitio bonorum; tertius appetitus diviriarum per avaritiam, quartus ſimulatio virtutum per fraudulentiam, ad quæ quatuor tanquam ad quatuor rotas currus Pharaonis, ſcilicet diaboli reduci habent omnia mala, & per quos à diabolo præcipites ducuntur, omnes mali ad infernum. *in Luc.c.20.v.44.*

86. *Virtus vera incedit in medio non declinans in dexteram conſcientiæ nimis largæ, nec ad ſiniſtram nimis ſtrictæ.*

Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, amarum dulce, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras. Nota, quòd ſupponit ſacer textus, id quòd eſt veriſſimum nempe, quod virtus ſtat, & incedit in medio non declinans ad dexteram, vel ſiniſtram, & ideo dicit: *væ iis, qui dicunt bonum malum, & malum bonum:* & qui ſunt iſti cæci? ſunt illi, qui conſcientiam non habent rectam; nam conſcientia nimis larga generat præſumptionem, & dicit malum bonum: nimis ſtricta generat deſperationem, & dicit bonum malum; quia ſemper quæritat in omnibus ſuis rebus malum licet verè non adſit. *Op.Comp.Theol. lib.2. cap.52.*

87. *Vitium palliatum ſub ſpecie virtutis quàm periculoſum.*

Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum &c. Nota quòd non ſine cauſa Propheta hanc admonitionem hic inſerit exemplo Judæorum, qui ad tantam cæcitatem devenerunt, quòd ſuas peſſimas iniquitates tegebant ſub perſona, & ſpecie virtutis: quod malum eſt peſſimum, & periculoſiſſimum in omnibus, & maximè in Religioſis; nam cum virtus ſit res tam nobilis, & venerabilis, etiam mali, & vitioſi eam ſuper omnia venerantur, ideoque malum dicunt bonum, & vitia ſæpe virtutes eſſe mentiuntur, & velamen virtutis aſſumunt, ut aut ſecurius diſſimulentur, & non arguantur; aut etiam laudem virtutis aſſequantur, & quod peſſimum eſt, ſumméque deteſtabile, & nocivum, etiam aliquando apud Religioſos malos virtus pro vitio deſpicitur, & impugnatur, & vitium pro virtute laudatur; ſed virtute coloratum. Sic ſæpe paupertas voluntaria pro Chriſto, quæ eſt virtus heroïca appellatur vitium ſub prætextu neceſſitatis, pietatis, & honeſtatis divitias deſiderando in pecunia, in prædiis, in ædificiis, veſtitu, victu, libris, & aliis, quæ veræ divitiæ reputantur, ita ut ſatiari nequeant: nec unquam dicunt ſatis eſt. E contra parcè vivere, & paucis eſſe contentum, tenacitas, & avaritia appellatur, quaſi non audeant uti his, quæ habent: ſilentium triſtitia appellatur: maturitas amaritudo: zelus juſtitiæ temerarium judicium dicitur: quies devotionis pigritia: corporis caſtigatio, indiſcretio cenſetur: ſimplicitas ſtultitia creditur: timor Dei, litigioſa, & ſcrupuloſa conſcientia æſtimatur: fugere converſationem publicam, ſingularitas vocatur: cavere ſcandalum hypocriſis judicatur. Ecce quomodo virtus proſcribitur, & perversè vitium interpretatur. E contra verò pleriſque diſſolutio, ſocialis jucunditas putatur: curioſitas ædificiorum, librorum; & aliorum, honeſtas habetur: lata conſcientia libertas reputatur: corpus delicatè fovere, diſcretio putatur: Garrulitas, affabilitas dicitur: invidia fraterna, zelus juſtitiæ dicitur: duritia, & inclementia, rigor ordinis putatur: Avaritia, acquirendi, quærendi, & poſſidendi, poſſeſſio fidelis nuncupatur: Aſtutiæ, prudentia nominatur: elatio, auctoritatis oſtenſio monſtratur: zelus & contentio, ordinis defenſio appellatur: Jactantia de bonis, ædificatio proximi vult videri: conformitas vitioſa, vult credi fuga ſingularitatis: Torpor negligentiæ, vult humilitas videri, & puſillanimitas altiora ſe non quærere: inquietudo evagandi, & negotiandi, vult agilitas dici benè operandi: Prodigalitas, liberalitas vult videri. O utinam tantum malum, tanta cæcitas, & ignorantia à Regularibus Deus elonget: ſed concedat nobis, ut medium inter virtutes eligant non declinando ad dexteram, vel ad ſiniſtram, regiâ gradientes viâ, ne dicant bonum malum, vel malum bonum, ponendo lucem tenebras, & tenebras lucem, dividentes diem virtutis à nocte vitiorum, ne Angelum Sathanæ pro Angelo lucis recipiant, verum à malo diſtinguentes, & quod bonum eſt tenendo. Audiant hæc religioſi, & maximè Prælati, & videant, quod in hoc ſtat ſumma obſervantiæ regularis. *Opuſc.de profect. Religioſ. lib.2. cap.51. & 50. in Luc.c.7.v.34. ſer.1. Hexam. & lib.2. d.34. q.1. in corp. Thren.c.2.*

88. *Sapientia ſuperborum, & invidorum diabolica, & excæcans.*

Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobis metipſis prudentes: Cur tam horribilis comminatio ſapientibus, & prudentibus in oculis ſuis? Quodnam malum eſt cognoſcere ſe eſſe ſapientes? ſed attende, quòd dicit, *in oculis veſtris, & coram vobis,* non verè, & realiter: & hoc eſt proprium ſuperborum, & invidorum, qui in ſua propria reputatione credunt nimis ſibipſis, abjicientes, & contemnentes alios, volentes ſapere pluſquam oportet: hæc ſapientia, & prudentia eſt diabolica, cum cæleſtis ſit de cœlo veniens, pudica, modeſta, pacifica, ſuaſibilis, bonis conveniens. *Op.Eccleſ. Hierarch.p.1. c.3.* Væ ait iſtis; quia ſemper in prava conſilia ſe præcipitant excæcati à propria ſuperbia. *Lib.2. d.34. a.2. q.1.*

89. *Ebrietas vera, & moralis redarguitur.*

Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum, & fortes ad miſcendam ebrietatem: Nota quòd hic primò redarguitur nimia potatio vini, & ebrietas, eo quia mentem perturbat, memoriam enervat, oblivionem immittit, errorem infundit, ad ignorantiam perducit: ſecundò moraliter arguit omnem ebrietatem, quatenus importat perturbationem mentis; ut eſt fornicatio, cupiditas, ira, & alia vitia hujuſmodi. *In Ioan. collat.12. & in Luc. c.6. verſ.25.*

90. Indices

90. *Judices juſtitiam propter avaritiam prævaricantes redarguuntur.*

Væ qui juſtificatis impium pro muneribus, & juſtitiam juſti aufertis ab eo: Nota quòd eſt peſſimum malum judicium avarorum, qui propter lucrum, vel timorem, vel rancorem juſtificant impium, & innocentem, vel condemnant, vel relinquunt ſine juſtitia, contra quos dicit Spiritus ſanctus: Væ iſtis, quod importat maledictionem divinam. *Ser. 5. de Plur. Mart. Op. Comp. Theol. lib. 5. c. 37.* Nota etiam quòd hæc diriguntur ad Confeſſarios, ut caveant ab omni acceptione perſonarum. *Op. Confeſſion. c. 1. p. 6. & c. 4. p. 1.*

91. *Verbum Dei deſpiciens, maledictioni ſubjacet divinæ:* unde hic dicitur: *ſicut ſtipulam devorat lingua ignis, &c. abjecerunt enim legem Domini, & eloquium ſancti Iſraël blaſphemaverunt; ideo iratus eſt furor Domini in populum &c. Pſal. 118. c. 11. v. 9 ſer. 2. de S. Ant. Patav.*

CAP. VI.

92. *Qualis viſio à Deo fuerit Iſaiæ oſtenſa, & an fuerit, vel potuerit eſſe clara, facie ad faciem Dei.*

VIDI *Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & elevatum &c. plena erat omnis terra majeſtate ejus:* Nota quòd in his verbis dat Propheta intelligere qualis fuerit ei viſio oſtenſa: nempe dupliciter; una eſt ad Deum trinum, altera eſt ad Deum incarnatum: An vero hæc viſio fuerit clara ad modum Beatorum, eſt in quæſtione: ſed probabilius eſt dicere, quod Deum viderit non clarè ad modum beatorum; ſed per lumen fidei elevantis mentem ad contemplandam ſummam Dei perfectionem ad modum viatorum. *lib. 2. d. 23. a. 2. q. 3. ſer. 8. Hexam Ioan. c. 1. v. 18.*

93. *Contemplatio eſt ſolium in quo videtur, & guſtatur Deus.*

Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum, &c. Quodnam eſt hoc ſolium Dei in quo videt ipſum Deum? Nota quòd hæc eſt contemplatio, ſive anima contemplativa, in qua relictis omnibus terrenis ad Deum volat, ipſum videt, ipſo fruitur, *ſer. de SS. Simone, & Iuda.* Nota autem mirabilem artem contemplationis ſervorum Dei, in qua anima videns terram plenam majeſtate Dei, ſcilicet relucentem in creaturis, ex ipſis relictis, aſcendit in Dei viſionem, & fruitionem. Ad hoc autem concurrit lumen ſpeciale fidei, intellectus, fideliter credendo, & affectus ſe colligendo in Deum, & amando, & dona, & virtutes perficiendo. *In Luc. c. 9. v. 32. Ioan. c. 12. v. 38.*

94. *Maria Virgo fuit thronus excelſus, & elevatus Dei.*

Vidi Dominum ſedentem ſuper thronum excelſum, & elevatum. & plena erat Domus majeſtate ejus. Quodnam ſolium eſt hoc, in quo Dominus viſus eſt ſedere? ſed attende, quòd Iſaias vidit myſteria, quæ per Chriſti adventum in Eccleſia, erant perficienda; ideo ipſi oſtenſus eſt thronus excelſus, & elevatus in quo Deus ſedebat. Hic autem eſt Beata Virgo Maria verè thronus eburneus, & candidiſſimus, & per plenitudinem gratiæ ſolidiſſimus; quia ejus intellectus repletus eſt à rectiſſima fidei veritate, affectus à ferventiſſima charitate, & quoad corpus repletus majeſtate. Dicitur ideo thronus excelſus; quia ſuprà conditionem naturæ corruptæ à fomite fuit liberata: & elevatus; quia ſupra hominem ne procreandi haberet potentiam, fuit per gratiæ beneficium confirmata. Thronus quidem purus fuit Maria in naſcendo, purior in verbum Dei concipiendo, & puriſſimus omnes moleſtias corrupti corporis in ſua aſſumptione evadendo. *Op. Eccl. Hier. part. 4. c. 7.*

95. *Mariæ gloriæ plenitudo reſultantis ad Dei gloriam expenditur.*

Vidi Dominum, &c. Plena eſt omnis terra majeſtate ejus: Nota illud verbum: *Plena erat omnis terra majeſtate ejus:* ad quem ſe refert, ly, *ejus* ? ad Deum, an ad thronum? Ad thronum utique, ſcilicet ad Mariam, quæ eſt thronus Dei exaltatus, & elevatus, ut dictum eſt ſupra: hujus throni gloria replevit omnem terram, & quomodo? quia Maria eſt opus mirabile excelſi, nec enim aliud ſimile invenitur inter omnia creata: opus quidem plenum dominica gloria; quia ſuper omnem puram creaturam reſultat, & relucet pleniſſimè in Maria; nam præter aſſumptam à Verbo naturam, nullum eſt opus, nulla eſt creatura, in qua tanta divinæ gloriæ materia reluceat ſicut in Maria: Gloriam enim de reſtauratione facta in Cœlo, gloriam de Redemptione facta in mundo, gloriam de liberatione facta in inferno habet Dominus per Mariam, & per plenitudinem Mariæ. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 7.*

96. *Mariæ plenitudo gratiæ expenditur.*

Et plena erat terra majeſtate, &c. Quid eſt eſſe plenum majeſtate Dei? Majeſtate Dei ſcilicet gratiâ, & gloriâ: Qualis igitur erat iſte thronus plenus majeſtate, & gloria Dei? Hæc erat Virgo Maria, quæ fuit thronus, vas, Domuſque immenſiſſima cum potuerit in ſe continere illum qui cœlo eſt major: ergo capacior eſt Cœlo; quia quem cæli capere non poſſunt ſuo gremio contulit: capacior mundo; quia quem orbis non potuit continere, continuit in utero. Si ergo capaciſſima fuit ventre, multò magis mente: & ſi capacitas tam immenſa fuit gratia plena; ergo & gratia, quæ tantam implevit capacitatem, fuit immenſa. Adeamus igitur cum fiducia ad thronum hunc Mariæ, ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in tempore opportuno. *Op. ſpecul. B. Virgin. lect. 5.*

97. *Maria domus Dei plena gloria.*

Et plena erat domus majeſtate ejus. Quænam eſt iſta domus viſa ab Iſaïa? Hæc domus eſt Beata Virgo Maria in cujus mentis ſolio Dominus requievit. O verè beatiſſimum! ô verè ſtabiliſſimum ſolium, ſolium quidem excelſum, & elevatum: excelſum in intellectu; elevatum in affectu: excelſum eſt quoque ſuper homines; elevatum ſuper Angelos, excelſum in gratia, elevatum in gloria. In ſolio ergo mentis Mariæ Dominus ſedit, & domus ejus corporis majeſtate Verbi incarnati plena erat; & ideo plena majeſtate, ſcilicet gratia dicitur, quæ ſola, gratiam, quam nulla alia creatura conſecuta eſt, invenit; ut gratiæ repleretur Auctore. O verè felix domus tam felici fœcunditate plena, ſimul cum virginitatis gratia! domus ergo Domini Maria repleta gloria divinæ majeſtatis per aſſumptam à Verbo humanitatem. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 7. op. laus Virg. ſig. 12.*

98. *Eucharistia eſt thronus Dei plenus majeſtate.*

Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & elevatum, & plena domus majeſtate ejus: Nota quòd à pluribus DD. per ſolium excelſum, & elevatum intelligitur ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum, & meritò; quia, ut dictum eſt ſupra *in ſer. 8. Hexam.* vidit Iſaïas divinitatem, & humilitatem Chriſti in hoc raptu: Dicitur autem ſolium excelſum, & elevatum; quia mens elevata per fidem credit ibi eſſe puriſſimam Chriſti carnem, & ſacrum corpus, quod fabricante Spiritu ſancto, tractum fuit de utero Virginis, appenſum in Cruce, poſitum in cœlo, & glorificatum in gloria. Credit hoc corpus eſſe vivum cum ſanguine, quem effudit pro mundi ſalute: credit eſſe Chriſti corpus, ſanguinem, & Animam, & ipſum verum Deum, & hominem glorioſum in majeſtate ſua. Addit; *& domus plena erat majeſtate*; quia in Euchariſtia relucet majeſtas, & præſentia mirabilis Dei, Chriſti humilitas, reverentia ei debita; & quia adſunt chori Angelorum aſſiſtentes. Poteſt etiam dici, quod domus dicitur impleta majeſtate, ſcilicet Eccleſia ob præſentiam Euchariſtiæ, & aſſiſtentiam Angelorum. *Op. de præparat. Miſſæ c. 1. lib. 4. d. 10. q. 1. ſer. 5 in Cœna Dom. & ſer. 1. de Dedic.*

99. *Prælatus bonus ſignificatus in Seraphim habentibus ſex alas.*

Et ſeraphim ſtabant ſuper illud, ſex alæ uni, & ſex alæ alteri, duabus velabant faciem ejus, duabus velabant pedes ejus, & duabus volabant. Nota quòd myſticè per hos Seraphim ſignificantur Prælati Eccleſiæ; quia ſicut Seraphicus ordo aliis Angelicis præeſt in virtute, lumine, & ardore, ſic & Prælati debent omnes virtutes habere in ſe, ut inferioribus poſſent ea oſtendere, & communicare. Iſti Seraphim ſex alas habebant, quia cum denarius ſit numerus perfectus, primus conſtans ex ſuis partibus aliquotis, & non aliquotis; ſic & Prælatus omnes virtutes habeat quæ tamen ad ſex capita reduci habent; nam prima ala eſt zelus juſtitiæ, qua non poſſit aliquod injuſtum ſine cordis murmure in ſe, & in aliis ſuſtinere; tantùm enim quiſque bonus æſtimandus eſt, quantùm plus & puriùs odit malum: tantùm enim res diligitur, quantum de ejus deſtructione doletur. Qui zelus faciet cavere tranſgreſſionem præceptorum Dei, Eccleſiæ, Religionis ſtatutorum ordinis, perturbationem ſtudii devotionis, negligentiam exterioris diſciplinæ: ſecunda ala eſt pietas, & fraterna compaſſio; ſi enim vitiis debetur virga feriens, & infirmitati neceſſarius eſt baculus ſuſtentans; ſic & ſamaritanus ille infudit vinum zeli ferventis, & oleum pietatis mitigantis: Tertia ala eſt Patientia; ut enim Prælati ſubditos fideliter defendant à turbine peccati neceſſe eſt ſæpe diverſarum in ſe excitare tempeſtates adverſitatum. Patientia, inquam, neceſſaria eſt; tum propter multiplices labores, curas, & occupationes diverſimodè emergentes; tum pro tuendo profectu aliquorum; tum pro ingratitudine ſubditorum: Quarta ala eſt exemplaris vita, cum ipſe debeat aliis eſſe norma vivendi, ut quæ docet verbis, oſtendat actionum figuris. Unde ſit humilis in motu, in affabilitate, in uſu rerum temporalium, in maturitatis honeſtate; ut bonus magiſter bonos faciat diſcipulos. Quinta ala eſt circumſpecta diſcretio, ut ſciat quid agendum ſit, & qualiter: nempe ut ſciat quomodo in ſtatu debito commiſſos ſibi gubernet; ut boni proficiant, & perſiſtant; item quomodo lapſos, & devios corrigat, & emendet: item ut exteriora negotia congruè diſponat: Sexta ala eſt devotio ad Deum, quæ ad exercendum rectè omnia ſupradicta eſt neceſſaria. Devotio, inquam, communis in divinis officiis, ſpecialis in orationibus, & aſſidua in omnibus agendis. His igitur alis Prælatus ſpiritualis Domino ſedenti ſuper ſolium excelſum, & elevatum ornatus aſſiſtat, quorum primas duas ſuper caput elevet, mediis duabus corpus, & pedes contegat: ulteriùs duabus in latum, & altum volet, ut zelum ejus non humanæ laudis fervor deprimat: nec compaſſionem ejus carnalis affectus inclinet; ſed ſenſum recta intentio ſuſtollat, & fraternæ pietas charitatis in altum erigat propter retributionem ſupernam: Patientia verò, & vita exemplaris contegant eum à perturbationum jaculis, & à nuditate inopiæ meritorum, quibus quaſi armis defendatur, & quaſi ſacris veſtibus adornetur: circumſpectione verò ubique volet, & diſcretionis ſtudio, quæ ſurſum ſunt, quærat & ideo ſancto Patri Franciſco in illa viſione glorioſa Dominus apparuit, quando eum paſſionis ſuæ ſacris ſtigmatibus inſignivit; ut oſtenderet ſic alatos eſſe debere, qui ejus familiæ utiliter præeſſe deberent. *Op. de ſex alis Seraph. c. 2. & ſeq. uſque ad finem.*

100. *Seraphim ſit contemplativus ſex alis ornatus.*

Et ſeraphim, &c. ſex alæ uni, &c. Nota etiam quòd myſticè per ſeraphim ſignificatur anima virtutibus ornata quæ auxilio ſex alarum ad thronum contemplationis Dei aſcendit: ſex enim gradus in hoc aſcenſu aſſignantur, ſuntque ſenſus, & imaginatio, quæ ſunt veluti alæ ad pedes, quia ab imo creaturarum, & ſenſibilium primò debet aſcendi: deinde ſequitur

ratio & intellectus, quæ ſunt veluti alæ mediæ: Tandem intelligentia, & apex mentis, ſive ſynderesis ſintilla, quæ ſunt veluti alæ ad caput. Primæ duæ ſpectant ad theologiam ſimbolicam per ſenſibilia: duæ mediæ ad propriam, & ſcholaſticam per intelligibilia: ultimæ duæ ad myſticam per ſupereminentiales exceſſus: Per primum actum videt Deum extra ſe per veſtigia, & in veſtigiis, ſcilicet per creaturas videt Dei potentiam, ſapientiam, & bonitatem; videt ipſum Deum ut ens vivens, & intelligens, & mare ſpirituale, intranſmutabile, & incomprehenſibile: Per ſecundum actum videt Deum quatenus hæc viſibilia manuducunt mentem noſtram ad contuendum inviſibilia Dei; ſcilicet ſpecioſitatem, ſuavitatem, & ſalubritatem illius artis infinitæ efficientis, & exemplantis, & ordinantis omnia. Ad hoc eſt omnis Philoſophia: ſcilicet naturalis, quæ eſt de cauſa eſſendi, & facit videre potentiam Patris, & dividitur in metaphyſicam, quæ eſt de rerum eſſentiis, in mathematicam, quæ eſt de naturis, & figuris, & in Phyſicam, quæ eſt de naturis, virtutibus, & operationibus diffuſivis: Alia eſt rationalis, ſcilicet Grammatica, Rethorica, & Logica, quæ ducit in ſapientiam Verbi: Tertia eſt moralis, quæ dividitur in Monaſticam Æconomicam, & Politicam, & hæc ducit in bonitatem Spiritus Sancti. Per tertium & quartum actum videt Deum in imagine intra ſe per Animæ rationalis potentias reformatas fide, ſpe, & charitate. Per quintum actum videtur Deus ſupra nos per lumen quod ſignatum eſt in Anima noſtra; videtur, inquam, tanquam unus, & Trinus. Et tandem per ſextum actum aſcenditur in Deum relictis omnibus creaturis, & etiam propriis operationibus intellectualibus, & totus apex affectus transfertur, & transformatur in Deum. *Opuſc. Itiner. mentis in Deum per totum.*

101. *Inter Teſtamentum vetus, & novum debemus per medium volare.*

Seraphim ſtabant, &c. duabus velabant caput, duabus pedes, & duabus volabant. Quid eſt volare alis mediis, & non potius ſuperioribus, vel inferioribus: attende quod per caput intelligitur teſtamentum novum, per pedes vetus, quæ ſunt veluti velata, & tegentia mirabilia arcana, daturque intelligi, quòd homo, ſi vult Deum videre, & cognoſcere, & amare debet volare per medium iſtorum duorum teſtamentorum, arcanaque Sacræ Scripturæ indagare, & meditari. *Ioan. cap. 20. v. 13. Pſal. 146.*

102. *Seraphim cum ſex alis quomodo fiat homo.*

Sex alæ uni, &c. Nota quòd hoc proponitur ut intelligat homo debere præfigurari ut Seraphim ſex alis, quarum duæ pedeſtres ſunt patientia, & cordis contritio per quas trigitur ſponſa ad oſculum ſponſi: Mediæ ſunt ſpes & timor, quæ latus ambiunt, & faciunt Animam volare ſecurè ad Deum: Capitales ſunt charitas, & humilitas, quæ animam ſuper ſe ipſam exaltant in Deum, & ipſi uniunt inſeparabiliter. *Pſal. 35.*

103. *Homo nec infrà proprias vires ſe deprimat, nec ſuprà proprias vires ſe exaltet.*

Et duabus volabant. Non extremis, ſed mediis alis, ſic homo ſemper medium teneat, nec ultrà ſe extollat, nec infra ſe deprimat ad inſtar Seraphim, qui alis tantùm mediis volabant. *ſerm. 19. Hexam.* Medium enim eſt locus proprius virtutis: *Luc. c. 17. v. 11.*

104. *Myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis in unitate eſſentiæ Iſaiæ oſtenſum, & cur ter ſanctus dicatur.*

Et clamabant alter ad alterum, & dicebant Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum: & plena erat omnis terra majeſtate ejus: Nota hic, quod etiam in veteri Teſtamento gloria Trinitatis prædicatur; nam Angeli iſti laudantes Deum ter repetunt Sanctus, ſcilicet Pater; Sanctus, ſcilicet Filius, Sanctus, ſcilicet Spiritus Sanctus, Dominus Deus exercituum, ſcilicet; quia unus eſt in unitate ſubſtantiæ. Dicitur autem meritò tripliciter Sanctus, nempe Sanctus in tribus perſonis: Sanctus Pater, ſervans ſuos in ſanctitate: Sanctus filius ſuos glorificans: Sanctus Spiritus Sanctus ſuos in bonitate ſanctificans, & animas noſtras inflammans. *Serm. 1. & 3. Dom. Trinit. lib. 1. d. 2. dub. 8. Op. Comp. Theolog. lib. 1. cap. 10.*

105. *Hic Himnus Angelorum trahitur ad laudem Chriſti Ieſu.*

Et clamabant alter ad alterum Sanctus, &c. Plena erat omnis terra majeſtate ejus. Nota quòd & dictum eſt: vidit Iſaias Verbum incarnatum, & ſedens in ſolio humanitatis, vidit & Seraphim qui clamabant in laudem Chriſti Sanctus, &c. Sanctus Chriſtus in corpore; Sanctus in Anima: Sanctus in Divinitate, & ideo Sanctiſſimus, & fons totius Sanctitatis. *Serm. 1. Dom. Trinit. & ſerm. 8. Hexam.*

106. *Triſagium hoc Angelorum iterum expenditur, & quàm ſit efficax contra omnia mala.*

Et clamabant Sanctus, Sanctus, Sanctus. Nota quòd in hoc Angelorum triſagio ſunt ſpecialiter tria: primò enim confeſſio Trinitatis in una eſſentia: Secundò admiratio poteſtatis, & Iudiciorum Dei; unde additur: *Dominus Deus exercituum:* Tertiò pietatis, & beneficiorum veneratio; ideo additur: *Plena eſt omnis terra majeſtate ejus*, ſcilicet omnis terra tam viventium, quàm morientium, gloria videlicet, & miſericordia ejus, in qua Deus præcipuè oſtenditur glorioſus: & ideo hujus triſagii tanta eſt virtus, quòd qui dicit illum, à morte ſubitanea, fulgure, & omnibus tribulationibus eſt ſecurus. Propter hoc Sancta Synodus Chalcedonenſis quarta ſtatuit hoc triſagium Trinitatis dici à fidelibus contra omnes Stellionatus, id eſt minas divinas: Sanctus Agios otheos, Sanctus Deus, Agios Iſchyros, Sanctus fortis, Agios Athanathos, eleiſon ymas, Sanctus, & immortalis

lis miſerete nobis, ſic etiam dicit Damaſcenus. *lib.3. orthod. Fid. cap.10. Op. Diat. Tit.10. c.6. in fine.*

107. *In cælo eſt laus vocalis armonica.*

Et clamabant alter ad alterum, Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c. Nota quòd dicitur alter ad alterum Sanctus alternis laudibus ſicut in muſica: Quomodo ergo hoc dicitur, cum in Empyreo non ſit ſpiratio, & reſpiratio Aeris? Sed attende, quòd probabiliſſima eſt opinio dicentium, quòd in cœlo, eſt, & erit laus vocalis, & muſica dulciſſima, & hoc per aërem quaſi naturaliter beatis complantatum, ut eſt in Apibus, vel; quia deſervit beatis Empyreum ſicut aër corporibus non glorificatis. Sic etiam Chriſtus ſicut in omnibus Chriſtianis, præceſſit, & præcedit greſſu, ſic præcedet cantu: Cantabit enim ad guſtum, & lætitiam, primò ſuæ beatiſſimæ matris, deinde Angelicis Spiritibus, cæteriſque Sanctis, & cum ipſo omnes Sancti, & Angeli cantabunt alter ad alterum illud Triſagium glorioſum. *Sanctus, Sanctus, Sanctus. &c. Opuſc. Diat. Tit.10. c.6. & lib.2. d.2. p.2. dub.1.*

108. *Angeli cur dicantur laudare Deum tripliciter.*

Et clamabant, &c. Sanctus, &c. Nota quòd Angeli propriè dicuntur laudare Deum, & ideo oſtenduntur tripliciter hoc facere, dicentes, Sanctus, Sanctus, Sanctus: Sanctus propter peccati immunitatem, qua dotati ſunt: propter aſſiduitatem, quia non ceſſant clamare die, ac nocte Sanctus &c. & quia ſemper habent Dei fruitionem: nos autem invitamur ad ipſos imitandos ut pervenire poſſimus ad ipſorum ſocietatem, & gloriam. *Pſal.104. & 117. & 118. c.4. verſ.16.*

109. *Sanctiſſimè de Deo ſentiendum, & iterum exponitur hoc triſagium.*

Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c. Nota quòd ſicut Angeli laudantes Deum, ejus Sanctitatem proponentes ſanctiſſimè ſentiunt de Deo, ſic & invitant nos ad ſui ipſorum imitationem: Sanctus dicunt, eſt Deus, ſanctitatem ſummè, ac puriſſime in ſe habens, ut impoſſibile ſit, aliquod ipſum, niſi ſanctum, velle: Sanctus iterum dicunt hoc eſt ſanctitatem ita perfectè in aliis diligere, ut impoſſibile ſit ſanctitatem ſervantibus, aut gratiæ dona ſubtrahere, aut gloriæ præmia denegare: Sanctus eſt Tertiò, hoc eſt ita ſeverè oppoſitum ſanctitati abhorrens, ut impoſſibile ſit ipſum peccata, niſi abhorrere, aut reprobare, aut impunita relinquere, quod ſi ô homo ſervaveris cum Sancto legiſlatore cantabis, *Deus fidelis, & abſque ulla iniquitate, juſtus ac rectus. Op. de Regim. Anima.*

110. *Sanctorum laus in cælo iterum expenditur.*

Clamabant alter ad alterum Sanctus, &c. Nota quòd hæc oſtendit Deus Prophetæ, ut addiſceremus in hac viſione, quòd in Cœlo duo ſunt chori, alternis vocibus cantantes ſcilicet innocentium, & pœnitentium: Sanctus, ſcilicet Deus Pater, qui nos à mundo, à carne, à diabolo tam potenter liberavit: Sanctus Deus filius, qui nos tam ſapienter à pœna, & à culpa juſtificavit, ſanctus Deus ſpiritus ſanctus, qui nos tam clementer ab æternis tormentis præſervavit: *Plena eſt omnis terra gloria ejus*, qui nos de mundi miſeria ad cœleſtis regni gaudia evocavit: O Anima qualis tibi erit dies illa, cum ad hanc felicem choream fueris aſſumpta, & cum omne tormentum tibi, ſi piè vixeris, ſi patienter ſuſtinueris, convertetur in æternum jubilum. *Opuſc. ſolil. cap.4.*

111. *Iuſti ſint veluti Seraphim laudantes Deum.*

Et Seraphim, &c. Nota quòd de iſtis ſeraphim ſeptem ſpecialiter exprimuntur, quæ nos invitant ad ipſorum imitationem: Primò enim dicitur, quod *ſtabant*: quòd duo ſtabant: quòd bis ſex alas habebant: quod ſe velabant: quòd volabant: quod clamando requiem non habebant: quod tollentes lapidem ignitum de altari labia Iſaiæ emundabant: Datur que intelligi per hæc quòd viri juſti duo debent eſſe ſimul juncti, ſcilicet per mutuam charitatem: ſecundò, quòd ſtabant ſuper thronum, ſcilicet non ſedebant, non jacebant, ſed fixi, & erecti ſuper utrumque pedem ſtabant, quòd refertur ad erectam affectionis, & intentionis elevationem ad cœleſtia, & ad fixam, & immobilem æternorum contemplationem: Tertiò bis ſenas alas habebant, ſignificando, quòd viri perfecti ſuper obſervantiam decalogi debent addere ſex operum miſericordiæ corporalium, & ſpiritualium exercitium in proximum, ut his alarum fulcimentis eleventur ad cœleſtia: Quartò tegebatur caput, & pedes, ut ſignificetur, quòd opera non fiant ad laudem hominum: Quintò volabant; quia juſti debent ſemper per multiplicia opera tendere ad perfectionem majorem: Sextò clamabant; quia clamor Angelorum invitat ad jugiter, & continuè laudandum Deum: Septimò emundatio labiorum Prophetæ incitat Religioſos ad emundationem non ſolùm propriam, ſed etiam ſæcularium: *Op. Eccl. Hierar. p.1. cap.2.*

112. *Iuſti ſe mutuò voce, & exemplo invitant ad Deum laudandum.*

Sicut dicitur de his ſeraphim, qui clamabant alter ad alterum: op. Eccl. Hier. p.3. cap.2. Nota quòd ad imitationem Angelorum in Religionibus inſtituta eſt Pſalmodia, ut veluti Angeli Dei die ac nocte ſemper aſſiſtant divinis laudibus: *Op. Eccl. Hier. p.4. cap.4.* Et hinc ad meliùs ſignificandum munus hoc Religioſorum appellantur iſti Angeli ſeraphim, ut intelligatur, quòd ſicut ſeraphim immediatius conjunguntur Deo, & in divinis laudibus voces frequentiùs emitti dignoſcuntur, ſic & Religioſi, & ſpirituales viciniores ſunt Deo per contemplationem, & laudis continuationem, & propter charitatis intenſionem, quæ plus exigitur in ipſis, quàm in aliis. *Eccl. Hier. p.1. c.2.*

113. *Maria Virgo aſtitit in Cœlo clamans die, ac nocte Sanctus, Sanctus, Sanctus, & ipſa clamante omnes ſecum ad ſui imitationem, tanquam regina, & Domina*

Domina omnium trahit, idem clamantes: *Op. ſpecul. lect.* 13.

114. *Cœli concives laudant Deum præcipuè ob merita, & gloriam Mariæ. Clamabant, &c. Plena eſt omnis terra gloria ejus*: Quomodò omnis terra? Omnis terra, ideſt maria Virgo, quæ eſt regina cœli; & terræ, eſt & compendium perfectionis omnium creaturarum, ideoque Sancti & Angeli non ceſſant Deum laudare ea hoc, quòd ipſe Mariam replevit ſuâ gloriâ. *Op. ſpec. B. Virg. lec.* 7. Poſſumus etiam dicere, quòd ſicut de Chriſto Sanctus, Sanctus, Sanctus; ſic & de Maria Sancta, Sancta, Sancta, quia immunis fuit à culpa originali, veniali, & mortali: Sancta, ſcilicet Deo per humilitatem grata, Angelis per Virginitatem, & hominibus per fœcunditatem, ſic ad ſenſum ſancti Doctoris. *Op. ſpec. B. Virgin. lect.* 2. 7. & 8. *op. Pſalt. in Hymno Te Deum matrem.*

115. *Chriſtus crucifixus, & Sanctus Pater Franciſcus ſunt duo ſeraphim plagis ſuis tegentes vultum Dei iratum, ipſumque placantes.*

[1] *Duo ſeraphim, &c. ſex alæ uni, &c. duabus velabant, &c.* Nota quòd à pluribus Doctoribus, & præcipuè à ſancto Antonino Florentino applicatur hæc viſio Chriſto crucifixo, & ſeraphico Patri Franciſco: ſic enim dicit D. Antoninus 3. *p. t.* 23. *c.* 5. ſicut Dominus Jeſus ante Patrem oſtendens vulnera & latus tegit iram Dei, inclinatque eum ad pietatem; ita & Beatus Franciſcus oſtendens ſtigmata ſibi impreſſa Dominicæ paſſionis habet inducere Patrem & Filium ad miſericordiam, & clementiam erga peccatores. Vide *legend. S. Franc. in prol. Ioan. collat.* 91. *ſer.* 1. & 3. *de S. Franc. in addit.*

116. *Ad adventum Chriſti ad judicium commovebuntur omnes, alii in bonum, alii in pœnam: Ubi etiam de effectibus prædicationis verbi Dei.*

Et commota ſunt ſuperliminaria cardinum à voce clamantis, & domus repleta eſt fumo. Notà quòd hic ad litteram exprimitur deſertio, quam incurrit ſynagoga poſt mortem Chriſti, quandò auditæ ſunt voces Angelorum dicentium, transeamus ab his ſedibus: Vel etiam commotio intelligitur facta in populo ad clamorem reſonantium laudes Dei in Templo: ſed myſticè alluſio fit ad commotionem, quam omnes homines, & Angeli incurrent ad adventum Chriſti ad judicium, ſed tamen differenti modo: nam mali ad malum, & ex timore pœnæ commovebuntur: Boni verò, & ipſæ Virtutes cælorum commovebuntur, non timore pœnæ, ſicut damnati, & Dæmones, ſed reverentiæ timore. *Luc. c.* 21. *v.* 26. Myſticè datur etiam intelligi commotio, quæ ex prædicatione verbi Dei in Eccleſia fit in cordibus auditorum, & domus animæ repletur fumo compunctionis. *Sic Ugo Card.*

117. *Pudor in confeſſione nimius quàm pernitioſus.*

Væ mihi quia tacui, quia vir pollutis labiis ego ſum, &c. Cur væ mihi ob taciturnitatem? Ergo ſilentium tam laudatum in ſcriptura eſt malum? Nota, quòd dicit, quid tacui, ſcilicet à bonis ob pudorem in confeſſione: hoc enim ſilentium eſt peſſimum, & pernitioſum. *Pſal.* 142. *ſer.* 4. *de Apoſtol.*

118. *Societas malorum quàm perniſioſa.*

Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego ſum, & in medio populi labia polluta habentis ego habito. Tacui, ſcilicet à laude Dei, qui audivi Angelos Deum laudantes, & vidi populum peccantem, & non redargui: ſed cur tacuiſti? quia vir pollutus labiis ego ſum: ſum autem talis, quia in medio populi iniqui habito: Vide effectus ſocietatis malorum; nam ideo polluta labia habebat, quia in medio populi labia polluta habentis habitabat: quis enim cum ſcabioſo jacebit, & ſcabioſus non erit? quis cum leproſis habitat, & lepram evadet? ſed mali homines ſunt magis infecti, quàm leproſi, ideo declinandi ſunt. *Ser.* 4. *de Apoſtol.* Nota etiam humilitatem Iſaiæ, qui ſolùm venialiter peccaverat, & populus mortaliter ob Idololatriam, & tamen non plus, vel gravius populum accuſat ſeipſo: *Sic Ugo Card.*

119. *Conſuetudo immunda loquendi quàm abominanda, & converſatio cum talibus quàm noxia.*

Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego ſum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito. Væ mihi, ſcilicet, ecce quod incurri in ſtatum damnationis æternæ: & cur? quia tacui, ſcilicet à bonis: & vir pollutus labiis ego ſum, quia os meum ſolùm immunda profert: Ecce quàm infamis ſtatus loquendi mala, & immunda: nam ex abundantia cordis os loquitur, & per linguam recognoſcitur quis de qua regione ſit: ſi enim loquitur ſanctè ſignum eſt quod eſt de regione Cœli: ſi malè de regione Inferni, & Dæmonum: quot ſunt qui habent os ſepulchro quòlibet fœtidiùs? Addit autem, quia in medio populi polluta labia habentis, ego habito, ut videas quale periculum eſt cohabitare cum iſtis, qui immunda, & mala verba loquuntur: ſubditque, *& volavit ad me, &c.* ut videas, quod talis morbus ſolum ſpeciali auxilio cœleſti poteſt ſanari. *Ser.* 4 *de Apoſtol.*

120. *Omnium ordinum Angeli ad noſtrum miniſterium, & utilitatem deſtinati, & occupati ſunt à Deo.*

Et volavit ad me unus de ſeraphim, & in manu ejus calculus, &c. & tetigit os meum, &c. Qua veritate id dicit Iſaias, cum D. Dyoniſius dicat, quod ſuprema agmina angelica ab intimis nunquam recedant, nec ad hæc exteriora mittantur? Sed reſpondetur, quòd iſte Angelus, qui eſt miſſus ad purgandum labia Prophetæ dicitur ſeraphim, non quod eſſet de illo ordine ſupremo, ſed quia ab il-

lo ordine Seraphico miſſus eſt inferior, qui licet inferior tamen ab officio incendendi dicitur ſeraphim, quod interpretatur ardens, vel ardentia: Per quod revera patet, quòd omnes Angeli omnium ordinum ſunt nobis in adjutorium miſſi, & omnes nos juvant vel mediatè, vel immediatè, ſive in miniſtrandis revelationibus, ſive in perfectendis, vel offerendis noſtris orationibus: Dum enim agmina ſuprema, quæ ſunt nobis neceſſaria inferioribus agminibus revelant, dum ſimul cum ipſis pro nobis ad Deum interpellant, & petitiones noſtras Deo exponunt, non ut Deum inſtruant, ſed ut petitiones noſtras igneis ſuis affectionibus Deo acceptas faciant, ſicut mos eſt advocatorum, abſque dubio magnum auxilium nobis præſtant. *l.2.d.10.a.1.q.2.ad argum. op. Expoſit. Reg. c.*8. Nota etiam quòd dicendo ſeraphim per, m, eſt maſculini generis, & pluralis numeri, deſcendens à ſingulari ſeraph: ſi ſcribis per, n, ſeraphin, eſt nomen ordinis, & neutri generis, nec habet ſingulare.

121. *Sicut proprium eſt Angelorum nos purgare, ſic proprium eſt Religioſorum calculo ignito purgare ſæculares, & ſeipſos oratione, & amore Dei ignire.*

Et volavit ad me unus de Seraphim, & in manu ejus calculus, &c. Nota, quòd hoc miniſterium aſſumpſit iſte ſeraphim, ut edoceret Prophetam quid ſibi faciendum eſſet in miniſterio prædicandi verbum Dei: per hoc etiam aſſignat modum vivendi Religioſorum, qui reſpondere deberent muneri ſeraphim, nempe fervere in Dei amore, & in Deum per devotionem, & contemplationem ſuperferri, ad proximum item inflammandum diffundi, & delectari nunc verbi prædicatione Dei, nunc exemplo bonæ vitæ, nunc ſanctis exhortationibus. *Op. Eccleſ. Hier. p.1.c.2.* Et hinc ſeraphim iſte forcipe de Altari tulit calculum, qui in duobus brachiolis duplicem habet cultellum, per quem ſignificatur doctrina veteris, & novi teſtamenti ſervanda, & explicanda à Prædicatore ad mundandum corda auditorum. *Luc. c.22.v.*38.

122. *Quanta reverentia accedendum eſt ad ſumendam Euchariſtiam, ejuſque effectus.*

Et volavit ad me unus de ſeraphim, & in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de Altari, & tetigit os meum. Cur non manu ſed forcipe iſte Angelus tulit calculum, ſeu carbonem ignitum? Timuitne aliquam læſionem ex tali contactu? Sed attende myſterium, calculus eſt carbo ignitus (alii carbunculus) hicque ſignificat Euchariſtiam exiſtentem in Altari: per hunc carbonem expellitur frigus peccati, & tepor, & inflammatur cor in devotione, & amore Dei. *l.4. d.10. p.1. a.1. q.1. ad* 4. Tulit autem Seraphim calculum de Altari forcipe, ut daret nobis intelligere; quòd Angeli præ reverentia ad tantum Sacramentum, non audent illud attingere, imò iſti cum timore adſpicere (ait Chryſoſtomus:) ô infelices ſacerdotes, qui ſine reſpectu, vel devotione tam venerabile Sacramentum; & infeliciores illi, qui audent illud ſumere labiis pollutis, & corde fœtenti vitiorum pleno: quot ſunt hodie miſeri, qui corpus Chriſti in Altari veluti carnes pecudum manducant, & involuti, & contaminati abominationibus, de quibus fas non eſt dicere, ſceleratis manibus, & pollutis labiis contingere non verentur, & oſculari Filium Dei, & Mariæ Virginis Unigenitum: Tales non ſunt ſacerdotes, ſed Sacrilegi. *Op. de præparat. ad miſſ. c.4.*

123. *Perfectio qualis exigatur in religioſis, etiam in ordine ad minima peccata.*

Et volavit ad me unus de Seraphim, &c. & tetigit os meum, & dixit, tetigi hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua. Quænam fuit hæc iniquitas Prophetæ, ſi ad ſummum ejus negligentia fuit peccaminoſa venialiter? & cur calculo deſumpto ex Altari, & mundavit os ejus? Sed attende quod in his Seraphim exponitur ſtatus, & obligatio Religioſorum, & virorum ſpiritualium, quia ſicut Seraphim debent eſſe immediatiores cæteris Deo conjuncti per contemplationem, & laudum divinarum continuationem, & continuè in corde velut in Altari ignem divini amoris portare, & ideo etiam ad emundandum labia tranſiit, ut dignoſcerent Religioſi, quàm debent eſſe puri, non ſolùm à corruptione mali, & peccatorum gravium, ſed & à qualibet imperfectione boni, ut ſic incenſi in corde, & corpore, juge ſacrificium Domino immolent. *Op. Eccleſ. Hier. p.1.c.2. & p.3. c.2. Luc. c.4. v.20.*

124. *Sicut Chriſtus à Patre miſſus eſt ad procurandam ſalutem noſtram.* Sic & veri Prædicatores à Deo per ſuperiores mittuntur ad exercendam charitatem in proximum, quòd eſt proprium etiam Angelorum, qui prompti dicunt Deo cum Iſaia: Ecce ego mitte me; & è contra proprium eſt pſeudo Prædicatorum ex propria voluntate ſe intrudere in tali munere: Talis enim eſt ordo Hierarchicus Eccleſiæ, ut ſuperiores mittant inferiores. *Op. Eccleſ. Hier. p.1.c.1. & l.2. d.10.q.1. Luc. c.9.v.2.*

125. *Signum patens reprobationis, & obdurationis audire verbum Dei aure corporis, & reprobare illud aure cordis:* Unde de populo Judaico, & ipſius imitatoribus dicebat ad Iſaiam Deus: *Vade, & dices populo huic: Audite audientes, & nolite intelligere, & videte viſionem, & nolite cognoſcere: Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, &c.* Ut videas, quàm peſſimus ſtatus ſit talium obduratorum, qui aure corporis audiunt verbum Dei, & inſpirationes internas deſpiciunt, & contemnunt: nam juſto Dei judicio excæcantur in mente, & à Deo deſeruntur. *Luc. cap.11. ad finem, & cap.8. verſ. 10. & c.19.v.11.*

126. Chriſtus

126. *Chriſtus ex peccatoribus natus Sanctus, & innocens.*

Terra relinquetur deſerta, &c. & ſemen ſanctum erit id, quod ſteterit in ea. Nota, quòd deſcribit Propheta perverſitates Judaici populi, deſolationem terræ, & addit, quòd licet tam perverſa futura ſit iſta generatio, tamen ſemen Sanctum erit, quòd in ea ſteterit, nempe Chriſtus ex talibus peccatoribus naſcetur, & ob id differens ab ipſis, & quantùm ad initium, quia concipietur, & naſcetur ſine peccato, & quantùm ad medium, quia ejus converſatio erit ſine peccato, & quantum ad terminum, quia ſine debito mortis morietur. *Sap.c.2.*

CAP. VII.

127. *Perverſi facile inter ſe uniuntur in malum contra proximum: Vbi de perverſitate Achaz.*

ET factum eſt in diebus Achaz, aſcendit Rex Syriæ, & Phacee Rex Iſraël in Ieruſalem ad præliandum contra eam. & nuntiaverunt domui David, requievit Syria ſuper Ephraim, & commotum eſt cor ejus, &c. Nota hic primò, quòd ad litteram proſequitur in hoc capite Propheta, quæ vidit ſub Achaz, qui fuit Rex Ieruſalem, & Iuda peſſimus Idololatra, & ideo finitimi Reges terram Iuda tempore depopulati ſunt, ut habetur 4. *Reg.c.*10. & 2. *Paral. c.*28. Notatur autem hic in primis, quòd Rex Syriæ, & Rex Iſraël ſocietatem inierunt contra Achaz, & Iudam: Myſticè autem datur intelligi, quòd diabolus figuratus in his perverſis Regibus, requieſcit libenter, ubi ei non reſiſtitur, vel quia peccatum occultatur, vel quia defenſatur, vel quia bonum ſimulatur, item in perverſorum ſocietate, & unione per quam defenditur malitia, quia quos ſimiles reatus ſociat concordi patientia, etiam defenſione perverſa conſtipat, ut de facinoribus ſuis alterna ſe defenſione invicem tueantur; quòd videns vir juſtus commovetur corde timens valde talem ſocietatem peſſimam, quæ affert ſecum innumera mala. *Ser.2. ſabb. S. Pſal.*118. *c.*8. *verſ.*8.

128. *Fides eſt oſtium, per quod intratur ad intelligentiam myſteriorum fidei.*

Niſi credideritis, non permanebitis. Nota, quòd Propheta juſſu Dei prædixit multa eventura mala Regibus Syriæ, & Iſraël confœderatis contra Regem Juda: & addidit, quòd ſi hæc prædicta non cuſtodieritis, nec ipſi permanebitis in veſtra terra, ſed captivabimini ſicut alii: hæc verba tamen diriguntur ad nos, datque Spiritus Sanctus intelligere, quòd fides eſt neceſſaria, ad hoc ut anima permaneat unita cum Deo, & quia legunt ſeptuaginta, niſi credideritis, non intelligetis; docetur per hoc, quòd fides eſt lumen animæ, oſtium vitæ, fundamentum ſalutis æternæ, & ipſa eſt ſola, per quam anima introducitur in contemplationem arcanorum Dei. *Op. de ſeptem itiner. ætern. d.* 1. & 6. *Itin.*6. *d.*5. *opuſ. de dono intell, capit.*5. *Luc. proœm.* & *c.*2. *v.*20 & *cap.*19. *v.*4. *Ioan. cap.*1. *v.*40. & 50. & *cap.*4. *verſ.*21. & *c.*6. *v.* 63. & *c.*7. *verſ.* 18.

129. *Deus loquitur ad quoſdam tantùm, & ad quoſdam per quoſdam, & in quoſdam etiam: Vbi de acceptandis inſpirationibus divinis.*

Et adjecit Dominus loqui ad Achaz. Cur dicitur Deus loqui ad Achaz, & non per Prophetas? quia non ſufficit, ut Deus loquatur ad nos, niſi etiam in nos loquatur: Ad Achaz locutus eſt Deus tantum, ſed quia non obtemperavit, ideo non dicitur loquutus in Achaz, ſicut legitur de David, & aliis Sanctis, quibus interius loquutus eſt, quia ipſi obtemperaverunt locutionibus externis à Deo immediate, vel per alios factis. *Pſalm.* 84. Vide igitur, ô homo, ut dum Deus tibi loquitur, fac, ut in te loquatur; ſcilicet apprehende vocationem, obtempera Deo vocanti.

130. *Impii quærunt ſigna in terra: Iuſti in Cœlo, & in Inferno.*

Pete tibi ſignum à Domino, ſive in excelſum ſupra, ſive in profundum Inferni, & dixit Achaz; non petam, & non tentabo Dominum, &c. Nota ad litteram, quòd cum Regi Achaz Propheta promiſiſſet juſſu Dei liberationem à ſuis inimicis, in confirmationem talis promiſſionis, proponit, ut petat aliquod ſignum patens ex Inferno, vel ex Cœlo, ſed impius recuſavit facere hanc petitionem ſub ſpecie, quod non volebat tentare Dominum, ſed verè quia timebat fore talia ſigna in præjudicium venerationis ſuorum Idolorum: In quo videtur quanta ſit perverſitas impiorum, qui nolunt ſignum ullum, nec ex Inferno, nec ex Cœlo, ſed ex terra: nempe non ſublevant mentem ad conſiderationem pœnarum Inferni, ut excitentur ad timorem, nec gloriæ Beatorum, ut excitentur ad amorem, & ſpem gloriæ, ſed toti fixi ad terram, ſolùm adſpiciunt ad aurum, vel argentum: & ad bona temporalia, & in temporalibus inhiant ſua mala deſideria explere. *Luc. cap.*1. *verſ.*18. & *cap.*2. *verſ.*12.

131. *Qui non eſt in oratione moleſtus Deo, moleſtiam maximam ipſi affert Deo.*

Non petam, &c. & ait Iſaias: Audite ergò domus David, numquid parum eſt vobis moleſtos eſſe hominibus, quia moleſti eſtis, & Deo meo? Nota verba hæc, & ſigna myſteria: Achaz dicit, non petam, & non tentabo Deum, in meis petitionibus nolo eſſe moleſtus Deo, contra quem, & ſuos imitatores clamat Propheta: *Numquid, &c.* moleſti eſtis Deo? quomodo ſubſiſtunt hæc verba ſine

ſine contradictione ? præterea, quænam eſt hæc moleſtia Deo illata à Judæis ? poteſtne Deus ſubjacere moleſtiæ hominum ? ſed attende, quòd hic modus eſt loquendi, ſecundum noſtrum captum, ut detur intelligi, quòd major moleſtia, quam poſſumus inferre Deo eſt non petere, ut dicebat impius Achaz, non petam, ideſt, non orabo Dominum: & meritò, quia oratio eſt vox ſuaviſſima auribus Dei, & Angelorum, quam libenter Deus audit, & à nobis deſiderat ſuper omnia audire. *ſer.5.in Pentec.* Ergo ſi non es moleſtus, & velut importunus Deo, moleſtiam maximam infers Deo: quære igitur piè, ora, & pulſa ad Deum in oratione, ſicque Deus non patietur à te moleſtiam.

132. *Chriſtus poſitus eſt nobis in ſignum virtutum, ut ad ipſarum exercitium nos invitaret.*

Ecce Dominus Deus dabit vobis ſignum, ecce Virgo concipiet & pariet, &c. Quaſi dicat: Ecce, quòd ad veſtram confuſionem Deus exponet vobis ſignum patens, per quod cognoſcetis quid vobis faciendum: Hoc ſignum erit Chriſtus, qui naſcetur de Maria Virgine: Verè ſignum, ſcilicet puritatis, & caſtitatis in conceptione, humilitatis in converſatione, charitatis in paſſione, immortalitatis in reſurrectione; ſignum hoc erit in bonum bonis, & in malum iis, qui ipſi contradicent. *Ser.1.Dom.infrà oct.Nativit. ſer.3. in Pentec.*

133. *Prophetia de conceptione miraculoſa, & partu Mariæ Virginis expenditur.*

Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, &c. Nota, quòd hic apertè Propheta prædixit conceptionem miraculoſam mariæ Virginis, dicens, Ecce (ſcilicet magnum prodigium, & noviſſimum) quòd Virgo exiſtens Virgo concipiet, nihil recipiendo extra, concipiet, & pariet filium, nempe ſine dolore pariet Deum: quod opus natura non habuit, uſus neſcivit, ratio ignoravit, mens non capit humana, pavet cælum, ſtupet terra, creatura etiam cæleſtis miratur. *Op. ſpec. B.Virgin.lect.13.Luc.c.1. verſ. 27. & 31. & cap.2. verſ.7. & cap.2. verſ. 44. ſer. in Vigil. Nativit. ſer.3.in Pent. ſer. 9. Hexam.* Nota etiam, quòd hic textus Hebræus legit pro Virgo, alma, quod verbum duplicem expoſitionem habet apud Hebræos ſcilicet, alma pro Adoleſcentula, & ſic exponunt increduli negantes Virginitatem Mariæ: vel pro apochrypha, ideſt abſcondita quòd ſonat Virgo: Alias expoſitiones vide apud Ugonem Liranum, alioſque, quos perverſi Judæi malè huic prophetiæ aſſignant.

134. *Chriſtus ſignum mirabile, & miraculoſum multipliciter exponitur.*

Dabit Dominus ipſe vobis ſignum. Cur Chriſtus naſcitur, & natus appellatur ſignum, & non potius ſignatus, & præfiguratus ? Nota, quòd ſignum eſt, quod in veritatis notitiam inducit intellectum; ideo Chriſtus ſignum dicitur, ſignum verè novum, mirabile, magnum, & dignum nos inducens in cognitionem myſteriorum mirabilium, quia fuit ſignum reconciliationis noſtræ cum Deo, ſignum liberationis à diabolo: ideo ſubdit: Ecce Virgo concipiet, & pariet, ſcilicet ad colligandum fortem armatum, ad conculcandum ſerpentis impii caput, ad diripiendam prædam ejus, atque captivitatem ſui populi convertendam: ſignum item ſanationis à peccato per pretioſum balſamum ſui ſanguinis, ſignum item revocationis ab exilio. *Ser.2. In Annuntiat. B.Virg.*

135. *Chriſtus natus eſt ex Maria Virgine, ut eſſet noſter ſocius in natura in Euchariſtia, in gratia, & in gloria.*

Et vocabis nomen ejus Emanuel. Quomodo Emanuel appellatur Jeſus ? Emanuel interpretatur nobiſcum Deus, ideſt Deus nobiſcum humanatus, & aſſociatus, & veluti noſter bonus ſocius factus, ſcilicet in carne, in Euchariſtia, in gratia, & in gloria: In carne Verbum factum eſt noſter ſocius in carne viſibili, nobiſcum ferens onera peccatorum noſtrorum, in hac via portando divitias gratiarũ ſuarum nobis eas communicando: Bonus item ſocius in Euchariſtia, volens manere nobiſcum uſque ad conſummationem ſæculi, nobis communicans corpus, & ſanguinem ſuum, ut etiam cum illo maneamus ſemper ſpiritualiter: Bonus item ſocius nobiſcum eſt in gratia, & per gratiam, nempè cum benè viventibus in converſatione, cum patientibus in tribulatione, cum mærentibus, & flentibus in debellatione inimicorum, ut ſit in æternum nobiſcum in gloria, ubi rationi futurus eſt plenitudo lucis, voluntati plenitudo pacis, & memoriæ continuatio æternitatis. *Ser.4.Vigil.Nativit.*

136. *Idem argumentum de ſocietate Chriſti ad nos.*

Et vocabitur Emanuel: Ideſt nobiſcum Deus: Verè nobiſcum eſt Chriſtus, quia eſt nobiſcum ut Deus, ſcilicet per eſſentiam, præſentiam, & potentiam, ne omnino deficiamus ab omnimoda exiſtentia, quia ipſe eſt virtus portans omnia, & ipſe ſolus: nobiſcum eſt item per juſtificantem gratiam, & ideo ſpeciali modo eſt cum juſtis, ut in templo ſancto habitans, ne deficiant à gratia, & juſtitia: Item eſt nobiſcum per actualis auxilii manifeſtam evidentiam, ne deficiamus ab operis efficacia, & adverſantium malorum victoria: Item per aſſumptæ humanitatis veritatem, ne deficiamus à gloria, & ut nos transferat ad Cœlum: Item nobiſcum eſt ſacramentaliter, ut ſuprà dictum eſt. *Joan.collat.52.*

137. *Quomodo dicitur de Chriſto, quod Butyrum, & mel comedet ? Ubi de Humanitate, & Divinitate ejus.*

Butyrum, & mel comedet, ut ſciat reprobare malum, & eligere bonum. Quid eſt hoc, quod dicitur de Chriſto ? ergo ejus cibus ſolùm fuit butyrum, & mel ? præterea ad quid inſervit butyrum, & mel ad diſcernendum bonum à malo? ſed nota myſterium: nam per has ſimilitudines, & metaphoras nos inducit ſacra ſcriptura ad ſubliniora intelligendum: Ex lacte duo extrahuntur, butyrum, & caſeus: per caſeum peccatum, per butyrum natura ſine corruptione intelligitur; &

& ad litteram ponitur butyrum & mel, per quæ ſignificatur omnis cibus infantilis: & ſicut Apis duo habet, mel, & aculeum, per mel miſericordia, per aculeum judicium Dei intelligitur. Hinc in his verbis dat ſacer textus intelligere, quòd Verbum aſſumpſit naturam, reprobando, & relinquendo peccatum, & ideo puram ſine labe, & macula, & mel Divinitatis cum humanitate, & ideo cum iſta ſumpſit miſericordiam, non judicium, quia tempus adventus Chriſti eſt tempus miſericordiæ: venit enim judicandus, non judicaturus, ut hinc diſcamus, quòd ſi volumus ad menſam noſtram Chriſtum, ei debemos parare butyrum, & mel, ſcilicet butyrum bonum opus, munditiam, caſtitatem, & puritatem; & mel, nempe pietatem, & contemplationem animæ. *Pſal. 8. Ioan. collat. 23. Op. Comp. Theol. l. 4. c. 7.*

138. *Prima lectio ſcholæ Chriſti eſt ſcire reprobare malum, & eligere bonum.*

Ut ſciat reprobare malum, & eligere bonum. Quomodò dicitur; ut ſciat? Ergone indiguit Chriſtus ſtudio, & ſcientia? nonne ab inſtanti conceptionis fuit ſapientiſſimus, & ſapientia Patris? ſed nota, quòd dicit, ut ſciat, nempe in nobis ſcire faciat: quid? reprobare malum, & eligere bonum: Ecce quænam eſt prima lectio in ſchola Chriſti, nempe diſciplina vitæ chriſtianæ, quæ conſiſtit in reprobatione mali, & electione boni: In ſchola enim Chriſti prius addiſcit anima operari benè, poſtea ad magiſterium doctrinæ procedit, quia verbum doctrinæ ſine exemplo vitæ eſt vanum. *Str. 1. Dom. 4. poſt oct. Paſcha.*

139. *Chriſtus bonis eſt apis mellificans, malis apis pungens.*

Butyrum, & mel comedet &c. Et in die illa ſibilabit Dominus api Aſſur. Nota, quòd Chriſtus comparatur api, quia duo habet apis, ſcilicet mel in ore, & aculeus in cauda, datque per hoc intelligere, quòd bonis eſt melliflua apis exercens in ipſis miſericordiam, malis erit aculeata apis in judicio. *Pſal. 28. & 8.*

140. *Propter peccatum ubi ſeminatur frumentum, oriuntur ſæpe vepres, & ſpinæ.*

Vepres & ſpinæ erunt in univerſa terra, &c. Ergone tota terra repleri debebat ſpinis, & vepribus? nonne etiam naſci habent utiles herbæ? ſed attende ad myſterium: Diſputant Theologi, an ſtante homine, terra produxiſſet, non ſolùm herbas, & arbores utiles, & fructuoſas, ſed etiam infructuoſas? & reſpondent affirmativè, ex hoc quòd Deus impreſſit in terra perfectam virtutem germinandi omne genus herbarum, & arborum, ſicut producit poſt peccatum, cum nulla herba ſit tam vilis, quæ non ſit alicujus utilitatis: ſed hoc ſtante, quomodo poſtea Adæ aſſignata hæc virtus terræ producendi ſpinas, & tribulos in pœnam peccati *ex Gen. c. 3.* Reſpondetur, quòd ſi in locis multis generatur ſpina, & tribulus, non eſt pœna, ſed natura, & virtus terræ: ſæpè verò generatur ſpina, ubi ſeminatur frumentum in pœnam peccati, & maledictionis terræ, quæ cum colatur, ut det frumentum, unde homo ſuſtenetur, potius producit, unde crucietur: Vide igitur effectus peſſimos peccati. *L. 3. d. 14. p. 2. dub. 2.*

141. *Peccatum totam terram replevit vepribus, & ſpinis.*

Vepres, & ſpinæ erant in univerſa terra. Ergone in univerſa terra ſunt vepres, & ſpinæ? nonne videtur oppoſitum? ſed nota, quòd optimè, & verè dicitur, quòd tota terra repleta eſt ſpinis, & vepribus, nempe ſollicitudinibus, & curis hujus ſæculi, cogitationibus impuris, & infinitis malis. *Luc. c. 8. v. 7.*

CAP. VIII.

142. *Chriſtus eſt liber grandis ſcriptus intus, & foris, expoſituſque omnibus legendus.*

ET dixit Dominus ad me, ſume tibi librum grandem, & ſcribe in eo ſtylo hominis. Nota quòd hæc ſunt verba Patris ad Filium incarnandum præcipientis, ut in Incarnatione ſumeret ſibi librum; & ad quid? ſed nota illud verbum, ſume tibi ſcilicet in te, ideſt te capone librum cunctis legendum: Verè enim Chriſtus eſt liber ſcriptus intus, & foris, ut dicitur in Apocal. c. 5. Ut autem intelligas qualis liber ſit Chriſtus, attende, quòd in univerſum quadruplex liber invenitur: primus eſt ſcriptus ab æterno, ſcilicet divinitas: ſecundus in Paradiſo, nempe ratio hominis: Tertius in deſerto, nimirum lex divina: Quartus eſt in Chriſto: primus eſt ab æterno ſcriptus tantùm intus, & tres Perſonæ Divinæ tantùm ibi legebant, ſed per humanitatem ſcriptus eſt intus, & foris, qui auro Divinitatis eſt ornatus, & illuſtratus & in clauſtro humanitatis ſcriptus, in quo modò legunt etiam Angeli, & homines: ſed quid legitur? quidquid fecit Chriſtus; & quia omnis actio ejus eſt noſtra inſtructio, ideo Chriſtus ſit tua vita ô homo, tuus liber, tua ſchola, tua lectio, tua meditatio, & totum ſtudium, tua locutio, & in eo ſapientiam & requiem invenies. *Pſal. 68. Brevil. p. 2. c. 11. op. Alphabetum religioſorum. op. lignum vitæ.*

143. *Chriſtus iterum liber ſcriptus continens intus divinitatem, & foris humanitatem.*

Sume tibi librum grandem. O quàm grandis eſt iſte liber, de quo fit hic mentio: eſt enim Verbum Dei increatum ſapientia Dei fulgens: Verè liber grandis, nam in ipſo Deus Pater omnes theſauros ſapientiæ, & ſcientiæ recondidit: vere liber grandis, quia ut Verbum increatum eſt ſapientiæ liber, & lux in mente Artificis ſummi, viventibus plena rationibus, & æternis, & ideo in ipſo legunt ab æterno Perſonæ Divinæ tantùm: Ut verbum inſpiratum tantùm liber eſt intellectibus Angelicis & beatis

beatis; ſed ut Verbum incarnatum eſt liber ſcriptus foris, in quo poſſunt homines,& Angeli legere, & ſic multiformis ſapientia Dei ex ipſo & in ipſo per totum Regnum Dei refulget tamquam in ſpeculo decoris, ſive pulchritudinis omnium ſpecierum, & luminum contentivo, & tamquam in libro, in quo ſecundum profunda Dei myſteria omnia conſcribuntur: ô ſi talem librum invenire poſſem, cujus origo æterna, cujus incorruptibilis eſſentia, cujus doctrina facilis, cujus ſcientia dulcis, cujus profunditas imperſcrutabilis, cujus cognitio vita, cujus ſcriptura indelebilis, cujus inſpectus deſiderabilis, cujus verba inenarrabilia, & unum tale Verbum omnia, verè qui hunc librum invenit, vitam invenit, & haurit ſalutem à Domino. *Op. lignum vitæ prope finem.*

144. *Chriſtus in Cruce liber ſcriptus omnibus expoſitus, ſed prius fabricatus in utero Mariæ Virginis.*

Sume tibi librum grandem &c. Et quomodo hoc fecit Chriſtus? Nota, quòd dicit, ſcribe ſtylo hominis, ideſt more hominum, & ut rationales intelligant, non brutales, & dicitur grandis, non quantitate molis, ſed virtutis, & ideo quia Chriſtus ſignatus fuit in Cruce manibus hominum, ſignificatur ipſe Chriſtus in cruce pendens: formatus quidem fuit in Utero Beatæ Virginis Mariæ, quando per Spiritum ſanctum (qui eſt lingua, & calamus Patris) Verbum Patris per Incarnationem in mundum prolatum eſt, & unitum pelli humanitatis, & poſtea extenſa fuit à Judæis pellis humanitatis in Cruce, in qua ſignata ſanguine ſuo, oſtendit omnem ſuam ſapientiam, & omnia ſua exempla, & actiones, & pœnas, & vulnera, & hunc librum nobis legendum expoſuit, ut ibi apprehenderemus qualia privilegia hæreditatis poſſidendæ in Cœlo ex ipſo veluti teſtamento ſignato ſanguine ſuo, & bullato imagine ſuæ obedientiæ, expectare ſecurè poſſemus. *Ser.3.Dom.2.Adv.*

145. *Chriſtus in Cruce liber, in quo diſcere poſſumus omnem ſcientiam, & ſapientiam.*

Sume tibi librum grandem, & ſcribe in eo ſtylo hominis. Quis ſtylus hominis? ſtylus iſte eſt, quo utendi erant Judæi in crucifixione Chriſti, nempe clavi, lancea, ſpinæ, & flagella, quibus ſcripſerunt in ejus corpore tot characteres, ideſt vulnera: ſed quid nobis dictant tales characteres: & litteræ? ſed attende, & vide quomodo in hoc libro notatæ ſunt litteræ vocales, quæ ſunt quinque vulnera manuum, pedum, & lateris: item & conſonantes, quæ ſunt alia impreſſa in capite per ſpinas, & in corpore per flagella, iſtæ litteræ ſimul unitæ complent totam ſcripturam hujus grandis libri Crucifixi: Verè liber grandis eſt Chriſtus crucifixus, in quo donum ſcientiæ, intellectus, & ſapientiæ mirabiliter elucet: nam in paſſione Chriſti invenitur correſpondentia omnium figurarum, quibus reſpectus eſt liber totus, ſcilicet ſacræ ſcripturæ. in hoc libro exercetur mirabiliter tota metaphyſica, Philoſophica, logica, mathematica, moralis, legalis, & Theologica ſcientia; quia per hoc medium addiſcit homo reducere omnes effectus gratiæ ad ſuum originale principium, deſtruere ſophiſmata Diaboli, menſurare ſe ipſum ad figuram crucifixi, ordinare ſuos actus ad regulam ipſius, apprehendere veram ſapientiam, quæ nos abſtrahit, & elevat ab omnibus creatis in Dei cognitionem, & amorem. *Op.ſtim. p.1.per totum, præcipue c.7. ſer. 1. Hexam. Op.princ.ſacræ Scripturæ.*

146. *Jeſus nomen ſanctiſſimum eſt liber grandis.*

Sume tibi librum, & ſcribe in eo ſtylo filii hominis. Quis eſt iſte liber ſumptus à Chriſto, in quo ſcribere debebat ſtylo filii hominis? Nota, hic liber eſt nomen ſanctiſſimum Jeſus, quòd ſibi ſumpſit Chriſtus, ut in ipſo, & per ipſum exprimerentur magnalia noſtræ fidei, nempe humanitas, & Divinitas Chriſti, hoc enim reſonat nomen Jeſus, & per conſequens Attributa, perfectiones, relationes competentes Divinitati, & Perſonis: Item opera omnia Incarnationis, & Redemptionis, Conceptio, Nativitas, Circunciſio, Jejunia, Prædicatio, Patratio miraculorum, Paſſio tota, flagellatio, Coronatio, Crucifixio, mors, Reſurrectio, Aſcenſio, Inſtitutio ſacramentorum, & omnia alia myſteria fidei: ô Nomen virtuoſum, gratioſum, gaudioſum, delitioſum, & glorioſum; virtuoſum quia ſuperat hoſtes, congregat cives, reparat vires, revocat mentes: gratioſum, quia in ipſo nomine habemus fidei fundamentum, ſpei firmamentum, charitatis augumentum, juſtitiæ complementum; gaudioſum, quia jubilus in corde, melos in aure, mel in ore, ſplendor: delitioſum, quia paſcit cogitatum, lenit palatum, ungit invocatum, reficit ſcriptum, inſtruit factum: Nomen revera glorioſum, quod dedit cæcis viſum, ſurdis auditum, mutis ſermonem, vitam mortuis, & greſſum claudis: ô nomen benedictum, quod oſtendit tantum virtutum effectum: ô anima, ſive ſcribas, ſive legas, ſive doceas, ſive aliud quodcumque opus facias, nihil tibi ſapiat, nihil tibi placeat, niſi Jeſus: hoc nomen enim eſt ſigillum totius libri ſcripturæ ſacræ, compendium totius vitæ Chriſti, & ideo, ſi dictum fuit Verbo à Patre æterno, ſume tibi librum grandem, ſume tibi hoc nomen &c. & tibi dicitur à Chriſto, ſume tibi ô anima hunc librum grandem, & lege, & meditare, quæ in hoc libro continentur, & ſic ſumes tibi, ſcilicet ad tuam maximam utilitatem, & profectum animæ, & corporis; ſic ſparſim ad ſenſum. S.Bon. *Op. de quinq. feſtivit Pueri. Op. meditat. c.100. ſer.4. de Circunciſ. &c. & S. Bernardus ſer. de Nomine Ieſu & S.Bernardinus de nomine Ieſu.*

147. *Sacra ſcriptura eſt liber grandis à Chriſto expoſitus Eccleſiæ: Item, & fides Catholica.*

Sume tibi librum grandem, &c. Alii legunt, ſume tibi Bibliothecam grandem ex Hebræo. Quis iſte liber tam grandis, qui eſt veluti Bibliotheca? Nota, hic eſt liber Sacræ Scripturæ, quem dedit Chriſtus ſuis diſcipulis legendum poſt reſurrectionem, ut ſcilicet per ea quæ dicta, & facta ſunt in veteri teſtamento, intelligerent ea, quæ completa ſunt in novo: unde rectè dici poteſt cor Dei, os Dei, lingua Dei, calamus Dei; liber ſcriptus intus, & foris: cor Deus, os Pater, lingua Filius, calamus Spiritus Sanctus: Pater enim loquitur per Filium, & Spiritus Sanctus complet ut calamus ſcribæ: liber item ſcriptus foris, quia habet pulchras hiſtorias, & docet rerum proprietates, ſcriptus eſt intus, quia habet myſteria, & intelligentias diverſas. *Op. Diat. tit. 6. c. 3. ſer. 13. Hexam.* Et hinc meritò fides catholica verè eſt iſte liber ſcriptus intus, & foris expoſitus à Chriſto omnibus, ut per ipſam intelligerent omnia myſteria: Dicitur autem liber ſcriptus intus, nempe tectus rationi humanæ, quia eſt ſuper omnem ſcientiam naturalem: & hinc ſuprà c. 6. dixit Iſaias, quòd ea, quæ ſub Deo erant replebant Templum, ſcilicet animæ: templum replentes erant ſub Deo, qui eſt objectum fidei, & hæc incipit, ubi deficit cognitio naturalis: eſt & liber ſcriptus foris, nimirum expoſitus à Chriſto, & tot prodigiis, rationibus, miraculiſque comprobatus. *l. 3. d. 24. & 25. per totum.*

148. *Maria Virgo liber grandis à Chriſto expoſitus ad expreſſionem mirabilium gloriæ Dei.*

Sume tibi librum grandem. Nota etiam, quòd plures Doctores appellant Mariam Virginem librum grandem, quia verè fuit liber verus legis divinæ *Opuſ. Laus B. Virg. ſig. 15.* Liber, inquam, grandis; quia per ipſam exponitur ſuper omnes creaturas magis gloriæ Dei magnitudo, nempe gloriæ Dei de reſtauratione facta in Cœlo, gratiæ de redemptione facta in mundo, gloriæ de liberatione facta in Inferno, & ideò meritò dicitur præfigurata in hoc libro grandi à Verbo aſſumpto. *Op. ſpec. B. Virgin. lect. 7. ſermon. 12. Hexam.*

149. *Crux Chriſti liber continens myſteria profunda, & Cathedra, in qua ipſe Chriſtus nos ipſa docet.*

Sume tibi librum grandem, & ſcribe in eo ſtylo hominis. Nota, quòd dicit ſtylo hominis, ſcilicet fac, ut ſit ſignatus manibus hominum, & quòd ſit grandis, ſcilicet non quantitate molis, ſed virtutis, & ſit tam grandis, quòd poſſit inſervire tibi pro cathedra ad inſtruendos omnes populos: quis igitur eſt iſte liber tam grandis? Nota quòd iſte liber eſt Crux, & Crucifixus, qui hanc crucem expoſuit mundo tamquam librum grandem continentem profundiſſima myſteria, talia, & tanta, quod poſſit eſſe ſchola ſufficiens ad apprehendendum omnia myſteria noſtræ fidei: liber igitur verè grandis, & immenſus eſt Chriſtus poſitus in Pulpito crucis, in quo ſcriptæ ſunt virtutes, quas ipſa in paſſione exercuit, & ob id ut ad aſpectum noſtrum in hoc libro diſcamus humilitatem, & quamlibet aliam virtutem: Vide igitur ô homo, quomodo in utroque libro addiſcitur fides, cujus latitudo eſt charitas, longitudo, longanimitas, altitudo, ſpes, profundum, timor: cujus item brachium infimum eſt pœnitentia, ſummum eſt miſericordia afflictorum, dextrum eſt temperantia, & ſiniſtrum eſt patientia: Item eſt ſignum oberrantibus ad ſemitam ſalutis reductivum, pœnitentibus gratiæ collativum, pugnantibus impotentiæ firmativum, proficientibus intelligentiæ directivum, & morientibus miſericordiæ promiſſivum: liber verè grandis, & ſanguine Chriſti characterizatus, ideo eſt cæcorum dux, adoleſcentium pedagogus, claudorum baculus, navigantium gubernator, inſenſatorum ſapientia, imperitorum Philoſophia, lex impiorum, Prophetarum præconizatio, annunciatio Apoſtolorum, & Eccleſiæ fundamentum: Crux liber verè grandis, dictans nobis à parte ſuperiori Patrem, ab inferiori Filium, à lateribus Spiritum Sanctum, docens nos myſterio redemptionis per Chriſtum operatæ in medio terræ, ex qua Chriſtus magiſter tamquam in cathedra ſedens docet nos omnes virtutes, & viam ſalutis: qui igitur in hac ſchola, & libro non ſtudebit, non perveniet ad vitam æternam. *Op. Comp. Theol. l. 4. c. 20. op. Pharetra. l. 1. c. 4. & l. 4. c. 10. ſer. in Exaltat. S. Crucis. ſer. 2. de S. Andr. Luc. c. 11. v. 22.*

150. *Chriſti varia Attributa expendantur.*

Et ſcribe in eo velociter ſpolia detrahe, citò prædare, &c. & voca nomen ejus Accelera ſpolia detrahe, cito prædare. Cur, & qualia ſunt iſta nomina vere inſolita, & prima facie parum apta ad ſignificandum Chriſtum? Sed attendendum eſt myſterium horum verborum, quibus varia Attributa, & perfectiones Chriſti indicantur: Datur enim intelligi, quòd Chriſtus per ſeipſum, non per Angelos deprædaturus, & ſpoliaturus, erat Dæmones, & eos in Infernum ejecturus, & rapturus animas è diaboli manibus, quas captivas tenebat; & ſic per talia nomina oſtenditur virtus, potentia, fortitudo atque Divinitas Chriſti, & hinc notanter appellatur liber grandis. *Luc. cap. 11. v. 22. Comp. Theolog. l. 4. cap. 20. & Ugo hic.*

151. *Prædicator prius in ſe ipſo fructificet antequam ad alios prædicaturus procedat.*

Sume tibi librum grandem, &c. Nota, quòd etiam hæc diriguntur ad Prædicatores, quibus dicitur: Sume tibi librum grandem: Nota illud nomen (tibi) & aliud (librum grandem:) iſte eſt liber Sacræ Scripturæ, qui continet totam materiam concionum: Ut det intelligere, quòd deſtinatus ad munus prædicationis, debet prius in ſe fructificare, ſibique prædicare; debet enim præmittere veram pœnitentiam de ſuis peccatis, debet exercere ſe in exemplaritate vitæ, & contemnere laudes humanas, Dei honorem, & animarum ſalutem ſolam ſibi præfigere, & ſi à Deo

erit

erit vocatus, non à propria inclinatione, & voluntate, ſed à ſuperioribus miſſus, ſecurè exercebit, & cum fructu hoc ſubliſſimum opus. *Op. de inſtit. Novit. p. 1. c. 15.*

152. *Prædicator relinquens Sacram Scripturam, & aliis ſcientiis incumbens, quàm deceptus.*

Pro eo, quod iſte abjecit aquas Siloe, quæ vadunt cum ſilentio, & aſſumpſit magis Raſin, & filium Romeliæ, propter hoc adducet Dominus ſuper eum aquas fluminis multas, & fortes, &c. Ecce quòd Deus proſequitur inſtructionem, & inſtitutionem Prædicatorum, & invehitur contra eos, qui relicto libro grandi, ſcilicet Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum ad aquas mundanæ Philoſophiæ, & ſcientiarum humanarum ſe convertunt, iſti enim Deo valdè exoſi, & Deo permittente, in aquas fortes confuſionis incidunt. *Ser. 2. & 19. Hexam.*

153. *Aqua pœnitentiæ quietem, & munditiam affert animæ: Aqua concupiſcentiæ, turbationem & immunditiam.*

Pro eo, quod iſte abjecit aquas Siloe, quæ vadunt cum ſilentio. Nota quòd Siloe eſt fons, ad quem Chriſtus miſit cæcum, ut ſe levando in ipſo, viſum reciperet, & cum vita, gratiam juſtificationis, & mundationis animæ, ideo aquæ Siloe ſignificant Baptiſmum pœnitentiæ, in quo qui ſe immergit, miſſionem gratiæ Dei excipit, munditiam, & quietem: E contra, qui ad aquam concupiſcentiæ ſignificatam per aquas multas, & fortes recurrit, immunditiam & inquietudinem turbationum inveniet: Via enim Domini plana, quieta, ſecura: Via diaboli, & mundi inquieta, & præceps, & tentationibus, & periculis expoſita. *Joan. collat. 45. Luc. c. 6. v. 48.*

154. *In meditatione non ſeparetur Divinitas ab humanitate.*

Dominum exercituum, ipſum ſanctificate, &c. Nota, quòd proponit hic Verbum incarnatum, & ſubjectum perſecutionibus Iudæorum: hinc aſpicite, ait Spiritus Sanctus, ſed ne vobis ſit in ſcandalum, ſicut factum eſt duabus domibus Iſraël, ipſum ut Deum ſimul, & hominem conſiderate, & vitabitis omne ſcandalum, & periculum. *Luc. c. 7. v. 23. & c. 12. v. 5.* Datur autem hic documentum viris ſpiritualibus, ne in oratione, & meditatione ſeparent conſiderationem humanitatis, & paſſionis Chriſti à Divinitate, ſed eundem ut Deum, ſimul, & hominem contemplentur, ſic enim & ad amorem, & ad timorem excitabuntur: Nota etiam quòd hic mentionem facit de duabus domibus, & familiis Iſrael, quibus Chriſtus fuit in lapidem offenſionis, & ſcandali: & iſtæ fuerunt duæ ſectæ ſcribarum, & Phariſæorum, quæ ortum traxerunt à Sammai, & Nellel, qui ante adventum Chriſti cœperunt prædicare, & docere varias traditiones, quæ ſanctitatem tantùm ſuperficialem ſpirabant, quibus Alexandra Regina favebat, & iſtæ ſectæ inter omnes fuerunt Chriſto Jeſu contrariæ, *Sic Vgo.*

155. *Aliis Chriſtus eſt in ſalutem, aliis in ruinam ſicut fuit tempore adventus ſui.*

Et erit vobis Dominus in ſanctificationem: In lapidem autem offenſionis, & in petram ſcandali duabus domibus Iſraël in laqueum, & in ruinam habitantibus Ieruſalem. Ergone Chriſti adventus fuit cauſa ruinæ multorum? nonne ipſe eſt ſalvator pro omnibus ſalvandis incarnatus? Sed vide ſolem materialem alios delectantem, alios contriſtantem ſecundum variam diſpoſitionem recipientium, & transfer mentem ad Chriſtum ſolem myſticum, qui in hunc mundum venit ad omnes illuminandum, ſanctificandum, & ſalvandum; ſed quia varia fuit, & eſt recipientium diſpoſitio bona, & mala: hinc ſicut magis fuit in ſanctificationem Ieroſolimitanis in ſcandalum, ſic & chriſtianis eſt: & nota quòd fuit in ruinam duabus familiis Iſraël, Iſraël interpretatur videns Deum, & ſignificat omnem hominem aptum videre Deum: duæ familiæ ſunt cor, & os: cor habitaculum Dei: os ad expreſſionem: qui benè utuntur his duobus inſtrumentis in laudem Dei, iſtis eſt in ſanctificationem; qui verò malè eſt in ſcandalum, ſic etiam prophetavit Simeon, quòd Chriſtus poſitus eſt in ruinam, & in reſurrectionem multorum *Ser. 1. Dom. infrà oct. Nativit. Luc. c. 20. verſ. 18.*

156. *Diabolus venator, & piſcator animarum in malum: Chriſtus in bonum, & ſalutem: uterque habet ſuos imitatores.*

Et offendant ex eis plurimi, & conterentur, & irretientur, & capientur. Sed à quibuſnam irretientur, & capientur, & conterentur? quinam ſunt iſti venatores? Nota, quòd Chriſtus eſt venator, & piſcator animarum ad ſalutem, diabolus item ad perditionem: diabolus autem multos capit ſicut piſces, & aves, & mutes retibus, & dentibus: retibus malarum cogitationum, & eſca voluptatum, vel rerum temporalium conſenſu capit: Item & dentibus ſicut leo, vel lupus malarum locutionum, detractionum, contentionum, blaſphemiarum, perjuriorum, & verborum immundorum: Item manibus malarum operationum, & tandem ad Infernum manu diaboli capiuntur: Venatores item, & piſcatores diaboli ſunt homines alios capientes, uti ſunt calumniatores proximi, detractores, laſcivi, ſcandaloſi, mali conſiliarii, iniquæ mulieres, & omnes ad peccatum attrahentes, qui ſunt deteriores diabolo: Chriſtus verò per ſe, & per ſuos miniſtros venatur, & piſcatur animas ad ſalutem exemplis, prædicatione, & aliis modis innumeris. *Ser. 3. Dom. 4. poſt Pent.*

157. *Præcepta Dei ad obſervantiam debent imprimi in corde, & ligari in memoria.*

Liga teſtimonium, ſigna legem in diſcipulis meis. Hoc à Patre æterno præceptum fuit Chriſto, nempe in iis, qui fideliter ipſum ſequuntur, ut diſcipulis veris ſignaret, ſcilicet imprimeret ſuam legem in corde tamquam in cera, & ligaret teſtimonia, ideſt ſua præcepta

cepta in memoria, ne unquam obliviſcerentur eorum, quæ debent facere ad fideliter Deo ſerviendum, ut ſic capti à Chriſto, caperentur, & ligarentur cum ipſo indiſſolubiliter. *Pſal.* 118. *c.* 1. *v.* 2. & *c.* 10. *v.* 13.

158. *Chriſti ſequaces, & Prædicatores ſunt pueri Chriſto valdè chari, & dilecti.*

Ecce ego, & pueri mei; quos dedit mihi Dominus in ſignum, & in portentum Iſraël, &c. Qui ſunt iſti pueri à Patre dari Salvatori? Cur pueri, & non potius ſeniores, & docti? Nota, quòd poteſt hoc exponi de pueris innocentibus, quos Chriſtus natus ſibi ſocios elegit, ut ſe puerorum ſalvatorem oſtenderet, & ut daret intelligere, quòd ſolùm pueros vult in ſui ſocietatem; unde verè pueri fuerunt Apoſtoli, & omnes ſequaces Chriſti, & præcipuè Prædicatores, quos Chriſtus tamquam filios amore paterno diligit, & ut filios chariſſimos eos tractat: Et nota, quòd dicit pueri, ſcilicet mundi ſanctitatè, mund. ab invidia, ſimplices, humiles, obedientes, non cupidi, hoſque dicit fuiſſe à Patre ſibi datos in ſignum; & portentum, tum ob doctrinam, tum ob ſanctitatem, tum ob miracula portentoſa per ipſos patrata: & ideo verè Prædicator, qui verbo, & exemplo prædicat, & convertit animas eſt continuum portentum: Noli igitur ô bone Jeſu me reprobare à pueris tuis, ſicut reprobaſti Hebræos, qui prius erant pueri tui dilecti. *In Ioan. collat.* 30. & *cap.* 17. *v.* 6. *Luc. c.* 5. *v.* 34. & *c.* 11. *v.* 7. *ſap. c.* 9. & *c.* 19. *ſer.* 3. *de SS. Innocent.*

159. *Qui ad prædicationem verbi Dei non excitatur ad pœnitentiam, nec excitabitur ad viſionem miraculorum.*

Et cum dixerint ad vos, quærite à Pithonibus, & à divinis, &c. numquid non populus à Deo ſuo non requiret viſionem pro vivis, & mortuis, &c. Nota, quòd hic innuit obſtinationem malorum, & docilitatem bonorum: nam iſti verbis Dei credunt, illi verbis Dei non credentes, petunt potius ſigna, & reſurrectiones mortuorum, ſed quia qui non credunt, & non moventur ad prædicationem verbi Dei, & ad admonitionem Sacræ Scripturæ, nec movebuntur ad viſionem miraculorum, quia tales impii & appellabunt ſigna Pythonum, & maleficorum, quod & dixit Chriſtus loquens cum divite, quòd ſi Moyſen, & Prophetas non audiunt, nec ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent: Nota autem, quòd Pytho propriè dicitur magica ars ab Apolline Phytio inventa, qua mortuus ad locutionem, & divinationem evocatur. *Luc. c.* 16. *v.* 30. *Ugo hic.*

CAP. IX.

160. *Chriſtus prædicationem, & remedium primò attulit, & incepit, ubi captivitas inceperat, & major indigentia erat.*

PRIMO *tempore alleviata eſt terra Zabulon, & terra Nephtali.* Nota, quòd hic Propheta confundit ſimul prædicationem inchoatam Chriſti cum captivitate duarum Tribuum, quæ erant inter Iudæos deſpectiores, & captivitati magis ſubjectæ: & hoc quia ubi erat major indigentia, ibi inciperet remedium, & fructus redemptionis, quia ex hac Galilea vocavit Apoſtolos, in hac fecit primò miracula, & inchoavit prædicationem; quia cum medicus miſſus eſſet in mundum, etiam venit ad ægrotum magis indigentem, & etiam quia cum Galilea eſſet confinium Iudæorum, & Gentilium, ſe oſtenderet lapidem angularem utrumque populum ſimul connectentem. *Luc. cap.* 1. *v.* 26. & *cap.* 2. *v.* 39. & *c.* 4. *verſ.* 31. & *c.* 7. *v.* 1. *Ioan. cap.* 4. *verſ.* 44.

161. *Væ eis, qui poſt confeſſionem, & converſionem ad vomitum peccati revertuntur.*

Et noviſſimo aggravata eſt via maris trans Iordanem Galilea gentium. Nota hunc ordinem Prophetæ: primò dicit hanc regionem fuiſſe alleviatam, poſtea aggravatam, quia poſt liberationem à captivitate, poſtea etiam denuò redacta fuerat ad captivitatem majorem: myſticè dat intelligere, quòd qui poſt expurgationem viæ ſpiritualis per converſionem, & confeſſionem, denuò anima rediens ad vomitum peccati, plus aggravatur ſecundò, & vulneratur, & difficilior redditur ejus converſio, & medela à vulneribus inflictis per recidivationem peccatorum. *Pſal.* 118. *c.* 4. *v.* 11.

162. *Chriſtus venit in mundum lux, & ſol illuminans, & conſolans omnes jacentes in tenebris, & umbra mortis.*

Populus, qui ambulat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta eſt eis. Vide effectus ſolis naſcentis, ſcilicet Chriſti in mundum tenebris peccatorum obtenebratum venientis; quia enim venit in media nocte tenebrarum ignorantiæ, ideò illuminationem intellectui obtenebrato attulit, & ſimul conſolationem omnibus gentibus, & ideo dicitur lux magna, nempe ſe extendens ad orientem fideliter incipientium, ad occidentem finaliter morientium, ad meridiem ferventer amantium, ad aquilonem malæ pœnæ viriliter ſuſtinentium ut ſic nulli in aliqua extremitate terræ exiſtenti illa vera ſalus ratione ſuæ ſufficientiæ deficiat; ut ſic intrante lumine hoc ſupernaturali, omnis homo poſſit ad pœnitentiam reverti, & illuminationis gratiam recipere. *Ser.* 1. *Dom.* 4. *Epiph.*

Epiph.Luc.c.1.v.79.& c.17.v.13.Pſal.24.Pſal.118. v.18.Pſal.134.& 138.

163. *Chriſto maximè ſunt chari, & dilecti pauperes, & ſimplices, & ideò primò agnitus eſt à Paſtoribus.*

Populus, qui habitat in tenebris, vidit lucem magnam. Nota illud verbum, populus: ergo ad populum primò venit Chriſtus, & non ad Principes? & quis iſte populus indicat gentem humilem, ſimplicem, ſubditam: Hic autem populus ſignificat paſtores, ad quos primò annunciata eſt Nativitas Chriſti: & cur paſtoribus, & non Herodi, & Principibus Synagogæ? quia Chriſtus valdè diligit ſimplices, inopes, & humiles, & ideo iſtis primò communicavit ſuam lucem magnam, quia Chriſtus alta à longè cognoſcit, humilibus autem prope eſt, & dat gratiam. *Luc. c.2.v.9.*

164. *Regio alia bonorum, alia malorum, illa eſt regio lucis, iſta mortis, & inferni.*

Habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta eſt eis. Qui ſunt, qui habitant in regione umbræ mortis? & quæ eſt iſta regio? Regio umbræ mortis eſt Infernus, in qua habitant peccatores, quæ eſt regio malorum: iſti enim vivunt in umbra mortis, ſcilicet ſicut habitatores Inferni, quia ferunt ſecum ſemper ignem culpæ, vermem conſcientiæ, averſionem continuam à Deo, tenebras obſcurantes mentem: ô felix ille, qui ſic habitans, videre meretur lucem Chriſti, quæ eſt propria regionis gratiæ. *Pſal.28.& 54.op. lignum vitæ.tit.Ieſus triumphans.Ugo hic.*

165. *Multiplicatio ſequacium Chriſti, non lætitiam, ſed triſtitiam Eccleſiæ ſæpe affert.*

Multiplicaſti gentem, ſed non magnificaſti lætitiam. Quomodo, ſi multiplicantur credentes in Chriſtum, non augeſcit lætitia Eccleſiæ? Sed attende, quòd ad litteram dat intelligere, quòd licet maximam lætitiam attulerit Eccleſiæ converſio gentium, cum hac lætitia tamen eſt commixta triſtitia, ob reprobationem Iudæorum: myſticè tamen verificatur in Eccleſia inter chriſtianos, inter quos tot, & tot ſunt, qui ad Religionem, vel inter Clericos adnumerantur, ſed tamen non augeſcit lætitia: & nota quòd *Ioan.c.6.* Turbæ videntes ſe ſatiatas à Chriſto panibus, tunc decreverunt Chriſtum declarare, & recognoſcere ut Prophetam, ſcilicet meſſiam, & ipſum Regem intronizare, non moti Spiritu Sanctitatis, & reverentiæ, ſed pro panibus, & quia repleverat eorum ventrem: ô quot ſunt, qui currunt ad ſacros ordines, vel qui accedunt ad Altare, non ut Deo ſerviant puriori corde, ut Agnum immaculatum cum fructu recipiant, ſed pro panibus ob amorem temporalium bonorum: quot ſunt item, qui ad Religionem ſe conferunt, & ideo multiplicantur Religiones, & Religioſi, & tamen non multiplicatur lætitia ſpiritualis, & obſervantia perfectionis? *Op.ſer.p.3 c.11.Ioan.c.6.v.14.Ugo in Ioan.ibid. & hic.*

166. *Deum diligentes omnia bona tam aliena, quàm propria referunt æqualiter cum lætitia ad gloriam Dei.*

Lætabuntur coram te, ſicut lætantur in meſſe, ſicut exultant victores capta præda, &c. Nota, quòd hæc eſt propheſia de laborantibus in vinea Domini & Deo fideliter ſervientibus, qui comparantur colligentibus meſſem, & dicit, quòd iſti Deum verè diligentes, lætantur coram Deo, ſcilicet videntes reſultare, & multiplicari gratiam Dei in converſis, & credentibus, lætantur, inquam, tam laborantes, quàm colligentes: lætantur omnes æqualiter, quia hoc ipſis ſufficit, ut totum fiat coram Deo, & ad gloriam Dei, & quòd Chriſtus per eos triumphat de inimicis, & ſpolia diabolo auferantur, ipſique Chriſto acquirantur: per quod patet ſignum patens ſervientium perfectè Deo, & imperfectè: nam qui Deo perfectè ſerviunt, qui Deum verè diligunt, æqualem lætitiam habent, quod ab aliis ſerviatur, ſicut, & de ſe ipſis. *Ioan.c.4.v.38.Luc.c.24.ad finem. & c.15.v.7.ſer.3.& 14.Hexam.*

167. *Chriſtus Ieſus ſuo adventu abſtulit ſpolia diabolo, & de ipſo perfectè triumphavit.*

Iugum enim oneris ejus, ut virgam humeri ejus, & ſceptrum exactoris ejus ſuperaſti, ſicut in die Madian, quia omnis violenta prædatio cum tumultu, &c. Vide quale beneficium nobis contulit Chriſti adventus: nam cum ferè totus mundus viveret ſub impia exactione diaboli, cujus virga erat ſuperbia, ſceptrum avaritia, jugum luxuria, hinc Chriſtus veniens in mundum, faciliùs victoriam reportavit de iſto impio Tyranno, quàm Gedeon de Madianitis auferens ei tot ſpolia. & ſimul poteſtatem, quam exercuerat ſuper hominem. *Ser.14. Hexam.l.3.d.19. a.1. q.3.ſermon.3. Dom.1. Adv.& ſer.4.Dom 2.Adv.ſer.1.in Paſcha. Op. lignum vitæ, tit.Ieſus Triumphans. Luc.cap.11. verſ.22.*

168. *Peccatoris veſtis mixta eſt ſanguine, & ob id apta combuſtioni.*

Veſtimentum mixtum ſanguine erit in combuſtionem, & cibus ignis. Quodnam eſt tale veſtimentum? hoc eſt veſtis peccatoris nolentis ſe ſubdere poteſtati Chriſti, ſed remanentis ſub poteſtate diaboli: Veſtis hæc eſt mala conſuetudo peccandi, diciturque miſta ſanguine, nempe involuta in pluribus peccatis, & ob id apta tantùm igni Inferni: ut videas, quod ſi non laveris tuam malam veſtem lepræ ſpiritualis aqua pœnitentiæ, in ignem Inferni cremanda mittetur. *Sermon. 1. Dom.13. Pentec.Ecclen.capit.9. & ſermon. 4. in Nativit. & ſerm.2. de S.Iacob.*

169.*Chriſti*

169. *Chriſti nativitas temporalis expenditur dupliciter.*

Parvulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis. Nota illa verba, natus, & datus, per quæ datur intelligi duplex Chriſti nativitas temporalis, ſcilicet natus, & conceptus in utero Virginis, & datus à tota Trinitate, efficienter, & per appropriationem amoris à Spiritu ſancto; unde benè de hoc parvulo exclamat Propheta *Pſal.*4. Venite, & videte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram: & quæ prodigia? Venite, ait, ad lucem, ut poſſitis videre prodigia ſuper terram, ſcilicet, quando Verbum caro factum, quomodo Deus parvulus datus eſt nobis, ut quem cœli capere non poterant, nos ipſum inter brachia poſſemus recipere, & continere: Videte quomodo, cum deberet reſtaurare, quæ ſunt in cœlis, & in terra, neceſſe erat, ut tangeret cælum, & terram. *Pſal.* 45. *&* 77. *op.collat.octo. collat.*1.*ſer.*3. *Hexam. l.*1. *d.*18. *q.*1. *l.*3.*d.*4 *q.*1.

170. *Chriſtus totus nobis datus, ideo factus parvulus, ut nos facti parvuli ipſum quæramus.*

Parvulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis. Cur parvulum ſe ſe nobis exhibuit Chriſtus? Ut totus in noſtros uſus expenderetur, & ut totum ipſum amplecteremur: parvulus, inquam, ut nos parvuli ad ipſius imitationem ſimus, & ſicut Moyſes poſitus eſt in fiſcella, ſic & nos ipſum parvulum in fiſcella cordis noſtri, vel ut intra nos reciperemus. *Ser.*2 *fer.* 2. *Pent. ſer* 4 *Dom.Trinit.ſer.*9 *de Nativit.& Pſa.*118.*ſer.*1. *in Vig.Nativit.*

171. *A Patre donatus eſt filius parvulus homini, ut homo filios ſuos parvulos det ipſi Deo.*

Parvulus natus eſt nobis, & filius datus. A quo datus? A Patre: ſic enim dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret, & ut per hoc excitaret partes ad offerendum ſuos filios, non diabolo, ſed Deo, ſcilicet ipſos ad bonum inducendo, ipſoſque Deo offerendo, & ad ſui ſervitium; quod tamen multi non faciunt, qui filios diabolo tradunt, vel malè educando, vel injuſtam poſſeſſionem eis relinquendo. *Serm.*2. *fer.*5.*Pent.*

172. *Principatus parvuli Ieſus eſt ſancta Crux, & paſſio à parvulo inchoata.*

Parvulus, &c. cujus principatus ſuper humerum ejus. Qualis principatus? nempe quale eſt ſignum ſui principatus? & quomodo ſuper humerum ſuum hoc inſigne principatus? ſed attende ad Chriſtum procedentem ad Calvariæ locum, & bajulantem Crucem ſuper humerum, & dic, quòd Crux eſt principatus Chriſti Jeſu, quem unit cum ſtatu parvuli, ut videas, quòd ſuper humerum hoc ſignum comparuit à nativitatis exordio, quia tunc paſſio Crucis exorta eſt, nec umquam fuit momentum, quo non portaret Crucem: Verè ſignum inſigne ſui principatus, quia per Crucem claruit in mundo, per Crucem magnificatus eſt, per Crucem agnitus eſt filius Dei: & hinc Deo dictante Pilatus juſſit, ut ſuper caput ipſius pendentis in Cruce maneret inſigne tituli principatus, Jeſus Nazarenus Rex Judæorum: Vide ergo mirabilem vim amoris, qui potuit in pectore hujus parvuli ipſum onerare Cruce. *Op.de perfect.vitæ c.*6. *Luc.c.*15. *v.*5. *op.expoſit.Miſſæ c.*4. *op.ſtim.p.*1. *c.* 12. *Luc. c.*23. *v.*38.*Joan.c.*19.*v.*17.

173. *Obedientia exaltavit Chriſtum parvulum ad Principatum.*

Cujus principatus ſuper humerum ejus: Ideſt ſignum principatus hujus parvuli relucet, & effulget ſuper humerum: quodnam eſt hoc ſignum? ſignum hoc eſt obedientia: ex obedientia enim factus eſt Deus parvulus, & ideo hæc obedientia ipſum ad principatum cœli, & terræ evexit *Op.Eccleſ.Hier.p.*3.*c.*1.

174. *Nomen Ieſus Chriſtum Principem, & admirabilem multipliciter reddidit.*

Cujus principatus ſuper humerum ejus, & vocabitur nomen ejus, admirabilis, &c. Quid eſt Admirabilis? quomodo ejus nomen admirabile? Admirabile rectè dicitur, quia ejus nomen eſt Jeſus, quòd ipſum reddit admirabilem, dicente Paolo Apoſtolo: propter quod, & Deus exaltavit illum: & quomodo? Dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Jeſu omne genu flectatur, ſcilicèt, ut pateat, virtute hujus nominis exaltatum fuiſſe ad Principatum Cœli, & terræ: Verè admirabile nomen, quod fert notitiam Divinitatis, & humanitatis ejus; & ad hoc diriguntur omnes ſcripturæ, quæ de Chriſto loquuntur: Verè admirabile, quia Jeſus vocatus erat à Deo à credentibus & omnibus: Nomen eſt hoc, quòd virtute continet omnia alia nomina. *Luc.c.*1.*v.*35.*& c.*2.*v.*18. *& c.*3. *v.*16.*& c.*20.*v* 44.*& c.*2.*v.*11.*op.de quinq. ſolemnit.p.*3.*& ſer.*3 *Hexam.*

175. *Parvulus Jeſus Princeps pacis & fortis, & noſter Conſiliarius.*

Et vocabitur, &c. admirabilis, fortis, Conſiliarius. Princeps pacis. Quomodo Princeps pacis? Nonne ad debellandas aëreas poteſtates venit? Imò, quia ad hoc venit, ideo Princeps pacis appellatur, quia venit, ut triumphando de inimicis, pacificaret hominem cum Deo, & Deum cum homine. *Ser* 4.*in Nativit.ſer.*1. *Dom. in Albis.ſer.*2. *Dom.*3. *Paſcha. ſerm.*1. *Dom.* 16. *Pentecoſt.*

176. *Ieſus parvulus reddit ſe omnibus admirabilem.*

Parvulus, &c. cujus nomen admirabilis: Verè admirabilis vocatur, nempe ſanctis ipſum expectantibus, ipſum cernentibus, prædicantibus, ipſum cogitantibus, quia in ipſo relucet excellentia tanti Principis, magnificentia poteſtatis, præeminentia nobilitatis, & affluentia liberalitatis. *Ser.*2.*in Epiph.*

177. *Chriſtus parvulus apparuit, ut diabolum deciperet, & ipſum caperet.*

Parvulus natus eſt nobis. &c. & vocabitur Deus fortis. Quomodo fortitudo ſtat cum parvulo? ſed nota, quòd apparuit Jeſus parvulus, ut ſub veſte parvoli tegeret virtutem Divinitatis, ut ſic poſſet decipere, & capere diabolum, ſicut ab ipſo captus eſt: nam homo diaboli captus eſt homo, & hamo Dei, diabolus. *Ser.4. de Nativitat.*

178. *Parvulus Ieſus datus nobis, ut iterum ſpiritualiter intra nos naſcatur.*

Parvulus filius natus, &c. & datus: Cur, & cui datus? Datus, ſcilicet & nobis exhibitus, ut iterum intra nos renaſcatur, & recipiatur: ſed attende ô anima, ſi vis, ut in te naſcatur Jeſus Chriſtus, eſto prius Maria, ſcilicet mare per lachrymoſam contritionem; illuminatrix per honeſtam converſationem, & Domina ſenſuum, & carnalium concupiſcentiarum, & tali pacto naſcetur in te ſine dolore, ſed cum gaudio, ipſumque nutries ſanctis meditationibus, & in Præſepio tuæ conſcientiæ purgatæ conſervabis. *Op. de quinq. ſolemnitati. p.2.*

179. *Verbum parvulum ſe oſtendit, ut damnaret noſtra vitia ſuperbiæ, avaritiæ, & luxuriæ.*

Parvulus, &c. Cur parvulus? Nota, quòd Chriſtus natus parvulus eſt, ut damnaret noſtram ſuperbiam, egenus factus, ut damnatet avaritiam, de Virgine natus, ut damnaret luxuriam. *Ser.2. de Nativit.*

180. *Per Chriſtum reparatum eſt Regnum credentium.*

Princeps pacis, &c multiplicabitur ejus imperium &c. ſuper ſolium David ſedebit uſque in ſempiternum. Nota, hæc dicuntur myſticè de Chriſto: nam per ipſum reparatum eſt Regnum Iſraëliticum, ſcilicet credentium, & plantata Eccleſia, quæ durabit uſque ad finem. *Luc. c.1. verſ.34. & c.2.v.11.*

181. *Chriſtus miſſus eſt ad Iudæos, ſed ab ipſis perditus, inventus eſt à Gentilibus.*

Verbum miſit Dominus in Iacob, & cecidit in Iſraël: nempe Chriſtus miſſus eſt ad Judæos, quia natus eſt de ſemine Jacob, ſed cecidit, ſcilicet perditum eſt ab ipſis Iſraëlitis, & inventum eſt à Gentilibus: Vel dicitur, cecidit in Iſraël, id eſt in videntes Deum per fidem: Cave & tu, ne perdas Deum, & gratiam, quam tibi Deus exhiber, ne alius accipiat coronam. *Pſal.108. & ſer.15. Hexam. Ioan. c.5. v.38.*

182. *Ad laudes humanas ſe extollentes præcipitantur in profundum.*

Et erant, qui beatificant populum iſtum ſeducentes, & qui beatificantur præcipitati. Quaſi dicat, væ iis, quos benedixerint homines, væ iis, qui ad laudes humanas ſe extollunt, & per adulationes in altum elevantur: nam & beatificantes tali pacto, & beatificati maledicti ſunt à Domino. *Luc. cap.6. verſ. 26. in Thren. cap.2.*

CAP. X.

183. **V**Æ *Facientibus leges iniquas, & noxias ſubditis, & viduis, & pauperibus.* Et hoc dicitur Principibus qui laqueis replent ſua Regna contra bonum publicum, & privatum ſubditorum. *Sap. c.14. & ſer.2. de S.S. Doctorib.*

184. *Mortis temporis anguſtia expenduntur.*

Quid facietis in die viſitationis, & calamitatis de longè venientis? Ad cujus confugietis auxilium? & ubi derelinquetis gloriam veſtram? Ne incurvemini ſub vinculo, & cum interfecitis cadatis. Nota ad litteram quòd Iſaïas prædicit calamitatem imminentem populo Iſraël ex adventu Regis Aſſyriorum Sennacherib, qui exterminavit, & depopulavit omnem illam regionem, ob quod poſtea à Deo fuit punitus per Angelum: myſticè nobis innuit imminentem anguſtiam temporis mortis, quòd rectè appellatur tempus calamitatis, quia nulla alia calamitas antecedens poteſt ei æquiparari: tempus item viſitationis, quia anima viſitatur ab Angelis, & à Dæmonibus; Item à Chriſto Judice, & ideo rectè appellatur tempus viſitationis generalis: Ait igitur, quid facietis ô peccatores in illa die tantæ calamitatis? quaſi dicat: cogita ô homo diem, vel horam mortis, in qua mors improviſè veniet, ſicut fur, quando minimè putabis, quando minimè diſpoſuiſti, quando adhuc diutiùs vivere ſperabas, & multa agere cogitabas, cogita quod illa dies, eſt dies calamitatis, ob infirmitatem, & dolores præcedentes, & quia tunc erit clamor conſcientiæ, & memoria peccatorum totius vitæ occurrit, qualis dolor, qualis timor: qualis item dolor, qualis timor, cum ad illam perveneris horam, in qua tranſiturus eris ad æternitatis portas: cogita quàm amara erit ſeparatio, quando ab his, quæ tam ardenter dilexiſti, te ſeparari neceſſe eſt: cogita quòd in illo tempore totum corpus nigreſcit, & rigeſcit, & oculi contabeſcunt: ô qualis calamitas! cogita illum diem viſitationis, in qua Dæmones tanquam rugientes Leones ibi adveniunt parati tamquam ad eſcam expectantes, & tunc ſpiritus vitiorum occurrunt quærentes ſua in eis, & ſic de ſingulis: ô dies viſitationis, in qua anima ſtatuitur ante tribunal Judicis, & refertur ſententia, quæ ex hoc tunc uſque in æternum non revocabitur, & ubicumque tunc lignum ceciderit, ibi manebit: cogita ubi derelinques gloriam tuam? nempè quod tuoc corpus tradetur ſepulturæ & perpetuæ oblivioni, ibique hæreditabit tineas, vermes, & ſerpentes ipſum corpus comedentes: cogita hæc ô homo, & cave, ne te incurveris ſub Diabolo dum vivis, ne cum interfectis, & damnatis connumereris,

numereris. *Op. faſcicul. c. 1. ſer. 2. Dom. 10. Pentec. ſer. 2. & 3. Dom 9. Pent. ſer. de S. Mich. ſer. 1. Dom. 2. Advent.*

185. *Homo dum peccat ſe ſubjicit diabolo, ejuſque vinculis duriſſimis.*

Ne incurvemini ſub vinculo, & cum interfectis cadatis. Nota, quòd hæc cum ſint dicta Iſraelitis, ut caverent, ne ſub jugo Sennacherib caderent, diriguntur ad peccatores, & tali modo loquendi datur intelligi, quòd homo, dum peccat ſe Diabolo incurvat, & ſub ejus pedibus collocat calcandus, & diſcerpendus, & ſimul ligatur ab ipſo Diabolo pedibus per pravos affectus, manibus per pravas operationes, collo per nociva verba, & lingua per malum ſilentium in confeſſione, & deinde cum interfectis collocatur peccator, quia privatur vita ſpirituali. *Ser. 3. Dom. 11. Pent. ſer. 4. Dom. 3. quadrag.*

186. *Impii ſunt miniſtri Dei in tentando bonos, ex quo boni purgantur, & ipſi impii poſtea à Dei juſtitia puniuntur: Ubi de bonis fructibus tribulationum.*

Væ tibi Aſſur virga furoris mei, & baculus ipſe eſt in manu eorum indignatio mea. Nota ô homo verba, ſigna myſteria ſublimia: Ad litteram dat intelligere, quòd Deus uſus eſt Rege Sennacherib Aſſyriæ ad puniendum Iſraël, & ideo à juſtitia Dei in manibus Aſſyriorum poſita eſt virga, baculus indignationis ſuæ ad ipſos torquendos Iſraëlitas: quod cum verum ſit, & cum Dei juſtitiæ Aſſyrii obtemperaverint, cur poſtea dicit Deus, Væ tibi Aſſur? cur, Væ dum tuæ voluntati exequendæ cooperant? ſed attende ad myſterium, & ad id, quòd jugiter Deus facit cum ſuis electis, qui cum ſæpe ſubjecti ſint variis periculis, & peccatis, etiam & ipſi indigent ſæpe baculo correctionis, & virga punitionis, & tentationis, tum ut à peccatis purgentur, tum ut cautiores reddantur, tum ut eis ſubtrahatur occaſio peccandi, tum ut exerceantur ad virtutes, & ad humilitatem, ad compaſſionem ſimilia ſuſtinentium, tum ad hoc ut ſollicitius confugiant ad divinum adjutorium, tum ad experientiam divinæ clementiæ, quæ tribulatis corde juxta eſſe ſolet, tum ad examinationem propriæ virtutis, quia in adverſitate plenius videmus quantum profecerimus in eis, tum ad majorem gloriam promerendam, & ſuper omnia ad reddendam vicem Chriſto paſſo pro nobis: quibus tranſactis, ecce quid conſequitur, nempe gaudium majus, majus meritum, profectus major in tribulato; ſed in tribulante, & perſequente ultio divina. Deuſque facit cum iſtis perſequentibus ſicut Pater, qui poſt correctionem filii virgam projicit in ignem; ſic & fecit cum Aſſyriis, & cum iſtis impiis facit, eos puniendo, & in ignem Inferni dejiciendo: Ecce quali arte tractat Deus bonos, & malos: nam in impiorum manibus depoſitat virgam indignationis ſuæ, ſed ad damnationem malorum, & ad profectum honorum. *Op. de perfect. religioſ. l. 1. c. 37. Pſal. 37.*

187. *Omne bonum eſt à Deo: malum à nobis.*

Numquid gloriabitur ſecuris contra eum, qui ſecat in ea? aut exaltabitur ſerra contra eum à quo trahitur? &c. Vide quali metaphora, & quàm clara Deus benedictus prætendit nos avertere ab omni vana gloriatione ex operibus noſtris: Cum enim nos ſimus miſerrimi, & cum ex nobis tamquam ex nobis nihil boni facere valeamus, ſicut ſi ſecuris, quæ eſt inſtrumentum artificis vanè gloriaretur in ſecatione pulchra facta virtute ſecantis, ſic & vaniſſimi ſunt homines, qui aliquod bonum facientes ex virtute Dei concurrente, de ipſo gloriantur, quaſi id ex propria virtute fecerint: Certiſſimum enim eſt, quod omne bonum ſive naturale, ſive ſupernaturale eſt primò à Deo, & ipſo concurrente, etiam à nobis, quia ipſe facit res à quibus, & ex quibus, & per quas, & in quibus fiunt, & nulla res habet ullam potentiam volendi, aut faciendi, niſi illo dante, & ſi in ipſo velle aliquod malum eſt, cum malum non ſit ens, à Deo non eſt, ſed à nobis deficientibus, *L. 2. d. 37. a. 1. qu. 1.*

188. *Spiritus ſanctus eſt lumen illuminans & ſanctificans animam.*

Erit lumen Iſraël in igne, & ſanctus ejus in flamma. Hic loquitur ſacer textus ad litteram de effectibus divinæ largitatis in populum Iſraël poſt caſtigationem factam in ipſo per Regem Aſſyriorum: myſticè loquitur de anima perfectè ad Deum converſa, & toto corde: ſed quodnam hoc lumen, & quis eſt iſte ſanctus? Nota quòd hic innuitur Spiritus ſancti operatio in animam: Dicitur autem Spiritus, & ſanctus, Spiritus à ſpirando, non ſolum paſſivè, quia ſpiratur à Patre, & filio, ſed & activè, quia ſpirat illuminando animam, & ideo dicitur etiam lumen in igne, ſcilicet ignis affectum noſtrum ardens: Dicitur etiam ſanctus, ſcilicet mundus, firmus, & ſine terra, quia per gratiam ſuam à peccatis mundamur, in bonis firmamur, & à terrenis ſeparamur: Veni igitur Spiritus ſancte, & emitte in nos cælitus tuæ lucis radium. *Ser. 1. Dom. Trinit. ſerm. 3. in Dedicat. op. Comp. Theol. l. 1. c. 1.*

189. *Boni ſunt Reliquiæ Dei ex malis deſumptæ: Ubi de paucitate ſalvandorum.*

In veritate reliquiæ convertentur, reliquiæ inquam Iacob ad Dominum fortem, &c. ſi enim fuerit populus tuus Iſraël quaſi arena maris, reliquiæ convertentur ex eo. Nota quod ad litteram dat intelligere, quòd in fine populus Iſraël ad Chriſtum convertetur, qui Judæi dicuntur reliquiæ, idest pauci reſpectu multitudinis maximæ, quæ antecedenter remanet in cæcitate, & damnatur: Dat etiam intelligere, quòd cum maxima ſit multitudo malorum, qui ex ipſa convertuntur, ſunt pauci, quia malorum & damnatorum major, & maxima eſt pars, quæ damnatur, quia anguſta eſt porta ſalutis, &

pauci ſunt, qui per eam intrant. *Luc.c.22. v.51. & 13.v.23.& Vgo hic.*

190. *Chriſtus conſummavit, & perfecit omnia imperfecta ad ſalutis noſtræ conſummationem.*

Conſummatio abbreviata inundabit juſtitiam, conſummationem enim, & abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ, propter hoc dicit Deus, noli timere populus meus &c. Quænam eſt conſummatio promiſſa à Deo per Prophetam, & conſummatio abbreviata? Ecce qualis conſummatio abbreviata: Verbum Dei abbreviavit ſe, ſumendo carnem in Utero Beatæ Virginis Mariæ, ſicque Verbum abbreviatum ſe oſtendit, in quo omnia imperfecta conſummavit per paſſionem ſuam: unde in fine vitæ ex cruce dixit, conſummatum eſt, nempe conſummata ſunt præcepta propter nimiam charitatem, quæ eſt finis,& compendium omnium præceptorum: conſummata ſunt judicia in ſe ipſo per paſſionem aſſumpta: conſummata ſunt myſteria in Evangelio: conſummata ſacrificia in ſacrificio Crucis: conſummata ſunt ſacramenta in ſacramentis novæ legis, ergo conſummationem abbreviatam fecit Chriſtus Jeſus, & nobis infinita bona conſummata præparavit, ergo & tu ó chriſtiane conſumma tua opera, & conſummatus in brevi cum Chriſto expleas multa tempora. *Luc. cap.7.verſ.1.& cap.18.v.31. ſap.cap.4.*

191. *Diaboli jugum qualiter à nobis deſtruitur.*

In die illa onus ejus auferetur de humero tuo, & computreſcet jugum à facie olei. Quid eſt à facie olei computreſcere jugum? qualem proportionem iſta habent inter ſe? ſed nota quòd ad litteram Propheta promittit populo Iſraël liberationem à jugo captivitatis Babilonicæ à facie olei, ſcilicet ex præſentia divinæ miſericordiæ, quam poſtea exercuit per Angelum ſuum; myſticè per oleum ſignificantur opera miſericordiæ: & dat intelligere, quòd per exercitium operum miſericordiæ onus peccatorum, & jugum, quòd impoſuit diabolus collo peccatoris computreſcit, & annihilatur, & ab ipſo homo liberatur: qui enim in talibus operibus, vitam ducit, nihil timere debet à diaboli tentationibus, quia ejus jugum per tale oleum putridum, & vanum remanet. *Ser.2.Dom.3.poſt oct. Epiph.*

CAP. XI.

192. *Maria Virgo pœnitentibus, & peccatoribus virga virtuoſiſſima, & nobiliſſima fumi ex aromatibus compoſita.*

EGREDIETUR *Virga de radice Ieſſæ, & flos de radice ejus aſcendet.* Nota,quòd communiter à ſanctis Patribus nomine virgæ ortæ de genealogia Jeſſæ Patris David intelligitur Maria Virgo: licet ad litteram Hebræi intelligant de Joſia Rege ſanctiſſimo: ſed cur nomine Virgæ venit Virgo Maria? quia ipſa ex populo, & ſemine David in Virgam crevit,& floruit, ſicut Virga Aaron, & peperit florem Chriſtum: Virga fuit omnibus utilis, ſcilicet fumea incipientibus,& pœnitentibus, de qua Cant. c.3. *ſicut Virgula fumi,&c.* aſcendens de deſerto ex aromatibus mirrhæ, & thuris, & univerſi pulveris pigmentarii: nempe tunc aſcendit de deſerto, quando ipſa ſuffragante cor peccatoris, quod eſt deſertum fumum ſpei veniæ ſuſcipit: qui fumus generatur ex aromatibus mirrhæ in contritione, thuris in confeſſione, & univerſi pulveris pigmentarii in multimoda ſatisfactione: Nullum ergo deſertum piiſſima Virgo Maria abhorret, nullum peccatorem deſpicit, ſed quocumque pertranſierit, ſuaviſſimum ſpei veniæ fumum reſpergit. *Op. ſpec.B.Virg.*

193. *Maria Virgo Virga florida proficientibus.*

Egredietur Virga de radice Ieſſæ, & flos de radice, &c. O quàm verum eſt, quòd Maria fuit Virga florida figurata in Virga Aaron, quæ ſimul & flores, & fructus habuit: per flores, virtutes ſignantur, quæ poſt tranſitum diabolicæ hyemis, in cordibus oriuntur: ó quantis floribus Virgo florida abundavit, & ſicut per flores virtutes, ſic per fructus operationes ſignificantur, quando ergo in virtutibus, & in virtutum operibus, per exempla, & merita Mariæ proficimus, tunc Virga florida, & odorifera nobis eſt Virgo Maria. *Op.ſpec.B.Virg.lect.12.*

194. *Maria Virgo aurea perfectis, & contemplativis.*

Egredietur Virga de radice Ieſſæ: Ideſt Maria Virgo figurata in illa Virga aurea, & Regia, quam Rex Aſſuerus extendit ad Eſther, quando ſe conſpectui ipſius innixa ſuper duas puellas præſentavit: hæc Eſther eſt anima contemplativa, quæ auxilio intellectus, & voluntatis ad conſpectum Regis ſe offert contemplando ipſius majeſtatem, & Attributa: Virga aurea, Virga regia eſt Virgo Maria, verè aurea per charitatem, per munditiam, per incorruptionem virginalem: Regia,nobilitate, juſtitia, & poteſtate: hæc Virga eſt, quæ extenditur clementer ad animam contemplativam confortandam, quando ſcilicet mentibus piis ingeritur ejus memoria, dulcedo

dulcedo, & pietas, & contra terrorem divinæ juſtitiæ fortificatur: ô quàm pulchra ad intuendum, quàm amabilis ad contemplandum, delectabilis ad amandum. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 12.*

195. *Maria Virgo Virga ferrea, & dura Dæmonibus.*

Egredietur Virga de radice Ieſſæ, &c. Scilicet Maria Virgo, de quâ dixit David: Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: Verè enim Maria eſt Virga virtutis omnipotentiæ Dei contra infernales Spiritus, quibus magna virtute dominatur, & ideo dicitur Maria, ſcilicet amarum mare, & tremendum Dæmonibus, qui ipſam timent, & ab ea ad invocationem nominis ejus fugiunt: & tamquàm cera à facie ignis perit eorum virtus. Ave igitur ô Mater alma, quæ ex dignitate, quâ Dei Mater es, imperare potes Dæmonibus, compeſce Dæmones, ne nobis noceant, præcipe Angelis, ut nos cuſtodiant. *Op. ſpec. B. Virgin. lect. 3. & 12.*

196. *Virgo Maria Virga quales flores emiſit.*

Et flos de radice ejus aſcendet. Quis iſte flos? eſt unus, an multiplex? Sed attende, quod dicit, de radice aſcendet: ergo, fuit flos peculiaris: & quiſnam fuit iſte flos? Sed attende, quòd fuit unus, & multiplex: nam in ſe primò floruit, poſtea ex radice produxit alium florem: floruit in ſe, produxit enim in ſe florem, ſeu lylium pretioſæ virginitatis, ſuper quem attractus odore ſupervolavit apis illa ſupercœleſtis, quæ paſcitur inter lylia, quæ florigeram inhabitat patriam, cui inſedit, & inhæret: flos verè jucundus, & odoriferus, ad cujus odorem tot apes virgines ſupervolarunt ad efformandam coronam Mariæ: Produxit item in ſe florem virtuoſæ honeſtatis, morum, & vitæ exemplaris, habuit & in ſe florem miraculoſæ fœcunditatis, quem virtute ſupervenientе Spiritus Sancti produxit: habuit in ſe florem glorioſæ immortalitatis in corpore, & in anima: Colligamus igitur & nos ô chariſſimi hos flores in Virga virginea, ſeu potius in horto virgineo, & experiemur quàm magna multitudo dulcedinis immenſo orbi inde profluxerit. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 12.*

197. *Mariæ Virginis puritas, & plenitudo gratiarum expenditur in Virga emittente florem.*

Egredietur Virga, &c. & flos de radice ejus aſcendet, &c. Cur, & quomodo de radice, & non potius de ſummitate, & ramis? Sed attende myſterium: Maria dicitur Virga egredi de radice Ieſſæ, ſcilicet de ſtirpe David opere humano: Dicitur & flos de radice aſcendere in altum, & ſuper hunc florem Spiritum Sanctum cum ſuis donis requieſcentem, ut videas, quòd verè de carne Mariæ genitus eſt, & quod Filius naſcendo aſcendit ad ſublimitatem omnium donorum Spiritus Sancti, ad oſtendendum qualia dona, & quales gratias emiſerit, & infuderit iſte flos ſuper Virgam, ex qua emiſſus eſt: Cum enim de iſto flore redundet in totam Eccleſiam plenitudo omnium gratiarum, qualis putamus fuerit influentia hujus floris in Mariam? Unde ipſa de ſe dicit: In me gratia omnis vitæ, & virtutis, & hæc gratia eſt donorum Spiritus Sancti, de quibus ſubditur, & requieſcit ſuper eum Spiritus Domini: nam gratia virtutis ordinavit Mariam ſuprà ſe in ſapientiſſima fruendorum contemplatione; infrà ſe in conſultiſſima fugiendorum, proviſione; intra ſe in profundiſſima credendorum cognitione; extra ſe in rationabiliſſima operandorum diſcurſione: Gratia vitæ ordinavit Mariam in bona vita per donum fortitudinis contra diabolum, erga proximum per donum pietatis, & erga Deum per donum timoris: quicumque ergò ſeptiformem Spiritus Sancti gratiam deſiderat, ipſe florem Spiritus Sancti in Virga quærat, per virgam enim ad florem, per florem ad Spiritum in ipſo requieſcentem pervenitur, per Mariam ad Chriſtum accedimus, & per Chriſtum gratiam Spiritus Sancti inveniemus. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 6.*

198. *Maria iterum Virga florida, & fructifera oſtenditur.*

Et flos de radice ejus aſcendet. Quò aſcendet? Aſcendet in fructum: Maria enim fuit Virga florida, & fructifera figurata in Virga Aaron, & de quo miraculo poteſt cani hæc laus.

Ecce valdè mirabilis
Res, & miranda novitas
Floret ſiccitas ſterilis,
Gignit ſicca ſterilitas,
Parturit Virgæ ſiccitas
Fructum profert, & fertilis
Efficitur ſterilitas,
Non fuit ante ſimilis.
Notat Virga florigera,
Quæ natura non opere
Efficitur fructifera,
Sed puro Dei munere.
Quod debebas concipere
Virgo nova puerpera
Novum fructum parere,
Poſt partum Virgo libera.
Ergo verè Virgo parens
Germinaſti campi florem
Dei Patris Verbum parens
Mundi patis ſalvatorem,
Puritatiſque decorem
Non amittis ſorde carens
Charitatis fundens rorem,
Quo rigatur mundus arens.
Op. laus B. Virg. fig. 9.

199. *Chriſtus flos candidus, & rubicundus ex Maria Virga.*

Et flos de radice ejus aſcendet. Cur Chriſtus appellatur flos aſcendens de radice Virgæ? Aſcendit quidem genitus ex radice hujus Virgæ, ſcilicet ex carne Mariæ, ſed non cultu, & opere humano, ſed Spiritus Sancti: Veréque flos dicitur candidus, & rubicundus electus ex millibus, flos, in quem deſiderant Angeli proſpicere, flos, ad cujus odorem reviviſcunt mortui, flos candidus in nativitate, quia purus, & mundus ſine peccato, & rubicundus in paſſione quinque vulnerum

rum foliis refertus : felix ſilva, quæ producit hujus floris virgam, ſed felix magis virga, quæ producit hunc florem in ſilva, felix ſuper omnia flos, ſine quo nulla ſilva, nec virga felix eſſe poteſt : verè feliciſſimus, in quo ſic Spiritus Domini requievit, ut nullus ſine ipſo gratiam Spiritus Sancti habere poſſit : verè feliciſſimus flos, in quo ſolùm Spiritus Sanctus, cum in magna ſilva humani generis requiem non invenerit, tandem ſuper hunc florem requiem deſideratam invenit, ita quod abſque Chriſto nec quis ſapiens eſſe poteſt, nec intelligens, nec conſiliarius, nec fortis, nec eruditus, nec pius, nec plenus timoris Domini : hic flos quaſi tot folia habet, quot miniſteria, & exempla : ſi hunc florem habere deſideras, quia de radice Virgæ aſcendit ad ſummitatem, virgam floris precibus flecte : ſi flos eſt nimis altus Divinitate, Virga tamen eſt flexibilis pietate : & ſi flos eſt rariſſimus, quia in Cœlo, & in terra non invenitur, niſi unicus, eſt tamen communiſſimus, tamquam flos, non in horto clauſus, ſed in campo omnibus tranſeuntibus expoſitus, unde dicitur flos campi. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 12. fer. 3. Paſcha. Luc. c. 1. v. 15. op. Brevil. p. 5. c. 5. op. de ſeptem donis. c. 2. & 6. op. lignum vitæ. Pſal. 66.*

200. *Chriſtus quia flos, ideo conceptus in horto Mariæ in vere.*

Et flos de radice aſcendet, &c. Cur appellatur flos? Sed jam dictum eſt, cur dicitur flos, nempe Angelis, & beatis delectabilis, & hominibus utilis, & odoriferus, & quia eſt flos, ideo conceptus eſt in vere, ſcilicet in menſe martio, quando Angelus annuntiavit Mariæ Incarnationem in Nazareth, quòd interpretatur flos. *Luc. c. 1. v. 26. & c. 2. v. 4. & 12. Ioan. c. 1. v. 45.*

201. *Iuſtus in ſe virgam plantatam, & florem odoriferum habet.*

Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice ejus aſcendet, &c. Nota, quod myſticè per virgam intelligitur fidei rectitudo, quam in ſe radicatam Iuſtus habere debet, ex qua bona voluntas tamquam flos aſcendit : ex quo flore fructus bonarum operationum exire debet, ſicque in tali anima requieſcit Spiritus Domini. *Serm. 10. Pent.*

202. *In ſolo Chriſto perfectè requievit Spiritus Sanctus, ipſum replendo, ut caput ſuis donis, ut per ipſum ad nos deſcenderent.*

Et requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, &c. Quomodò requieſcere dicitur Spiritus Domini, (loquendo ſecundum modum noſtrum humanum) veluti laboraverat non inveniens, ubi requieſceret pes ejus, ſed tandem cum aſcendit iſte flos de virgæ radice, quando conceptus fuit Chriſtus plenam requiem invenit, & in ipſo ſeptem dona ſua pleniſſimè infudit, ut ipſum noſtrum caput conſtitueret, & ex ipſo omnia dona, & gratiæ ad nos veluti membra deſcenderent : Et hic nota, quod à ſummo dono incipit enumerando, dicens, Spiritus ſapientiæ & deſcendit per media uſque ad infimum, quòd eſt timor Domini, ut nobis veluti ſcolam exponat ab iſto infimo aſcendendi ad ſupremum, ut ſic à terrenis ad cœleſtia dona tendamus. *Op. de ſeptem donis. c. 2. & 6. op. de dono ſap. c. 5. op. Eccleſ. Hier. p. 1. c. 3. Op. comp. Theol. l. 1. c. 19. Pſal. 2?. & 67. Luc. cap. 6. v. 14. & 26. Ioan. c. 1. v. 32. & collat. 6.*

203. *Septem dona Spiritus Sancti in Chriſto perfectiſſimè fuerunt, ſicut & in beatis, & cur ad ſeptenarium numerum reducuntur.*

Et requieſcit ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ, &c. Nota, quòd ex hoc patenter apparet, quòd perfectiſſimè fuerunt ſeptem dona in Chriſto, ſicut etiam ſunt in beatis, quia gloria expurgat ea ab omni imperfectione viæ, & ſecundum totale complementum ibi exercentur : ſed petes, cur ad ſeptem capita reducuntur? Reſpondetur, quod merito ad ſeptenarium reducuntur : tum per comparationem ad habitus annexos, ſcilicet ſapientiæ ad charitatem, intellectus ad fidem, conſilii ad ſpem, fortitudinis ad fortitudinem cardinalem, ſcientiæ ad prudentiam, pietatis ad juſtitiam, timoris ad temperantiam : Tum per reſpectum ad ſua oppoſita, nempe timor eſt contra ſuperbiam, pietas contra invidiam, ſcientia contra iram, fortitudo contra accidiam, conſilium contra avaritiam, intellectus contra gulam, ſapientia contra luxuriam : Tum per ordinem ad finem multiplicem à nobis præfigendum : Tum in ordine ad malum fugiendum : Tam ad bonum aſſequendum, vel tamquam finem principalem, vel tamquam ad medium ordinatum ad finem : Tum & per ordinem ad actus proprios *l. 3. d. 34. p. 1. a. 2. quæſt. 1. ſeq. ad 3. & ad 14. q. 3. & d. 15. dub. 3. op. de ſeptem donis c. 2 & 6. Op. Diat. tit. 5. c. 1. & tit. 6. c. 1. & ſeq. op. Comp. Theol. l. 5. c. 38. Luc. c. 2. v. 40. & c. 4. v. 18. ſap. c. 7.*

204. *Spiritus Sanctus requieſcit in corde noſtro per infuſionem ſeptem donorum: diabolus per ſeptem vitia capitalia.*

Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, &c. Nota, quòd dicitur Spiritus Domini requieſcere in corde per infuſionem ſeptem donorum, ut dictum eſt ſupra : E contra Spiritus diabolicus requieſcere dicitur in anima per ſeptem vitia capitalia oppoſita. *Luc. c. 11. v. 26. ſap. c. 1.*

205. *Timor Domini cætera dona conſervat: Ubi de timore Domini in Chriſto exiſtente.*

Et replebit eum Spiritus timoris Domini. Cur enumeratis cæteris donis ad extenſum, & ſimpliciter ſuperponitur ad ipſa, repletio timoris Domini? & quomodo timor Domini dicitur, fuiſſe in Chriſto, quia perfecta charitas foris excludit omnem timorem? Sed reſpondetur, quòd in Chriſto fuit timor Domini filialis, & reverentiæ ad Deum, hic enim permanet perfectiſſimus in beatis : ſuperponitur autem cæteris donis, quia ipſe cætera conſervat, & ſine ipſo degenerant in vitium. *Pſal. 118. c. 4. v. 6. & l. 3. d. 15 dub. 3 & l. 3. d. 34. q. 1 a. 2. & 3. op. ſpec. B. Virg. lect. 16.*

206. *Iuſtitia incorrupta Chriſti proponitur Iudicibus omnibus exemplar.*

Non ſecundum viſionem oculorum judicabit, neque ſecundum auditum aurium arguet, ſed judicabit in juſtitia,&c. Ecce ad quid requievit Spiritus Domini in Chriſto, non ſolùm ad infundendum ſua dona in ejus anima, non ſolùm ad docendum virtutem, ſed & ad arguendum iniquos, & ad juſtitiam incorruptam ſervandam, ut exemplum, vel exemplar ſe exponeret omnibus Iudicibus: Non enim Dominus Ieſus propter metum poteſtatis terrenæ timore amittendæ, nec propter quæſtum mundanæ cupiditatis amore acquirendæ, ſive propter ambiguam ſimilitudinem falſitatis veritate complacendæ, veritatem ſilebat, imò veritatis jaculis tam magnos, quàm parvos æquè feriebat: Unde ſubdit: *Et erit juſtitia cingulum lumborum ejus*, ideſt juſtus ex omni parte. *Ser.2.Dom.1.quadrag.Thren c.7. op.ſpec. B Virgin. lect.16.Ioan collat.71 ſap c.5. op. Comp. Theol.l.5. c.37.ſer.3 Hexam.Pſal.128.Ioan.c.21.v.19.*

207. *Chriſti adventus fecit habitare lupos cum agnis.*

Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo, &c. Ecce effectus adventus Dei in carnem: Dicitur autem, quod tunc habitaturus erat lupus cum agno, &c. ſcilicet vel convertens lupos in agnos, ut fecit cum Paulo, vel imbuens ſuos tanta manſuetudine, ut ſecurè poſſent habitare cum ferocibus hominibus, & agnina eorum manſuetudine lupinam ferocitatem manſueſcere. *Luc.c.3. v.5. & c.10.v.3.*

208. *Chriſtus verbi ſui prædicatione mirabiles effectus produxit contra diabolum.*

Et delectabitur infans ab ubere ſuper foramen aſpidis, & caverna reguli. qui ablactatus fuerit, matrem ſuam mittet. Nota, quòd metaphoricè propheta proſequitur opera verbi Incarnati, inter quæ docet, quòd virtute prædicationis verbi ſui, non ſolùm lupi converterentur in agnos, ſed & infantes, ſcilicet ignorantes verbum ſuum recipientes, nimirum Gentiles ab ubere oris Chriſti, & ſuorum Prædicatorum contra ſerpentes peccatorum ſuorum, quæ prius erant veluti aſpidæ, & reguli, inſurgent, & in contemptu temporalium, & in pugna contra hæc vitia delectationem majorem ſument, ut ibi ſuperabundet gratia, ubi abundavit delictum. *Pſal.118.c.1.v.14.*

209. *Per verbum Dei aufertur poteſtas diabolo, ne noceat ſicuti vellet: Ubi de prædicationis fructibus.*

Non nocebunt, neque occident in monte ſancto meo, quia repleta eſt terra ſcientia Domini ſicut aquæ maris operientis. Ecce quales fructus in Eccleſia ex verbi Dei, & Evangelii prædicatione, propter quam repleta eſt terra ſcientia cœleſti, nam virtute verbi Dei ablata eſt poteſtas diabolo, ne noceat nec perimat animas, ſicuti vellet. *Luc. c.4. v.35.* Hinc etiam infertur, quòd diabolus ſemper habet voluntatem nocendi homini, ſed tamen non ſemper poteſtatem, niſi quantùm, & quando à Deo permittitur juſto modo. *Luc. ibid.*

210 *Sacra ſcriptura ſcientia eſt veluti aqua maris inundans, & ſuper aquam maris reficiens totam Eccleſiam.*

Repleta eſt terra ſcientia Domini ſicut aqua maris operientes. Quæ eſt ſcientia hæc, qua repleta eſt terra? Nota, quòd hic per terram intelligit Eccleſiam, quæ ſcientia Domini, nempe Sacræ Scripturæ notitia repleta eſt, & veluti aqua maris totam operuit, & diffluit per varios meatus, & flumina, extenditurque ad omnes: hæcque à nubibus, ſcilicet à Prædicatoribus portatur ad gentes, ut illuſtrentur, & illuminentur veritatibus divinis. *Op.princ.Sacra Scrip.ſer.3.Hexam.Ecclen.c.9.*

211. *Chriſtus in nativitate, & in vita maximéque in Cruce fons totius boni, & ſignum divinæ miſericordiæ nos invitans ad ſe.*

In die illa erit radix Ieſſæ, qui ſtat in ſignum populorum ipſum gentes deprecabuntur. In die illa? qua die apparebit radix Ieſſæ? & quid iſta radix? Nota, quòd iſta radix eſt Chriſtus Ieſus, qui ſecundum humanitatem ortus ex proſapia David, erit radix, & fons omnium bonorum: hic quidem apparuit mundo in nativitate; & patentius in Cruce, & utroque modo, & loco ſe exhibuit ſignum populorum, nempe ſignum puritatis, & caſtitatis in conceptione, quia in utero Virginis puriſſimæ clauſus: ſignum humilitatis in vita, & converſatione: ſignum charitatis in paſſione, & Cruce, &c. immortalitatis in reſurrectione: ſed aſpiciamus ipſum præcipuè in Cruce, ut ſignum charitatis, quia ibi ſagittas opprobriorum, irriſionum, ſputorum, clavorum, & lanceæ ſuſtinere voluit: In Cruce quidem ſe poſuit ſignum, ut dum ab omnibus videretur, omnes eum deprecarentur, ut nobis miſericordiam impetraret: ô quale ſignum? verè ſignum bonum, ſignum, inquam, in Cruce, ut omnia trahat ad ſeipſum, ſignum poſitum ad ſagittas blaſphemantium, ſignum ſignans, quod nullus intrabit in Cœlum, niſi per Crucem, ſignum, quaſi pugnaturus pro populis, & nos invitans ad pugnandum; ô Domine Ieſu fac mecum ſignum in bonum. *Ser.1.& 2.Dom.infr. oct. Nativit.& ſer.in Exaltat.S.Crucis.*

212. *Chriſtus in Cruce expoſitus, ut ſignum nos invitat ad meditationem Crucis, & paſſionis, ipſiuſque imitationem.*

Qui ſtat in ſignum populorum. Nota, quòd hic eſt Chriſtus, qui ſtat in ſignum populorum: ſtat in Cruce, & in Cruce ſe manifeſtat peculiari modo: ſed cur ſignum dicitur, & ad quid? ſignum ſeu vexillum nos vocans ad contemplationem ſui, & imitationem ſuæ Crucis, & paſſionis: Unde *Ierem. Thren.c.1. dicit: ô vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite, & videte, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus:* quaſi dicat: Habete Chriſtum ſemper, non retro in humeris, ſed ante præ oculis: Attendite, & videte ipſum pœnis afflictum, plagis vulneratum, videte omnibus bonis temporalibus nudum, pauperem, & abjectum; & ad ipſum confugite imitandum, & deprecandum, & in ipſo ſperate. *Ser. ſupracit.& ſer.1 in Converſ. S.Pauli.*

213. *Sepulchrum Chriſti glorioſum, quid nobis prædicat: Ubi de ſepulchro terreno infernali, & cœleſti.*

Et erit ſepulchrum ejus glorioſum. Nota, quòd ad litteram ſepulchrum Chriſti fuit, & eſt glorioſum: nam ad ipſum concurrunt fideles ex omnibus orbis terrarum partibus, ſed tamen nobis myſticè hoc ſepulchrum indicat ad quale ſepulchrum nos inhiare debeamus: Triplex enim ſepulchrum, ſcilicet materiale, ad quod poſt mortem homo deducitur: Infernale, in quo homo durè punitur: & glorioſum in Cœlo, in quo homo æternaliter lætatur: Primum ſepulchrum nobis proponitur meditandum, nempe quàm dura Domus, quàm ſtricta, quàm fœtida, quàm paupercula, quàm obſcura communis omnibus ſine exceptione perſonarum: ſecundum eſt infernale in quo ſepeliuntur parrochiani diaboli, in quo convertuntur deliciæ in tormentum, honores in opprobrium, & divitiæ in cumulum ægeſtatis: Tertium eſt ſepulchrum cœleſte, in quo ſepeliuntur parrochiani Chriſti, in quo homo tranſit à triſtitia ad lætitiam, ab ægeſtate ad copiam, à confuſione ad gloriam æternam: ô ſepulchrum beatum. quare non te quærimus? quare non te appetimus? quare pro te obtinendo bona omnia noſtra non tradimus? ô beatum ſepulchrum, in quo una gutta tuæ dulcedinis eſt major, quàm oceanus deliciarum mundi. *Ser.12. de S. Iacob. Luc.c.23.v.53. & c.16. v.22.* Nota etiam, quòd myſticè ſepulchrum, in quo reconditur Chriſtus eſt mens, & anima noſtra: hoc ſepulchrum erit glorioſum, ſi mente pura ſuſcipiamus Corpus Chriſti, ipſumque de Altari Crucis in nobis ſumimus, & veluti ſepelimus: ſed heu, quia multi ſepeliunt Chriſtum, non in horto, ſed in ſentina diaboli, & tunc non poteſt dici ſepulchrum glorioſum, ſed ignominioſum. *Ser.3. in purificat. B.Virg.*

214. *Signum Sanctæ Crucis Vexillum, ſub quo congregantur omnes prædeſtinati.*

Et levabit Dominus ſignum in nationes, & congregabit profugos Iſrael, & diſperſos Iuda colliget à quatuor plagis terræ. Notanda diligenter hæc verba, & ſignanda myſteria: Hic propheta loquitur de Chriſto, & dicit, quòd ipſe levabit ſignum, ideſt Vexillum in nationes, ſcilicet Gentiles, & ſub hoc ſigno congregabit profugos; & diſperſos ab omnibus partibus terræ: Quodnam eſt hoc ſignum tam virtuoſum? hoc ſignum eſt ſancta Crux, quæ, & ejus virtus per totum orbem portata fuit ab Apoſtolis, & fuit, & eſt tantæ virtutis, quòd congregat omnes milites Chriſti ſub ſe, eoſque armat, & munit contra arma, ictus & ſagittas vitiorum, & diaboli, profugos per devia vitiorum, à quatuor plagis, convocet de plaga orientali pueritiæ, ab auſtrali juventutis, ab occidentali ſenectutis, ab aquilonari habituatos in peccato: convocat, inquam, omnes ad Chriſtum venientes, ut ſoli ipſi ſerviant, & eos omnes perducat ad Regnum Cœlorum. *Ser.3. Dom. 4. poſt oct. Epiph.*

215. *Chriſtus poſt ſui nativitatem triplex ſignum principale oſtendit ſuæ magnificentiæ in die Epiphania.*

Levabit Dominus ſignum in nationes, & congregabit profugos Iſraël, &c. Nota, quòd hæc prophetia maximè verificata eſt in die Epiphaniæ, in qua triplex ſignum oſtendit exteriùs ſuæ magnificentiæ, quorum primum fuit ſtella, quæ Magis apparuit, eoſque attraxit, ad cognoſcendum, adorandumque parvulum Ieſum, ipſique ſerviendum: ſecundum fuit in tranſmutatione aquæ in vinum in nuptiis, & tertium fuit in gratuita ſanctificatione aquæ regenerantis: per quæ ſigna congregavit profugos in viam bonam, & attraxit homines à quatuor plagis, ſcilicet inordinatis affectionibus, nempe à tumore vanitatis, & ſuperbiæ ad timorem humilitatis reverentialis, à fœtore carnalitatis, & immunditiæ ad nitorem ſanctitatis, & pudicitiæ, ab ardore avaritiæ ad amorem paupertatis, à furore impietatis, & invidiæ ad dulcorem charitatis, & benevolentiæ, & hoc indicatur in primo ſigno: In ſecundo ſignificatur converſio litteralis intelligentiæ legis divinæ in uſum ſpiritualis intelligentiæ, quam attulit Chriſtus Eccleſiæ: In tertio liberationem per baptiſmum à percuſſione mortis æternæ, in quo conſignatur baptizatus ſigno Crucis. *Ser.1. Dom.2. poſt oct. Epiph.*

216. *Crux eſt ſignum nos ſpecialiſſimo modo ducens in cognitionem Crucifixi: Ubi de adoratione Crucis.*

Levabit Dominus ſignum in nationes, &c. Si hoc ſignum eſt Crux, cur dicitur ſignum? ſignum eſt illud, quòd in alterius rei notitiam evehit? quid nos facit cognoſcere? ſed attende qua ratione hic titulus ſpeciali modo competat Cruci: eſt namque ſignum nos ducens ſpeciali modo in cognitionem Crucifixi, ipſumque repræſentat ut perfecta imago, ideo, ut tale ſignum, & imago adoranda eſt adoratione latriæ, in qua adoratione eſt advertendum, quòd poteſt conſiderari Crux ratione materiæ, & ratione formæ: ratione materiæ, illud lignum, in quo confixus fuit Chriſtus, ratione contactus, exigit adorationem latriæ, & iterum ſi erit in formam Crucis, ut imago itidem adoranda: ſi vero Crux ex alia materia conſtat, tunc habet rationem tantùm imaginis, & ſigni, & ſic itidem adoratione latriæ ordinatæ ad Crucifixum ſignatum adoratur: ſi verò per ſe conſideratur non ut imago, ſic ei debetur non adoratio formalis, ſed ſpecialis veneratio; ſic etiam Sacramentis dempta Euchariſtia talis reverentia exhibetur, quia ſunt veluti inſtrumenta gratiæ, & hoc eſt, quod prophetavit Iſaias, dicens, *levabit Dominus ſignum*, ſcilicet Crucem in nationes, nempe ad tantam nobilitatem apud omnes nationes. *l.3.d.9.q.4.& d.39.a.2.q.2.& ſerm.2. Invent.S.Crucis.*

217. *Crux Chriſti cum Chriſto portanda, & honoranda & ubique imprimenda.*

Et levabit Dominus ſignum in nationes: Quid eſt nationes? id eſt exponet ſuam Crucem portandam à nationibus: dicit enim Chriſtus, & qui non bajulat crucem ſuam, & venit poſt me, non eſt me dignus, nec poteſt meus eſſe diſcipulus: ſicut enim Chriſtus in Crucis bajulatione conſummavit ſuum opus, ſic in bajulatione Crucis conſiſtit conſummatio diſcipulatus, quia in Cruce eſt ſumma humilitas, ſumma paupertas, & ſumma auſteritas: prima reſidet in corde, ſecunda in paſſione, & tertia in carne: Ad hanc crucem nos invitat Chriſtus, qui primus eam portavit, ut ſignum, & vexillum regale: nullus ergo verecundetur Crucem, circumferamus eam, ut coronam, omnia enim, quæ ſecundum nos fiunt per Crucem perficiuntur, ſcilicet regeneratio, & conſecratio: propter hoc in domo, in cameris, in viis, in frontibus; & in mente eam ſcribimus tanquam ſignum Dei vivi; eſt enim mirabilis virtutis contra dæmones, & utilis pro animabus noſtris. *Luc. cap. 14. verſ. 27. & infra cit.*

218. *Signi Crucis efficacia expenditur.*

Et levabit ſignum in nationes, & congregabit profugos, &c. Vide effectus ſigni Crucis, quæ hic innuuntur: ſigno enim Crucis ſanctiſſimam Trinitatem invocamus, crucifixum Chriſtum pariter adoramus, & invocamus, & ipſe hoc ſignum levavit in nationes, ad hoc ut eſſet primò ſignum, non nudum, ſed ſuæ carnis, & paſſionis valori unitum, & quo congregaret, & revocaret ad ſe profugos: ſecundò ut eſſet ſignum, quo ſuis conferret gratiam: Tertiò, ut eſſet ſignum roborativum noſtræ impotentiæ in pugna: Quartò ut eſſet ſignum ambulantibus, & proficientibus directivum; Quintò ut eſſet ſignum miſericordiæ promiſſivum: Sextò ut eſſet ab hoſtibus, & dæmonibus defenſivum, quia hoc ſigno terrentur mirabiliter dæmones, fugantur hoſtes, nec appropinquare audent dæmones, ut feliciter expertus eſt quidam Judæus, qui quadam nocte, dum eſſet in Templo Idolorum, & videns dæmones, timens ſe munivit ſigno Crucis, unde dicebant, ecce vas vacuum, ſed ſignatum, ſicque liber evaſit: Septimò eſt ſignum perductivum pervenientibus ad gloriam; & in ipſa gloria ornativum, & ideo munitur anima hoc ſigno Crucis in exitu ab hac vita. *Ser. de exaltat. S. Crucis.* Et hinc aliqui Doctores dicunt, quòd in cælo Crux lucidiſſima facta conſervabitur.

219. *Crucis ſigno congregat Chriſtus profugos: diabolus è contra ſuis ſignis diſpergit: Ubi de ſuceris Congregationibus.*

Levabit ſignum in nationes, & congregabit profugos Iſraël, & diſperſos Iuda colliget à quatuor plagis terræ. Nota, quòd inter effectus mirabiles Crucis, hic eſt notabilis, ſcilicet congregare fideles in unum jam profugos, & diſperſos: Unde Crux eſt ſignum, quo diſcernuntur filii Chriſti à filiis diaboli: & hinc patet, unde ortæ ſunt tot Congregationes in Eccleſia, nempe ex expoſitione hujus ſigni crucifixi, & ideo omnes filii Crucis poſſunt appellari: & quia Crucem Chriſti comitantur humilitas cordis, auſteritas carnis, & paupertas ſpiritus; hinc patet qualia debeant eſſe exercitia in iſtis Congregationibus. E contra diabolus congregatos diſpergit, ſeminando iras, zizania, & contentiones. *Luc. c. 11. v. 23. & c. 14. v. 27. ſerm. 1. de Dedicatione:* Addit; quod à quatuor plagis terræ congregabit, de quibus vide ſuprà *n. 213. & 214.*

220. *Chriſti ſequaces non ambulare, ſed volare debent: Ubi de munere Prælatorum.*

Et volabunt in humeros Philiſtinorum per mare, & ſimul prædabuntur filios orientis. Nota quòd hic loquitur de ſequacibus crucifixi Jeſu, & dicit, quòd ipſi non ambulabunt, ſed volabunt; ſed quomodo volabunt? Volabunt ditati quatuor pennis, volabunt per contemplationem penna dilectionis, quia amore, & charitate ad altum ſuperfertur anima abſque labore, & fatigatione penna cognitionis per fidei adjutorium; penna devotionis, & penna orationis, & hac præcipuè orando pro ſe, & pro aliis ſuperferuntur humeris Philiſtinorum, & ſæcularium, & infidelium & prædantur omnia, quia omnia cooperantur iis in bonum, ſcilicet fortitudo illorum. Nota etiam, quòd loquitur de Prædicatoribus, qui ut nubes volant ubique ad converſionem animarum, & ſuper humeros illorum, non ad aures, ſcilicet, non ut eis placeant, ſed ut eos convertant ad Chriſtum, & prædam animarum reportent Chriſto. *Ser. de SS. Sim. & Iuda, & Ugo hic.*

221. *Pœnitens ut totus mundetur, ſeptiès lavet ſe in Iordane.*

Levabit manum ſuam ſuper fluvium in fortitudine ſpiritus ſui, & percutiet eum in ſeptem rivis, ita ut calceati tranſeant per eum. Quid eſt levare manum ſuam ſuper fluvium? Nota, quòd alluſio fit ad id, quòd fecit Naaman lavando ſe ſepties in Jordane, per quod totus mundatus eſt, & tali pacto docet, quòd Deus levans manum ſuæ miſericordiæ ſuper fluvium Iordanis, quòd interpretatur Rivus Judicii, ſcilicet excitans pœnitentem ad conſiderationem Judicii divini, etiam excitetur ad perfectam pœnitentiam, quæ eſt ſeptem dierum, nempe ſuper ſeptem vitia capitalia; quæ omnia debet deteſtari, ſi vult totus homo ſanari: nam Chriſtus non partem, ſed totum hominem ſanum fecit: & ſi homo dimittat unam partem, vel unicum peccatum non ablutum, nullam recipit ſanitatem, ſi verò de omnibus peccatis egerit pœnitentiam, ſecurus ſine impedimento pertranſiet ad ſequelam Chriſti. *Ser. 3. Dom. 1. poſt oct. Epiph.*

CAP. XII.

222. *Confeſſio alia eſt laudis, alia peccati, & qualiter utraque facienda.*

ET dices in illa die, ſcilicet poſt Chriſti adventum, & redemptionem confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi, converſus eſt furor tuus, & conſolatus es me. Nota, quòd duplex eſt confeſſio, alia peccatorum, alia laudis Dei: hic eſt ſermo de hac ſecunda, invitaturque anima ad Deum laudandum pro tribulationibus à Deo immiſſis; unde dicit: quoniam iratus es mihi, & pro bonis temporalibus, & ſpiritualibus à Deo receptis. *Pſal. 7. & 99.*

223. *Chriſtus ſalvator perfectiſſimus.*

Ecce Deus ſalvator meus, fiducialiter agam, & non timebo. O quàm verè appellat Chriſtum ſalvatorem abſolutè, quia eſt perfectiſſimus: ſalvator nempe liberalis, qui ſolvat nos gratanter: ſalvator deſiderabilis, ſalvans ſuaviter ſine doloris inflictione: ſalvator ſapiens, ſalvans ſine ſimulatione: ſalvator virtuoſus, ſalvans ſine defectione: & ideo quia ſalvator, agam fiducialiter, & non timebo, ſed ei ſerviam toto corde. *Ioan. collat. 84.*

224. *Chriſti vulnera ſunt fontes ſalutares, aquas gratiarum immittentes.*

Haurietis aquas cum gaudio de fontibus ſalvatoris &c. Quas aquas? Qui fontes? fontes iſti ſunt quinque vulnera ſalvatoris, quæ ſemper aperta à Chriſto conſervantur ad immittendas aquas gratiarum: qui igitur gratiam lachrymarum devotionis, & gratiarum recipere, & haurire deſiderat, ad ipſos fontes accedat, in ipſos intret per devotam meditationem, & recordationem ſuæ paſſionis, & ſic fæcundabitur, & irrigabitur tota terra animæ. *Op. de perfect. vitæ c.6. Op. lignum vitæ. Ieſu tranſlanceatus.*

225. *Idem de Vulneribus ſalvatoris proſequitur.*

Haurietis aquas in gaudio de fontibus ſalvatoris. Quid eſt in gaudio? ſcilicet pleno gaudio, & beatitudine haurietis aquas de fontibus ſalvatoris: Et nota, quod ſicut in medio Paradiſi erat fons, qui in quatuor flumina dividebatur, ſic in medio Paradiſi Chriſti eſt fons lateris, qui in quatuor vulnera dividitur, ex quibus aquæ ſalutares exeunt, ſcilicet à fonte miſericordiæ exit aqua remiſſionis ad lavandas culpas: de fonte ſapientiæ aqua claritatis ad extinguendam ſitim præteritam: de fonte gratiæ aqua devotionis ad irrigandas bonorum operum plantas; de fonte charitatis aquæ ferventes, & æmulationis emanant ad excoquendos cibos, & de hac multiplici aqua dicit Chriſtus: qui biberit ex aqua, quam dedero ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. *Pſal. 141. Ioan. collat. 21. ſer. 2. de S. Cathar.*

226. *Ex meditatione Vulnerum paſſionis derivant aquæ omnium virtutum, donorum, & beatitudinum.*

Haurietis aquas in gaudio de fontibus ſalvatoris. Quas aquas? & quomodò de fontibus, & Vulneribus ſalvatoris? Nota illam præpoſitionem (de) quæ poteſt ſumi materialiter, ut de ferro fit gladius: Item originaliter, ut de ſole radius: Item ordinaliter, ut de mane fit meridies: Item ſubſtantialiter, ut de Patre filius: ſic S. Bonavent. *l.1.d.5.a.1.q.2.* De fontibus igitur ſalvatoris haurietis aquas, quæ ibi reſident veluti in ſeminario ſubſtantiali, & in fonte, aquæ autem iſtæ ſunt virtutes, quæ relucent in ipſius vulneribus: relucet enim fides, quia nobis oſtendit Chriſtum Deum, & hominem, & ob id omnia myſteria fidei: ſpes item, quia erigit nos ad ſpem in eum, qui ſeipſum donavit totum: & multò magis charitas, ſicut & exemplum perfectiſſimæ prudentiæ, fortitudinis, temperantiæ, & juſtitiæ: Item dona Spiritus Sancti, nempe ſapientia per elevationem ad contemplationem, & admirationem tantæ benignitatis in nos: Intellectus donum per recognitionem nobilitatis animæ noſtræ, pro qua tantùm laboravit, & paſſus eſt: Donum conſilii, dum videns anima Chriſtum ad tantam miſeriam redactum pro nobis, conſulit ipſius imitationem: Donum etiam fortitudinis oſtenſæ à Chriſto in illa beatiſſima paſſione cordi noſtro ingeritur ad exercendam hanc virtutem in adverſis pro Chriſto tolerandis: Donum item ſcientiæ ex his fontibus exhauritur, dum anima videt tot figuras expoſitas in Sacra ſcriptura repræſentantes ejus paſſionem: Donum item pietatis exercendæ in proximum ad imitationem Crucifixi: Donum item timoris Dei, dum videns anima, Chriſtum tot ſuſtinuiſſe pro peccatis noſtris, excitat ſe ad odium, & deteſtationem, & fugam peccati: Item & beatitudines ex his fontibus exhauriuntur, nempe ſumma paupertas, mititas, luctus, & reliquæ à Chriſto enumeratæ: fructus itidem duodecim Spiritus ſancti, nempè charitas, gaudium, pax, longanimitas, patientia, bonitas, benignitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, & caſtitas: Duodecim item Articuli fidei, figurati in duodecim fontibus, ad quos in *Exod. c.15.* recurrerunt filii Iſraël: Ecce igitur quales aquæ ex his fontibus ſalvatoris exhauriri poſſunt ab anima intrante in hæc vulnera, &c. *op. ſtim. divin. amor. p.1.c.6. ſeq. ad 9. ſer. 4. Dom. Palm.* Intra ergo ô anima in hæc beatiſſima vulnera, & mentem tuam elevabunt, & quid agendum, quid meditandum, quidque ſciendum, & ſentiendum ſit indicabunt, te ad ardua inflammabunt, te facient vilificari, & contemni, & affligi facient, & affectus tuos tam in cogitatione, quàm in locutione, & operatione regulabunt. *Op. ſtim. p.1.c.1.*

227. *Chriſti artes, & adinventiones ad noſtram ſalutem expenduntur.*

Notas facite in populis adinventiones ejus. Nota quòd hoc dicitur, & præcipitur Prædicatoribus, nempe, ut notificent populis artes, & adinventiones à Chriſto adinventas, ut hominem ſalvaret: nam ſumendo carnem, ſe fecit hominem viam, veritatem, vitam, medicum, ducem, magiſtrum noſtrum, nec ullam artem reliquit, quia ſalutem hominum procurare poſſet: ſed præcipuè notanda eſt ars, qua diabolum, qui captivaverat hominem caperet: abſcondens enim Divinitatem ſub hamo humanitatis, cepit dæmonem, & ligavit, auferens ei poteſtatem ſuper genus humanum. *Ser. in Nativit. ſer. 5. Dom. 22. Pentec. Ioan. collat. 60. & 76. ſer. 3. Dom 4. Pent.* Luc. *c. 5. v. 31. ſerm. 4. Dom. 16. Pent. Pſal. 118. c. 9. v. 4.*

228. *Chriſtus ſua paſſione meruit clarificationem, & exaltationem ſui nominis Ieſus, ut nos invitaret ad exaltationem ejuſdem nominis.*

Confitemini Domino, & invocate nomen ejus, &c. Notas facite in populis, &c. mementote, quoniam excelſum eſt nomen ejus. Nota, quòd Propheta poſtquam invitaverat homines ad confugiendum ad Chriſtum crucifixum & ad intrandum in ejus Vulnera, excitat nos ad confeſſionem laudis tanti mediatoris: Confitemini Domino: & ut appareat in qua materia principaliter debeat eſſe iſta laus, ſubdit: & invocate nomen ejus, mementote quoniam nomen ejus eſt excelſum. Quodnam eſt hoc nomen, niſi nomen Jeſus? hoc eſt nomen ſuper omne nomen, nomen excelſum, nempe, quia datum eſt illi hoc nomen, propter exaltationem ſuam, & utilitatem noſtram: nam in ipſo, & per ipſum, cognoſcitur, quòd ipſe eſt Filius Dei, & ſimul homo Redemptor, & Salvator noſter. *L. 3. d. 18. dub. 2.* Hoc enim nomen continet omnia alia nomina eminenter, quæ in Sacra ſcriptura Chriſto data fuere, per ipſum patet ejus Divinitas, & humanitas, per ipſumque gloria & omnes ejus perfectiones ſunt manifeſtatæ.

229. *Ad ſimilitudinem Eccleſiæ Triumphantis exercetur militans in laudibus Dei.*

Exulta & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui ſanctus Iſraël. Vide quomodò habitatores Sion invitantur ad exultandum in Domino, & ad ipſum laudandum: ſed quinam ſunt, qui habitant in Sion? hi ſunt præcipuè habitatores cæleſtis ſion: Sion enim interpretatur ſpecula, & illi habitatores felices continuè ſpeculantur in Dei viſione, & laude, & per hoc continuè exultant, & exultando, Deum laudant, & Deo perpetuas gratias agunt, ſimulque invitatur Eccleſia militans, quæ itidem eſt miſtica Sion, ad exultandum in Deo, & ad ipſum continuè laudandum, ut videas, quòd laus, quæ continuè fit in Eccleſia militante eſt continua imitatio Eccleſiæ Triumphantis. *Ser. 1. de omnib. ſanct. Luc. c. 1. v. 44.*

CAP. XIII.

230. *Flagella à Deo Babiloniis immiſſa figura ſunt pœnarum damnatorum.*

ONUS *Babilonis, quod vidit Iſaias, &c. Vlulate, quia prope eſt dies Domini quaſi vaſtitas à Domino veniet.* Ad litteram vult dicere, veſtra deſolatio imminens eſt ô Babylonii: Myſticè imminet vobis peccatoribus ruina à Domino, & æterna damnatio in Inferno, & ad iſtas pœnas Inferni ſignificandas ſubdit, propter hoc omnes diſſolventur, ſcilicet præ pavore: Torſiones, ideſt conſcientiæ remorſio, & dolores, ſcilicet corporis tenebunt, & quaſi parturientes dolebunt: Unuſquiſque ad proximum ſuum pavebit, quia ibi ſocietas, & amicitia augebit pœnam, & miſeriam: facies combuſtæ vultus eorum ſcilicet igne Inferni, quem ſibi ſuccendent malè viventes: nam tam ignominioſum erit corpus peccatoris, quòd anima ipſum reſumens ſtupebit, quando tam terribile illud videbit, & potius vellet habere tale, ſicut fuit quando dimidium comeſtum fuit à vermibus: Ex quibus, & aliis pœnis, quas infrà Propheta enumerat, patet, quod inter alias pœnas, ſocietas corporis, & animæ damnatorum, & ſocietas pariter aliorum vel amicorum, vel inimicorum, vel exteriorum, nullum ſolatium præbebit, imò majus tormentum, & pœnam, & miſeriam dabit. *Op. Comp. Theol. l. 7. c. 22. & ſerm. 3. Dom. 3. poſt oct. Epiph.*

231. *Signum patens iræ Dei, & ruinæ imminentis ſuper populum, quando Prælati, & magis conſpicui deficiunt, & malè vivunt.*

Ecce dies Domini venit crudelis, & indignationis plenus, & iræ, furoriſque ad ponendam terram in ſolitudinem, & peccatores ejus conterendos de ea. Nota hîc, quòd Propheta minatur imminentem, & formidabilem pœnam iræ Dei ſuper terram: Et ut ſciatur unde, & quomodo ſit ſuperventura, ſubdit, quoniam ſtellæ cœli, & ſplendor earum non expandent lumen ſuum: ſed quando & quomodo hæc erunt? Reſpondetur, quod per ſtellas intelliguntur Prælati, Judices, & conſpicui ſuper populos, & dat intelligere quando iſtis ſtellis deficiet lumen ſcientiæ, & exemplaris vitæ, quando in peccata publica prorumpent, quando in ſcandala publica ſe præcipitabunt, tunc ſignum eſt patens imminentis ruinæ ſuper illa loca, & quod Deus in ipſa maximè iratus eſt furore vehementi. *Op. Eccleſ. Hier. p. 4. c. 3. Ecclen. c. 2.*

232. *Verbi incarnatio quàm pretioſa, & proficua.*

Pretioſior erit vir auro, & homo mundo obrizo. Ad litteram dat intelligere, quòd poſt deſtructionem Babilonis, ob raritatem, & paucitatem eorum, qui ex clade remanſerant inimicorum,

Digitized by Google

vir, & homo erat pretioſior auro. Myſticè dat intelligere primò ſtatum miſerabilem, in quo homo ante Incarnationem Verbi jacebat, ipſe enim peccaverat, tenebaturque ipſe per ſe ſolvere; & cum pretium in ſolis Dei theſauris inveniretur, hinc miſerabiliter ſemper vixit, donec Verbum unitum humanitati attulit aurum, & pretium, per quod homo ad ſummam dignitatem evectus eſt, & propinquus Deo factus eſt pretioſior omni auro, & pretio *Op.collat.8.& collat.1.*

233. *Anima in peccato mortali exiſtens domus eſt, & habitatio Diaboli.*

Requieſcent ibi beſtiæ, & replebuntur Domus eorum Draconibus, habitabunt ibi ſtruthiones, & piloſi ſaltabunt ibi, & reſpondebunt ibi ululæ, & ſirenes &c. Ad litteram loquitur de regione Baboniorum, quæ poſt deſtructionem comminatam à Propheta, & quæ accidit tempore Regis Babilonis, qui vidit digitos ſcribentes in pariete, facta eſt deſerta, ita ut loco hominum habitaretur à feris, ſerpentibus, & aliis animalibus horribilibus. Myſticè dat intelligere ſtatum miſerabilem animæ babilonicæ, nempe exiſtentis in peccato mortali, maximè conſuetudinarii, nam loco Dei, & Angelorum, à quibus inhabitatur anima gratia Dei ornata, adveniunt Dæmones in ea habitantes, & omnem ſævitiam in eam exercentes: ô quàm terribilis, & deplorabilis miſeria. *Luc. c.11.v.26.*

CAP. XIV.

234 *Tempus Dei eſt tempus miſericordiæ in nos.*

PROPE *Eſt, ut veniat tempus ejus. & dies ejus non elongabuntur: miſerebitur enim Dominus Iacob.* Quodnam eſt hoc tempus Dei? eſt ne ipſe ſubjectus menſuræ temporis? nonne ſuperior eſt omni tempori? ſed audi Pſalmiſtam dicentem Deo. *Pſal.*118. Tempus faciendi Domine, tempus ſcilicet miſerendi, hoc enim eſt tempus Dei, quia ipſius eſt proprium miſereri potius, quàm punire, nam in miſerendo ſeipſum totum exhibet, & ſolius benignitatis ſuæ opus eſt: Juſtitia verò exigit noſtram iniquitatem: Unde meritò Iſaias poſtquam enuntiavit hoc tempus adventus Dei, ſubdit miſerebitur enim Deus &c. *Ser. 2. Dom.2. adv.l.1. d.7.dub.1.ſap.c.11.*

235. *Tempus Incarnationis Dominicæ tempus fuit oſtendendi mirabilia Attributa Dei.*

Prope eſt, ut veniat tempus ejus, & dies ejus non elongabuntur, miſerebitur enim Deus Iacob &c. Nota, quòd ad litteram hîc loquitur de liberatione Hebræorum à captivitate babilonica: myſticè alludit ad Incarnationem futuram in tempore Dei: ſed quodnam eſt iſtud tempus Dei? Tempus Incarnationis eſt, & dicitur tempus Dei, quia per ipſam maximè elucet ſua præſentia, qua triumphavit de peccato, de morte & de diabolo: ſua item ſapientia, qua annuntiavit omnibus evangelicam doctrinam, & præmium bonis, & pœnam malis: Tempus item miſericordiæ, quæ in hoc maximè reſplendet, quòd venit propter peccatores, & ut miſereretur Iacob, ſcilicet ſupplantatoris vitiorum per pœnitentiam: Tempus item juſtitiæ, nempe ſatisfaciendi Deo Patri pro offenſis ab homine illatis. *Ser.2.Dom.2.Adv.*

236. *Miſericordiam ſuam efficacem ſolùm Jacob confert Deus.*

Miſerebitur enim Deus Iacob. Ergo ſolùm Iacob? maximè: Iacob interpretatur ſupplantator, & ſignificat ſupplantantem vitia per pœnitentiam: igitur ſolùm talibus confertur miſericordia Dei efficax, cæteris verò nolentibus exire de peccato, nequaquam. *Ser.2.Dom.2.Adv.*

237. *Dei pietate venatores diaboli facti ſunt præda, & prædatores Chriſti.*

Et eliget adhuc de Iſraël &c. & adjungetur adhuc &c. & erunt capientes eos, qui ſe ceperant. & ſubjicient exactores ſuos &c. Nota, quòd ad litteram prophetat Iſaias reditum Iſraëlitarum in Hieruſalem & converſionem multorum Gentilium, qui prius ſubjugaverant Iudæos: Myſticè prædicit vocationem Apoſtolorum, & prædicationem, qua & Judæos plurimos, & Gentiles converterunt ad ſervitutem, & jugum Chriſti ſumendum: Notandum autem, quòd dicit, & erunt capientes eos, qui ſe ceperant, nam fide inſtructi media prædicatione, ſuos deceptores ceperunt Chriſto, quòd ſæpe avenit ex miſericordia Dei, nempe converſi ad Dominum, ſocios, à quibus olim decepti, & tracti fuerant ad peccatum, ad Deum trahunt verbo, & exemplo, quod continua experientia videtur. *Ser.3.Dom.4. Pent.*

238. *Tentatori, & tentationi viriliter reſiſtens ex Dei gratia, triumphum de ipſis plenum reportat.*

Et erunt capientes eos, qui ſe ceperant. &c. Nota, hoc dici etiam de iis, qui viriliter reſiſtunt tentationibus, & tentatori, quia ea Dei miſericordia merentur reportare triumphum perfectum ſuper illam tentationem, & tentatorem: v.g. ſi quis graviter tentatur blaſphemiâ, vel contra fidem, vel carnalitatem: ſi viriliter reſiſtit pro Chriſto, ſæpe dominium grande ſumit ſuper iſtas conſimiles tentationes, & ſuper diabolum & meretur illuminari, & in amore Dei ardentius inflammari: ſic evenit ſancto Benedicto, qui tam viriliter vicit carnis tentationem, quòd nunquam amplius tales motus ſenſerit: ſic & de Seraphico Patre noſtro ſancto Franciſco: ſic & de D.Thoma Aquinate: Nota etiam, quòd ſubdit, ad gloriam pœnitentium: quomodo ceſſavit exactor, quievit tributum, dans per hoc intelligere, quod qui per pœnitentiam triumphat de diabolo, ab ipſo peſſimo exactore liberatur, & eripitur à tributo. *Ser.1.de S.Marco.*

239. *Damnatorum livor, invidia, odium, ſinderesis, & vermes, aliæque pœnæ horribiles expenduntur.*

Infernus ſubtus conturbatus eſt in occurſum adventus tui, ſuſcitabit tibi Gigantes, omnes Principes terræ ſurrexerunt de ſoliis ſuis, &c. Nota quòd ad litteram loquitur Propheta de miſeriis, in quas redactus eſt Nabuchodonoſor, & affert cõmotionem omnium populorum, & lætitiam, quam habuerunt Principes ſui æmuli ab ipſo diſſipati, de ruina, & excidio ejuſdem Regis Babylonis: Myſticè loquitur de commotione pœnali damnatorum, quam percipient, tum de aliorum beatificatione, tum de malorum damnatione: & ſubdit, detracta eſt ad Inferos ſuperbia tua, concidit cadaver tuum, ſubter te ſternetur tinea, & veſtimentum tuum erunt vermes: Ingerit occaſionem Theologis diſputandi, An in Inferno damnati velient omnes eſſe damnatos: An pœniteant præteritorum malorum, quæ fuerunt cauſa tot pœnarum: An odium, invidiam: &c. ad alios habeant: An in inferno ſint vermes, &c. Quibus omnibus reſpondetur, quòd maximo odio feruntur in Deum, & in Beatos, & in damnatos, eoſque vellent omnes miſeros (loquendo in communi) nam poſſunt amore naturali ducti nolle damnationem alicujus particularis, ut fratris, ut legitur de divite damnato: Item accenſi ſunt omnibus paſſionibus, quæ pœnales ſunt, ut ita, odio, livore, invidia, blaſphemia, & cæteris: habent item vermem rodentem, non ob deteſtationem culpæ propter ſe, ſed in ordine ad pœnam, ob idque perpetuum remorſum ipſos torquentem perpetuo ſine intermiſſione: ô liberet nos Deus benedictus per ſuam miſericordiam ab his miſeriis. *V. l.4.d.50. p.1.& 2.per totam.*

240. *Parochiani diaboli ſepeliuntur in ſepultura Inferni: Parochiani Chriſti in Cœlo.*

Detracta ad Inferos ſuperbia tua, concidet cadaver tuum, ſubter te ſternetur tinea, &c. Quomodo dicit, quòd hujus peſſimi hominis ad Inferos tracta eſt ſuperbia ejus, & non potius anima? & iterum quomodo dicit cadaver dejectum in Inferno? ergone cadavera ante judicium univerſale ſepeliuntur in Inferno, & non potius in terra? Sed hic modus eſt loquendi Sacræ Scripturæ, ponens pro effectu cauſam, nempe propter ſuperbiam detractam animam ad Infernum: Addit & cadaver tuum, utiturque hoc modo loquendi, ut ſignificet, quòd ſicut in hoc mundo cujuſque cadaver ſepelitur in propria Parochia, ſic Parochiani diaboli ſepeliuntur in ſepultura Inferni, ſicuti è contra Parochiani Chriſti ſepeliuntur elevati in Cœlum. *Luc. cap. 16. verſ. 22. & lib. 4. d.64. dub.1.*

241. *Quò quis ſe magis exaltat, eò magis, & profundius dejicietur ad Inferos: & quo magis quis ſe humiliat, exaltabitur altius: Ubi de humilitate Beatæ Mariæ Virginis.*

Detracta eſt ad Inferos ſuperbia tua. Nota illud verbum, *ſuperbia tua*, id eſt exaltatio tua, qui dicebas in corde tuo, ſuper Cœlum aſcendam, verumtamen in Infernum detraheris, in profundum laci: ſic enim ruit ſuperbus omnis, quia non eſt datum ſummis diu ſtare, ſed cadunt graviùs, qui ſedent ſublimiùs: fortiùs enim cadit ædificium altum, quàm planum: & ideo, quia Lucifer fuit omnium ſuperbiſſimus, ideo ad locum infimum eſt dejectus: & è contra, quia Maria Virgo omnium humillima fuit, ideo ſuper omnes creaturas eſt exaltata, ergo dum ſuggeſtiones diaboli ſentimus, ejus caſum attendamus; quia ſecundum menſuram exaltationis, erit menſura caſus. *Ser.1.de S.Thoma.Luc.c.4.v.5.& c.16. v.22. ſerm.3. Dom.10. Pentec. Luc.c.10. v.18. & c.14.v.11.& c.20.v.43.Ioan. c.8. verſ.44. ſer.4. in Aſcenſ. Dom.*

242. *Diabolus voluit aſcendere in ſummum Cœlum: Chriſtus à ſummo Cœlo deſcendit in terram.*

In Cœlum aſcendam, &c. In quodnam Cœlum? In Cœlum ſummum, nempe Sanctiſſimæ Trinitatis ad ipſius æqualitatem: Vide igitur quomodo volens aſcendere ad ſummum, dejectus eſt in profundum: Chriſtus è contra à ſummo Cœlo deſcendit in carnem, ideo ſuper omnes Cœlos exaltatus eſt, quia qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur. *Ser.2.& 3. Dom.3. Adv. ſer.1.in die Nativit.*

243. *Væ iis, qui à latere ſiniſtro ſedent: felices qui à latere dextro.*

Sedete in monte Teſtamenti in lateribus Aquilonis. Quid eſt in lateribus Aquilonis, niſi in latere ſiniſtro Cœli? ſignificatque affectum carnalem, in quo diabolus ſedet; & ideo væ iis, qui ſedent in hac parte ſiniſtra: feliceſque è contra, qui ad partem dexteram ſedent, ſcilicet in affectu ſpirituali, & amore Dei ſe exercent. *Ser.3.Dom.3. Adv.l.2.d.5.a.1.q.1.& 2.*

244. *Diabolus poteſtatem habet ſuper malos, & peſſimos.*

Sedebo in monte Teſtamenti in lateribus Aquilonis. Quid eſt in lateribus Aquilonis? Nota, quòd per Aquilonem ſignificantur mali, & præſciti, per ſedem poteſtas in ipſos: ſic ergo dixit diabolus quaſi præſcius, quod ſe rebellans à Deo, præeſſe debebat ſuper malos, qui voluntariè ſe ſubjiciunt ipſi, ergo ipſe eſt caput, & princeps malorum. *l.2.d.4.a.2.q.2.*

245. *Prima ſilentii interruptio fuit ruina Angelorum. In Cœlum aſcendam, &c.* Vide quomodò dum cæteri Angeli ſilebant à malo, Lucifer interrupit hoc ſilentium, alioſque multos traxit, & ſic in præcipitium ruit. *Pſal.38.*

246. *Cantus*

246. *Cantus luciferi, & malorum incipit ab alto: Cantus Chriſti, & ſequacium ab imo.*

In Cœlum aſcendam,&c. Similis ero Altiſſimo. Nota, quòd hæc fuit primò antiphona cantata à Lucifero in mundo,ſed quia ab alto incœpit,ideo termina fuit ad profundum:unde prima vox fuit elationis, ſecunda ſuggeſtionis, tertia deſperationis: hunc cantum voluit imitari Adam, ideo cecidit: ſic & omnes imitatores, ejus: Chriſtus è contra ab imo incœpit, ſic & ſequaces Chriſti cantant ab imo per charitatem proximi, & poſtea elevantur ad contemplationem Cœli *Pſal.* 149.

247. *Prælaturam ambiens, vel rapiens, à Deo punitur cum Lucifero.*

In Cœlum conſcendam,ſimilis ero Altiſſimo,ſedebo in monte teſtamenti. Quid eſt ſedebo in monte teſtamenti? ſcilicet in Eccleſia,ergo ambivit Prælaturam,vel in alios Angelos,vel in homines, & quia rapere voluit, quòd non habebat, ideo dejectus eſt. *Op.Comp.Theold.2.c.28.& l.1.c.33.*

248. *Cur legitur Evangelium in miſſa à parte Aquilonis.*

In Cœlum conſcendam in lateribus Aquilonis. Ergo pars Aquilonis eſt locus diaboli:& ſi hoc, cur ex hac parte in miſſa legitur Evangelium:Sed attende myſterium: Evangelium interpretatur bonus nuncius, vel bonum nuncium, quia nunciat Filium miſſum à Patre, & dicentem, Venite benedicti &c.Legitur autem Evangelium contra Aquilonem, ut deſignetur, quòd Chriſtus Ieſus venit debellare Luciferum, & omnes aëreas Poteſtates,ideo ibi legitur Evangelium, ut diabolus fugiat,& Spiritus Sanctus veniat. *Op.Expoſ. miſſ. cap.2.*

249. *Peccator antequam detrudatur in Infernum ultimatum,prius in Infernum culpæ detrahitur.*

*Veruntamen ad Infernum detraheris, in profundum laci.*Cur dupliciter differenti vocabulo nominat Infernum, ſcilicet nomine Inferni & laci? Ut videas, quòd priuſquam eſſet præcipitatus Lucifer ad profundum laci,detractus eſt in Infernum,dum adhuc erat in Paradiſo, ſcilicet in Infernum culpæ, poſtea miſeriæ æternæ:Ergo peccator ante mortem præcipitat ſe in Infernum, nempe in peccatum mortale, quòd eſt verè horribilior Infernus, quàm ipſe Infernus damnatorum. *Ser.19 Hexam.*

250. *Chriſtus ſuos extrahit de carcere, & in libertatem facit tranſire: diabolus è contra,vinctos in carcere tenet.*

Vinctis ejus non aperuit carcerem. Nota quòd hic eſt mos diaboli, ſuos enim tenet vinctos, & ligatos in carcere, & in captivitate miſerrima: Chriſtus è contra venit captivis dare remiſſionem,& clauſis apertionem,atque libertatem,nam libertas eſt propria filiorum, captivitas eſt ſervorum,*Ser.10.Rogat.*

251. *Servitus peccati quàm miſera bilis:Vbi de infœlicitate exiſtentis in peccato mortali.*

Tu autem projectus es quaſi ſtirps inutilis de ſepulchro tuo, ſicut ſanie pollutus, & obvolutus cum eis, qui interfecti ſunt gladio, & deſcenderunt ad fundamenta laci, quaſi cadaver putridum non habebis conſortium, neque cum eis in ſepultura. Nota, quòd licet ad litteram dicantur hæc cū Nabuchodonoſor, & etiam cum Lucifero, magis tamen myſticè verificantur de exiſtente in peccato mortali: nam peccatum mortale projicit hominem à ſervitute Chriſti,ad ſervitutem diaboli, & dicitur, quaſi ſtirps inutilis, nempe ſervus inutilis diaboli: hæc enim ſervitus eſt viliſſima,& ignominioſiſſima,& multitudine numeroſa,& oneroſa,& perennitate continua,& ſtipendio damnoſa: nam ſubdit hominem jugo perpetuo diaboli,ejicit ab Eccleſia, & à numero electorum,& collocat in profundo ſepulturæ fœtentiſſimæ,*Ioan.collat.21.& c.28.v.16.*

252. *Qui non proſternit diabolum in hac vita, ab ipſo proſternetur in hac vita, & in inferno.*

Vlula porta, clama civitas: proſtrata eſt Philiſthæa omnis, &c. Nota hæc eſt prædictio deſolationis Philiſtheæ gentis: myſticè ſignificat impios, qui proſternuntur in hoc mundo à diabolo, poſtea in Inferno: Unde qui in hac vita non proſternunt diabolum per orationem,& opera pœnitentialia, ab ipſo proſternentur prius in anima,poſtea in Inferno in corpore, & anima, & omnibus membris *Ser.3.Dom.9.Pent.*

CAP. XV.

253. *Secundum menſuram culpæ, vel boni operis, talis eſt Dei viſitatio,talis ſit in Iudicibus.*

SECUNDUM *magnitudinem operis,& viſitatio eorum.*Nota, quod in hoc capite Propheta prædicit deſtructionem Moabitarum, eo quod proditores fuerint populi Iſraelitici,quæ deſtructio facta eſt per Aſſyrios,& Caldæos:& quia fuit formidabilis, ſacer textus advertit, quod ultio illata à Deo fuit ſecundum menſuram iniquitatis ipſorum, & meritò, quia menſuram culpæ Deus attendit in puniendo, & damnando homines, ſicut & in præmiando pro bono opere: & talis debet eſſe in Iudicibus, & Prælatis. *Sermon.3. Dom. poſt oct. Pent.*

CAPUT

CAP. XVI.

254. *Deſideria, orationes; & merita Sanctorum Patrum, & Beatiſſimæ Virginis Mariæ in ordine ad Incarnationis opus expenduntur.*

EMITTE *Domine Agnum dominatorem terræ de petra deſerti, &c.* Nota, quòd iſtæ ſunt voces Prophetarum, & Sanctorum Patrum inſtanter petentiũ adventum Verbi in Carnem: ſed ad quid iſtæ petitiones? poterat ne mereri homo tantum opus, propriumque ſolùm Divinæ bonitatis? ſed reſpondetur, quòd Incarnatio poteſt conſiderari quantum ad ſubſtantiam, & eſſentiam ſecundum ſe, & præciſè, & hoc pacto non potuit cadere ſub merito, cum ſit opus dignationis divinæ eminentiſſimæ, & fundamentum omnis meriti naturæ lapſæ, nec ullus unquam poterit Deo placere abſque fide hujus beneficii: ſi verò conſideretur ſecundum circumſtantias, temporis, perſonarum, loci, & ſimilium, potuit cadere ſub ratione meriti, & ſub hac ratione Sancti Patres flagrantiſſimis deſideriis petebant, & meruerunt accelerationem tanti myſterii *l.3.d.4 a.2.q.1.* & hoc cum admittatur in Sanctis Patribus, multò magis in Beatiſſima Virgine Maria, & ideo quoad tales circumſtantias, recognoſcunt plures Theologi præcipuam rationem accelerationis ex orationibus, & deſideriis Beatæ Virginis, & hoc ſub ratione meriti de congruo ſecundùm aliquos, ſub ratione meriti de condigno ſecundùm alios. *l.3.ibid.q.2. & a.3. quæſt. 3. corp. op. medit.cap.4.*

255. *Ieſus quare Agnus appellatur.*

Emitte Agnum Domine. Cur Agnus appellatur Ieſus Chriſtus? meritò dicitur Agnus, non per proprietatem, ſed per ſimilitudinem, quia enim Agnus agnoſcit veram matrem, eamque diligit ardenter; in Agno eſt ſimplicitas innocua, & obediens ſubjicibilitas, & pacifica tranquillitas, & ad ſerviendum patiens longanimitas, ad immolandum congrua idoneitas ſecundum legem, & multiplex utilitas: ſic in Chriſto, quia cognovit, & audivit ante omnia matrem, nempe Synagogam, quæ tamen poſtea noverca eſt facta: Item & agnovit, & recognovit, & exaltavit matrem, ſcilicet Mariam Virginem ſuper omnes: Item & innocua ſimplicitas, & innocentia, item, & obedientia, ſubjiciendo ſe cum ſua infinita omnipotentia omnibus crudelitatibus Judæorum: Item & multiplex utilitas, quia ex oblatione hujus Agni venit mundo omne bonum, & præcipuè placatio Dei Patris. *Ioan. collat. 8. & c.1.v.19. Luc. c.11. v.24. ſerm.3. Dom.1. Adv. ſerm. 5. in Nativit. opuſc. Comp. Theolog. l.4.cap.5.*

256. *Maria Virgo Mater Agni Ieſu, & petra deſer*

Mitte Agnum Domine dominatorem terræ, de petra deſerti. Cur de petra deſerti, & non potius de ove, ex qua naſcitur Agnus? & cur non ſervat ordinem metaphoricum? Sed attende, quòd meritò Maria Virgo dicitur petra deſerti; Tum quia fuit immunis ab omni fomite concupiſcentiæ, ob id petra deſerti frigidiſſima ex hac parte, fuit & ipſa petra, ſuper quam domus Eccleſiæ fundata fuit, & firmata ab omnibus ictibus fulminum, & perſecutionum, quia in ipſa ſola tempore paſſionis permanſit fides: & ſicut ex petra deſerti exit aqua, oleum, ignis, & mel, ſic ex Maria Virgine virtute Spiritus Sancti pervenerunt nobis omnia bona. *Luc. cap. 11. verſ.2. ſermon.1. de B.Virg. ſer.4. Dom.Pentec.*

257. *Concilium in Cælo factum ad decernendam Incarnationem Verbi expenditur.*

Ini conſilium, coge concilium, &c. Petit Propheta Incarnationem Agni, dicens, emitte Agnum, &c. & repetit eandem petitionem, dicens, Ini concilium, coge conſilium: Sed quod conſilium eſt iſtud antecedens ad opus Incarnationis? At attende perbellum myſterium; Inſtabat apud Deum miſericordia & pulſabat viſcera Patris habens ſecum pacem, ut tandem mundo perdito ſubveniret: ſed contradicebat veritas habens ſecum juſtitiam, ſicque utrimque fiebat concertatio coram Deo in hoc concilio, quando Filius hoc videns, decrevit, ut fieret unio inter miſericordiam, & juſtitiam, & ipſe in Conſiſtorio Trinitatis electus fuit, ut eſſet mediator Dei, & hominum, & per ipſum ſatisfieret juſtitiæ, & miſericordia ſuum haberet locum, & hinc virtute hujus conſilii & Decreti, miſſus eſt Gabriel Archangelus ad Mariam Virginem. *Op. meditat. c.2.*

258. *Maria Virgo ſolium eſt divinæ miſericordiæ.*

Et præparabitur in miſericordia ſolium ejus; & ſedebit ſuper illud in veritate. Quomodò in miſericordia elevari dicitur ſolium Dei? miſericordia eſt Attributum reſidens in divina Eſſentia, & ideo potius dici debet, miſericordiam ſedere in divina Eſſentia? Sed attende, quod hic loquitur de adventu Verbi in Carnem ordinato ad redemptionem hominis, & ad ſuam nobis impertiendam miſericordiam, & ad hoc convenientius faciendum, erexit ſibi ſolium miſericordiæ, & hoc in Maria Virgine, quæ eſt mater miſericordiæ, & hoc ut in ipſa omnes invenirent ſolatium pietatis; & ideo in ſolio ſedet Chriſtus in veritate, juſtitiam, & rigorem temperans in hoc ſolio, & Throno miſericordiæ, ut diſcant fideles, quod ad hoc ſolium recurrentes, invenient miſericordiam apud matrem, & Filium. *Op. ſpec. B.Virg. lect. 9.*

259. *Superbia, arrogantia, & indignatio ſpeciali modo irritant Deum.*

Audivimus ſuperbiam Moab, ſuperbus eſt valdè, ſuperbia ejus, & arrogantia, & indignatio ejus pluſquam fortitudo ejus. Nota, quòd ad litteram hæc dicuntur à Propheta de Moabitis, ſed tamen verificantur in multis chriſtianis, quorum ſuperbia in corde, arrogantia in ore, & inobedientia, & indignatio contra proximum valdè concitant iram Dei, & ob ipſa immittit flagella. *Ser.2.Dom.19.Pent.*

260. *Gratia Dei omnes virtutes inter ſe connexas affert, reddentes auribus Dei dulcem concentum.*

Unde Propheta dicit: *Venter meus ad Moab quaſi cithara ſonabit:* Vêter meus, ideſt cor meum gratia Dei ditatum in ſe habebit omnes virtutes adinvicē connexas, & tunc veluti inſtrumentum muſicum, Dei auribus ſonum dulcem reddet: Vide qualem concentum reddant, tum ex parte cauſæ formalis quæ eſt gratia cæteras omnes virtutes perficiens, & nobilitans: Tum ex parte cauſæ materialis, quia omnes potentiæ rectificantur, & ordinantur in ſuis actibus: Tum ex parte cauſæ efficientis, quæ eſt Dei largitas, & miſericordia multipliciter perficiens animam: Tum ex parte finis, qui eſt beatitudo, ad quam omnes ordinantur ad magnificationem divinæ gloriæ. *l.3.d.36.a.1.q.1.*

CAP. XVII.

261. *Quàm infelices ſunt, qui benè inchoant, ſed poſtea deficiunt.*

M*ANE ſemen tuum florebit: ablata eſt meſſis in die hæreditatis.* Loquitur hic Propheta de iis, qui mane in juventute benè ſeminant, & flores bonæ vitæ emittunt, ſed poſtea in decurſu vitæ deficiunt: Verè enim infelices ſunt, quia eorum ager non producit, niſi labruſcas, & eorum ſemen cito ſuffocatur à vitiis: Dat etiam intelligere, quod flos juventutis cito deficit, ideo in ipſa non eſt fidendum. *Ser. 4. Dom. 4. poſt oct. Epiphan. & Ugo hic.*

262. *Propheta prædixit clamorem populi Iudaici, quando clamabat contra Chriſtum, crucifige, crucifige, dicens: Væ multitudini populorum multorum, ut multitudo maris ſonantis, & tumultus turbarum ſicut ſonitus aquarum multarum. Luc. capit. 23. verſ.21.*

CAP. XVIII.

263. V*Æ Doctoribus, & Prædicatoribus ob ſonitum vanæ gloriæ, vel ob nomen vanum aliis prædicantibus:* Sunt enim veluti cimbalum tinniens, & terminans in purum ſonum: Unde hic dicitur, *Væ terræ cimbalo alarum, &c. ſup.c.5.*

264. *Angelorum cuſtodia triplex ad beneficium hominum expenditur.*

Ite Angeli veloces ad gentem convulſam, ad dilaceratam, ad populum terribilem, ad gentem expectantem, & conculcatam. Nota, quòd hic exprimitur gens, ſcilicet convulſa, & dilacerata, populus terribilis, & gens expectans: per primam intelligitur quilibet homo dilaceratus peccato Adæ, & tentationibus Diaboli: per ſecundam Principes, & Prælati: per tertiam populi, & Provinciæ, atque Regna: hinc triplex ordo ultimæ Hierarchiæ mittitur ad cuſtodiam hominum: nam Principatus Angelici mittuntur ad cuſtodiam Principum, eos ordinando, & dirigendo in eorum officio. Archangeli verò mittuntur ad Regna, & Regnorum cuſtodiam: & Angeli ultimi ordinis ad quemlibet hominem dirigendum, excitandum ad bonum, & ab hoſtibus defendendum: ó quanta, & qualis providentia Dei noſtri in nos. *Ser. de SS. Apoſtol op. Eccleſ. Hier. p.1. c.1.* Nota etiam, quòd ipſos Deus mittit ad gentem convulſam, ſcilicet in conſcientia per mala opera, & ideo dilaceratam in vita, & terribilem per mala exempla: opponit enim ſcandaloſis, qui verbis & factis conantur alios trahere ad peccata, exercitus Angelorum, ut per ipſos impediat ſtragem animarum, & ut ſe vindicet contra iſtos impios. *Ser.2. de Dedicat.*

265. *Religioſi ſint veluti Angeli veloces ad ſua miniſteria.*

Ite Angeli veloces ad gentem convulſam, &c. Nota, quòd nomine Angelorum myſticè intelliguntur Religioſi, qui in ſe debent eſſe ignei, & aliorum motivi, & inflammativi, & ideo ſpiritu divinæ dilectionis moti mobiles ſint juſſis ſuperiorum ſine moræ diſpendio obtemperando, & aliis exemplum obedientiæ relinquendo, ſed veluti volucres ad omne, quod præcipitur advolant, & feſtinant. *Op. Eccl. Hier. p.1. c.2.* Nota, quod de clangore tubæ, de quo hic loquitur: *v.3. infrà ad cap.27. agitur ad finem capitis.*

266. *Scientia Scripturæ Sacræ, & verbi Dei qualia bona animæ afferat.*

Quieſcam, & conſiderabo in loco meo ſicut meridiana lux clara eſt, & ſicut nubes roris in die meſſis. Vide, & audi quid operatur in anima ſapientia divina: quieſcam, ait, in loco meo, & conſiderabo, ideſt conſiderare, & cognoſcere faciam abdita mea, nempe verbi divini, ſicut meridiana lux, & refrigerabo animam, ſicut nubes

roris in die fervido meſſis. Dat hic intelligere ſacet textus ſupereminentiam doctrinæ chriſtianæ eſſe ſuper omnem aliam ſcientiam, quia vera prædicat, quia ad cæleſtem patriam vocat, quia à terrenis deſideriis ad ſuperna amplectenda corda invitat, quòd dictis obſcurioribus exercet fortes, & parvulis humili ſermone blanditur, quod omnibus ſe accommodat, ſic autem animam illuminat, & inflammat ad modum lucis meridianæ, ne quis à calore ſuo, & luce ſe abſcondat. *Op. de dono ſcient. c. 2. ſap. c. 9.*

267. *Deus habitans in anima facit eam Paradiſum.*

Ego quieſcam, & conſiderabo in loco meo, ſicut meridiana lux clara eſt, & ſicut nubes roris in die meſſis. Quomodo dicit Deus, ſe allaturum animæ meridianam lucem? Lux beatorum alia eſt matutina, alia veſpertina, alia meridiana: Veſpertina eſt cognitio rerum in proprio genere: matutina eſt rerum, prout relucent in ſpeculo divinæ eſſentiæ: meridiana eſt ipſa gloria eſſentialis beatorum: ergone hanc in vita mortali confert & portat ad animam? ſed attende ad Dei miſericordiam, & ad ſtatum fæliciſſimum animæ exiſtentis in gratia: nam in ipſa Deus quieſcit veluti in cœlo, ipſi communicat lucem, & refrigerium Paradiſi, nempe ſicut in Paradiſo, ſic in tali anima ſerenitas aëris, tranquillitas loci, fertilitas conſcientiæ, decor terræ, ubertas vitæ, ipſius temporis congruitas, ſplendor cognitionis Dei, ardor dilectionis, ros devotionis. *Ser. 4. Dom. T init.*

268. *Ubi non eſt humor divinæ gratiæ, ibi ſemen Dei nihil producit.*

Ante meſſem totus efflorvit, & immatura perfectio germinabit: Nota, quòd hac metaphora Propheta dat intelligere, quod ſemen verbi Dei, ſi recipitur in terra, ideſt in anima humore gratiæ carente, vel non naſcitur, vel ſi naſcitur, & efflorescat, ſtatim areſcit abſque productione fructus, & hoc propter multitudinem petrarum, ſcilicet duritiæ, & ob carentiam gratiæ. *Luc. c. 8. v. 6. ſap. c. 4.*

269. *Societatem malorum ſectantes in hac vita, eorumdem, & dæmonum ſocietatem hæreditabunt in Inferno: Ubi de infelicitate morientium in peccato mortali.*

Abſcindentur, excutientur, & relinquentur ſimul avibus montium, & beſtiis terræ. Vide infelicitatem eorum, qui ſocietatem malorum in hac vita amant, & qui moriuntur in peccato mortali: Abſcindentur, ait Propheta in morte ab amicis, & ab omnibus temporalibus, excutientur eorum animæ à corporibus ſicut granum à paleis, relinquentur ſimul avibus, ideſt dæmonibus, & beſtiis terræ, ideſt ſociis culparum, quia in Inferno erunt omnes ſocii pœnarum ſimul colligati in pœna: & ideo verificatur de illis, mors peccatorum peſſima, ſcilicet mala quando ab his, quæ dilexerunt hic, ſeparantur, pejor, quando eorum animæ à malignis ſpiritibus torquentur, & peſſima, quando corpus, & anima ſimul æternis cruciatibus adjiciuntur: & nota, quod dæmones dicuntur aves propter velocitatem, beſtiæ propter crudelitatem, quia in ſeparatione animæ à corpore velocitatem dæmonum effugere impoſſibile eſt, crudelitatem ſuſtinere intolerabile; devorabunt enim eos aves morſu amariſſimo, & dentibus beſtiarum. *Ser. 1. fer. 4. Pent.*

CAP. XIX.

270. *Caro Chriſti nubes, in quam aſcendit Divinitas in Incarnatione.*

ECCE *Dominus aſcendet ſuper nubem levem, & ingredietur Ægyptum.* Quid eſt, & quando Deus aſcendit ſuper nubem levem, quando univit Divinitatem cum Carne, quæ meritò dicitur nubes, primò quia contemperavit lumen Divinitatis oculis noſtris, ut in ipſum poſſemus intendere: ſecundò, quia caro illa ſanctiſſima eſt vehiculum lucis ſuper terram tenebroſam: Tertiò quia ſicut nubes trahit ortum de vaporibus vilibus terræ, ſic & ipſa traxit ortum de amaritudine, & pœnalitate naturæ humanæ, mediante Virgine Maria: Quartò, quia aquam gratiæ, quam in ſua origine hauſit effundit, cum agitatur vento orationis: & hinc admonentur contemplativi, ut non tantùm erigant oculos ad lucem Divinitatis, ſed etiam ad nubem humanitatis Chriſti: Dicitur autem aſcenſus hæc unio propter naturæ noſtræ exaltationem, & propter peccati immunitatem. *Pſalm. 101. Luc. cap. 9. verſ. 34. op. Comp. Theol. l. 4. c. 5.*

271. *Nubes eſt Euchariſtia, in qua eſt caro, & ſanguis Chriſti:* de qua dicitur hic, *Aſcendet Dominus ſuper nubem levem,* quia ibi eſt Divinitas cum humanitate, & dicitur aſcendere, quia exponitur nobis ad videndum oculis, fide, charitate illuſtratis, & ad percipiendum rorem divinæ gratiæ, agitando eam vento orationis, & devotionis. *Luc. c. 9. v. 30. & c. 12. v. 56.*

272. *Maria Virgo eſt nubes levis, ſuper quam aſcendit Verbum.*

Et aſcendet Dominus ſuper nubem levem, & ingredietur Ægyptum &c. Si hic prædicit Propheta Incarnationem futuram Verbi in Utero Beatæ Virginis Mariæ, ergo iſta levis eſt Beata Virgo: levis ſine ullo pondere peccati, ſed rore Cœli madida, refrigerans totum mundum rore ſuo cæleſti, & noſtra corda malis peruſta. *Op. Pſal. B. Virg. Pſal. 60. & Op. Pſalt. min. quinq. 2. & Op. in ſalve.* Nota autem, quòd dicitur Deus aſcendere, quando in Beatam Virginem aſcendit, quia per Mariam aſcendit ad manifeſtationem ſuæ gloriæ toti mundo, ideo & deſcendit, & aſcendit.

273. *Ad ingreſſum Chriſti Ieſu in Ægyptum cum Beata Virgine, omnia Idola corruerunt ad terram:* Unde hic dicitur: *Et ingredietur Ægyptum, & commovebuntur ſimul Idola Ægypti. Op. medit. c. 12 ſap. c. 14.*

274. *Fuga Chriſti Jeſu, Mariæ & Ioſeph in Ægyptum, vita pauperrima ipſorum, & exemplaris expenditur.*

Et ingredietur Ægyptum, & commovebuntur omnia ſimulacra Ægypti, & cor Ægypti tabeſcet in medio ejus. Nota, quòd hic patenter Propheta prædicit peregrinationem Chriſti Jeſu, & Mariæ matris, & Joſeph in Ægyptum, & ipſorum vitam in illa regione: nam Chriſtus Jeſus fugiens furorem Herodis cum ſua Beatiſſima matre, & Joſeph, portabatur ab ipſa matre incedentes per viam ſilveſtrem, obſcuram, nemoroſam, aſperam, & inhabitatam, & per viam etiam longam, nempe per deſertum, in quo Judæi ſteterunt quadraginta Annos, & ſic intraverunt in Ægyptum, in quo omnia ſimulacra corruerunt, ut dictum eſt; & etiam cor Ægypti tabeſcuit, ſcilicet habitatores Ægypti, & maximè ſapientes obſtupuerunt, videntes paupertatem, & exemplaritatem, & vitam, quam iſti pauperes per ſpatium ſeptem Annorum duxerunt: Et qualem vitam? nam Maria colo, & acu, & Joſeph ſua arte quærebant ſibi, & Filio vitæ neceſſaria. *Op. meditat. c.12.*

275. *Hominum perturbatio ante judicium ad litteram præfigurata in perturbatione totius Ægypti, & myſtica in Eccleſia expenditur.*

Concurrere faciam Ægyptios adverſus Ægyptios, & pugnabit vir contra fratrem ſuum, & contra amicum. Civitas adverſus Civitatem, Regnum adverſus Regnum &c. Ecce hic prædicit Propheta perturbationem hominum futuram in Ægypto, ſcilicet in mundo ante judicium univerſale: ſed myſticè in Eccleſia hæc omnia advenerunt, & continuò adveniunt in bonum, & in malum: nam poſt adventum Chriſti in hunc Ægyptum mundi ſolicitavit ſuos ſequaces, ut gladio prædicationis conſurgerent contra Diabolum, mundum, carnem, & homines malos, ut ipſos debellarent, & ad Chriſtum converterent. *Luc. c.25. v.11. & Vgo hic.*

276. *Iuſti in manu Domini benigniſſimi: Impii in manu Dominorum crudelium.*

Et tradam Ægyptum in manu dominorum crudelium, & Rex fortis dominabitur eorum. Ecce diſcrimen ſervorum Chriſti, & ſervorum diaboli: nam qui ſerviunt diabolo, mundo, & carni, traduntur ſub jugo Dominorum crudelium, qui non ſinunt eos quieſcere die, nec nocte: qui verò ſerviunt Chriſto habent dominium benigniſſimum: nam iſte coronat ſuos corona gratiæ, & gloriæ, diabolus torquet eos cum gehenna: & ut pateat quomodo utrumque ſervitium exerceatur, audi, Chriſto ſervitur flendo per pœnitentiam, diabolo ridendo per laſciviam, Chriſto vigilando, diabolo dormiendo in peccatis, Chriſto aſcendendo de virtute in virtutem uſque ad cœlum, diabolo deſcendendo de vitio in vitium uſque ad Infernum. *Ser. 1. Dom. 14. Pent. & ser. 3. Dom. 4. Paſcha.*

277. *Horribile flagellum Dei eſt ſubditis tradi ſub dominio Dominorum crudelium:* unde hic minatur Deus eis: *Tradam Ægyptum in manu Dominorum crudelium*, nempe homines ſub tyrannide Dominorum impiorum, crudelium, & opprimentium ſubditos. *Op. Eccleſ. Hierar. p. 2. cap. 2.*

278. *Piſcatores ſuos habet Chriſtus, & ſuos diabolus, & unicuique ſunt retia ſua.*

Et mærebunt piſcatores, & lugebunt omnes mittentes in flumine hamum, & omnes expandentes rete ſuper faciem aquarum emarceſcent. Nota quòd inter flagella comminata à Deo terræ Ægypti, reponit etiam deficientiam lucri, quod reportare ſolent piſcatores ex aquis, quæ ſiccabuntur: ſed myſticè dat intelligere, quòd Deus, & diabolus habent unuſquiſque ſuos piſcatores, & ſua retia: Piſcatores Chriſti ſunt, qui ad lucrum animarum per prædicationis rete incumbunt, & trahere conantur eas à ſiniſtra diaboli, ad dexteram Chriſti, ut inter electos connumerentur: Piſcatores diaboli ſunt, qui à dextera ad ſiniſtram trahunt animas ad peccatum, & hoc per hamum, vel rete diabolicæ tentationis, vel carnalis voluptatis, vel mulieris malæ, vel pravæ doctrinæ: hinc quia multò plures trahuntur à diabolo, dicitur de piſcatoribus Chriſti, mærebunt piſcatores, &c. *Ioan. cap. 21. verſ. 8. Pſal. 103.*

279. *In via mundi patitur homo ſpiritum vertiginis: Via Dei ſtabilitatem affert.*

Dominus miſcuit in medio Ægypti ſpiritum vertiginis, & errare fecit, id eſt permiſit eum in omni opere ſuo, ſicut errat ebrius, & vomens. Quis ſpiritus vertiginis, quem minatur Deus Ægypto? Nota quòd dat intelligere, quòd in Ægypto, ſcilicet in mundo ſolùm dominatur ſpiritus vertiginis, nempe inſtabilitatis, quia in mundo nihil eſt ſtabile, & quod pejus, & horribilius eſt, homo deditus curis ſæcularibus ſubjectus eſt huic maledicto ſpiritui vertiginis immiſcens te infinitis curis, ſollicitudinibus, & quæſtionibus, quæ nunquam ſinunt mentem quieſcere: Vide qualem mixtionem: omnia enim commixta ſunt cum malo: ſanguis, homicidium, furtum, fictio, corruptio, infidelitas, turbatio, perjurium, tumultus, bonorum Dei oblivio, nuptiarum inconſtantia, inordinatio mœchiæ & impudicitiæ, quæ occurrunt homini, dum deformat ſuam voluntatem, & diſcedit à ſumma rectitudine, & bonitate, & ideo homo eſt ſicut pulvis quem projicit ventus à facie terræ, ne poſſit quieſcere quandiu eſt ventus vertiginis, & hinc mirum non eſt, quod ſint veluti ebrii homines, falſa pro veris approbantes. *L. 2. ſent. in prol. ſap. c. 5. Eccl. c. 9.*

280. *Ebrietas*

280. *Ebrietas corporalis, & moralis quale malum.*

Et errare facit Ægyptum in omni opere ſuo ſicut ebrius. Nota, quòd dicit, ſicut ebrius: nam ebrietas ſpiritum vertiginis inducit, quia rationem perturbat, memoriam enervat, oblivionem immittit, errorem infundit, ad ignorantiam perducit: quam ebrietatem cauſat immoderata vini ſumptio, & vinum carnalis cupiditatis. *Serm.* 3. *Dom.* 3. *Quadrag. Ioan. collat.* 12.

281. *Summus Pontificatus Papæ & quatuor Patriarchæ prædicti à Propheta, & converſio gentium ad fidem.*

Et erunt quinque civitates in terra Ægypti loquentes lingua chananea: Civitas ſolis vocabitur una. Nota, quòd hic prædicit Propheta ſtatum Eccleſiæ poſt Chriſti adventum, nempe converſionem gentium ſignificatatum in quinque illis civitatibus Ægypti: Item civitatis Romæ ſummum Pontificatum, quæ ob id dicitur] ſolis Civitas, quia toti mundo præeſt, ſicut ſol inter ſtellas, & huic Pontificatui ſubordinatæ ſunt aliæ quatuor Civitates, nempe quatuor Patriarchatus, ſcilicet Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Hieroſolimitanus, & Antiochenus. *Ser.* 24. *Hexam. Luc. c.* 19. *v.* 18.

282. *Crux, & Crucifixus eſt Altare habens titulum in ſuperiori parte.*

In die illa erit Altare Domini in medio Ægypti, & titulus Domini juxta terminum ejus, & erit in ſignum, & teſtimonium Domino exercituum in terra Ægypti. Nota, quod hic Propheta prædicit mortem Chriſti in Cruce, & Crucem appellat merito Altare in medio Ægypti, ſcilicet mundi, omnibus partibus mundi expoſitum, in quo facta eſt à Chriſto oblatio ſui, & voluit, ut ſuper caput collocaretur titulus Jeſus Nazarenus Rex Judæorum ſcriptus tribus linguis principalibus, ut eſſet memoriale omnibus nationibus triumphi ab ipſo Chriſto reportati de diabolo, mundo & carne, & ſuæ magnificentiæ juxta terminum ejus, ſcilicet ubicumque extenderetur fides Chriſti. *Luc. c.* 23. *v.* 38. *Pſal.* 25. *op. expoſit. miſſæ c.* 3.

283. *Qui petit fortiter clamando à Deo, accipit, & qui quærit invenit.*

Clamabunt à facie tribulantis, & mittet eis ſalvatorem, & propugnatorem, qui liberet eos. Vide hic qualis benignitas Domini Dei, qui tam promptus eſt inceſſanter ad ſubveniendum nos in tribulationibus, ſed notandum, quòd clamandum eſt ad ipſum Deum fortiter, & toto corde petendum auxilium ab ipſo; vult enim præbere auxilium, ſed vult etiam rogari, ideo alibi dicitur: petite, & accipietis, pulſate, & aperietur vobis. *Ecclen. c.* 9. *ſer.* 9. *Rogat. Luc. c.* 1. *v.* 71. Addit autem ſacer textus: Vota vovebunt Domino, & ſolvent, nempe ut efficacius impetrent liberationem à tot malis orationi adjungerent vota Domino, & ſolvent: quia ſoli Deo fit votum, & obligationem ſolvendi ſecum portat, cum ſit opus valdè meritorium. *Sap. c.* 13. *op. Apolog. paup. reſponſ.* 1. *c.* 3.

284. *Benedictio Mariæ benedictionem attulit generi humano.*

Et erit Iſraël benedictio in medio terræ, cui benedixit Dominus exercituum, dicens bededictus populus meus &c. Nota, quòd hic myſticè exprimitur benedictionis qualitas quam Maria Virgo, ſibi, & nobis reportavit; nam ipſa verè eſt medium terræ, cui benedixit Dominus, quia in ipſam intravit Verbum ſumens carnem, ut mundo ſalutem afferret, & ideo ex benedictione hujus medii, ad totam terram diffuſa eſt benedictio Dei. *Op ſpec. B. Virg. lect.* 14.

CAP. XX.

285. *Quale cilicium abjiciendum, & quale ſumendum à ſervis Dei.*

SOLVE *Saccum de lumbis tuis, & calceamentum de pedibus tuis.* Nota, quòd hoc præceptum datum eſt à Deo Iſaiæ, nempe, ut cilicium, vel ſaccum, & calceamenta abjiceret, & nudus, & diſcalceatus incederet prædicando per totam Civitatem Hieruſalem, qui velociter & perfectiſſimè obedivit, & poſtea reaſſumpſit ſaccum ſuum, & calceamenta: ſed cur Deus id fecit? Ad litteram, id juſſit Dominus, quia voluit, Prophetæ ſui prophetarent aliquando verbis, aliquando factis, ſic tali geſtu corporis voluit indicari, quod Ægyptii ducendi erant captivi, & nudi in captivitatem: ſed tali facto plura myſteria voluit Spiritus Sanctus indicare, & inter plurima hoc eſt notabile, quòd per cilicium poteſt ſumi in bonum vel auſteritas vitæ, vel ſignificari poteſt hypocriſis, & affectio terrena, quæ pungunt animam ſicut cilicium: Unde Deus exigit quidem à ſuis ſervis auſteritatem vitæ, ſed immunem ab hypocriſi, & affectionibus terrenis: Et hinc eſt, quòd Seraphicus Pater S. Franciſcus voluit, ut ſui fratres induerentur ſaccis, & veſtibus vilibus ad exercitium paupertatis, auſteritatis, & mortificationis, ſed poſtea vetat hypocriſin, ſui exiſtimationem, ambitionem &c. *Op. expoſit. Regul. c.* 2. *In Thren. c.* 3.

286 *Chriſtus, & Apoſtoli diſcalceatis pedibus incedebant: Ubi de fratribus minoribus.*

Saccum de lumbis tuis ſolve, & calceamenta de pedibus tuis. Nota, quòd plures Patres docent, Deum non præcepiſſe nuditatem totius corporis Iſaïæ, cùm dixerit, ſolve, ſcilicet, ut laxato ſine cingulo ſacco, nudis tantùm pedibus incederet ad prædicandum per totam Civitatem Hieruſalem: & hoc fuit figura inceſſus Chriſti, & Diſcipulorum ejus, qui nudis pedibus, habentes ſolùm ſandalia, incedebant, quodque habetur ex pluribus locis ſacræ ſcripturæ, ut cum dixit Chriſtus ſuis Diſcipulis, quando miſi vos ſine ſacculo, pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? & cum Angelus dixit Petro, calcea-

cea te calligas tuas, notat Beda legi in textu hebræo, & Græco, calcea te ſandalia tua, quia defendunt à callo pedum, & colligantur ad pedes: & hoc notant pluries D. Chryſoſtomus, Hieronymus, Auguſtinus, aliique Patres apud Seraphicum Doctorem locis infrà cit. Ad cujus exempli imitationem Sanctus Pater Franciſcus præcepit ſuis Fratribus, ut nudis pedibus cum ſandaliis, & amicti ſaccis incederent: ſed cur hoc fecit Chriſtus? Cur hoc juſſit Sanctus Franciſcus? Reſpondetur, quòd id factum, & præceptum eſt: primò ad indicium paupertatis extremæ, valens ob id Chriſtus exercitare ſuos in omnem indigentiam, qui ſollicitudinem vetaverat de ſupervenutura die: Secundò ad incitamentum humilitatis, & pœnitentiæ, & hinc in neceſſitatibus publicis Eccleſia ſolet inſtituere proceſſiones nudis pedibus ad placandam iram Dei: Tertiò ad teſtimonium obedientiæ, quam ſolicitè, & promptè in hoc exhibuit Iſaias: Quartò ad exercitium vitæ auſteræ, quod & ipſe Plato gentilis ſuadebat ad evitandam mollitiem, quæ præcipuè in pedibus, & capite oſtenditur: Quintò in ſignum elongationis ab omni carnalitate: Sextò ad perfectæ virtutis inſigne, quod & notavit de perfectis Prædicatoribus ſui temporis Nazianzenus &c. Nota tamen, quòd non reprehenduntur, qui calceatis pedibus incedunt, cum Dominus voluerit ſuam ſponſam circumdatam varietate, etiam talibus, & perfectis ornatam. *Op. Apolog. paup. reſp. 1. cap. 1. & Op. de ſandaliis Apoſtol.*

287. *Quinam nudi, & diſcalceati Deo chari.*

Solve ſaccum, & calceamenta de pedibus tuis. Ergo juſſit Deus, ut nudus, & diſcalceatus incederet Propheta: ſed cur hoc? ergo ne & debemus ipſum comitari: ſed attende, quòd quidam nudi ſunt, & diſcalceati; quidam, neque nudi, neque diſcalceati; quidam nudi, ſed non diſcalceati, quidam verò diſcalceati, ſed non nudi: Nudus eſt, qui caret rerum privatione: diſcalceatus, qui caret cupiditatis affectione, nam pedes ſignificant affectus animæ: Neque nudi, neque diſcalceati ſunt divites mundi, qui neque poſſeſſione rerum, neque cupiditatis affectu ſunt exuti, & rebus abundant, & adhuc cupiditatibus inhiant: Nudi autem, & non diſcalceati ſunt pauperes mundi, qui ſi res non habent, cupiditate tamen habendi non carent: Diſcalceati verò, & non nudi ſunt divites boni, qui cum eis ſint divitiæ, tamen in eis cor non apponunt: Nudi, & diſcalceati ſunt, qui & rebus, & cupiditatibus exuti ſunt, qui nec proprietatem in aliqua re, nec in corde habent, & in hoc ſtatu voluit Dominus Prophetam ſe exercentem per ſpatium trium dierum, ſignificantium ad litteram tres annos captivitatis Ægyptiorum: ſed myſticè triplicem gradum renuntiationis temporalium: nam primus annus ſignificat renuntiationem temporalium, quoad ſuperflua, non quoad neceſſaria; ſecundus annus ſignificat renuntiationem temporalium, & neceſſariorum, & ſuperfluorum in ſpeciali, non in communi: Tertius annus ſignificat renuntiationem utrorumque, & in ſpeciali, & in communi: cum autem ferè omnes poſt Apoſtolos deficerent in hoc tertio ſigno uſque ad tempora B. Patris noſtri Franciſci, ipſe Sanctus Pater miſſus fuit ad complendum hunc ſtatum in ſua Religione. *Serm. 2. in Pentecoſt.*

CAP. XXI.

288. *Quàm Deus deteſtatur peccatum: Ubi de flagellis horribilibus, à Deo immiſſis propter ipſum.*

ONUS *deſerti maris, &c. Viſio dura nuntiata eſt mihi.* Hoc dicit Propheta: ſed quodnam onus fuit ipſi monſtratum, & quænam viſio dura? Nota, quòd ipſi monſtrata fuit ſtrages, quam immiſit Deus Civitati Babilonis, & Regi Baltaſar, quando celebrans feſtum in honorem Dei ſui fecit aſportari vaſa ſacra ablata à Templo hieroſolimitano, ut omnes convivæ biberent in eis ad honorem dicti ſui Idoli, eadem nocte fuit occiſus dolo à Ciro, & Dario, & depopulata eſt Civitas à ſuis exactoribus, & in captivitatem omnes redacti fuere: Hinc dicitur viſio dura, & maximum onus flagelli divini in iſtos impios, per quod Deus voluit oſtendere, quod tantum eſt odium, quod habet ad peccatum, quod in ipſius vindictam ſæpe ſine exceptione depopulat Terras, homines & omnes alias creaturas à ſe factas. *Op. Diat. tit. 1. c. 1.* In quo tamen apparet mira Dei diſpoſitio in his flagellis manifeſtata à Propheta enarratis & prædictis: nam facit, ut Regna per ſeipſa in vindictam peccati, ad invicem mutuo ſe ſe depopulent: primò enim decem Tribus Iſraël non ſuam ſpem in Deo ponentes, ſed in potentia Aſſyriorum, quibus ſe confæderarunt, ideo Deus permiſit, ut per ipſos Aſſyrios depopulatæ, & captivæ remanerent: Aliæ duæ Tribus ſe conjunxerunt Ægyptiis, à quibus, & à Caldæis & ipſæ depopulatæ ſunt: Aſſyrii verò, qui de ſe ipſis præſumpſerunt à Caldæis ſubjecti ſunt: Caldæi verò, & Babilonii in ſuperbiam evecti à Perſis, & Medis ſubjugati ſunt: Medi verò, & Perſæ ab Alexandro magno; & quia iſte ſe veluti Deum reputavit, veneno occiſus eſt, & ſuum Regnum in varias partes diſſectum: Deinde iſtæ nationes, & Regna à Romanis ſubjugata, Romanum verò Imperium, quia carnes ſanctorum, quaſi dentibus ferreis laceravit, & ipſum magna ex parte periit: & ſic patet, quod Deus per ſuos inimicos, alios inimicos punit, & illos poſtea projicit in ignem veluti virgam, & hoc ob odium peccati. *Ugo hic.*

289. *Ariditas*

289. *Ariditas in anima alia eſt bona, alia mala.*

Emarcuit cor meum, & tenebræ ſtupefecerunt me. Cur hoc ô Sancte Propheta? quia in viſione flagellorum, quæ Deus paraverat Aſſyriis, & Caldæis, ob compaſſionem areſacta eſt anima mea, & perdidit omnem vigorem: Nota autem, quòd idem poteſt dicere in malum anima exiſtens in peccato mortali, incidit enim in ariditatem ob defectum vigoris propter abſentiam gratiæ, quia qui non manſerit in me, ait Chriſtus, mittetur foras, ſicut palmes, & areſcet: Unde propter quodcumque vitium capitale incidit anima in ariditatem miſerandam. *Luc. c. 6. v. 11.*

190. *Aſinus & Camelus Chriſti quis: Aſinus, & Camelus diaboli quis.*

Vidit currum duorum equitum aſcenſorem Aſini, & Cameli, & contemplatus eſt diligenter. Quis iſte aſinus, quis camelus? Nota ad litteram alludit ad Cirum, & Darium, qui cum ſuis exercitibus ſubjugarunt Babilonem: Myſticè dat intelligere, quòd in Eccleſia Dei habet Chriſtus ſuos Aſinos, & camelos ſibi obedientes: habet & diabolus ſuos: Aſini, & Cameli Chriſti ſunt incipientes, & pœnitentes, & proficientes, qui maximè trahunt currum Eccleſiæ, qui onuſti laboribus, pœnitentiis, jejuniis, & virtutibus ad Chriſtum convolant: Aſini, & Cameli diaboli ſunt, qui Chriſtum abjiciunt, & ſe onerant temporalibus, & cupiditatibus, & peccatis, & ideo cum primi faciliter convolent ad cœleſtem patriam, iſti abjiciuntur à Deo, & onerati peccati onere, ad inferna deſcendunt. *Ser. 3. Dom. Palm.*

191. *Ad exemplum Chriſti quilibet Prælatus debet eſſe cuſtos ſollicitus, & vigilans gregis: ubi de Cuſtodibus ordinis fratrum minorum.*

Et clamavit leo ſuper ſpeculam Domini ego ſum, ſtans jugiter per diem, & ſuper cuſtodiam meam, ego ſum ſtans totis noctibus. Nota, quòd per leonem intelligit Propheta Prælatum, & ſuperiorem, & dat intelligere, quòd bonus Prælatus debet eſſe cuſtos vigilans ſuper gregem ſuum: habet enim intendere curæ particulari, ut oves cuſtodiat à luporum rabie, & paſcat exemplo, & verbo, ſicut & fecit Chriſtus: Nota etiam, quod in regula fratrum minorum vocantur cuſtodes omnes Prælati, ut ſciant ſe debere eſſe ſollicitos in ſubditorum cuſtodia, & illis providere neceſſaria. *Pſal. 120. Luc. c. 21. in fine: op. expoſit. Reg. cap. 4.*

292. *Chriſtus cuſtos noſter, ſine quo nulla valet alia cuſtodia.*

Cuſtos, quid de nocte? Cuſtos quid de nocte? Sic dicit Propheta, quaſi dicat, Chriſtus ſolus eſt perfectus noſter cuſtos, & ſine ipſo, quid de nocte ſurgimus ad cuſtodiendam unitatem, nempe ſine Chriſto vero cuſtode, cuſtodia omnis noſtra eſt de nocte, ſine fructu, ſine luce, ſine ſecuritate, quia ſolus ipſe eſt noſtra via, dux, & ſecuritas, & ideo ſine Chriſto nihil ſecurum, & ſanum. *Luc. cap. 21. in fine, & capu. 10. verſ. 37.*

193. *Chriſtus quærendus non ore tantùm, ſed corde, & opere.*

Si quæritis, quærite, convertimini, & venite. Quid eſt quærere, & iterum quærere? Cur illi, qui quærit, dicitur, quære? Sed attende, quòd tres gradus, vel tria notantur ſcilicet quærere & ſecundò quærite, & poſtea convertimini, & venite, quia triplici modo poteſt quæri Deus, ſcilicet ore, & actibus exterioribus, & quia hoc non ſufficit, ſubdit quærite, ſcilicet etiam corde, & poſtea convertimini, ſcilicet operatione: ſic autem ſecurè poteſt quæri Chriſtus medicus ab ægroto, ab avaro theſaurus, à dilecto ſponſus, & ab hærede Regnum, & tali pacto ſanabit infirmitates tuas, ditabit tuam paupertatem, conſolabit tuam ſolitudinem, & coronabit te in gloria. *Ser. 1. Dom. 4. Pent.*

194. *Pœnitentia adjungenda eſt ſollicitudo, & efficacia.*

Si quæritis, quærite. Quodnam eſt hoc, quòd additur primæ inquiſitioni? Sed attende, quòd loquitur quærentibus Deum per pœnitentiam, quia non ſufficit apprehendere diſciplinam pœnitentiæ, ſed requiritur ſollicitudo, alioquin caſſa erit pœnitentia: hinc dicit, ſi quæritis, quærite cum ſollicitudine, convertimini, & venite, nempe ſollicitè, vel ſi quæritis ore, quærite opere. *In Thren. c. 3. Sap. c. 7. Pſal. 120.*

195. *Prælati, & Prædicatores maximè occurrant fugientibus à Chriſto cum pane verbi Dei, & Sacramentorum.*

Qui habitatis terram Auſtri, cum panibus occurrite fugienti. Cur fugienti debent occurrere iſti habitatores Auſtri? Et qui ſunt fugientes? Et qui occurrentes? Nota, quòd terra Auſtri eſt Eccleſia, quæ habitatur, & regitur à Prælatis, & Prædicatoribus, & ad quam convocantur omnes fideles, ſed quia inter illos ſunt multi fugientes ad partes diaboli, ideo præcipitur Prælatis, & Prædicatoribus, ut iſtis fugientibus occurrant cum panibus verbi Dei, & Sacramentorum, excitando voce, & verbo vocando, & exhibendo iſtos panes ad ipſorum refectionem: Prælatorum enim, & Prædicatorum munus hoc eſt, non ſolùm ad ſe venientes, ſed & fugitivis, & fugientibus, & recuſantibus occurrere, ipſoſque pro poſſe excitare, vocare, pulſare, ut ad Chriſtum eos reducant. *Serm. 2. Dom. 6. Pent. Joan. collat. 36.*

CAPUT

CAP. XXII.

296. *Status bonus, & malus Eccleſiæ, & Religionum à ſancto Propheta prædictus.*

ONUS vallis viſionis: quidnam quoque tibi eſt, quia abſcondiſti & tu in tecta? clamoris plena, Urbs frequens, Civitas exultans, interfecti tui non interfecti gladio, nec mortui in bello: cuncti Principes tui fugerunt ſimul duréque ligati ſunt. Nota, quod ad litteram Propheta deſcribit captivitatem, & miſerias futuras Hieruſalem: ſed myſticè alluditur ad miſerias Eccleſiæ, & Religionum, ob captivitatem ſpiritualem filiorum: & hinc dicit, Onus vallis viſionis: Verè grande onus, & flagellum, quod Eccleſia, & Religio, quæ debet eſſe locus viſionis, orationis, & contemplationis, reddatur miſera, & deſerta ob vitam peſſimam filiorum, & plena interfectorum ſpiritualiter, quia major pars vivit in peccatis, & luxuriis, & vinculis diaboli, & hoc maximè ob Prælatos ſervientes propriis cupiditatibus, & relinquentes oves diſperſas in poteſtate luporum. *In Thren.c.2.& Ugo Card.hic.*

297. *Servi Dei debent deflere ex compaſſione miſerias, & calamitates populorum, & pro eis orationes ad Deum fundere.*

Recedite à me, amarè flebo, & nolite incumbere, ut conſolemini me ſuper vaſtitate filiæ populi mei. Nota, quòd Propheta prævidens deſolationem Hieruſalem, amarè flebat, nec ullam conſolationem admittere volebat propter compaſſionem, quam ad proximum ſuum in corde gerebat: Per quod oſtenditur, quòd proprium eſt ſervorum Dei compati miſeriis proximi, & populorum, pro eis deflere, & ad Deum confugere, & præcipuè debent hoc facere pro miſeria ſpirituali animarum, quando vident eas conculcari à diabolo, & ſepultas jacere in peccatis. *Ser.1.Dom.9. Pent.op.Diæt. tit.7.c.3. In Thren.c.1.*

298. *Dies mortis, & judicii impiorum eſt dies occiſionis, conculcationis, & fletuum.*

Diem occiſionis, &c. appellat tempus devaſtationis Hieruſalem, ſed melius appellatur dies mortis, & judicii impiorum: Dies ſcilicet conculcationis quoad corpus, quod à tranſeuntibus calcatur in ſepulchro, & quoad animam conculcantur in Inferno à Dæmonibus, quia antequam morerentur occiſi erant per mortem peccati, ubi perpetuò lugebunt: In Iudicio autem Univerſali conculcabuntur ſimul à ſanctis triumphantibus. *Sermon. 1. Dom. 9. Pent. Luc.c.21. v.24.* Ex his vide quomodò juſto Dei judicio pauperes, ac miſeri in hac vita à potentibus conculcati, in Iudicio ipſi à pauperibus conculcabuntur.

299. *Signum patens reprobationis peccatorum, cum vocati per Prædicatores ad pœnitentiam, ad impudicitias, & voluptates ſe convertunt.*

Et vocabit Dominus exercituum in illa die ad fletum, ad planctum, ad calvitium, & ad cingulum ſacci, & ecce gaudium, & lætitia occidere vitulos, & jugulare Arietes, comedere carnes, & bibere vinum: comedamus, & bibamus, cras enim moriemur, &c. Notanda ſunt hæc verba prophetica ad inſtructionem noſtram: Dat enim intelligere quòd imminente deſolatione Civitatis Hieruſalem, Deus præmiſit Prophetas, & Prædicatores, invitantes illos populos ad pœnitentiam, non ſolùm interiorem, ſed exteriorem per fletum, planctum, & cingulum ſacci, &c. Sed ipſi contrarium fecerunt, nam obturantes aures ad voces Dei, ſe præcipitaverunt in crapulas, ebrietates, luxurias, & vana gaudia: propter quod irritantes vehementer Dei furorem, duriſſimè ſunt puniti. Notentur iſta verba à populis chriſtianis, qui aliquando à Deo viſitantur per Prædicatores, & ſuos ſervos, & ad pœnitentiam interiorem, & exteriorem invitantur, maximè imminente aliqua tribulatione, & tunc contemnentes iſtam, divinam viſitationem, à Deo ſeverè puniuntur. *Ser.1. de uno Confeſſ. Luc.c.5.v.32.& c.7.v.32. Ioan.c.21. v.19.* Et hinc ſubdit Propheta in perſona Dei: *Si dimittetur iniquitas hæc vobis, donec moriamini, dicit Dominus Deus exercituum:* quaſi dicat, numquam dimittetur vobis hæc iniquitas, ſed moriemini mala morte: *Sic Ugo Card. & Gloſſa hic, &c.*

300. *Deus vocat peccatores ad pœnitentiam interiorem, & ab hac ad exteriorem, & ab exteriori, ad ſtatum ſuperiorem.*

Et vocabit Dominus in die illa ad fletum, & planctum, ad calvitium, & ad cingulum ſacci. Nota illud primum verbum, vocabit Dominus in illa die: quomodo vocabit? loquendo ad cor vocat peccatorem ad pœnitentiam interiorem, & lachrymoſam attritionem, & deteſtationem internam peccatorum: Addit, & ad calvitium, id eſt ad depoſitionem capillorum, ſcilicet peccatorum per confeſſionem, & ad ſingulum ſacci, per pœnitentiam exteriorem, & ex hoc, ad ſuperiora nos vocat, nempe de amore creaturæ, ad amorem Creatoris. *Ser. 1. Dom. ſeptuag.*

301. *Pœnitentia exterior quàm Deo placita, ſuppoſita interiore.*

Et vocabit Dominus ad fletum, & planctum, ſcilicet ad contritionem lachrymoſam, & ad calvitium, & ad cingulum ſacci, nempe ex hoc, ad pœnitentiam exteriorem, ut hinc videamus, quàm Deo ſit placita pœnitentia exterior. *Ser.1. Dom.1. ſeptuag.*

302. *Per Sanctum Patrem noſtrum Franciſcum Chriſtus vocavit, & vocat continuè peccatores ad pænitentiam, & ad ſtatum religioſum.*

Et vocabit Dominus in illa die ad fletum, ad planctum, ad calvitium, & ad cingulum Sacci. In illa die: In qua die? In tempore ſcilicet neceſſitatis, & imminentis ruinæ Hieruſalem, ſcilicet Eccleſiæ militantis, quando nimirum Eccleſia lateranenſis minabatur ruinam, ut oſtenſum fuit ſummo Pontifici, tunc ſcilicet, quando totus ferè mundus poſitus erat in maligno. tunc quando ſcelera graſſabantur impunita per totum orbem: Tunc Deus miſit Seraphicum Franciſcum, ut veluti alter Angelus ab ortu ſolis aſcendens, ob puritatem angelicam ſuæ vitæ, novum ordinem pœnitentium inſtitueret, & per ſe, & per ſuos accinctos ſaccis, vocaret ad pœnitentiam homines: Et hinc in bonum, quod in malum ſubdit Propheta de Hieroſolomitanis, ſubſecutum eſt, *Et ecce gaudium, & lætitia*, quia hinc in tota Eccleſia ſecuta eſt maxima lætitia, & fructus, & reformatio. *Op. legenda S. Franc. in prol. & c. ſequenti.*

303. *Alii comedunt, & bibunt in malum animæ, alii in bonum.*

Et ecce gaudium, &c. comedere carnes, & bibere vinum: comedamus, & bibamus, cras enim moriemur. Nota, quòd hoc dicitur de voluptuoſis deditis crapulæ, & ebrietati, & ſubjectis obedire Deo: ſed quomodo poſtea alibi dicit Chriſtus, comedite amici, & bibite, & inebriamini? ſed attende, quòd alii comedunt in malum animæ, alii in bonum: In malum ſunt qui rejicientes jejunia, & omnem pœnitentiam, ſe immergunt in crapulam, & ebrietatem: vel præſumentes de longa vita, vel deſperatione moti, dicunt comedamus, & bibamus, cras enim moriemur, & iſti ſubjecti ſunt iræ Dei: Alii in bonum Carnem Chriſti, & ſanguinem devotè ſumunt, & dulcedine cœleſti inebriantur, iſti in bonum comedunt, & bibunt, & in continua lætia, & tripudio vivunt. *Luc. c. 15. v. 23. & c. 17. v. 27. & c. 12. v. 19. Ecclen. cap. 3. & 5. & cap. 8. & 9. ſap. capit. 3.*

304. *Ventri, & gulæ dediti ſuum Paradiſum in cibo, & potu recognoſcunt.*

Comedamus, & bibamus, cras enim moriemur. Nota ſenſum horum verborum, quibus dant iſti ſubditi intelligere, quod aliud præmium non expectant, niſi repletionem ventris, hoc enim eſt ipſorum Paradiſus, & totam ſuam vitam, & finem in tali ingluvie & repletione recognoſcunt. *Ecclen. c. 3. & 8. & 9. ſap. c. 3.*

305. *Examen quale fiet à Chriſto Iudice in morte Prælati.*

Vade ad præfectum templi, & dices ad eum: quid tu hic? aut quaſi quis hic? Ecce qualis erit interrogatio, quam faciet Dominus Prælato in morte: quid tu hic, ſcilicet, quomodo huc intraſti: & quis hic, nempe qualis in hac prælatura vixiſti, & fuiſti? & quomodo cuſtodiſti gregem tuum? quaſi dicat: quid tu hic? ſcilicet quomodo huc intraſti, & quid tu facis in Eccleſia? aut quaſi quis hic? ideſt ut ſtatua, quæ non eſt quis, ſed quaſi quis, & Idolum, *Sap. cap. 6.* Et ſequitur: *Excidiſti, excidiſti tibi ſepulchrum, excidiſti in excelſo, in excelſo memoriale diligenter in petra tabernaculi*: & hoc merito dicitur de malo Prælato, qui ſepulchrum poteſt dici à ſua hypocriſi ſibi, & in ſe fabricatum: ſepulchrum dicitur ſemipulchrum, ideſt intus fœtidum, extra pulchrum. *Sap. cap. 6. Luc. c. 11. v. 43. & Ugo hic.*

306. *Impii à Dæmonibus aſportantur ad Infernum capite ad ipſum verſo; & pedibus ligatis, ſicut gallus gallinaceus aſportatur ad forum: Iuſti capitè ad Cælum verſo ab Angelis cum gaudio.*

Ecce Dominus aſportari te faciet, & ſicut aſportatur gallus gallinaceus, &c. Quænam ſimilitudo eſt iſta? ad quid? ſed attende myſterium intentum à Spiritu Sancto: Vide quomodo aſportatur gallus gallinaceus ad forum, nempe pedibus ligatis furſum poſitis, & capite ad terram verſo: ſic & impii à diabolo aſportantur ad Infernum ligatis manibus, & pedibus, & capite ad Infernum verſo, & meritò, nam in vita caput ad terram ſemper converſum habuerunt: ſicut è contra juſti ab Angelis aſportantur capite ad Cœlum converſo, & manibus, & pedibus ſolutis, & liberis. *Ser. 1. Dom. 15. Pent. & ſerm. 3. de mortuis, & Ugo hic.*

307. *Prælati mali, & impii quali corona coronantur in Inferno.*

Coronans coronabit te tribulatione. Nota, quòd hic loquitur cum Sobna ad litteram, qui fuit peſſimus Prælatus, & idem dicitur cuicumque impio, maximè Prælato: coronans coronabit te tribulatione: ergone coronatur Prælatus malus in alia vita? maximè: coronatur in hac vita prælatura, & coronatur pariter in altera: ſed qua corona? Non corona caſtitatis uti coronantur Virgines, nec fortitudinis ut Martyres, nec veritatis, ut Doctores, ſed corona æternæ miſeriæ, & calamitatis in corpore, & anima, *Op. Diat. tit. 10. c. 2.* Unde ſicut juſti ob tribulationes toleratas pro Chriſto, coronantur à Chriſto in Cœlo, ſic impii coronantur in Inferno ignea corona. *Ser. 1. de S. Matthia.*

308. *Peccator maximè Prælatus malus eſt ſicut pila in hac, & in alia vita pro ludo diaboli.*

Quaſi pilam mittet te in terram latam, & ſpatioſam, ibi morieris, & ibi erit currus gloriæ tuæ; & ignominia domus Domini. Nota hanc ſimilitudinem verè dignam, & exprimentem peccatoris infelicitatem, & maximè Prælati mali, in qua proponitur pila, terra lata, & ſpatioſa, & mors futura: pila eſt ludus, in quo pila projicitur de uno ad alium, & ſignificat volubilem cogitationem: Terra lata, & ſpatioſa eſt dilectio circa carnem, & ſanguinem dilatatam, per mortem pri-

vatio vitæ ſpiritualis ſignificatur. Dat igitur intelligere, quòd quilibet impius, præcipuè Prælatus malus eſt pila Dæmonum, de quo ludunt inter ſe, unus jaciendo alteri, Dæmon ſuperbiæ jacit eum Dæmoni avaritiæ, & hic jacet Dæmoni gulæ, & ille ſtatim jacit Dæmoni luxuriæ, & ita immittunt eum in terram latam, & ſpatioſam, quæ ducit ad mortem: ô infelix Prælatus, ibi morieris æternaliter, & ibi erit currus gloriæ tuæ, ideſt ſicut in hac vita de curru in currum, de honore, & lætitia, in lætitiam & honorem portatur, donec tandem projiciatur in Infernum, ubi cruciabitur, tranſeundo de ſupplicio in ſupplicium ſicut pila Dæmonum. *Pſal.* 118. *c.* 6. *v.* 16. *ſer.* 1. *de S. Mathia, & Ugo Card. hic.*

309. *Tempus ceſſationis ſacerdotii legis veteris, & adventus Chriſti Regis, & ſacerdotis prædictum hic à Propheta.*

Et expellam te de ſtatione tua, & de myſterio tuo deponam te, & in die vocabo ſervum meum Heliachim. & induam illum tunica ſua, & cingulo ſuo, & dabo clavem domus David ſuper humerum ejus. Nota, hæc eſt prophetia patens de tranſlatione ſacerdotii, & Regni Iudæorum ad Chriſtum ſignificatum per Heliachim, ſicut etiam notatur à Sancto Luca *c.* 3. ubi deſcribit, ſacerdotium conferri tunc, non per unctionem, ſed per terrenam poteſtatem Romanorum, & cum ceſſaſſet unctio ſacerdotalis, & unctio regalis, & cum ſummus ſacerdos deberet eſſe & Rex, & Sacerdos, ſolùm in Chriſto id verificatum eſt, qui fuit ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, & ſic tranſlato ſacerdotio, tranſlatio etiam legis facta eſt, & ſupervenit Evangelium. *Luc. c.* 3. *v.* 2.

310. *Clavis poteſtatis ſoli Chriſto data, & quomodo.*

Et dabo clavem domus David ſuper humerum ejus. Nota quòd hic loquitur textus de poteſtate aperiendi Regnum Cœlorum, & ſuper Eccleſiam, & dicitur data ſuper humerum Chriſti, ſcilicet ipſi ſoli data, quia ſolus poteſt claudere, & aperire, &c. ſed quomodo dicitur ſoli Chriſto data, cum etiam Eccleſia habeat: ſed attende, quòd meritò dicitur Chriſto data clavis: nam clavis eſt inſtrumentum removens obſtaculum ad ingrediendum, & ideo rectè tranſlatum eſt hoc nomen ad ſpiritualia, nempe ad ingreſſum in Regnum Cœlorum, ad quod triplex obſtaculum inveniebatur, ſcilicet peccati mortalis commiſſi, quod eſt debitum æterni ſupplicii: debitum peccati contracti, nempe ſolutionis pretii, & debitum peccati dimiſſi, nimirum ſolutionis pœnæ temporalis: Ad removendum igitur hoc triplex obſtaculum, triplex clavis requirebatur, & ad primum, ſolùm valet poteſtas divina, ſcilicet deletio culpæ, & dicitur clavis auctoritatis: Ad ſecundum eſt clavis excellentiæ data Chriſto ad ſatisfaciendum Patri per ſolutionem pretii: Ad tertium eſt clavis miniſterii data à Chriſto hominibus, ſcilicet Eccleſiæ, & miniſtris: De ſecunda igitur excellentiæ loquitur hic, per quam potuit aperire Cœlum. & clauſit lymbum, ne ibi amplius animæ deſcendant, & claudet in fine mundi Cœlum, & Infernum, ne in ipſa amplius intrari poſſit. *l.* 4. *d.* 18. *p.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ſermon.* 10. *Rogat.*

311. *Chriſto data eſt clavis intelligentiæ Sacræ Scripturæ, ſine quo non poteſt in ipſam intrari.*

Et dabo clavem domus Dei David, &c. Nota, quòd duplex eſt clavis, alia eſt ſcientiæ, alia ſolutionis: prima docet diſcernere quid agendum: ſecunda ſolvere debitum: In Chriſto fuit perfectiſſimè utraque, & ideo ab ipſo dependet in nobis intelligentia totius Sacræ ſcripturæ, & omnium myſteriorum, quæ in ipſa continentur, & ad ipſum diriguntur, atque ordinata ſunt. *l.* 4. *d.* 18. *p.* 1. *a.* 3. *q.* 2. *Luc. c.* 24. *v.* 45. *Ioan. collat.* 85. *Luc. c.* 11. *v.* 52.

312. *Chriſti Crux eſt clavis Paradiſi.*

Et dabo clavem domus David ſuper humerum ejus. Quomodò ſuper humerum poſita eſt hæc clavis Chriſti, & non potius in manu? Nota, quod hæc clavis fuit Sancta Crux, qua Chriſtus oneratus eſt, bajulans ipſam ad Calvariæ locum, hanc appellat clavem, quia per ipſam aperta eſt porta Paradiſi, nec aliquis intrare poteſt ſine iſta clave, ſic latro cum tali ſigno admiſſus eſt in Paradiſum. *Ser.* 3. *in Vigil. Nativit. ſer.* 10. *in Rogat. op. Comp. Theol. l.* 4. *c.* 20. *Sap. c.* 14. *Luc. c.* 15. *v* 5. *Ioan. c.* 19. *v.* 17. *& collat.* 48. *ſer. in Exaltat. S. Crucis.*

313. *Sacerdotes cum poteſtate conficiendi corpus Chriſti, recipiunt in ordine duplicem clavem*, ſcilicet ſcientiæ, ſeu poteſtatem diſcernendi inter lepram, & lepram, & ſolvendi à pœna debita culpæ: Unde de quolibet ſacerdote dicitur: *Et dabo clavem domus David ſuper humerum ejus. l.* 4. *d.* 18. *p.* 1. *per totum. & diſt.* 19. *q.* 1.

314. *Claves Eccleſiæ principaliter reſident in ſummo Pontifice*, licèt conferantur homini ratione Sacerdotis, non ratione Epiſcopatus, cum non ſit ordo diſtinctus, licèt amplientur in Epiſcopo in ordine ad regimen: & ideo alia eſt poteſtas clavis ordinis, alia juriſdictionis: prima exercetur in foro pœnitentiali: ſecunda in judiciali: illa dicitur propriè clavis: iſta, gladius: prima data eſt Petro ut ſacerdoti: ſecunda ut Prælato, & propriè hæc clavis eſt propria ſacerdotum novæ legis, non veteris: ſed quia talis poteſtas ordinis exigit uſum, ideo ſecundum uſum, & exercitium poteſt reſtringi, & tolli à Prælatis: & de hac poteſtate dicitur hic: *& dabo clavem, &c.* Scilicet Chriſto principaliter, & poſtea Sacerdotibus, *l.* 4. *d.* 18. *p.* 2. *a.* 1. *q.* 3. *& d.* 19. *a.* 2. *per totum.*

315. *Super brachia Crucis Chriſtus portavit cum clavibus charitatem, & cæteras virtutes, & ovem perditam.*

Et dabo clavem, &c. ſuper humerum ſuum. Nota, ſuper humerum: quis humerus Chriſti? humerus Chriſti duplex, nempe brachium Crucis, in his portavit,

portavit, & collocavit totam ſuam poteſtatem, & cum iſta, etiam charitatem, & alias virtutes, ut ferret in iſtis humeris ovem perditam, dum humanam naturam ſuſcipiens, nos, & peccata noſtra portavit *Luc.c.15.v.5.*

316. *Crux Chriſti in ejus humeris ſignum triumphale victoria.*

Et dabo clavem domus David ſuper humerum ejus. Cur ſuper humerum ejus? In ſignum Prælaturæ ſuper totam Eccleſiam, & victoriæ, quam Chriſtus reportavit de hoſtibus ſuis. *Ioan.cap.19. verſ.17.*

317. *Exaltatio Sanctæ Crucis prædicta à Propheta expenditur.*

Et figam in loco fideli paxillum, & erit in ſolium gloriæ domus patris ſui, & ſuſpendent ſuper eum omnem gloriam domus patris ejus, vaſorum diverſa genera, &c. Nota quod per paxillum, vel palum intelligit Propheta myſtice vel juſtum ſirmum in ſervitio Dei per charitatem, quæ ſtabilem reddit animam, & Deo fidelem. *Luc.c.6. v.49.* Vel Sanctam Crucem, quæ in Eccleſia fidelibus eſt expoſita, ut per eam omnis gloria Dei refulgeat, ut per eam fideles animæ innumera bona reportent pluſquam ex palo à Moyſe erecto, in quo erat ſerpens æneus, & ideo ad hunc palum appendunt omnes Sancti & beati vaſa ſua, ſcilicet recognoſcunt ab ipſa filiationem Chriſti, mortificationem, victoriam de hoſtibus, abundantiam gratiarum, & gloriam cœleſtem: Cor igitur noſtrum ſit fixum in Cruce, & crux in corde ſit, in ore, in lingua, & in membris, & ubique ſitvetur, intra totum hominem. *Ioan. c.3. Op. Diat.tit.10. c.3.op.Laudiſmus de Cruce. ſer.de Exalt. S.Crucis. ſer.de S.Andr.&c.*

CAP. XXIII.

318. *Religioſorum qualis confuſio ſuperari à ſæcularibus in perfectionis ſtadio.*

O*NUS Tyri, ululate naves maris: quia vaſtata eſt domus, ſcilicet Tyri, &c. Erubeſce Sidon, ait mare, & fortitudo maris, dicens non parturivi, &c.* Nota, quòd in hoc capite Propheta prædicit devaſtationem Tyri Civitatis ditiſſimæ ob multas negotiationes ſuas, & notat, quòd mare, ſcilicet Tyrus, quæ fundata erat in mari, dicebat Sidoni, erubeſce, quia non dediſti auxilium huic miſeræ Civitati ſecum confœderatæ: ſed myſticè Tyrus ſignificat mundum à diabolo devaſtatum; mare mundanos, & ſæculares: Sidon ſignificat Religioſos: mare igitur dicit Sidoni erubeſce: & cur? quia diligentia habitantium in mari ſuperat vitam clauſtralium, nam plerumque actione ſæcularium confunditur vita clauſtralium, dum illi extra habitum regularem aſſumant opera, & iſti iuxta ordinem proprium non faciant corda: Verendum igitur eſt, quod ſæcularis poſſit clauſtralem reprehendere, & dicere, erubeſce Sidon. *Ser. 4. in Epiph.* ô quot ſæculares vitam in ſæculo ſpiritualem ducentes confuſionem, & erubeſcentiam ingerunt tot Religioſis tepidis, quod experientia continua compertum eſt in mulieribus fragilibus, & vetulis ſimplicibus toto corde Deo ſervientibus.

319. *Meditatio crucifixi Ieſu cum laudibus divinis, oratione, & ſancta operatione jungenda.*

Sume citharam circui Civitatem, benè cane, frequenta canticum. Ergone ſuadet Propheta tripudia cum ſono, & canticis? maximè, ſed in bonum: Nota tamen, quod per citharam intelligitur Chriſtus in Cruce, in qua membra tamquam chordæ extenſa ſunt: Verè cithara, quia in Cruce dulces ſonos, de chorda cordis reddidit, nempe duos ſonos pro malis reddidit, duos pro bonis, duos pro mundo toto, & duos pro ſemetipſo: ſume igitur ô anima hanc citharam per meditationem, circui civitatem vitæ Chriſti, vel Eccleſiæ, vel conſcientiæ. nempe quærendo Deum tuum per plateas mandatorum, & conſiliorum Dei: benè cane, ſcilicet laudes Dei, & orationes & frequenta canticum, ut memoria tui ſit, ſcilicet apud Deum. *Ser. .. Dom. 3. quadrag.ſer.3. Paraſc.ſer.2. in Paſcha. ſer.1. Dom.17. Pent. & Ugo Card. hic.* Nota etiam, quòd aliqui Doctores dicunt, hanc citharam eſſe laudem Beatæ Virginis. V. G. Salutationem Angelicam, hanc ſumendam eſſe, & recitandam frequenter, circuiendo civitatem vitæ Beatæ Mariæ Virginis, ſic enim dulcis ſonus, & cantus redditur auribus Dei, & Beatæ Virginis, ſic apud Bernardinum de Buſtis, & alios quamplures. Et hoc maximè practicatur in Roſario ejus.

320. *Pœnitens in ſeipſo faciat citharam ad cantandum laudes in auribus Dei.*

Sume citharam, circui Civitatem, meretrix oblivioni tradita. benè cane, frequenta canticum, ut memoria tui ſit. Nota, quòd hæc diriguntur meretrici oblivioni traditæ, ſcilicet animæ jam in peccatis exiſtenti, quæ fornicata eſt cum amatoribus multis, nempe cum diabolo, mundo, & carne: ſed unde ſumenda eſt hæc cithara? ſume citharam, ait Propheta: ſume in te, fac, & conſtitue in te citharam, coram Chriſto, ſcilicet conſtitue cantum, ut lignum inferius, & animam, mentemque ut lignum, extende inſuper membra veluti chordas ſiccatas per pœnitentiam, patientiam, & exercitium virtutum: circui Civitatem canendo, & citharam tangendo, ſcilicet circui Civitatem Eccleſiæ, Deum laudando per orationem, confeſſionem, & laudem, corde, ore, & opere: ſicque memoria tui erit, & auribus Dei gratam muſicam reſonabis. *Pſal.97. & Ugo hic.*

321. *Impii ſunt negotiatores in malum: Iuſti in bonum.*

Viſitabit Dominus Tyrum, & reducet eam ad merces ſuas &c. & erunt negociationes ejus, & mercedes ejus ſanctificatæ Domino, non condentur, neque reponentur, quia his, qui habitaverint, coram Domino erit negociatio ejus. Ad litteram prædicit Propheta, quòd Tyrus poſt captivitatem reædificabitur, & ad mercimonium redibit, & quia negotiationes ejus in bonum vertentur, ideo Deo placebunt: Myſticè dat intelligere, quòd duplex eſt negotiatio, mala, & bona: mala eſt quando ſpiritualia convertuntur in temporalia per ſimoniam: mala eſt quando venduntur, vel emuntur temporalia cum injuſtitia: mala eſt, quando Deo ſervit homo pro quæſtu & lucro temporali: mala eſt illius, qui pro vili pretio vendit animam diabolo: bona negotiatio, & à Deo ſanctificata eſt in qua ſpiritualia, vel temporalia dantur pro ſpiritualibus, ſcilicet illius, qui miſericordiæ opera exercet in proximum, nam charitas de omnibus lucrum reportat, de malis aliorum meliotatur, de ſordibus lavatur, de paupertate ditatur, de infirmitate ſanatur, de onere alleviatur: ô quàm bona negotiatio eſt iſta, quæ parum dat, & multum accipit, felix iſte negotiator. *Luc.cap.19. verſ.13.*

CAPUT XXIV.

322. *Quales ſunt ſuperiores, tales ut plurimum ſunt ſubditi.*

E*T erit ſicut populus, ſic ſacerdos, & ſicut ſervus, ſic Dominus ejus, ſicut ancilla, ſic Domina, &c.* Quare erunt iſti ſic ſimiles, qui tam ſtatu diſſimiles ſunt: quia qualis eſt Prælatus, tales ut plurimum ſunt ſubditi: Prælati enim, qui ſolo verbo regunt, in vanum laborant; qui verò verbo, & exemplo, multum fructum afferunt. *Ser.1. Dom.1. poſt oct. Paſchæ. fer.2.f.r.4.Pent.fer.3.Dom.19.Pent.* Et nota, quòd ſubdit: ſicut emens ſic ille, qui vendit, quia utrique decipiuntur in ſua mercatura, tam Prælati, quàm ſubditi malè viventes: quod etiam intelligi poteſt de eo, qui mercaturam exercet cum diabolo, uterque enim decipitur, ſed magis peccator pro vili pretio dans animam, & gratiam. *Diat.tit.1.c.2.*

323. *Quàm pauci ſunt, qui Deo ſerviunt purè propter Chriſtum.*

Et erit ſicut populus, ſic ſacerdos. Nota, quòd hic collocat in eodem ſtatu ſacerdotem, & populum: ſed nonne eſt ſacerdos collocatus in altiori ſtatu? Sed attende, quòd hic exprimit miſeriam Eccleſiæ, in quam incidit, quando ſacerdotes ſe vilificant in terrenis ſicut mundani, quando ad Chriſti ſequelam ſe transferunt, non ut Deo purè ſerviant, ſed ob pecuniam, vel lucrum, vel commodum temporale, quando Sacerdotes, & Prælati paſcunt ſeipſos, non gregem, quando quærunt, quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti: Tunc ſicut populus, ſic ſacerdos, tunc magna calamitas in Eccleſia Dei. *Luc.c.12.v.24. in Thren.c.2. in fine.*

324. *In Iudicio Univerſali apud Iudicem ſupremum nulla erit acceptio perſonarum.*

Ecce Dominus diſſipabit terram, &c. & erit ſicut populus, ſic ſacerdos, ſicut ſervus, ſic Dominus ejus, &c. Nota quòd hic Propheta prædicit terribilitatem Iudicii univerſalis, & ſtrages, quæ ipſum præcedent in mundo, & præcipuè oſtendit, quòd apud Chriſtum Iudicem nulla erit acceptio perſonarum: nam omnes boni erunt cum Chriſto ad dexteram: omnes mali cum diabolo ad ſiniſtram, & ſimul ſine differentia confuſi in omnium præſentia, nec ulla erit differentia inter nobilem, & ignobilem, inter ſacerdotem, & laicum, inter ſervum, & Dominum, ſed omnes ex æquo ſtabunt ante tribunal Chriſti, & ibi juncta peccata ſimul ante omnium oculos erunt, & omnes abſorpti erunt à ferociſſima ſententia: ô qualis anguſtia! hinc erunt accuſantia peccata, inde terrens juſtitia, ſubtus patens horridum chaos Inferni, deſuper iratus Judex, intus urens conſcientia, foris ardens mundus: ſi juſtus vix ſalvabitur, peccator ſic deprehenſus ubi parebit? latere, erit impoſſibile; apparere, intolerabile. *Ser.3.fer 3.Paſchæ, & fer.2.fer.4. Paſchæ, & S. Hieronym.hic.*

325. *Propter peccata ſterilitas terræ, deſolationes terrarum, ruinæ populorum.*

Luxit, & defluxit terra, & infirmata eſt, &c. terra infecta eſt habitatoribus ſuis, quia tranſgreſſi ſunt leges, &c. propter hoc maledictio vorabit terram, &c. Nota, quòd in hoc capitulo deſcribit Propheta diverſas ſtrages, tum terræ, tum Civitatum, tùm populorum, tum ex infectione aëris, &c. quæ occupant, & diſſipant mundum: & ut oſtendat originem tot calamitatum, dicit, quia tranſgreſſi ſunt leges, &c. ut videas, quòd propter peccata veniunt adverſa quòd peccata cauſant ſterilitatem terræ, tempeſtates, inundationes; ſiccitates, peſtilentias, bella, & deſolationem Civitatum. *Ser.9.de Dedic.* Et nota metaphoram luctus, & defluxus quem attribuit terræ, ut videas, quòd ſterilitates, inundationes, &c. ſunt veluti lachrymæ ex Elementis extractæ vi peccatorum noſtrorum.

326. *Quàm pauci ſunt, qui Deo fideliter ſerviunt.*

Hæc erunt in medio terræ, in medio populorum, quomodo ſi paucæ olivæ, quæ remanſerunt excutiantur ex olea, & racemi, cum fuerit finita vindemia: quaſi dicat: ô quàm pauci ſunt, qui Deo fideliter ſerviunt: ſunt ita pauci ſicut racemi relicti ex finita vindemia. *Luc.c.18. v.8.*

327. *Secretum quale à Contemplativis, Prædicatoribus & juſtis ſervandum.*

Hi (ſcilicet juſti) *Levabunt vocem ſuam, atque laudabunt, &c. propter hæc in doctrinis glorificate Dominum, &c. & dixi, ſecretum meum mihi.* Nota, quòd prius Iuſtis præcipitur levatio vocis ad Deum glorificandum, & Prædicatoribus, ut in doctrinis Deum iridé glorificent: poſtea Propheta ſubjungit, ſe velle ſecretum ſervare, ſecretum meum mihi: Cur dum Deus præcipit levationem vocis, ipſe ſecretum vult obſervare? ſed attende, quòd aliud eſt tempus loquendi, aliud tacendi: aliquando vult Deus, ut in voces prorumpant ſervi ſui ad Deum laudandum, ad inſtruendos populos, & aliquando, ut ſileant: & hoc dicitur contemplativis, quorum eſt celare divina ſecreta: ſic Maria tacens conſervabat in corde ſuo myſteria, quæ credebat: Item Prædicatoribus præcipitur ſilentium, quando vident, deficere capacitatem auditorum ad credendum, & ſuſcipiendum verbum Dei: ſic Diſcipuli tacebant Domino jubente, nec revelabant myſteria cognita ante reſurrectionem Chriſti, ne incredibile crederent, quod videbant, & ne apud rudes crux ſcandalum redderet: ſilentium item imponitur Iuſtis, ne velint laudare ſe, vel laudari in hac vita, ſed dicant, ſecretum meum mihi. *Luc.c.9.v.36.*

328. *Non omnibus contemplativis æqualiter donantur gratiæ, & favores à Domino.*

Et dixi, ſecretum meum mihi, ſecretum meum mihi. Quid eſt hoc ſecretum repetitum? quia non omnibus æqualiter datur à Deo gratiæ contemplativis, ſed unuſquiſque dicere poteſt, *ſecretum meum mihi*. quia non omnibus uno loco datur frui gratia, & ſecreta ſponſi præſentia, ſed ut cuique paratum eſt à Patre: alicui enim datur compunctio interna, alicui meditatio, alicui contemplatio, &c. *Op. de ſept. Itiner. æternit.d.2.*

329. *Prævaricantes legem Dei alii ſunt ex cupiditate, alii ex vanitate, alii ex voluptate.*

Unde dicitur hic: *prævaricantes prævaricati ſunt, & prævaricatione tranſgreſſorum prævaricati ſunt, formido, & fovea, & laqueus, &c.* formido pertinet ad cupiditatem, fovea ad voluptatem, & laqueus ad vanitatem pertinet. *Pſ.118. c.10.v.12.*

330. *Per creaturas homo Deum offendit, & per ipſas punitur in hac vita, ſicut & ante Iudicium univerſale punietur.*

Formido, & fovea, & laqueus ſuper te, qui habitator es terræ, quia cataractæ de excelſo apertæ ſunt, & concutientur fundamenta terræ, confractione confringetur terra, & agitatione agitabitur terra ſicut ebrius, &c. Nota quòd ad literam Propheta prædicit impiis Judæis varia flagella, quibus puniendi erant à Deo: ſed myſticè prædicit primò quid futurum ſit in mundo ante Judicium univerſale, & ſecundò effectus culpæ, quos ſubeunt peccatores propter Dei offenſas multiplicatas: quia enim cor peccatoris per multiplicationem peccatorum fit terrenum, & veluti terra ſterilis, ideo perturbationibus ſubjicitur, & meritò, nam omnia, quæ ad uſum vitæ accipit vertit in culpam, tranquillitatem humanæ pacis, in ſecuritatem; peregrinationem viæ pro habitatione perenni diligit patriæ, ſalutem corporum redigit in uſum vitiorum, ubertatis abundantiam, non ad neceſſitatem carnis, ſed ad perverſitatem intorquet voluptatis, ſerenitatem aëris cogit ſibi ſervire ad amorem terrenæ delectationis: Iure meritò igitur nos omnia feriunt ut quot in mundo habemus gaudia, tot ſentiamus tormenta, ut verificetur illud *Sap.c.11.* Per quæ quis peccat, per hæc & punitur: Ideo creaturæ, quibus contra Deum utimur, veluti miniſtræ divinæ juſtitiæ nos puniunt, & torquent. *Luc.c.21.v.11.* Hinc vide, quàm meritò à Deo terræ motibus concutimus, quia ipſum ex terra, ejuſque fructibus offendimus.

331. *Qui in terrenis ſuam ſpem collocat, ſubjectus eſt continuè terræ motibus, & agitationibus: qui in cæleſtibus, ſecurus vivit.*

Confractione confringetur terra, contritione conteretur terra, agitatione agitabitur terra ſicut ebrius, & auferetur quaſi tabernaculum unius noctis. Nota, quòd in his verbis dat Spiritus ſanctus intelligere inconſtantiam horum terrenorum, nempe, quod homo terrenus veluti terra commotioni continuæ ſubjacet: quia enim in rebus terrenis ſuam ſpem, & ſecuritatem collocat. & quia iſta ſunt tranſitoria, non firma, vel ſtabilia, ideo ſemper agitatur veluti exiſtens in terra terræ motibus ſubjecta, & veluti ebrius neſciens quid agat, ſicuti è contra, qui in charitate radicatus eſt, & cæleſtibus ſe & ſua commendat, ideo ſtabilis, & ſecurus etiam in medio agitationum vivit, quia ſine Deo nihil ſecurum, & ſtabile. *Luc.c.6.in fine.*

332. *Idem confirmatur.*

Agitatione agitabitur terra &c. Nota autem, quòd hic Propheta quatuor mala prædicit collocanti ſuam ſpem, & fælicitatem in terrena ſapientia, & ſtudio terrenorum, appellat autem terram eos peccatoris, tamquam locum inſtabilem, & periculoſum, & hoc quadruplici malo ſubjacet, ſcilicet agitationi, commotioni, contritioni, & confractioni: quia enim agitatur terrena cogitatio, & intelligentia circa iſta terrena ſtudia, ideo agitationi infructuoſæ terrenorum ſubjicitur, quia terrena concupiſcentia commovetur tota die, & nocte, ideo periculoſæ agitationi, & commotioni ſubjicitur, quia terrena conſcientia conteritur circa terrena, ideo pedetentim reſolvitur conſcientiæ bonitas, & quia confractione confringitur conſcientia, dum in varia ſtudia terrenorum ſe continuò exercet, & revolvit, & ideo perdit conſcientiam, & in omnem iniquitatem præcipitat: Vide ergo quale malum eſt deſerere Deum, & cor affligere terrenis. *Pſal.118.c.5.v.3.*

333. *Militia alia bona, alia mala: & milites alii Chriſti, alii diaboli.*

Et erit in die illa: Viſitabit Dominus ſuper militiam Cœli in excelſo, & ſuper Reges terræ: Quid eſt militia hæc Cœli? Nota, quòd alia eſt militia Cœli, alia terræ, & utraque alia bona, alia mala, quia alii militant Diabolo, alii Chriſto: Pro Chriſto militant illi, qui induti armatura Dei arripiunt gladium virilitatis, & ſcutum patientiæ ad pugnandum contra vitia, & ad tolerandum patienter tribulationes: Pro diabolo militant, qui contra Chriſtum vitiis armantur: Viſitat igitur Dominus ſuos benedicendo, & præmia largiendo, viſitat & malos, eis pœnam inferendo *Pſal. 118. c. 9. v. 15. ſer. 3. Dom. 1. quadrag. ſer. 4. in Dom. Trinit. Op de pugna vitior. c. 1. & Vgo hic.*

334. *Prælati ſunt milites Cæli, ſubjectique citationi Chriſti Judicis.*

Viſitabit Dominus ſuper militiam Cæli in excelſo, & ſuper Reges terræ. Quænam eſt hæc militia Cœli? Et ſi hæc eſt multitudo Angelorum, quomodo Deus eos viſitabit? ſed nota illud verbum, In excelſo, loquitur de iis, qui poſiti ſunt in excelſo ſtatu dignitatis, & Prælaturæ: debent enim eſſe milites cœli, & pugnare pro Chriſto, ut ad cœlum evehant ſubditos, ſicut Cæli regunt hæc inferiora, & ideo cum graviſſima ſit obligatio ipſorum, & ſimul periculoſiſſima, ideo ab ipſis diſtrictam requiret Deus rationem de ſuo ipſorum munere, dicens unicuique in morte, redde rationem villicationis tuæ. *Op. de Eccleſ. Hier. p. 4. c. 3.*

335. *In die judicii zizania ſeparabuntur ab electis, & in faſciculos, ſecundùm varia genera peccatorum coacti in Infernum præcipitabuntur.*

Et congregabuntur in congregatione unius faſcis in lacum, & claudentur ibi in carcere, & poſt multos dies viſitabuntur. Quid eſt, quod viſitabuntur damnati poſt multos dies? Ergone liberabuntur ab æternali pœna aliquando, ut falsò docuit Origenes? minimè: ſed hic alluditur ad duplicem viſitationem, ſcilicet in morte, & in Judicio univerſali: datque intelligere Propheta, quod in Judicio colligentur mali per ſeparationem à bonis, alligabuntur per conjunctionem in pœnis per ſpeciales faſciculos, qui pares fuerunt in culpis: ſicut enim in Cœlo ſunt diverſæ manſiones, ſecundum diverſitatem meritorum, ſic & in Inferno eſt diverſitas pœnarum, ſecundum diverſitatem criminum: Viſitat igitur Chriſtus malos in morte, & ſecundum qualitatem peccatorum eos inducet in ſocietatem ſimilium, in Inferno: & iterum viſitabit in Judicio, & ſimul cum corpore, & anima alligati, ad comburendum præcipitabuntur. *Ser. 2. & 3. Dom. 4. poſt oct. Epiphan. & ſerm. 3. Dom. 22. Pentec. l. 4. d. 44. p. 2. a. 1. q. 1.*

336. *Signa in ſole, & ſtellis ante Iudicium prædicta à Propheta.*

Et erubeſcet luna, & confundetur Sol, cum regnaverit Dominus exercituum in monte Sion, & in Hieruſalem, & in conſpectu ſenum ſuorum fuerit glorificatus. Nota, quòd hic patenter prædicit Propheta ſigna, quæ præcedent Judicium univerſale, in ſole, luna, & ſtellis, quæ ſigna erunt in obſcuratione, quæ de ipſis fiet: ſed quomodo confundetur ſplendor ſolis? ſed nota, quòd ſicut ob peccatum hominis ſolis lumen minoratum eſt à ſuo naturali ſtatu, ſic & per proſopopæjam dicitur, quod in die Judicii confundetur, ſcilicet obſcurabitur, id eſt viſis tot iniquitatibus hominum, quæ in mundum proferentur, erubeſcent, & confundentur luminaria, quia talibus indignis ſervierunt. *L. 4. d. 48. dub. 2. & 4. a. 2. q. 1. & Vgo hic.*

337. *Obſcuratio ſolis, & lunæ in anima qualiter fiat ſpiritualiter.*

Et erubeſcet luna, & confundetur ſol, cum regnaverit Dominus &c. Ad litteram loquitur de liberatione Judæorum de manibus Idumæorum, & per proſopopæiam dicit, quod ſol, & luna erubeſcent ad conſpectum iniquitatum ipſorum, cum è contra ex ipſorum manibus Deus triumphabit, eos liberando, & regnando ſuper eos: Myſticè dat intelligere, quod in anima fit ſimilis obſcuratio ſolis, & lunæ ſcilicet intellectus, & mentis, quando fit interpoſitio inter Deum, & animam per peccata, vel quando etiam obnubilatur ipſa anima ex vaporibus defectuum, & imperfectionum. *Pſal. 118. cap. 5. v. 16. ſer. 1. Dom. 1. Adv.*

CAP. XXV.

338. *Convivium gloriæ à Chriſto ſuis præparatum expenditur.*

ET *Faciet Dominus Deus omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ.* Quodnam convivium eſt hoc à Deo ſuis ſervis paratum? nam cum in hoc convivio promittantur omnia deſiderabilia guſtui, videtur hoc potius velle ſatisfacere appetitui gulæ, & carnis? ſed attende ad illud verbum, In monte hoc, ſcilicet in monte Eccleſiæ triumphantis, datque intelligere quale convivium præparavit ſuis electis populis, in quo convivio conſiderare debemus; quis ſit Rex, & Pater familias præparans tale convivium, quæ familia ad ipſum invitata, qualia fercula, & vina appoſita: Rex familias eſt Chriſtus Deus, & homo. unde dicit, faciet Dominus, ſcilicet opulentiſſimus, ſollicitus de bono noſtro: familia invitata ad hoc convivium ſunt electi de ſuo populo, unde dicit, omnibus populis, ſcilicet electis hominibus, & Angelis, quos omnes ad ſuam menſam invitat, dicens, Diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi Pater meus Regnum, ut eda-

tis,

tis, & bibatis ſuper menſam meam in Regno meo. *Luc.c.22.* Sed quid edendum, & bibendum? quænam fercula, & pocula hujus menſæ? Iſta ſunt pinguia, & medullata fercula, & pocula vinaque defæcata dulciſſima, & puriſſima, nempe cibus, & vinum in hoc convivio erit Agnus puriſſimus, mundus, & immaculatus Dominus noſter Jeſus-Chriſtus Filius Dei Patris, & Mariæ Matris, de quo ſanctis ſpiritibus miniſtrabuntur ad omnem ſufficientiam fercula nobiliſſima: nobilia quidem de ipſius ſuperbeatiſſima Divinitate: In illa domo, in illo monte glorioſo anima ingreditur ad deguſtandum Divinitatem, egreditur ad prælibandum humanitatem, & paſcua invenit ad omnem ſufficientiam, & ſatietatem, ibi inebriatur ab ubertate domus Dei, & torrente voluptatis divinæ potatur, ibique ſemper adhæret ſitis, atque ſatietas, ſed miro quodam modo longè à ſatietate faſtidium: Ubi omnes ſancti, & electi Dei Spiritus Altiſſimi Patris hæredes, & filii, convivia unuſquiſque ſuo die faciunt, ut legitur de filiis Job, quando ſe invicem cæleſtibus gaudiis paſcunt, & de meritis ſuis, & præmiis, juxta datam ſibi gloriam fercula delicioſiſſima propinant, quia una eſt omnibus gloria, omnia omnibus communia, omnium commune gaudium: ô beati, qui ad hoc convivium Agni vocati ſunt: ô utinam & nos digni efficiamur fieri hujus menſæ commenſales. *Op. ſoliloq. c.4. op. de dono ſ.p.c.9. ſeq. Luc. c.13. v.29. ſerm.2. de S. Cathar.*

339. *Convivium ſpirituale præparat Chriſtus animæ in hac vita per miſſionem ſpiritus ſancti, & infuſionem ſuorum donorum.*

Et faciet Dominus in monte hoc convivium, &c. Nota, quòd hoc munus præparandi convivium in Eccleſiæ monte datum fuit Chriſto, qui ſimul cum Patre miſit Spiritum ſanctum in die Pentecoſtes in Apoſtolos, & Diſcipulos, & continuè mittit injuſtos per infuſionem ſuorum donorum: diem ſpiritualem facit animæ per ſuam illuminationem, paſcuaque, & refectionem mirabilem per ſuam dulcedinem: nam intellectus in die ſuo convivium facit, & præparat, quia in eo quod audita penetrat, reficiendo cor, tenebras ejus illuſtrat: Sapientia in die ſuo convivium facit, quia mentem æternorum ſpe & certitudine reficit: & conſilium convivium præparat, dum præcipitem eſſe prohibet, & ratione, & recta directione animam replet: fortitudo verò, affert meſſem in adverſis, & cibos confidentiæ trepidanti apponit: ſcientia in ventre mentis ignorantiæ jejunium ſeparat: pietas cordis viſcera miſericordiæ operibus replet: Timor verò convivium in die ſuo facit, dum præmit mentem, ne de præſentibus ſuperbiat, & de futuro illam cibo ſpei cibat: ô felix, qui ad hæc convivia dignus eſt introduci. *Op. de ſeptem Itiner. æternit: Itin.6. d.7. op. de ſeptem donis per totum.*

340. *Quale convivium nobis à Chriſto præparatum in menſa Altaris cum concurſu Beatæ Mariæ Virginis.*

Et faciet Dominus in monte hoc convivium pinguium, medullatum, & vindemiæ, &c. Nota, quod hic etiam alluditur ad convivium Euchariſtiæ nobis à Chriſto præparatum in Eccleſia, de quo *Luc.c.15.* dictum eſt: *Adducite vitulum ſaginatum, & occidite:* nam in hoc convivio Chriſtus eſt Vitulus occiſus in Cruce, & ſaginatus, ſed pinguis, & medullatus, ſcilicet omnibus bonis repletus, & ſuaviſſimus ad ſpiritualem cibum, qui eſt & cibus, & conviva, & diſpenſator, quia ipſe delectatur nobiſcum, & nos cum ipſo, & hoc faciente ipſo: In hoc convivio apponitur panis Angelorum, ſcilicet caro Chriſti condita in Cruce, vinum ſanguinis, quod eſt purum, ignitum, conditum, & dulciſſimum: cibus quidem, & vinum dulce gutturi, & non ſolùm gutturi animæ, ſed & viſurpet contemplationem limpidam, auditui per inſpirationem cælicam, olfactui per ſuavitatem odoriferam attrahentem animam ad ſe, guſtui per guſtationem ſapidam, & tactui per tentionem amabiliſſimam: Ad quam præparationem Beata Virgo Maria concurrit ſimul cum Chriſto: Ideo poterat verè dicere Propheta: Et faciet Dominus, & Domina in monte convivium: Ergo ô Virgo Virginum benedicta tu in mulieribus ora pro nobis, quo nos reficiamur in hoc ſacro convivio. *Op. de dono ſap.c.5. & de ſeptem Itiner. ætern. Itin.6. d.6. Luc. c.15. v.23.*

341. *Convivium aliud Dei, aliud diaboli.*

Et faciet in monte hoc Dominus convivium pinguium, &c. Nota quòd dicit, Dominus, Deus non diabolus, quia diabolus etiam ſuis præparat convivium triplex: primum eſt malum: ſecundum pejus: & tertium peſſimum: primum malum eſt Gaſtrimagiæ, nempe ubi gula in comeſſationibus, & ebrietatibus paſcitur: ſecundum pejus jactantiæ, & vanitatis, ut ſunt convivia, quæ fiunt ad jactantiam, ut fuit Herodis in die natalis ſui: Tertium peſſimum, eſtque malitiæ, eſtque ad proximi damnum, vel mortem, vel deceptionem: Convivium verò Dei eſt primò pietatis, in quo vocantur pauperes, & indigentes: ſecundò charitatis ad charitatem fovendam: Tertiò felicitatis ſpiritualis, de quo dictum eſt ſupra. *Luc.c.14. v.12.*

342. *Poſt tribulationem pro Chriſto toleratam Deus immittit perfectam conſolationem.*

Præcipitabit Deus mortem; & auferet lachrymam ab omni facie, & opprobrium populi ſui, &c. Nota, quòd hic ad litteram deſcribitur felicitas ſanctorum in alia vita, in qua ſancti immunes erunt ab omni pœna, dolore, atque tribulatione, quod tamen etiam in hac vita aliqualiter facit à ſervis ſuis experiri: nam poſt tribulationem, & lachrymas Deus immittit conſolationem, & quietem. *Luc.c.21. v.31. In Thren.c.3.* Nota etiam quod ad expreſſionem majorem protectionis Chriſti in ſuos, ſubdit, & extendet manus ſuas ſub

ſub eo, ſicut extendit natans ad natandum, ideſt extendere facit juſtorum manus, ſcilicet bona opera, & ad Crucis tribulationes tolerandas, ne ſubmergantur, ſed ut ſubleventur, ne cadant, & poſtea in cœlo coronentur. *Serm. 1. de S. Andrea.*

CAP. XXVI.

343. *Chriſtus Jeſus murus, & munimentum Eccleſiæ, & anima noſtræ.*

VRBS Fortitudinis noſtræ Sion ſalvator, murus, & antemurale &c. Quomodo, & qua ratione appellatur ſalvator Jeſus murus, & antemurale Civitatis? ſed attende, quod hæc Civitas eſt illa, quam fundavit in terra Chriſtus Jeſus, nempe eſt Eccleſia militans, & etiam dicitur anima noſtra: Hanc Eccleſiam ipſe fundavit perfectiſſimo modo, nam ſuper petram ipſam ædificavit, ſcilicet ſuper propria merita, ipſam circumdedit muro, nempe ſeipſo, qui eſt murus ipſam defendens: circa eam collocavit antemurale ſuarum virtutum, Sanctorum interceſſionem, & defenſionem Angelorum humilitate foſſatum, quæ omnia cæmento charitatis colligavit: quod & de quacumque anima juſta dici poteſt, quæ cum Chriſto unita nihil timere debet, & ſine Chriſto expoſita eſt hoſtium crudelitati. *Pſal. 47. & 79. & 107. op. Comp. Theol. l. 4. c. 5. Ioan. c. 5. v. 42. & in Ecclen. c. 10.*

344. *Veritatis cuſtodia aperit animæ portas Paradiſi.*

Aperite portas, & ingredietur gens juſta, & cuſtodiens veritatem. Quænam ſunt iſtæ portæ? Nota, quòd ſunt portæ Paradiſi, iſtæque ſolùm aperiuntur genti juſtæ: quæ eſt gens juſta? eſt quæ cuſtodit veritatem: Nota, quod dicit, cuſtodiens veritatem, ſcilicet, non ſolùm cuſtodiens veritatem ſcientiæ, ſed etiam conſcientiæ, quæ habet fidem cum operibus, in quo conſiſtit perfecta juſtitia. *Pſal. 118. c. 5. v. 11.* Et nota etiam, quòd Chriſtus *Luc. c. 11.* dixit, petite, quærite, pulſate, & aperietur vobis, quia ut aperiatur nobis, debemus petere, orando, quærere, rectè vivendo, & pulſare perſeverando in operibus juſtitiæ, ſicque aperietur nobis. *Luc. c. 11. v. 9.*

345. *A pace ad pacem in morte tranſeunt ſperantes in Domino.*

Vetus error abiit: ſervabis pacem, quia in te ſperavimus. Nota, quòd ex diſceſſu veteris erroris conſequitur pax, pax: quis iſte error? quæ eſt duplex iſta pax? Vetus error ad litteram eſt cultus Idolorum: Myſticè vetus error eſt mundanorum, qui in ſatisfaciendo appetitui carnali, ſuam ſpem collocant, credentes ſe poſſe in hoc veram pacem obtinere, quod eſt falſiſſimum: nam ſolùm in Dei fiducia, in Deo ſerviendo vera pax obtinetur. & duplex pax: pax in hac vita, & pax in altera vita: pax ſcilicet cum Deo, & proximo, à qua ad fruitionem pacis in Cœlo anima ſecure tranſit. *Ioan. collat. 66. & Ugo hic.*

346. *Chriſto, & ejus Vicario D. Petro pauperi, & humili data eſt poteſtas, & dominium Romæ, & Eccleſiæ.*

Civitatem ſublimem humiliabit uſque ad terram, conculcabit eam pes, pes pauperis, greſſus egenorum. Nota, quòd hic ad litteram Propheta exprimit primò conculcationem Hieruſalem factam à Chaldæis, & deinde à Romanis ob mortem Chriſti: ſed myſticè prædicit præſidentiam Chriſti pauperis ſuper Eccleſiam, dominium loco Chriſti datum D. Petro ſuper Civitatem Romæ, & ſuper totam Eccleſiam: ſic multi Expoſitores: Et bene dicit, conculcabit eam pes pauperis, quia dum Petrus reliquit omnia pro Chriſto, & facto, & corde, Chriſtus ipſum exaltavit, & ipſum conſtituit Dominum domus ſuæ, & Principem omnis terræ, & hoc ob ſuam humilitatem, & paupertatem ſpiritus perfectiſſimam. *Ser. 2. de Cathedra S. Petri.*

347. *Via, & ſemita Juſtorum recta ſine offendiculo, & impedimento: malorum difficilis.*

Semita Iuſti recta eſt, rectus callis Iuſti ad ambulandum Nota, quòd non dicit, via, ſed ſemita Iuſti recta: quodnam diſcrimen eſt inter vias juſtorum, & ſemitas? via Iuſtorum eſt obſervantia mandatorum Dei, ſemita eſt conſiliorum evangelicorum, in utraque eſt rectitudo, & ob id, qui per ſemitas iſtas incedit, rectè incedit, & ſine offendiculis, & cum ſuavitate, & facilitate intrat in Civitatem Hieruſalem: ſed è contra viæ mundi ſunt obliquæ, difficiles & offendiculis plenæ. *Luc. c. 3. v. 4. Ecclen. c. 10.*

348. *Dei ſervi qualiter excitandi ad Spiritum devotionis in oratione.*

Et in ſemita judiciorum tuorum Domine ſuſtinuimus nomen tuum, & memoriale tuum, in deſiderio animæ, anima mea deſideravit te in nocte, ſed & ſpiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te. Nota, quòd hic repræſentatur anima, quæ in oratione, & meditatione judiciorum, & myſteriorum Dei ſe exercet, & ſuſtinet, ducitque vitam ſuam: docetque in his verbis qualiter anima poſſit ſe excitare ad devotionem per varia media, & exercitia, nempe modo ex timore judiciorum Dei, modo ex dolore, modo ex amore, modo ex compaſſione, ſed præcipuè multiplicatione deſideriorum, ſuſpirando, & anhelando ad gratiam ampliorem virtutum, & ad familiaritatis divinæ ſuavitatem, vel ad Chriſti præſentiam in Cœlo, vel ad alia ſancta deſideria adimplenda, unde dicit, nomen tuum, & memoriale tuum in deſiderio animæ, anima mea deſideravit te in nocte ſcilicet hujus vitæ. &c. per quod patet, quod hoc exercitium deſideriorum cordis eſt ſummè fructuoſum. *Op. de perfect. religioſ. l. 2. c. 73. Luc. c. 4. v. 63. Ecclen. cap. 12.*

349. *Nomen Ieſus memoriale vivum, & verum mirabilium Dei.*

Domine nomen tuum, & memoriale tuum in deſiderio animæ. Nota, quòd ad nomen Domini ſubdit, & copulat memoriale Dei deſideratum ab anima Deum amante: quod eſt hoc nomen Dei memoriale? & quale memoriale, cum multa ſint nomina Dei aſſignata in Sacra ſcriptura? ſed nota, quòd dicit, quod hoc nomen eſt memoriale Dei, ſcilicet non unius operis, ut nomen auctoris, ſed in communi, nempe omnium Dei mirabilium, & hoc eſt nomen, quod eſt ſuper omne nomen, videlicet nomen Jeſus: eſt enim memoriale vivum, quia in eo, non ſolùm ſignificatio, ſed & virtus operum Dei continetur tanquam in vaſculo, ſicuti ipſum appellat D. Bernardus, vaſculum enim eſt plenum virtute Dei, per quod omnia miracula, & virtutes operatur Deus: eſt memoriale vivum, in quo omnia opera creationis, & redemptionis repreſentantur, & hoc eſt, quod deſiderarunt Sancti Patres antiqui, hoc eſt, quod in mente volvebant, hoc eſt, quod Maria, & Angeli, & homines venerantur, hoc eſt, quod in deſiderio, & in centro cordis noſtri debet conſervari, & inde ad linguam, & ad os reſpondere: Jeſus mel in ore, in aure melos, in corde jubilus. *Luc. cap. 2. v. 21 & c. 12. v. 19. op. Comp. Theol. l. 4. c. 12. op. meditation. cap. 100. & op. de quinqu. feſtivit. ſol. 2.*

350. *Euchariſtia cum nomine Ieſus memoriale mirabilium Dei.*

Domine nomen tuum, & memoriale tuum in deſiderio animæ. Nota etiam, quòd cum ad propoſitionem nominis Jeſus, quod prævidit Propheta manifeſtandum in Eccleſia, alludere videtur ad aliquod aliud memoriale mirabilium Domini Jeſu, hoc eſt ad ſacramentum auguſtiſſimum Euchariſtiæ, memoriale verum, & vivum, non tantùm rememorativum, ſed etiam demonſtrativum: memoriale, inquam, Dominicæ paſſionis, quæ in eo renovatur, & repetitur, & demonſtrativum exiſtentiæ, & præſentiæ realis ipſius Domini Jeſu Chriſti, & ob id ſignativum, & ſanctificativum & oſtenſivum ſuæ infinitæ charitatis, item & conſervativum, & confortativum, unde rectè de ipſo dicitur à David: memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors, & miſerator Dominus. *Pſalm.* 118. *Luc. c. 22. v. 19. Ecclen. c. 12.*

351. *Oratio nocturna, & matutina quàm apta ad recipiendas gratias, & inſpirationes divinas.*

Anima mea deſideravit te in nocte, ſed & ſpiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te. Nota illa verba (de nocte, & de mane): per quæ dat intelligere, quàm Deo ſit chara oratio nocturna, & matutina, & quàm apta recipiendis inſpirationibus divinis, tunc enim facilius fores ſenſuum clauſæ ſervantur, & evagatio vitatur mentis, & vires animæ recolliguntur ad Deum videndum, & ipſum contemplandum. *Luc. c. 2. 3. & c. 9. v. 32. & c. 11. v. 8. Ioan. c. 20. v. 20. op. Incendium c. 3.*

352. *Anima exiſtens in peccato, vel tenebris obſcuratа, ad Deum præcedere faciat ſua vota, ut illuminetur.*

Anima mea deſideravit te in nocte. Cur in nocte, & non de die? Benè dicitur, in nocte, ſcilicet obſcuritatis, vel peccati: datque intelligere, quod anima videns ſe jacere in tenebris peccati, & in involucris obſcuritatis mentis, debet primò immittere ad Deum, qui ſolus eſt lumen illuminans animas, ſua vota, & deſideria; ut per ipſa tamquam per nuntios, à Deo mereatur recipere illuſtrationem cæleſtem: & hic eſt primus gradus converſionis à peccato, & per quem Maria Magdalena pervenit ad amplexandum pedes Domini. *Ser. 1. de S. Maria Magdal. Ser. 2. Dom. 1. Ad.*

353. *Deus cum juſtitia ſemper miſcet ſuam miſericordiam ad eruditionem noſtram, & præcipuè Judicum.*

Cum feceris judicia tua in terra, juſtitiam diſcent habitatores orbis. Sic dicit Propheta, cui reſpondet Dominus: *miſereamur impio, & non diſcet juſtitiam facere*, ſcilicet puram, & rigidam: quaſi dicat: Ego facio juſtitiam in peccatores, ſed tamen contemperatam cum miſericordia, ut ſic diſcant homines facere juſtitiam, ſed mixtam cum miſericordia, quia judicium ſine miſericordia fiet ei, qui non fecit miſericordiam. *Serm. 2. Dom. 1. Adv.*

354. *Damnatorum major pœna erit privatio viſionis Dei.*

In terra ſanctorum iniqua geſſit, at non videbit gloriam Dei. Nota, quòd hic loquitur Deus de damnatione impiorum, unde legunt ſeptuaginta: Tollatur impius, ne videat gloriam Dei, ubi notandum illud verbum, impius, & aliud, tollatur: quis eſt impius, niſi ille, qui ſine charitate Dei vitam ducit, & cultum Dei dereliquit? dicit igitur de iſto, tollatur, ſcilicet in morte elongetur à viſione Dei: hæc enim eſt maxima pœna damnatorum, & meritò hæc infligitur, quia qui vita brutali vixit hic in terris, non eſſet juſtum judicium, quod vita angelica in cognitione veritatis æternæ, & amore beatitudinis increatæ, in quibus conſiſtit gloria, in cælis jubilans perfrueretur. *Op. Myſt. Theolog. c. 3. p. 3. Luc. c. 13. v. 35.*

355. *Eccleſias prophanantes ſubjecti flagellis Dei, & æternæ damnationi.*

In terra ſanctorum iniqua geſſit, non videbit gloriam Dei. Quæ eſt hæc terra ſanctorum? Legunt alii in terra ſancta, & hæc eſt Eccleſia Dei: datur per hoc intelligi, quod qui iniqua gerit in Templo ſancto Dei, qui Templum Dei violat, qui opera extranea à cultu divino in ipſo exercet, non videbit gloriam Dei, nempe ſubjectus erit flagellis Dei, & damnationi, quia ejicietur à Chriſto extra hunc locum ſanctum. *Ioan. c. 2. v. 15. & ſeq.*

356. *Zelus indiſcretus quàm noxius: Bonus quàm Deo charus.*

Videant, & confundantur zelantes populi, & ignis hoſtes tuos devoret. Quomodo petit Propheta confuſionem in zelantes populos? nonne zelus cultus Dei eſt bonus, Deoque charus? ſed attende, quòd duplex eſt zelus, bonus, & malus, ordinatus, & inordinatus, ſeu indiſcretus: loquitur Propheta zelatoribus, qui ſub ſpecie zeli in ſe pſis vitia fovens, zelantes ſuper alios, & qui ſubſpecie virtutis vitium palliant, virtutem perſequentes, vel qui ad modum Phariſæorum decimant rutham, & mentam & relinquunt, quæ graviora ſunt, ſcilicet qui accenduntur puniendo pro una parva negligentia, & pro maximis vitiis tacent, quod diligenter advertant Prælati, ut zelum Dei cum diſcretione pro loco, & tempore, & perſonis exerceant alioquin in iram, & vindictam præcipitabunt. *Pſal.118.c.5.v.16. Op.de ſex alis ſeraph.c.3.Op.Phar.l.3.c.35.*

357. *Impii ab igne inquietudinis devorantur in hac vita, & in alia ab igne Inferni: Juſti pacem in hac, & in alia vita habent.*

Ignis hoſtes tuos devorat, nobis autem dabis pacem. Ecce quale diſcrimen inter vitam impiorum, & juſtorum, nam impii devorantur ab igne, ſcilicet inquietudine, laſſitudine, labore, & ſine pace vivent, & plus poſtea in Inferno devorabuntur ab illo igne æterno: Juſti è contra, vita, & pace perenni perfruuntur in hac, & alia vita. *ſer.3. feria 3.Paſcha.*

358. *Deum auctorem omnium bonorum recognoſcens ſuperbiam evitat.*

Omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine. Ecce qualis eſt primus gradus deſtruendi ſuperbiam, & humilitatem conſequendi, nempe recognoſcere Deum auctorem omnium bonorum; nam ſine Deo nihil boni poſſumus operari. cum à Deo omnia bona proveniant, ideo ſervus Dei hæc conſiderans, non ſibi, vel propriæ virtuti attribuit: non ſic fecit Lucifer, qui non conſiderans ſe de nihilo factum eſſe, ſed potius aſpiciens ſuum decorem, extulit ſe in ſuperbiam, & hinc præcipitatus eſt, ſic ſubdit, Gigantes non reſurgant, ſcilicet confidentes de ſua virtute, & ideo filii ſuperbiæ luciferiani poſſunt verè dici *Op. de perfect.vitæ c.2. Op. de quinq. feſtivitat. ſolem 5. Pſal.118.c.6.v.9. Ecclen.c.12.ſap.c.7.l.2. d.28.q.ultim.Luc.c.17.v.9.& c.19.v.16. Op.Brevil. p.4.c.7.*

359. *Chriſtiani nomen qualem excitationem ad virtutem conferat.*

Domine Deus noſter poſſederunt nos Domini abſque te: tantùm in te recordemur nominis tui. Propheta hic ad litteram innuit captivitatem Judæorum, in qua tamen ſolùm petebat, ut eis daretur gratia non obliviſci nominis Dei: Myſticè loquitur de anguſtia, & tribulatione, in qua Chriſti ſequaces ſæpe reperiuntur: In quo ſtatu petit fidelis à Deo, ut in ipſo recordemur nominis ſui; ſed quid eſt recordari in Chriſto nominis Chriſti? At attende, quòd hoc eſt recordari, & memoriam habere nominis Chriſtiani in ipſo Chriſto, & ex ipſo procedentis: quaſi dicat tantummodo petimus in tot anguſtiis, & tentationibus ut jugiter recordemur, & perpetuo nos à tuo nomine nominatos chriſtianos: ſic Ugo, aliique Patres: ſed quænam gratia eſt hæc, quæ petitur, & prætenditur: forſan recordatio nominis chriſtiani affert ſalutem? Reſpondetur, quod hæc conſideratio eſt maximum excitamentum ad virtutem: Chriſtianus enim eſt qui credit in Chriſtum, per imitationem ſuarum virtutum, & vitæ, ex quo patet, quod ad hoc ut fides perfectè tendat in Deum, requiritur adjunctio charitatis, quæ ordinat ad amorem Dei, ad operationem boni, ad perpeſſionem mali, & ad dilectionem proximi, & ob id ad obedientiam Chriſto debitam, & hoc eſt ſequi Chriſtum, & verum chriſtianum eſſe. *Op.Centil.p 3.ſect.37.*

360. *Chriſtus pugnat cum peccatoribus gladio tribulationis, ut ipſos vincat.*

Domine in anguſtia requiſierunt te, & tribulatione murmuris doctrina tua in eis. Nota hîc, quòd dicit in tribulatione, non in proſperitate requiſierunt te, hoc enim eſt proprium Dei præliare contra peccatorem gladio tentationis, ſpinis tribulationum, ut qui ſponte converti nolunt, coacti flagellis convertantur: ô quot damnati, abſorptique in flammis Inferni eſſent, ſi talibus perſecutionibus à Deo non fuiſſent vulnerati, quia victi ſe ſubjecerunt ipſi Deo: ſed hic attende, quòd ſæpe etiam reperiuntur ſceleſtiſſimi homines, qui ſe vinci à Deo non ſinunt, ſed duri, & ſemper duriores contra ictus, & impulſus divinos remanent: ô infelix victoria, in qua, qui vincit, victus remanet. *Ser. 1.in oct. Paſchæ ſap. c.18 Pſal.118.c.10.v 1.*

361. *Timor Domini à Spiritu ſancto eſt, & quales effectus ejus.*

A facie tua concepimus, & quaſi parturivimus, & peperimus ſpiritum ſalutis. Quænam conceptio, & quis partus eſt iſte à facie Domini? Nota, quod ſeptuaginta legunt, propter timorem tuum, vel à timore tuo concepimus &c. Ut videas, quod facies hîc indicat Dei vindictam, ex cujus conſideratione concipitur ſpiritus ſalutis, & excitatur anima ad benè operandum, relinquendo Dei offenſas: Hic autem adverte, quod alius eſt timor ſervilis, alius eſt filialis, uterque eſt donum, & à Spiritu ſancto proveniens: Timor ſervilis venit à Spiritu ſancto, ſed non cum Spiritu ſancto, alter eſt utroque modo, à Spiritu ſancto, & cum Spiritu ſancto: ſervilis eſt à Spiritu ſancto, qui facit credere pœnas à Deo præparatas peccatoribus, & ob id concurrit ibi quædam illuminatio cordis, & directio, & hinc quædam cordis emollitio, & reſtrictio fluxus concupiſcentialis, & rectificatio, per conſequens, ob timorem pœnarum æternalium; alius timor eſt formatus charitate, & Spiritu ſancto, & de hoc maximè verificatur textus, quia ſecurè, & certiſſimè facit concipere ſpiritum ſalutis. *L.3.d.34.p.2.q.1.*

362. Malorum

362. *Malorum proprium eſt concipere, & abortum facere: Bonorum concipere, & parere, & ad perfectum reducere partum.*

A facie tua concepimus, & parturivimus, & peperimus ſpiritum ſalutis. Cur addit ad conceptum duplicem partum, parturivimus, & peperimus? cur hæc repetitio, quæ videtur ſuperflua? At verè non eſt ſuperflua repetitio, quia per hoc aſſignat diſcrimen inter malos, & bonos; nam boni, & juſti concipiunt per bonam voluntatem, parturiunt per deliberationem, & pariunt per operis executionem, vel corde concipiunt, ore parturiunt, & opere pariunt, & partum ad ſtatum perfectum reducunt, quod propoſuerunt in corde: mali verò concipiunt quidem, recipiendo inſpirationes è Cœlo, ſed ſtatim propoſitum ſuffocant conceptum, abortum iniquum faciendo, & extinguendo de quibus dicitur Iſa. c.37. Venerunt filii ad partum, & virtus non eſt pariendi; ô quot homicidæ tales in mundo. *Op. Dial. tit. 3. c. 4.* Nota etiam quòd à facie Domini dicitur quis concipere per affectum Spiritum ſalutis, & creſcendo per affectum paritur, & per effectum nutritur. *Op. comp. Theol. l.4. cap. 21.*

363. *Ad ſalutem perfectam non ſufficit concipere, niſi etiam foras parturiatur.*

A facie tua concepimus. Et quia non hoc ſufficit ut ſalus perfecta habeatur, ſubdit, *& parturivimus, & peperimus*, ſcilicet quia anima anguſtiatur ex Spiritu timoris ſervilis, ſeu initialis pro peccatis commiſſis, ad quod concutit dolor, labor, & timor, requiritur, ut foras hæc anguſtia emittatur per affectum charitatis ſecernentis ad plenum conſcientiam, quæ foras mittit timorem, nempe ſervilem, & filialem inducit. *Opuſc. Comp. Theol. l. 5. capit. 41. Pſal.* 130.

364. *Peccatoris conceptus & partus difficilis, & laborioſus: Iuſti verò facilis, & ſuavis.*

A facie tua concepimus, &c. & quaſi parturivimus Spiritum Salutis. Nota, quòd dicit quaſi parturivimus: ergone partus non habet effectum? ſed attende ad myſterium: illa particula, quaſi, denotat diſcrimen inter partum peccatoris, & viri juſti: nam quia parturitio ſanat anguſtias, & dolores, ponitur, quaſi, ut det intelligere, quod homo amplectens inſpirationem divinam, concipit cum delectatione, & conſentiendo, parit cum gaudio, & hinc ſequitur præmium beatitudinis: E contra peccator in ſorde concipit, in dolore parit, & in labore vivit: nam concupiſcentia cum concipit per delectationem, parit peccatum (quod eſt ſerpens torquens peccantem) & cum conſummatum fuerit, generat mortem. *Pſalm.* 127. *Luc. c. 5. v. 41.*

365. *Dei gratia aliis eſt in ſalutem, aliis in perditionem.*

Ros lucis, ros tuus, & terram gigantum detrahes in ruinam. Quid eſt hic ros, & ros lucis? & cur repetitio roris fit? & quomodo ad expoſitionem hujus roris conſequitur deſtructio, & ruina gigantum? Sed attende, quòd per rorem intelligitur divina gratia, quæ eſt ros lucis ſcilicet illuminans mentem, & iterum dicitur ros abſolutè, quia inflammat, & reficit, & conſolatur voluntatem ipſam recipientium devotè: ſed quia ſuperbi ſignificati nomine gigantum, ipſam repellunt, & conculcant, ideo iſtis impiis eſt in ruinam. *Sermon. 1. Dom. 2. infra oct. Nativit.*

366. *Solùm in thalamo cordis benè clauſo funditur oratio, recipiturque Spiritus Sanctus.*

Vade populus meus, intra in cubicula tua, claude oſtia ſuper te, abſcondere, &c. Nota quòd hæc dirigunturad populum Dei, ut intret in cubicula ſua, &c. Sed quid prætendit Spiritus Sanctus ex hoc ingreſſu? Nihil aliud, niſi nos inſtruere, quod qui deſiderat adventum Spiritus Sancti, qui vult ditari divinis chariſmatibus, relinquat exteriora, intret in cubiculum cordis, ipſumque claudat ab omni ſenſualitate, ſicque mirabiliter ornatus erit, ſecurè, & fructuosè orationes ſuas fundet ad Deum, & libenter Deus in ipſum intrabit. *Ioan. cap. 20. v. 20. & collat. 48. Pſalm.* 100.

CAP. XXVII.

367. *Diaboli varia nomina expenduntur & deceptiones deteguntur.*

IN *die illa viſitabit Dominus ſuper leviathan, &c.* Nota, quòd per leviathan intelligitur diabolus: Leviathan enim interpretatur additamentum, ſcilicet invitans ad addendum peccatum peccato: Nota etiam, quòd multa alia nomina habet in ſcriptura, per quæ ejus proprietates peſſimæ exprimuntur; dicitur autem Behemot, ideſt beſtia, quia facit homines beſtiales; dicitur Beelzebub, ideſt vir muſcarum, nempe animarum quæ relinquunt ſponſum Chriſtum, & in ſtercus peccati cadunt; item diabolos, ideſt defluxus, quia defluit, & corruit ſpiritualiter de gratia, & Cœlo: interpretatur etiam clauſus ergaſtulo, eſt enim clauſus, ideſt ligatus, non valens nocere, niſi quantum ei à Chriſto permittitur: vel dicitur diabolus à dia, & bolus, dia, ideſt duo, bolus, ideſt morſellus, quia duo occidit, & mordit corpus, & animam: Item dicitur Dæmon, ideſt ſanguineus propter peccatum; vel ſciens, callet enim omni ſcientia naturali, & experimentali: Item belial, ideſt abſque jugo, & Dominio, quia pro poſſe pugnat contra eum, ſcilicet Deum, cui deberet eſſe

ſubjectus : Item ſataoas, ideſt adverſarius Dei, & hominis : Item ſerpens, quia infundit venenum animæ : Item ſerpens vectis, ideſt flagellans quia durè flagellat animam : vel tortuoſus, quia decipit ſuis tortuoſitatibus : Item cœtus, quia abſorbet peccatorea, & ideo verè ſerpens eſt ; ſerpens enim & Draco in terra ſerpit, in aquis natat, & in aëre volat ; ſic diabolus dicitur ſerpens in terra, quia avaritiam ſuggerit ; cœtus, quia luxuriam, & aquam concùpiſcentiæ movet ; leviathan, quia in aëre ſuperbiam excitat. *Op. Comp. Theol.l.4 c.27.& Ugo hic.*

368. *Peccata noſtra miſericordiam Dei in iram, & furorem convertunt.*

Indignatio non eſt in me : quis dabit me ſpinam & veprem ? In prælio gradiar ſuper eam. Hæc ſunt verba Dei, quibus dat iotelligete, quod ejus proprium eſt miſereri : cum hoc verum ſit, ſubdit: quis me dabit ſpinam, &c ideſt, quis hanc miſericordiam io indignationem convertet ? quis? hoc facet peccator, qui addendo peccata peccatis, me in ſpinam converter, & inducet me ad præliandum cum peccatore tribulationibus, flagellis, & pœnia, ot videam, ſi velit reſipiſcere aliquando : Cave ergo ô homo, ne mel in venenum, vel fel, vel ſpinam contra te coovertas. *ſer.1.Dom. in Albis.*

369. *Veniens in mundum Chriſtus pacificavit hominem cum Deo, & cum Angelis.*

Faciet pacem, pacem faciet mihi. Loqoitur hic de Chtiſto incatnato, de quo duplicem pacem prædicat, quia veniens in mundum duplicem pacem attulit, ſcilicet pacem homiois cum Deo, & pacem cum Angelis : pacificavit eoim mundum per ſanguinem ſuum. *Luc.c.2. v.14.* Nota etiam quòd ſubdit, & implebunt ſcilicet Apoſtoli, & Prædicatores ab ipſo miſſi, implebunt faciem otbis ſemine, ſcilicet Evangelii, pacemque hanc confereot mundo. *Sermon. de S. Marco.*

370. *Eadem menſura, qua menſus fueris proximum remetietur tibi à Deo.*

In menſura contra menſuram, cum abjecta fuerit, judicabit eam. Quid eſt menſura contra menſursm operum noſtrorum apponetur à Deo in morte : ſi enim bonum nunc menſuras in ſinum tuum, vel proximi, menſuraberis in ſiou tuo in Cœlo : ſi autem menſutas malum in mundo, menſurabitur & in ſinum tuum in Inferno: cum enim abjecta fuetit vinea, ſcilicet ſeparaverit animam à cotpore, tuoc pœna reſpondebit culpæ in modo, in quantitatis, proportione, in qualitate, & in numero : ſic & præmium operi bono correſpoodebit in gloria. *Serm.1. Dom.1. poſt oct.Paſcha. Pſal.118.cap.6.v.6. ſap.c.11.ſermon.1. in Invent. S.Crucis. ſermon.3.de Rectoribus.*

371. *Confeſſarius inſtruitur in pænitentiis injungendis pænitenti.*

In menſura contra menſuram, cum abjecta fuerit, judicabit eam. Nota, quòd hæc verba diriguotur ad Confeſſarios, ut rectè ſe habeant ad pœnitentes confiteotes, & abjicientes à ſe peccata in confeſſione, quia & per hoc dat ipſis intelligere, quod menſuram pœnitentiæ menſurent cum menſura culpæ, & in hoc ſtatuant in mente hæc documeota : primò enim imponant pœnitentiam ſecundum qualitatem culpæ, nempe pro occultis, occultam, & pro publicis, publicam pœnitentiam : Secundò ſecundùm qualitatem peccati, major, vel minor pœnitentia injungatur, conſideratis tameo diverſis ſtatibus perſonarum, & circunſtantiis, nempe conſiderata qualitate perſonæ, conditione, ſexu, officio, paupertate, debilitate, conſuetudine, complexione, ſocietate, coortitione, loci, Religionis, & temporis qualitate, cauſa, animo, voluntate, & ſimilibus ; Tertiò, ut injungat, toto tempore vitæ ſuæ de peccatis ſuis pœnitere, & propoſitum habeat ſemper in futuris abſtinendi, *Op.Confeſſionale.c.4. p.2.& c.3.p.1.*

372. *Omnem conatum, & opera ſua Chriſtus direxit, & dirigit, ut è mundo auferatur peccatum : Ubi de malignitate peccati.*

Dimittetur iniquitas domui Iacob, & iſte omnis fructus, ut auferatur peccatum. Vide quid intendit Deus in omnibus ſuis actibus, nempe ut auferatur peccatum, & tollatur de mundo, & meritò nam peccatum affert ſecum ſubtractionem gratiæ gratum facientis, mortificationem meriti præcedentis, fruſtrationem ſanguinis redimentis, injuriam Angeli cuſtodientis, injuriam Domini præſidentis. deformitatem divinæ imaginis, honorationem Dæmonia, ſervitutem peccati, reatum æterni ſupplicii, debilitationem liberi arbitrii, elongationem ſuperni beneficii, & provocationem omnis creaturæ Dei in ultionem inimicorum Creatoris ſui, & ideo concluditur, quòd ſolùm peccatum eſt malum, & malum peſſimum: hinc ut auferatur tantum malum, Deus tut remedia ordinavit, tot fecit creaturas, Carnem ſumpſit, paſſiooes innumeras ſubiit, & tandem mortem, tot Sacrameota, media, & remedia præparavit. *Op.Brevil.p.5.c.3. Centil.part.2.ſect.2, l.3. d.1.a.2.q.2.Luc.c.13.v.9.*

373. *Tranſitus infeliciſſimus animæ à ſtatu gratiæ ad ſtatum peccati, & ab hac vita.*

Civitas munita deſolata erit, ſpecioſa relinquetur, & dimittetur quaſi deſertum. Quæ eſt hæc Civitas munita, niſi anima exiſtens in gratia ? verè munita cœleſti auxilio, & protectiooe Angelorum, & Sanctorum, ſpecioſa quaſi hortus deliciarum Dei: ſed heu miſera Deum relinquens io deſolationem abit gratia privata, deformiſſima redditur, & veluti deſertum remanet in hac vita, & tandem præcipitatur in calamitate infernalium opprobriorum. *Luc.c.17.v.35.*

374. *In die Iudicii Crux cum inſtrumentis paſſionis in aere apparebit, & Chriſtus cum vulneribus tuba convocabit bonos, & malos ad Iudicium.*

Et erit in die illa clangetur in tuba magna, & venient qui perditi fuerant, &c. Nota, quòd hic Textus coonectitur cum ſuperiori in *cap* 18. *v.3.* ubi dicitur, quòd omnes habitatores orbis, cum elevatum fuerit ſignum in montibus, videbunt, & audient clangorem tubæ: quodnam ſignum eſt hoc, quod elevabitur in montibus? quid eſt quod congregabit omnes habitatores terræ videbunt? & qualem tubam audient? Sed attende, quòd per hæc dat Propheta intelligere, quod Chriſtus Ieſus apparebit in aëra ſupra locum, ubi aſcendit in Cœlum Iudicium univerſale facturus, & ante ipſum ſigna, ſcilicet inſtrumenta paſſionis ſuæ quaſi vexilla triumphi apparebunt, Crux, clavi, lancea, & cicatrices tamquam teſtimonia bonorum operum: his ſignis convincentur impii de ſua ingratitudine, videbunt iſti tot ſigna, & audient ſonitum tubæ convocantis omnes ad ſe præſentandum in loco Iudicii, & ad reddendam rationem ſuorum operum. *Sermon.4. Dom.24. Pent.*

CAP. XXVIII.

375. *Quali corona coronantur impii à diabolo: & quali juſti à Deo.*

VÆ corona ſuperbiæ ebriis Ephraim, & flori decidenti gloria exultationis ejus, qui erant in vertice vallis pinguiſſimæ errantes à vino. Nota, quòd in his verbis ad litteram Propheta comminatur æternum Væ decem tribubus Iſraël, quæ in ſuperbiam ob dominium, & in avaritiam, luxuriam, aliaque vitia ob opulentiam, & proprietates, felicitateſque terrenas ceciderunt: myſticè loquitur de omnibus impiis, quorum vitia ſub nomine coronæ expenduntur: Sed cur utitur metaphora coronæ? hoc eſt, quia diabolus coronat ſuos, ſcilicet ſuperbos corona ſuperbiæ, eos elevando ad alta dignitatum, & bonorum, ſed quia iſta ſunt vaniſſima, ideo dicit, Væ coronæ ſuperbiæ: quaſi dicat, Væ æternum erit ſuperbiæ coronantis caput, quia in ornamentis capitis maximè ſuperbia oſtenditur: Crimen enim eſt, caput poſt chriſmatis ſanctificationem aut croco, aut alterius pigmenti ſucco, vel pulvere ſurdidari, aut auro, aut gemmis, vel cujuſlibet terrenæ creaturæ comi, quod jam cœleſtes ornatus ſplendore refulget, & quia cito iſtæ vanitates decidunt ad modum floris: Væ item coronæ luxuriæ, & avaritiæ, qua carnales, & avari coronantur in hac valle pingui carnalitatis, & rerum terrenarum, ſcilicet Væ æternum erit iſtis, dum in hac vita bona cœleſtia nauſeantes, in has vaniſſimas vanitates ſe immergunt: E contra felix, qui contemnens omnia iſta terrena, ad cœleſtium amorem aſpirat. *Ser. 2. de S.Barthol. & ſerm.2. Dom.24 Pent. ſap.6.2.*

376. Chriſtus eſt corona gloriæ, & ſertum exultationis ſuis ſequacibus, ut dicitur, & erit corona gloriæ &c. *Ser.4. Dom.24. Pent.*

377. *Ebrietas corporalis & moralis quale malum, maximè in Prælatis, & Sacerdotibus.*

Væ terra ſuperbiæ, ebriis Ephraim, &c. hi præ vino neſcierunt, & præ ebrietate erraverunt, ſacerdotes, & Propheta, neſcierunt præ ebrietate abſorpti à vino, &c. Nota hic, quòd invehitur Propheta in ebrioſos tam corporales, quàm ſpirituales, qui abſorbent ſe in vino carnalitatis, laſciviæ, delectationis terrenorum: nam talis ebrietas aufert rationis uſum, & in varios errores præcipitat, quod maximè abominandum eſt in Prælatis, & Sacerdotibus, quia ob hoc vitium ſunt cauſa multorum malorum in ſubditos. *Luc.c.12.v.45. Ioan. coll.12.*

378. *Quàm abominabiles Deo ſunt, qui inter epulas delitioſiſſimas evomunt, & ſordibus inficiunt menſam detractionibus.*

Omnes menſæ repletæ ſunt vomitu, & ſordibus: Quomodo, & qua veritate dicitur, quod in menſis iſtorum, ſcilicet Prælatorum, & ſacerdotum appoſitæ ſunt ſordes, & vomitus? Sed attende quod hic loquitur, & conqueritur de illis, qui cum ſedent ad menſam evomunt, & eructant vitia aliorum per detractionem, & ſic talibus ſordibus totum inficiunt. *Ser.5. Dom.2. quadrag.*

379. *Doctrina chriſtiana infuſio fit tantùm in diſcipulo Chriſti, in ablactatos à lacte, & ab uberibus avulſis.*

Quem docebit ſcientiam, & quem intelligere faciet auditum? Quærit hic Propheta quis eſt, qui meretur percipere ſcientiam, & doctrinam Chriſti, & reſpondet, quod tantùm id meretur, qui eſt ablactatus à lacte, ſcilicet carnalium delectationum, & à duobus uberibus, nempe à duplici concupiſcentia exteriori, & interiori, quibus lamiæ, ſcilicet Dæmones, vel ſenſualitas lactant catulos ſuos, ſcilicet ſenſus & paſſiones ſuas, & hoc eſt principium vitæ ſpiritualis: & nota, quod iſtos ablactatos docet Deus omnem veritatem, & exercitium virtutum, in quibus ſtat ſumma doctrinæ chriſtianæ. *Ser.4. Dom.3. poſt oct. Paſchæ. Pſal.118. c.7.v.3. Luc.c.14.v.26. & c.22.v.41. Ioan. c.6.v.45. & collat.22.*

380. *Negligentes obedire inſpirationibus, quibus malis ſubjiciantur.*

Manda, remanda, expecta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi, ut vadant, & cadant retrorſum, & conterantur, illaqueentur, & capiantur. Nota, quòd bis ponuntur hæc verba, manda remanda, &c. primò pro bonis obedientibus, de quibus num. ſequenti: ſecundò pro negligentibus, nempe pro iis, qui audientes inſpirationes, & vocationes divinas, dicunt Deo, manda remanda, &c. modicum ibi, &c. quia, cum habeant aliqualem velleitatem obediendi, tamen numquam ad complementum veniunt, ſed differunt de die in diem obedire inſpirationibus Dei, & hoc peſſimum,

nam tandem præcipitant in multa ſcelera. & pedetentim illaqueati, & capti à concupiſcentiis remanent. *Luc.c.21. v.23.*

381. *Obedientes inſpirationibus divinis recipiunt nuntios Dei, & ipſos ad Deum remittunt per quos à Deo foventur gratiis.*

Manda remanda, &c. Nota, quòd hoc verificatur in bonum à diligenter, & ſollicitè obedientibus inſpirationibus divinis, inter quos, & Chriſtum Deum verificatur hoc dictum, manda remanda, &c. nam Spiritus Sanctus mittit ad hanc animam ſuos nuntios. ſcilicet inſpirationes, & hæc cum honore recipiens tales nuntios, & exequens divinam voluntatem, remittit nuntios, nempe orationes, & operationes bonas ad Deum: ſicque mirabiliter illuminatur ad intelligentiam divinorum abditorum: ò dulcis Jeſu, manda remanda: nuntius medius inter nos diſcurrat, qui me de ſingulis inſtruat, doceat me non ſolùm ſuper ſtatum meum, ſed & de ſtatu tuo, doceat quomodo apud te ſit, vel quid tibi de me placuerit. *Op. de ſeptem donis.c.6. Joan.c.16. v.16. Op. de ſeptem Itiner. ætern. Itin. 2. d.5.* Nota etiam, quod quater ponitur hoc verbum, manda, & remanda, & quater expectatur, quia quatuor ſunt, quorum obſervantiam præcipuè à nobis exigit Deus, ſcilicet mutua dilectio: ſalus animæ: Benedictio Dei: & vita gratiæ; Quatuor item expectanda ab anima, ſcilicet perfectio virtutum: Adventus Domini ad judicium: reformatio corporum glorioſorum: & ſtola animæ. *Ugo hic.*

382. *Lingua ſua loquitur Deus ſuis ſervis: lingua altera impiis, & indignis.*

In loquela labii, & in lingua altera loquetur ad populum iſtum. Quid eſt hoc loqui Dei labio, & lingua altera? Sed tamen hoc exprimitur illo ſalvatoris dicto: Vobis datum eſt noſſe myſteria Regni Cœlorum, cæteris autem in parabolis, dans intelligere, quod Deus cum ſuis ſervis loquitur, ita ut percipiant clarè ſuam voluntatem: At impiis loquitur lingua altera, ita ut noſſe illud ſit potius ignorare, & hoc facit ſuo juſto judicio, quia non vult Sancta communicare immundis canibus. *Luc.c.8.v.10.*

383. *Bonis loquitur Deus verbis dulcibus: malis, & duris lingua flagellis, & baculis.*

In loquela labii, & in lingua altera loquitur ad populum iſtum. Nota, quòd de duplici loquela facit Deus hic mentionem, ſcilicet de loquela labii Dei, & de loquela aliena: quomodo hæc verificantur in Deo? Sed attende, quod hoc eſt proprium Dei cum fidelibus ſervis loqui ex ſe ipſo immediatè, ſcilicet dulci loquela: cum impiis verò loquitur lingua altera, nempe baculo, & flagellis, ut qui inſenſibiles ſunt & nolunt erudiri per documenta, nec allici per beneficia, ſenſibiles deterreantur per flagella. *Ser.1.Dom.8.Pent. & ſer.1.Dom.2. Pent.*

384. *Dei requies in noſtra requie.*

Hæc eſt requies mea reficere laſſum, & hoc eſt meum refrigerium. Vide, & audi, quid de ſe dicit Deus optimus, & glorioſus: ergone capax eſt recipiendi requiem, & refrigerium de novo? Sed per hunc modum loquendi oſtendit infinitam ſuam dilectionem in nos, & deſiderium noſtræ requiei, & refrigerii: cum enim nobis laſſis in hac via dat requiem, & refrigerium, tunc dicitur ipſe requieſcere, & refrigerium accipere: ô qualis amor in nos, & qualis ingratitudo noſtra, unde ſubdit Deus conquerendo, & non audierunt me. *Ser.2. in Sab.S.* Nota etiam quòd ab aliis ſactis exponuntur hæc verba tali pacto, reficere laſſum, & exercere opera miſericordiæ ita ſunt mihi grata, ſicut laſſo requies, vel quieſcere faciunt itam Dei.

385. *Impiorum reproborum eſt abire, & cadere damnabiliter retrorſum: Juſtorum antrorſum.*

Et erit eis verbum Domini manda remanada, &c. ut vadant, & cadant retrorſum, & conterantur, & illaqueentur, & capiantur. Quid eſt cadere retrorſum? cur non potius lateraliter, vel à parte anteriori? quia hoc eſt proprium reproborum cadere retrorſum: primò cadunt retrorſum, & ibi cadunt, quia afficiuntur ad ea, quæ ſunt retro exemplo uxoris Loth, relinquentes inviſibilia, & oculos, & mentem ad terrena vertentes, ideo cadunt, ubi non vident quid eis ſequeiur, ſcilicet præcipitium, & ruina, & vincula, & æterna damnatio: Boni verò cadunt in faciem, ſcilicet reſpicientes ad Deum, & inviſibilia cum reverentia, humilitate, & dilectione, & timore. *Luc.c.17.v.16. Joan.c.18.v.8. & 9.*

386. *Prælati mali illuſores propriè dicuntur in ordine ad Deum, & ſubditos.*

Audite verbum Domini viri illuſores, qui dominamini ſuper populum meum. Cur dominantes ſuper populum appellantur viri, illuſores? qui ſunt illi, quibus illudunt? Gloſſa reſp. hos fuiſſe ſcribas, & Phariſæos, & ipſorum imitatores: Prælati illuſores appellantur, qui prædicant non furandum, non mæchandum, & ipſi furantur, & mæchantur, qui multa dicunt, & imponunt aliis, & ſuum digitum non apponunt, utique illuſores ſunt quia decipiunt, quibus adulantur *Op. Eccleſ. Hier.p.2.c.1.*

387. *Fures rerum alienarum percutiunt fædus cum morte, & cum Inferno faciunt pactum,*

Dixiſtis enim percuſſimus fædus cum morte, & cum Inferno fecimus pactum. Et quinam ſunt, qui tale pactum voluntariè faciunt cum morte, & cum Inferno? hoc videtur incredibile? Sed attende quinam ſunt iſti impii: ſunt utique, qui res alienas furantur: dicuntur autem facere pactum cum morte, & cum Inferno, id eſt ſunt ſimiles morti, & diabolo, & Inferno: nam mors aufert corpus, diabolus, & Infernus animam alienam, ſic & fures. *Op. Diat. tit.3. c.6.*

388. *Contem*

388. *Contemptus Dei, & vana ſecuritas impiorum ad quas miſerias redigit hominem.*

Dixiſtis enim percuſſimus fœdus cum morte, & cum Inferno fecimus pactum: flagellum inundans cum tranſierit, non veniet ſuper nos. Nota, quòd hæc dicuntur in perſona impiorum, qui in deliciis carnalibus, & terrenis abſorpti ſibi vanam ſecuritatem promittunt per præſumptionem: Item & eorum, qui in profundum vitiorum perveniunt contemnentes Deum, & ſua mandata, & verba: Iſti enim dicuntur fœdus percuſſere cum morte, credentes ſe morte poſſe dominari, & ſub ſuo dominio, arte, & induſtria poſſe eam continere, & cum Inferno facere pactum, & hic eſt ſtatus omnium miſerabilior. *Luc. c.7. v.23. & c.12. v.19. & ſap. c.1. in fine. Luc. c.6. ad finem.*

389. *Chriſtus fundamentum Eccleſiæ, & fabricæ ſpiritualis.*

Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem angularem probatum pretioſum, in fundamenta fundatum. Nota, quòd hîc prædicit Propheta ædificationem Eccleſiæ, & docet, quod fundamentum ipſius ſtabile, pretioſum, probatum eſt Chriſtus, & ideo non dancit umquam. *Ser.9. Hexam. Luc.c.6.v.13.*

390. *Idem de Chriſto.*

Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem angularem. Cur appellatur Chriſtus lapis angularis, ob duo, ſcilicet, quia unit duos populos in unum in fabrica Eccleſiæ, ſcilicet gentilem, & judaicum: ſecundò ob ſublimitatem perfectionis, quia ad ipſum tamquam ad centrum, tendunt omnes lineæ fabricæ, ſcilicet omnes creaturæ in ipſo uniuntur tamquam in puncto, ſeu fundamento, in quo fit unio, ſeu oſculo linearum Crucis, & ideo eſt lapis ſtabiliens juſtos, & conterens impios. *Luc. c.20. v.17. Ioan. c.10.*
391. *& c.2. v.20. Pſal.113.*
v.16. Confeſſariis imponitur, quod ſecundum menſuram delicti, ſit & pœnarum modus: ſic dicitur hic à Deo: *Ponam in pondere judicium, & in juſtitia menſuram. Ser.3. Dom.1. Pent. Ponam,* ait, *in pondere judicium, & juſtitiam in menſura: ponam,* ſcilicet in manibus ſacerdotum hanc menſuram juſtitiæ. *Ser.1. de SS. Petro & Paulo.*
392. *In multis ſola vexatio dat intellectum*; ut hic dicitur, & ideo non eſt mirum, quòd tot homines prius increduli, & mali per vexationes reducti fuerunt ad meliorem frugem: ſic evenit Zachariæ Patri Joannis Baptiſtæ, ſic & tot aliis. *Luc.c.1 v.12. & c.6. v.19.* ſic & filius prodigus expertus eſt, quem inebriavit delectatio, & evigilare fecit tribulatio. *Luc. c.15. v.16. ſer.4. Dom. quinquag. ſap.c.18.*

393. *Impoſſibile eſt colligere in corde Chriſtum ſimul & diabolum.*

Coangustatum eſt ſtratum, ita ut alter decidat; & pallium breve eſt, utramque operire non poteſt. Quodnam eſt hoc ſtratum? & quomodo neceſſe eſt, ut alter decidat? Hoc ſtratum eſt cor noſtrum, in quo requieſcit Deus per gratiam: & quia diabolus continuè conatur in ipſum intrare, advertit hic Propheta, quod cum ſint immediatè adverſarii, impoſſibile eſt, ut ambo ſimul contineat, & quia pallium breve eſt, nempe charitas; breve, inquam, quia ſolum Deum reſpicit, ideo utrumque operire non poteſt. *Luc. c.16. v.13. & c.17. v.33.*

394. *Chriſtus in ſeipſo, & per ſeipſum conſummavit omnes virtutes, prophetias, & myſteria.*

Conſummationem, & abbreviationem audivi à Domino ſuper univerſam terram. Quænam eſt iſta conſummatio? quomodo abbreviatio, & conſummatio facta ſuper terram? ô digna conſummatio, & propria filii Dei: Chriſtus enim abbreviavit ſe ſumendo carnem noſtram, in qua dignatione facta eſt conſummatio perfecta, conſummata namque fuerunt præcepta propter nimiam charitatem, quæ eſt finis omnium præceptorum: conſummata ſunt judicia propter nimiam ſeveritatem, quam habuit ad ſe: conſummata ſunt myſteria, conſummata exempla, conſummata ſacrificia, conſummata ſunt ſacramenta in ſanguine ſuo, & in inſtitutione Euchariſtiæ, conſummatæ ſunt virtutes in miſericordia, de qua dicitur ſupra, quod parcere eſt opus ejus, iraſci alienum. *Luc.c.18. v.31. & c.7. v.2.*

395. *Dei proprium eſt miſereri; iraſci, & punire alienum opus.*

Iraſcetur ut faciat opus ejus, ut operetur opus ſuum, peregrinum eſt opus ejus ab eo. Nota, quòd videntur contradictoria iſta verba: nam loquens de ira, juſtitiaque Dei, & punitione peccatorum, dicitur, quod eſt opus Dei, & poſtea ſubdit, quod eſt alienum, & peregrinum à Deo? quomodo ſubſiſtunt hæc contraria? ſed attende ad myſterium digniſſimum: nam punire peccata eſt quidem opus Dei omnipotentis, ſed tamen dicitur etiam ſimul opus alienum, & peregrinum, quia ad hoc ut ſeveritatem faciat in nos, ſupponi debet noſtra iniquitas, unde occaſionem ſumit à nobis: E contra miſereri eſt Dei proprium, quia totum eſt ab ipſius benignitate. *L.1. d.47. dub.1. ſap.c.12.*

396. *Tres gradus auditionis verbi Dei.*

Auribus percipite, & audite vocem meam, attendite, & audite eloquium meum. Cur hæc multiplex repetitio? nonne unicum verbum ſufficiebat? ſed id ponitur ad indicandum maximum myſterium, ut ſcias, quod triplex gradus eſt ad rectè percipiendum verbum Dei: primus eſt in audiendo exterius: ſecundus in credendo: Tertius in intelligendo, & operando. *Luc.c.8. v.9.*
397. *Conſilia, & opera Dei tam juſtitiæ, quàm miſericordiæ atteſtantur divinæ potentiæ, ſapientiæ, & bonitati.* quia ad hoc omnia diriguntur quæcumque illa ſunt: Unde dicitur hic: *A Domino Deo exercituum exivit, ut mirabile faceret conſilium. Pſal.118. c.2. v.8.*

CAPUT

CAP. XXIX.

398. *Qualis infelicitas animæ Deum relinquentis, & ſub poteſtate diaboli ſe ſubmittentis.*

VÆ Ariel, Ariel Civitas, quam expugnavit David, & circumvallabo Ariel, & erit triſtis, & mærens,&c. Nota,quòd ad litteram Propheta prædicit ſubverſionem futuram Civitatis Hieruſalem, quam ex poteſtate Jebuſæorum ſubjugaverat ſuo imperio Rex David, quæ ob ſua peccata tradenda erat ſub jugo Caldæorum à quibus per multos annos, & poſtea à Romanis crudeliter afflicta & poſſeſſa eſt, & poſtea deſtructa: Myſticè per hanc civitatem ſignificatur anima, quæ à jugo ſuavi Chriſti ſe transfert ſub jugo tyrannico diaboli: Væ,ait Spiritus ſanctus,Væ tali animæ, quia ad extremum miſeriarum, & miſeræ captivitatis redigi cogitur, & qualis major calamitas, quàm cogi ſub tyrannide crudeliſſima diaboli nullam unquam admittentis requiem corporis,& animæ? *Luc.c.21.v.23.*

399. *Ordo Judicii univerſalis à Propheta prædictus.*

Eritque repente confeſtim: A Domino exercituum viſitabitur in tonitruo, & commotione terræ, & voce magna turbinis, & tempeſtatis, & flamma ignis devorantis. Nota quod per tribulationem Civitatis Hieruſalem prædictam à Propheta exprimit ordinem Judicii univerſalis, in quo apparebit Dominus manifeſtè, ejuſque viſitatio erit terribilis, & repentina, unde dicit, eritque repentè confeſtim, erit cum tuba præcedente, & vocante omnes ad judicium, unde dicit, viſitabitur in tonitruo, & tunc erit reſurrectio mortuorum, unde dicit, in commotione terræ, & tunc erit diſceptatio meritorum, & hinc ſententia diffinitiva notata per flammam ignis devorantis *Luc.c.17.v.24.*

400. *Felicitates, & delectationes mundanæ ſunt veluti ſomnium ſomniantium.*

*Et erit ſicut ſomnium viſionis nocturnæ multitudo omnium gentium &c.& ſicut ſomniat eſuriens, & comedit, cum fuerit expergefactus, vacua eſt anima ejus, & ſicut ſomniat ſitiens & bibit, & poſtquam fuerit expergefactus, laſſus, adhuc ſitiet, & anima ejus vacua eſt, ſic erit multitudo gentium &c.*Nota, quòd ad litteram prædicit Propheta, quòd triumphus, & felicitates hoſtium populi Dei, & Civitatis Hieruſalem erunt veluti ſomnium ſcilicet citò tranſiens:ſed myſticè exprimit labiliſſimam ſtabilitatem, imò ſecuriſſimam inſtabilitatem, & vanitatem felicitatum, & delectationum mundanarum,quia ſunt veluti ſomnium vaniſſimum eſurientis, & ſitientis ſomniantis, ſe comedere oppipare, & bibere vinum dulciſſimum, ſed poſtquam expergefactus eſt, ſe invenit, labore ſomnii, laſſum, & fame, & ſiti ardentiore afflictum: & ad hujus veritatis experimentum obſerva filium prodigum cupientem ſe implere ſiliquis porcorum, quæ ſunt delectationes Carnales, & mundanæ foris ſonantes, & interius nihil continentes: ô utinam ad hoc attenderent mundani, qui poſtquam toto tempore ſuæ vitæ laboraverunt, ſe inveniunt in morte vacui, laſſi, & carentes omni bono. *Luc.c.15.v.16. Ioan. collat.21. & 51.*

401. *Ebrietas ſpiritualis mundanorum quàm noxia & infelix.*

Obſtupeſcite, & admiramini,fluctuate, & vacillate, inebriamini & non à vino, movemini & non ebrietate, quoniam miſcuit Dominus ſpiritum ſoporis. Ecce quales miſeriæ eorum, qui in voluptatibus terrenis, & carnalibus ſe immergunt,quia non ſolùm in ipſis percipiendis laſſitudinem, & vacuitatem ſomniantium experiuntur, ut ſuprà dictum eſt, ſed & in ebrietatem miſerrimam ſopore præpediti ſe immittunt, ſic divina juſtitia permittente, quia ad modum ebrii vivunt, nempe in ratione perturbati; memoriâ enervati,obliviosi, errabundi, veluti cæci, & inſani ſe præcipitantes in vitia,pericula,& tandem in Infernum. *Ioan.collat.12.& 21.Pſal.35.*

402. *Cæcitas ſpiritualis à Deo permittitur ob ſuperbiam, & ſignum eſt reprobationis divinæ.*

Claudet Dominus oculos veſtros: Prophetas, & Principes veſtros, qui vident viſiones, aperiet,& erit vobis viſio omnium, ſicut verba libri ſignati. Nota quòd ad litteram Propheta prædicit cæcitatem Judæorum poſt Chriſti adventum, ob quam ablata eſt eis ſcientia legis divinæ: myſticè dat intelligere, quod terribile eſt flagellum illud, quod Deus permittit aliquando animæ, & maximè Prælatis nempè velàmen oculorum animæ, quo impediuntur videre, & cognoſcere myſteria legis divinæ, eſtque effectus ſuperbiæ & vanitatis ipſorum, & ſignum reprobationis divinæ.*Luc.c.8.v.11.*

403. *Liber ſacræ ſcripturæ ſignatus, & clauſus ſine Chriſto directore non poteſt legi.*

Et erit vobis viſio omnium, ſicut verba libri ſignati, quem cum dederint ſcienti litteras &c.reſpondebit, non poſſum &c. Quis iſte liber ſignatus? & quomodo ſciens litteras non valet ipſum legere? Nota, quòd liber iſte eſt Sacræ Scripturæ, datque intelligere, quòd quicumque ille ſit, alioquin etiam doctiſſimus, non valet illum legere, nec intelligere, niſi à Chriſto aperiatur, eo quod ſine iſto magiſtro qui eſt clavis David nemo poteſt illum legere, vel intelligere, cum ad Chriſtum omnia ſint ordinata, quæ in tali libro continentur. *Luc.c.4.v.17.ſer.3. Hexam. Op.princip. S.Scrip.*

404. *Chriſtus liber omnibus legendus expoſitus.*

Et erit vobis &c. ſicut verba libri ſignati. Nota quòd iſte liber ſignatus, & clauſus eſt Chriſtus, qui Judæis fuit ſignatus, & clauſus ante ſuam mortem expoſitus: ſed in Cruce fuit apertus, & ſic expoſitus, ut ab omnibus legi poſſet: Unde ante ſuam mortem reſpondebant etiam docti, neſcio litteras, ſed poſt ſuam crucifixionem omnis etiam imperitus poteſt ipſum legere, & in ipſo, & ex ipſo addiſcere omnia myſteria legis divinæ etiam profundiſſima: ô ſi talem librum invenire poſſem, cujus origo æterna, cujus incomprehenſibilis eſſentia, cujus cognitio vita, cujus ſcriptura indelebilis, cujus inſpectus deſiderabilis, cujus doctrina facilis, cujus ſcientia dulcis, cujus profunditas imperſcrutabilis, cujus verba inenarrabilia, & unum tamen verbum omnia: Verè qui hunc librum invenit, invenit vitam, & haurit ſibi ſalutem à Domino. *Op. ligu. vita iii. Chriſtus liber ſignatus.*

405. *Ore Deum laudare, corde autem à Deo longè abeſſe, quàm Deo exoſum.*

Eo quod appropinquat iſte ore ſuo, & labiis ſuis glorificat me, cor autem eorum longè eſt à me, &c. Ecce quòd Deus in his verbis oſtendit cauſam reprobationis Judæorum, nempe quia ore ſuo laudant Dominum, ſed corde in ipſum non credunt, rejicientes ſuum Filium: & in hoc reprehenditur negligentia multorum chriſtianorum, qui toti ſunt in exteriori apparentia devotionis, qui ore Deum rogant, qui reverentiam exterius ipſi exhibent, ſed interius corde ſunt à Deo alieni, habentes cor occupatum, & repletum vitiis, & peccatis, & cum ſit in eis repugnantia, quia verbum exterius indicat bonitatem in corde, & factum oſtendit malignitatem in opere, vel verbum ſonat exterius bonitatem, ſed cor Deo oſtendit malignitatem: ideo iſti Deo exoſi, fallentes, non Deum, ſed ſemetipſus. *Luc. c. 6. v. 16. Pſal. 112. op. Regula Novit. c. 1. ſer. 3. Dom. 20. Pent. Vide ſpecul. D. ſcip. p. 1. c. 15. ſeq.*

406. *Quam Deo exoſi, qui plus timent mandata hominum, vel humanæ ſcientiæ plus incumbunt, quàm obſervantiæ mandatorum Dei, & divinæ legis notitiæ.*

Et timuerunt me mandato hominum, & doctrinis, ideo ecce ego addam, ut admirationem faciam populo huic miraculo grandi, & ſtupendo: peribit enim ſapientia à ſapientibus, &c. Nota, quòd ſicut Judæi magis inn xos ſe oſtenderunt traditionibus humanis, quàm Dei præceptis, ideo à Deo puniti ſeveriſſimè fuerunt: ſic Deus hic reprobat multos chriſtianos, qui plus ſectantur ſcientias humanas, legum, & decretorum, quàm notitiam Evangelii, & qui plus mandatis hominum obediunt, quàm Chriſti, ideo iſti à Deo reprobantur, quia ſapientiam cæleſtem rejiciunt, & ſapientiam mundanam quærunt: & nota quod dixit: Ecce ego addam, ſcilicet culpæ eorum vindictam meam, ut admirationem faciam populo huic miraculo grandi, & ſtupendo, ideſt tantam, & talem pœnam inferam, ut omnes mirentur: Talis enim admiratio innoteſcere faciet divinam potentiam, & juſtitiam. *Ser. 2. Hexam. Luc. c. 5. v. 9. & c. 8. in fine. & Ugo hic Vid. op. myſt. Theol. in præf.*

407. *Iuſti omnia ſua intima Deo manifeſtant: Impii quærunt ſua Deo occultare, licet in vanum.*

Væ qui profundi eſtis corde, ut à Domino abſcondatis conſilium, &c. perverſa eſt cogitatio, &c. Cur hic miratur Propheta profundos corde? quodnam grave peccatum eſt hoc? ſed attende, quòd ſubdit; ut à Domino abſcondatis conſilium, datque per hoc intelligere, quod ſicut proprium eſt juſtorum omnia ſua Deo manifeſtare, ſive bona, ſive mala, nihilque volunt ei latere, etiamſi poſſent, licet omnia ſint Deo patentia: ſic proprium eſt iniquorum profundum cordis ſibi retinere, credentium ſe poſſe Deo latere, & ideo rectè comparantur Vulpi, cui proprium eſt tortuosè incedere, & profundo corde operari. *Luc. c. 5. v. 22. & c. 9. v. 10. Pſal. 62.*

408. *Cordis profundum peccatorum eſt ſentina diaboli.*

Væ, qui profundi eſtis corde. Qui ſunt iſti profundi corde? & quodnam eſt profundum cordis? profundum cordis eſt ſuprema pars animæ, quæ ſi à peccato mortali occupatur, tunc fit ſentina diaboli, & veluti ſepulchrum plenum oſſibus mortuorum, & fœtore vitiorum. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 2.* Cordis item profundum peccatorum ſunt occultæ viæ, & aſtutiæ, quibus latenter utuntur peccatores ad peccandum in Deum, & proximum. *Ser. 2. Ciner.*

409. *Cognitionis divini verbi effectus mirabiles panduntur.*

Nonne Libanus convertetur in Charmel, & Charmel in ſaltum reputabitur, & audient in die illa ſurdi verba libri, &c. & oculi cæcorum videbunt, &c. Quomodo, & quando verificata eſt hæc prophetia? quandonam libanus translatus eſt, & converſus in Charmel? & quandonam ſurdi audierunt, & cæci viderunt? ſed attende ad mirabiles effectus prædicationis divini verbi factæ ab Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus: nam virtute talis prædicationis ſurdi in animis redduntur audientes, & obedientes, & cæci, ſcilicet, qui prius erant tales fiunt videntes, & cognoſcentes myſteria profundiſſima libri ſacræ ſcripturæ, per quod Libanus, qui erat mons incultus, converſus eſt in fertiliſſimum Charmel, populi ſcilicet, qui prius inculti erant, facti ſunt in ſanctis operibus fertiles, & fæcundi. *Ser. 4. Dom. quinquag.* Nota etiam, quòd ſecundum ſacros expoſitores per Libanum montem incultum ſignificantur laici, per Charmel montem fertilem, Clerici, & Religioſi: Unde eſt ſenſus, quòd ſæpe Clerici infructuoſi redduntur, quia dicitur, & Charmel in ſaltum reputabitur, & laïci fructuoſi, & ſpirituales ſe oſtendunt: & in hoc verecundia magna apparet, quod ſæcularis poſſit clauſtrales, clericos, & ſacerdotes reprehendere, & verè maxima verecundia eſt, quod confundatur vita Religioſorum actione ſæcularium, dum iſti extra habitum aſſumunt opera ſancta, & illi extra ordinem proprium non excitant corda. *Ser. 2. in Epiph.*

Digitized by Google

Nota iterum, quòd poſſet iſte textus adaptari juxta ſenſum myſticum accommodatitium pro ſocietate Beatæ Virginis Carminis: Dicitur enim, quod Libanus S. Eccleſiæ divitiæ, atque indulgentiæ per ipſam diffuſæ, aliæque gratiæ, & privilegia a ſummis Pontificibus communicatæ ſunt huic Sacræ Confraternitati, & ideo libanus tranſiit in Carmel.

410. *Signa adventus Chriſti in carnem præcipua fuerunt illuminatio cæcorum, exaltatio pauperum electorum ad gradus Eccleſiæ.*

Et audient in die illa ſurdi verba libri, & de tenebris, & caligine oculi cæcorum videbunt: & addent mites in Domino lætitiam, & pauperes homines in ſancto Iſrael exultabunt, &c. Proſequitur, & repetit Propheta ſigna adventus Chriſti in carnem præcipua, quia per ſui manifeſtationem, & prædicationem, qui prius fuerant ſurdi ad verba Dei, auditores legis facti ſunt, cæci videntes, & intelligentes Deum, pauperes, & mites exaltati ad Apoſtolatum, & ad miniſterium prædicationis, & fuit hoc maximum prodigium, nempe Chriſtum factum pauperem honorabilem reddidiſſe ſtatum pauperum, & ſimplicium, ut nos pauperes ditaret, & hoc reſultat in maximam gloriam Chriſti, & lætitiam Eccleſiæ. *Luc.c.7.v.21.& 22.& c.8.v.40. & c.13.v.17. Pſal.118.c.8.v.13.*

411. *A Chriſto ſeveriſſimè puniuntur ſcandaloſi, & ab iſtis eripiuntur juſti.*

Defecit qui prævalebat, conſummatus eſt illuſor, & ſuccenſi ſunt, qui vigilabant ſuper iniquitatem, qui peccare faciebant homines in verbo, & arguentem in porta ſupplantabant, & declinaverunt fruſtra juſto. Ecce quomodo non ſolum Judæi inſurgentes in Chriſtum, & ſuos ſequaces ut ipſos trahetent ad peccata, ſed & omnes ſcandaloſi, alios ſollicitantes ad peccata, juſto Dei judicio ſeveriſſimè puniuntur, & juſti arguentes eorum nequitiam, ab ipſorum perſecutionibus proteguntur à Chriſto mirabili providentia: Verè enim maximum eſt peccatum, ſuper omnia Deo exoſum peccatum ſcandali. *Pſal.118.c.8.v.3. Luc.c.17.v.1. & ſer.3 Dom.ſexag.*

CAPUT XXX.

412. *Væ, quale ſit in Religioſis deſerentibus propriam profeſſionem.*

VÆ filii deſertores, dicit Dominus, &c. Qui ſunt iſti filii Dei, & ſimul deſertores? ſi filii, quomodo deſertores? & ſi deſertores, quomodo dicuntur filii? Sed attende, quod hic loquitur Religioſis, quorum munus eſt vivere in confraternitate aliorum, Deo dicata, tamquam peculiares filii Dei: ſed quia inter iſtos ſunt plures deſerentes Dei ſervitium, & ſuam profeſſionem, ideo contra iſtos Spiritus Sanctus dicit, Væ iſtis deſertoribus, nempe Væ æternum, & temporale: & nota, quòd præcipuè in Religioſis à Deo reprobantur hæc tria, ſcilicet indevotio, diſſolutio, & vagatio: Religioſus enim indevotus vivens juxta fontem divinorum auxiliorum ſemper aridus eſt, & vacuus: Diſſolutus item in vita, & communitate, non ſolùm ſeipſum, ſed & totam Religionem infamat: Vagus item inter ſæculares, & in Ægypto mundi degens ſuam vitam, deſertor eſt Religionis, & ſic à Deo deſeritur: ſicut enim piſcis extra aquam non diu vivit, ſic Religioſus vagabundus cito moritur per culpam. *Op. Diat. tit.4.c.1.*

413. *Qui ſine Deo orditur telam, à Deo deſeritur, & confunditur.*

Væ vobis filii deſerentes: ſcilicet Væ vobis, qui Deum deſerentes, & à vobis ipſis abjicientes, ut faceretis conſilium, & non ex me, & ordiremini telam, & non per ſpiritum meum, &c. Nota, quòd hic reprehendit Iudæos, qui legem Dei deſerentes ad auxilium Pharaonis confugerunt, propter quod confuſi remanſerunt: Datque nobis intelligere, quàm decipiantur, qui ordiuntur telam ſine Deo, ſcilicet, qui Deum relinquentes, ſine ſpiritu Dei extollere conantur fabricam rerum, & felicitatum temporalium, nam prætendentes, ſe poſſe proficere in ſuis machinationibus, quando minus credunt, ſe inveniunt derelictos, & confuſos: nam niſi Dominus ædificaverit, vel cuſtodierit Civitatem, fruſtra laborant qui ædificant ipſam, & cuſtodiunt: hoc enim eſt deſerere Deum apoſtatare ab eo, retrocedere, & Regnum amittere, quia ſine Deo nihil ſecurum. *Pſal.126. Ioan. collat.35. in cap.4 Ecclen. Proœm.* Et Nota, quòd ſicut præcipua cauſa ruinæ Hieruſalem fuit, quia Iudæi deſeruerant Deum, ejuſque cultum, confidentes in auxilio Ægypti, ſic & nobis confidentibus in mundi, & carnis promiſſionibus, & honoribus, Deum relinquentibus, & ejus cultum, idem eveniet. *In Thren. c.1.* Addit autem Deus: onus jumentorum: Ad quid ſubdit, onus jumentorum? Dat per hoc intelligere, quòd ſicut jumenta, non ſibi, ſed aliis portant divitias, & quantò plus portant, tantò plus gravantur, ſic & iſti ſunt, qui labores, & telam ordiuntur propter temporalia ſine Deo, & maximè Clerici Deo dicati, qui veluti jumenta, ſe onerant divitiis, pro aliis laborantes, & ſibi parantes æternas miſerias. *Ser.1. de Eccleſiaſticis in addit.*

414. *Prædicator inſtruitur in ſuo munere.*

Et nunc ergo ingreſſus ſcribe ſuper buxum, & in libro diligenter exara illud, & erit in die noviſſimo teſtimonium uſque in ſempiternum. Quid eſt, quod Deus præcipit Prophetæ, ut ſcribat ſuper tabulam buxeam, & poſtea exaret verba ſua per librum? Sed attende, quòd loquitur myſticè Prædicatori, quia per buxum intelligitur revocatio malorum: Buxus enim eſt arbor infructuoſa, ideo rectè intelligitur ſolùm omiſſio peccati, & per librum opus bonum. Vultque, ut Prædicator, comminando pœnas æternas, revocet peccatores à malis, & promittendo præmia, illos inducat ad opera chriſtiana, utiturque hac metaphora, ut percipiant auditores, quod talis prædicatio in die

judicii

Digitized by Google

judicii erit in teſtimonium contra illos, ſi non obtemperaverint. *Pſal. 118. c. 1. v. 2.*

415. *Signum reprobationis contemnere verba Dei aſpera ex ore Prædicatoris, & quærere verba placentia, & ſenſui plauſibilia:* Unde dicitur hic: *populus ad iracundiam provocans eſt, & filii mendaces, filii nolentes audire legem Dei, qui dicunt: loquimini nobis placentia, &c.* Quod & facient Judæi cum Antichriſto, quem toto corde ſequentur: Unde iſtis, & ſimilibus redditur intolerabilis correctio & ſanatio ferè incurabilis. *Ecclen. c. 52. & Dict. Tit. 1. cap. 2.*

416. *Impiis ſubitanea mors, & judicium ſuperveniet.*

Quoniam ſubito, dum non ſperatur veniet contritio ejus, & comminuetur, ſicut conteritur lagena, &c. Ecce ad quem terminum, & qualem exitum habent impii Deum deſerentes, & obdurati ad verba, & inſpirationes divinas: nam iſtis ſuperveniet repentinus interitus, ſubitanea mors, & damnatio æterna ſignificata per contritionem lagenæ; dum enim non ſperant, & omnem alium eventum expectant, tunc ſupervenit mors inexpectata *Luc. c. 17. v. 3. & c. 20. v. 18. & c. 21. v. 35. Ecclen. c. 9.*

417. *Peccati damna poſt mortem expenduntur.*

Et comminuetur ſicut lagena figuli contritione pervalida, & non invenietur de fragmentis ejus teſta, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fovea, &c. Notanda ſunt iſta verba, quibus effectus peccati poſt mortem exarantur: nam cum in hac vita contritio animæ à peccato cauſata ſit reparabilis, poſt mortem tamen fit irreparabilis, tunc enim non remanet teſta, in qua portetur igniculus, ſcilicet charitatis, vel hauriatur parum aquæ ſcilicet divinæ miſericordiæ, & ideo omnis ſpes miſericordiæ præciditur. *Op. Comp Theol. l. 3. cap. 7. & l. 7. c. 21. Luc. c. 4. v. 19. Ecclen. c. 2.*

418. *Spei in Deum, & ſilentii animæ contemplativæ fructus expenduntur.*

Hæc dicit Dominus Deus Sanctus Iſraël, ſi revertamini. & quieſcatis, ſalvi eritis, in ſilentio, & ſpe erit fortitudo veſtra. Nota, quod Propheta videns futuram calamitatem, & captivitatem Iſraelis, eo quod dereliquerunt Deum, & vanè ſperaverunt in confœderatione Ægyptiorum, aſſignat eis remedium, quo poſſent liberari à tot miſeriis, & calamitatibus, nempe revertendo ad Deum per pœnitentiam, & quieſcendo, ſcilicet in operibus Sanctis juſtitiæ: & ut ſcirent qualia debent eſſe iſta opera juſtitiæ, & quibus circumſtantiis decoranda, ſubdit, in ſilentio, & ſpe erit fortitudo veſtra; nempe in ſpe, ponentes totam ſuam ſpem, non in mundo, ſed in Deo; & in ſilentio, abjicientes terrena, & ſæcularia, Deum in ſilentio orando, & per contemplationem in Deo quieſcendo: nobiſque inſinuat quale ſilentium eſt, quod Deus exigit à nobis, maximè Religioſis, ſilentium ſcilicet à malis, ſilentium in oratione, ſilentium in Dei amore; & ſimul confidentiam in ſua gratia, & protectione, & in hoc ſtat fortitudo religioſa, qua anima poterit levare ſe ſuper ſe in Deum. *Pſal. 38. & 139. Thren. c. 3.*

419. *Dei miſericordia expenditur in expectando peccatores ad pœnitentiam.*

Expectat Deus, ut miſereatur veſtri, & ideo exaltabitur parcens vobis, quia Deus judicii Dominus: beati omnes, qui expectant eum. Notanda ſunt diligenter hæc verba, quæ continent dulciſſima myſteria, per quæ Iſaias docet, Deum expectare nos ad pœnitentiam, & deinde infert, quòd beati ſunt, qui Deum expectant: Unde proponitur Deus expectans hominem, & homo expectans Deum, ut videas quanta, & qualis ſit divina miſericordia, quæ expectat peccatorem exiſtentem in peccato, ut pœnitentiam aſſumens, ipſe expectet Deum ad ſe venientem, præparando ipſi in corde hoſpitium: Expectat, ait, Propheta, ut miſereatur veſtri; quaſi dicat, vocat nos Deus in juventute ad ſe, & ſi renuat homo tunc ad Deum venire, ſæpe expectat eum etiam in ſenectute, quia etiam tunc temporis ipſum recipiet, ſi pœnitentiam egerit, & ut ſuam hanc expectationem, & deſiderium Deus oſtenderet, exaltatus eſt in Cruce, ut ex Cruce expectando peccatorem ipſum excitaret ad pœnitentiam, & ſibi eum reconciliaret: Et hinc ſubdit, Beati, qui eum expectant, ſcilicet, qui Deo aliquando obediunt, expectantes ſuam gratiam, & adventum: In quo patet, quod miſericordia major, quam oſtendat Dominus in nos, eſt expectare nos in peccatis, dans nobis tempus pœnitentiæ. *Ser. 3. Dom. 6. poſt Pent. Luc. c. 12. v. 38. Sap. c. 12.*

420. *Felicitas ſperantium, & expectantium Dei auxilium cum patientia, & fiducia.*

Beati omnes, qui expectant eum. Quid eſt expectare Deum, niſi in eum ſperare; Spes enim eſt expectatio divinæ gratiæ, & gloriæ: Uult igitur Deus, ut dum in hoc exilio vivimus in ipſum ſperantes cum magnanimitate, æquanimitate, & longanimitate expectemus ejus auxilium, cavendo à diffidentia, ab impatientia, & ab inconſtantia, ſic enim beatitudinis participatio obtinetur: ô beati, qui ſic expectant Deum, ſuæ divinæ Voluntati facti perfectè conformes. *Pſal. 118. c. 1. v. 2.*

421. *Dei promptitudo in exauditione petitionum in te ſperantium.*

Ad vocem clamoris tui, ſtatim cum audierit, reſpondebit tibi, & dabit vobis Dominus panem arctum, & aquam brevem, &c. Vide effectus ſpei, & fiduciæ in Deum, vide felicitatem expectantium Deum: nam ait Propheta, ſi expectabis patienter & confidenter Deum, ſi in ipſum ſperabis, ecce, quòd ad vocem clamoris tui, ſtatim cum audierit, reſpondebit tibi, ſcilicet ſtatim ac aperueris vocem petitionis tuæ, imò antequam clames ad Deum, te exaudiet, & dabit tibi panem arctum, & aquam brevem, ſcilicet gratiam ſuam, quæ te elongabit à mundo, & arctabit ad ſui obſequium, & ducet per viam arctam, quæ

ducit ad vitam; & aquam brevem, nempe doctrinam fidei cito, & facile refrigerantem animam, & brevem, humilemque reddentem: & ſi aliquando Deus differat concedere petitionem tuam, id erit ad amplificandum tuum meritum, & bonum. *Luc. cap.2. verſ.26. & cap.11. v.9. & Ugo Card. hic.*

422. ***Exigit Chriſtus à ſuis ſervis vitæ auſteritatem.***

Et dabit vobis panem arctum, & aquam brevem. Ergone ſolùm panem arctum, & aquam brevem, ſcilicet in penuria collocabit Dominus ſuos ſervos poſt arreptam pœnitentiam, poſt orationes multas Deo exhibitas, poſt actus ſpei in Deum directos? Nec aliud promittit Deus ſibi ſervientibus? Sed attende, quod hoc eſt maximum Dei beneficium, quod Deus ſuis ſervis viam cœleſtem arripientibus confert, ſcilicet eis tribuendo amorem auſteritatis vitæ: hoc enim eſt unum ex prodigiis divinæ gratiæ, videre illos, qui in ſequela mundi delicatè vivebant, & omnem intentionem ad talem laxam vitam dirigebant, poſt vocationem efficacem ad ſequelam Chriſti, totos ſe efferre in perſecutione corporum propriorum, ſolùm ærumnas, auſteritates, jejunia, diſciplinas, & macerationes amare, & quærere, ut poſſint dicere cum Apoſtolo: In fame, & ſiti, in frigore, & nuditate, in jejuniis multis cupio vivere, &c. *Luc.c.6.v.1.*

423. ***In via Dei oculi aperiuntur ad Deum videndum, & aures ad audiendum poſt terga monentem.***

Et non faciet avolare ad te ultra Doctorem tuum, & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & aures tuæ audient verbum poſt tergum monentis. Quid eſt hoc, quod promittit Propheta Deo ſervientibus? quis iſte Doctor non avolaturus ab ipſis, & ab ipſis conſpiciendus? & quæ verba ſunt iſtius poſt tergum monentis? & cur poſt tergum, & non ante faciem? Sed attende ad mirabiles effectus divinæ miſericordiæ: Iſte Doctor noſter eſt Chriſtus ſalvator, qui ſemper paratum ſe exhibet ſuis ſervis, & conſpiciendum ab ipſis, ſcilicet, qui ipſorum oculos aperit, ut per lumen fidei videant ejus myſteria, ut adſpiciant, quæ ab ipſis facienda ſunt: & ne ceſſent in ſtadio virtutis operari jugiter, poſt ipſorum tergum monet, & emittit ſuas voces excitantes: ſed cur poſt tergum, & non potius ante faciem? Reſp. rectè Haimo, quia ſicut Adæ ante peccatum locutus eſt apertè Deus, poſt peccatum locutus eſt ei quaſi poſt tergum poſito: ſic & nos omnes peccando retrocedimus, & poſt peccatum audimus à Domino, Hæc eſt via, ſcilicet præceptorum, ambulate in ea, ubi notanda eſt diligenter immenſitas divinæ pietatis: poſtquam enim nos ipſum rejecimus, eique terga vertimus, adhuc tamen non ceſſat nos ſequi, & invitare ad pœnitentiam dicens: Hæc eſt via, &c. *Pſal.118.cap.8. v.11. ſap.c.12. Luc.c.15.v.28.*

424. ***Per Crucem nobis oſtendit Chriſtus viam rectam ad Cœlum.***

Hæc eſt via, ambulate in ea, & non declinetis neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Qualis & quænam eſt hæc via, per quam docet Propheta nobis ambulandum, ut non declinemus ſive ad dexteram, ſive ad ſiniſtram? Sed attende, quòd ſupra dixerat, invitans nos ad pœnitentiam, expectat Dominus, ut miſereatur veſtri, & ideo exaltabitur parcens vobis: quid eſt exaltabitur Deus? Exaltatus eſt à terra, in Crucem, ideo exhibet, & oſtendit Crucem, ut per ipſam nobis ambulantibus, & proficientibus in via Dei, ipſam viam oſtenderet, & dirigeret: ſicut enim in multis regionibus exponuntur cruces, & alia ſigna ad dirigendum peregrinos, ne errent in via, ſic nobis dicit Chriſtus e Cruce: Hæc eſt via, & non eſt alia præter ipſam: quid igitur fruſtra quæritis vobis viam ad patriam per mundum, vel mundi divitias, vel per carnis delicias, vel per honorum eminentias? ne declinetis ad dexteram, vel ſiniſtram, alioquin, non viam Cœli, ſed Inferni calcabitis. *Ser. in exalt. S. Crucis.*

425. ***Qualis via ſalutis proponenda à Prædicatoribus.***

Hæc eſt via, ambulate in ea, non declinetis, &c. Nota, quòd cum hæc dirigantur peccatoribus, à Spiritu Sancto etiam Prædicatori proponuntur docenda, & ſecundùm ſenſum ipſorum edocetur quale ſit ejus munus, quæ via ab eo oſtendenda, & modus per ipſam incedendi: ejus enim munus eſt propriè errantes dirigere, & ad viam ſalutis revocare, dicens: Hæc eſt via, nempe eligite hanc viam & omnem aliam relinquite; ambulate in ea, nempe viriliter, ſemper in ea perſeverando, abſque eo, quod divertatis ad aliam: Nota autem, quod hæc via habet novem Diætas: prima eſt à peccato ad pœnitentiam, tamquam ad medicinam, & remedium peccatorum: ſecunda eſt à pœnitentia, ad præcepta: Tertia à præceptis ad conſilia: quarta ab iſtis ad virtutes veluti inſtrumenta docentia operari rectè: quinta eſt à virtutibus ad dona Spiritus Sancti, quæ dant operari faciliter, & expeditè: ſexta à donis ad beatitudines, quæ docent operari perfectè: ſeptima ad fructus Spiritus Sancti, qui docent operari delectabiliter: octava à fructibus ad judicium: Nona à judicio ad gloriam. *Op. Diæt. in proœm. & Tit.7.c.1.*

426. ***Chriſtus eſt via, per quam ambulandum eſt.***

Hæc eſt via, ambulate in ea, non declinetis, &c. Nota quòd hæc ſunt verba Spiritus Sancti proponentis nobis viam, per quam ambulare debemus ad Cœlum: ſed quænam eſt hæc via? Reſpondet Chriſtus: Ego ſum via veritas, & vita: Via eſt Chriſtus, per quam ire debemus, quia Verbum aſſumendo hominem, factum eſt via, ſicque ambulandum eſt per hominem, ut ad Deum perveniamus: Vide igitur quomodo Chriſtus in itinere ſalutis factus eſt noſter ſocius, dux, ductor, & conſervator, via ſecura, veritaſque, per quam pervenire, & vita, in qua permanere poſſumus. *Op. de ſept. Itiner. æternit. Itin.7. d.7.*

427. *Ad viam perfectionis Deus omnes, & maximè Religioſos continuè invitat Chriſtus.*

Aures tuæ audiunt verbum poſt tergum monentis; hac eſt via, ambulate in ea, non declinetis, &c. Ecce quomodo Deus non ambulantes in hoc mundo, continuè invitat, auribus noſtris reſonare faciens hæc verba: Hæc eſt via &c. ſcilicet hæc eſt via perfectionis, ambulate in ea de virtute in virtutem progrediendo, non declinetis ad dexteram, vel ſiniſtram, ſed in medio, & per medium, in quo conſiſtit virtus. *Luc. c. 9. v. 57.*

428. *Gratia pluvia neceſſaria productioni fructuum ſpiritualium.*

Egredere; & dices ei: & dabitur pluvia ſemini tuo, ubicumque ſeminaveris in terra, etiam panis frugum terræ erit uberrimus, & pinguis. Hæc eſt promiſſio, quam facit Deus omnibus, ut ſciant quomodo ipſe per ſe ſemper eſt paratus præbere ſuum auxilium, quod ſub nomine pluviæ exponit, ideo nemo excuſari poteſt, ſi non ſeminaverit, & collegerit fructus in abundantia: nam ubicumque ſeminaveris, ibi Deus concurret cum pluvia ſuarum gratiarum, ibique colliges abundantiam panis, & frugum: quòd ſi è contra non ſeminaveris, nec laboraveris in agro dominico, ſterileſcet anima tua, & fame peribis. *Luc. c. 8. v. 15: & ſer. 4. in Vigil. Nativit.*

429. *Poſt diem Iudicii lux Solis, & Lunæ augebitur ſeptempliciter: ſicut & corpora Beatorum fulgebunt ſeptempliciter pluſquam ſol nunc lucet in mundo.*

Et erit lux lunæ ſicut lux ſolis. & lux ſolis erit ſeptempliciter ſicut lux ſeptem dierum, in die, qua alligaverit Dominus vulnus populi ſui. Quænam erit hæc dies, in qua iſta mirabilia videbuntur? Nota, quòd hic loquitur de reſurrectione mortuorum, poſtquam augebitur lux lunæ, quæ erit ſicut nunc ſolis, & lux ſolis ſeptempliciter augebitur, ſicque reducentur ad ſuum ſtatum naturalem, quo erant in tempore ſtatus innocentiæ: nam per peccatum diminuta fuit lux omnium Planetarum. Addimus, quòd etiam dat intelligere Spiritus Sanctus, quod corpora beatorum poſt glorificationem erunt ſepties tunc clariora, quàm ſit modo ſol, dicente Chriſto: Tunc juſti fulgebunt ſicut ſol, ſcilicet dote claritatis, quoad corpus glorificatum, ut communiter cum D. Bonaventura & S. Thoma interpretantur Expoſitores, & conſequenter corpus unius Beati poſſet illuminare ſeptem orbes, ſicut iſte illuminat hunc iſtum: & ſi hoc, qualis erit claritas, & ſplendor animæ? ô utinam & nos ad tantam gloriam pervenire digni efficiamur. *Op. Comp. Theol. l. 7. cap. 28. & l. 4. d. 48. art. 2. quæſt. 1. ſup. c. 1.*

430. *Chriſtus medicus, & perfectiſſimus Chirurgus qualiter noſtra vulnera curaverit.*

Erit lux ſolis, &c. In die, qua alligaverit Dominus vulnus populi ſui; & percuſſuram plagæ ejus ſanaverit. Quænam eſt hæc dies, in qua Chriſtus ſanavit vulnera populi ſui? Ad litteram prædicit Propheta reditum populi Iſraëlitici ex captivitate Babiloniorum: ſed myſticè prædicit felicitatem primò Beatorum poſt diem Iudicii; & corporum glorificatorum, & immortalitatem contra vulnus miſeriæ: ſecundò felicitatem fidelium eis obventuram per Incarnationem, & mortem Chriſti: nam Chriſtus veniens in mundum, & videns hominem vulneratum à peccato, tamquam optimus medicus cœleſtis, primò oleo miſericordiæ, vinoque ſanguinis ſui unxit, & lavavit vulnera, & deinde obligavit ligatura præceptorum, ne de vulneribus homo moreretur. *Ser. 3. Dom. 3. Pentec.*

431. *Chriſtus in Aſcenſione abiit ad Regnum, ſed in judicium veniet ut Rex regnans, & judicaturus mundum, bonos præmiaturus, malos puniturus.*

Ecce nomen Domini, venit de longinquo, ardens furor ejus, & gravis ad portandum, labia ejus repleta indignatione, & lingua ejus quaſi ignis devorans, &c. Nota, quòd Propheta hic prædicit adventum ſecundum Chriſti in mundum ad judicandum homines, & docet quòd ſicut in primo venit ut ros, & poſtea in Cœlum aſcendit ut Rex regnaturus ad dexteram Patris: ſic in ſecundo veniet terribilis contra malos, veniet, inquam, de longinquo, ideſt poſt multa tempora, de Cœlo, ardenſque erit furor ejus, ſcilicet in vindictam malorum, & gravis erit reprobis, labiaque ejus quaſi ignis devorans, nempe condemnans diabolum, & reprobos: ô quantæ terribilitatis, & magnitudinis erit iſte adventus: Terribilem igitur Judicem conſidera ô anima, & de adventu illius tunc contremiſcet tua conſcientia; & non ſine cauſa, cum jam coram illo poſita Cœlum, & terra trement. *Ser. 4. Dom. 1. Advent. Luc. c. 19. v. 12. Pſal. 118. c. 1. v. 13.*

432. *Diabolus per adventum Chriſti in Cruce, & mortem ejus percuſſus in capite virgâ Crucis, & ſubjugatus: poſt judicium puniendus.*

A voce Domini pavebit Aſſur virga percuſſus, erit tranſitus virgæ fundatus, &c. Nota, quòd hic prædicit duo de diabolo; nempe, quod virga percutietur, & quod percuſſus judicabitur, & punietur: Datque intelligere, quod Chriſtus veniens in mundum percuſſit caput diaboli baculo Crucis, auferens ei poteſtatem, quam prius liberam exercebat in genus humanum, & ideo in judicio pavore perterritus punietur virga furoris Chriſti pro peccato, & malitia, quia turbaverat totum mundum. *Sermon. 1. in Paſcha.*

433. *Quali bello, & armis in via Dei pugnandum cum hoſtibus.*

Et requieſcere faciet Dominus, ſcilicet virgam furoris ſui ſuper eum, ſcilicet diabolum in tympanis, & citharis, & in bellis præcipuis, &c. Proſequitur Propheta bellum, quod Chriſtus poſt diem Judicii faciet contra Dæmones, quos puniet in æternum; in qua expugnatione tamen Chriſtus lætabitur ob juſtitiæ ſuæ gloriam; hæc ad litteram: ſed attende, quòd hæc fuit prophetia de bellis præcipuis ſpiritualibus, in quibus Chriſtus per Sanctos ſuos de diabolo, mundo, & carne in hac vita triumphat; nam Dei ſervi virtute Chriſti in citharæ ſono per orationem, in Tympani percuſſione per carnis macerationem, in bellis præcipuis per ſpiritualem animæ colluctationem, victoriam de hoſtibus reportant; & hinc Chriſtus providit in Eccleſia varias naves bellicas, ſcilicet varios ſtatus, & Religiones, in quibus ſecure hanc pugnam homo poteſt exercere. *Sermon. 2. Dom. 3. poſt oct. Epiphan.*

434. *Locus Inferni, ejuſque pœna expenduntur.*

Præparata eſt enim ab heri Topheth à Rege præparata, profunda, & dilatata, nutrimenta ejus ignis, & ligna multa flatus Domini ſicut torrens ſulphuris ſuccendens eam. Nota, quòd per Topheth, quod interpretatur Vallis incendii (eſtque vallis propè Hieruſalem in qua exercitus Sennacherib occiſus eſt manu Angeli) ſignificatur Infernus: Datque per iſta intelligere ſacer textus, quòd Infernus ad pœnam Dæmonum fuit præparatus à Deo, diciturque lacus præparatus, ſcilicet diabolo, & Angelis ejus; ut cito recipiat eos profundus, nempe juxta culpæ profunditatem, & ut nemo exire poſſit: dilatatus, ut omnia capiat: nutrimenta ejus ignis, & ligna multa, ſcilicet corpora, & animæ damnatorum abſorpta erunt in igne, quia flatu iræ Domini perpetuò ardebit: ô quantus ignis erit, quando omnes arbores ſteriles, omnes ſcilicet impii ſimul ardebunt in Inferno: ibi cum arbore cortex, & rami ſimul ardebunt, ideſt anima, & corpus, qui prius aridi fuerunt per peccata *Ser. 2. Dom. 7. Pent. Luc. c. 16. v. 21.*

✠✠✠✠:✠✠✠✠✠✠✠✠✠:✠✠✠✠

CAP. XXXI.

435. *Væ illi, qui Deum derelinquit, ponens ſuam fiduciam in creaturis.*

VÆ *qui deſcenditis in Ægyptum ad auxilium in equis ſperantes, & habentes fiduciam in quadrigis, &c.* Hæc verba diriguntur ad Judæos, qui ut ſe eximerent à vexatione Caldæorum ad Ægyptios confugerunt pro auxilio, & quia Deum dereliquerunt, ideo juſto divino judicio permittente in majores miſerias inciderunt: per quod exprimitur maxima deceptio illorum, qui magis in creaturis, vel potentia, vel divitiis, vel hominibus confidentes in ſuis univerſitatibus, Deum derelinquunt, & ad creaturas pro auxilio confugiunt. Væ ait iſtis ſtultis, quia ſic facientes non aſcendunt, ſed deſcendunt veluti ab Hieruſalem in Hierico, & divino judicio ſic exigente, incidunt in latrones ipſos deſpoliantes, captivantes, & vulnerantes, eiſque omnia bona ſpiritualia, & temporalia auferentes. *Luc. c. 17. v. 31. Ugo hic.*

436. *Servi Dei Chriſti humilitatem imitentur.*

In equis, & quadrigis ſperantes, &c. Nota, *in equis & quadrigis*: Nam uſus talium pomparum non eſt ſervorum Chriſti, qui volens ingredi in Civitatem Hieruſalem cum pompa, ſedit ſuper Aſellum, non in equo, non in quadrigis, ut per hoc exemplum contereret ſupercilium ſuperborum, qui delectantur in multitudine equorum, & curruum. *Luc. c. 19. v. 35.*

437. *Reprehenduntur, qui relicta doctrina, & ſcientia chriſtiana ad mundanos ſe conferunt.*

Væ qui deſcenditis in Ægyptum ad auxilium, &c. Quinam ſunt iſti deſcendentes in Ægyptum? Ægyptus eſt mundus, cujus ſtudia ſunt mundanæ ſcientiæ: Væ (ait Spiritus Sanctus) vobis, qui relicta ſcientia animæ, & doctrina Chriſti, deſcenditis ad ſæculares ſcientias, & os Domini, ſcilicet ſacram ſcripturam, & doctrinam ſpiritualem non interrogaſtis, nam in confuſionem incidetis. *Ser. 12. Hexam.* Hoc attendant Religioſi, qui relicto ſtudio Sacræ ſcripturæ, librorumque ſpiritualium, toti ſe immergunt in lectura vanitàtum, hiſtoriarum, prophanorum, & ſæcularium: Væ, & iterum Væ iſtis infelicibus, &c. & ideo ſubdit ſacer textus: non ſunt confiſi ſuper Sanctum Iſraël & Dominum non exquiſierunt. *Pſal. 118. c. 1. v. 1.*

438. *Quàm decipiantur, qui ob defectum confidentiæ, orationem deſerunt.*

Væ iis, qui non ſunt confiſi ſuper Sanctum Iſraël, & Dominum non exquiſierunt. Ecce qualis defectus eſt eorum, qui orationem relinquunt, ob diffidentiam exauditionis: Væ iſtis, ait ſacer textus: nam maxima bona perdunt, quia oratio exigit perſeverantiam. *Pſal. 1. 8. c. 1. v. 1.*

439. *Mali in equis deſcendunt in tenebras, & peccata, & tandem ad Infernum: boni in Cœlum aſcendunt.*

Væ, qui deſcenditis in Ægyptum in equis, &c. Nota, quod ut aditum ad ſenſum ſpiritualem Spiritus Sanctus tribuat, ſubdit: equi eorum caro, & non Spiritus: Datque intelligere, quod equi ſunt corpora noſtra, ſuper quæ ſedit anima bonorum, & malorum; ſed cum hoc diſcrimine, quod mali ſinunt ſe regi ab equis, ſcilicet à carnalitate, & iſti non aſcendunt, ſed deſcendunt in Ægyptum, nempe in tenebras peccatorum; & quia propter tenebras neſciunt, quò vadant, ideo tandem deſcendunt, & corruunt in Infernum: Boni è contra non

reguntur

teguntur ab eqois, ſed ipſi regunt corpora, & partem animalem tamquam boni milites cis inſidentes, & iſti aſcendunt de virtute in virtutem uſque ad cœlum: ſi igitur in hoc equo bonus miles fueris, & hoſtes ſuperaveris, tunc coronaberis, & quantò equo fuerit pugna diuturnior, tantò glorioſios coronaberis, labor enim protrahitur pugnæ, ut creſcat corona victoriæ: In eqois enim malè ſperant, qui de fortitudine, & ſanitate corporis præſumentes, differunt pœnitere, & ſæpe falluntur: fallax enim equus ad ſalutem, quoniam antequam ſciant, mortis lancea equo transfixa, ejiciuntur. *Ser.3. Dom.10. poſt Pent.*

440. *Ægyptum deſerat, & à carne ſe abſtrahat, qui vult ad Deum aſcendere.*

Væ, qui deſcenditis in Ægyptum, &c. Ægyptus homo. & non Deus. & equi eorum caro, & non ſpiritus. Nota, quòd hic ſacer textus loquitur Iſraëlitis, ſcilicet ſervis Dei, dicens: Væ vobis, qui in Ægyptum, ſcilicet in mundum deſcenditis, terrenis rebus affecti: non enim cum ponderoſitate terrenorum poteritis aſcendere ad Dei fruitionem: E contra veri ſervi Dei, relicto Ægypto, nempe mundo, ſuperiores facti carnis, expoliati amore terrenorum, ad Deum aſcendunt de virtute in virtutem; & hoc eſt, quod dicimus in oratione dominica: ſanctificetur nomen tuum, ideſt ſine terra (id enim ſonat hoc nomen, ſanctus) ſine terra afficiatur nomen tuum in me, ut terra remota, & calamitate, ſolus ſponſus cum ſola ſponſa mirabiliter præſentetur. *Op. myſtic. Theol. c. 2. p. 1.*

441. *Gratia multiplex effectus conſiderata in ordine ad ſuum oppoſitum expenditur.*

Sicut aves volantes, ſic proteget Dominus exercituum Hieruſalem, protegens, & liberans, tranſiens, & ſalvans. Vide qualem protectionem Deus promittit ſuper animam fidelem ſignificatam per Hieruſalem: nam ſicut avis volitans ſuper pullos ſuos, ſic Chriſtus protegit, & provocat filios ſuos: Et quomodo hoc fac ti ſubdit: protegens, & liberans, & tranſiens, & ſalvans, ſcilicet gratiam ei offerendo, & exhibendo, animam protegens à malo miſeriæ, & tentationis, ſeu perſecutionis hoſtium, liberans à malo culpæ, & extrahens, & ſalvans à malo ſequelæ, vel pœnæ, inſinuatque quadruplicem gratiam, ſcilicet operantem, per quam liberat à malo: cooperantem, per quam protegit in bono: conſequentem, per quam tranſit ab omni periculo: & conſummantem, per quam ſalvat. *Op. de reſurrect. à peccato ad gratiam & l. 2. d. 27. dub. 1. & Ugo hic.*

442. *Per pœnitentiam anima de profundo Inferni aſcendit ad ſupremum Cæli.*

Convertimini ſicut in profundum receſſeratis filii Iſraël: In die enim illa abiiciet vir idola ſua, &c. Nota hæc verba ô homo, qui in peccato mortali vivis, nota, inquam, illud verbum, in profundum receſſeratis, &c. Quodnam eſt hoc profundum, niſi ſtatus peccati mortalis, & peccatoris? recedens enim à Deo, ſe præcipitat in profundum inferni: & certè periculoſius homo ſe mergit in profundo vitiorum, quàm corpus in aquis: Convertimini igitur ô peccatores, qui eſtis in hoc profundo convertimini corde, & opere per pœnitentiam, & abiicite à vobis idola peccatorum, ſic enim in altum vos elevabimini, & digni miſericordia Dei efficiemini. *Ser. 4. in die Ciner.* Nota autem quòd hic fundati aliqui Theologi aſſerunt, quod reſurgens à peccato ad gratiam, ſolùm elevari poteſt ad quantitatem ſolam charitatis amiſſæ, quæ tamen opinio, eſt contra rationem, & veritatem, & experimentum: nam contra rationem eſt, dicere, quod homo perfectus non poſſit reſurgere vel in minori, vel in majori gradu charitatis, quia præparatio poteſt eſſe major, vel minor, & experientià patet oppoſitum, tum quia divina retributio non penſat niſi, quod homo ſit finaliter bonus. L. 3. *d. 31. a. 1. q. 3. & l. 4. d. 14.* Illa autem verba loquuntur Prophetæ, non de quacumque præparatione, ſed de conſummata, & perfecta. *Sic l. cit.*

443. *Ignis divini amoris incipit in hac vita, & complementum habet in gloria.*

Dixit Dominus, cujus ignis eſt in Sion, & caminus ejus in Hieruſalem. Cur ignis in Sion exponitur, & caminus in Hieruſalem? Nota, quòd per Sion hic Eccleſia militans ſignificatur, per Hieruſalem, Eccleſia triumphans, & ideo tali modo loquendi dat intelligere diſcrimen amoris Dei hujus vitæ, & cæleſtis patriæ: nam in Sion, quod interpretatur ſpecula, charitas eſt modica illi charitati cæleſtis Hieruſalem comparata, in qua eſt conſummata & ad inſtar camini in ſanctorum cordibus inflammata: ô qualis quàm ſuavis, quàm amabilis, quàm deſiderabilis eſt iſte ignis, qui ſanctos vivificat, lætificat, glorificat, in bono conſervat, & ipſos ſtabilit, & confirmat: quis non deberet velle hoc frigus pati, velle penuriâ rerum affligi, velle laboribus premi, velle, ſe offerente tempore, & opportunitate mori, ut poſſet aliquando hoc dulciſſimo igne ſuccendi: Non eſt hic ignis devorans, ſed conſervans, non affligens, ſed delectans, non ſitim aquæ generans, ſed perfectè ſatians, ſolius boni ſummi deſiderium cum ſatietate, & ſatietatem cum deſiderio generans: & ad hunc ignem nos perducat Chriſtus Amen. *Ser. 1. de S. Laur. op. Myſt. Theol. c. 2. p. 2. Pſal. 145: Luc. c. 7. v. 28. & c. 10. v. 43. & c. 13. v. 12. Vid. l. 2. d. 38. a. 1. q. 2. & l. 3. d. 31. a. 3. q. 2.*

CAP. XXXII.

444. *Prælatus, & Princeps inſtruitur in ſuo munere: ſicut & quilibet in ſtatu ſuo.*

ECCE *in juſtitia regnabit Rex, & Principes in judicio præerunt, &c.* Nota, quòd hæc verba primò diriguntur ad Principes, & Prælatos: ſecundò ad quemlibet in particulari: Dat autem Intelligere Spiritus ſanctus, quod totum negotium Prælatorum regendi juxta beneplacitum Dei populos, conſiſtit in quærendo cum ſollicitudine juſtitiam, ut ſine acceptione perſonarum corrigant errata ſubditorum, quia quando talis zelus reſidet in corde Principum, ſcilicet collateralium ſubordinatorum: Docet etiam, quod quilibet in ſtatu ſuo particulari debet præfigere ſuis operibus juſtitiam Dei, qua ſeverè puniat mala commiſſa, ut ipſe perterritus omnia mala vitet, & Deo debitam ſubjectionem per humilitatem, & devotam orationem conſervet. *Serm.4. Dom. 14. Pentec. ſerm.1. de Rectorib.*

445. *Stulti correptiones Prælatorum rejiciunt; ſapientes acceptant.*

Stultus fatua loquetur, & cor ejus facit iniquitatem, ut perficiat ſimulationem: Princeps verò ea, quæ ſunt digna Principe cogitabit &c. Quis iſte ſtultus, qui ſtulta loquitur? Notandum tamen quod hîc non loquitur de ſtulto materiali, ſed ſpirituali, unde cum ſuprà propoſuerit rectum regimen Prælatorum corripientium exceſſus ſubditorum, hic tranſit ad aſſignandum diſcrimen inter ſubditos ſtultos, & ſapientes: nam cum Princeps bonus ſit veluti medicus, qui correctione, & diſciplina, veluti ſecura medicina ſanat vulnera animæ: hinc proponit ſtultitiam illorum ſubditorum, qui talem medicinam rejicientes, inſurgunt obloquentes, & mormurantes contra diſciplinam, & medicum: Verè ſtulti ſunt tales abjicientes, & rejicientes medicinam, nolunt a vulneribus ſpiritualibus ſanari: E contra Princeps, ſcilicet ſapiens ſubditus, qui ſeipſum ſcit regere, ea, quæ digna ſunt cogitat, nempe cogitatum ſuum ſic diſponit, & ordinat, ut omnia velit ſuſtinere patienter, & corrigenti non reſiſtere. *Op. de Eccleſ. Hier. p.3. c.1.*

446. *Princeps fideliſſimus Chriſtus: & fraudulentiſſimus Diabolus.*

Fraudulenti vaſa peſſima ſunt: ipſe enim cogitationes concinnavit ad perdendos mites in ſermone mendacii: Princeps verò (ſcilicet verus) ea, quæ digna ſunt Principe cogitabit, & iſte ſuper duces ſtabit. Nota quod hic aſſignat Propheta diſcrimen inter Principem impium, & pium, ſanctumque: Ille verò eſt Diabolus Princeps malorum: iſte eſt Chriſtus Princeps bonorum: ille blanditur ut fallat, arridet, ut noceat, allicit ut occidat; verè fraudulentiſſimus, promittendo enim dignitates, voluptates, divitias, longam vitam, finalem pœnitentiam, multos decipit; modo alio- rum facta graviora, modo nil eſſe, quòd perpetratum eſt, modo miſericordem Deum loquitur: modo ſubſequens tempus ad pœnitentiam pollicetur, ut per hoc decepta mens abducatur ab intentione pœnitentiæ, & ſuſpendatur: E contra Princeps fideliſſimus Chriſtus eſt, qui cogitationes fraudis neſcit, qui vulnerat, ut medeatur, ideo pacificus pacem, & ſanitatem, & ſalutem ſuorum tantùm quærit, *Ser 2. Dom. 3. poſt oct. Paſcha. Luc. c.12. v.58.*

447. *Principibus, & Prælatis Deus deſtinavit Angelum Cuſtodem de ordine Principatuum.*

Princeps ea, quæ ſunt digna Principe cogitabit, & ipſe ſuper Duces ſtabit. Quis iſte Princeps, qui ſuper Duces, & Principes ſtat & regnat? Nota, quod talis Princeps eſt Angelus ex ordine Principatuum, qui à Deo deſtinatur ad aſſiſtendum omnibus Ducibus, Principibus & Prælatis, ut ſicut iſti Angeli in ſe ordinati ſunt, quia ad primum principium reducuntur ſcilicet ad Deum, & quantum poſſibile eſt, ipſum imitantur, ſic & à Deo deſtinantur ad Principes & Duces populorum, ut eos in gradibus præſidentiæ dirigendo reforment: ô quanta, & qualis eſt Dei miſericordia in nos. *Ser. de Angelis.*

448. *Invitatur anima ad accingendum lumbos ſuos, & ad plangendum ſuper mortem Chriſti Jeſu.*

Mulieres ſurgite, & audite vocem meam &c. accingite lumbos veſtros, ſuper ubera plangite, ſuper regione deſiderabili, ſuper vinea fertili &c. Nota quod ad litteram Propheta miſerabilem ſtatum Prælatorum, qui veluti mulieres molles, & effæminati deficiunt in ſui muneris exercitio: ſed myſticè ad omnes animas convertitur hic ſermo, ſuadens primò eis, ut accingant lumbos ſuos, quòd eſt idem, quòd dixit Chriſtus, *Luc. c.12. ſint lumbi veſtri præcincti &c.* ſcilicet lumbi carnalis contactus cingulo caſtitatis: lumbi carnalis affectus cingulo virtutis, & lumbi carnalis cogitatus cingulo veritatis, per quòd proponit pœnitentiam agendam à ſequentibus Chriſtum, & ut perfectiùs ipſam peragant, ſubdit: ſuper ubera plangite, ſuper regione deſiderabili: Quænam eſt hæc regio deſiderabilis? hæc eſt paſſio Chriſti, verè deſiderabilis ſuper omnes Reges terræ: quaſi dicat: Pœnitentiam agite, & ut ipſam perfectè agere poſſitis, planctum aſſumite ſuper paſſionem Chriſti, ejuſque mortem, ſicut & à mulieribus tempore paſſionis plangebatur, plangite, ait, de morte Chriſti, quia pro peccatis veſtris mortuus eſt. *Luc. c.12. v.36. & cap.23. v.27.*

449. *Fructus juſtitiæ eſt pax in hac, & in alia vita.*

Et erit opus juſtitiæ pax. Quomodo pax dicitur opus, ſeu fructus juſtitiæ, & non potius bellum? per juſtitiam enim, & rigorem diſciplinæ conturbantur animi hominum: Imo proprius effectus juſtitiæ eſt pax, & in hac, & in alia vita; & notandum, quod juſtitia poteſt ſumi pro virtute ſpeciali cardinali, qua ſuum cuique tribuit & hæc ſi ab homine ſervatur, gignit pacem inter homines, & Principes ſolùm per hanc poſſunt conſervare pacem, & decorare mundum: poteſt & ſumi pro virtute generali, qua cultus Deo redditur, & exercetur per virtutes in ordine, non ſolùm ad Deum, ſed ad ſeipſum, & ad proximum, & iſta confert pacem homini in hac vita temporalem, & in alia perpetuam: Unde rectè dicitur à Propheta: & erit juſtitiæ pax. *Sap. cap. 3. Pſal. 118. c. 7. verſ. 10. & l. 1. d. 33. a. 1. q. 2. ad 4. & dub. 1. op. Comp. Theol. l. 3. cap. 37. & ſerm. Hexam.*

450. *Silentii regularis effectus expenduntur.*

Et erit opus juſtitiæ pax: & cultus juſtitiæ ſilentium. Nota ô Religioſe hæc verba, & ſigna myſteria: Tria hæc notat Propheta: primo loco juſtitiam, ſecundo pacem, tertiò ſilentium: quæ tres virtutes, ut percipiatur in quo loco reſideant præmittit hæc verba Sanctus Propheta: Et habitabit in ſolitudine judicium, & juſtitia in Charmel ſedebit: Charmel interpretatur ſcientia Circumciſionis, & ſignificat ſtatum Religionis, in qua eſt ſcientia Circumciſionis, ſcilicet exercitium mortificationis, & omnium virtutum, quæ acquiruntur, & conſervantur per juſtitiam, de qua dictum eſt ſupra: ex hoc autem juſtitiæ exercitio conſequitur vera pax in Religione: ſed poſtea addit: & erit cultus juſtitiæ ſilentium, & ſecuritas in ſempiternum: quodnam ſilentium eſt hoc, quo colitur juſtitia? hoc eſt ſilentium regulare, quaſi diceret: Tantæ virtutis eſt ſilentium, quod in homine conſervat Dei juſtitiam, & inter proximos pacem nutrit, & cuſtodit tam cordis, quàm corporis: niſi enim Religioſus diligentem ori ſuo adhibeat cuſtodiam, & bona gratuita, quæ habet citò diſſipat, & etiam in multa mala corruit: & ideò fruſtra ille Religioſus gloriatur de poſſeſſione virtutis in corde, qui diſſipat diſciplinam ſilentii per inquietudinem multiloquii: Ex hoc ſilentio plurimi fructus extrahuntur, ſed præcipuè compunctio cordis, cum enim homo tacet cogitat vias ſuas, & locum habet cogitandi ſuos defectus, & ex hoc conſurgit compunctio: Item ex ſilentio oſtenditur, quòd homo eſt cæleſtis, quia mundana non loquitur ſed tantùm cæleſtia cogitat. *Op. de perfect. vitæ c. 4.*

451. *Idem de virtute ſilentii regularis.*

Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta. Vide quòd ad hoc ſilentium conſequitur in anima: & ſedebit populus meus in pulchritudine pacis: quomodo ſedebit? quid eſt ſedebit? ſedebit, ait Jeremias Thren. c. 3. ſedebit ſolitarius, & tacebit, quia levabit ſe ſupra ſe: ſedebit ſolitarius conſortia hominum fugiendo, & tacebit, de cæleſtibus cogitando, & meditando, & levabit ſe ſupra ſe, ſupra ſe cæleſtem dulcedinem deguſtando, ſicque ſedebit in pulchritudine pacis, pacis, inquam, internæ, externæ, & ſupernæ: ſedebit in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta, quia pax ejus erit ſine perturbatione, & ſecuritas ſine timore ad modum beatorum: maxima igitur virtus ſilentii, & maximè in Religionibus, &c. *Op. de perfect. vitæ c. 4. op. Diæt. tit. 7. c. 6 & tit. 10. c. 4.*

452. *Felicitas beatorum in domo Domini expenditur.*

Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta. Quis populus? Populus beatorum ſedebit in domo Domini, in qua ipſe erit pulchritudo pacis ſupernæ, & æternæ, quia in hac domo beati habent ſanitatem ſine infirmitate, juventutem ſine ſenectute, ſatietatem ſine faſtidio, libertatem ſine ſervitute, abundantiam ſine indigentia, pacem ſine perturbatione, ſecuritatem abſque timore, gaudiumque ſine triſtitia, & tandem aggregationem omnium bonorum perfectam, liberati ab omni malo: ô quàm beati, qui ad hunc feliciſſimum ſtatum ſunt vocati: ô anima in illa ſancta Civitate libenter ſtudeas pervenire, libenter morari, & converſari. *Op. ſolil. c. 4. op. Diæt. Tit. 10. c. 4. op. ſtim. p. 3. c. 18. Ioan. collat. 63. & ſer. in ſab. S. ſer. 3. fer. 3. Paſchæ. ſer. 1. de Dedicat. ſap. c. 3.* Nota autem, quod dicit: ſedebit in pulchritudine pacis, ſcilicet ex pace temporali tranſibit ad illam æternam, in qua eſt omnis pulchritudo quietis: in tabernaculo fiduciæ: quænam ſunt iſta tabernacula fiduciæ, niſi ordines Angelorum & beatorum, quia magna eſt fiducia pacis in tabernaculis, quando hoſtis non poteſt intrare propter munitionem Angelorum, & omnium beatorum. *Ser. 3. fer. 3. Paſchæ, & ſer. 2. de S. Iacob.*

453. *Deus aliquando hominem humiliat, ut ipſe ſe coram Deo humiliet.*

Grando autem in deſcenſione ſaltus, & humilitate humiliabitur Civitas. Ad litteram minatur Propheta adverſitates, & ruinas Civitatis Hieruſalem, dicens grando, ſcilicet adverſitatum erit in Civitate Hieruſalem, quæ ob deſtructionem convertetur in ſolitudinem, & ſic humilitate humiliabitur, nempè humiliabitur, ut ſe humiliet: hoc enim ſæpe facit Deus, qui ſuperbos, & malos deprimit, & humiliat, ut ſcilicet ob humiliationem humilitate ad ſe convertat, & talis humiliatio non eſt mala, ſed tolerabilis, & bona, & fructuoſa. *Pſalm. 118. cap. 6. verſ. 12.*

454. *Beati qui ſeminant opera miſericordiæ in proximum.*

Beati qui ſeminatis ſuper aquas omnes immittentes pedem bovis, & aſini. Nota hîc, quod metaphoricè ſuadet nobis opera miſericordiæ, & virtuoſa, dicens: Beati vos Prædicatores, qui verbum Dei ſeminatis, doctrinam veſtram ſuper

omnes populos, immittentes pedes bovis, & aſini, ſcilicet ſapientibus,& inſipientibus: beati item vos, qui ſeminatis opera miſericordiæ, & virtuoſa proximis abſque acceptatione perſonarum. *Luc.c.8.v.5.c.16.v.5.*

CAP. XXXIII.

455. *Qui ex re aliena multiplicat divitias, in certam ruinam corruet.*

V*Æ qui prædaris, nonne & ipſe prædaberis?* Quid eſt hoc, quod dicit Propheta? quomodò prædatur, qui alios prædatur? ſed attende, quòd hæc verba diriguntur contra avaritiam, & avaros, qui augent proprias divitias ex rebus alienis: Væ,ait,iſtis: nam & ipſi prædabuntur juſto Dei judicio, nam iſti quærentes ditari, miſeriam, & calamitatem inveniunt: Deus enim ipſos juſtè punit primò in rebus,& poſtea in anima in Inferno prædatos à diabolo. *Ser.2. Dom.24.Pent.*

456. *Detrahens famæ proximi, juſto Dei judicio permittente aufertur fama propria:* ſic enim dicitur: *Væ qui prædaris*, ſcilicet detrahens famæ proximi, quia & ipſe prædaberis, & tu,qui proximum ſpernis,& ipſe ſperneris. *Pſal.118.c.8.v.6. Luc.c.10.v.16.* Nota autem, quod hoc potiſſimum evenit illis, qui ad prælaturam aſſumpti, ſuorum prædeceſſorum ordinationes, & facta judicant perverſa, vel malè facta: nam Deus, ſuo exigente judicio permittit, ut & ipſi in eandem foveam cadant. *Op. de ſex alis Seraph.c.7.*

457. *In Deum confidentes ſecurè poſſunt ad ipſum recurrere in ſuis tribulationibus.*

Domine miſerere noſtri. Nota, quod iſte orans videtur veluti à Deo imperioſe petere miſericordiam: & cur tanta audacia, vel ſecuritate? ſed attende, quod ſubdit: te enim expectavimus: quid eſt expectavimus? Ideſt in te, non in auxilio hominum, ſed in te ſolo Deo ſpem noſtram habemus, hæcque eſt fiduciæ virtus, quæ facit, quod cum ſecuritate ad Deum poſſimus confugere, & ideo dicitur, miſerere noſtri Domine, te enim expectavimus, ſcilicet petendo miſericordiam perfectam, & perfectivam, quæ eſt expectantium, & ſperantium in Deo. *Pſal. 118. c.9 v.4.*

458. *Divitiæ veræ ſunt ſapientia, & ſcientia cum timore Domini, quia ſunt divitiæ afferentes animæ ſalutem:* Unde dicitur hic *divitiæ ſalutis ſapientia, & ſcientia, timor Domini ipſe eſt theſaurus ejus. In Ecclen.c.9.& c.10.Diat.ſit.6.c.1. Luc.c.1. v.77 & c.12.v.34.*

459. *Angelorum proprium eſt ſuas gratias nobis communicare, bonis item noſtris congratulari, & miſeriis noſtris compati:* Unde hic dicitur: *Angeli pacis amare flebunt, &c.* ad quod & invitantur ſervi, & miniſtri Chriſti miſſi ad ſalutem animarum. *Op. Eccleſ. Hier. p.1.c.1.* Hic textus etiam affertur ab Expoſitoribus de Angelis, qui in morte Chriſti planxerunt ſaltem in corporibus aſſumptis.

460. *Ignis Inferni atrocitas expenditur.*

Quis de vobis habitare poterit cum igne devorante, cum ardoribus ſempiternis? Nota, quod intendit Propheta revocare nos à peccatis, proponendo qualitatem ignis infernalis, qui paratus eſt diabolo, & ſuis ſequacibus, ubi attende, quòd appellat ipſum ignem devorantem, & ſempiternum, non quod omnimodè deſtruat, & devoret animam, ſed quia eſt devorans pœnè uſque ad conſummationem, & pœnè jam devoratum reparans, ut iterum atque iterum, imò uſque in æternum valeat devorare, & ideo reddens animam & vitam ſemper morientem, & mortem ſemper viventem; & hoc reddit ipſum ignem ſupra quàm dici poteſt afflictivum, conſumptivum, & (quod mirum eſt) reparativum: & hinc addit, cum ardoribus ſempiternis, nempe ignis erit in æternum inextinguibilis, & irrefragabilis, cum ibi ad temperamentum caloris nihil haberi poſſit: quis igitur (ait Propheta) de vobis poterit habitare cum igne iſto devorante, & ſempiterno? & tamen ſi veſtras culpas non deleveritis pœnitentiâ, velitis, nolitis, habitare cogemini cum iſto igne. *Ser. de S. Laur.*

461. *Chriſtus ſua virtute igne cæleſti accendit beatos in cœlo, & ſuos ſervos in hac vita.*

Quis de vobis habitare poterit cum igne devorante, cum ardoribus ſempiternis? Nota, quod ſi ad ſupplicium malorum Deus præparavit ignem devorantem materialem, ad conſolationem tamen bonorum præparavit in Chriſto ignem ſpiritualem devorantem omnia peccata, & mala, & ſuaviſſimè conſolantem: nam Chriſtus veluti firmamentum mundi miſſus eſt à Patre, ut ſua virtute igne ſui amoris accenderet, & inflammaret perpetuò beatos in cœlo exiſtentes, & in hac terra homines ſibi fideliter ſervientes: Unde dicit; quis de vobis habitare poterit cum tali igne, ſcilicet ut poſſitis cum tali igne habitare, vivite auferendo frigus peccati, & omne impedimentum talis inflammationis. *Op de Eccleſ. Hier. p.4.c.6.*

462. *Avaris proponit Propheta ignem infernalem, ut ipſi timore ſaltem pœnæ projiciant à ſe ignem avaritiæ.*

Quis de vobis habitare poterit cum igne devorante? & reſpond. *qui ambulat in juſtitia, qui projicit avaritiam, & calumniam:* Quaſi dicat: ô avare ſi non vis habitare cum igne devorante Inferni projice à te ignem avaritiæ, qui reddit animam Deo calumnioſam, & exoſam. *Luc.c.12.v.15. Ioan. collat.14. Pſal.118.c 3.v.4.*

463. *Chriſti viſio quàm deſiderabilis.*

Regem in decore ſuo videbunt. Quem Regem? & quinam hunc Regem videbunt? Regem ſcilicet Chriſtum Jeſum videbunt, qui ambulant in juſtitia, qui projiciunt avaritiam, & alia peccata à ſe: & nota, quod dicit Regem in decore ſuo videbunt, nempe Regem Chriſtum in gloria coronatum: ô verè beata anima, cui datum eſt, vel dabitur videre Chriſtum in decore regali

æternæ

æternæ claritatis: ipſa enim poteſt verè dicere cum Eſther: valdè mirabilis es Domine, & facies tua plena gratiarum: facies autem ejus tam dulcis eſt, & tam pulchra, ut illa viſa, nihil aliud valeat delectari: ibi ſatietas erit inſatiabilis, ibi nullum erit faſtidium. *Ser. 4. de Epiph.*

464. *Humilibus tantùm Chriſtus communicat ſuam doctrinam.*

Ubi eſt litteratus? Ubi eſt doctor parvulorum? Quis doctor parvulorum? Indigentne parvuli doctore? Sed attende, quod per parvulos intelligit Propheta humiles: Datque intelligere, quod Chriſtus eſt doctor, & Magiſter Eccleſiæ, ſed tamen communicans ſuam ſapientiam tantùm parvulis, ſcilicet humilibus, hos enim docet, & tradit eis lectiones, quibus ſe defendere poſſint ab omnibus malis. *Ser. 4. Dom. 3. poſt oct. Paſcha.*

465. *Idem probatur de ſapientiâ unitiva.*

Ubi eſt doctor parvulorum? Nota, quod Chriſtus eſt ſolùm doctor parvulorum: ſed quomodò hoc? nonne etiam eſt doctor aliorum? minimè: nam, ut dicitur *Eccleſ. c. 24.* Omnium ſuperborum ſublimium colla propria virtute calcavit, quia quantumcumque præclarus doctor quis exiſtat, fimbrias ſapientiæ cœleſtis non attingit, quæ ſuper mentem elevata cognoſcitur, niſi per viam puerilem, ſcilicet purgativam, ad unitivam ſe præparet: colla ergo ſuperborum, & ſublimium uſque ad humilitatem puerorum incipientium, neceſſe eſt incurvari. *Op. myſt. Theol. cap. 3. part. 4.*

466. *Invitatur anima in terra exiſtens ad contemplationem cæleſtis Hieruſalem.*

Reſpice Sion Civitatem ſolemnitatis noſtræ: oculi tui videbunt Hieruſalem Civitatem opulentam, &c. Nota modum loquendi Sacræ ſcripturæ: dicit enim Civitatem ſolemnitatis, non ſolemnitatem Civitatis, quia Sion prope erat Civitati Hieruſalem, in qua fiebant ſolemnitates: & quia per Sion intelligitur Eccleſia militans, per Hieruſalem, triumphans, ideo invitat nos exiſtentes in Sion, ſcilicet in terra, ad aſpiciendam cœleſtem Hieruſalem in lectionibus, meditationibus, & in contemplationibus, ut etiam hic ſolemnitatem celebrare poſſimus per aliquam participationem, & illa cœleſtia bona appetamus, & adſpiremus ad ipſa, abjicientes à nobis iſta terrena. *Ser. 2. de Aſcenſ. ſer. 1. de S. Laurent. in fine. Ioan. collat. 78.* Nota etiam, quod per hanc Civitatem opulentam intelligi poteſt ſtatus innocentiæ, quem per peccatum perdidimus. *Sermon. 4. Dom. 12. Pent.*

467. *Chriſtus Rex, Legifer, & Iudex noſter expenditur.*

Dominus Iudex noſter, Dominus Legifer noſter, Dominus Rex noſter, Dominus ſalvabit nos. Nota, quod hic prædicit Propheta adventum Chriſti in carnem, ejuſque miniſteria, dicens, quod ipſe veniet ut Rex regens nos per præcepta, & judicia: Item noſter magiſter erudiens nos per myſteria, & exempla: Item & ſacerdos ſanctificans nos per ſacrificia, & Sacramenta, quæ omnia conſummata ſunt in Cruce. *Luc c. 18. v. 1. Ioan: collat. 56. Pſal. 118. c. 2. v. 15. op. myſt. Theol. c. 2. p. 2. op. ſpec. B. Virg. lect. 9.*

468. *In Cœlum nihil coinquinatum introibit.*

Populus, qui habitabit in ea, auferetur ab eo iniquitas. Hic loquitur de civitate cœleſti, docetque quòd in eam nihil coinquinatum poteſt intrare, quia ibi eſt plena ſanctitas, & perfecta puritas. Agamus igitur pœnitentiam, & culpas noſtras deleamus in hac vita, ut puri poſſimus intrare in illam Civitatem cœleſtem. *Sermon. 1. de Dedicat.*

CAP. XXXIV.

469. *Militia Chriſti, & qualis diaboli.*

ACCEDITE *gentes, & audite, & populi attendite, &c. quia indignatio Domini ſuper omnes gentes, & furor ſuper omnem militiam eorum.* Cur furor Domini ſuper omnem militiam gentium? Eſtne militia quælibet Deo exoſa? Sed attende, quod duplex eſt militia, ſcilicet Chriſti, & diaboli: illa eſt vita bonorum, qui ut milites habitant veluti in tabernaculis, & in peregrinatione, & ſemper in labore ſunt, & ſemper in lucta cum diabolo, mundo, & carne, expectantes ſtipendium, & coronam æternam in Cœlo: & hæc militia eſt felix, & beata, & maximè Clericorum militantium in Eccleſia, quæ eſt tabernaculum, & domus militum Chriſti. *Pſ. 118. v. 81. & c. 8. v. 5. & ſeq. ſer. 3. Dedicat. op. de pugna ſpirit. contra vitia, c. 1.* Militia autem diaboli eſt malorum pro diabolo pugnantium, & hæc eſt Deo exoſa: & hoc maximè verificatur de Clericis malè viventibus in Eccleſia more militum, & de patrimonio Chriſti luxuriantium, qui in receptione redituum ſunt Clerici, in tonſura laici, in negotiationibus mercatores, vel potius prædones Eccleſiæ inimici, in veſtibus, in domibus, in menſis, in equis, & phaleris milites, & ideo ſuper iſtos cadet furor Domini. *In Thren. c. 1. & 2. & Ugo hic.*

470. *Peccata, & maximè carnalia fœtent naribus Dei, & Angelorum.*

Et de cadaveribus eorum aſcendet fœtor. Nota, quòd hic loquitur ad litteram de occiſione futura Iudæorum, quorum cadavera remanſerunt inſepulta: ſed myſticè loquitur de peccatis, maximè carnalibus: nam animæ veluti cadavera mortua emittunt fœtorem horribilem naribus Dei, & Angelorum. *Luc. c. 17. v. 29.* Nota etiam, quod alibi dicit Sanctus Doctor, quod de cadaveribus damnatorum aſcendet fœtor tam horribilis, quod unius ſat eſſet inficere totum mundum: & ſi hoc, quid erit de tot millibus, quæ

ſepeliuntur in profundo Inferni? ô qualis miſeria, horror & fœtor.

471. *Clerici, & Religioſi ſunt libri Cæli complicati vel in bonum, vel in malum.*

Et complicabuntur ſicut liber Cæli, & omnis militia eorum deſinet. &c. Nota, quod ad litteram Propheta prædicit miſerabilem ſtatum Judæorum, quorum Prophetæ, & Sacerdotes ſunt veluti libri complicati, & clauſi, ſcilicet ignari, nec valentes oſtendere viam rectam: Myſticè primò alludit ad ſolutionem cœlorum æreorum, quæ fiet tempore judicii univerſalis, vel etiam complicabuntur libri conſcientiarum poſtquam relecta fuerint peccata, ita quòd non amplius in eis ſcribetur: ſic ſacri expoſitores: Alium ſenſum myſticum etiam continent hæc verba: nam per iſtos Cœlos intelligumur Clerici, & Religioſi, & dicuntur veluti liber, quia ſunt libri, in quibus debent, vel poſſunt legere laici, & ideo veluti Cœli complicati debent continere myſteria recondita, & notitiam ſalutis, ut aperti poſſint ipſa oſtendere laicis. *Pſal.* 103. *op. Eccleſ. Hier. p.4.c.4.* Si ergo Clerici, & Religioſi ſunt libri, in quibus laici legunt, attendant ipſi diligentiſſimè quales characteres exempli oſtendunt laicis: ô utinam multi eſſent plicati, ne peſſimam ſcripturam oſtendere poſſent, & in vita ipſorum peſſima peſſimè legunt laici. *Pſal.* 103. *Ugo Cardin. hic.*

472. *Infelicitas generis humani ante Incarnationem, felicitas ejus poſt Incarnationem Verbi expenditur.*

Inebriatus in Cælo eſt gladius meus: ecce ſuper Idumæam deſcendit, & ſuper populum interfectionis meæ. Nota, ad litteram prædicit deſolationem futuram Judæorum poſt mortem Chriſti: Myſticè alludit ad vindictam, quam ſumpſit in Cœlo de Lucifero, & Angelis ejus, & addit, quod talis ſententia damnationis cecidit etiam ſuper genus humanum propter peccatum primi hominis: idumæa enim interpretatur terrena, vel ſanguinea, ideo genus humanum terrenæ, & ſanguineæ conditionis percuſſum fuit ſpirituali, & æternali morte: ecce qualis calamitas generis humani: ſed tamen ut oſtenderet Deus, ſe nolle uti tantæ ſeveritatis gladio, factus eſt in Incarnatione parvulus: ſicut enim parvuli non utuntur gladio, ſed faciliter placantur, ſic pro parvo poſſumus reconciliari parvulo Jeſu, & ſi nolumus, reſumet gladium hunc ad Iudicium. *Serm. 4. in Nativit.*

473. *Prælatis malis imminet præcipuè ultio Domini.*

Dies ultionis Domini: annus retributionis Iudicii Sion. Loquitur hic Propheta de retributione, quam tribuet Deus in die judicii bonis, & malis: ſed cur tantùm loquitur hic Propheta de retributione facienda Sion? Sed attende, quod retributio malis facienda in communi, primo loco ponitur per illa verba, Dies ultionis Domini, ſed poſtea terminat, Sion: Sion ſpecula, vel ſpeculator interpretatur, & ſignificat Prælatos. ſignificatque, quod ſicut Sion, & Hieruſalem fuit deſtructa, & ſubjugata, maximè ob peccata Prælatorum, ſic & iſtis magis imminet ira Dei. *Luc.c.21.v.21.*

474. *Ignis & pœna infernales expenduntur.*

Dies ultionis Domini &c. Convertentur torrentes ejus in picem, & humus ejus in ſulphur, & erit terra ejus in picem ardentem. &c. Nota quod his, & ſequentibus verbis exprimit Propheta pœnas, in quibus præcipitabuntur damnati poſt judicium univerſale, inter quas ponit torrentes ignis, ſcilicet veri & materialis, cum quo copulat picem, & ſulphur, & terram cum pice ardente, ut det intelligere, quod ille ignis erit ſulphure, & pice, nempè magis tenebroſus, quàm lucidus, ſimulque conjunctus cum omnibus aliis pœnis, quibus poſſunt affligi inimici Dei. *l.4.d.44.p.2.a.2. q.1. & 2.*

475. *Peccator cubile eſt draconum infernalium, & locus plenus ſpinis.*

Et orientur in domibus ejus ſpinæ, & urtica, & paliurus in munitionibus ejus, & erit cubile draconum, &c. & occurrent Dæmonia, &c. Vide hic miſerabilem ſtatum hominis à diabolo poſſeſſi, & maximè exiſtentis in peccato mortali: nam ultra quod anima ejus plena eſt ſpinis, & urticis ipſam transfigentibus, fit cubile Dæmonum; nam in ejus corde habitat diabolus, & requieſcit pro libito, ipſi afferens omne malum ſua crudelitate vexans corpus, & animam, & omnia membra: ô infœlix ſtatus. *In Luc. capit. 8. verſ. 39.*

476. *Scandaloſi, maximéque Prælati, ſuis falſis doctrinis pervertentes alios ſunt lamiæ, & ſerpentes Eccleſiam deſtruentes.*

Ubi cubavit lamia, & invenit ſibi requiem. Nota quod hic Propheta deſcribit miſerias Civitatis Hieruſalem, corporales quidem, ſed magis ſpirituales, eo quòd impunè viri mali, & maxime Prælati ſeducebant alios falſis doctrinis: myſticè oſtendit quale malum ſit in Eccleſia Dei, quando lamiæ graſſantur per eam: lamia eſt ſerpens, vel monſtrum habens caput virgineum, corpus porcinum, & equinos pedes; crudeliſſimum, dictum à lamentatione, quaſi lamens, de quo monſtro dicebat flens Ieremias, lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos ſuos, & ſignificant hæreticos, hypocritas, ſcandaloſos, & malos Prælatos, in facie ſimplices, in ventre carnales, in pedibus equi, & inſtabiles, tales lamiæ vulpina crudelitate feroces, nudaverunt mammam, ideſt liberè prædicant doctrinam peſtiferam, ſuadentes, & inducentes proximum ad malum. *In Thren. c. 4.*

477. *Qualis liber à chriſtianis legendus.*

Requirite diligenter in libro Domini, & legite. Quis iſte liber Domini,in quo præcipimur legere, & ſtudere? Nota, quod dicit in libro Domini, non dicit in libro Iuſtiniani, vel Ariſtotelis: Iſte liber Domini, eſt liber conſcientiæ, in quo ſcripta ſunt præcepta legis naturæ, à quorum obſervantia non excuſatur: Liber item Sacræ Scripturæ, & doctrinæ chriſtianæ, qui à Deo paratus, & expoſitus eſt ab omnibus legendus, & ideo in hoc libro continentur litteræ de patria noſtra, & hinc ſignum eſt, quòd ad cœleſtem patriam non pertinent, qui has litteras ſervare, vel audire nolunt: liber item eſt Chriſtus crucifixus ſcriptus intus, & foris, ſcilicet characterizatus Divinitate, & humanitate, & plagis, ut ab omnibus poſſit legi, & devotius amplecti, quo Chriſti ſanguine ſcripta privilegia manifeſtius videntur, & impoſita bulla impreſſa imago ejus obedientiæ conſpicitur. *Ser.3. Dom.2.Adv.*

CAP. XXXV.

478. *Chriſtus ſolùm invenitur in deſerto, & ſolitudine.*

LÆTABITUR *deſerta, & exultabit ſolitudo: gloria libani data ei, &c.* Quæ eſt hæc terra deſerta, in qua abundat lætitia, & exultatio? Sed attende ad id, quod dicitur Marci c.8. Unde iſtos poterit quis ſaturare panibus in ſolitudine: Hæc ſolitudo eſt Eccleſia, diciturque ſolitudo, quia immunis à tumultu mundanorum, in hac ſolitudine Chriſtus ſolùm invenitur, in qua tot ſunt flores, quot fideles, & in qua Chriſtus panibus gratiarum ſacramentalibus paſcit ſuos,eoſque replet lætitia, & exultatione, per quos ducit animam in ſolitudinem, ideſt in ſecretum mentis eos ſeparans à tumultu peccatorum, unde dicit Chriſtus Oſeæ c.2.Ecce ego lactabo eam, ducam eam in ſolitudinem: ô felix, qui in hanc ſolitudinem meretur duci. *Ser.2.Dom.6. Pent.*

479. *Mariæ Virginis ſolitudo, & puritas expenditur.*

Exultabit ſolitudo,& florebit quaſi lilium. Quomodo dicitur exultari ſolitudo,& florere ſicut lilium? Sed attende, quod hic loquitur de ſolitudine Sanctorum,& inter omnes, maximè Mariæ Virginis, cujus ſolitudo fuit excellentiſſima,quia ipſam tamquam ſolitariam,etiam viſitavit Angelus, quia ſola erat ſine comite, ſola in penetralibus,quam nemo vitorum videret: Hæc terræ ſolitudo floruit quaſi lilium per Virginitatem: lilium verè angelicum, & flos cœleſtis,quem tantùm dilexit Apis illa ſupercœleſtis, quæ paſcitur inter lilia. *Op.ſpec.B.Virg.lect.12.*

480. *Felicitas animæ à Chriſto inhabitata expenditur.*

Gloria libani data eſt ei,decor Carmeli, &c. ipſi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei noſtri. Vide felicitatem animæ à Chriſto ductæ in ſolitudinem ſpiritualem: nam ipſi gloria libani data à Chriſto: libanus interpretatur candidatio, & ſignificat mentis,& carnis munditiam, in qua magna conſiſtit gloria hominis, & inaudita lætitia: ſic enim ipſe videre poteſt,ſcilicet frui gloria Domini & participatione lætitiæ Paradiſi: *Ser.1.de uno S.Mart.ſer.1.de S. Catar.*

481. *Chriſti adventus in carnem quam fructuoſus.*

Dicite puſillanimes confortate,&c. ecce Deus noſter ultionum adducet retributionis. Deus ipſe veniet ſalvabit nos: tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt, tunc ſaliet ſicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum, &c. Ecce fructus adventus Chriſti in carnem, nempè venit ad vindictam retribuendam inimicis, & ad ſalvandum nos, & ut ſalvaret nos venit aperire oculos cæcorum: & qui ſunt iſti cæci? Sed nonne cæci ſunt, qui in clara luce fidei in foveam cadunt? Item ad aperiendum aures ſurdorum: & qui ſurdi? nonne ideo ſunt ſurdi, quibus toties in prædicatione clamatur, & ad oſtium à Chriſto pulſatur, & auribus cordis non audiunt? Et ad aperiendas mutorum linguas: & qui muti? nonne etiam muti ſunt,qui à confeſſione peccatorum, & à Dei laude per multos annos tacuerunt? Item & ad dirigendum pedes claudorum: quinam claudi? nonne ideo ſunt claudi, qui greſſus operum rectos pedes non habent, & illi, qui prætendunt Deo, & diabolo ſimul ſervire, vel ſoli diabolo? Ideo venit Chriſtus ut medicus hos omnes ſanare, & præcipuè ut ſaltum faceret homo à vitiis ad virtutes. *Ser.6.Dom.1. Adv.op. Comp. Theol.l.2.c.25. Luc.c.7.v.22.& c.11.v.14.& c.1. v.64.& cap.14. v.21.Diat. tit.10. c.3.* Nota etiam quod propter iſtos mirabiles effectus adventus ſupra dictum eſt, lætabitur deſerta, & exultabit ſolitudo, ſcilicet lætabitur Paradiſus, qui prius dicebatur deſertum, & ſolitudo,eo,quod Angelo,& homine peccante deſertum erat: ſed Verbo aſſumente carnem, & veniente ad quærendas oves in cauſam ſuam reducendas, lætatus eſt Paradiſus. *Luc.15. v.4.*

482. *Timor, & gratia facit claudos velociter ſalire ab Inferno in Cœlum.*

Tunc ſaliet ſicut cervus claudus. Ubi,& unde ſaliet claudus, & quomodo? ſaliet qui erat claudus, ſerviens prius diabolo, ab Inferno ad Cœlum: ſaliet, & à peccato ad gratiam: ſic & de filio prodigo legitur, qui ſurgens venit ad Patrem, hæc enim eſt virtus gratiæ Dei. *Op. Diat. tit.6.c.1 Joan.c.4.v.14.Luc.c.16.v.20.*

483. *Contritio reducit aridam in ſtagna aquarum, &c.*

Et quæ erat arida erit inſtagnum, & ſitiens in fontes aquarum. Nota, quod hic eſt effectus mirabilis contritionis, hæc enim animam aridam reducit ad fontes aquarum irrigando eam donis cœleſtibus, ut experta eſt Magdalena. *Luc.c.7. verſ.44.*

484. *Chriſtus per Sanctum Ioannem Baptiſtam oſtendit viam hominibus rectam ad inveniendum Ieſum Chriſtum.*

Et erit vobis directa via.ita ut ſtulti non errent per eam. Ecce quomodo Chriſtus ante ſui manifeſtationem miſit Ioannem Baptiſtam, ut viam Domini præpararet in cordibus Iudæorum, quod fecit naſcendo, converſando, baptizando, & prædicando, quodque poſtea perfectiſſimè fecit ipſe Chriſtus. *Luc.c.7.v.27.*

485. *Hominis ſtultitia quanta ſe voluntariè captivando poſt redemptionem ſui factam à Chriſto.*

Et redempti à Domino convertentur, & venient in Sion cum laude, & lætitia ſempiterna, &c. Nota, quod lætitia ſempiterna promittitur à Deo redemptis: Quinam ſunt iſti redempti à Domino? Nos omnes, qui eramus captivi diaboli: hocque, verbo redemptionis intendit Spiritus Sanctus elevare nos ad recognitionem beneficii maximi nobis à Chriſto collati, qui dum eramus captivi, & captivati per peccatum à diabolo, ipſe venit in mundum nos liberare à captivitate tam dura: Vt videas qualis ſit ſtultitia, & væcordia hominum, qui per avaritiam, luxuriam, &c. ſe iterum poſt talem liberationem captivos diaboli voluntariè faciunt: ô miſer homo aperi oculos tuos, & tantum donum ne perdas. *Ser.5.in Nativit.*

486. *Ad excitandam noſtram pigritiam Chriſtus nobis ſæpe proponit gloriæ cæleſtis magnitudinem bonis præparatam.*

Et ambulabunt qui liberati fuerint: & redempti à Domino convertentur, & venient in Sion cum laude, & lætitia ſempiterna ſuper caput eorum gaudium, & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor, & gemitus. Et quomodo hæc erunt? quandonam tantum gaudium, & lætitia deſcendet ſuper caput converſorum? iſta erunt quandò poſt mortem traducetur anima in Cœlum, quando audient illud dulciſſimum verbum: Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum, &c. Nota autem, quod talem lætitiam, gaudium, & gloriam ſempiternam nobis in hac miſeriæ valle exiſtentibus proponit Spiritus Sanctus, ut adſpicientes ad redemptionem noſtri factam à Chriſto, & ad tantam gloriam præparatam excitemur, & veluti impellamur ad ambulandum de virtute in virtutem, ad obſervantiam mandatorum, ad pœnitentiam arripiendam: Verè enim converſis leviſſimum eſt quidquid hic tolerant, ſi imaginem ſempiternæ gloriæ, lætitiæque penſant: & quidquid intolerabile puſillanimitas aſſerit hoc leve rememorationis ſpes oſtendit. *Sermon. 4. in die ciner. Ecclen. proœm. & cap.12.*

CAPUT XXXVI.

487. *Ad piſcinam pœnitentiæ invitat Chriſtus: ab ipſa retrahere conatur diabolus.*

ET factum eſt in quarto decimo anno Regis Ezechiæ deſcendit Sennacherib ſuper omnes Civitates Iudæ munitas, & cœpit eas: & miſit Rex Aſſiriorum Rapſacen in Hieruſalem, & ſtetit in aqua ductu piſcinæ ſuperioris in via agri fullonis. Nota quod hic ad litteram exprimit devaſtationem factam in Iudæa à Sennacherib Rege Aſſiriorum, & obſidionem Civitatis Hieruſalem, quæ tunc regebatur ab Ezechia: ſed myſticè nobis inſinuatur conatus Dæmonum contra fideles, maximéque Religioſos, cum enim diabolus cæperit omnes Civitates Iudeæ, ſcilicet ferè omnes ſæculares totum conatum exercet contra Hieruſalem, ideſt contra Deo ſervientes, & primò ut ipſos ad peccata attrahat, mittit Rapſacem in manu forti, nempè ſuos ſatellites, & miniſtros, ut primò occupent piſcinam ſuperiorem: Piſcina inferior eſt pœnitentia, quæ fit timore gehennæ: ſuperior eſt pœnitentia, quæ fit puro Dei amore, & cœleſtis gloriæ: In hac ſunt quinque porticus maximam languentium multitudinem continentes, ut dicitur Ioan. c. 5. ob multitudinem vitiorum: Ad hoſque mittit Chriſtus Angelum, ſcilicet Prædicatorem, & prædicationem ut non ad riſum, ſed ad pœnitentiam excitet: Notent hoc Prædicatores: Et hinc diabolus quærit occupare hunc aquæ ductum, nempe auferre compunctionem cordis, & amorem Dei, atque devotionem, ne deſcendat in cor noſtrum, & hos aquæ ductus in ſervis Dei, & in Religionibus obturare diabolus conatur per temporalium adminiſtrationem, per dignitatum ambitionem, per multiplicem ſollicitudinum implicationem, replereque quærit hos porticus, ſcilicet quinque ſenſus multitudine languentium in mala conſuetudine, cæcorum, qui lumen veritatis non habent in cognitione, & claudorum, qui greſſum perfectionis non habent in operatione, & aridorum, qui humorem pietatis, & devotionis non habent in affectione, ut ſic totam Hieruſalem, nempe Eccleſiam, & Religionem diripiat, & devaſtet: ô caveant Religioſi à tanto periculo. *Ser.2.Dom.4. Pent.& Vgo hic.*

488. *Felix, qui in ſolo Deo confidit: infeliciſſimus, qui in ſeipſo, vel in mundo.*

Hæc dicit Rex magnus Aſſiriorum: Quæ eſt iſta fiducia, qua confidis? Aut quo conſilio, vel fortitudine rebellare diſponis? Ecce confidis ſuper baculum

baculum arundineum confractum iſtum ſuper Ægyptum.&c.quod ſi reſponderis mihi , in Domino Deo noſtro confidimus : nonne ipſe eſt, cujus abſtulit Ezechias excelſa . & Altaria ? &c. & nunc trade te Domino meo Regi Aſſyriorum , &c. Nota quod ad litteram iſtud capitulum ſolùm continet conatum Regis Aſſyriorum , ut Rex Ezechias,ipſi traderet ſe , & Civitatem , & ſuadere conatur, ne confidat in Domino, & hæc eſt tota pugna, quæ eſt inter diabolum,& Chriſtum : nam Chriſtus clamat ſuis inceſſanter : Confidite , ego vici mundum : Joan *c.6.* Volens ſalvator Princeps Regum terræ poſt prænuntiationem ſuæ paſſionis , & perſecutionum imminentium ſuis Diſcipulis , confortare eos , ſuadet eis confidentiam,& recitans ſuam victoriam , & illam eis promittens: Dicit igitur , confidite , ſcilicet non in vobis ipſis , nec in humana virtute , nec in humana poteſtate , nec in humanæ ſapientiæ ſagacitate , nec in ſua ſtultitia , quia hæc confidentia eſt maledicta , arundinea,fallax, vana , & ruinoſa , & veluti tela araneæ : ſicut è contra confidentia in Deum tutiſſima ratione ſuæ infallibilis veritatis , ac fidelitatis , & ſic confidens eſt invincibilis , & ad perſecutiones tolerandas fortis ut Leo, quia in Chriſto , ejuſque virtute vincet omnes inimicos : E contra diabolus nos tentat, ut in mundo , in hominibus, & in nobis ipſis confidamus , &c. & hæc ſtolritia magna & iſti in confuſionem certiſſimam finaliter inducuntur. *Ioan.collat.74.& Comp.Theol.l.2. c.10. & Vgo hic.*

CAP. XXXVII.

489. *Pœnitentia exterior quàm Deo placita,dum eſt conjuncta interiori.*

CUM audiſſet Rex Ezechias , ſcidit veſtimenta ſua . & obvolutus eſt ſacco , & intravit in domum Dei. Cur Ezechias Rex voluit intrare in domum Domini veſtitus ſacco ? ſed attende ad inſtructionem tuam : movit eum blaſphemia Regis Aſſyriorum contra Dominum ,dum ipſi auferre honorem quærebat, & contra ipſum probra pronunciabat,movit hoſtium ſuorum crudelitas ,& nuntiorum moleſtia , qui reverſi ſunt ad ipſum ſciſſis veſtibus , unde obvolutus ſacco in domum Domini intravit , ſuppliciter petens liberationem ab hoſtibus, ſicuti obtinuit ,per quod oſtenditur quàm Deo ſit chara pœnitentia exterior conjuncta interiori. *Ser.7.in Nativit.Domini.*

490. *Chriſtus quare obvolutus ſacco humanitatis ſe oſtendit mundo.*

Et Ezechias ſciſſis veſtibus obvolutus eſt ſacco.&c. Nota quòd myſticè Ezechias Chriſtum ſignificat , interpretatur enim auxilium Domini, veſtimentum ejus fuit ſynagoga , quæ ſciſſa eſt : ſaccus eſt humana natura , quam aſſumpſit : Unde Chriſtus ſol ſecundùm Divinitatem factus eſt niger ſicut ſaccus cilicinus Apoc.*c.6.* & *Mal.c.4.* ſaccum miſit Deus Pater in terram, ſaccum , in quam, parvum , plenum tamen,in paſſione concidendum , ut effundatur , quod latet in eo pretium redemptionis , & gratiæ : Movit autem Deus ad obvolvendum ſe ſacco hoc,diaboli violentia , hominis miſeria , & Patrum veluti nuntiorum deſideria,qui deſideriis , & ſuſpiriis corda ſcindebant. *Ser.7.in Nativit.*

491. *Non ſolum ad Deum debemus in oratione confugere ſed & ad alios recurrere,ut pro nobis orent.*

Et miſit Ezechias ſeniores,&c.ad Iſaiam,&c. Ad quid miſit Rex ſacerdotes ad Iſaïam ? & ſi miſit ipſos, ut excitaret Prophetam ad orandum pro ipſo in tanta tribulatione cur & ipſe cum ſacerdotibus non potius ad orationem confugerunt? ſed attende quod totum factum eſt inſtinctu ſpiritus Dei : non enim contentus fuit Rex oratione ſua , & ſacerdotum , ſed voluit connectere etiam orationem hujus ſancti viri cum ſua, quia ſciebat quod ſæpe Deus non vult exaudire noſtram orationem , ſed exigit , ut ad aliorum preces recurramus , ad tollendam præſumptionem noſtram,& ut humiliemur , non ſolùm coram Domino , ſed & coram proximo.*Op.de perfect.religioſ.l.2.c.71.*

492. *Qui credunt ,bonaque deſideria habent , ſed non operantur ſunt ſicut mulier gravida , quæ non poteſt parere.*

Dies tribulationis, & anguſtia &c.quia venerunt filii uſque ad partum, & virtus non erat eis pariendi. Quomodò hîc dicitur , quod filii , ſcilicet viri venerunt uſque ad partum ? nonne ſolæ mulieres poſſunt parere ? maximè : ſed attende ad ſimilitudinem : hæc ſunt verba , quæ dixit Rex Ezechias Iſaïæ , quibus indicabat maximum eſſe dolorem ſuum , & ſuorum ſicut mulieris laborantis in partu , nec valentis parere : myſticè dat intelligere , quod infeliciſſimi ſunt , qui credunt, nec ſecundum fidem operantur, qui concipiunt in corde propoſitum , & deſiderium benè operandi , ſed numquam ad exitum perveniunt, ſed per torporem , & negligentiam non valent parere : Væ, Væ iſtis. *Op.Dict.tit.3.c.4.Luc.c.11. v.2.& 21.v.23.*

493. *Blaſphemiæ , & verba contumeliæ in Deum valdè concitant iram Dei.*

Audiat Dominus Deus tuus verba Rapſacis, quem miſit Rex Aſſiriorum ad blaſphemandum Deum viventem, & exprobrantem &c. Sic dixit Rex Ezechias Iſaïæ : ſciebat enim , quod Deus valdè ad iram commovetur contra blaſphemos , & in verba contumeliæ & inobedientiæ in Deum prorumpentes : Unde Chriſtianus hic figuratur, qui à diabolo excitatur ad peccandum, ratione cujus blaſphematur Deus , quod maximè verificatur de ſcandaloſis , qui ſunt cauſa aliis blaſphemandi Deum.*Ser.2. Dom.19.Pent. In Ecclen.c.5.& in Thren.c.1.*

494.Diabolus

494. *Diabolus totum ſuum conatum exercet contra Eccleſiam, & ſuos miniſtros.*

Verè enim Domine deſertas fecerunt Reges Aſſiriorum terras, & Deos earum dederunt igni. Ad litteram Ezechias orans Deum, proponit ſtrages factas terris Aſſiriæ, & Idolis, timens, ne eandem, & acriorem faciant in terras Judeæ, obſecrans pro liberatione: ſed myſticè dat intelligere conatus diaboli ſignificati in Rege Aſſiriorum, quos exercet contra Eccleſiam, & omnes Eccleſias particulares, & earum Prælatos & miniſtros appellatos Deos ob ſanctitatem, & puritatem: ô faxit Deus, ne poſſit idem dici de Eccleſiis, & ſuis miniſtris, & ne ipſos igni vitiorum tradat *Ser.4.Dom.4.quadrag.*

495. *Dii apud Deum quinam appellantur, & quinam apud homines.*

Et Deos earum dederunt igni. Qui ſunt iſti Dii? Nota, quod in ſacra ſcriptura Dii appellantur homines in bonum, & in malum: In bonum ſunt imitatores Dei homines juſti, & perfecti; apud homines ſunt potentes ſæculi, qui veluti Dii honorantur ab hominibus: Deus autem omnipotens in medio, iſtos dijudicat Deos, ſeparando bonos à malis. iſtique à Dæmonibus igne vitiorum, & tandem infernali ſuccenduntur. *Ser.4. Dom.4.quadrag.& ſer.1.fer.3.Paſcha.*

496. *Chriſti Jeſu patientia cum blaſphemantibus, & exprobrantibus expenditur.*

Cui exprobraſti, & quem blaſphemaſti, & ſuper quem exaltaſti vocem tuam, & levaſti vocem oculorum tuorum: Ad ſanctum Iſraël &c. O quàm verè poſſunt hæc dici contra Judæos Chriſtum blaſphemantes in paſſione, qui iſtis blaſphemiis non ceſſit, ut daret exemplum patientiæ, & perſeverantiæ, ut iſtis gemmis adornaret crucem. *Luc.c.23.v.37.*

497. *Sola humilitas in altum exaltat.*

Et mittet id, quod ſalvatum fuerit de Iuda, & quod reliquum eſt mittet radices deorſum, & faciet fructum ſurſum. Ad litteram loquitur Iſaias de exaltatione futura Iſraëlitarum, qui in illa perſecutione Regis Aſſiriorum perſeverarunt in fide, & Dei obſequio: myſticè loquitur de iis, qui deorſum radices profundas emittunt per humilitatem, quia ſecundum proportionem talis humilitatis, etiam fructus ſurſum emittuntur, & in altum perfectionis exaltantur. *Luc.c.13.v.18.*

498. *Peccatum reddit animam domum diaboli, ad quam per viam peccati venit.*

In via, qua venit Rex Aſſiriorum, per eam revertetur. Nota, quod hæc fuit prædictio ſtragis factæ per Angelum exercitui Sennachetib,& fugæ ipſius Regis: ſed nota, quod dicit ſe reverſurum per eandem viam, per quam venerat in terram Iſraël, & notanter hoc dicit, ut detur intelligi, quòd diabolus per viam ſuam, ſcilicet per peccatum intrat in animam, & ſi aliquando expellitur per pœnitentiam, conatur iterum per eandem viam reverti in domum ſuam, ut fiant noviſſima hominis pejora prioribus. *Luc.c.11. v.24.*

CAP. XXXVIII.

499. *Multiplex domus ordinanda.*

DISPONE *Domui tuæ, quia morieris, & non vives.* Hoc prædixit Iſaias Regi Ezechiæ, eò quod in ſuperbiam elatus eſt, ob victoriam de Rege Aſſiriorum reportata Angeli miniſterio; myſticè domus hæc eſt vel conſcientia, animaque eſt, & Eccleſia eſt & familia: ſic *Luc.c.19.v.7.ſer.3.Dom.10.Pent.& ſer 1.Dedicat.* Dicitur autem cuilibet à Deo: Diſpone domui tuæ, ſcilicet conſcientiæ, antequam mors te præcipitet: Dicitur, & Prælatis, & ſuperioribus, Diſpone domui tuæ, rectè gubernando, & corrigendo. *Sic etiam Ugo Card.*

500. *Convertere ſe ſuadetur quilibet ad parietem ante mortem.*

Diſpone domui tuæ &c. & convertit Ezechias faciem ſuam ad parietem, & oravit ad Dominum &c. & flevit fletu magno &c. Ecce quid nobis faciendum antequam nos mors præcipiat; convertere debemus faciem, ſcilicet cor ad parietem: paries ſignificat pœnitentiam peccati, quod dividit inter nos, & Deum, ad hanc converſus eſt colligendo ſenſus, qui iſtum parietem manu tetigerit, propria conſcientia tanquam ſerpens in morte non mordebit, ut dicitur Amos c.5. ſicque flere peccata debemus: & ad excitandum cor ad fletum, cogitandæ ſunt anguſtiæ mortis, ad quam inceſſanter, & velociter currimus. *Ser.2. Dom.9.Pent.Luc.c.6.v.21.Joan.c.11.v.40.*

501. *Oratio, & fletus compunctionis fervens impetrat divinæ ſententiæ relaxationem.*

Hoc patet in Ezechia, qui audita ſententia mortis, oravit ad Dominum cum fletu magno &c. Et poſtea ſubdit, & *Dominus revocavit ſententiam mortis:* hocque patet in multis aliis: quid eſt ergo, quod non poſſit oratio devota, & maximè cum fletu conjuncta? *Luc.c.18.v.1.ſap.c.16 ſer.5. de uno Confeſſ. Op. Diet. tit. 7. c. 3.* Nota autem, quod hæc mutatio non fuit in Deo; non enim Deus mutavit conſilium, quod ab æterno ſecum habuit, ſed ſententiam, quæ reſpectum habuit ad ipſum effectum: Ezechias enim moriturus erat ſecundùm cauſas inferiores, quæ tamen non impoſuerunt neceſſitatem Divinæ potentiæ. *Op. Comp.Theol.l.1.c.19.*

502. *Quid ſit ambulare coram Deo in veritate expenditur.*

Memento quomodo ambulaverim coram te in veritate. Hoc dicebat Ezechias: ſed quid eſt ambulare coram Deo in veritate? Hîc non agitur de veritate

Digitized by Google

veritata ſpeculativa, ſed practica, & ordinante vitam, & opera juxta mandata Dei: ô felix, qui in fine vitæ poteſt verè dicere: memento quomodo ambulaverim coram te in veritate. *Ioan. c.16.v.15.& collat.72.& ſer.de S.Martino.*

503. *Luminaria Cœli ſunt ſigna naturalium effectuum, & ſæpe etiam ſupernaturalium.*

Reverſus eſt ſol decem lineis per gradus, per quos deſcenderat. Nota, quod hoc fuit maximum prodigium à Deo patratum in ſignum veritatis promiſſionis factæ Regi Ezechiæ per Iſaiam de recuperatione ſanitatis, & prolongationis vitæ: nam ſol, qui in horologio facto ab Acham in pariete Templi deſcenderat per quinque lineas, vel horas reverſus eſt ad primam, & ſic prolongata eſt dies decem horas: Unde ex hoc prodigio, & aliis, quæ enarrantur in ſacra ſcriptura patet, quòd luminaria ſunt ſigna naturalium effectuum, ſæpe etiam, ſic ordinante Deo, ſunt ſigna ſupernaturalium per aliqua ſigna in eis facta ſuper naturam. *Luc.c.21.v.25.* Et hinc patet etiam, quod non fruſtratoriæ porriguntur preces ad Deum, ut liberet nos à malis comminatis indicatis, & ſignificatis ex ſitu Cœlorum, & ſtellarum, & quæ naturaliter nos deberent torquere, ut Deus ſua manu ſpeciali tales curſus immutet, & effectus impediat. *Ser.1.de dedicat.*

504 *Incarnatio Verbi figurata in prædicto prodigio: Item ejus aſcenſio in Cælum.*

Et reverſus eſt ſol decem lineis per gradus, per quos deſcenderat &c. Nota, quod hoc prodigium figurabat aliud maximum miraculum omnium mirabiliſſimum, nempe quod Verbum Dei, quòd aſt ſol juſtitiæ deſcendit per novem ordines Angelorum uſque ad hominem aſſumendum, qui decimus computatur, ſicque Deus factus eſt homo: Et advertendum, quod non ſine myſterio dixerat Iſaïas in Perſona Dei, ecce ego reverti faciam umbram linearum, per quas ſol deſcenderat, &c. quia per umbram, & per deſcenſum ſignificatur humanitas aſſumpta à Verbo, in qua aſſumptione ſunt decem condeſcenſiones ſecretæ: prima quarum eſt unio cum humanitate: ſecunda cum mortalitate: Tertia cum defectibus aliis, famis, ſitis, frigoris, &c. Quarta cum pauperie noſtra: Quinta cum permiſſione tentationis diabolicæ: Sexta cum corporis laſſitudine, & labore: Septima cum mentis anxietate: Octava cum crucis perpeſſione: Nona cum morte: Decima fuit ad carcerem infernalem. *Ser.7. de decem præcep. Luc.c.21.v.25. ſer.3. Hexam. op. Comp.Theol.l.1.c.28.& l.4. c.5.* Poteſt etiam ampliari hoc prodigium Chriſti aſcenſioni, nam ipſe reverſus eſt per gradus, per quos deſcenderat, tranſiens ſuper homines, & Angelos ad dexteram Patris. *In Ecclen. cap.1.*

505. *Peccatoris perverſitas practicantis in ſui malum hoc prodigium expenditur.*

Et reverſus eſt ſol decem lineis per gradus, per quos deſcenderat. Nota, quod moraliter datur nobis intelligi in hoc facto, primò obedientia, quam Deo debemus: ſi enim creaturæ inſenſatæ Deo velociter, & ſine mora tam promptè obediunt, hoc multò magis debet homo: ſecundò quod multi in ſui malum exercent hanc reverſionem ſolis, ſcilicèt non ſolùm non deſcendunt per humilitatem, & pœnitentiam, ſed redeunt, & retrocedunt, divina mandata tranſgrediendo, & ad vomitum ſicut canes redeundo. *Serm.1. de ano S.Doct.*

506. *Qui non vult in Infernum deſcendere in morte, deſcendat ad ipſius portas in dimidio dierum ſuorum.*

Ego dixi in dimidio dierum meorum, vadam ad portas Inferi, quæſivi reſiduum, &c. Hæc dicebat Ezechias, cum ei prænuntiata fuiſſet mors, credens ſe moriturum, & deſcenſurum in dimidio dierum ſuorum ad Limbum: ſed moraliter repreſentat peccatorem pœnitentem, qui in dimidio dierum, quando prima vitâ peſſimâ ambulabat ipſe vias Inferni, quia peccatum eſt veluti Infernus, & Infernum portat, & cauſat in anima, poſtea pœnitens cogitando pœnas Inferni malis præparatas, proponit, ſe nolle differre pœnitentiam ad mortem, mutat vitam in melius, & hic eſt proprius effectus timoris Dei: ô utinam exiſtentes in Inferno peccati convarterent mentem, & conſiderationem ad pœnas æternas Inferni, quia ſic evaderent eas, & ideo omnis timens Deum frequenter vadit ad portas Inferni in dimidio dierum ſuorum, nempe in curſu ſuæ vitæ, ne vadat ibi in fine vitæ. *Op.Diat.tit.6.c.1.*

507. *Mors juſtis numquam advenit improviſa.*

Præciſa eſt velut à texente vita mea, dum adhuc ordirer ſuccidit me, &c. Ecce quomodò iſte Rex pœnitens ſe præparaverat ad mortem, ne ipſi adveniret improviſa: Juſtus enim etiam ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. *Sapient.cap.4.* Caveat autem homo, ne poſſit verè dicere cum Ezechia, præciſa eſt velut à texente vita, dum adhuc ordirer ſuccidit me; caveat, inquam, ne dum orditur, ideſt dum ſe diſponit, & putat diu victurum, Deus præſcindat vitam in momento: Venit enim dies judicii, & mortis repenta, & ex improviſo his, qui non ſe præparant. *Luc.cap.21. verſ.35. & op. faſſicul.cap.2.* Sic etiam D. Gregorius dicit: ſicut tela filis, ita vita diebus profluit, hanc telam orditur homo longam in animo ſuo, quantum vult, ſed Dominus præſcindet eam, quando ipſi placet, & ſæpe propter diſpoſitiones, & deſideria, quæ habet homo diu vivendi, citiùs moritur.

508. *Multiplex tela ab homine texitur in malum, & in bonum.*

Præciſa eſt velut à texente vita mea, dum adhuc ordirer ſuccidit me, &c. Nota, quod oſtendit hic (ut ait D. Gregorius) quod vita noſtra eſt veluti tela, quæ orditur, & texitur ab homine vel in malum, vel in bonum: in malum eſt tela humanæ vanitatis, & mundanæ cupiditatis, & hanc telam ordiuntur, & texunt alii per uſuram, alii per ſimoniam, alii per furtum, alii per advocationem, alii per Luxuriam: tela quidem eſt araneatum: In bonum per honeſtam converſationem, de hac dicitur Proverb. *cap.31. quæſivit lanam, & linum, &c.* Lanam, ſcilicet exercitium operum miſericordiæ, & linum mortificationis carnis, per quæ fit optima tela. *Serm 3. Dom. ſexag. op. Diat. titul. 2. cap. 2. & Vgo hic.*

509. *Anima in oratione ſit veluti pullus hirundinis, & columba.*

Sicut pullus hirundinis, ſic clamabo, meditabor ut columba. Cur ſe aſſimilat pullo hirundinis potiùs, quàm alterius volucris? & cur ut columba? ſed attende ad myſterium; hirundo cantat: columba habet pro cantu gemitum: ſic anima devota ſe exercet in laudibus Dei decantandis clamando ad Deum ſicut pullus hirundinis ad matrem clamat pro cibo; & incumbit etiam meditationi ut columba, & ad hoc requiritur, ut veluti columba ſit humilis in affectu, habeat pro cantu gemitum pœnitentiæ, & aſperitatem vitæ, recogitando annos ſuos, & vitam anteactam in amaritudine, & ſic ad modum columbæ jubilando deploret, quia quo guſtu mentis ſentit dulciora, quæ ſperat, eò amarius vitam præteritam in amaritudine recompenſat: columba item habet ſimplicem intuitum ſignificatque puram, & ſimplicem intelligentiam, & intentionem. *Ser. de S.S. Sim. & Iuda ſer. de S. Cathari. Op. de 7. Itiner. æternit. Itin. 2. d. 7. Luc. c. 3. v. 21.*

510. *Anima devota in Vulneribus ſalvatoris intrat, & ſuam orationem ibi Deo fundit.*

Meditabor ut columba. Nota, quod proponit ſimilitudinem columbæ, & non alterius avis, & meritò, nam columba inter alias proprietates, hanc habet, quod numquam eſt ſecura, niſi quando reſidet in foramine petræ: ſic anima numquam ſecura eſſe poteſt, niſi quando in foraminibus petræ veræ Vulnerum, ſcilicet Jeſu Chriſti, quieſcit, ibique meditando, & contemplando moratur. *Ser. de uno S. Doct.*

511. *Cum urget aliqua gravis tentatio, anima convertatur ad Dominum fiducialiter, dicens exemplo Ezechiæ: Domine vim patior, reſponde pro me &c.* eſt enim efficax oratio, & Deo chara. *Op. de purit. conſcient. c. 3.*

512. *Contritionis perfectæ conditiones expendantur.*

Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Nota, quod iſte perfectus pœnitens in his verbis inſinuat ſeptem conditiones neceſſarias ad perfectam contritionem: Dicit enim Recogitabo, ſcilicet non perfunctoriè, ſed moroſè, & intensè, & attentè, contra illos, qui ſine cogitatione, & examine veniunt ad confeſſionem, & ſine, vel cum modica ſollicitudine, & tamen iſta ſunt majora debita, quæ homo poſſit habere: ſubdit (Tibi) quia debet eſſe ſolitaria, non publica & ſolùm in conſpectu Dei; infirmus enim curandus non exponitur in platea, & negotia ardua in ſecreto tractantur: Tertiò ſubdit, omnes annos, omnes, ideſt per contritionem integram, non dimidiatam, modicum enim de liquore corrupto inficeret vas cordis: Quartò dicit, annos, ideſt ſicut annus diſtinguitur per quatuor anni tempora, ideſt per contritionem ordinatam, non confuſam, quia debet pœnitens diſtinguere tempora, vel circulum vitæ ſuæ, ut ſua melius peccata invenire poſſit, ſcilicet hyemem torporis, accidiæ, & omiſſionis; Ver, ſcilicet humiditatem corporalis laſciviæ; æſtatem, ideſt caliditatem indignationis, & iracundiæ; Autumnum, ideſt ſiccitatem cupiditatis, & avaritiæ: Addit quintò, meos, ideſt contritio ſit de propriis peccatis, non alienis: Sextò addit, in amaritudine, non in riſu, debet enim eſſe gemebunda: Septimò dicit, Animæ meæ, ideſt contritio debet eſſe intima, non ficta, vel ſimulata, quia peccatum eſt languor animæ, non corporis. *Op. Diat. tit. 2. cap. 2. Op. Regula Novit. cap. 4. Luc. cap. 13. verſ. 8.*

513. *Verus pœnitens debet toto tempore vitæ ſuæ pœnitentiam agere.*

Recogitabo tibi omnes annos vitæ meæ. Nota, quod dicit, omnes annos, non partem vitæ, quia debet pœnitens flere peccata ſua toto tempore vitæ. *Ser. 3. Dom. 18. Pent. op. Confeſſionale. c. 4. p. 3.*

514. *Amaritudo pœnitentiæ qualem dulcedinem afferat animæ.*

Recogitabo tibi omnes annos vitæ meæ in amaritudine animæ meæ. Nota hoc verbum, In amaritudine & quomodo in amaritudine & non potius in dulcedine ſpiritus confortantis? ô dulcis amaritudo animæ: Ezechias videns ſe ad mortem infirmatum ob ſua peccata, convertit ad parietem faciem ſuam: Cur ad parietem? convertit ſe ad parietem collectione ſenſuum, & aggregatione ſuorum peccatorum, & cum amaritudine flevit peccata ſua, quæ amaritudo converſa eſt in dulcedinem divinæ conſolationis; hoc enim proprium eſt perfectæ pœnitentiæ. *Ioan. cap. 11. verſ. 40. & collat. 88. Luc. cap. 15. verſ. 20. & cap. 22. verſ. 63. & l. 4. d. 16. p. 1. dub. 10.*

515. *Idem de pœnitentiæ dulcedine probatur.*

Ecce in pace amaritudo mea amariſſima. Quomodo erat in pace, & tranquillitate cum amaritudine amariſſima? Sed optimè dicit, amaritudo inerat ejus cordi amara pro incurſu divinæ offenſæ, amarior pro damno ſupernæ gloriæ, & amariſſima pro reatu æternæ pœnæ; & ſimul etiam pax,& gaudium, quia in tali dolore inuenerat gaudium ob multiplicem utilitatem reportatam. *Diat.Tit.2.c.2.l.4.d.16.p.1.dub.10.op.de dono conſilii c.6.& in Thren.c.1.*

516. *Amaritudo Eccleſiæ qualis.*

Ecce in pace amaritudo amariſſima. Cur in pace amaritudo amariſſima? Nota, quod hæc ſunt verba Eccleſiæ plangentis ruinam ſuorum filiorum videntis, quod in pace, ſcilicet in multitudine tanta credentium, dum in pace apparemer exiſtit,invenitur in filiis tanta diſcordia. *In Thren. c.1.* Vnde D. Bernardus ait, quod amaritudo Eccleſiæ fuit amara in tot martyribus occiſis, amarior in hæreticis,& nunc eſt amariſſima in falſis fratribus inter ſe,& cum matre rixantibus.

517. *Anima in peccato eſt veluti infernus: In gratia Paradiſus.*

Quia non Infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te,&c. Sed quomodo introducit hic Infernum non valentem laudare Dominum, &c. Sed attende, quod loquitur de anima exiſtente in peccato mortali,& Deo mortua, eſt enim veluti Infernus,quia eſt habitatio non Dei, ſed diaboli, loco gaudii habet vermem mordentem, & rodentem conſcientiam, loco lucis tenebras ignorantiæ, & loco amoris ordinati ignem concupiſcentiæ, & ideo iſta anima non poteſt dignè laudare Deum: Sed quis poteſt laudare Deum? *Subdit,Vivens,vivens ipſe confitebitur tibi:* Nota repetitionem vivens: Vivens vivens, ſcilicet anima in gratia Dei, quæ habet in ſe participationem vitæ Paradiſi,quia eſt habitatio Dei, & Angelorum, locus gaudii, locus lucis, & ordinationis: ô anima eſto vivens, ſi vis dignè laudare Deum. *Op. Diat.Tit.5.c.1.*

518. *Laudes Dei qualiter decantandæ in Eccleſia.*

Domine ſalvum me fac, & pſalmos noſtros cantabimus cunctis diebus vitæ noſtræ in domo Domini. Ecce quid exigit à ſuis miniſtris Deus poſt converſionem,& peractam pœnitentiam, informantur enim Clerici,& Religioſi,quid deſiderare, quid poſtulare debent, nempe ut ſolvantur ab omni iniquitate,& in ſuæ vitæ continuo curſu laudes divinas in Eccleſia, in qua ſerviunt, cantent cum jucunditate, & ſimul liberari à torpore, & pigritia. *Ser.unic.de Dedic.*

CAPUT XXXIX.

519. *Quàm exoſi Deo, qui de bonis à Deo receptis inaniter ſe extollunt, & magis etiam, qui de patratis malis gloriantur.*

OSTENDIT *Ezechias nuntiis Regis Babilonis cellam aromatum,& argenti,& auri, &c. & univerſa, quæ inventa ſunt in theſauris ſuis.* In hoc toto capitulo continetur theſaurorum oſtentatio,vel potius oſtentatio facta ab Ezechia cum nuntiis Regis Babilonis; prænuntiatio ipſi ab Iſaia juſſu Dei intimata de imminenti ruina ſibi, & ſuæ familiæ, & filiis, & toti Regno,&c.ſed cur iam graviter à Deo punitus eſt ille,qui prius à Deo, mediante perfectiſſima pœnitentia, impetraverat ſanitatem, & vitæ prolongationem: quale fuit hoc peccatum Regis in oſtenſione ſuorum theſaurorum? Sed attende quale peccatum fuerit hoc: Ezechias in jactantiam, & ſuperbiam elatus eſt, tum ob adventum nuntiorum Regis Babilonis, qui venerant,ut audirent unde, & quomodo dies prolongatus fuiſſet, & ut ipſum pro hoc miraculo honorarent: & quia eis oſtendit omnes theſauros domus ſuæ, & Templi, in quod introduxit iſtos Idololatras, & hinc quia tale peccatum eſt ſummè Deo exoſum, hinc multiplici flagello graviſſimè à Deo fuit punitus: Nobis autem dat intelligere, quod ſummè Deo diſplicent illi, qui bona virtutum non ad Dei glorificationem, ſed ad ſui commendationem oſtendunt, & oſtentant; merentur enim privari ipſis bonis, quibus contra Deum ipſum inſurgunt: & ſi hoc in oſtenſione bonorum, quid erit de illis, qui non bona virtutum, ſed mala exempla, vitia, & ſcelera proximo jactanter oſtendunt? Præterea ſi Deus iratus eſt contra Ezechiam, quia duxit iſtos Idololatras in Domum Domini, ut ipſis oſtenderet divitias ejuſdem domus, quid erit de illis, qui admittunt, & permittunt in Dei Templo,ejuſdem Templi prophanatores? ô quanta, & qualis eſt indignatio Domini contra iſtos perverſos? *Ser.2.Dom.21. Pent.Thren.c.1.*

CAP. XL.

520. *In Eccleſia eſt remiſſio culpæ, & relaxatio pœnæ, & quomodo.*

CONSOLAMINI, *conſolamini populo meus, dicit Deus veſter: loquimini ad cor Ieruſalem, & advocate*

advocate eam, quoniam completa eſt malitia ejus, dimiſſa eſt iniquitas illius, ſuſcepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis ſuis. Nota, quod Propheta, videns Ezechiam ſolùm ſui, non autem populi ſalutem quærentem, convertit ſe ad conſolandum populum Jeruſalem, annuntiando ipſi fuiſſe dimiſſam iniquitatem ſuam, eo quod ſuſcepit duplicia Dominus, ſcilicet tribulationem corporis, & animæ patienter toleratam, vel duplicem captivitatem Caldæorum, & Romanorum: Myſticè autem dirigitur hæc intimatio fidelibus militantis Jeruſalem, dans ipſis intelligere, quod ea merito Chriſti duplex effectus ipſis redundavit, nempe ſatisfactio Patri data pro injuria peccati, & relaxatio culpæ, & pœnæ ſaltem in parte virtute Sacramentorum, & propriæ ſingulorum contritionis: Unde benè dicitur, conſolamini, quia completa eſt malitia veſtra, dimiſſa iniquitas: ſubdit, & ſuſcepit de manu Domini duplicia: Quid eſt hoc? Sed ecce alius effectus paſſionis Chriſti redundabit in ſui maximum lucrum duplex tribulatio, ſcilicet animæ, & corporis tolerata pro amore Chriſti: Item & tribulatio in Purgatorio tolerata, ſcilicet pœna damni, & ſenſus: hanc duplicem ſatisfactionem ſuſcipit Eccleſia de manu Domini, nempe virtute meritorum Chriſti. *Sermon. 3. Dom. 21. Pent. ſer. 3. in Circ. l. 4. d. 20. p. 2. a. 1. q. 1. Sap. c. 11.*

521. *Ioannes Baptiſta fuit vox Chriſti.*

Ego vox clamantis in deſerto, parate viam Domini, &c. Quomodo appellatur quis vox? Vox eſt merus ſonus, non ſubſtantia, & perſona? Ego vox: hoc dixerat Iſaias in perſona Sancti Joannis Baptiſtæ, rectéque dicitur vox, quia vox eſt interioris verbi explicativa, & ejuſdem ad aliorum aures delativa, & eorumdem ad audiendum excitativa, & ipſius verbi in mentes audientium transfuſiva: ſic Joannes Baptiſta prædicando ſonuit Chriſtum, & ad ipſum audiendum alios excitavit, & eundem ad corda eorum intromiſit miniſterialiter: Ideo verè dicitur vox clamantis: ſcilicet vox Chriſti filii Dei, qui fuit clamans dictis, clamans factis, clamans morte, clamans vita, ac deſceſſu, & continuè nobis clamans, ut ad ipſum convertamur, & redeamus. *Ioan. collat. 7. & c. 1. v. 15. & 23. Luc. c. 1. v. 17. & 42.*

522. *Prædicator eſt vox Chriſti clamantis.*

Ego vox clamantis, &c. Nota, quod hoc dicitur de Iſaia, & quolibet Prædicatore: nam per Prædicatorem exprimitur verbum divinum, & ad ipſum recipiendum excitat auditores, & miniſterialiter ipſum Chriſtum gignit in auditorum cordibus: Ex quibus patet, quod Prædicator voce, & verbis præcedit adventum Dei, & ideo ad receptionem devotam verbi Dei conſequitur ipſe Dominus, veniens habitare in corde audientis: & hinc ſubdit, parate viam Domini, quia Prædicatores parant viam per documenta veritatis, & ad medicamenta ſalutis invitant. *Luc. c. 10. v. 1. & c. 22. v. 13. Ioan. c. 1. & collat. 7.*

523. *Chriſtus continuè clamat in deſerto cordis peccatoris.*

Ego vox clamantis in deſerto, &c. Nota, quod iſte clamans in deſerto eſt Chriſtus, qui inceſſanter clamat dictis, & factis in deſerto, ſcilicet ad cor peccatoris, verè deſertum horribile, quia privatum, & derelictum gratiâ Dei: clamare autem dicitur ob diſtantiam, & elongationem ipſius peccatoris à Deo, dicens, parate viam Domini, ſcilicet cor. *Ioan. collat. 7.*

524. *Qualis via, & quomodo præparanda Domino.*

Parate viam Domini Alii legunt Domino, &c. Nota autem, quod præparatio hæc fit Domino juxta triplicem Dei proprietatem, ſcilicet ratione profunditatis ſapientiæ ejus præparate viam, ut diſcipuli anhelantes ad credendum magis Deo docenti per captivationem intellectus: Item ratione ſublimitatis potentiæ præparate viam, ut ſervi obſequentes ad obediendum præcipienti: Tertiò ratione æquitatis juſtitiæ ejus præparate viam, ut veri pœnitentes ad reſpondendum Iudici per emendationem defectuum: Addit, parate viam: Sed quæ via eſt hæc præparanda? parate, ait viam, ſcilicet mentalis habitaculi per immunditiæ expulſionem perfectâ, & integra confeſſione: Secundò viam mentis per ſatisfactionem, nempe per laſciviæ carnalis proſtrationem in diſcreta, & debita corporis caſtigatione: Tertiò viam mentis per floridæ caſtitatis ſupererogationem in pura mentis, & corporis conſervatione, progrediendo de virtute in virtutem. *Ser. 1. Dom. 4. Adv.*

525. *Rectificatio ſemitarum Dei quænam ſpectat ad Religioſos.*

Rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei noſtri. Nota, quod ſuprà dixit, parate viam, nunc dicit, rectas facite ſemitas Dei noſtri: Via Domini eſt obſervantia præceptorum Dei, pertinetque ad ſæculares; ſemitæ ſunt obſervantiæ conſiliorum ſpectantes ad Religioſos: Iſtæ ſemitæ rectificantur per exercitium charitatis, ſcilicet per paupertatem voluntariam, obedientiam, & caſtitatem. *Pſal. 118. cap. 7. verſ. 9. & cap. 3. v. 5. & Ugo Card. hic.*

526. *In ſecunda Adventu Chriſti ad litteram omnis vallis exaltabitur, & omnis mons, & collis humiliabitur,* quodque exigit à nobis Chriſtus poſt primum ſui adventum, quia qui ſe humiliat exaltabitur, & qui ſe exaltat humiliabitur. *Luc. c. 21. v. 27. Ugo hic.*

527. *Adventus Verbi in mundum manifeſtam reddidit hominibus gloriam Domini, notaque fecit mundo ejus magnalia.*

Et revelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro pariter, quod os Domini locutum eſt. Et quando hæc erunt? Vel quando hæc executionem habuerunt? Ad litteram docet Propheta, quod in liberatione Iudæis promiſſa, & prædicta, in ipſorum reverſione à captivitate revelabitur gloria potentiæ, & bonitatis divinæ, per quod patebit veritas

veritas prænunciata à Prophetis in perſona Dei: Myſticè loquitur de adventu Chriſti in carnem, & de conſequentibus miraculis; nam adveniente Verbo in carnem, manifeſtata eſt excellentia pietatis, ſapientiæ, & majeſtatis divinæ, quia tunc venit ſalus noſtra, propalatio magnalium gloriæ divinæ per lucem fidei, & per glorificationem noſtram & tunc patuit, quod os Domini locutum eſt, ideſt Verbum Dei, & Filius Dei Patris, per quem omnia facta ſunt, locutum eſt, prædicendo omnia, quæ facta ſunt. *Luc. cap. 1. v. 32. & c. 3. v. 6 ſap. c. 3. op. de inviſibilit. Dei.*

528. *Chriſtus venit in mundum, ut nobis hic oſtenderet gloriam Dei, & ad ipſam nos poſt mortem duceret, apertis januis Paradiſi. Serm. 1. de uno S. Mart.*

529. *Gloria temporalis hominum vaniſſima oſtenditur à veris Prædicatoribus.*

Vox dicentis clama, & dixi quòd clamabo? omnis caro fænum, & omnis gloria ejus quaſi flos agri, exſiccatum eſt fenum, & cecidit flos, verbum autem Domini manet in æternum. Ecce quomodo Deus Iſaiæ propoſuit materiam prædicabilem ſuis auditoribus, & per hoc docet omnes Prædicatores quid eſt id, quod præcipuè debet inculcare in ſuis concionibus, nempe mirabilia adventus Chriſti in carnem, ejuſque ad gloriam immarceſſibilem, & ſimul vaniſſimam gloriam humanam, & ideo exprimit hanc ſimilitudinem feni, & floris, qui mane floret, ſed ſtatim in veſpere areſcit, & cadit, & in ſterquilinium mittitur: ſic eſt homo, qui in juventute floret, ſed in morte areſcit factus eſcibus vermium, & in ſterquilinium mittitur: & ideo gloria mundana vilis, & fætida, quia non eſt in Deo, nec cum Deo, & ſtulti verè ſunt, qui eam ſectantur. *Ser. 1. de uno S. Mart. ſer. 2. in Vigil. Nativit ſer. 4. Dom. 4. quadrag. ſer. 2. de S. Barthol. Op. ſpec. B. Virg. lect. 12. op. de perfect. religioſ. l. 1. cap. 8. Luc. c. 4. v. 6. & c. 6. v. 11. Ioan. c. 5. verſ. 44.*

530. *Luxuria exſiccat oſſa, & carnem, ipſamque corrumpit.*

Omnis caro fenum, exſiccatum eſt fenum, &c. Nota, quod dicit caro, non dicit corpus, vel homo, ſed caro, alludens ad luxuriam, & voluptates carnales, danſque intelligere, quod inter omnia vitia, luxuria maximè exſiccat, & corrumpit corpus. *Ioan. c. 6. v. 10. Luc. c. 6. v. 11.*

531. *Caro Chriſti veluti herba præparata hominibus veluti animalibus, ut ex ipſa reflorerent.*

Omnis caro fenum, &c. Nota, quòd hæc etiam myſticè exponuntur de Chriſto, cujus caro expoſita eſt paſſioni, & in Cruce exſiccata: Dicitur fenum, quia in medio duorum animalium, ſcilicet in Eccleſia militante, expoſitum eſt pro paſtu ſimplicium, & humilium, ut per ipſam refloreret caro noſtra. *Luc. c. 2. v. 7. op. ſpecul. B. Virg. lect. 12.*

532. *Omnis caro corruptioni ſubjecta præter carnem, & corpus Chriſti, & Beatiſſima Virginis Mariæ.*

Omnis caro fenum, &c. exſiccatum eſt fenum, & cecidit flos, &c. Verbum autem Domini manet in æternum. Quid eſt hoc, & quare apponit corruptioni noſtræ carnis verbum Dei manens in æternum? Ut det intelligere, quod licet omnis caro veluti flos exſiccet, & corruptioni ſit obnoxia; hoc tamen non eſt dicendum de carne Verbi incarnati, ſcilicet de carne Chriſti, & B. Virginis: nam veluti flos periit in morte ſed in reſurrectione refloruit cum foliis dotium corporis glorificati: Unde ſicut corpus Chriſti non fuit obnoxium corruptioni, ſic pie dicendum eſt de carne, & corpore B. Virginis Mariæ *Op. ſpecul. B. Virg. lect. 12.*

533. *Omnes creaturæ tranſeunt: ſolumque Verbum Dei manet in æternum*

Exſiccatum eſt fenum, & cecidit flos: Verbum autem manet in æternum. Ecce quod non ſolum Verbum Dei manet in æternum, & ideo omnes creaturæ cum mundo tranſeunt, quoad celſitudinem, quoad pulchritudinem, & quoad dulcedinem, ergo qui his tranſitoriis adhæret tranſitui ſubjacere cogitur. *Luc. c. 21. v. 33 ſap. c. 2. ſer. 2. de S. Barthol.*

534. *Prædicator prius aſcendat in montem perfectionis, & poſtea viriliter exerceat ſuum munus.*

Super montem excelſum aſcende tu, qui evangelizas Sion, exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Ieruſalem, exalta noli timere. Nota hunc ordinem, nam primò prædicare præcipitur, ut aſcendat ad montem ante prædicationem, poſtea exaltet vocem in fortitudine ſine timore: & audiant hoc Prædicatores: nam primò debent aſcendere montem perfectionis in ſe per exercitium virtutum, & facere in ſe, quod aliis prædicant, contemnendo mundum, poſtea exaltet vocem, ſcilicet viriliter munus ſuum exerceat ſine timore, non enim debet eſſe timidus, ut prædicare non audeat, nec vitioſus, ut laudare, & prædicare non erubeſcat. *Luc. c. 5. v. 3. & c. 15. v. 27. & 17. v. 31.*

535. *Per Chriſtum Pater omnia fecit veluti per brachium ſuum potens.*

Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium ejus dominabitur. Quodnam eſt brachium hoc Dei? Brachium Dei eſt Chriſtus filius Patris, per quem venit in mundum in fortitudine, quia per ipſum fecit omnia, & redemptionem fecit populo ſuo. *Luc. c. 1. v. 51. Ioan. c. 12. v. 39. op. de Inviſibilit. Dei.*

536. *Chriſtus Paſtor animarum oſtenditur.*

Sicut paſtor gregem ſuum paſcet, & in brachio ſuo congregabit agnos, & in ſinu ſuo levabit, fœtas ipſe portabit. Vide, & expende amorem ferventiſſimum Chriſti in nos, & ut ipſum demonſtret, ſe

paſtorem fideliſſimum oominat, daos intelligere, quod ſicut proprium eſt paſtoris oves ſuas fovere, ourrire, protegere, & defendere à rabie luporum. ſic Chriſtus Ieſus amantiſſimus, paſtor piiſſimos ad perditas oves ſuæ ſollicitudinis curam, clementiam, & bonitatem in his varbis oſtendit: oam propter hoc labores, ſollicitudines, & inedias paſſus inter Phariſæorum inſidias, & pericula multa Evangelizando regnum Dei, Civitates circuibat, & caſtra, noctes ducebat pervigiles in oratione, affabilem ſe reddens peccatoribus, aſſerens, ſe propter malè habentes venire in mundum, ad pœnitentes quoque paternum prætendebat affectum, apertum oſtendens eis divinæ miſericordiæ ſinum: Hujus veritatis teſtes adducuntur in medium Mattheus, Zachæus, & peccatrjs illa ad pedes ejus proſtrata, & mulier in adulterio deprehenſa, & ideo recte dicit Propheta; quod hic paſtor gregem ſuum paſcet, congregabit agoos, & in ſinu ſuo levabit, & fætas ipſe portabit: ó quàm hoc eſt verum? quàm perfectè hæc operatus eſt Chriſtus. Hunc ergo Paſtorem piiſſioum more Matthæi perfectè ſectare ô anima, more Zacchæi hoſpitio ſuſcipe, more peccatricis unguento perunge, pedeſqua ipſius ablue lachrymis, terge capillis, & oſculis mulce, ut tandem cum ipſa muliere expoſita ipſius judicio, abſolutionis ſententiam merearis audire: nemo ta condemnavit, neque ego te condemnabo; vade; & noli amplius peccare. *Opuſc. lignum vita tit. Ieſus Paſtor. ſollicitus. Luc.c.5. v.5. Ioan.c.1.v.18.& collat.49.*

537. *Eccleſia fundatio facta concurſu Sanctiſſima Trinitatis per Chriſtum expenditur.*

Quis menſus eſt pugillo, aquas, & Cælos palmo ponderavit? Quis appendit tribus digitis molem terra, & libravit in pondere montes, & colles in ſtatera? Nota, quod hoc modo loquendi Propheta exprimit Dei omnipotentiam, immenſitatem, ſapientiam, & bonitatem io ſe, & ad extra per Verbum, qui eſt manus Patris, oſtenſam: & myſticè fuudationem Eccleſiæ ſignificatæ nomine terræ, licet ad litteram ſignificet materiam primam, qua Eccleſia tribus digitis, ſcilicet fide, & poteſtate Trinitatis ſubſiſtit, & uſque ad finem durabit. *Pſa.143.op.Eccleſ.Hier.p.1.c.3.Comp.Theol. l.1.c.10. Luc.c.17.v.9.Ioan.c.8.v.9.& c.10.v.30.& collat. 55. ſer.2. Dom.Trinit. ſer.9.Hexam.l.2.d.2. p.1.dub.1.*

538. *Vanitas, fragilitas, & caducitas creatura expenditur hic à Sancto Propheta*, comparando ipſam ad potentiam, ſapientiam, & immenſitatam Dei: Unde dicit: *Omnes gentes quaſi ſtilla ſitula, & quaſi momentum ſtatera reputata ſunt, quia cuncta ſine concurſu Dei, in momento tranſeunt. Luc.c.4.v.5.* Et hinc patet, quàm immenſa fuerit capacitas Mariæ Virginis, quæ in ſuo gremio potuit continere incomprehenſibilem Deum, ideo capacior, & immenſior eſt toto muodo. *Op.Eccleſ.Hier.p.4.c.7.*

539. *Sacerdotes debent eſſe Cæli extenſi per totum.*

Qui extendit velut nihilum Cælos, & expandit eos ſicut tabernaculum ad habitandum. Nota, quod ſicut per creationem mundi oſtendit potentiam Dei, ita per fundationem Eccleſiæ, in qua collocavit Cœlos extenſos: & iſti ſunt ſacerdotes, qui ad Cœli ſimilitudinem nihil retinere debent non extenſum: extendunt enim linguam, cor, & manum: cor inquam, ad Deum per devotionem, & ad proximum per compaſſionem: linguam ad Deum in oratione, & gratiarum actiona, ad proximum in doctrina, & prædicatione: manum ad Deum ſupplicatione, & ad proximum per ſubventionem. *Opuſc. Eccleſ. Hier. p.4. cap.5.*

540. *Meditatio mirabilium, qua operatus eſt Deus in mundi creatione, & gubernatione elevat mentem noſtram ad Deum laudandum, amandum & ad delectandum in ipſo: Unde communè dicitur nobis: levate in excelſum oculos veſtros, & videte quis creavit hac, &c. ſer.3.de Angelis. Ioan. cap.1. verſ.3.*

541. *Iuſti laborant, & fatigant, ut in Chriſto quieſcant.*

Qui dat laſſo virtutem, & his, qui non ſunt fortitudinem. Quomodo ſolùm laſſis dat Deus virtutem, & non etiam fortibus addit fortitudinem? & quomodo iis, qui non ſunt? ſi non ſunt, quomodo datur fortitudo? Sed attende ad mirabilia Dei, qui non ad alia, ſed ad humilia reſpicit: Dat laſſis laborantibus pro Chriſto virtutem Deus, & iis, qui non ſunt, ſcilicet in oculis propriis ſunt nihil, & de ſe deficientibus dat fortitudinem, nempè virtutem perſeverantiæ uſque ad finem: ſic enim laborant, & quieſcunt, & laborando & fatigando conſolantur, non ſic in ſequela mundi, in qua nulla eſt requies. *Ioan. collat.10. Luc.c.6.v.19. ſer.de S.Cacilia.*

542. *Puerorum, & juvenum infirmitates quanam ſint moraliter.*

Deficient pueri, & laborabunt, & juvenes in infirmitate ſua. Quænam defectio eſt iſta puerorum, & infirmitas juvenum? Nota, quòd pueri non ſumuntur materialiter, ſed moraliter loquitur de hominibus qui veluti pueri habent vitia puerorum in anima, ſcilicet ſtoliditatem in ratione, concupiſcentiam in affectione, & inſtabilitatem in operatione: Item loquitur de hominibus habentibus infirmitatem juventutis etiam in ſenectute: & qualis eſt hæc infirmitas? hæc eſt luxuria, quæ infirmitas in ſenibus ſæpe etiam reperitur, qui tunc temporis magis inſaniunt: Iſti omnes in infirmitate cadunt, ſcilicet in lectum, & de lecto in pheretrum, & tandem ſæpe in Infernum. *Ser.1.Dom.20.Pent.Luc.c.18. v.16. Ioan. c.12. v.2.& Ugo hic, &c.*

543. *Confidentia in Deum auget fortitudinem anima, & volatum ipſi tribuit in via Dei.*

Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ut aquila, current, & non laborabunt,

bunt, ambulabunt, & non deficient. Ecce quid operatur in anima virtus ſpei, & confidentiæ plenæ in Deum: nam ipſam elevat à terrenis ad cœleſtia, & currere, imo volare facit in modum aquilæ in via Dei ſine fatigatione, & labore, & hoc virtute alarum charitatis in Deum, & proximum: non ſic faciunt mali, ſcilicet raptores, adulteri, &c. qui non elevantur ad Cœlum, ſed potius deprimuntur in Infernum. *Op. Eccleſ. Hier. p. 3. c. 3. op. ſpec. diſcipl. p. 1. c. 5. opuſc. Comp. Theol. l. 5. c. 22. Luc. c. 14. v. 21.* Sed notanda ſunt diligenter illa verba, mutabunt fortitudinem: quæ mutatio eſt iſta? & ad quid mutabunt, ſcilicet qui prius erant fortes in terrenis, & debiles in ſpiritualibus, virtute talis ſpei mutant fortitudinem, nempe fiunt fortiſſimi, & ſecuriſſimi in ſpiritualibus, in pugnando contra diabolum, mundum, & carnem: ſic Gloſſa, quod etiam poteſt captimi de viris juſtis, qui in tempore Antichriſti mutabunt fortitudinem, nempe in fide vacillabunt, ſed poſtea virtute confidentiæ in Deum victoriam reportabunt. *In Ecclen. c. 12.*

544. *Corporum glorioſorum agilitas expenditur.*

Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem. Et quomodo hoc erit? Hoc eveniet poſt judicium univerſale, quando animæ beatæ aſſument corpora glorificata: Iſti mutabunt fortitudinem per dotem agilitatis, per quam erunt velociores aquilis, & citiſſimè de Cœlo ad terram, & de terra ad Cœlum volabunt. *Ser. de Aſcenſ. & ſap. cap. 3.*

545. *Iuſti ſint velut aquilæ, ſi volunt reformari in corpus glorificatum.*

Aſſument pennas velut aquilæ, &c. Hic loquitur de juſtis, & præcipit ut ſint velut aquilæ: Hic autem nota, in quo conſiſtat ſimilitudo hæc: Aquila cum ſeneſcit præ nimia curvitate roſtro cibum ſumere non valet, ideo langueſcit, & tunc cogente inedia, tandem uncum roſtri ad petram decutit, & tunc cibum ſumens renovatur: ſic homo volens renovari per glorioſam reſurrectionem, debet ad duram, & gravem petram pœnitentiæ curvitatem roſtri, ideſt detractiones, perjuria, mendacia, & alia peccata deponere, & tunc ad ſumendum cibum doctrinæ, & Euchariſtiæ ſpiritualiter accedere poterit, & tali pacto ſe diſponere ad totalem renovationem pro alia vita: Debet & veluti aquila aſſumere pennas, ideſt alas charitatis Dei, & proximi, & ad Cœlum, ſcilicet ad Dominum volare, ut tali volatu effugere poſſit diabolum nos perſequentem cum ſeptem capitalibus vitiis. *Sermon. 1. de Aſcenſ.*

CAP. XLI.

546. *Qualiter comparebunt boni, & mali ad judicium univerſale.*

TACEANT ad me inſulæ, & gentes mutent fortitudinem, accedant, & tunc loquantur, ſimul ad judicium propinquemus. Nota, quod hic ſacer textus in perſona Chriſti proponit judicium univerſale, ad quod invitabuntur, & vocabuntur omnes boni, & mali; hocque judicium proponit omnibus meditandum, ejuſque rigorem prædicat, dicens, accedant, & loquantur, ſcilicet illi, qui in mundo loquebantur ſe excuſantes, non poſſe hæc, vel illa peccata dimittere: loquantur, ſi poſſunt; afferant excuſationem, ſi ullam habent: ſed tamen ſimul cogentur omnes reprobi ſe præſentare coram Iudice Chriſto in omnium præſentia confuſi, & ſimul ſtupidi, & quaſi muti in publica audientia, & ſimul abſorpti à funeſtiſſima ſententia: E contra boni ſimul erunt ad dexteram Iudicis in animarum felicitate, & in Angelorum ſocietate, & in corporali immortalitate: ô qualis differentia erit in tali ſimultate, & ſocietate bonorum, & malorum: & hinc poſt pauca ſubjungit: *Dabit quaſi pulverem gladio ejus: ſicut ſtipulam vento raptam arcui ejus: perſequentur eos,* ſcilicet malos; *ſubdit tranſibit in pace, ſemita in pedibus ejus non apparebit, &c.* nempe cum bonis tranſibit, & volabit ad Cœlum in pace, &c. *Ser. 2. fer. 4. Paſcha.*

547. *Iuſti à Deo electi: Impii à diabolo.*

Et tu Iſrael ſerve meus, Iacob, quem elegi, &c. ſervus meus es tu, elegi te, & non abjeci te, ne timeas, quia ego tecum ſum, quia ego Deus tuus confortabo te, &c. Nota quod hæc diriguntur à Deo ad Iſraël, nempè ad chriſtianos fideles, quos dicit electos à ſe, ſcilicet electione prædeſtinationis æternæ, & juſtificationis temporalis, per quam homo in numerum ſervorum Dei adnumeratur, & ſua gratia, & auxiliis ditatur, ut per ipſam, & opera bona tandem ad Cœlum elevetur. Nota autem, quod in his verbis indicantur exercitia vitæ activæ, ſcilicet in illo verbo, ſervus meus, cujus proprium eſt laborare: & contemplativæ per illud verbum, Iſrael, ideſt videns Deum, hos enim ad ſui ſocietatem eligit Chriſtus: è contra diabolus eligit impios tamquam cibum ſuo palato delicatum, ut ipſos tandem devoret, abſorbendo in Inferno. *Sermon. 4. Dom. 19. Pentec. Ioan. collat. 70. Pſal. 118. c. 5. v. 1. ſer. 2. de S. Nicol.*

548. *Deus principium, & finis omnium rerum.*

Ego Dominus, primus, & noviſſimus: &c. Nota, quod Dominus ſe vocat principium, & finem omnium: Vnde dicitur, ego ſum Alpha, & Omega: Alpha eſt littera, A, quæ eſt littera triangularis, & ſignat Deum principium effectivum omnium rerũ

&

Digitized by Google

& principium conſervativum,& conſummativum & perfectivum. *Ioan. collat.*1. Dicitur etiam primus, quia Deus; & noviſſimus, quia homo factus eſt.*Ser.*4.*Dom.ſeptuageſ.*

549. *Mali ad prædicationem veritatis confunduntur: boni illuminantur.*

Ecce confundentur, & erubeſcent omnes, qui pugnant adverſum te, erunt quaſi non ſint, & peribunt viri, qui contradicunt tibi &c. Verba ſunt iſta Patris æterni ad Filium, & ab ipſo Chriſto repetita ſuis Prædicatoribus, daturque intelligi, quod ſicut contradicentes prædicationi Chriſti, ſemper confuſi remanſerunt: ſic & qui ſe opponunt prædicationi, & Prædicatoribus ab ipſo deſtinatis, nam in hac vita remanent confuſi, & excæcati, & multo plus in alia vita: ſicut è contra boni recipientes divinas veritates illuminantur. *Ser.*1.*Dom.infra oct.Nativit. Pſal.*118. *c.*1.*v.*6.*Luc.c.*13.*v.*17.

550. *Deus non derelinquit confidentes in ſe:* Unde hic dicit: *Ego Dominus exaudiam eos. Deus Iſraël non derelinquam eos &c.* Nota verbum Dominus, Deus; Dominus indicat potentiam Dei: Deus græcè idem eſt ac videns, indicatque nomen ſapientiæ, & benevolentiæ, datquè intelligere, quod confidentes in Dei potentia, ſapientia, & bonitate ab ipſo non derelinquuntur, ſed foventur, & adjuvantur. *Pſalm.*118.*c.*1. *verſ.*8.

551. *Prælati mali Dei ſubjecti.*

Vocabit nomen meum, & adducet magiſtratus quaſi lutum, & velut plaſtes conculcans humum. Nota illud verbum, magiſtratus, & aliud, quaſi lutum, quia hîc notantur Prælati in terrenis, & propter terrena implicati, æterna relinquentes; nam iſti iræ Dei ſubjiciuntur, & de medio auferuntur à Deo. *In Thren.c.*1. Nota autem, quod dicit, iſtos conculcandos eſſe velut plaſtes conculcat humum: nam in judicio conculcabuntur iſti Prælati mali à dæmonibus, & etiam ab ipſis pauperibus.

552. *Peccatum reddit hominem mutum, cæcum, & ſurdum.*

Quis annuntiavit hæc? non eſt annuntians, neque prædicens, neque audiens ſermones veſtros. Et quandonam hæc verificata ſunt? cum Eccleſia numquam fuerit ſine Prædicatoribus annuntiantibus veritatem? ſed attende, quod hic loquitur de effectibus peccati mortalis, & de miſeriis, in quas redigitur homo à diabolo poſſeſſus, nam redditur per peccatum homo mutus, ideſt incapax ad Deum laudandum, & confitendum peccata, cæcus ad videndum ſtatum ſuum, & ſurdus ad audiendum verbum Dei. *Luc.c.*11.*v.*14.

553. *Aſſiſtentia Dei ad Eccleſiam expenditur.*

Primus ad Sion dicet, ecce adſum, & Ieruſalem Evangeliſtam dabo. Nota quod in iſtis verbis prædicit Propheta adventum Dei in carnem, & ejus aſſiſtentiam Eccleſiæ catholicæ: nam Deus, qui eſt primus, ſive ut legunt ſeptuaginta, principium, dixit ecce adſum id eſt incarnatum eſt, & ſicut ſuprà dictum eſt, factus eſt noviſſimus, & in hoc ſtatu dixit ad Sion, ſcilicet ad Eccleſiam, ecce adſum faciens ipſam Sion; ideſt ſpeculum Dei interius per ſanctitatem, & munditiam, & ſpeculum hominum, nempè per exteriorem diſciplinam vitæ, & ultrà hoc dedit Evangeliſtas, & Prædicatores, ut veritatem prædicarent, ipſiſque virtutem dans fructificandi in Eccleſia. *Ser.*4. *Dom. ſeptuageſ. & Luc. cap.*6. *verſ.*14.

CAP. XLII.

554. *Chriſti Attributa varia expenduntur.*

ECCE *ſervus meus, puer meus, legit alia littera, ſuſcipiam eum, electus meus, complacuit ſibi in illo anima mea, dedi ſpiritum meum ſuper eum, &c.* Nota hæc ſunt verba Patris loquentis de filio, qui cum eſſet ejus filius ab æterno ſibi æqualis, aſſumens carnem factus eſt ſervus Patris, cui dedit ſpiritum ſuum, & in ipſo complacuit anima ejus, aliaque Attributa condigna ipſi communicavit, de quibus fusè per totum hoc caput agitur. *In Ecclen. c.* 4. *ſap. c.*2.*&* 12. *Luc.c.*1.*v.*45.*& c.*9.*v.*55.

555. *Quantum complaceat ſibi Deus in ſervis ſuis.*

Ecce ſervus meus, ſuſcipiam eum, electus meus, complacuit ſibi in illo anima mea. Nota, quòd in his verbis exprimitur quàm ſint Deo chari ſervi ſui electi, & fideles, & ideo dicit, complacuit ſibi in illo anima mea: ſed in quo complacet Deus? Complacet ipſis dare ſapientiam ſuam, & gloriam: Unde alibi etiam dixit Chriſtus: Complacuit Patri ſuum dare vobis Regnum: Vobis, inquam, pauperibus ſpiritu, & fideliter ſervientibus, per quæ promiſſa inducit in cordibus noſtris ſpem, & cum ſpe ſecuritatem, & per hoc aufert puſillanimitatem timoris, & ardorem cupiditatis. *Luc.c.*12.*v.*32.

556. *Chriſti benignitas in peccatores expenditur ad exemplum Prælatorum.*

Non clamabit, &c. calamum quaſſatum non conteret, & linum fumigans non extinguet. Quid eſt hoc, quod dicitur, non clamabit, neque audietur vox ejus foras, cum toties in prædicatione clamaverit? & quomodo calamum quaſſatum non confringet? & qualis eſt iſte calamus, & linum fumigans? ſed attende, quòd hac metaphora intendit ſacer textus exprimere Chriſti Jeſu benignitatem in peccatores: Dicitur autem, non clamabit, nec audietur vox ejus foras, ideſt non clamabit clamore contentioſo ex iracunda proveniente; & per calamum quaſſatum intelligit peccatorem vacuum bono virtutis jacentem in palude vitiorum: per linum fumigans vitam hominis debilem fumum dolorum, & tribulationum emittentem: Dat igitur intelligere,

ligere, quod Chriſtus venit ſalvare, non perdere, venit non judicare, ſed ſalutem afferre, & ideo peccatoribus condeſcendebat, ut ipſos ſuaviter traheret ad ſe: per quod exemplum datur Prælatis cum quanta circumſpectione debeant regere, corrigere, & trahere ſubditos etiam aliquando rebelles. *In Thren. c. 3. Ioan. c. 3. v. 2. op. de ſex alis Seraph.*

557. *Chriſti converſatio qualem lætitiam, & gaudium ſecum afferat.*

Non erit triſtis, neque turbulentus, donec ponat in terra judicium. Vide quòd idem argumentum facit textus proſequitur de benignitate Chriſti, & de converſatione ejus cum hominibus, quia hæc non triſtitiam, nec turbationem afferebat, ſed gaudium, & conſolationem: & licet in morte Lazari legatur quod infremuit ſpiritu, & turbavit ſemetipſum, hoc factum eſt, ut doceret peccatorem in Lazaro mortuo figuratum, debere turbari preſſum mole peccati: Turbavit quidem ſemetipſum, ſed turbatione voluntariè aſſumpta, & cum modeſtia, & moderatione in parte inferiori: & ideo hæc notantur, ut invitentur fideles ad modeſtiam, & ut caveamus ab omni iracundia. *Ioan. c. 11. v. 29. & collat. 5. & ſer. 2. de S. Marco.*

558. *Lex Dei quàm deſiderabilis, & amabilis.*

Legem ejus inſulæ expectabunt. Cur inſulæ, & non cæteri populi: Inſulæ, ideſt juſti preſſi in mundo tribulationibus (ſic exponunt ſancti) expectant, id eſt deſiderant, & amant legem Dei, quia eſt eminentiſſima, affluentiſſima, efficaciſſima, ſpecioſiſſima, & clariſſima afferens omne gaudium. *Pſal. 118. cap. 8. v. 14. op. princip. Sacr. ſcrip.*

559. *Dona naturalia à Deo data ad excitandum nos ad gratiarum actionem.*

Hæc dicit Dominus Deus, creans Cælos, & extendens eos. firmans terram, & quæ germinant ex ea, dans flatum populo, qui eſt ſuper eam, & ſpiritum calcantibus eam. Hæc dicit Dominus: quid dicit? dicit & exponit omnia iſta bona naturæ nobis data, ut ipſa videntes excitemur ad gratitudinem: quaſi dicat, Vide tot opera à Deo facta: hæc omnia ſunt voces nobis prædicantes Dei potentiam, & gloriam, & indicantes obligationem noſtram in Ipſum. *ſer. 4. in Rogat.*

560. *Deus vocando nos ad ſe, exhibet omnia neceſſaria ad executionem.*

Ego Dominus vocavi te in juſtitia, & apprehendi manum tuam, & ſervavi te. Hæc ſunt verba Dei, quæ continuè inculcat auribus noſtris, quibus excitare nos intendit ad obtemperandum vocationibus, quæ continuè nobis facit, & ſic vitemus ingratitudinem. Ego vocavi te dicit unicuique noſtrum, quia vocatio divina eſt primus gradus ſalutis noſtræ, quia ſine vocatione divina non eſt poſſibile meritoriè operari: Vocavi te primò à peccato ad amaritudinem pœnitentiæ, poſtea iterum vocat nos converſos ad juſtitiam, vel in juſtitia, ſcilicet ad rectitudinem juſtitiæ, imponendo præcepta ſua obſervanda: & iterum ad perfectionem vitæ, in obſervantia conſiliorum meorum; & ne detur excuſatio, addit, & apprehendi manum tuam, ideſt præveni aſpirando, & ſervavi te, adimplendo præcepta mea, porrigendo tibi dexteram meam, & perſeverantiam tribuendo, ut abundes in omni opere bono cooperante divina gratia. *Ser. 1. Dom. ſexag. Luc. c. 14. v. 6. ſer. 4. Dom. 16 Pent.*

561. *Chriſtus eſt lux ſuos fideles diverſimodè illuminans.*

Dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, ut aperires oculos cæcorum, & educeres de concluſione vinctum, de domo carceris ſedentes in tenebris. Nota, quòd hæc verba diriguntur à Patre ad filium & ab ipſo filio ad ſuos fideles, ubi advertendum, quod non ſine myſterio appellat filium lucem gentium diffuſam per totum orbem, ut intelligamus, quod id, quod operatur, & quo ordine in naturalibus natura luminoſa: ſic & in ſpiritualibus; nam ſicut Deus creavit, & diviſit multipliciter hanc naturam luminoſam, eamque diverſimodè communicavit: nam quædam eſt influens tantùm non influxa, ut eſt cæleſtis natura: quædam eſt non influens, ſed influxa, ut eſt lux aërea, quæ à ſole illuminatur, & non illuminat: & quædam influens, & influxa, ut luna quæ illuminata à ſole, illuminat terram; ſic Chriſtus eſt lux vera non ab alio illuminata, ſed alios illuminans: illuminat quidem ſimplices, & rudes, ſed ita, quod alios illuminare non poſſunt; illuminat & alios, ut ſunt ſancti, Doctores, & Prælati, ita ut iſti debeant alios illuminare, & ideo per iſtos aperit oculos cæcorum, & liberat de tenebris jacentes in ipſis: Ergo verè miſſus eſt Chriſtus in lucem totius mundi ad ipſum illuminandum, vel per ſeipſum, vel per ſuos miniſtros: *Ser. 1. de S. Ambroſ.*

562. *Chriſtus venit, ut eſſet cæcis lux dirigens, & illuminans.*

Dedi te in lucem gentium. O quàm hoc eſt verum: Venit enim Chriſtus in hunc mundum obtenebratum, ut oſtium oſtenderet cæcis, illos educens de carcere mortis, & liberans, & ſalvans. *Ser. 4. Nativit.*

563. *Doctores Sanctæ Eccleſiæ ſunt lux illuminans mundum: Ubi de obligatione ipſorum.*

Dedi te in lucem gentium &c. Nota quòd hæc diriguntur poſt Chriſtum cuique Doctori Eccleſiæ: quia enim ſunt lux mundi repræſentatores Chriſtum veram lucem, ideo debent eſſe lux pura per eminentiam caſtitatis à lecto concupiſcentiæ immunes; ſicut è contra luxurioſi ſunt immundi, quia cæno luxuriæ ſunt infecti: Item debent eſſe lux impaſſiva, quia ſicut lux non corrumpitur ab actione extranea, ſic & iſti debent eſſe impaſſivi per conſtantiam patientiæ, & firmitatis: Debent item eſſe lux ſui communicativa, nempe per charitatem, ſe cunctis communicando, & ſua omnia diffundendo, filios ſpirituales generando, nutriendo, confortando, omnes perfectè amando, omnibuſque compatiendo.

Debent item eſſe lux animi purgativa, & illuminativa, & ſic regulariter in obſcuritate latentium oſtenſiva, & per conſequens arguitiva, docendo, & prædicando; ſicque verè ſunt lux repreſentando veram lucem, quæ eſt Chriſtus Jeſus, & ideo Chriſtus eos poſuit ſuper candelabrum Eccleſiæ, ut lucerent, & illuminarent totum mundum. *Ser.* 1. *de S. Ambroſ. Ioan. collat.* 29.

564. *Gloria ſoli Deo danda: ideo qui ſibi aliquid aſtribuit coram Deo furti reus eſt.*

Ego Dominus, hoc eſt nomen meum, gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam ſculptilibus. Nota, quòd hîc docet ſoli Deo gloriam eſſe dandam, & ideo qui ipſam cum ſuperbis ſibi arripit, furti reus erit, & hinc canitur ab Eccleſia continuè: Gloria tibi Domine &c. *Op. de perfect. religioſ. l.* 2. *c.* 29. *Op. Comp. Theol. l.* 3. *c.* 15. *Luc. c.* 2. *v.* 14. *Ioan. c.* 5. *v* 44.

565. *Chriſtus in mundum venit, non ſolùm ad ſalvandum nos, ſed ad expugnandum diabolum, auferendo ei poteſtatem, quam habebat ſuper homines &c.* Unde hoc prædixit Propheta, dicens: *Dominus ſicut fortis egredietur, ſicut vir præliator ſuſcitabit zelum &c. Ser.* 1. *in Nativit.*

566. *In hac vita Chriſtus tacet: In morte, & Judicio loquetur ut parturiens.*

Tacui, ſemper ſilui, patiens fui, ſicut parturiens loquar: Diſſipabo, & abſorbebo ſimul, deſertos faciam montes &c. Dat hic intelligere Spiritus ſanctus, quòd tempus vitæ præſentis eſt tempus, quo Chriſtus manifeſtat patientiam ſuam: ſed poſt mortem, & Judicium tunc loquetur ut parturiens, ſcilicet emittet illam vocem terribilem, Ite maledicti in ignem æternum: & licet in hac vita puniat peccatores etiam ſuis flagellis, tamen comparata ad pœnam æternam Inferni iniquis paratam, ſunt illa veluti nihil. *Ser.* 2. *fer.* 4. *Paſcha in Luc. c.* 20. *v.* 26.

567. *Gratia aperit oculos cæcorum: Peccatum excæcat oculos videntium.*

Surdi audite, & cæci intuemini ad videndum: quis cæcus niſi ſervus meus, &c. Quomodo vult Deus, ut ſurdi audiant, & cæci videant? ſed attende, quòd Chriſtus venit aperire aures ſurdorum, & oculos cæcorum collirio gratiæ ſuæ: nam peccatum obtenebrat oculos, ne videant lumen. *Luc. capit.* 11. *verſ.* 14. *Ioan. collat.* 45.

CAP. XLIII.

568. *Chriſti ſocietas iuſtos reddit immobiles in proſpera, & adverſa.*

ET nunc hac dicit Dominus: &c. cum tranſieris per aquas tecum ero, & flumina non operient te, cum ambulaveris in igne non combureris, &c. ô magna conſolatio juſtorum audientium ex ore Chriſti, Tecum ero, quia ſocietas Chriſti reddit immobiles, & veluti impaſſibiles juſtos in medio proſperitatum, & adverſitatum, imò in medio ignis: & ſi aliquando videtur, quod procellæ velint ſubmergere te (ait Chriſtus) ne timueris, quia ego tecum ſum. *Op. Eccleſ. Hier. p.* 4 *c.* 5. *Luc. c.* 8. *v.* 25 *ſap. c.* 14. *& c.* 19. Ecce igitur maximum prodigium juſtorum, qui cum Chriſto, manentes in medio ignis tribulationum, tentationum, & peccatorum, illa ſi incidunt. *Ser.* 2. *de S. Nicol. ſer.* 1. *de S. Cathar. ſer.* 1. *de S. Franc. ſer.* 1. *de S. Laurent.*

569. *Chriſtus poſt reſurrectionem à quatuor mundi partibus per miniſterium Apoſtolorum congregavit Eccleſiam ſuam.*

Noli timere, quia ego tecum ſum, ab oriente ducam ſemen tuum, & ab occidente congregabo, dicam Aquiloni, da & Auſtro: noli prohibere: affer filias meas ab extremis terræ. Nota, quòd hæc dicuntur Eccleſiæ, cujus filii congregati ſunt ab omnibus partibus terræ miniſterio Apoſtolorum, & miniſtrorum Chriſti, ſed dicuntur adduci ab extremis, ſcilicet congregari ab extremis, ob diverſitatem morum, à quibus vocantur fideles ad unitatem charitatis, & felicitatis. *Luc. c.* 13. *v.* 29. *& c.* 23. *v.* 53. Notabile autem eſt, quod dicitur, Aquiloni da; Auſtro autem dicitur, Noli prohibere: per Aquilonem ſignificatur adverſitas, per Auſtrum proſperitas: Datque intelligere, quod adverſitas præparat locum in cœlo, quia multos convertit ad Dominum, & intrare Cœlum compellit: non ſic proſperitas; quæ non multos convertit, ſed prohibet, &c. *Ecclen. c.* 8. *prope finem & Ugo.*

570. *Chriſtus venit ad educendum foras cæcos ad videndum, & ſurdos ad audiendum, quod continuè facit per ſuos miniſtros.*

Educ foras populum cæcum, & oculos habentem, ſurdum & aures ei ſunt, &c. Nota, quòd exiſtens in peccato eſt cæcus non videns ſtatum ſuum, nec intelligens myſteria divina, & ſurdus ad audiendam vocationem divinam: Chriſtus autem venit ad oſtendendum oſtium, & educendum peccatores è cæno, & fovea peccati, & ad ipſum illuminandum, & ad aperiendum aures ſurdorum, ut audiant verbum Dei. *Luc. c.* 8. *v.* 10. *& ſer.* 4. *Nativit.*

571. *Chriſtus elegit Apoſtolos, & Evangeliſtas, ut prædicationis, & ſuorum operum eſſent teſtes*; ideo ad ipſos diriguntur hæc verba: *Vos teſtes mei, dicit Dominus*, ſcilicet vos mihi teſtes eritis doctrinæ, & operum meorum in vita, & tandem in Judicio univerſali. *Luc. c.* 11. *v.* 19. *& cap.* 24. *v.* 48. *in Ioan. proœm.*

572. *Diabolus neminem poteſt rapere de manu Chriſti, niſi volentem.*

Ego Deus, & non eſt qui de manu mea eruat, operabor, & quis avertet illud? Nota, quòd ſuppoſita electione divina, de qua ſuprà, ſubdit Spiritus ſanctus, quod nemo poteſt rapere de manu

nu ejus, nec ipſe diabolus, animam ſub poteſtate, & gratia conſtitutam Dei, niſi volentem, ideo oves prædeſtinatæ ad vitam nec lupus rapit, nec fur tollit, nec latro interficit, ſcilicet finaliter; ſecurus enim eſt de numero eorum, qui pro eis novit quid dedit: maneamus ergo in Chriſto, & cum Chriſto, & ſecuri erimus. *Ioan. c.* 10. *v.* 30.

573. *Dei ſanctitas manifeſtata mundo per opera ſua.*

Hæc dicit Dominus Redemptor veſter ſanctus Iſraël &c. propter vos miſi in Babilonem, & detraxi vectes univerſos, & Chaldæos in navibus ſuis gloriantes: Ego Dominus ſanctus veſter, creans Iſraël, Rex veſter &c. Cur appellat Deus ſe ſanctum, dum Iſraëlitas redemit de manu inimicorum, & creatorem ſe manifeſtat: Ego Redemptor veſter, ſanctus Iſraël, creans Iſraël? nonne ſanctus eſt etiam præciſa creatione, & redemptione? ſed reſpondetur quòd ſanctus quidem eſt Deus in ſe, ſed non tamen quoad manifeſtationem factam per tot opera ſua, quia ſanctum ſe manifeſtavit in opere creationis, cum fecerit omnia opera ſua valde bona, nec ulla mala: ſanctum item in opere redemptionis, non ſolùm liberando hominem de captivitate diaboli, ſed ut ipſum ſanctificaret miſit Spiritum ſanctum, & Apoſtolos in Babilonem nempe in mundum peccato confuſum, & detraxit vectes vitiorum, & Chaldæos in ira ſua gloriantes, ſcilicet Dæmones per fluctus hujus ſæculi miſeras animas circumdantes, & inde gloriantes: ô quàm ſanctus, quàm pius, quàm clemens in nos Dominus Jeſus: ergo plus debemus Domino Jeſu Chriſto, ſuis incurſis, quibus redemit nos, quam ſuis viribus, quibus creati ſumus: ſanctum item ſe manifeſtavit in glorificatione, quæ eſt complementum totius ſanctitatis. *Ser.* 1. *Do. Trin.*

574. *Deus ob beneficia creationis, & redemptionis exigit à nobis laudes, & gratiarum actiones.*

Populum iſtum formavi mihi, laudem meam narrabit. Ecce effectus creationis, & redemptionis: Ego, ait Deus, creavi, & redemi mundum, & ſic populum iſtum, ſcilicet chriſtianum formavi mihi: Ad quid ſubdit: laudem meam narrabit: quaſi dicat ut in laudibus meis diurnalibus ſe exerceret, & ad memoriam ſuam laudabiles ipſius virtutes, & opera revocaret, nempe ob beneficia creationis, redemptionis, & glorificationis; & hinc ab Eccleſia ordinatæ ſunt ſeptem horæ canonicæ, ut inceſſanter Deum laudent omnes chriſtiani, & præcipuè Clerici. *Pſal.* 118. *c.* 11. *v.* 4. Sed attende quòd ſubdit: Populum iſtum formavi mihi, laudem meam narrabit: Non me invocaſti Jacob, nec laboraſti in me Iſraël, non obtuliſti mihi Arietem holocauſti tui, & victimis tuis non glorificaſti me, &c. In quibus verbis dicunt ſacri expoſitores, quod per populum intelliguntur laici: per Jacob, & Iſraël clerici: Datque intelligere, quod ſæpe Clerici, qui ad hoc emancipati ſunt, ut divinas laudes canant, & ſacrificia offerant Deo inceſſanter, ab ipſis laicis ſuperantur, cum multi ex his ſint ferventiores, & magis aſſidui ad Deum laudandum; ô nimis verum, & maxima confuſio Clericorum: *Sic etiam Vgo.*

575. *Chriſtus propter nimiam charitatem ſuam in nos ſervum ſe fecit, etiam ſervorum diaboli.*

Verumtamen ſervire me feciſti in peccatis tuis; præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis. Hæc ſunt verba Chriſti ad peccatorem directa, in quibus notandum eſt quod dicit: ſervire me feciſti in peccatis tuis: quomodo ſervivit in peccatis? ſed attende, quòd loquitur de infima ſervitute, ad quam amor, & charitas ipſum conduxit: non enim ſolùm formam ſervi accepit, ſed etiam mali ſervi, ut vapularet, & ſervi peccati, ut pœnam ſolveret, cum culpam non haberet: & certe non ſervus ſervorum Dei, ut Papa, ſed ſervus ſervorum diaboli factus eſt, ſerviens in fimo, & ſtercore peccatorum ut ipſos expurgaret: ſervivit autem non uno Anno, ſed uſque ad mortem: Unde nefas eſt fraudare eum mercede ſua, ideſt anima tua pro qua ſervivit, & quam expurgavit, & liberavit. *Ser.* 7. *Dom.* 1. *Adv.* & *Ioan. collat.* 56.

576. *Chriſti labores in itinere hujus vitæ expenduntur.*

Et laborem mihi præbuiſti in iniquitatibus tuis. Hæc ſunt verba Chriſti è Cruce pendentis peccatoribus directa: laborem mihi præbuiſti &c. ideſt non ſolùm propter peccata tua, & in peccatis tuis ſervum me effeciſti, ſed & laborem mihi præbuiſti in iniquitatibus tuis, in quibus denotatur laboris vehementia, & gravitas, & diuturnitas, quia fuit maximus, vehementiſſimus, & diuturnus per totum tempus vitæ; Dicit autem laborare me feciſti in iniquitatibus tuis, ſcilicet expectando te ad pœnitentiam, & vocando per prædicationem, inſpirationeſque per temporalium collationem, & per corporalem afflictionem, & à diabolo te defendendo. *Ioan. collat.* 20.

577. *Deus eſt, qui efficienter delet peccata: Chriſtus meritoriè, & excitativè.*

Ego ſum, ego ſum, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. Notandum, quòd bis dicit *ego ſum, ego ſum qui deleo.* Cur idem repetit &c? ſed attende, quòd cum hæc verba in Perſona Chriſti Dei, & hominis dicantur, datur intelligi, quod ſecundum Divinitatem efficienter, & auctoritativè ipſe eſt, qui delet peccata, ſecundum humanitatem meritoriè, & excitativè, quia ipſe ſua paſſione meruit nobis remiſſionem peccatorum, qui ad hoc venit in hunc mundum, & ad hoc miniſterialem auctoritatem dedit ſacerdotibus. *l.* 3. *d.* 19. *a.* 1. *q.* 1. & *l.* 4. *d.* 1. *q. ult. Luc. c.* 7. *v.* 49. & *c.* 5. *v.* 21. *Ioan. c.* 20. *v.* 23. & *collat.* 8. Addit autem propter me, ideſt ſine meritis tuis, ſed ſolùm ad honorandum, & glorificandum me.

578. *Confeſſio peccatorum quàm Deo placita, & ſuavis, & qualiter facienda.*

Reduc me in memoriam, ut judicetur ſimul: narra ſi quid habes ut juſtificeris. Vide quanta ſit benignitas Dei noſtri, qui non ad memoriam tantæ benignitatis revocat, & ad judicandum inter ſe, & nos invitat, ſciens, quòd ſententia erit pro ſe, ſcilicet

ſcilicet, quòd nullam excuſationem poterimus unqoam adducere pro nobis, etiam ut intus in conſcientia judicii Tribunal conſtituamus, in quo conſcientia accuſet; tatto judicet, timor liget, dolor excutiat: & hinc dicit: *Narra, ſi quid habes*, ideſt confitere peccata tua Chriſto, ejuſque Vicario, ut juſtifiecris: per quod dat intelligere, quàm placita, & chara ſit auribus ejus confeſſio peccatorum pluſquam qoælibet alia muſica. *Op. Diat, Tit.2.& 3.* Nota autem, quòd dicit, Narra, &c. quia confeſſio vocalis requiritur in volentibus confiteri ore: ſed cur exigit confeſſionem vocalem, & non ſufficit mentalis? hoc esigit ad majorem noſtrum profectum; inſervit enim, non ſolùm ad ſatisfaciendum præcepto, ſed ad escitandum in nobis affectum pudoris, amoris, & doloris, ut ſic homo facilius, & melius diſponatur de congruo ad juſtificationem *l.4.d.17. p.1 a.1. q.4. & p.2. a.1. q.2. Luc.c.7.v.29. Io.c.10. in fine.*

CAP. XLIV.

579. *Servi Dei quinam recti Deo ſerviunt, & quinam inclinati, & quinam tortuoſi, & curvi.*

ET nunc audi Iacob ſerve meus, & Iſrael, quem elegi: hæc dicit Dominus faciens, & formans te ab utero auxiliator tuus: noli timere ſerve meus Iacob, & rectiſſime, quem elegi. Notanda ſunt iſta verba diligentiſſimè, in quibus oſtenditur gradus ſervitutis perfectæ Dei: & primò quòd dupliciter dicit Deus, ſe elegiſſe hunc ſervum, quia duplex eſt electio Dei, alia eſt de maſſa omnium hominum, effectuſque prædeſtinationis, alia eſt ſpecialior de congregatione fidelium, & hæc eſt coaptatio inter ſervos Dei: in prima eſt timor ſervilis: in ſecunda timor filialis, & de hac ſecunda hic eſt ſermo principaliter; Unde dicit Spiritus Sanctus, formans te ab utero, auxiliator tuus, ſcilicet ab initio conceptionis tuæ auxiliator tuus, nempe deducendo per gradus perfectionis de bono in melius: ſubdit, noli timere ſerve meus Iacob, & rectiſſime: Nota quòd dicit ſervus, & rectiſſimus: quid eſt, rectiſſimus? nonne ſufficiebat dicere, ſerve meus, vel ſerve recte, ſed in ſuperlativo gradu dicit, rectiſſime? hoc fit, ut videas, quod ſervi Dei perfecti ſunt rectiſſimi: Alii enim ſunt ſervi non recti, & ſunt illi, qui Deo ſerviunt non recta facie, ſed inclinati ad inferiora, vel tortuosè incedendo, ſcilicet vel timore gehennæ, vel pœnæ tormentorum, vel amore commodi, vel laudis mundanæ: Illi verò, qui amore filiali Deo ſerviunt, alii ſunt recti, alii rectiores, alii rectiſſimi: recti ſunt, qui malum amore Dei declinant, & hoc eſt innocentiæ, ſeu potius juſtitiæ: rectiores qui ſerviũt in bona operatione, progrediendo de virtute ad virtutem, & hoc eſt beneficentiæ: rectiſſimi ſunt, qui ſerviunt Deo in amoris Dei continua intentione: per primam rectitudinem Virgo es, per ſecundam lampadem habes, per tertiam oleum puriſſimum poſſides, ut dicitur *Matth. cap.25.* Hæc igitur rectitudo in amore puro Dei conſiſtit, & hæc eſt perfectorum. *Sermon. 1. Dom. 17. poſt Pentec. In Thren. cap.3.*

580. *Servi Dei arare, & ſeminare debent, & poſtea ſemina rigare aquâ lachrymarum, & gratia divina.*

Effundam aquas ſuper ſitientem, & fluenta ſuper aridam: effundam ſpiritum meum ſuper ſemen tuum, &c. & germinabunt, &c. Nota quòd hæc effuſio aquæ à Deo promiſſa ſuper ſemen juſtorum præſupponit prius ipſos arantes terram cordis per confeſſionem peccatorum, & converſionem, & deinde confractionem ſulcorum, & terræ per contritionem, & poſtea ſemen jaciendum operum juſtitiæ; nec hoc ſufficit, quia debet ſemen rigari, ad quam irrigationem concurrit Deus, & anima; Deus humore gratiæ, & anima compunctione lachrymarum, & tunc germinatio perfecta conſequitur. *Ser.3. Dom. ſexageſ.* Nota etiam, quòd in teſtimonium certum iſtorum prodigiorum Chriſtus aſſumpſit Apoſtolos, & ſuos miniſtros in teſtes, & ideo ipſis ſubdit, Vos eſtis teſtes mei, ſcilicet vos eritis mihi teſtes idonei, teſtes credendorum in Chriſto, agendorum in bono, ſuſtinendorum in malo, & recipiendorum in præmio. *Ser.1.& 2. de SS. Philip. & Iacob.*

581. *In die Iudicii punientur ſimul damnati, & Dæmones: ubi de ſcandaloſis.*

Quis formavit ſculptile ad nihil utile? Ecce omnes participes ejus confundentur, convenient omnes, ſtabunt, & pavebunt, & confundentur ſimul. Nota quòd dicit, omnes participes Idololatrantium confundentur: quinam ſunt iſti participes, niſi Dæmones, qui inſtigarunt, & inſtigant homines ad præſtandum ſibi honorem Deo ſoli debitum? Ideo poſt diem Iudicii, iſti ſimul cum damnatis à Deo punientur, & in Judicio ſimul convenient univerſaliter, ſtabunt præſentialiter, pavebunt mentaliter, confundentur, & punientur æternaliter. *Sap.c.14. Ser.2. fer.4. Paſcha.* Vide etiam *in Sap.c.13.& 15.* Vbi fusè agitur de fabricantibus, & adorantibus Idola, &c.

582. *Iuſti cadunt ante, impii, & præſciti retro.*

Convertam ſapientes retrorſum, & ſcientiam eorum faciens ſtultam. Nota illud verbum, *retrorſum*, ubi agitur de Idololatris, & iniquis præſcitis, quia iſtorum caſus eſt à tergo, ubi non vident, nempe ad ſupplicia æterna, quæ ignoraverunt, vel non conſideraverunt? Juſti verò à parte ante, ubi vident, ſcilicet pericula, à quibus cavent. *Ioan.c.18. v.9.*

CAPUT

CAPUT XLV.

583. *Chriſto poteſtas ſuper totum mundum à Patre tradita eſt.*

HÆC dicit Dominus Chriſto meo Ciro, cujus apprehendi dexteram, ut ſubjiciam ante faciem ſuam gentes, &c.* Nota quòd in Ciro Rege, prout liberator fuit populi Judaici à captivitate, figurabatur Chriſtus, cujus dexteram apprehendit Pater, quia in omnibus fuit cum illo, & ipſi dedit imperium univerſale totius mundi. *Luc. c. 20. v. 43.* Et hinc ſubdit: *Ego ante te ibo, & glorioſos terræ humiliabo, &c.* quia ad adventum Chriſti in carnem humiliati ſunt ſuperbi, & glorioſi terræ, & peccatores iniqui. *Luc. c. 3. v. 5.*

584. *Divitiæ quales in nomine Chriſti Jeſu.*

Et theſauros abſconditos tibi dabo, & arcana ſecretorum, ut ſcias, quia ego Dominus, qui voco nomen tuum. Deus Iſrael propter ſervum meum, &c. Quoſnam theſauros dedit Chriſto filio ſuo Pater æternus? Sed attende, quòd dicit, ut ſcias quia ego voco nomen tuum: quodnam eſt nomen impoſitum filio? hoc eſt nomen Jeſus, in quo includitur copia omnium theſaurorum Dei, nempe majeſtas, & benignitas Divina, per quam excitamur ad timorem, & amorem ipſius, & ad ipſum benedicendum. *Luc. c. 1. v. 68. ſer. 4. de Circunciſ.* Verè magnus theſaurus eſt nomen Jeſus, & ſumma Dei myſteriorum, & ut dicit S. Bern. vas plenum Theſauris Dei.

585. *Deus Creator, & providentiſſimus in omnibus & bonis, & malis.*

Ego Dominus, & non eſt alter. Deus formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum, &c. Quomodo dicitur Deus Creator tenebrarum, & mali, cum iſta ſint privationes? Sed attende, quòd in his privationibus conſideratur ipſa privatio, & defectus, quæ in malo ſunt ex inordinatione, & defectu voluntatis noſtræ, & iſta non ſunt à Deo efficienter: poteſt & conſiderari ordinatio, quæ eſt effectus divinæ providentiæ, & hæc, cum ſit quid poſitivum, eſt à Deo ſicut & malum pœnæ: Ideo quantumcumque homo ſit malus, tamen velit, nolit ejus malitia à Deo ordinatur, & permittitur ad ſui gloriam, vel juſtitiam manifeſtandam. *l. 1. d. 36. a. 3. quæſt. 1. Ioan. c. 1. v. 3.*

586. *Deſideria, & clamores Eccleſiæ, & Sanctorum Patrum de adventu Chriſti expenduntur.*

Rorate Cœli deſuper, & nubes pluant Iuſtum: aperiatur terra, & germinet Salvatorem. Qualis eſt hæc petitio? quomodo Sancti Patres deſiderantes adventum Salvatoris petebant pluviam roris è Cœlis? Sed myſtica eſt hæc oratio, & aſſimilantes rori ipſum Chriſtum naſciturum, dant intelligere, quòd ſola operatione divina, non naturæ hoc tantum opus faciendum erat, ideo clamabant perpetuo, Rorate Cœli deſuper &c. *Op. meditat. c. 4. op. Comp. Theol. l. 4. cap. 5. Pſal. 67. & 102.*

587. *Chriſtus qualis Salvator.*

Rorate Cœli deſuper, &c. & germinet Salvatorem, &c. Nota quòd petebant Sancti Patres adventum Verbi in carnem, ut eſſet Salvator mundi; & rectè Salvatorem ipſum appellant, quia ipſe Chriſtus fuit, & eſt omnis morbi, vel infirmitatis ablator, omnis ſalutis allator, omnis ſalutem impugnantis exterminator, & omnis ſalutis allatæ conſervator, ideo meritò ſalvator noſter verè omnipotens. *Ioan. capit. 4. v. 43.*

588. *Apoſtoli Cœli rore pleni fuerunt.*

Rorate Cœli deſuper, &c. Nota verbum, deſuper: quid eſt deſuper? quid ros deſuper veniens? nonne omnis ros deſuper venit? Sed attende myſterium? ros naturalis venit quidem ex Cœlo aëreo, ſed tamen originem trahit à terra ex vaporibus cum exalationibus terræ: Ros autem, quem expectabant Sancti non erat terreus, ſed cœleſtis, quia imbuti fuerunt Apoſtoli à Chriſto: Unde Propheta deſiderans, quòd ſcientia Apoſtolorum per totum mundum diffunderetur, eos recognoſcit veluti cælos myſticos, & petebat orando, Rorate Cœli deſuper: Verè quidem fuerunt Apoſtoli Cœli rore pleni, imbuti doctrinâ cœleſti; cœli, inquam, aërei in ipſorum vocatione, quando ſcilicet à terrena converſatione elevati, maximè in die Pentecoſtes divinis laudibus, & proximorum profectibus fuerunt deputati: Aër enim à terra elevatur, & ſubſtantiæ ſuæ ſubtilitate Cœlo aſſimilatur, ſicque Apoſtoli veluti Cœli, Doctores fidei, virtutum pennis elevati, prædicationis diſcurſu per mundum univerſum circumvolaverunt, & veluti cœli aërei nunc tonantes minis, nunc pluentes doctrinis, nunc miraculis coruſcantes, ſopitorum corda in peccatis ſalubriter commonuerunt, quod & proportionaliter dici poteſt de aliis Sanctis Prædicatoribus. *Op. Eccleſ. Hier. p. 4. c. 2. & c. 5.*

589. *Ad Mariam terram benedictam Sancti antiqui oculos, & mentem converſam habebant in ſuis clamoribus.*

Rorate Cœli deſuper, & nubes pluant Iuſtum: aperiatur terra, & germinet ſalvatorem. Si iſte ros cœleſtis è Cœlo deſcenſurus erat, quomodo terram aperiendam ut germinaret ſalvatorem prætendebant? Ad quid hæc apertio terræ? Sed attende: ſciebant, quòd Verbum deſcenſurum erat in terram, & hoc petebant, ſed quia ſciebant etiam, quod Incarnatio facienda erat in Utero Beatæ Virginis Mariæ, ideo dicebant: *Rorate Cœli deſuper, & nubes pluant Iuſtum: aperiatur terra*, nempe Beata Virgo Maria, *& germinet Salvatorem*, quia recognoſcebant Mariam Cœlum Cœlorum, quod Chriſtum rorare debebat,

nubem quæ Chriſtum pluere,& terram,quæ germinare ſalvatorem debebat: Aperiatur: & quomodo? Aperiatur (aiunt) per conſenſum cordis,non per fractionem corporis, & germinet, & producat, & emittat nobis ſalvatorem, ideſt Chriſtum, qui ſalvum faciat totum mundum. Vide qualis terra Beata Virgo fuerit: quid terrâ humilius? quid terrâ utilius? Terram ſub pedibus omnes habemus, & de terra omnes vitam fovemus: Unde enim victum, & veſtitum, panem,& vinum, lanam, & linum, & hujus vitæ neceſſaria, niſi de terra, & de plenitudine terræ habemus? Similiter, quid humilius,quid utilius Maria? Ipſa denique ſua humilitate omnium eſt infima: ipſa plenitudine ſua omnium eſt utiliſſima; Vitæ namque ſpiritualis neceſſaria habemus de Maria pleniſſima terra: fructus autem, & proviſiones Mariæ ſunt opera, mores, exempla, & divina merita ſanctiſſimæ vitæ Mariæ, & ſi quid ſpei in nobis eſt, ſi quid gratiæ, ſi quid ſalutis, ab ea redundat: ô terra verè benedicta, *Op. ſpec. B. Virg. lect.7.* Terra verè beata, de cujus limo formatus novus Adam: Terra de qua orta eſt Veritas, Terra, de qua ortus eſt fructus terræ ſublimis: Terra bona, in qua ſemen cecidit,Terra fluens lacte, & melle, terra germinans herbam virentem,terra de qua oriebatur fons irrigans univerſam ſuperficiem terræ. *Op. Comp. Theol.l.4.c.11.*

590. *Væ non timentibus, & contradicentibus Deo, & Prælatis ſuis.*

Væ qui contradicit factori ſuo, teſta de ſamiis terræ, numquid dicit lutum figulo ſuo, quid facis? &c. Nota quòd hic invehit Propheta contra inobedientes Deo, & ipſum non timentes: ut autem abjiciat hunc errorem, proponit nobis Deum noſtrum Creatorem, & factorem à nobis timendum, & adorandum dicit: Væ qui contradicit factori ſuo, vel fictori ſuo: ſicut enim Vas terreum fictum à figulo jure non poteſt dicere, quid facis? Sic nec homo Deo, cui debet ſe ſubjicere in omnibus, & per omnia: Væ igitur, qui Deo contradicit, inobedienſque eſt ipſi, & Prælato ſuo. *Pſalm. 122. Sap. cap.12.*

591. *Confidentia in Deum, ſuadetur, & recordatio beneficiorum Dei.*

Ego feci terram, & hominem ſuper eam creavi ego, manus meæ tetenderunt Cœlos, & omni militiæ eorum mandavi: ego ſuſcitavi eum ad juſtitiam, & omnes vias ejus dirigam. Nota quòd hic Deus proponit plurima beneficia in nos collata, nempe creationem Cœli, & terræ, & omnium, quæ in ipſis ſunt ad utilitatem hominis: Item, & beneficiorum redemptionis, ut confidentiam in Deum nobis proponeret, & ut ad imitationem ipſius nos excitaret, quia dum dicit, quod manus ejus tetenderunt Cœlos, dat intelligere, quod ipſius manus eſt omnia efficiens, omnia largiens affluenter,& potenter,& cuſtodiens ſecurè &volenter, & dirigens, & docens mirabiliter, ut confidentes in ejus potentia, & bonitate, manus noſtras extendamus ad Dei amorem, & proximi utilitatem. *Joan.c.10.v.29. op. Eccleſ. Hier.p.4.c.5. Ecclesi.c.12.*

592. *Deus extendit Cœlos, & collocavit ſtellas in Eccleſia, ſcilicet Prælatos, & miniſtros ad juvamen univerſale mundi.*

Manus meæ tetenderunt Cœlos, & militiæ eorum mandavi. Quænam eſt hæc militia cœlorum? & quid ipſi mandavit Deus? Nota quòd ſicut Deus Cœlos fabricavit ad utilitatem terræ, & ornamentum mundi, etiam mandavit ſtellis, quæ ſunt militia Cœlorum, ut ſe Cœlis conformarent in eodem munere: Myſticè per Cœlos intelliguntur Prælati, & Doctores quos Chriſtus tetendit, ſcilicet præcepit, ut ſe oſtenderent per charitatem ad Deum, laudibus, oratione, & exercitio virtutum, & ad proximum per ſublevationem: & militiæ eorum, nempe miniſtris eorum idem mandavit, ut omnes unitim benefacerent toti mundo. *Op. Eccleſ. Hier.p.1.c.5.*

593. *Solutio captivitatis generis humani facta per Chriſtum præfigurata in liberatione populi Iudaici per Cyrum Regem Chaldæorum.*

Ego ſuſcitavi eum ad juſtitiam, & omnes vias ejus dirigam, ipſe ædificabit Civitatem meam, & captivitatem meam dimittet, non in pretio, neque in muneribus. Nota quòd hæc omnia facta ſunt ad literam à Cyro Rege, qui liberaliter, & gratis remiſit Judæos captivos ad terram eorum, & ædificavit Civitatem Jeruſalem, quod totum figurabat opera Chriſti, qui venit in hunc mundum, ædificavit Eccleſiam militantem, & omnes homines, qui captivi erant diaboli, gratis liberavit pretio ſui ſanguinis: ô qualis miſericordia, & pietas Filii Dei in nos. *Luc. cap.4 verſ.19.*

594. *Captivitas peccatoris facta à diabolo qualis, & qualiter ſolvenda, & à Chriſto ſoluta.*

Labor Ægypti, & negotiatio Æthiopiæ, & Sabaim viri ſublimes ad te tranſibunt, & tui erunt, poſt te ambulabunt vincti manicis pergent, & te adorabunt, teque deprecabuntur. Nota quòd ad literam hæc verificata ſunt, quia in reditu Iudæorum de captivitate multi de Ægypto, & aliis regionibus cum eis redierunt; & ſervi eis facti ſunt, videntes eorum proſperitatem: Myſticè dat nobis intelligere primò qualitatem humanæ miſeriæ ſignificatæ in Ægyptiis, & aliis gentilibus: per Ægyptum enim ſignificatur ſtatus luxurioſorum, qui in cæcitate morantur: per negotiatores Æthiopiæ ſignificantur avari: per Sabaim, vel Saba, quæ interpretatur captiva, ſuperbi denotantur, iſtique omnes vincti manicis, vel vinctis manibus pergunt, quia vinctis per peccatum manibus à diabolo, ad patibulum Inferni tanquam fures trahuntur: per hæc dat intelligere, quod qui cupit liberari à captivitate, debet veluti vinctus ad Deum recurrere, & ipſi oratione, & precibus ſupplex inſtare: Deus enim poſtquam ipſe vinctus eſt

in paſſione, & Cruce, libenter vinctis miſeretur, & eos libenter exaudit. *Serm.3. Dom.11. Pent.*

595. *Verbum Divinum abſcondendo ſe in humanitate, & in Euchariſtia, ſeipſum manifeſtavit, & errores infidelitatis confundit.*

Verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael ſalvator: confuſi ſunt, & erubuerunt omnes, ſimul abierunt in confuſionem fabricatores errorum: Iſrael ſalvatus eſt, &c. Nota hunc mirabilem ordinem: primò fatetur Propheta Deum abſconditum: & deinde ipſum fatetur cognitum ſalutarem, & tandem dicit, quod errorum fabricatores erubuerunt, & confuſi remanſerunt: quomodo ex hac abſconſione Dei conſequi poteſt manifeſtatio ipſius Dei, & detectio, confuſioque errorum infidelium? Sed attende ad mirabilem Dei ſapientiam: nam cum eſſet ante Incarnationem abſconditus, & ideo totus ferè mundus ſedens, & jacens in tenebris errorum, hominem tandem aſſumpſit, & abſcondendo Divinitatem ſub humanitate, & in Euchariſtia, ſe ipſum manifeſtavit, & poſt hoc errores infidelium detecti, & veritas divina manifeſtata mundo, à quo cognitus eſt verè ſalvator; ſalvator, inquam, liberalis, qui ſalvat gratanter abſque pretii impoſitione; ſalvator deſiderabilis, qui ſalvat ſuaviter ſine doloris inflictione: ſalvator ſapiens, qui ſalvat ſine ſalutis defectione: & ideo elevatus eſt in Cruce crucifixus, & quotidie elevatur ſuper Altari in Euchariſtia, ut nobis manifeſtetur ejus mirabilis ſapientia: Verè enim abſconditus, & ſimul manifeſtatus ſanctis animabus. *Luc.c.1.v.69.& c.2.v.11.& c.11.v.27.Ioan.collat.84.ſap.c.14.op.expoſit.miſſæ c.4.op.myſtic.Theol. c.2.p.2.*

596. *Qualem juſtitiam exigat à nobis Deus.*

Ego Dominus loquens juſtitiam, annuncians recta. Nota quod Deus nobis ſolùm juſtitiam loquitur, & præcipit, & ideo continuè vocat nos ad juſtitiam, ſcilicet præcepta ad obſervandum fideliter imponendo: hoc enim ſolùm à nobis exigit, quia hoc ſolum rectum eſt. *Ser.4. Dom. 16. Pent.* Et iſtæ ſunt voces ad cor noſtrum à Deo directæ, quando nos de ipſo cogitamus, quando ipſum oramus, quando in ſervitio ſuo manemus: loquitur enim tunc nobis juſtitiam, quam à nobis exigit. *Opuſc. de 7. Itiner. æternit. Itiner. 2. d. 5.* Et hinc ſubdit, *Convertimini ad me, & ſalvi eritis omnes, &c.* per quæ ſalutem, & veniam promittit. *Sap. cap.12.*

597. *Chriſto in Iudicio omnes curvabunt genu judicandi ab ipſo.*

Unde hic dicit: *Egredientur de ore meo juſtitia; quia mihi curvabitur omne genu, &c. l.4. d.47. artic.1. quæſt. 3.* Et hinc in hac vita pœnitens curvat ſua genua, & fatetur ſuas culpas ante Chriſtum, ne confuſionem æternam in alia vita cogatur ſubire. *Opuſcul. Diat. Tit.6.cap.1.*

CAP. XLVI.

598. *Miſericordia Dei in expectando peccatorem ad pœnitentiam uſque ad mortem expenditur.*

AUDITE *me domus Iacob, qui portamini ab utero meo, uſque ad ſenectam ego ipſe, & uſque ad canos ego portabo, ego feci, & ego feram, ego portabo, ego ſalvabo, &c.* Nota verba, ſigna Myſteria ô lector, & vide quàm chara, quàm dulcis, & immenſa pietas Dei noſtri in peccatores, & quæ in his dulciſſimis verbis elucet mundo: Dat autem intelligere in his verbis, quod Chriſtus in utero ſuæ miſericordiæ portat peccatorem tamquam parvulum, expectans ipſum ad pœnitentiam uſque ad ultimam ſenectutem. *Serm 3. Dom.6. Pent.* Cave ergo peccator, ne dum portaris in utero divinæ miſericordiæ, abortivus moriaris, naſci nolens ad pœnitentiam, alioquin ſepelieris, ſicut abortivus, non in terra Sancta, ſed in Inferno, cave, inquam, ne patientia Dei abutaris. Nota etiam ſequentia verba amorem intenſiſſimum Chriſti redolentia: *Ego feci,* ait Chriſtus, *hominem, ego feram pro eo, pœnam,* ego portabo, ſcilicet peccata ejus in corpore meo ſuper lignum Crucis, & ſalvabo eum à morte Inferni: ſic etiam *Ugo Card.* Alii legunt: *Ego portabo* eum velut mater filium tenellum inter brachia, & ego lactabo mea gratia, & auxiliis, &c.

599. *Peccator eſt, & vivit extra cor: pœnitens redit ad cor.*

Redite prævaricatores ad cor: recordamini prioris ſæculi. Quomodo dicit, redite ad cor? erant ne extra cor? & quomodo poterant extra cor vivere? Sed rectè hic loquitur; nam peccator ad peccatum ſe vertens, extra cor ſuum per devia vadit, ſed veniens ad pœnitentiam, in ſe revertitur per agnitionem propriæ infirmitatis. & hoc eſt de dictamine legis naturalis, cum in homine ſit tale cor, ſcilicet naturale judicatorium, per quod dirigitur ad videndum, & eligendum quod juſtum eſt, unde conſcientia naturaliter remurmurat, dictans animæ, quod mala noſtra non remanebunt impunita, hinc dicit, redite ad cor ô peccatores, redite ad Deum per pœnitentiam: & hinc Theologi docent, quod pœnitentia dictatur à lumine naturali. *Luc.c.12.v.57.& c.15.v.17. Op.collat.de contemptu ſæculi ſap.c.19.& l 4.d.22.a.2.qu.1.*

600. *Conſilia Dei ſunt immutabilia, quia tanta eſt potentia, ut velle ei ſit poſſe facere:* Unde hic dicit, *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet. Luc.c.5.v.13.*

601. Aſcen

601. *Aſcenſio Chriſti expenditur.*

Conſilium meum ſtabit &c. vocans ab oriente avem, & de terra longinqua virum voluntatis meæ &c. Quis iſta avis? & quis vir? Hic eſt Chriſtus Jeſus, qui ſemper fuit in oriente, ſcilicet plenæ cognitionis, & perfecti amoris: Avi autem comparatur, ſcilicet diverſorum generum, nempe Aquilæ propter claritatem contemplationis, Gallinæ propter affectum compaſſionis, Vulturi propter volatum Incarnationis, Paſſeri propter humilitatem ſuæ converſationis, Pellicano propter voluntariam ſuſceptionem paſſionis, Nicticoraci propter fugam mundanæ converſationis, Herodio propter rapinam factam diabolo, à quo rapuit animas ab ipſo captas dolo, & fraudibus, ipſumque expoliavit poteſtate in genus hominum: hanc avem, & virum, ſcilicet Chriſtum Pater vocavit de longinqua terra, nempe de mundo poſt decurſum triginta trium annorum ad Cælum, ut ſederet ad dexteram ſuam. *Thren. c. 3. & ſer. p. in Aſcenſ.*

CAP. XLVII.

602. *Suadetur anima peccatrix ad ſedendum in pulvere, & ad molendam farinam in mola.*

D*ESCENDE, ſede in pulvere, Virgo filia Babilon, ſede in terra, &c. tolle molam mole farinam.* Quid eſt quod ab anima Deus exigit? Ergone ſuadet artem molitoris? & ad quid? ſed attende ad metaphoram, & ad myſterium: loquitur cum Anima peccatrice, quam appellat Virginem, & ſimul Babilon ſcilicet filiam plenam, confuſione, quæ eſt Virgo apparenter, ſed verè meretrix peſſima per occultam iniquitatem coram Deo, & Angelis: loquitur & cum homine, qui videtur exterius amicus, & bonus, ſed verè eſt proditor, & peſſimus: ſicque anima talis eſt Virgo fatua non habens oleum charitatis; hanc invitat Deus ad pœnitentiam, dicens, *Deſcende, ſede in pulvere*, ideſt recogita tuam mortalitatem per mortis futuræ memoriam, quæ te ad pulverem rediget: *tolle molam*, ſcilicet ſuperiorem ſpem gloriæ, & inferiorem, nempe timorem gehennæ, & inter has duas molas contere voluntatem malam, & deſideria mala; *adde aquam lachrymarum, & mole farinam* pœnitentiam, & veram contritionem peccatorum tuorum: ſuadet igitur memoriam mortis, Inferni, & Paradiſi, per quæ anima excitatur ad pœnitentiam veram, & qui hoc non facit, non ſedet in pulvere, ſed tranſit, & in morte tranſibit ad Infernum. *Serm. 3. Dom. 10. Pentecoſt.*

603. *Revelatio turpitudinis ſuæ in confeſſione ſuadetur à Deo dicente.*

Denuda turpitudinem tuam, ſcilicet peccatorum in confeſſione: Diſcooperi humerum, revela crura, tranſi flumina, nempe confitere peccata tua ſpiritualia, & corporalia, & hoc eſt, quod exigit Deus à peccatore, alioquin revelabuntur cum ignominia in die judicii coram toto mundo: ſubdit, *tranſi flumina*, ideſt relinque actiones tuas malas, quæ veluti flumina te deportabunt ad Infernum, *Ser. 3. Dom. 10. Pent. Pſal. 9. & Ugo hic.* Sed iterum invitatur lector ad ponderandum illa verba, *Diſcooperi humerum:* Ad quid vult, ut diſcooperiat peccator humerum? Nota, diſcooperiunt r humeri, & flagellantur, quando Prælatus abſolvit aliquem ab excommunicatione, & quia, ut dicebat Origenes, omne peccatum mortale eſt excommunicatio fulminata in foro Dei contra animam, qua privatur communibus ſuffragiis Eccleſiæ, participatione meritoria ſacramentorum, & communione fidelium beatorum; hinc ut abſolutionem recipere poſſis talis excommunicationis ô peccator, ait Propheta, diſcooperi humerum, & te ſubjice Vicario Chriſti. *Sic & S. Bonav.*

CAP. XLVIII.

604. *Alii purificantur tribulationis igne, alii inquinantur.*

E*CCE excoxi te, ſed non quaſi argentum.* Quænam excoctio eſt hæc, de qua hic loquitur Propheta? & cur addit, ſed non ſicut argentum? ſed nota, Argentum in igne cum purificatur purior fit, & clarior: Dicit igitur reprobis, quod iſti excoquuntur igne adverſitatis, non ſicut argentum, quia potius rubiginem contrahunt, & non mundantur, ſed crepant: Alii enim tribulatione pejores fiunt; alii mundantur, & clariores, perfectioreſque fiunt, quia non pœna ſed cauſa martyres, & Deo charos facit. *Ser. 1. de S. Andrea. Pſal. 65. ſer. 1. de S. Laurent.*

605. *Paupertatis ſpiritus excellentia expenditur.*

Elegi te in camino paupertatis. Nota quòd electi ad paupertatem ſpiritus, dicuntur electi in camino ignis: Cur in camino ignis? & quomodo appellatur paupertas caminus ignis? ſed nota quod electi in camino proſperitatis poſtea caſſantur, quia rubiginem contrahunt, ut ſupra dictum eſt, ſed perfecti eliguntur à Deo ad æternam gloriam in camino paupertatis: *In camino* notabiliter dicit, quia ſicut in camino ignis & fumus, & calor affligit, ſic paupertas in hac valle miſeriæ hominem multum præmit, ſed in fine purificat, & ad æternas divitias adducit: Paupertas igitur eſt amanda, quia Deo chara, & animæ ſummè proficua, & per hæc patet quàm proficuus ſit ſtatus Religionis, in qua purifican-

tur animæ in cam'no ignis Spiritus ſancti. *Luc. c.7.v.23.ſer.1.de S.Mathia ſer.1.de S.Laurent.*

606. *Mandatorum Dei obſervantia multipliciter ſuadetur.*

Ego Dominus Deus tuus docens te utilia, gubernans te in viâ quâ ambulas, utinam attendiſſes mandata mea, facta fuiſſet quaſi flumen pax tua &c. O quàm hoc verum eſt, quod dicit Deus: In quibus verbis obſervantia mandatorum ſuorum ſuadetur primò ob au&ctoritatem mandantis conſiſtentem in ſumma potentia, ſapientia, & bonitate; unde dicit, Ego Dominus Deus tuus &c. Secundo ob utilitatem obſervantiæ, ideo dicit, docens te utilia quia per talem obſervantiam impetrantur divina chariſmata, & pax vera, & æterna beatitudo: Tertiò quia ipſe eſt ductor dirigens obſervatores ipſorum per vias rectas uſque ad Cœlum. *Op.de decem precept.ſer.1. Luc. c.1.v.29.& c.5.v.3.& c.11.v.1.& c.19.v.47.Ioan. collat.72.Pſal.110.c.1.v.10.& c.11.v.13. & Ioan. collat.66.*

607. *Mandatorum Dei tranſgreſſio quale malum.*

Utinam attendiſſes mandata mea, &c. Et cur hoc? quia tranſgreſſio mandatorum Dei affert ſecum, cum multiplici flagello in hac vita, & in alia pœna æterna privationem omnium bonorum gratiæ, & gloriæ. *Op. ſerm.1. de decem precep.*

608. *Qualis pax adveniat animæ mandata Dei obſervanti.*

Utinam attendiſſes mandata mea: facta fuiſſet quaſi flumen pax tua, & juſtitia tua ſicut gurgites maris,&c. Nota hanc metaphoram, quaſi flumen pax, & juſtitia ſicut gurges maris, per quam optimè exprimitur fructus obſervantiæ mandatorum Dei: nam per ipſam obtinetur pax ſicut flumen, ſcilicet continua, & abundans, nempe pax cum ſuo ſuperiore ſcilicet Deo, cum ſuo inferiore, nimirum cum carne, ſubjugando eam per frænum abſtinentiæ, & continentiæ: Item pax cum exteriore, nempe cum proximo, & ideo juſtitia erit ſicut gurgites maris, ideſt huc, illucque diſcurrens ubique: ô qualis pax digna, & deſideranda, quæ verè eſt ſerenitas mentis, tranquillitas animi, amoris vinculum, conſortium charitatis, & omne bonum. *Ioan. collat.66.*

609. *Qualis fuga, & progreſſus exigatur in converſione peccatoris.*

Egredimini de Babilone, fugite à Chaldæis: in voce exultationis annunciate, &c. Ecce quid exigitur à Deo in converſione peccatorum, nempe fuga à peccatis, & à ſtatu peccati, ideo dicit, egredimini à Babilone, ſcilicet à confuſione, in qua hucuſque morati eſtis: nam peccatum eſt maxima confuſio, & intolerabile malum, ſed hoc ad converſionem perfectam non ſufficit: ſubdit autem in voce exultationis annunciate, &c. ſcilicet in laudibus divinis, & gratiarum actione per viam juſtitiæ incedite; non enim ſufficit malum relinquere, niſi etiam opera bona ſuperaddantur. *Ioan.collat.45.*

610. *Pax qualis malorum, & qualis bonorum.*

Non eſt pax impiis, dicit Dominus. Quomodo non eſt pax impiis? nonne, & mali ſæpe vivunt contenti, & inter ſe pacifici? ſed attende, quod ſupra dixerat, quod obſervantibus mandata Dei advenit è Cœlo pax ſicut flumen continuè durans, & abundans: pax igitur iſta bonorum eſt de Cœlo veniens, & eſt tantùm hominum bonæ voluntatis; pax quidem multa ſummè deſiderabilis, quam firmat Religionis chriſtianæ ſtabile fundamentum, nempe fides, ſpes, charitas, & gratia: Pax autem impiorum eſt maledicta, ficta, & ſolùm apparens, quia ſemper in bello vivunt; videntur autem habere pacem, ſed talis pax eſt inquinata, quia eſt ad malum concordiæ; pax ſimulata, & inordinata, quia major, ſcilicet ratio, obtemperat minori, nempe carni, & talis pax deterior eſt, quàm bellum: ô caveat nos Deus à tali pace maledicta. *Op. Diet. tit.7.c.6. Pſal.45.& Op.de ſex alis ſeraph.*

CAP. XLIX.

611. *Nomen Jeſus à Deo Chriſto impoſitum ab utero.*

A*UDITE Inſulæ &c. Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus eſt nominis mei &c.* Nota quòd hæc verba dicuntur in perſona Chriſti, in quibus dat intelligere, quòd Pater recordatus eſt nominis Jeſu etiam in utero exiſtentis, ipſumque vocavit nomine ſuo, quod eſt Jeſus: Dicitur enim. *Luc. c.1. & 2. Vocabis nomen ejus Ieſum, quod vocatum eſt ab Angelo priuſquam in utero conciperetur*, tamquam à tota Trinitate impoſitum, quia eſt nomen, quod os Domini nominavit, ideo proprium Chriſti, & omni veneratione dignum. *Luc.c.2.v.21.*

612. *Sanctus Joannes Baptiſta ex utero ſanctificatus, & à Deo vocatus.*

Dominus ab utero vocavit me &c. Nota quòd hæc proferuntur in perſona ſancti Joannis Baptiſtæ, qui in ventre ſanctificatus eſt, & à Deo vocatus ad officium Præcurſoris, ut viam Domino præpararet. *Luc.c.1.v.13.& 44.& 62.*

613. *Chriſtus miſſus eſt à Patre in mundum veluti acuta ſagitta, mirabilia operans.*

Et poſuit os meum quaſi gladium acutum, in umbra manus ſuæ protexit me, & poſuit me ſicut ſagittam electam, in pharetra ſua abſcondit me. Nota, hæc ſunt verba Chriſti, quem miſit Pater in mundum, in cujus ore poſuit gladium acutum, ſcilicet verbum ſuum, ut per ipſum ſepararet

ſepararet malos à bonis, ipſum ſemper in omnibus protexit, & cuſtodivit: poſuit ipſum ut ſagittam electam abſconditam in pharetra humanitatis: ſed ad quid ipſum poſuit ut ſagittam in ipſius Incarnatione? hoc fecit, ut ſagittaret in obſcuro rectos corde, id eſt ut malos faceret bonos: hæc ſagitta eſt vulnus faciens ſine vulnere, percutiens, & ſanans, occidens, & vivificans, & hæc ſagitta ſagittat, ſive percutit prudenter, prudentiam gignens in ſagittatis, vulnerat fortiter, quia fortis eſt ut mors dilectio, occidit ſalubriter; occidit enim vitia, & vivificat, faciens hominem vivum membrum Eccleſiæ: hæc ſagitta dilectionis magnum vulnus fecit in Virgine Maria, quia acutiſſima fuit, non enim ſolùm carnem confixit, ſed & animam pertranſiit. *Pſal.* 119. Nota etiam, quod Chriſtus miſit Apoſtolos, & miniſtros, ut veluti ipſius ſagittæ & gladii impugnarent dæmones, & peccatores, & verbo ſuo transfigerent peccatores, & ad fidem converterent. *Ser.* 2. *in Converſ. S. Pauli, & ſer. de uno S. Doct.*

614. *Chriſtus manus Patris operans mirabilia in ſervis ſuis.*

In umbra manus ſuæ protexit me, &c. Quæ eſt hæc manus Dei protegens? Nota, quod Chriſtus dicitur manus, & brachium & dextera Patris, quia per ipſum operatur ad extra, protegit, & præmiat ſuos ſervos: Ideo rectè dicitur manus Dei Patris omnia efficiens, omnia largiens, ſuos protegens, & cuſtodiens ſecurè, & potenter, omnes dirigens, & ſalvans: Beatus igitur, qui ſub umbra hujus divinæ manus vivit, laborat, & operatur, ut feliciter evenit ſancto Joanni Baptiſtæ, & aliis ſanctis. *Luc. cap.* 1. *verſ.* 67. *Ioan. cap* 10. *verſ.* 29. *& ſapient. cap.* 5. *&* 19.

615. *Servorum Dei munera expenduntur.*

Et dixit mihi ſervus meus es tu, quia in te gloriabor. Ecce qualis ſit obligatio ſervorum Dei, quia in te gloriabor; & in quo? gloriabor, ait Dominus, quia ſervi mei ſe in juſtitia mea exercent, quia proximum ſuum ædificant, & Deum ſua recta intentione in omnibus glorificant. *Pſ.* 118. *c.* 5. *v.* 11.

616. *Quid operatur Chriſtus ſedens ad dexteram Patris.*

Et dixit mihi ſervus meus es tu, quia in te gloriabor: & ego dixi, in vacuum laboravi ſine cauſa, & vanè fortitudinem meam conſumpſi, ergo judicium meum à Domino, & opus meum cum Deo meo. Nota iſta verba prophetica diligenter, quia in ipſis latent maxima myſteria; nam in prima ipſorum parte continentur privilegia à Patre Chriſto conceſſa, dum dixit ei Pater, ſervus meus es tu, quia in te gloriabor: humanitas enim Chriſti aſſumpta fuit à Deo ad ejus glorificationem, dum in terris degebat, & magis in Cœlum elevata, in quo ſtatu dicit Chriſtus, In vacuum laboravi &c. & opus meum cum Deo meo: quodnam eſt hoc opus cum Deo à Chriſto aſſumptum? hoc opus eſt multiplex, nam elevatus eſt Chriſtus in Cœlum, primò ad quieſcendum poſt labores, quibus fatigatus eſt triginta tribus annis, ſerviens Patri, & nobis: ſecundò ad intercedendum pro amicis pro quibus utiliter laboravit, ideo ibi reſidet tamquam advocatus optimus, tot habens linguas pro nobis loquentes, quot vulnera pro nobis accepit: Tertiò ad conquerendum de inimicis, pro quibus vires ſuas inaniter expendit: In vacuum laboravi, ait Chriſtus, inceſſanter, & vanè fortitudinem conſumpſi: Quartò, ut locum nobis præpararet: Quintò ut fiduciam in ipſum ſperandi nobis tribueret, ut Spiritum ſanctum ad nos mittendo, in poſſeſſionem æternæ hæreditatis nos poneret: Sextò ut deſiderium noſtrum poſt ſe traheret: Septimò ut viam nobis ad Cœlum oſtenderet, ſcilicet per viam obedientiæ; Ecce opus Chriſti cum Deo Patre, & tu ô chriſtiane cave, ne de te, ſicut de Judæis, poſſit dicere, In vacuum laboravi. *Op. Comp. Theol. l.* 4. *c.* 24.

617. *Sicut Chriſtus miſſus eſt in terram ad converſionem mundi totius, ſic & ad hunc finem elegit Prædicatores.*

Hæc dixit Dominus formans me ex utero ſervum ſibi, ut reducam Iacob ad eum, & Iſraël &c. Et dixit parum eſt, ut ſis mihi ſervus ad ſuſcitandas Tribus Jacob; & fæces Iſraël convertendas, ecce dedi in lucem gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ. Nota, quòd ſicut ad litteram hæc verba appropriantur Chriſto, qui miſſus eſt, non ſolùm ad illuminationem Judæorum, ſed etiam omnium gentium totius mundi: ſic appropriantur myſtice Prædicatoribus, nã ordo prædicantium intelligitur ſub nomine unius ſervi propter unitatẽ officii, ad quod aſſumpti ſunt, & miſſi per totum mundum, ut ipſum illuminent, & ad cœnam Agni invitent omnes homines, ut ſint ſalus ipſorum uſque ad extremum terræ, ex quo relucet mirabiliter immenſa pietas Domini Jeſu Chriſti in peccatores. *Luc. c.* 14. *v.* 17. *& c.* 2 *v.* 30. *& c.* 7. *v.* 10. *& c.* 21. *v.* 47. *& c.* 5. *v.* 15. *& c.* 19. *v.* 9. *Ioan. c.* 5. *v.* 21. *& collat.* 29. *Op. de Eccleſ. Hier. p.* 1. *c.* 1.

618. *Idem oſtenditur de Chriſto, qui poſitus eſt in ſalutem noſtram.*

Ecce dedi te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ. Hæc ſunt verba Patris ad filium, qui miſſus eſt in mundum, ut eſſet ſalus Patris, ideſt ſuorum: Cum enim jaceret homo in profundo omnium miſeriarum, tum propter debilitatem impotentiæ ſuccumbentis, tum propter cæcitatem ignorantiæ deviantis, tum propter pœnalitatem miſeriæ opprimentis: hinc Pater miſit filium ſummè potentem, ſapientem, & bonum, ut eſſet ſalus noſtra per influentiam virtutis fortificantis noſtram impotentiam, ut eſſet lux noſtra ſalvans nos à cæcitate ignorantiæ deviantis per ſuperſplendentiam lucis illuminantis intellectivam, & ſalvans nos à pœnalitate miſeriarum nos opprimentium, per concomitantiam gratiæ dulcorantis affectivam, ideo benè dicebat Pater: Dedi te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea divina, non humana omnium fidelium ab extremis terræ, videlicet

ab

ab oriente fideliter incipientium, ab occidente finaliter morientium; à meridie ferventer amantium, ab Aquilone mala pœnæ viriliter ſuſtinentium, ut ſic nulli exiſtenti in aliqua extremitate terræ iſta vera ſalus ratione ſuæ ſufficientiæ deficiat, & ideo de omnibus partibus terræ multi converſi ſunt ad fidem, & maximè quibus terra eſt extrema, & poſterior, quibus cæleſtia promiſſa ſunt: ò qualis eſt iſta clementia Dei noſtri. *Ser.1. Dom.4. poſt oct. Epiph. & ſer.2. fer.2. Pent.*

619. *Lux Chriſto, Beatæ Virgini Mariæ, & ſanctis, maximè ſancto Ioanni Baptiſtæ adaptatur, licèt differenter.*

Dedi te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea uſquè ad extremum terræ, &c. Cur dicit Deus, dedi te in lucem gentium, & non potius in ſalutem gentium, ſed primò poſuit lucem, & poſtea ſalutem? ſed nota, quod inter corporea nobilior eſt lux], quia eſt naturaliter in ſummo omnium conſtituta, rerum omnium contentiva, & rerum omnium pulchrefactiva: & cum Deus immiſcuerit lucem in omnibus corporibus, non tamen in omnibus uniformiter, ſed aliter eſt in ſolari ſubſtantia, aliter in aliis ſtellis: nam in ſole eſt lux pleniſſima, & inacceſſibilis propter ſuam excellentiam: In luna eſt incomprehenſibilis propter ejus abundantiam, & in quacumque alia ſtella eſt viſibilis propter ſui temperantiam: Ideo lux ſolaris figurat Chriſtum, lunaris Mariam Virginem, ſtellaris cæteros ſanctos: Ideo ſol eſt unus, ſcilicet Chriſtus, à quo omnis lux, luna una, nempe Beata Virgo Maria, quia Mater Dei Virgo: ſtellæ tamen innumeræ aliorum ſanctorum: Unde ſicut de Chriſto dicitur principaliter, dedi te in lucem gentium, veluti ſolem; & de Beata Virgine, veluti lunam illuminantem tenebras totius mundi: ſic de ſanctis poteſt ſuo modo dici, Dedi te in lucem gentium, & præcipuè de Sancto Joanne Baptiſta, de quibus exprimitur Dei liberalitas in illo verbo, Dedi te, &c. Ipſorum ſublimitas, in illo verbo, in lucem gentium; & populi utilitas, in illo verbo, gentium: & cum ſuper omnes ſanctos poſſit hic textus applicari, non ſolùm Beatæ Virgini poſt Chriſtum, ſed etiam peculiariter Beato Joanni Baptiſtæ, ideo de ipſo dicitur, quod fuit lux per participationem lucis ſummæ, & quia veram lucem prævenit; & annunciavit, & quia prædicando, baptizando, & docendo mundum illuminavit. *Sermon.1. de Sanct. Ioan. Baptiſt. Vide ſuprà cap.42.*

620. *Chriſtus ſe exhibuit contemptibilem, & elegit ſimilem familiam, & quomodo.*

Hæc dicit Dominus Redemptor Iſraël ſanctus ejus ad contemptibilem animam, ad abominatam gentem, ad ſervum Dominorum. Quænam eſt hæc anima contemptibilis, & abominata? quis ſervus iſte? & quænam ſunt, quæ ad iſtos dicuntur? Nota quòd iſta, quæ dicuntur ſunt ſupra relata, *Dedi te in lucem gentium, &c.* ergo ad Chriſtum, & ejus ſequaces iſta diriguntur: ſed quomodo dicitur Chriſtus anima contemptibilis, & ejus ſequaces dicuntur gens abominata? Verè mirum hoc eſt: ſed attende ad mirabilem humilitatem Chriſti Jeſu: hic dicitur contemptibilis, ſcilicet ſubjectus contemptui hominum, qui neminem umquam contemptu ſit contemptus ab omnibus, & contemptibilia ſervitia nobis faciens: & ſicut contemptibilia ſunt ſervitia paſtorum portitorum; cloacariorum; ſic Chriſtus fecit ſe paſtorem ovium perditarum, & immundarum, portitoremque leproſorum, & noſtrorum onerum, & laborum, ſimulque expurgatorem cloacarum, & ſtabulorum diaboli, id eſt cordium iniquorum: ſingularis ergo illa majeſtas voluit mori, ut viveremus, ſervire, ut regnaremus; exulare, ut repatriaremur, & uſque ad ſerviliſſima opera inclinata eſt, ut nos conſtitueret ſuper omnia opera ejus. *Serm.3. Dom.4. Advent.* ſed attende, quòd ſubdit, *Ad gentem abominatam;* & hæc eſt familia Chriſti; qualis enim Rex, talis eſt ejus familia, & qualis Rector Civitatis, tales inhabitantes in ea. *Eccleſ. cap.* 10. Et cum non deceat, (ait ſanctus Bernardus) ſub capite ſpinoſo, membra eſſe delicata, ideo ſequaces Chriſti, tanquam purgamenta hujus mundi decuit eſſe: ò immenſa charitas, & humilitas Domini noſtri Jeſu Chriſti, &c. *Ugo hic.* Et ecce fructus mirabiles talis contemptibilitatis, & humiliationum: ſubdit ſacer Textus: Reges videbunt, & conſurgent Principes, & adorabunt propter Dominum, nempe converſio ad Chriſtum fiet cum tali abjectione, & humilitate Principum, Regum, & Imperatorum, ſapientum, & potentium, & hominum cujuſlibet ſtatus, & conditionis.

621. *Chriſtus à Patre exaltatus, ut exaltaret genus humanum, liberando ipſum à captivitate &c.*

Hæc dicit Dominus, in tempore placito exaudivi te, & in die ſalutis auxiliator ſum tui, & ſervavi te, & dedi te in fœdus populi mei, ut ſuſcitares terram, &c. ut diceres his, qui vincti ſunt: exite; & his, qui in tenebris, revelamini, &c. equidem captivitas tolletur, &c. Vide quàm verum ſit id, quod dictum eſt ab Apoſtolo: *Chriſtus factus eſt obediens uſque ad mortem, propter quod & Deus exaltavit illum:* Verè enim Pater filium factum hominem exaltavit, auxiliando in die ſalutis, nempe in tempore ſuæ paſſionis, reſuſcitando ipſum à morte, ſervando à corruptione, & ideo ipſum poſuit in lucem gentium, ut gentes illuminaret: In fœdus populi, ut populos Deo conſiliaret, ut diceret vinctis exite, &c. ut vinctos ſolveret, & auferret omnem captivitatem diaboli ab humano genere, ſicuti perfectiſſimè fecit. *Luc. c.4. v.19. Io. cap.11. v.1. & collat.29.* Nota etiam, quòd hæc privilegia conceſſa fuere à Chriſto ſancto Joanni Baptiſtæ, &

& ſuis Diſcipulis, &c. qui fuerunt lux populorum, & ſuo miniſterio ſolverunt captivos diaboli, &c.

622. *Felicitas ſequentium Chriſtum: Infelicitas ſequentium diabolum expenditur.*

Super vias paſcentur, & in omnibus planis paſcua eorum: non eſurient, neque ſitient, & non percutiet eos æſtus, & ſol, quia miſerator eorum reget eos, & ad fontes aquarum potabit eos, & ponam omnes montes meos in viam & ſemitæ meæ exaltabuntur. O utinam attenderent homines mundani hæc promiſſa, & experimento diſcerent, quàm felices ſint, qui verè ſectantur Chriſtum: nam Pater promiſit filio, quòd gens abominata, ſcilicet à mundo deſpecta propter Chriſtum paſcetur abundanter ſuper vias mandatorum Dei, quòd nec eſurient, neque ſitient ſequaces ejus, quia fontes Chriſti aperti omnibus conſervantur, ut ex fonte bonitatis divinæ ad abluendum exeat inceſſanter aqua divinæ gratiæ purificantis, & refrigerantis: Item aqua ſapientiæ clarificantis, aqua item è fonte miſericordiæ ſupernæ conſolationis reficientis ad delectandum: Item è fonte vitæ æternæ aqua æternæ gloriæ mundantis, & ſatiantis exeat perenniter, & affluenter, & qui biberit de his aquis non eſuriet, neque ſitiet ob earum ſuperabundantiam, efficaciam, & indeficientiam: E contra qui mundum ſectantur ſemper in egeſtate vivunt. *Ioan. collat.* 21. Et notanter dicit ſuper vias paſcentur, & non ſuper prata, & ponam omnes montes in viam, &c. quia via juſtorum, in quibus tam affluenter potantur, eſt, quæ pedibus conculcatur, nempe via tribulationum, pœnalitatum, paſſionum, quam mundani deſpiciunt. *Ugo Card. hic.*

623. *Quale gaudium in Cœlo ſuper peccatore pœnitentiam agente.*

Laudate Cœli, & exulta terra, jubilate montes laudem. Et cur invitantur Cœli, & terra, & omnes creaturæ ad gaudendum, & ad Deum laudandum? Nota quòd ſupra dixerat, *Ecce iſti de longe venient, & ecce illi ab Aquilone, & mari, & iſti de terra auſtrali*, nempe multi peccatores convertentur ad Chriſtum de omnibus partibus terræ: & ſubdit, *quia conſolatus eſt Dominus populum ſuum, & pauperum filiorum miſerebitur*: ergo tale gaudium excitatur à Deo ob converſionem peccatoris: Unde hic adverte, quòd ſolùm tale gaudium oſtenditur in converſione peccatorum, quia, *ut ait Luc. c.* 15. *majus gaudium eſt in Cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quam ſuper nonaginta novem juſtis, qui non indigent pœnitentia*: hoc autem dicitur, non quia melior ſit peccator pœnitens, quàm nonaginta juſti, ſed quia in redemptione humani generis majora operatus eſt Deus, quàm in conſervatione totius multitudinis cœleſtis, quia eſt manifeſtativum majoris potentiæ, majoris providentiæ, & ſapientiæ, & majoris miſericordiæ, ideo in hac redemptione major eſt materia gaudii, quàm in omnibus aliis Dei operibus. *Luc. c.* 15. *v.* 7.

624. *Amor Chriſti in ſuis major, quàm amor matris amantis ad infantem ſuum.*

Numquid oblviſci poteſt mulier infantem ſuum, ut non miſereatur filio uteri ſui? quaſi dicat: non poteſt oblviſci, quia intenſiſſimus eſt amor naturalis matris ad filium: ſubdit: *& ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliviſcar tui.* Vide hic qualis ſit amor Chriſti in nos tanquam matris ad tenellum filium; non enim poteſt obliviſci nos, licet aliquando videatur nos dimittere ad exercitium, ut dulcius nos poſtea conſoletur: & nota quod Chriſtus dicitur Pater in creando, ſed mater in verè nos redimendo, in qua cum anxietate, & labore nos parturivit; nec obliviſci poteſt, quia deſcriptos nos conſervat in manibus ſuis in Cruce affixis tanquam in memoriali perpetuo. *Luc. cap.* 11. *v.* 7. *& c.* 12. *verſ.* 30. *op. de* 7. *Itiner. ætern. Itin.* 4. *d.* 3. *Op. Compend. Theol. l.* 4. *cap.* 20.

625. *Chriſti vulnera ſunt littera veluti memorialia in ipſo ut in libro deſcripta.*

Ecce in manibus meis deſcripſi te: muri tui coram oculis meis ſemper. Ut oſtenderet Chriſtus ſe ſuorum filiorum non poſſe obliviſci, ut dixit ſupra, ſubdit: *Ecce deſcripſi te in manibus meis*: quaſi dicat, ſic memoriæ meæ impreſſa es ô anima, ac ſi in manibus meis eſſes deſcripta: In manibus, ait, potiùs quàm in alio membro, quia illæ ſæpius veniunt ante oculos: & muri tui coram oculis tuis, quaſi dicat, Ego cogito ſæpe de tua ſecuritate, & reparatione: Hæc ad litteram de Civitate Jeruſalem, vel de anima: Sed hic altiùs eſt recogitandum aliquod myſterium notabile: Cum enim hæc dicantur à Chriſto dat nobis intelligere, quod cum manus ſuas conſervet vulneratas, etiam ipſa ſunt veluti characteres magni, & memorialia apertiſſima, tum amoris immenſiſſimi ſui in nos, ex quibus ſalus noſtra, & ſecuritas contrahentes in animas advenit; tum etiam ex ipſis characteribus diſcamus quid nobis operandum, ut permaneamus, ſcripti in libro vitæ; tum ut in hoc libro, & hæc ſua vulnera perpetuò legamus, & apprehendamus vitam, & ſalutem. *Op. lignum vitæ: opuſc.* 25. *memorialia. Opuſcul. ſtimul. diu. amor. part.* 1. *per totum ſparſim.*

626. *Ædificiorum ſuperfluitas in Religionibus, & maximè Sancti Patris Franciſci, quàm damnoſa.*

Venerunt ſtructores tui deſtruentes te, & diſſipantes à te exibunt. Quomodò ſtructores ſunt deſtructores? ſi ſtructores, ergo non deſtructores? Sed attende, quod ad litteram promittit Deus reædificationem Templi, & Civitatis Ieruſalem, & expulſionem illorum, qui ſe opponebant tali conſtructioni, imò qui ædificatum deſtruebant: ſed myſticè utitur tali modo dicendi, copulando conſtructionem cum deſtructione, ut intelligas, quod in Eccleſia ſæpe qui deberent eſſe ædificatores, ſcilicet Prælati mali, deſtruunt malo exemplo: Diriguntur hæc etiam Religionibus profitentibus

tentibus altiſſimam perfectionem ; quibus imminet deſtructio regularis obſervantiæ, quando inter eas miſcentur ſtructores ædificiorum ſuperfluorum , & ſumptuoſorum : Væ tali Religioni, hoc enim ſignum eſt maximum relaxationis ejuſdem Religionis : Tales enim ſunt rei quintuplicis peccati , primò propter tranſgreſſionem paupertatis, in qua promiſerunt humiliter vivere : Secundò propter malum exemplum, per quod alii diſcunt ſimilia facere, & multi ex hoc ſcandalizantur : Tertiò propter inquietudinem fratrum , contingentem propter hujuſmodi ædificia, & procurationes , quia & devotio extinguitur, & diſciplina Religionis plurimum diſſipatur : Quartò propter ſpoliationem aliorum pauperum : Quintò quia ſæculares, ob tales procurationes perdunt devotionem , &c. ô caveat Deus, & elonget à noſtra religione capuccinorum tales ſtructores, Religionem deſtruentes . *Op. Determinat. quæſt. 6.*

627. *Eccleſia veſtimentum eſt Chriſti compoſitum ex fidelibus.*

Leva in circuitu oculos , & vide, omnes iſti congregati ſunt , venerunt tibi: his omnibus velut ornamento veſtieris, & circumdabis tibi eos quaſi ſponſa. Nota, quòd hæc verba diriguntur à Patre æterno ad ſuum Filium Chriſtum , in quibus prædicit, & promittit multiplicationem fidelium , ex quibus congreganda erat Eccleſia militans , & deinde dicit , quòd hæc Eccleſia erit ornatiſſimum veſtimentum Chriſti compactum ex tot filis , quot ſunt fideles , ut hinc diſcamus , quod qui per diſcordiam ſcindunt hoc veſtimentum Chriſti , peiores ſunt illis , qui dixerunt , *Non ſcindamus veſtem hanc Io. 6. 19.* Graves enim adverſarii ſunt Chriſti, qui veſtem Chriſti ſcindunt : & è contra beati ſunt, qui concordiam cum proximo ſervant. *Ser. 1. in Epiph. & Pſal. 3.*

628, *Exaltatio Crucis dominicæ multipliciter expenditur.*

Ecce levabo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo ſignum meum , &c. & ſcies , quia ego Dominus, &c. Nota quòd hæc eſt prædictio facta à Deo exaltationis Crucis Dominicæ tnam inter mirabilia opera patrata à Chriſto in Eccleſia, hoc fuit opus omnium mirabiliſſimum , nempe exaltatio Sanctæ Crucis : Dicit autem , *Ecce ego levabo manum meam* , ſcilicet , extendam manus meas ad Crucem portandam ad Calvariæ locum ſuper humeros, & ipſas in Cruce affigam, ut per contactum exaltetur illud lignum ex inſtrumento patibuli latronum factum regale vexillum : Unde ſubdit , *& exaltabo ſignum meum ad populos,* ſcilicet meam Crucem in Aëre, ut ad omnes partes terræ extendatur, & ſimul aëris natura mundaretur , qui fumo ſacrificiorum fuerat inquinatus, & hinc exaltata eſt Sancta Crux, poſtea Apoſtolorum prædicatione , & fidelium veneratione : Item in ejus inventione, & in miraculorum patratione. *Ser. in Exalt. S. Crucis. Ioan. c. 12. v. 35.*

629. *Crux ſignum miraculoſum , & virtuoſiſſimum.*

Ecce exaltabo ad populos ſignum meum: Quodnam ſignum, niſi ſignum Crucis ? & dicitur rectè ſignum Chriſti ob id miraculoſum , & ſignum exaltatum ad populos, nempe ad beneficium hominum, unde primò eſt virtuoſiſſimum : quia ſignum eſt oberrantibus ad ſemitam Cœli reductivum, & ideo in Eccleſia exaltatum eſt, ut per ipſum à Chriſto deviantes per viam perditionis, excitati redeant ad rectitudinem vitæ : ſecundò eſt ſignum , per quod Chriſtus in ipſo pendens promittit , & exhibet ſuam gratiam pœnitentibus : Tertiò ſignum eſt noſtræ impotentiæ firmativum , confortativum , & roborativum , & per quod excitamur ad fortiter pugnandum contra diabolum, mundum, & carnem, unde exaltata eſt, & oſtenſa ſancta Crux in Eccleſia , quaſi tunc dicat Chriſtus , ſicut dixit Conſtantino , In hoc ſigno vinces : Quartò eſt ſignum virtutis tantæ , quod poteſt vulneratos ſpiritualiter ſanare melius , quàm aſpectus ſerpentis in deſerto : Quintò eſt ſignum ambulantibus , & proficientibus in via ſalutis directivum , unde Chriſtus oſtendens Crucem mundo , dixit : hæc eſt via, & non eſt alia præter ipſam *Iſai c. 30.* ambulate per eam, & ad regnum pervenietis : Sextò eſt ſignum amantibus miſericordiæ promiſſivum: Septimò eſt ſignum morientibus ab hoſtibus defenſivum, & tandem perductivum ad gloriam: per quæ omnia beneficia patet Chriſti charitas, unde ſubdit, & ſcies, quia ego Dominus ſalvans. *Ser. in Exaltatione S. Crucis.*

630. *Prædicatione, & virtute Crucis Dominicæ exaltantur homines ad gratiam.*

Et afferent filios tuos in ulnis , & filias tuas ſuper humeros portabunt. Nota quòd cum de Cruce præmiſiſſet ejus magnalia, ſtatim ſubjungit de multitudine converſorum , quia prædicatio Crucis, & paſſionis multum ædificat : & dat hic intelligere, quod miniſtri Chriſti virtute Crucis portant converſos ad Chriſtum , veluti filios in ulnis , & ſuper humeros, quia virtus fidei, & dominici Sacramenti remiſſionem culparum donat. *Luc. c. 5. verſ. 27.*

631. *Per ſignum Crucis benedictiones in Eccleſia à Chriſto ordinatæ ſunt .*

Ecce ego levabo manum meam, & ad populos exaltabo ſignum meum, & afferent filios tuos in ulnis, &c. & ſcies quia ego Dominus, ſuper quo non confundentur, qui expectant eum. Nota quod in his verbis eſt manifeſta prædictio prophetica benedictionum, quas Chriſtus mundo contulit extenſione manuum ſuarum : extendit enim eas in Cruce ad benedicendum totum mundum , ſicuti in decurſu vitæ ſuæ ſæpe id fecerat voce , & manu ; ſic & quando benedixit parvulos *Marc. cap. 10.* & quando voluit aſcendere ad Cœlum benedixit Diſcipulis ſuis , levando manum dexteram ad eos benedicendum. *Sermon. 2. in die Aſcenſ. & ſermon. 1. Dom. 18. Pentec.* Et hinc ortus eſt uſus Eccleſiæ ordinantis benedictiones , maximè per ſacerdotes conferendas rebus, & perſonis : Tunc

enim dicitur Chtiſtos levate manum ſuam dexteram, ſeilicet per ſuos miniſtros ad populos: Noiandum autem, quod cum ſit aliqua benedi-ćtio.tunc fit cum prolatione verborum in Nomine Patris,& Filii,& Spiriius Sanćti, per quod fit invocatio,& confeſſio, & recognitio totius Trinitatis, & redemptionis, & Redemptoris t & in eelebratione Sacramenturum ſemper fit hoc ſignum, & nos pariter communiter ſignamus in fronte,Tum ob confeſſionem patentem fidei myſteriorum Ctucis, tum ob invocationem, tum ob virtutem Sanćtæ Crucis, & paſſionis Chriſti rebus, & nobis applicatam, maximè contra hoſtes noſtros. *Op.Expoſit.Miſſa,c.4.Pſal.112.Ioan.c.19.v.23.Luc.c.14.v.27.* Ergo in januis, in viis, in frontibus, & in mente Crucem ſcribamus, *ait Sanćtus Ioan.Chriſoſt.*

632 *Submiſſio ad terram coram Chriſto Regum,& potentium,& peccatorum quàm Deo chara in oratione, & quàm glorioſa magnificentia Crucis.*

Ecce ego exaltabo ad populos ſignum meum, &c. & erunt Reges nutritii tui, & Regina nutrica tua: vultu in terram demiſſo adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent. Ecce quanta,& qualis gloria Crucis, ad cujus exaltationem, & manifeſtationem, viſi ſunt Reges, & Principes mundi ſe ſubjici Chriſto, & tanquam nutritii ditantes Eccleſiam laćte ſuarum facultatum: (ſaxit autem Deus, ne Eccleſia nimis de boc cibo ſumat, ſibique noceat) Unde verificata eſt bæc prophetia; vultu in terra demiſſo adorabunt te,&c.(Datque intelligere, quàm Deo placeat in pœnitente humilis verecundia, & quàm in oratione proficua, ſicut legitur de publicano, qui à longe ſtabat,nec oculos ad Cœlum levare audebat,quia ut bumilis non audebat ad Deum appropinquare, ut Deus ad eum appropinquaret, nec aſpiciebat, ut aſpiceretur.*Luc.c.18.v.13.& Ugo bic.*

633. *Expećtatio fundata in ſpe in Deum, quàm Deo chara, & utilis anima.*

Et ſcies quia ego Dominus, ſuper quo non confundentur, qui expećtant eum. Quinam ſunt iſti expećtantes Deum, talique paćto ſe eripientes à confuſione? ſunt illi, qui ſpem & fiduciam ſuam totam in Deum collocant, cum ſpes nihil aliud ſit, niſi expećtatio auxilii, gratiæque Dei, & æternæ beatitudinis: beati igitur ſunt, qui ſic fiducialiter Deum expećtant,quia non confundentur, ſed experimentaliter, veluti beati, cognoſcent quid ſit Deus,ſcilicet quàm bonus, &c. *Pſal.118.c.1.v.2.*

634. *Chriſtus per Crucem ſpolia hominum diripuit à diabolo, eoſque ſibi in prædam aſſumpſit.*

Numquid tolletur à forti præda? aut quod captum fuerit à robuſto, ſalvum eſſe poterit? quia hæc dicit Dominus: equidem,& captivitas à forti tolletur, & quod ablatum fuerit à robuſto, ſalvabitur. Nota, quòd in his verbis magnalia in Cruce, & per Crucem à Chriſto operata expenduntur: cum enim fortis armatus diabolus multa cæpiſſet, & omnes homines captivaſſet, verè fortis, & robuſtus erat, ita ut nullus homo purus ipſa tollere, & diripere poſſet: Ecce quòd Chriſtus Dominus, & homo aſcendit in Crucem, & per Crucem prædatus eſt diabolum & ab ipſo abſtulit prædam hominum, quos de vaſis contumeliæ fecit vaſa miſericordiæ, quod & continuè facit per ſuos miniſtros maximè Prædicatores, quorum munus eſt diripere ſpolia à diabolo, eaque Chriſto reddere, & expellere diabolum à conſortio,& poſſeſſione hominum, non per virtutem diabolicam, vel humanam, ſed Spiritus Sanćti: *Luc.c.11 v.12.* Addit autem poſt pauca,& ſciet omnis caro, quia ego Dominus ſalvans, & redemptor tuus Jacob, quia per virtutem Crucis prædićtam manifeſtatus eſt toti mundo Redemptor.*Luc.c.2.v.38.*

635. *Cibus Iuſtorum, & cibus malorum qualis.*

Et cibabo hoſtes tuos carnibus ſuis, & quaſi muſto ſanguine inebriabuntur. Sed quænam pœna eſt hæc à Chriſto comminata? ergone hoſtes Chriſti carnibos ſaturabuntur? Sed attende, quòd hic deſcribit ſacer textus quales cibos Deus præparavit impiis in hac vita, & quales in altera vita: nam peccatores in hac vita deglutiendo peccata carnibus ſuis,ſcilicet condignis cibantur,nempe diabolo, qui eſt cibus peccatorum; vel cibantur cibis diabuli mortiferis, qui ſunt peccata, quæ verè cibi immundi ſunt, & proprii porcorum, quibus in hac vita ſaturantur à Dæmonibus, & in alia pœnis multiplicibus. E contra Chriſti ſervi ſuavibus cibis paſcuntur à Chriſto,dum ad Crucem, & ad vulnera ſalvatoris ſe vertunt, ex quibus omne triſte,lætum fit,omne grave leve, omne tædioſum amabile, omne aſperum dulce,& ſuave. *Ser.2.in die Ciner.ſer.2.fer.2.Pent.Luc.c.13.v.13.op.de perfećt.vita c.6.ſer.4.Dom.6.Pentec.*

CAP. L.

636. *Chriſtus non repudiat animam, niſi prius ab ipſa repudiatus.*

H*Æc dicit Dominus: quis eſt hic liber repudii matris veſtræ, quo dimiſi eam?* Nota, quòd hæc eſt quærimonia Chriſti contra Iudæam ad litteram ab ipſo Chriſto repudiatam, ut ſciant homines, quod ipſe non repudiavit Judæam, niſi poſt quam ipſe ab ea repudiatus eſt; & ut nobis oſtendat, quod Deus non dereliquit aliquem, niſi prius ipſe à peccatore relinquatur, & deſeratur; quia enim in peccato eſt averſio à Deo, hinc conſequenter à Deo privatur gratiâ: eſt & converſio ad creaturam, hinc & punitur incendio æterno: eſt & deordinatio à recta ratione, hinc & punitur pœna vermis. *Op.Brevil.p.7.c.6.& Centil.p.1.ſećt.6.& p.2.ſećt.1.op.Diat.Tit.1.c.1.op.Comp.Theol.l.3.c.7.*

637. *Homo*

637. *Homo deſerendo Deum ſe vendit diabolo: Ubi de mercatura hominis cum diabolo.*

Quis eſt creditor meus, cui vendidi vos? Ecce in iniquitatibus veſtris venditi eſtis. Venditi eſtis (ait Chriſtus peccatoribus; ſed à quo mercatore? In iniquitatibus veſtris, reſpondet Chriſtus, nempe vos ipſi peccando, vos ipſos vendidiſtis, quando peccaſtis: ſed cui creditori? Vendidiſtis vos diabolo. Vide igitur qualem mercaturam cum diabolo exerceat peccator: nam dæmones impii mercatores in negotiationibus hominum circumveniunt, & pro vili pretio emunt animas, quas peccatores voluntariè pro temporalibus luxuriis, aliſque vitiis vendunt, & ſe renuntiant diabolo: ô quàm infelix mercator! ô quàm glorioſum eſt, quod amittitur, quàm grave, quod mercatur, quàm vile, quod appetitur? quàm infelix commercium, fæda voluptate mercari ardorem ſempiternum. *Ser.* 1. *Rogat.*

638. *Quàm magna, quàm potens, ſimulque parvula manus Chriſti nos ſalvans.*

Nunquid abbreviata, & parvula facta eſt manus mea, ut non poſſim redimere; aut non eſt in me virtus ad liberandum? Nota illud verbum, *abbreviata, & parvula manus:* quænam manus iſta? ſed attende admirabilia à Chriſto operata in Incarnatione: nam Chriſtus dicitur manus Patris, magna quidem, quia Deus, & abbreviata, parvulaque, quia homo: in qua humanitate tam magna collocata: maxima manus, inquam, quæ cælum, & terram concludit, & quam parvulam emiſit Pater de alto, ut nos eriperet de aquis miſeriæ, & de manu dæmonum, & licet facta ſit parvula, non tamen minorata; nec abbreviata, cum de ſummo Cœlo uſque ad Infernum fuerit porrecta; nec tam parvula, cum uno raptu tot animarum millia ſecum traxerit: ô utinam uno digito hujus manus nos Deus tangeret, qui ut quinque nobis digitos exponeret, quinque foramina in carne habuit. *Sermon.* 3. *Dom.* 1. *Advent.*

639. *Hominis locus eſt Deus, Deique gratia, extra hunc locum homo eſt ſicut piſcis extra aquam: Unde ait hic Propheta.*

Computreſcent piſces ſine aqua, & morientur in ſiti: Locus enim quia eſt conſervativus locati, & aqua eſt proprius locus piſcis, ideo extractus de aqua, ſtatim moritur: ſic homo, cujus locus eſt Deus, & ipſius gratia, ſi à Deo ſeparetur, ſtatim fit mortis obnoxius: felices ergo, quorum animæ in manu Dei ſunt, infelices, quæ à Deo ſeparatæ ſunt. *Op. de Tribus ternar. peccat. cap.* 7.

640. *Iuſti, maximè Prælati ſint Cæli induti tenebris, & ſacco obſcuro.*

Induam Cælos tenebris, & ſaccum ponam operimentum eorum. Quid eſt hoc, quod hic prædicit Deus venturum poſt Incarnationem, & mortem Chriſti? Ergo Cæli induendi tenebris, & ſacco? hoc forſan erit in die Judicii? ſed attende quòd loquitur de ſtatu Eccleſiæ poſt prædicationem Evangelii; ſupra enim dixerat: Ecce in increpatione mea, & deſertum faciam mare, ponam flumina in ſiccum; ideſt mundanorum malitiam, & tribulatam idololatriam deſiccabo, & cor peccatoris, quod erat mare tempeſtuoſum per increpatoriam prædicationem Evangelii; hinc ſubdit, & induam cœlos tenebris: Iſti cæli ſunt juſti, & maximè Prælati, qui toto corde ad Deum converſi ſub ſacco, & tenebris pœnitentiæ corpora ſua cruciant, tam in paupertate victus, quàm in humilitate habitus, cæleſtes theſauros intus continent, & ſicut cæli claritas non deficit quamvis nebulis, vel nubibus obducatur: ſic nec iſtorum ſanctitas præjudicatur ob veſtes humiles, & viles, ſed potius augmentatur, & iſti ſunt maximi in Eccleſia Dei; ſicut etiam legitur de ſancto Joanne Baptiſta, qui veſtitus incedebat Zona pellicea: ô felices è contra, quando Prælati ornatis, & excedentibus veſtibus incedunt. *Op. Eccleſ. Hierar. p.* 4. *cap.* 5.

641. *Chriſtus per prædicationem ſuſtentat peccatores, ne in interitum ruant:* Unde hic dicit.

Dominus dedit mihi linguam eruditam, ideſt à vanitate, & loquacitate immunem, ut ſciam verbo prædicationis ſuſtentare laſſos peccatores. *Pſal.* 118. *c.* 8. *v.* 13.

642. *Chriſtus ab inſtanti Conceptionis à Patre didicit ſcientiam omnem, & magiſter fuit collocatus in Eccleſia omnium fidelium.*

Erigit Dominus mane, mane erigit mihi aurem, ut audiam quaſi magiſtrum: Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorſum non abii. Nota quòd hæc ſunt verba Chriſti Jeſu, qui proteſtatur ſe mane, ſcilicet in inſtanti ſuæ conceptionis erexiſſe aurem, ut audiret tamquam diſcipulus Patrem ipſi ſuam infinitam ſapientiam communicantem, ut magiſtrum, ideò benè evangelizans dicebat. *Iſai. c.* 14. *Ego à me ipſo non loquor*, & ſic factus eſt ipſe magiſter Eccleſiæ omnium Doctorum *Ioan. collat.* 60. Et per hoc dat Chriſtus nobis exemplum, quàm ſolertes, & diligentes debemus eſſe in audiendo verbum Dei ab ipſo ſanctiſſimo magiſtro, & ex ore Prædicatoris. *Luc. cap.* 21. *in fine Ioan. c.* 18. *v.* 10. *ſer.* 1. *Dom.* 11. *Pent.*

643. *Quidam aures ſuas apertas à Deo habent, quidam clauſas à diabolo.*

Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorſum non abii. Nota quòd ad apertionem auris conſequitur privatio contradictionis, & averſionis à Deo: quid ſibi vult hæc conſequentia? ſed attende, quòd diabolus conatur tenere nobis aures clauſas, ne Dei verba audiamus, ut ipſi ſimus inobedientes: Chriſtus verò è contra digito Dei, ſcilicet Spiritu ſancto inſpirante ſua dona, aperit ſuis aures, ut attente audiant ſua verba, eique obedientes in omnibus ſint: Ergo quando attentè audis, vel Dei verba

legis

legis, tunc Spiritus ſanctus aperit tibi oculos, & aures. *Ser. 1. Dom. 11. Pent.*

644. *Chriſti corporis flagellatio expenditur.*

Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus, faciem meam non averti ab increpantibus, & conſpuentibus. Nota, quòd hæc verba ſunt Chriſti, quibus deſignat, ſe voluntariè tradidiſſe in manibus inimicorum ſuorum, & ſubjeciſſe ſe omnibus opprobriis, quæ potuit invenire crudelitas diaboli, & præcipuè in illis verbis, corpus meum dedi percutientibus, deſignat flagellationem horribilem toleratam pro peccatis noſtris: Vide ergo ó anima, quomodo ſpoliatum fuit ab iniquis illud puriſſimum corpus, & ad columnam ligatum: Vide quomodo ſtat nudus coram omnibus juvenis elegans, & verecundus, ſpecioſus forma præ filiis hominum, ſuſcipit ſpurciſſimorum flagella dura, & doloroſa, caro illa innocentiſſima, & tenerrima, mundiſſima, & pulcherrima, flos omnis carnis, & totius humanæ naturæ repletur livoribus, & fracturis: fluit undique regius ſanguis de omnibus partibus corporis, ſuperadditur, reiteratur, & ſpiſſatur livor ſuper livorem, & fractura ſuper fracturam quouſque tam tortoribus, quàm inſpectoribus fatigatis ſolvi jubetur: Hìc ergo eam diligenter conſidera anima per longam moram, & ſi hic non compateris, cor lapideum puta te habere. O Domine Jeſu, quis fuit tam audax, & tam temerarius, qui te ſpoliavit? & qui illi audaciores, qui te ligaverunt? ſed qui illi audaciſſimi, qui te tam duriſſimè flagellaverunt? ſed tu ſol Juſtitiæ tuos radios ſubtraxiſti, & ideo factæ ſunt tenebræ, & poteſtas tenebrarum: omnes ſunt te potentiores; amor tuus, & iniquitas noſtra ſic te imbecillem fecerunt: maledicta ſit tanta iniquitas, pro qua ſic affligeris: flagellatus autem fuit Chriſtus flagellis Judæorum, ut deſtrueret flagella diaboli, quibus flagellat ſuos ſequaces; multos enim diabolus flagellat flagellis tribulationis, ut eos ſibi ſervire cogat: alios flagellis blaſphemiæ, alios injuriarum flagellis linguæ: contra quæ flagella, Chriſtus ſe ſubjecit flagellis tam multiplicibus, ſed heu à malis chriſtianis flagellis pejoribus flagellatur, ſcilicet blaſphemiis, & peccatis. *Op. medit. vitæ c. 76 ſer. 2. Dom. quinquag.*

645. *Chriſti faciei deturpatio in paſſione expenditur, ut diaboli ſputa in nobis tolleret.*

Genas meas dedi vellentibus, faciem meam non averti ab increpantibus, & conſpuentibus in me. Proſequitur Chriſtus ſeriem ſuæ paſſionis; hicque oſtendit deturpationem capitis, & ſuæ faciei factam ab inimicis ſuis: nam in paſſione ſua fuit tonſus capillis, & depilatus barba, & ipſum caput ſanctiſſimum alapis cæſum eſt, ſputis maculatum, arundine percuſſum, & ſpinis coronatum, & tamen faciem ſuam numquam avertit ab iſtis malignis conſpuentibus; & hoc ut ſputa diaboli in faciem animæ noſtræ jactata deſtrueret: Diabolus enim ſputum malæ delectationis projicit in animam per viſum, per verbum, per tactum: per viſum quando homo faciem ſuam non avertit, ne videat vanitatem, pro qua Chriſtus ſatisfecit: Item per contritionem innocentium, contra quod Chriſtus conſpuitur coram Caipha, qui interpretatur vomitus oris ſui: Item per tactum in violentia, contra quod Chriſtus arundine in capite percutitur. *Ser. 2. Dom. quinquag. Op. de grad. virt. c. 15. Luc. c. 22. v. 64.*

646. *Qui cum Chriſto ſtat nihil habet formidare: Ubi de exercitio præſentiæ Chriſti.*

Stemus ſimul: quis eſt adverſarius meus? Accedat ad me: Ecce Dominus Deus auxiliator meus, quis eſt qui condemnet me? Nota, quòd hæc ſunt verba Chriſti Jeſu, qui cum ab hoſtibus ſuis ſæviſſimè tractatus, & condemnatus ſit, ne aliquis exiſtimet, ipſum hæc ſuſtuliſſe ex inſufficienti virtute, dicit: Ecce Dominus Deus auxiliator meus &c. ideo invitat omnes, ut ſecum ſtent: ſtemus ſimul: Nota, dicit ſtemus, quia ſtandum eſt in acie, non cadendum: ſtemus ſimul, ait ſuis militibus, quis eſt adverſarius meus? quaſi dicat: Ubi ſum ego Jeſus ſalvator, nihil eſt timendum, quia ſum virtus portans omnia: ſtemus ſimul, quis eſt adverſarius meus? Ideſt multi ſunt, qui impugnant, pauci qui adjuvant; vos amici mei venite, ſtate mecum, non cum Diabolo latrone ſæviſſimo, à quo mecum nihil trepidare debetis. Gaudeamus igitur, qu a Chriſtus nobiſcum ſtat, & per eſſentiam, præſentiam, & potentiam, & per aſſumptæ humanitatis veritatem, & per gratiam juſtificantem, per actualis adjutorii manifeſtam evidentiam: eſt & per præſentiam in Eccleſia veram: ſtemus cum ipſo & nos, ſic enim non deficiemus ab exiſtentia, nec à gratia, & juſtitia, nec ab operis efficacia, & adverſantium malorum victoria, & tandem nec ab acquiſitione gloriæ: ó quàm hoc verum eſt, ideo omnia noſtra mala nobis obveniunt ob iſtum defectum præſentiæ Chriſti, & ſic poteſt quiſque labens in peccatum dicere: Domine, ſi fuiſſes hic Lazarus, ideſt anima mea non eſſet mortua. *Ioan. c. 6. v. 20. & collat. 52. ſer. 1. fer. 4. Paſchæ.*

647. *Peccator ſibi ipſi facit omne malum.*

Ecce vos omnes accendentes ignem accincti flammis, ambulate in lumine ignis veſtri, & in flammis, quas incendiſtis: de manu mea factum eſt hoc vobis, in doloribus dormietis. Vide quid facit peccator ſibi ipſi, nam ipſe eſt, qui peccando ignem accendit, ut in ipſo torqueatur, ipſe eſt, qui voluntariè ſe injicit in flammas devorantes, & Deus ſua manu permittente ipſum peccatorem in ſuis miſeriis affligi ſinit, ut pateat quod non aliena, ſed propria peccata ſunt quæ nobis omnia damna inferunt. *Sap. c. 5. ad finem.*

CAPUT

CAP. L I.

648. *Qui Chriſti ſequaces ſe profitentur Chriſtum imitentur.*

A*UDITE Me, qui ſequimini, quod juſtum eſt* (vox eſt Chriſti ad chriſtianos directa) *Attendite ad petram*, ideſt ad Chriſtum, unde exciſi eſtis &c. *Attendite ad Abraham patrem veſtrum,& ad Saram, quæ peperit vos, quia unum vocavi eum, & benedixi ei, & multiplicavi eum*: quaſi dicat: Vos ô Judæi, qui eſtis filii Abrahæ, & opera ipſius facite: Attendite vos chriſtiani, qui ſequelam Chriſti arripuiſtis, attendite ad hunc unum ad Chriſtum, quem poſui in Eccleſia, ut ab ipſo diſcatis, & ejus opera imitemini. *Luc.c. 3.v.8. Ioan. collat.52.* Ergo, qui Chriſti oblivіſcitur, qui ad voces diaboli attendit, qui Chriſtum derelinquit, ſequax non Chriſti, ſed diaboli eſt.

649. *Contritionis dolor vertitur in gaudium, & lætitiam.*

Conſolabitur ergo Dominus ſion, & conſolabitur omnes ruinas ejus, & ponet deſertum quaſi delitias, & ſolitudinem ejus quaſi hortum Domini: gaudium, & lætitia invenientur in ea, gratiarum actio & vox laudis. Vide quàm magnifica & affluens liberalitas Dei noſtri qui in ruinis in deſertis, in gemitibus, & doloribus promittit affluentiam gaudii, & omnium conſolationum: & hinc copulans ſimul dolorem, & gaudium, dat intelligere quòd lachrymoſæ contritionis triſtitia vertitur in gaudium lætitiæ, & exultationis propter evaſionem mortis æternæ: Unde dicit gaudium, & lætitia invenientur in ea, ſcilicet gaudium dulcorantis gratiæ obtinebunt, qui habuerint triſtitiam contritionis ſuorum peccatorum: Inſuper fugiet dolor, & gemitus mortis æternæ, quia ipſe ego Dominus conſolabor vos, remittendo omnia peccata. *Ser.3. Dom.2. poſt oct.Paſchæ.*

650. *Triſtitia doloroſæ compaſſionis de morte Chriſti vertitur in maximam lætitiam cordis.*

Attendite ad petram, unde exciſi eſtis, ſcilicet ad Chriſtum crucifixum &c. & ſubdit, *conſolabor vos &c. gaudium, & lætitia invenientur in ea.* Ex quibus vides, quòd qui ad Chriſtum crucifixum oculos mentis figunt, & de ſua paſſione doloroſam compaſſionem habent, reputant hoc maximum beneficium, quia talis dolor, vel compaſſio vertitur in gaudium, & lætitiam: Conveniens enim eſt, quod qui condolent Chriſto per compaſſionem, congaudeant cum eo per gloriæ participationem, ut qui ſunt ſocii paſſionum, ſint ſocii & conſolationum. *Ser.1.Dom. 2. poſt oct.Pent.Op.de perfect.relig.lib.2.c.36.*

651. *Iuſtis poſt tribulationes hujus vitæ ſuccedunt perpetuæ lætitiæ.*

Gaudium & lætitia invenientur in ea. Scilicet in cæleſti Jeruſalem, gratiarum actio, & vox laudis. O quàm hoc verum eſt, nam Juſti poſt tranſactas tribulationes hujus vitæ, tranſibunt ad requiem æternam, ubi eis erit ſempiterna lætitia, & gaudium, nempe duplex ſtola gloriæ corporis, & animæ, & in vocem perpetuæ laudis, & exultationis perpetuò prorumpent. *Ser.1. Dom.4.poſt oct. Paſchæ.ſer.7. Rogat. Pſal.118.c.10. v.11.ſap.c.17.*

652. *Prope eſt Chriſtus in bonum bonis, in malum malis.*

Prope eſt Iuſtus meus (ſcilicet Chriſtus ait Pater) *egreſſus eſt ſalvator meus, & brachia mea populos judicabunt.* Nota illud verbum, prope eſt, & illud, Judicabunt brachia mea, nempe Chriſtus, qui eſt brachium meum: Datque per hoc intelligere quod Chriſtus eſt ſuis, & bonis ſemper prope ad docendum, illuminandum, & adjuvandum; malis, ad puniendum, & vindicandum. *Pſal.118.c.10.v.7.*

653. *Levandi ſunt oculi ad Cœlum, & ad terram convertendi & quomodo.*

Levate oculos veſtros in Cœlum, & videte ſub terra deorſum, quia Cœli ſicut fumus liqueſcent, & terra ſicut veſtimentum atteretur &c. Nota, quòd hîc ſuadet Deus, ut ad Cœlum levemus oculos noſtros, & videamus ſub terra deorſum: quomodo ſub terra deorſum poterimus reſpicere? Item cur ad Cœlum, & ſimul ad terram deorſum præcipit, ut oculos levemus, & figamus? ſed attende quòd hic ſuadet Deus, ut oculos mentis ad Deum laudandum, & ad contemplandum ipſius Attributa levemus, & deinde ad terram ipſos convertamus, ſcilicet conſideremus in quo ſtatu ſit anima, & ad quem terminum corpus reducendum eſt, & ſubtus terram, nempe Infernum, & inde ad tempus Judicii univerſalis, in quo Cœli ſicut fumus liqueſcent &c. ſcilicet Cœlum aëreum &c.ſicque quatuor noviſſima nobis recogitanda proponuntur, ſcilicet Paradiſus, mors, Judicium, & Infernus. *Ioan. c.4.v.36. Luc.c.21.v.32.*

654. *Lex Dei impreſſa eſt à Deo in corde hominum, ligans ipſam ad obſervandum:* Unde hic dicit, *Audite me, qui ſcitis juſtum, populus meus lex mea in corde eorum. Pſal.118.c.5.v.13.*

655. *Chriſtus aſſumpſit defectus, & debilitatem naturæ noſtræ, ut nos elevaret ad ſumendam participationem ſuæ fortitudinis*, ut contraria contrariis curarentur. *l.3.d.15. a 1.q.1.* Unde hic dicit conſurge, induere fortitudinem brachium Domini.

656. *Sacramentorum efficacia expenditur.*

Qui profundum maris viam poſuiſti, ut tranſirent liberati. Ad litteram tangit tranſitum maris ab Hebræis factum per mare ſiccatum, in quo Ægyptii ſubmerſi ſunt: myſticè per profundum hoc intelligitur efficacia ſacramentorum, in qui-

bus deſtruuntur opera tenebtarum Ægypti, & conferuntur arma lucis, & dona gratiarum per quæ homo tranſit de poteſtate tenebrarum in regnum filii dilectionis Dei: Hæc efficacia ſacramentorum eſt profundum maris in quantum primò liberat à culpa, & introducit in amaritudinem pœnitentiæ; eſt profundum fluminis in quantum liberat à miſeria, & introducit in dulcedinem gratiæ, quod optimè præfiguratum fuit in filiis Iſraël, quibus exeuntibus ex Ægypto aqua diviſa eſt, & tranſierunt per medium ſicci maris: & hinc tanta virtus in ſacramentis, quorum virtute ſanatur homo à varietate deprimentium infirmitatum, & liberatur ab univerſitate miſeriarum aggravantium. *l.1.ſent. prol. & ſap. c.19.*

657. *Qui cum Deo vivit, ſecurus vivit: qui ſine Deo trepidans vivit.*

Ego ego ipſe conſolabor vos: quis tu ut timeres ab homine mortali &c. & oblitus es Domini &c. Quaſi dicat: Non eſt mirum, quod tu vivas trepidans, & tremens, cum oblitus fueris Dei tui, cum ipſum deſerueris: quis enim non timebit ſine Deo? & quis timebit, & quid pavebit, qui habet Deum conſolatorem, & defendentem ſuos ab omni malo? *Ser.6.de Apoſtol.ſap.c.15. Pſal.118.c.6.v.2.* Nota autem, quòd dicit: quis tu, ut timeres ab homine mortali, & à filio hominis, qui quaſi fenum ita areſcit? quaſi dicat: Vos, qui Deo omnipotenti ſervitis, nolite timere homines, qui poteſtatem habent tantùm in corpora, & ſolùm inferre poſſunt ſupplicia temporalia & tranſitoria: ſed ſolum Deum timete, qui poteſt & in corpus, & in animam. *Luc.c.15.v.4.*

658. *Chriſtus providit Eccleſiam Apoſtolis ad ſtabilimentum ipſius.*

Poſui verba mea in ore tuo, ut plantes Cœlos, & fundes terram &c. Nota, quòd hoc fuit præceptum datum Chriſto à Patre, ut in terra ad ipſius ſtabilimentum plantaret Cœlos, & fundaret terram, ſcilicet Eccleſiam fundaret, & ſuper ipſam Cœlos collocarer, & iſti ſunt Apoſtoli Chriſti, quibus communicavit vitam cæleſtem, & converſationem ſpiritualem, & ut veluti cæli terram Eccleſiæ innovarent verbo, & ſanctitate. *Op. Eccleſ. Hier. p.4.cap.2.*

659. *Peccator diabolo obediens ſe incurvat ſub ipſo, & fit ipſius poſſeſſor.*

Incurvare ut tranſeamus (ſic dicunt dæmones homini:) ſic, ſic inquam, dæmones quotieſcumque tentant, & aliquod peccatum proponunt, dicunt animæ: Incurvare, ut tranſeamus, ſcilicet ſuper te poſſeſſionem habeamus: Verè enim peccator diabolo obtemperans, ſe ſubmittit diabolo, & ejuſdem animæ fit poſſeſſor. *In Thren. c.1.& 3. Luc.c.4.v.6.*

CAP. LII.

660. *Chriſtus invitat continuè animam ad conſurgendum à morte ad vitam ſpiritualem.*

CONSURGE, *conſurge, induere fortitudine tua Sion, induere veſtimentis gloriæ tuæ Ieruſalem Civitas ſancti.* Nota, quòd iſtæ ſunt voces Chriſti, quibus & exterius, & interius invitatur anima ad conſurgendum de profundo peccati ad vitam ſpiritualem: Dicit autem: Conſurge, non ſurge, ideſt ſimul ſurge, nempe virtutis meæ adjutorio, ſicut legitur *Luc.c.8.* quòd Chriſtus prius tenuit manum puellæ mortuæ, ideſt extendit ſuam virtutem, & poſtea clamavit, puella ſurge adjuta hac virtute: tu ſurge, & conſurge à ſomno pigritiæ, ut operari poſſis: nam hic maledictus ſomnus aufert uſum bonæ cogitationis, ſenſum diſcretionis, bonæ operationis motum, & facultatem bonæ refectionis, & ſomnii phantaſmata vana, & phantaſias inducit: ſurge, quia ſtultum eſt ibi dormire, ubi vigilandum eſt, ibi ſtare, vel jacere, ubi eſt ambulandum, & quieſcere, ubi laborandum eſt: Conſurge iterum clamat Chriſtus, ſcilicet à frigore avaritiæ, quo totaliter terræ incumbis, terrena relinque, & faciem ad cælum erige: Conſurge iterum à cæno luxuriæ, quo corpus, & animam maculas, & inficis: Conſurge iterum à peccato gulæ, quo carnem augmentas, & ſpiritum deprimis: Conſurge, ut ſic peccatorum occaſiones relinquas, & opera pœnitentiæ amplectaris, & ut hoc ſecurè facias, induere fortitudine tua: Dicit qua tua, non aliena, induere veſtimentis gloriæ tuæ, id eſt honeſta converſatione ſanctorum operum: hæc dicit Chriſtus animæ inceſſanter, prætenditque, ut anima non ſolùm relinquat peccata, ſed elevetur à terrenis ad cæleſtia, non ſolùm per meditationem cæleſtium bonorum, ſed magis actibus ardentibus voluntatis, ut veluti flammeis ſcintillis mens purgetur efficacius, & ab amore carnalium alibi requiem inveniens, ſequeſtrata ab omnibus creatis, vivat tota Deo unita. *Ser.de S.Petro ad Vinc.Luc.cap.8. v.54. & c.15.v.20. Op.myſtic.Theol.c.3.p.4.*

661. *Iuſti ſe veſtiunt exuendo veſtibus ſuis, vel abiiciendo à ſe veſtes.*

Induere fortitudine tua, induere veſtimentis gloria tua. Quænam ſunt iſta veſtimenta gloriæ? veſtimenta gloriæ ſunt veſtimenta gratiæ, & ſanctarum operationum: ſed attende, quod ad hoc requiritur prius abjectio veſtimentorum terrenorum corporis, hocque fit corpus ſuum pro Chriſto exponendo paſſionibus, mortificationibus, & afflictionibus, quod ſi hoc feceris, facile indues te veſtimentis gloriæ Chriſti, ſic feliciter accidit Beatæ Agneti Virgini. *Ser. 2. Dom.palm.& ſer.1 de S.Agnete.*

662. *Anima ſit Civitas Chriſti Ieſu.*

Induere veſtimentis gloriæ tuæ Civitas ſancti. Nota quòd ſolùm hæc dicuntur Civitati, quæ eſt habitatio Chriſti Jeſu: & quænam eſt hæc Civitas? hæc eſt anima puta; Dicitur autem Civitas ſancti, quia ſicut Civitas materialis, ut ſit perfecta, debet eſſe primò fundata in alto, ut ad eam difficillimè aſcendatur ab hoſtibus: ſecundò ut ſit clauſa, & aquis, & foſſis circundata; Tertiò ut ſit fundata non ſuper arenam, ſed ſuper ſaxum, ut non facile diruatur: Quartò ut ſit prudenti conſilio gubernata, ne ab hoſte fallatur: ſic & anima juſta, alta ſcilicet per contemptum temporalium; clauſa per murum conſcientiæ; fortis per conſtantiam in Chriſto fundatam; & per dictamen legis divinæ gubernata, & talis perfectiſſimè fuit S. Agnes Virgo, & Matt. *Ser.1.de S.Agnete.*

663. *Prælatus incedat indutus veſtibus fortibus, & regalibus patientiæ, & exemplaris vitæ.*

Conſurge, &c.Sion, induere te veſtimentis gloriæ tuæ Ieruſalem Civitas ſancti. Nota quòd hic loquitur Civitati Jeruſalem, quæ erat Princeps Provinciarum, & ideo rectè diriguntur ad Prælatos iſta verba, ut ſe ſe induant veſtimentis pretioſis; ſed quomodo talis pompa præcipitur à Deo ipſis Prælaris? ſed attende, quod non loquitur de veſtibus materialibus, ſed ſpiritualibus; Vult enim, ut primò ſe induant veſtibus fortitudinis, ſcilicet armis patientiæ, & veſtibus exterioribus converſationis vitæ exemplaris, ut illis quaſi armis defendantur à perturbationum jaculis, & iſtis quaſi veſtibus adornentur, ut poſſint armati, & veſtiti incedere cum fructu ſubditorum. *Op. de ſex alis Seraphin. cap.8.*

664. *Diverſa conditio in terra Iuſtorum, & impiorum; illi poſſeſſi à Deo, iſti à diabolo.*

Non adiiciet ultra, ut pertranſeat per te incircumciſus, & immundus. Nota quod hæc verba myſticè ſumpta dant intelligere diſcrimen inter juſtos, & peccatores: nam diabolus, qui dicitur incircumciſus, quia ſuperfluitatem terrenorum ſemper ſuggerit, & immundus, quia luxuriæ immunditiam diligit, tranſit ſuper animam, quando ipſam ad delectationem malam conſentire inducit, & pertranſit, quando in opus malum exire facit, & ideo eos immundos, & incircumciſos faciens, eoſque ineptos ad ingreſſum cæli, quo ſolùm juſti, & mundi ſunt capaces. *Luc.c.16.v.26.& Vgo Card.aliique.*

665. *Chriſtus libenter ſuſcipit animam ſe à pulvere terrenorum, & peccati excutientem.*

Excutere de pulvere, conſurge, ſede Ieruſalem. Sic dicit Chriſtus animæ, ut conſurgat à ſtatu peccati, & ſe excutiat, & mundet à pulvere terrenorum, & peccati, ut ſedeat cum Chriſto, nempe recipiatur à Chriſto: Et nota, quòd hic dicit, excutere, ideſt te totam: & *Matth. c.10.* dixit Diſcipulis, ut excuterent pulverem de pedibus ſuis: Cur hoc diſcrimen? quia perfectis præcipit, ut tranſiliant terrena, nec ea tangant, ſcilicet ut affectum à quacumque re terrena, etiam minima deponant, quia contrarius eſt perfectioni: hominibus autem mundanis ad ſe converſis præcipit, ut excutiant ſe totos à pulvere peccatorum, quibus ſunt involuti, & iſtos Deus libenter ſuſcipit. *Pſal.47.& 76.Luc.c.4 v.19.*

666. *Peccator jumentum eſt Diaboli ab ipſo præcipuè in collo ligatum.*

Solve vincula colli tui captiva filia ſion. Vide hic quomodo verum eſt, quod peccator captivatus à diabolo eſt ipſius jumentum ligatum per totum, ſed præcipuè in collo: per totum, inquam, ligatum, ſcilicet pedibus per pravum affectum? manibus per iniquum tactum, ſed præcipuè in collo, & lingua, ſcilicet per detractionem, perjurium, blaſphemiam & per indebitum ſilentium, ne prædicet liberè verbum Dei, vel ne confiteatur peccata ſua: Ait igitur, ſolve vincula colli tui, ideſt remove peccata, quibus factus es jumentum diaboli incurvatum ex multo pondere, & oculos habens non ad Cœlum, ſed ad terram inclinatos: ô cæcitas mirabilis: permittimus, imò procuramus nos ligari funiculis peccatorum, & per conſequens jugo pœnæ, nolumus ſolvere vincula colli noſtri, donec facti ſumus impoſſibiles ad ſolvendum projecti in ignem Purgatorii vel inferni: ô quale bonum, quando Prædicator ducit aliquod ex iſtis jumentis ſolutum ad Chriſtum. *Ser.1.Dom. Palm.ſer.2. & 3.Dom.18.Pent.ſer.de animab.Luc.c.15.v.20.& ſer.1.de S.Franc.*

667. *Peccator gratis ſe vendit diabolo, & gratis à Chriſto redemptus.*

Gratis venundati eſtis, & ſine argento redimemini. Nota illud verbum, gratis: Verum enim eſt, quod peccator gratis, ſine fructu, & pro nihilo ſe ſponte vendit Diabolo, in ejuſque poſſeſſionem ſe tradit, *Ser.9. Rogat.* Subdit, & ſine argento redimemini, quia gratis ſanguine Chriſti redemptus eſt homo, & ideo copioſa dicitur redemptio. *Luc.c.1.v.68.& c.4.v.19.*

658. *Subditorum ruina advenit propter malitiam Prælatorum:* Unde dicit hic: *Ablatus eſt populus meus gratis: Dominatores ejus iniquè agunt*, dicit Dominus: quaſi dicat, ablatus eſt, ſcilicet à me ſeparatus malè vivendo, ob ſcandalum Prælatorum; grex enim perditur, quia paſtores ſubduxerunt eum, & hinc jugiter nomen meum blaſphematur. *Pſal.118.c.4.v.3.& Vgo hic.*

669. *Adventus Chriſti quale gaudium, & bonum attulit per prædicationem.*

Quàm pulchri ſuper montes pedes prædicantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis ſalutem, dicentis ſion, regnabit Deus tuus. Ecce quomodo hic prædicit Propheta adventum Chriſti in carnem, effectuſque ipſius adventus, dicens; quàm pulchri ſunt, ſcilicet admirabiliter pulchri ſuper montes Eccleſiæ pedes, ſcilicet greſſus Chriſti venientis in mundum, annunciantis omnia, quæ

ad divinam reconciliationem, noſtri meliorationem, & æternam ſalvationem pertinent: Annunciavit enim pacem contra Dei offenſam, bonum contra animæ maculam, & ſalutem contra æternam pœnam. *Ser.2.Dom.2. Adv. Luc.proœm. & c.3. v.18.* Nota autem, quòd dicitur: Pulchri ſunt pedes: cur ſolùm pedes? quia per hos ſignificatur promptitudo obedientiæ, ob quam venit evangelizare doctrinam cæleſtem mundo, & ut Prædicatoribus daret exemplum talis obedientiæ exemplaris, quam debent præmittere prædicationi. *Luc.c.15.v.22.*

670. ***Prædicatores non ſolùm levare manus, & capita, ſed & vocem ad Deum debent.***

Vox ſpeculatorum tuorum: levabunt vocem, ſimul laudabunt. Nota, iſti ſpeculatores ſunt Prædicatores ſpeculantes myſteria ſacræ ſcripturæ, ut ipſa auditoribus proponant, & excitent ad Dei laudes: Iſti debent levare manus exemplorum, caput & oculos ad divinam gloriam, & vocem in prædicatione. *Luc.c.25.v.28.*

671. ***Gaudium commune beatorum in Dei laudibus, & ſimul etiam fideliter credentium in hac vita expenditur.***

Vox ſpeculatorum tuorum, ſimul laudabunt, quia oculo, ad oculum videbunt, cum converterit Dominus ſion: gaudete, & laudate ſimul deſerta Ieruſalem, &c. Nota, quòd hæc dicuntur de beatis ſpeculantibus facie ad faciem Deum: Paradiſuſque appellatur deſertum, quia deſertum fuit à rebellibus Angelis: qui ergo deſerta, manſioneſque Cæli habitabunt, cum Angelis ſimul Deum perpetuo laudabunt: Cum enim tranſierit gemitus, mox una in voce, uno in populo, in una patria erimus millia hominum conjuncta in pſallentibus Angelorum Choris cæleſtium perpetuò in una Civitate viventium, ſimul omnes Deum videbunt, & à ſingulis nobis videbitur in nobis, & ab altero in altero: ô qualis felicitas erit beatorum in illa Civitate, quæ privilegia tanta etiam proportionaliter fidelibus Eccleſiæ militantis participantur mediante lumine fidei, in cujus virtute videtur Deus, & excitatur anima ad Deum inceſſanter laudandum. *Pſal.118.c.8. v.11.ſer.2.fer.4.Paſcha Ioan.c.1.v.31.Luc.c.2.v.31.*

672. ***Iuſti in judicio videbunt Chriſtum hominem in bonum, impii in malum.***

Paravit Dominus brachium ſanctum ſuum in oculis omnium gentium, & videbunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri. Quodnam eſt hoc brachium ſanctum Dei? & quomodo paratum, & quando? ſed nota, quòd ut ſuprà dictum eſt, hoc brachium ſanctum à Deo paratum eſt Verbum Patris miſſum in mundum per Incarnationem: hoc brachium expoſuit Deus Pater ad redemptionem generis humani, & factum caro videbitur in Judicio ab omnibus ſecundum humanitatem; à bonis quidem ſecundum Divinitatem, & humanitatem in ſalutem, & gaudium; à præſcitis verò tantùm ſecundum humanitatem, ſed in majorem pœnam, & afflictionem. *Sap. c.3.ad finem.*

673. ***Chriſtus exivit à Patre, & venit in mundum, ut nos exeamus de mundo, & ad Patrem ambulemus.***

Et videbunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri: recedite recedite, exite inde, pollutum nollite tangere, exite de medio ejus: mundamini, qui fertis vaſa Domini. Nota ordinem verborum Spiritus ſancti, prius enim exprimit Incarnationem Verbi, per quam Chriſtus ſe viſibilem reddidit, veniendo à Patre in mundum, poſtea ſubditur, recedite, &c. exite de medio ejus; Unde recedendum, & ubi exeundum? ſed attende, quòd prætendit docere, quid nobis faciendum ſit, ut reſpondeamus tanto beneficio Incarnationis Dominicæ, nempe quòd ſicut Chriſtus dixit: Exivi à Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem *Io. c.16.* Sic vult, ut tu exeas de Ægypto mundi, de mala voluntate, mundi vitia, rapinas, luxurias, uſuras, invidias, &c. relinquendo, & veni ad illum, qui illuminat omnem hominem. *Ser.2. Dom.4. Adv. & Pſal.28.*

674. ***Qualem munditiam exigat Deus in miniſterio Altaris.***

Exite inde, pollutum nolite tangere, exite de medio ejus, mundamini, qui fertis vaſa Domini. Ecce quòd poſt expreſſionem adventus Chriſti in mundum, per quod adventus in carnem, & in Sacramento Altaris exprimitur convertit ſe Propheta ad miniſtros Altaris, docens, quid ab ipſis agendum, ut ipſorum miniſterium acceptabile fiat Deo: *Exite de medio Ægypti, culpas & peccata exuite* (ait) *mundamini, qui fertis vaſa Domini*, ut videas, quòd Altaris miniſterium ob reverentiam corporalis præſentiæ ſalvatoris, mũditiæ, reverentiæ, diligentiæ, honeſtatis, & circumſpectionis ſtudium ſpeciale requirit; munditia autem hæc, quam exigit Chriſtus eſt ſpiritualis & corporalis, ſpiritualis eſt purgatio animæ ab omni peccato per confeſſionem, & contritionem: munditia autẽ corporalis exigitur etiam in ipſis miniſtris, & paramentis: reverentia etiam exigitur in miniſtris tum in ordine ad ſacerdotes, tum ad res tangendas, & in utriſque diligentia ſumma, honeſtas, & circumſpectio in omnibus ſervanda eſt. *Op.ſpec.diſcipl.p.1.c.17.* Nota autem, quòd ſicut in lege veteri tria genera hominum excludebantur ab eſu Agni, ſcilicet incircumciſi, alienigenæ, & immundi; multo magis excluduntur ab Altari incircumciſi, ſcilicet accedentes irreverenter ad communionem: Alienigenæ, nempe infideles; & immundi, nimirum habentes peccatum mortale. *Op. Comp.Theol. l.6. c.17. & l.4.d.24.p.2.dub.5.* Nota etiam, quòd cum munditia, & ſanctitas exigatur à Deo in miniſtris Altaris, & cum ſanctitas, vel ſanctificatio præcipuè conſiſtat in communione, hinc Eccleſia occidentalis præcipit, ut in miniſtris, qui immediatè inſerviunt Altaris ſacrificio, ut ſunt ſubdiaconi, Diaconi, & ſacerdotes, connectatur votum caſtitatis, & ideo iſti ordines dicuntur ſacri, inferiores autem non ſacri, non ratione ſui, ſed ratione myſterii, ad quod requiritur ſanctitas in miniſtro. *L.4.d.24.p.2. a.2.q.1.& l.4. d.37.a.1.q.1.& 2.& 3.*

675. *Miniſtri Altaris ſint vaſa munda, & pretioſa.*

Mundamini, qui fertis vaſa Domini. Cur exprimit miniſtros Altaris ex officio portationis vaſorum Domini, & non per aliud munus? Reſpondet Gloſa, quia prætendit ſuadere miniſtros ipſos ut ipſi ſint vaſa Domini ſacra, & munda: mundamini (ait) qui fertis vaſa Domini, ideſt vos ipſos, in quibus eſt Dominus, mundamini vos ipſos, ut ſitis vaſa elevata à terra per contemptum rerum terrenarum, vaſa clara, & luminoſa per donum ſapientiæ, & tale vas fuit in ſummo gradu D. Paulus. *Ser.2.in converſ. S.Pauli.*

676. *Prælatorum obligatio expenditur*

Mundamini, qui fertis vaſa Domini. Nota quòd D. Gregorius dicit, quod qui ferunt vaſa Domini ſunt Prælati, & Rectores, qui ferunt vaſa Domini, proximorum ſaluti incumbendo, & ad æterna ſacraria perducendo animas Domini Jeſu ſanguine ſuo emptas, unde apud ſemetipſos debent conſpicere quantùm debeant mundari, qui ad æternitatis Templum vaſa viventia in ſinu propriæ actionis portant; debent enim eſſe manus mundæ, quæ diluere ſordes aliorum debent & hoc ne tacta quoque deterius inquinet, ſi ſordida lutum ſervet, ideo dicitur: Pollutum nolite tangere: Debet igitur Rector animarum in omnibus virtutum exemplis præcedere ſubditos, ut ſint & verbis, & factis cæteris norma vivendi: ſit præditus admirando patientia, humilitate ſtupenda, charitate ardenti, ſobrietate eximia, & ſublimi devotione, quibus & ſimilibus virtutibus Rector ſibi commiſſos exhortationibus, monitis, exemplis efficacibus efficiat, & attrahat magis, quàm invitos cogat. *Op.de ſex alis ſeraph.c.6.& 7.*

677. *Servorum Chriſtum ſequentium qualis perfectio.*

Ecce intelliget ſervus meus, exaltabitur, & elevabitur, & ſublimis erit valde &c. Nota, quòd ad litteram hæc verificantur in ſummo gradu de Chriſto, & conſequenter de Chriſti ſervis, qui ipſum ſecuti, & imitati ſunt, ut fuerunt Apoſtoli, & præcipuè Beatus Joannes Evangeliſta: Ecce (ait) intelligit ſervus meus nempe intelligentia clara, & limpida per virtutem fidei; elevabitur, nimirum cælica, imò deifica converſatione: exaltabitur exceſſiva, & extatica dilectione in affectu: ſublimis erit valde ſuſpenſiva contemplatione in intellectu, ſicque tranſcendet omnia corporalia, & ſeipſum, & Choros etiam Angelorum: Ad hæc omnia ſanctus Joannes elevatus eſt. *In Ioan. proœm. Pſal. 118. capit. 3. v.6.*

CAP. LIII.

678. *Chriſti Nativitas à Propheta prædicta, aliaque ad hanc materiam ſpectantia.*

DOMINE *Quis credidit auditui noſtro, & brachium Domini cui revelatum eſt? & aſcendet ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti.* Nota, quòd hæc verba ſunt difficultatibus pluribus involuta, unde Judæus quidam hæc legens, nec intelligens projecit librum, & maledixit Iſaïæ, quod talia verba diceret: & hinc Propheta loquens de adventu meſſiæ, primò incredulitatem Judæorum circa hoc myſterium proponit, dicens: quis credidit auditui noſtro? ſcilicet pauci credent ea, quæ audivimus à te: Et brachium Domini cui revelatum eſt? Brachium Dei eſt Filius, per quem fecit omnia, & omnia continet, & omnes amplexatur, & oſtendit ſuam potentiam, ſapientiam, & bonitatem in nos: hic aſcendet ſicut virgultum &c. ideſt naſcetur ſine opere humano ex Virgine Maria, quæ fuit terra benedicta, ſitiens, ideſt non fæcundata opere humano, & ſicca fomite concupiſcentiæ. *Luc.c. 11. v.20. & c. 15. v.20. & c.20. v.17 & 44. Ioan.c. 10.v.29. & c. 12.v.34. & 38. ſer.19.Hexam.Pſal.118.c.6.v.7.*

679. *Chriſti humilitas in paſſione expenditur.*

Non eſt ſpecies ei, neque decor, & vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſideravimus eum deſpectum, & noviſſimum virorum, virum dolorum, &c. Nota quòd Propheta deſcribit in hoc capitulo Chriſti Nativitatem, ut ſuprà dictum eſt, ejuſque acerbiſſimam paſſionem, quam ipſe cum cæteris Prophetis vidit in ſpiritu, & pro ſalute mundi deſideravit: & primo loco proponit humiliationes Chriſti tamquam fundamenta cæterarum virtutum, & operationum ſuarum: Ait igitur, non eſt ei ſpecies, neque decor, nempe ſecundum opinionem Judæorum, quia humiliatio ejus fuit omnium maxima, humiliavit enim ſe uſque ad Præſepe animalium, & ſe ſubjecit paſſionibus, & contemptui omnium: ergo ſi Chriſtus ſic humiliatus eſt, quis hominum audet plus contra eum ſuperbire? ſi tantum ſe humiliavit Dei brachium, & poteſtas, ſuperbire quomodo audebit humana infirmitas? *Ser.4. de uno Confeſſ.Pſal.50.& 68. Luc.c.2. v.12. & c.17. v.25.* Attende igitur humani cordis ſuperbia, quæ opprobria refugis, & ad honores aſpiras, quis eſt, qui ingreditur habens imaginem quaſi Regis, & nihilominus ſervi deſpectiſſimi confuſione repletus? Ipſe eſt Rex tuus, & Deus tuus, qui quaſi vir leproſus, & noviſſimus virorum æſtimatus eſt, ut te ab æterna confuſione eriperet, & ſuperbiæ peſte ſanaret: Væ igitur ſemel his, & væ iterum, qui poſt tam clarum humilitatis exemplum, ſuperbiâ tolluntur in altum,

rurſus oſtentui habentes filium Dei, quem tantò amplius ab hominibus omni honorificentia dignum, quantò magis pro hominibus indigna ſuſtinuit. *Op. lign. vitæ, tit. Ieſus ſpinis. op. medit. vitæ c. 76. & 86. ſer. 1. Converſ. S. Pauli. ſer. de Apoſtol. op. de perfect. vitæ c. 2.*

680. *Chriſtus à Iudæis projectus in mare paſſionis acerbiſſimæ.*

Vidimus eum deſpectum, projectum, & abjectum legit Textus hebræus. Sed quo eſt projectus, & abjectus? projectus, & abjectus in profundum maris, & fluminis paſſionis: Rectè enim mari comparatur paſſio Chriſti propter pœnalitatis amaritudinem, & flumini propter charitatis dulcedinem: Dulciſſimum enim cor Ieſu Chriſti tanta circa nos afficiebatur teneritudine amoris, ut non videretur ei grave pro nobis ſuſtinere extremum, & acerbiſſimum genus mortis: Verè profundum fuit hoc mare, non habens terminum, nec fundum. *l. 1. prol.*

681. *Chriſtus vir dolorum oſtendit nobis acerbiſſimam ſuam paſſionem.*

Vir dolorum. Quid eſt, *vir dolorum?* Dicitur Chriſtus vir dolorum, ad deſignandam abundantiam dolorum in ipſo, & ad oſtendendam gravitatem ipſius paſſionis, deſignat enim, quod Chriſtus paſſus eſt paſſione generali, quia fuit ſecundum omnia membra, & partes corporis, item paſſione acerba, & maxima ratione inteoſionis propter optimam diſpoſitionem patientis, tum propter ejus innocentiam, tum propter honoris ejus excellentiam tum propter ignominiam multiplicem, cui ſubjectus fuit *Op. Comp. Theol. l. 4. c. 19. In Thren. c. 1. op. de perfect. vitæ c. 6. Vide l. 3. d. 16. a. 1. q. 1. & 2. & 3. ubi pulcherrima ad hanc materiam &c. Vide Centiloq. part. 1. ſect. 31.*

682. *Chriſtus omnes languores, & dolores noſtros in ſe tulit, & portavit.*

Verè languores noſtros ipſe tulit &c. Nota illud verbum (*Verè*) quia valde incredibile videbatur, quòd tanta majeſtas ad tantam veniret humilitatem, ideo Propheta quaſi iurando ait, *Verè:* languidum erat genus humanum à planta pedis uſque ad verticem, & languores iſti ad ſeptem capita præcipua, ſecundum ſeptem vitia capitalia reducuntur, quos omnes in ſe ſumpſit Chriſtus: leproſum enim fuit genus humanum per ſuperbiam, paralyticum per invidiam, febricitans per iram, languidum per accidiam, hidropicum per avaritiam, lunaticum & epilepticum per gulam & ebrietatem, & ſanguifluum per luxuriam: Chriſtus autem, ut à primo morbo nos ſanaret, ad modum leproſi voluit tractari, ſcilicet cum horrore tractari, ejici ab hominibus, relictus ab omnibus amicis: Paralyſis aufert motum & ſenſum, & Chriſtus voluit ligari, conſpui, & alapis cædi: febris totum corpus, & maximè caput dolere facit, & Chriſtus per totum corpus voluit flagellari, in capite ſpinis coronari, & cæteros languores ſuper ſe ſuſcipere, ut noſtros omnes curaret. *Ser. 1. & 2. Paraſceve & ſer. 2. in Cœna Dom. ſer. 4. Dom. 12. Pent. ſer. 3. Dom. 13. Pent. ſer. 1. Converſ. S. Paul. & l. 1. in prol. Pſal. 50. Comp. Theol. l. 4. ca. 7. op. de perfect. vita c. 2. & 6. ſer. 2. Hexam. Luc. proœm. & c. 5. v. 15. & c. 7. v. 21.* Addunt hic alii Doctores, quòd cum Propheta dicat, *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit*, & cum Chriſtus ſit caput omnium hominum, ipſe vere aſſumpſit in ſe omnes dolores, & pœnas æqualiter omnium membrorum, & prædeſtinatorum, & præſcitorum, & animarum exiſtentium in Purgatorio, cum omnes ſint ejus membra, & ideo pœnæ Chriſti fuerunt inexplicabiles, atque intolerabiles: quibus ſic ſtantibus perpende ô anima quales dolores patiebatur Chriſtus, dum videbat & prævidebat veluti ſibi præſentem ſeparationem futuram, vel temporaliter, vel æternaliter ſuorum membrorum propter peccatum mortale: Certè majorem quàm ſi corporaliter abſciſſum eſſet brachium, vel aliud membrum: ô charitas Dei noſtra quanta & qualis. *Vide l. 3. d. 16. a. 1. q. 2. & 3.*

683. *Pœnas peccatorum noſtrorum Chriſtus in ſe ſuſcepit, & pro nobis ſatisfecit.*

Ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra; ſcilicet propter iniquitates noſtras delendas, & ſcelera noſtra purganda pœnas ipſorum in ſe aſſumpſit: ſed hic movetur dubium: ſi Chriſtus aſſumendo pœnas debitas peccatis noſtris, ſatisfecit Patri, ad quid homo aſſumit novam pœnitentiam? Reſpondetur; quòd Chriſtus aſſumendo in ſe pœnas debitas noſtris peccatis ſatisfecit de toto rigore juſtitiæ, & ſic meruit nobis remiſſionem peccatorum, juſtificationem, & apertionem portarum Paradiſi, & per hoc liberavit nos à pœna oppreſſiva, ſcilicet meruit, ut pœna peccatorum non nos opprimeret æternaliter, nec in nobis prævaleret, non verò à pœna promotiva, in qua exercetur patientia, & pietas, & ad hanc ſuo exemplo animat, & animando facit, ut nos in ipſam prævaleamus, & meritum acquiramus, unde quoad ſufficientiam ſatisfecit, ſed quo ad efficaciam requiritur noſtra cooperatio, ejuſque imitatio. *L. 3. d. 19. a. 1. q. 2. ad 1. & q. 4. corp. & ad 2.*

684. *Paſſio Chriſti tollit ſeptem vitia capitalia.*

Ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra, ſcilicet ad tolerandas iniquitates noſtras, & ideo paſſio Chriſti in Cruce fuit aſſumpta ad tollenda ſeptem vitia capitalia: tollit enim ſuperbiam capitis inclinatio, per quam videbatur titulum Crucis fugere, in quo ſcriptum erat Rex Judæorum: invidiam, brachiorum extenſio quaſi ad amplexum invitans: Avaritiam, erogatio bonorum, quæ in paſſione, & in Cruce, & ex Cruce tradidit, nempe carnem in cibum, ſanguinem in potum, animam in pretium, aquam lateris in lavacrum, veſtem crucifixoribus, corpus diſcipulis, matrem Joanni: Accidiam feſtinatio ad paſſionem: Iram mollis reſponſio: Gulam felis, & aceti potatio: Luxuriam lateris vulneratio. *Op. Comp. Theol. l. 4. c. 20.*

685. *Chriſti*

685. *Chriſti paſſionis effectus expenduntur.*

Diſciplina pacis ſuper eum. Quid eſt diſciplina pacis? *Diſciplina pacis ſuper eum*, ideſt ille diſciplinatus, & punitus, & nos repropitiati, per quod tanguntur effectus mirabiles paſſionis Chriſti: Dat enim Propheta intelligere, quòd ex paſſione Chriſti infinita bona nobis proveniunt: primò enim debilitavit virtutem dæmonum, ſpoliavit Infernum, pacem dedit inter Deum, & hominem, & Angelum, & hominem: vivificat ſpiritualiter: armat contra hoſtes: à culpa revocat, reſerat cœlum, & tandem omnia bona nobis meruit. *Op. Comp. Theol. l.4. cap.20.*

686. *Chriſtus in Cruce liber diſciplinæ noſtræ.*

Diſciplina pacis ſuper eum. Quænam eſt hæc diſciplina, vel doctrina? quia Chriſtus paſſus eſt pro nobis, relinquens ſeipſum exemplar, & librum in pulpito Crucis, ut legamus, & diſcamus in eo, obedientiam, patientiam, humilitatem, & charitatem: Ideo ad hoc ponuntur & exponuntur imagines ſalvatoris, & ut diſciplinam chriſtianam in ipſis diſcamus, & pacem internam acquiramus, ſcilicet dum anguſtiaris, dum præmeris, dum tentatione pulſaris, aſpicias Chriſtum in ligno pendentem pro te, & reſumas vires, & de hoſtibus triumphes, & pacem cordis acquiras. *Op. Comp. Theol. l.4. c.20. & ſer.4. de uno Mart.*

687. *Chriſtus paſſione ſua paravit nobis Euchariſtiæ Sacramentum.*

Attritus eſt propter ſcelera noſtra. Quomodo attritus? ergone in pulverem redactus? ſed attende ad perbellum myſterium: Chriſtus erat granum frumenti natum in Ventre Beatæ Virginis, in flagellatione trituratum, & contritum in mola crucis, & igne paſſionis coctus, ut nobis ſeipſum exhiberet panem vitæ in ſacramento Euchariſtiæ: & hinc præcipitur nobis, ut quotieſcumque hunc panem manducamus, memoriam Dominicæ paſſionis in ſacrificio miſſæ habeamus. *Ser.4. in Cœna Dom. ſer.4. in Vigil. Nativit. ſer.3. Dom.4. quadrag.*

688. *Chriſtus venit ut paſtor ad reducendum oves errantes ad ſe.*

Omnes nos quaſi oves erravimus, unuſquiſque in viam ſuam declinavit, & poſuit Dominus in eo iniquitates omnium noſtrum. Vide ad quid venit Chriſtus in mundum: nam omnes homines erant veluti oves errantes per devia declinantes in viam ſuam, ſcilicet in voluntatem propriam ab incommutabili bono, & converſi ad creaturas, & ſic in tali ſtatu peſſimo remanſerunt, donec veniret paſtor quærens omnes iſtas oves, & ſuſtollens eas in humeros ſuos, ſuper quos poſuit Pater omnes iniquitates noſtras, ut pro ipſis ſatisfaciendo, reduceret oves ad cauſam ſuam. *Pſal.118. c.10. v.13. & c.11. v.16. Luc.c.15. v.4. & c.22. v.22. ſap.c 5.*

689. *Chriſtus tamquam ovis ad occiſionem ductus tamquam Agnus obmuteſcens in paſſione, & fortiter clamans in morte expenditur.*

Tamquam ovis ad occiſionem ductus, & ſicut Agnus coram tondente ſe obmutuit, & non aperuit os ſuum. Ecce quomodo Propheta deſcribit paſſionem Chriſti verbis expreſſis, quem in paſſione rectè comparat ovi ad occiſionem ductæ, & Agno coram tondente obmuteſcenti: & rectè dicitur avis, ratione tractabilitatis, & patientiæ, Agnus ratione puritatis, & innocentiæ, cujus ratione peccata mundi tulit, undè ſequitur, pro eo, quod tradidit in mortem animam ſuam, & cum ſceleratis deputatus eſt, & ipſe peccata multorum tulit, & pro tranſgreſſoribus oravit: Ductus autem fuit ad occiſionem tamquam infirmus, non tamquam involuntarius, ſed humiliter ſic permittens, ablatus eſt enim, quia ſic voluit, ut impios manſuetudine, & patiencia vinceret, & ſuos ſequaces ad idem excitaret, & ideò voluit cum ſceleratis occidi propter exemplum humilitatis, tum quia in medio duorum latronum ſignificantium populum Judaicum, & Gentilem, voluit pati pro ipſis. Nota etiam, quòd dicitur: *ſicut ovis &c.* quia ſicut ovis ad lignum ſuper foveam profundam ligatur, ut Leæna currens ad prædam cadat in foveam: ſic Chriſtus veluti ovis ligatus eſt ad lignum Crucis, ut ſuperbus tranſgreſſor ad gratiam Crucifixi currens, cadat in foveam pœnitentiæ: Nota etiam quòd cum in paſſione velut Agnus obmutuit, moriendo tamen magnam vocem emiſit, ſimulque lachrymas, ut hac voce omnes excitaret ad pœnitentiam: quam vocem tamen multi nolunt audire, duriores lapidibus, qui in ejus morte ſciſſi ſunt, & etiam ut in lachrymis intelligatur vera humanitas, & in clamore vera Divinitas. *Ser. Dom. quinquag. ſer. 3. in cana Dom. ſer.3. Dom.4. Pent. op. medit. c.75. Luc. c.2. v.24. & c.4. v.5. & c.10. v.3. & c.13. v. 32. & c.18. v.32. & c.22. v.25. & c.23. v.9. & 33. & 46. Ioan. c.12. v.37. & c.14. ad finem. & collat. 8. Pſal. 48. & 94.*

690. *Nativitas Chriſti divina, & humana expenditur.*

De anguſtia, & de judicio ſublatus eſt. Scilicet de paſſione, & judicio iniquo liberatus eſt Chriſtus in Reſurrectione: ſubdit Generationem ejus quis enarrabit? Ad quid ſubditur Chriſti generatiò poſt mortem ipſius? ſed nota, quòd poſt mortem alicujus magni viri, conſuetudò eſt, ut epitaphium inſcribatur: ergo Propheta, qui locutus fuerat de morte, excuſat ſe de epitaphio, quaſi, dicat: Ad hoc inſufficiens ſum, quia generationem ejus quis enarrabit, ſcilicet generationem ejus divinam enarrare impoſſibile eſt: humanam difficillimum eſt: ſic enim ſonat illud verbum, quis: prima ergò nativitas nobis occulta quantum ad modum, licet manifeſta quantum ad factum. *Ser. 2. in Epiph. Op. Comp. Theol. l.1. c.4. & l.4 c.11. Luc. c.10. v.24. Ioan. c.7. v.27.*

691. Pater

691. *Pater indignationem ſuam pro peccatis noſtris in Chriſti humanitate extinxit.*

Propter ſcelus populi mei percuſſi eum. Nota, quòd hæc ſunt verba Patris, qui ut mundo exponeret cauſam, quare permiſerit tam durè tractari Filium, dicit, quod id fecit propter ſcelus mundi, ſcilicet ut ſuper ipſum extingueret indignationem ſuam. *Thren.c.3.* Nota etiam, quòd in Textu ſeptuaginta Interpretum legitur, Ab iniquitatibus populi mei ductus eſt ad mortem, ut ſciat unuſquiſque, quòd iniquitates noſtræ ligaverunt Chriſtum, ipſum duxerunt ad mortem, ipſum vulneraverunt, & occiderunt.

692. *Chriſtus quia ſine peccato pro peccatoribus judicium in ſe ſubiit, ideo Iudex omnium conſtitutus, & in manu ipſius poteſtas Dei.*

Et dabit impios pro ſepultura, & divites pro morte ſua, eo quod iniquitates non fecit, nec dolus, &c. ſi poſuerit, pro peccato animam ſuam, &c. & Voluntas Domini in manu ejus dirigetur. Dat Propheta in his verbis intelligere, quòd Chriſtus, cum eſſet Sanctus, & innocens, pro peccatoribus judicio impiorum ſe ſubjecit, & ideo ipſe conſtitutus eſt Judex omnium, cum in ipſo ſint theſauri omnes ſcientiæ Dei abſconditi, tum quia non eſt reus de aliquo illorum, de quibus judicabit, quæ ſunt duæ conditiones neceſſariæ ad rectum Judicem. *Op.Comp.Theol.l.7.c.19. op. collat. octo.collat.1.Luc.c.23.v.46. Ioan. cap.14. ad finem. ſer.3.Dom.8.Pent.ſer.1. Dom.ſeptuag.l.4.d.48.a.1. quæſt.1.*

693. *Voluntatis Chriſti actus in paſſione expenduntur.*

Si poſuerit pro peccato animam, &c. Voluntas in manu ejus dirigetur. Nempe tempore paſſionis: ſed quid eſt hæc directo voluntatis divinæ in manu Chriſt.? Nonne hanc directionem ab inſtanti ſuæ Conceptionis perfectiſſimo modo habuit? Sed attende, quod licet ab inſtanti conceptionis ſemper Voluntas Domini fuerit in manu ejus, tamen non ſine ratione copulatur hoc ejus paſſioni: nam in Chriſto quadruplex Voluntas, vel actus fuit, ſcilicet Voluntas carnis, quæ nullo modo volebat pati: Voluntas ſenſualitatis, & pietatis, quæ remurmurabat in malo proprio, & timebat: Voluntas rationis, & hæc obediebat, & conſentiebat; & voluntas divina, quæ imperabat, & ſententiam dictabat: quæ tamen voluntates, ſeu velitiones non erant contrariæ, quia licet diverſa eſſent volita, in ratione tamen volendi conformes erant: poſſibile enim eſt, quod voluntates ſint conformes, ita quod una ſubſit alteri, & tamen idem non velint, quia voluntas ſuperior non vult, inferiorem velle, quod ipſa vult, ſed magis velle contrarium, ſicque volebat ſenſualitas, & caro, ſicut volebat ratio, eam velle; & ſic volebat ratio Chriſti, ſicut volebat divina Voluntas, eam velle: Voluntas divina volebat juſtitiam; Voluntas rationis obedientiam; Voluntas humanitatis, & ſenſualitatis miſericordiam, & Voluntas carnis naturam, neque altera alteri erat contraria: & in hoc manifeſtavit in ſe veritatem, & humilitatem, ut condeſcenderet, & formam daret membris infirmis, ideo noſtras voluit in ſe ſuſcipere infirmitates, ut pateat, quod licet in ſuis ſervis ſenſualitas recalcitret, non tamen hoc tollit meritum. *l.3. d.17. art.1. quæſt.3.op.medit.vita.c.75.Luc.c.22.v.42.*

694. *Chriſti traditio multiplex.*

Pro eo quod tradidit animam ſuam in mortem: ſcilicet tradidit vitam: ſi Chriſtus tradidit vitam ſuam, quomodo dicitur traditus à Juda? Sed attende, quod multiplex fuit traditio Chriſti: nam à Patre traditus eſt ex clementia: traditus à ſeipſo ex obedientia, & à Iuda ex malitia: Unde in hac traditione Deus eſt pius, & homo reus, quia idem factum fuit, ſed alia cauſa fuit movens, & alia intentio in facientibus. *Luc. c.9.v.44.Ioan.c.14.ad finem.*

695. *Chriſti animæ traditio in mortem iterum expenditur.*

Tradidit animam ſuam in mortem. Ad quid animam, vel vitam dedit in mortem? Tradidit animam ſuam in pretium redemptionis, in ſignum dilectionis, in monimentum recordationis, & in exemplum imitationis: ſi igitur dedit animam in pretium redemptionis animarum noſtrarum, ergo omnes animæ ſunt de jure ipſius Chriſti. *Ser.3.Dom.1.poſt oct.Paſchæ.*

696. *Chriſtus oneratus pondere peccatorum omnium hominum in Crucem aſcendit, ut ibi ſe exoneraret.*

Ideo diſpertiam ei plurimos, &c. pro eo quod ipſe peccata multorum tulit, &c. Vide quàm ſit verum id, quod ſupra dixerat Propheta, nempe quod Pater poſuit in eo iniquitatem omnium noſtrum, quibus oneribus graviſſimis oneratus inceſſit per totum tempus vitæ, & tandem ipſe in Crucem ipſa portavit: Chriſtus ergo duos theſauros in ſtatera Crucis portavit, ſcilicet Divinitatis, & humanitatis in unitate Perſonæ compactos, & in ſtatera Crucis appenſos per redemptionem humani generis expendit: & ſic ſe exonerando, & ſoluto debito primæ prævaricationis, peccata multorum tulit, & ſatisfacto rigore divinæ juſtitiæ Voluntas Dei in manu, ideſt in opere ejus completa eſt: Dicitur autem pro multis quantum ad efficaciam, licet pro omnibus fuerit datus quantum ad ſufficientiam. *Ser. 1. Dom.1. poſt oct.Paſchæ.*

697. *Chriſtus crucifixus noſter medicus quale ſalarium à nobis exigat in pauperibus.*

Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit, & ſaturabitur, &c. Quid eſt, videbit, & ſaturabitur pro labore aſſumpto pro nobis? Nota quòd Chriſtus venit medicus, de Cœlo ad ſanandas infirmitates hominum, & in hoc valdè laboravit, animamque ſuam pro nobis tradidit; Pro hac traditione, ait Propheta, Chriſtus videbit, ſcilicet expectabit ſalarium, & ſaturitatem, nempe remunerationem, atque ſatisfactionem: & ſi deſideras quo ſalario

ſalario poſſit ſatisfieri huic medico ſapientiſſimo ? Attende, quod alibi dicit: quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis: expectat igitur ſalarium, non in ſe, ſed in ſuis hæredibus, quia reputat ſibi factum, quod amore ejus fit pauperibus, ut videas, quod eleemoſyna eſt ſalarium, quo poſſumus ſatisfacere Chriſto medico pro debitis noſtris. *Op. Diat. Tit. 2. c. 4.*

698. *Qualis ignominia in Chriſto mori cum ſceleratis: Vbi etiam de gravitate aliarum pœnarum.*

Et cum ſceleratis reputatus eſt. Notandum, quòd Propheta hiſtoriam paſſionis Chriſti his verbis concludit: & cum ſceleratis reputatus eſt, ut nobis exponeret, quod inter maximas pœnas, hæc fuit maxima omnium: Conſidera ô anima omnes pœnas Chriſti: primò quæ Perſona patitur, ſcilicet Chriſtus quoad naturam Divinam ſuam excellentiſſimus, quoad animam dilectiſſimus, quoad corpus delicatiſſimus: Conſidera item in qua parte paſſus eſt, nempe à planta pedis uſque ad verticem in omnibus membris, & partibus; qua culpa, ſcilicet ſine culpa pro falſi criminis impoſitione, & pro beneficii exhibitione: Item à quibus miniſtris, vel auctoribus, quos immenſis beneficiis cumulaverat: Item ſine ullo conſultore, & conſolatione: quibus item inſtrumentis, ſcilicet vinculis, purpura, ſputis, corona ſpinea, flagellis, velo faciei, manibus colaphizantibus, arundinea percuſſione in capite, clavis, cruce, & lancea: Item quibus locis, ſcilicet in pluribus locis publicis, & tandem in Calvariæ monte infamiſſimo, & in crucis patibulo indigniſſimo: Item quo tempore, nempe in tempore feſti Paſchalis, ad quod innumera multitudo concurrebat: Item propter ſupplicii longitudinem, ſcilicet per totam noctem, & diem uſque ad horam nonam: Item in illo die quo ipſe animam homini inſpiraverat: Item quoad modum, modus enim fuit turpiſſimus contra noſtram ſuperbiam; pauperrimus contra avaritiam, contra luxuriam; acerrimus: ſed tamen inter omnes pœnas maxima fuit, quòd cum ſceleratis tamquam ſceleratus mortuus eſt: ô bone Jeſu, quàm bonus, quàm ardens charitate. *Sermon. 5. & 6. Paraſce. opuſc. de perfect. vitæ. cap. 6. opuſc. medit. vitæ. c. 77.*

699. *Chriſtus ut ſummus Pontifex pro inimicis oravit.*

Et pro tranſgreſſoribus rogavit. Hæc eſt ultimata concluſio hujus capituli, per quam Propheta intendit oſtendere Chriſtum ſummum Pontificem, cujus munus eſt pro omnibus orare, ſed præcipuè pro inimicis? quæ oratio fuit in remedium, maximè pro ſuis crucifixoribus, ut ejus paſſio eis etiam prodeſſet: per quod inſtruuntur & Prælati, & Pontifices, & omnes Chriſtiani ad ſimilia faciendum pro ſuis perſecutoribus. *Luc. cap. 23. v. 34.*

700. *Chriſtus in cruce velut cithara, & pſalterium extenſus dulcem muſicam edidit.*

Et pro tranſgreſſoribus rogavit. Nota, quòd hanc orationem pro inimicis fudit Chriſtus in Cruce, ut muſicam dulcem ederet auribus Patris: in Cruce enim fuit velut Cithara, & pſalterium, in qua extendit chordas membrorum, ſicque voce, & manu dulces ſonos de chorda cordis edidit: omnia autem ejus membra, omnes ſenſus, omnes potentiæ conformia Patris Voluntati fuerunt modulata, & ideo duas chordas pro malis tetigit, ſcilicet pro crucifixoribus: duas item pro bonis, pro matre, & Ioanne: duas pro toto mundo, ſcilicet dicens ſitio, ideſt deſidero fidem, & ſalutem: Et conſummatum eſt, nempe quidquid pro ſalute mundi debui pati: duas pro ſemetipſo, dicens, *Deus meus, ut quid dereliquiſti me, & Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum*: ô qualis muſica reſonavit tunc auribus totius ſanctiſſimæ Trinitatis, quàm Chara, quàm ſuavis, quàm efficax: ſume ergo & tu anima hanc citharam per meditationem, circui civitatem, benè cane, & frequenta canticum, & ſollicita ſis Deum diligere, quomodo Chriſtum invenias, quomodo teneas, quomodo ei placeas. *Ser. 2. in Paſcha. ſerm. 2. & 3. in Paraſc. ſermon. 1. Dom. 17. Pentec. & ſermon. 3. Dom. 3. quadrag.*

CAP. LIV.

701. *Chriſti effectus paſſionis fuit fundatio Eccleſiæ; & vocatio gentium, &c.*

LAUDA *ſterilis, quæ non paris: decanta laudes, & hinni, quæ non pariebas, quoniam multi filii deſertæ, quàm ejus, quæ habet virum, dicit Dominus, dilata locum; &c.* Nota quòd Propheta poſt Chriſti paſſionem, agit de vocatione gentium, quæ fuit effectus paſſionis ipſius: lauda (ait) ô Eccleſia quæ eras ſterilis à bonis operibus; lauda Deum tuum, qui te fœcundavit, quoniam multi filii deſertæ, quàm ſynagogæ, quæ erat Deo conjuncta, &c. Eccleſia igitur à Chriſto fundata fuit, & congregata ex gentibus ad Chriſtum converſis, & ab ipſo fœcundata, & ideo figurata per mulierem ratione obedientialis ſubjectionis ſub Chriſto, qui eſt vir ejus ratione fervidæ dilectionis, ſedulæ operationis, piæ compaſſionis, & ſalutaris nutritionis infirmorum: & hinc ſequitur conceptio, & parturitio Eccleſiæ, & animæ ſanctitas: nam parturit Divinum Verbum, in matrice, ideſt in memoria ſuſcipiendo, & retinendo, & quo bonum organizatur meditando, vivificatur conſentiendo, & parturitur operando. *Ioan. c. 16. v. 21. Luc. c. 13. v. 17.*

702. *Pœnitentia in hac, & in alia vita auffert erubeſcentiam, & oblivionem malorum operum, &c.*

Noli timere, quia non confunderis, neque erubeſces, non enim te pudebit, &c. Nota quòd hæc dicuntur animæ ad Deum per pœnitentiam converſæ poſt patrationem impuritatum, & peccatorum: nam proprium eſt pœnitentiæ delere turpitudinem, opprobrium, & erubeſcentiam jam per peccata contractam, quod maximè ſuccedet in Cœlo. *Pſal.* 118. *c.* 6. *v.* 13.

703. *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam.*

Ad punctum in modico dereliqui te, & in miſerationibus magnis congregabo te: in momento indignationis abſcondi faciem meam parumper à te, & in miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui, dicit Redemptor tuus Dominus. Quid eſt, ad punctum in modico, in momento, parumper? Ergone ſufficienter per iſtos terminos explicantur tribulationes, etiam per multos annos à Deo in hac vita inflictæ? maximè, quia reſpectu miſerationum Domini, quibus fovet ſuos in gloria, non ſunt condignæ paſſiones quæcumque ad futuram illam gloriam: Unde qualecumque tempus afflictionis hujus vitæ explicatur rectè his verbis: Ad punctum, in modico, in momento, parumper, quia iſtæ pœnæ ſunt incommenſurabiles gloriæ, tum quia ſunt leves, tum quia breves, tum quia ſunt partiales: illa verò gloria eſt magna, quia eſt æterna, & immenſa, quæ omnia etiam verificata ſunt in ſanctis Patribus in lymbo, & verificantur de exiſtentibus in Purgatorio. *Ser.* 4. *de plurib. mart. ſer.* 3. *Dom.* 6. *Pent. Pſal.* 118. *c.* 5. *v.* 13. *in Thren. c.* 4. *in fine.*

704. *Dei promiſſa fidelia, & infallibilia:* Unde dicitur hic *montes commovebuntur, & colles contremiſcent,* ſcilicet potius: *miſericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non movebitur,* quod eſt conforme alibi à Chriſto dictis: *Cælum, & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt. Pſal.* 118. *c.* 3. *v.* 9.

705. *Anima verè paupercula quàm Deo chara, & elevata ab ipſo ad ſummum apicem: Ubi de Eccleſia.*

Paupercula tempeſtate convulſa, abſque ulla conſolatione. Nota quòd hæc verba diriguntur à Chriſto ad animam pauperculam, de qua etiam *Luc. c.* 21. dicitur, quòd hæc vidua pauper, pluſquam omnes miſit in gazophilarium. Anima hæc vidua, quia ſequeſtrata à mundo, quantum ad affectum carnalitatis ponit omnem ſuam conſolationem in Chriſto, & eſt paupercula, quia ſequeſtrata à mundo quantum ad affectum terrenitatis: hæc licèt tempeſtatibus, & perſecutionibus mundanis convulſa, Deo tamen chara, quia duo æra minuta inceſſanter offert, nempe mortificationem carnis, & paupertatem Spiritus; taliſque anima ad veras divitias, & honores cœleſtes exaltatur à Deo: Unde ſubdit: Ecce ego ſternam per ordinem lapides, & fundabo te in Saphiris, ſcilicet in Chriſto exaltabo te: quæ omnia rectè quadrant Eccleſiæ exaltatæ à ſponſo ad tantam ſublimitatem, in qua nunc conſpicitur. *Luc. cap.* 21. *v.* 4. *Ioan. c.* 15. *v.* 16. *Eccleſ. Hier. p.* 4. *cap.* 6.

706. *Eccleſia à Chriſto fundata in fide ſpe, & charitate, & cæteris virtutibus.*

Ecce ego ſternam per ordinem lapides tuos, &c. loquitur Deus Eccleſiæ: ſed quinam ſunt iſti lapides, ſuper quos fundata eſt à Chriſto? Nota, quòd primum fundamentum Eccleſiæ eſt Chriſtus, qui in tali fundamento ordinavit lapides pretioſiſſimos per quatuor ordines in numero ternario collocavit lapidem, Saphirum, & calcedonium, & hæc eſt fides, quæ veluti Jaſpis viridis coloris, ſignificans virorem honeſtatis, & bonæ operationis, & fugat phantaſmata, & omnia venenosa, & omnia tentamenta Diaboli: & ſicut Saphirus eſt coloris cœleſtis, non terrei, ſic & fides non terrena, ſed ſolùm cœleſtia dictans: & ſicut Calcedonius, qui reſiſtit omni ſculpturæ, & fides per pœnitentiam nullam ſculpturam extraneam, ſed tantùm Dei recipit: In altero ternario per ſmaragdum, ſardonem, & ſardium ſignificatur ſpes; in primo ſpes veniæ, in ſecundo ſpes gratiæ, in tertio, ſpes gloriæ ſignificatur: In tertio ternario per Chryſolitum, Beryllum, & Topaſium ſignificatur charitas, in primo ſpecioſa puritas, in ſecundo bonitas fructuoſa, in tertio candida veritas, quæ ſunt effectus charitatis: In quarto ternario per Chryſopraſum, hyacinthum, & Ametyſtum ſignificatur juſtitia virtus generalis ordinans animam ad Deum, ad proximum, & ad ſeipſam; & per conſequens exercitium importat omnium virtutum: Unde infra ſubdit textus, & in juſtitia fundaberis: & hæc ſunt fundamenta, & ornamenta Eccleſiæ. *Op. Diat. Tit.* 10. *c.* 5.

707. *Doctores ſanctæ Eccleſiæ ſunt ipſius ornamentum, & fundamentum.*

Univerſos filios tuos doctos à Domino, & multiplicationem pacis filiis tuis. Ecce quales lapides promiſit Chriſtus ponere, & ſternere in fundamentis Eccleſiæ, ſternam per ordinem lapides tuos: & ſubdit: Univerſos filios tuos doctos à Domino, ſcilicet doctores Sanctos à Spiritu Sancto inſtructos, & doctos: ſed vide quale fundamentum ſit hoc, non in terra, ſed in Cœlo, & ideo nomine Cœlorum veniunt Sancti Doctores in ſcriptura; tum quia vitam aliis communicant, tum quia alios rore cœleſtis doctrinæ infundunt, & humore devotionis ad conjunctionis gratiam ipſos provocant, & invitant, tum quia decorant Eccleſiam quantum ad vitæ perfectionem, & virtutum decentiam, & cœleſtem in moribus diſciplinam, ideo ad omnes partes mundi extenduntur per exercitium charitatis. *Op. Eccleſ. Hier. p.* 4. *c.* 5. *In Luc. c.* 6. *v.* 6. *Ioan. c.* 6. *v.* 44.

708. *Diabolus faber crudeliſſimus.*

Ecce ego creavi fabrum ſufflantem in igne prunas, & proferentem vas in opus ſuum, & ego creavi interfectorem ad diſperdendum. Nota hic lector, quod præmiſſa Eccleſiæ fundatione, ſtatim ſubjungit de diabolo, quia ſtatim quando homo incipit fundari in bono, tunc ſurgit tentatio; Dicit ergo Deus: Ecce creavi fabrum, ideſt tentatorem diabolum, quaſi dicat, ne timeas eum, quia in poteſtate mea eſt: Creavi ſecundum ſubſtantiam, non ſecundum malitiam ejus: & meritò appellatur diabolus faber ſufflans in igne prunas & proferens vas in opus ſuum, quia ejus proprium eſt tentare mentes jam à propria concupiſcentia ignitas, & proferre vas in opus ſuum ſcilicet vas nigrum per peccati conſenſum proferens, ut ipſum poſſit in igne Inferni percutere: & nota quod diabolus hoc ordine procedit: primò ſufflat, & exſufflat cinerem, ſcilicet tollit à mente noſtra mortis memoriam, poſtea interius tentat, & deinde profert in opus pravum exterius, in ipſo imprimendo proprias imagines, & tandem diſperdit, & interficit, & atterit in Inferno: & ut cognoſcas ipſius vaſa, vide imagines, quas in ipſis ſculpit, nam in quibuſdam ſculpit figuram leonis, ideſt peccatum ſuperbiæ, in quibuſdam figuram Talpæ, ideſt avaritiæ peccatum, in quibuſdam Aſini figuram, ideſt peccatum accidiæ, in quibuſdam figuram lupi, ideſt peccatum gulæ, in quibuſdam figuram draconis, ideſt peccatum invidiæ, in quibuſdam figuram Urſi, ideſt peccatum luxuriæ: Cave ergo ô homo ab hoc fabro, & te ſubmitte fabro cœleſti, qui eſt Chriſtus, qui per gratiam lebetes nigros convertit in phialas aureas, & in vaſa honoris. *Ser.4.Dom.in Albis.ſer.3. Dom.2.poſt Pent. & op.Diat.Tit.10.c.5.& Ugo hic.*

709. *Eccleſia, & juſti ſunt hæreditas propria Chriſti.*

Hæc eſt hæreditas ſervorum Domini, & juſtitia eorum apud me, dicit Dominus. Nota, quòd poſtquam Propheta dixit Eccleſiam fundatam in ſanctitate Chriſti, & in ſanctitate vitæ, terminat hoc capitulum, dicens hæc eſt hæreditas ſervorum Domini, ſcilicet Eccleſia eſt hæreditas Chriſti, tum quia Chriſtus ipſam poſſidet, tum quia eam perpetuò colit, tum quia ipſa exercitio virtutum paſcit Chriſtum Dominum, & hinc ipſi fideles Eccleſiæ filii ad hæreditatem gratiæ, & gloriæ perveniunt, in Cœlo ab ipſo Chriſto paratam. *Pſal. 2. & Pſalm.118. c.7.v.15.*

CAP. LV.

710. *Chriſtus invitat ad ſe fontem aquarum cœleſtium tantùm ſitientes: Ubi de ſiti multiplici.*

O*MNES ſitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, & comedite, emite abſque argento, & abſque ulla commutatione.* Nota verba ô Lector, ſigna myſteria: Chriſtus ſitientes invitat ad aquas: Ad quas aquas? & deinde promittit, non potum, ſed cibum, dicens: Venite, & comedite: & ſi hoc, nonne potius comeſtio inviabit ſitim? Cur igitur invitans ad aquas præcipit comedere? Sed attende ad myſterium: Chriſtus dicit: omnes ſitientes venite, invitans ſine acceptione perſonarum, omnes, qui ſiti torquentur: ſitis autem eſt multiplex, quia eſt appetitus frigidi, & humidi, ideo implicat te potabili appetibilitatem, & appetitus fervorem: hinc de ſiti ſpirituali hic loquitur, quæ ſolùm comeſtione cibi cœleſtis extingui poteſt, unde idem objectum & ſatiat, & refrigerat animam: ſitis autem ſpiritualis alia eſt audiendi documenta recta fidei purificantis, & refrigerantis: Item eſt teſtis divinæ ſapientiæ clarificantis, & illuminantis: Item teſtis juſtitiæ, quæ eſt cibus, & potus delectans animam, & ſitis divinæ gloriæ ſatiantis: Ad iſtas igitur aquas invitat Chriſtus, dicens: Venite, ſcilicet indeſinenter non differendo, feſtinanter non tardando, vel torpendo, perſeveranter non deficiendo: ſicque refrigerabitur in vobis æſtas concupiſcentiæ, delectabitur dulcedine anima ad fontem aquæ vivæ, qui eſt Chriſtus Ieſus. Nota etiam quod qui vult bibere ex his aquis divinis, debet eſſe ſine argento, ſcilicet ſæcularis ſapientiæ, quia non benè ſimul morantur. *Pſal.1.& 76.& 111.& 118. v.1. Luc.c.5. v.1.& c.8.v.18.& c.15.v.2. Ioan.coll.38. & cap.6. v.35.ſer.1.de SS.Sim. & Iuda.*

711. *Saturitas animæ alia deteſtabilis, alia deſiderabilis.*

Venite, & comedite: quare appenditis argentum non in panibus, & laborem veſtrum non in ſaturitate? accedite, & comedite bonum, & delectabitur in craſſitudine anima veſtra. Ecce hic invitat Chriſtus ad ſumptionem aquarum, & panum ſuorum, & ad ſatiandam animam, & ad cavendum à ſaturitate, quæ eſt tantum apparens: Datque intelligere, quòd alia eſt ſaturitas apparens, eſtque avarorum in bonis temporalibus, quibus numquam ſatiantur: alia eſt ſaturitas vera, quæ eſt in panibus ſuis, ſcilicet donis Spiritus Sancti, & ideo laborantibus in hac vita clamat: quare appenditis argentum non in panibus, & laborem veſtrum non in ſaturitate? Venite ad me, qui laboratis, & ego reficiam vos in hac vita aqua, &

cibo eccleſtis gratiæ,& in alia cibo eccleſtis gloriæ,ne pœnis & tormentis ſaturemini in Inferno. *Ser.2.& 4.Dom.6.Pent.op.Eccleſ.Hier.p.1.c.3.*

712. *Chriſtus miſſus eſt à Patre teſtis,Dux, & Præceptor noſter.*

Ecce dedi eum teſtem populis,Ducem, ac Præceptorem. Hæc ſunt verba Patris, quibus exprimit ad quid miſerit Filium ſuum in mundum, ſcilicet in Teſtem in Ducem, & Præceptorem: Teſtis enim fuit in noſtra cauſa, quæ erat de morte, vel vita noſtra, & cauſam obtinens, reddidit nobis vitam; litteraſque ſignavit de noſtra hæreditate ſigillo Spiritus Sancti, ut dicit Apoſtolus, ſignati eſtis Spiritu promiſſionis Sancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ. *Epheſ.c.1.* qui nobis facit fidem, quod Chriſtus eſt verus Deus, quod fides noſtra de Chriſto vera eſt, & labores noſtri pro Chriſto aſſumpti non fraudabuntur promiſſa hæreditate, ſicut teſtimonium pignoris, vel ſigilli, fidem, & ſeveritatem ſolet facere: Dux noſter fuit tamquam ſuorum militum, cujus vexillum eſt ſancta Crux: Præceptor, & magiſter noſter eſt Chriſtus: docens veraciter reſpectu credendorum contra omnis erroris falſitatem; docens delectabiliter reſpectu promiſſorum contra mundi volubilitatem; docet enim, quod beati pauperes Spiritu, quoniam ipſorum eſt Regnum Cœlorum; docens efficaciter reſpectu operandorum contra corporis tepiditatem; fuit enim nobis via, veritas, & vita: Talis etiam fuit Joannes Baptiſta Præcurſor Domini; talis & debet eſſe quilibet Prædicator. *Luc.c.5.v.5. Ioan. collat.3. ſerm.1. Dom. 22. Pent. ſerm. 3. Dom. 4. poſt oct. Epiph ſerm. 8. in Pent. Pſalm. 118. verſ. 118. & Ugo hic.*

713. *Quærendus eſt Chriſtus,& quomodo,& quibus modis, & ad quid.*

Quærite Dominum.dum inveniri poteſt, invocate eum. dum prope eſt. Nota quod hic hortatur Propheta nos ad quærendum Deum, dum inveniri poteſt: ſed quomodo inveniri poteſt? Nonne ſemper inveniri poteſt? Sed attende quod in his verbis aſſignantur conditiones quærendi Chriſtum cum fructu: nam requiritur primò temporis opportunitas: Secundò loci congruitas: Tertiò quærentis humilitas & aſſiduitas: Quartò quæſiti utilitas temporis opportunitas; ſicut enim non quæritur in hyeme flos,& in nocte ſol: ſic in hyeme, & nocte peccati, vel poſt mortem non invenitur Chriſtus flos, & ſol, ſed in die,& æſtate hujus vitæ. & bonæ vitæ. & pœnitentiæ ſolum inveniri poteſt. Unde ſubdit Propheta: Derelinquat impius viam ſuam, &c. & revertatur ad Dominum,& miſerebitur ejus,&c. Noli ergo tempus opportunum (quod eſt tempus hujus vitæ, & maximè quando te Deus vocat) quærendi, negligere ne forte contingat, te fruſtra quærere: Secundò quærendus eſt Chriſtus in loco congruo, nempe in toto corde, non in angulo cordis, ſicut illi, qui in una parte cordis diabolum, in alia Chriſtum quærunt: Item in templo, (ubi inventus à Maria, & Joſeph) ſolùm invenitur, ſcilicet in Eccleſia, & in cordis templo orando quærendus eſt ſummus ſacerdos, non in ara poreorum, nempe Dæmonum: Item in medio Doctorum magiſter, non inter cognatos, nuoitum in ſcripturis, & doctrinis divinis: Item in Cruce infixus quærendus eſt: Item in horto cordis floribus virtutum, & fructibus operum bonorum hortulanus quærendus eſt: Tertiò quibus modis, nempe pœnitentia, exercitioque virtutum: quartò qua utilitate, quærere enim debemus Chriſtum, ut inveniamus eum, & inventus maneat nobiſcum per gratiam, nec derelinquendus & ne nos derelinquat, fortiter tenendus. *Serm.5. Dom.i.fr.oct.Epiph.ſer.6. Rogat.Luc.c.4. v.45. In Thren.c.3.*

714. *Deus prope, & promptus eſt ipſum invocantibus in oratione.*

Invocate eum dum prope eſt. Quomodo dicitur dum prope eſt? nonne eſt ubique, & ob id ſemper prope? eſt quidem ubique, ſed tamen dicitur prope invocantibus eum in orationibus: Sed nota quod dicitur prope invocantibus, non omnibus invocantibus, ſed tantum prope invocantibus, ſcilicet in orationibus, non ex timore, ſed ex amore miſericordiæ, & filiali, quia iſti ſunt verè invocantes Deum, & iſtis eſt tam prope, cum ſit pronior ad ignoſcendum, quàm ad condemnandum, & tardius videtur Deo dare peccatori gratiam, quam ipſi peccatori, qui accipit; ſicque feſtinat abſolvere à tormento, quod quaſi plus ipſum cruciat compaſſio miſeri, quàm ipſum miſerum compaſſio ſui: Tam prope, & promptus eſt, quod Deus miſericors peccatores inſtanter vocat, patienter expectat, & clementer ſuſcipit: Tam prope,& promptus, quod licet à nobis turpiter contemnatur: tamen non dedignatur, à nobis prius petere pacem per inſtantiam gratuitæ vocationis, eo quod avidius optat noſtram ſalutem, quàm quodcumque aliud ſacrificium: Invocemus igitur Deum, quia oratio eſt ſacrificium ipſi ſummè charum, vultque nobis conferre dona, & dare gratias, ſed vult à nobis rogari, cum oratio ſit medium impetrandi. *Serm.1. Dom.4. quadrag.ſer.1.Dom.1. poſt oct.Pent. & l.3. d.17.a.2.q.1.*

715. *Qualis juſtitia à nobis exercenda ad impetrandam divinam miſericordiam.*

Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes. Nota, hæc eſt prima pars juſtitiæ, & revertatur ad Dominum, & hæc eſt ſecunda pars, ſcilicet facere bonum, quia contrarius eſt motus pœnitentiæ motui malitiæ; quia ſicut ille eſt à bono ad malum, ſic iſte à malo ad bonum: & miſerebitur ejus, quoniam multus eſt ad ignoſcendum: Ecce quid à nobis faciendum, ut veniam,& miſericordiam conſequamur in tempore opportuno: Derelinquat impius viam ſuam (ait Propheta) ideſt peccatum operis, & vir iniquus cogitationes ſuas, ideſt peccatum cordis, & revertatur ad Dominum cum amore & operibus bonis, & miſerebitur ejus per condonationem omnium delictorum, quia multus eſt ad ignoſcen

Digitized by Google

noſcendum : quid eſt multus ad ignoſcendum, & non potius magnus ? multus ait, id eſt quia tanta eſt offenſa, quantus eſt ille, qui offenditur, multus eſt, quia multa peccata dimittit, & magna, & multipliciter aggravantia, vel multus, quia multum de facili ignoſcit. *Ser.2. Dom.4. poſt oct. Epiph. ſer.5. infra oct. Epiphan. ſapient. cap.12.*

716. *Deus prope eſt bonis, longe à malis: Ubi de conformitate voluntatis noſtræ cum Deo.*

Non enim cogitationes meæ cogitationes veſtræ, neque viæ veſtræ viæ meæ, dicit Dominus, quia ſicut exaltantur cæli à terra, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à viis veſtris, &c. Quomodo ſuprà dixerat, quòd Deus prope eſt, invocate eum dum prope eſt : nunc verò dicit, quod exaltatæ ſunt viæ ejus, vel diſtant viæ ejus, à viis noſtris, ut legunt ſeptuaginta ? ſed attende ad myſterium : hic loquitur de malis, à quibus longe non loco, & regionibus, ſed affectibus : amas Deum, prope eſt ; odis Deum, longe eſt ? A Deo enim tanto plus homo diſtat, quantum plus peccat; ad ipſum appropinquat, dum deſideriis ſuſpiriis, lachrymis, orationibus, caſtigationibus ad oſtium divinæ miſericordiæ pulſat : Unde Deum amans unit ſuam voluntatem cum Deo per conſimilem habitudinem ad actum, volendo id, quod Deus vult, & quomodo vult. *L.1.d.48.a.1.p.1. ſer.9. in Rogat. ſap.c.2. Luc.c.18.v.25*

717. *Verbi generatio per imbrem deſcendentem è Cælo exprimitur.*

Quomodo deſcendit imber, &c. ſic erit Verbum meum, quod egreditur de ore meo : ſicut enim imber totus ſimul deſcendit à nube, ſic Verbum totum totaliter gignitur à Patre. *ſer. 11. Hexam.* Nota etiam quòd Verbi generatio temporalis innuitur per ſupra dicta verba, ſicut exaltantur Cæli à terra, ita viæ meæ à viis veſtris: & poſtea ſubdit : quomodo deſcendit imber, &c. Datque intelligere, quod Verbum deſcendit ad humanitatem, ita ut in nullo differre videretur ab aliis mortalibus, & ideo, ut homo ſolùm videbatur, tamen verè erat Deus de Deo. *Op. Eccleſ. Hier. p.4. c.6.*

718. *Prælati, & Prædicatores per exempla, & verba fiunt quodammodo ſimiles Patri Deo : Ubi de Verbi Dei prædicationis fructibus..*

Quomodo deſcendit imber, & nix de Cælo, & illuc ultra non revertitur, ſed inebriat terram, & infundit eam, & germinare facit eam, & dat ſemen ſerenti, & panem comedenti : ſic erit verbum meum, quod egreditur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, ſed faciet, &c. Nota quòd hæc verba aptantur etiam Prælatis, & Prædicatoribus, qui veluti Cæli calorem cœleſtem pariter, & rorem exemplorum, & verbi Dei immittunt in corda hominum, & ſic filios gratiæ per Evangelium Deo generant, & vitiorum germina in ſubditorum cordibus radicantes, vitium extrahunt, & extirpant, & rore doctrinæ ſalutaris irrigant, & fœcundant : & ideo Væ illis, qui non ſunt roriferi, ſed aridi, & duri, & ſcandaloſi, non producentes tales fructus : Væ & ſubditis non recipientibus præ duritia talem rorem. *Op. Eccleſ. Hier. p.4. c.3. & 4. Luc. c.5. v.5.*

719. *Inhæſitantiam à nobis exigit Deus in ſuis promiſſis.*

Verbum meum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, ſed faciet quæcumque volui, & proſperabitur in his, ad quæ miſi illud. Hæc ſunt verba Dei benedicti, quibus dat intelligere, quod promiſſa ejus ſunt infallibilia, ideo inhæſitanter ſuſcipienda : hoc enim exigit fides habenda verbis Dei, quia Cœlum & terra tranſibunt, non autem verba Dei. *Luc. c.2. v.29. & c.5. v.5. Pſal. 118 c.7. v.11.*

720. *Qui in hac vita veram pacem conſervat, in alia æternam poſſidebit.*

Quia in lætitia egrediemini, & in pace deducemini. Quinam ſunt iſti felices ? ſunt illi, qui receperunt in pace Verbum Dei, qui in hac vita pacem Chriſti retinent, iſti enim cum pace exeunt ex hac vita, & in cœlo æternam pacem, & lætitiam habebunt. *Ioan coll. 66.*

721. *Cantus, & plauſus Deo valdè gratus eſt eorum qui exemplis ſuorum operum proximum ad bona opera accendunt :* Unde de iſtis dicitur: *montes, & colles cantabunt coram vobis laudem, & omnia ligna regionis plaudent manu :* ô dulcis cantus, & muſica Deo chara. *In Thren. c.1.*

722. *Chriſti ſigna nobiliſſima expenduntur.*

Pro ſaliunca aſcendet abies, & pro urtica creſcet myrtus, & erit Dominus nominatus in ſignum æternum, quod non auferetur : legunt ſeptuaginta: *Et erit Dominus in nomen, & in ſignum ſempiternum, & non deficiet.* Nota quod oſtendit converſionem multorum in omnibus partibus mundi, in quibus prius germinabantur ſpinæ, & urticæ peccatorum, & poſt, loco ipſarum germinant virtutes, & ſanctitas : Et propter hoc Chriſtus erit nominatus in ſuis, quia ab ipſo Chriſtiani nominati ſunt fideles, & hoc quia erit Dominus poſitus in ſignum æternum, ſcilicet erectus in Cruce, & ab ipſo ſigno Crucis erit nominatus Crucifixus : & quia ſuper caput ipſius erit ſcriptum nomen Jeſus, à quo erit nominatus, & quia ſignatus, & ſeparatus ab aliis ſigno gratiæ abundantiſſimæ, & quia ſigna ejus erunt æterna, cum in corpore conſervet cicatrices, & vulnera, ob quæ erit in æternum nominatus, & honoratus. *Sic Ugo hic, & S. Bonavent. Ioan. c.6. v.27.*

723. *Nomen Ieſus in Chriſto inſculptum à Patre, ad ipſius Chriſti gloriam.*

Et erit nominatus in ſignum æternum. Quodnam privilegium eſt hoc à Patre conceſſum ? quodnam nomen, vel quæ nominatio in ſignum æternum ? ſed transfer mentem ad id, quod dicitur *Ioan. c.3.* de Chriſto : hunc Pater ſignavit, quia verax eſt : quomodo Pater ſignavit Filium ? ſignavit, id eſt inſculpſit in Filio ſignum nominis Jeſus ; hoc enim nomen eſt proprium nomen

verum Chriſti, ipſi ex ſua natura humana Divina inſculptum, & competens, & ideo omni veneratione dignum; & per hoc nomen erit, & eſt Chriſtus nominatus honoratus ab omnibus gentibus, quia in hoc nomine omne genu flectitur. *Luc.c.2.v.21.op.medit.c.100.*

724. *Ex vulneribus Chriſti omnis gloria Chriſto redundat.*

Et erit nominatus in ſignum æternum : Vel, ut dicitur, *Ioan.c.3.quia ſignavit eum Pater* : hinc alludit ad ſigna cicatricum, quæ in perpetuum conſervat in corpore, ex quibus redundat omnis gloria Chriſto, & in quibus relucent omnia myſteria noſtræ fidei, omnes virtutes, & opera, & mirabilia Chriſti Ieſu, & omnes gratiæ, quæ Eccleſiæ redundant per Chriſtum. *Op.ſtim.div.am.part.1.per totam ſparſim.*

CAP. LVI.

725. *Judicium & juſtitia à quolibet facienda.*

HÆC dicit Dominus: *Cuſtodite judicium, & facite juſtitiam, quia juſta eſt ſalus mea, ut veniat, & reveletur, juſtitia mea.* Hæc verba ad homines omnes diriguntur à Deo, ſed difficultas occurrit in ipſis, quomodo intendit præcipere omnibus etiam ſubditis, ut judicium, & juſtitiam faciant, cum hoc proprium ſit tantùm Prælatorum, & Judicum? ſed attende, quòd poteſt dirigi ſermo ad Prælatos, & Judices populorum, quibus præcipitur, ut ſervent judicium rectum, & faciant juſtitiam ſecundum acta, & probata. *Ser.2. Hexam. Op. Eccleſ. Hier.p.2.c.8.* Poteſt & dirigi ad quemlibet privatum hominem, ut de ſe, & in ſe faciat judicium, & juſtitiam; quia enim indidit homini Deus naturale judicatorium, cui & libero arbitrio commiſit regnum animæ judicandum, ideo homo ſecundum tale regimen debet vindicare tranſgreſſionem in ſeipſo, non auctoritate ſua, ſed Dei, & naturalis judicatorii, quod non errat, & ſic ut pœnitens judicet, ut reus judicatur, & in ſe vindictam & de ſe ſumit, & ſic peccator ſeipſum tamquam furem, & animæ ſuæ jugulatorem ſuſpendere debet in Cruce pœnitentiæ: & hinc Propheta concludit: Beatus vir, qui facit hoc, nempe judicium, & qui apprehendit iſtud. *l.4.d.14.p.2. dub. 6. ſer.1. Dom.12. Pentec. Pſal.118.c.7.v.10 & c.11.v.7.*

726. *Juſtitia rigoroſa de peccatis hominum in Chriſto fuit executa, & ſalus generi humano data.*

Iuxta eſt ſalus mea, ut veniat, & juſtitia mea ut reveletur. Nota, quòd hæc dicta ſunt à Patre, quibus oſtendit, Filium ſuum, qui dicitur ſalus, ſeu ſalvator, in mundum veniſſe ad juſtitiam revelandam, & ad ſalvandum hominem: quomodo autem revelata eſt juſtitia per ipſius Filii Incarnationem, paſſionem, & mortem, ſi hoc opus fuit actus infinitæ pietatis, & miſericordiæ? ſed vide mirabilem artem Dei: Redemptio eſt recuperatio rei condigno pretio, & cum nihil eſſet in Cœlo, vel in terra tam pretioſum ſicut totum genus humanum, quod perditum fuit, & cum homo ſatisfacare non poſſet juſtitiæ Dei, oportuit, ut Deus ſatisfaceret, nec cum id poſſet, cum homo ipſe peccaſſet, Deus factus eſt homo, ut ipſe eſſet Redemptor, & ſatisfaceret perfectè divinæ juſtitiæ; homo, inquam, qui debuit, Deus qui ſolvit, potuit, Pater meus amiſit me, frater meus redemit me: homo mortis debitor fuit, mori ergo debuit, qui pro homine ſatisfacere voluit: Item per lignum venit mors, ergo per lignum mors deſtrui debuit, ut per quæ quis peccavit, per hæc & puniretur, ergo juſtitia Dei in Filio revelata eſt, quia per hominem juſtiſſimè ſatisfactum eſt, & homo juſtiſſimè redemptus, & ſalvatus. *Ser.2. Dom.2. Adv.Ioan.collat.48.*

727. *Cuſtoditio, & obſervantia diei feſti ſuadetur.*

Qui cuſtodierit ſabbata mea, &c. dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, &c. Vide, quòd Deus promittit obſervantibus dies feſtos locum in domo ſua, ſcilicet inter ſuos amicos, & æternam requiem in cœlo: Nota autem, quòd dicit: quis cuſtodierit ſabbata mea, quia neceſſaria eſt cuſtoditio: Cuſtodire autem Sabbatum, vel diem feſtum perfectè non eſt ſolùm vacare ab operibus ſervilibus mechanicis, ſed requiritur cuſtodia ſpiritualis, nempe vacatio cultui divino, omiſſio negotiorum terrenorum, quæ animam diſtrahunt, ne Deo intendat: Unde ſe cuſtodire debet homo ab operibus ſervilibus ab Eccleſia prohibitis: ſed caveat, ne ſit ſimilis Judæis, qui Sabbatum obſervant ab iſtis operibus, ſed poſtea incumbunt carnali otio, nugis, & luxuriis: caveat ergo ab operibus, quæ ſæcularem faciunt animam, ut ſunt ebrietates, comeſſationes, jurgia, luxuriæ, & ſimilia, quæ maxime libertati ſpiritus repugnant: ſed Væ. Væ Chriſtianis plurimis, qui pejores ſunt in hoc ipſis Judæis. *L.3.d.37.dub.3. op. de decem præceptis.ſer.4.*

728. *Pœnitentes æquantur innocentibus, & ſæpe ipſos ſuperant.*

Et non dicat filius advenæ, qui adhæret Domino, dicens, ſeparatione dividit me Dominus à populo ſuo, & non dicat eunuchus, ecce ego lignum aridum &c. quia hæc dicit Dominus, ſi cuſtodierint ſabbata mea &c. dabo eis locum in domo mea &c. Quis advena, & filius advenæ in Eccleſia, & quis eunuchus &c? hic eſt peccator, verè advena, & imitator Diaboli, & extraneus, nec gignens opera bona, ſed tamen, ſi adhærebit Domino, ſi pœnitentiam egerit, habebit locum in domo Domini inter innocentes; & meritò: nam pœnitentia eſt tantæ virtutis, quod abſolvit à vinculo obdurationis, ſervitutis, captivitatis, & æternæ damnationis, facitque recuperare perdita bona per peccatum prius mortificata, imò & ad altiorem ſtatum multoties reſurgere. *l.4. d.14. p.2.a.2.q.1. & ſeq. & d.18.corp.* & hinc eſt, quòd in Canone

miſſæ

miſſæ ſancta Felicitas Vidua primo loco invocatur, & ſecundo loco Virgines ponuntur, Agata, Lucia &c. ut detur, intelligi, quòd pœnitentes ferventes præponuntur Virginibus, & hoc maximè tædioſis, & acedioſis. *Op.expoſit. miſſæ c.4.* Igitur beata, & benedicta pœnitentia, quæ peccata, Deo miſerante, remittis, & Paradiſum reſeras, quæ contritum ſanas, omnem triſtitiam exhilaras, vitam de interitu revocas, ſtatum reſtauras, honorem renovas, fiduciam reformas, & gratiam abundantiorem refundis. *Op.Phar.l.2. c.17.*

729. *Eccleſia domus orationis, in qua Deus ſuas gratias abundanter donat.*

Adducam eos in montem ſanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ, holocauſta eorum, & victimæ placebunt mihi ſuper Altari meo; quia domus mea, domus orationis vocabitur cuncto populo. Ecce quid facit Deus cum iis qui pœnitentiâ ſibi adhærent, & fideliter ſerviunt: *Ecce ego adducam eos in domum orationis*, quæ eſt Eccleſia: & quale beneficium eſt hoc? Verè maximum. nam cum illa ſit domus ſanctificata, ob idque divinis, & ſanctis operibus mancipata, ſcilicet orationum frequentationi, lectionum recitationi, divinæ laudis dedicationi, & veri ſacrificii oblationi, Angelorum cuſtodiæ deputata, & ſanctis Reliquiis, & præſentia Chriſti in Euchariſtia munita: hinc Deus abundantius, & ſecurius in hac ſua domo (cæteris paribus) ſua dona diſtribuit, & hinc dicitur domus orationis, non aliorum negotiorum impertinentium, Deus exaudit preces in ipſa fuſas. *Ser.1. & 4. in Dedicat.Templi.*

730. *Qui in hac vita unitatem pacis ſervant; in alia vita Deus eos in unum congregat in cælo*; ſic dicitur hic: *Ait Dominus Deus, qui congregat diſperſos Iſraël adhuc congregabo ad eum congregatos ejus*, ſcilicet in Cœlo, in unum congregabo eos. *Luc.c.3.v.17.*

731. *Infelicitas populi habentis Prælatum malum expenditur.*

Omnes beſtiæ agri venite ad devorandum, univerſæ beſtiæ ſaltus: ſpeculatores ejus omnes cæci, neſcientes univerſi, canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes ſomnia, &c. Nota quòd in his, & ſequentibus verbis exprimit ſacer textus impietatem malorum Prælatorum, & ruinam ſubditorum inde conſequentem: quia enim ſpeculatores cæci ſunt ob inflationem ſuperbiæ & vanitatum, hinc & ſubditi remanent expoſiti beſtiis infernalibus, nempe dæmonibus, qui omnes & bonos, & malos, & Religioſos, & ſæculares expoliant, perſequuntur, & ad omnem miſeriam trahere conantur: Verè cæci ſunt tales Prælati, quia non vident, quæ debent videre, & ſolùm oculati ſunt ad vanitates, & inſanias, canes muti non valentes latrare, ſcilicet corrigere, prædicare, docere, quia ſunt muti, nempe propter ignorantiam, negligentiam, timorem, & quæſtum, licet ad malum ſint loquentes; canes muti, qui nec pane digni ſunt, canes imprudentiſſimi ad vomitum avaritiæ revertentes, & quærentes tantùm, quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti: ô infelices tales Prælati, & infeliciſſimus populus ipſis ſubjectus. *Ser.3. Dom.quinquag.ſer.2.de S.Ant. ſer.4. Dom.6. Pent. Luc.c.12.v.45. Eccleſ.Hier.p.2. c.2. Ecclen. c.3. & Tren.c.4.*

CAP. LVII.

732. *Negligentia Prælatorum reprehenditur.*

IUSTUS *Perit, & non eſt, qui recogitet corde.* Nota, quod hæc diriguntur ad malos Prælatos, qui magiſtri plebium videri appetunt, & ſanationem, & ſalutem hominum non verentur poſtponere curæ pecorum, quia perit anima, & non eſt, qui curet, cadit Aſina, & eſt, qui ſublevet: hoc dicitur de impiis Prælatis, qui ſinunt animas ſibi commiſſas cadere, & perire: ô quale judicium ſubibunt. *Luc.c.13.v.15.*

733. *Judicia Dei reverenda ex morte, & pœna temporali Juſtorum, & proſperitate malorum.*

Juſtus perit, & non eſt, qui recogitet corde, & viri miſericordiæ colliguntur. quia non eſt, qui intelligat, à facie enim malitiæ collectus eſt juſtus. Nota, quòd dicit, à facie malitiæ, ſcilicet apparenter juſtus perit, torquetur, perſecutiones patitur; & ad modum apparentem impii tandem moriuntur, & non eſt, qui recogitet corde, quod hoc remittendum eſt judiciis Dei incomprehenſibilibus volentis præmiare opera bona, non in hac, ſed in alia vita. *Ecclen.c.7. ſap.c.4.*

734. *Oratio facta in Eccleſia debet offerri ſuper Altare cordis.*

Lætificabo eos in domo orationis meæ, holocauſta, & victimæ eorum placebunt mihi ſuper Altari meo; quia domus mea domus orationis vocabitur. Nota, quòd Deus promittit orantibus in Templo lætitiam, ideſt ejus aſſiſtentiam, donatque ſpiritualia, ſed tamen exigit, ut omnia offerantur ſuper Altari: quomodo ſuper Altari, cum id ſpectet tantùm ad ſacerdotem? ſed attende, quod Altare, in quo vult Deus, ut offerantur ſacrificia, eſt Altare cordis, & ideo ingrediens Eccleſiam, ut oret, antequam oret, intret prius in ſeipſum: & hinc ſi quæris Altare, ſive altum locum, ut ores, & offeras, intus exhibe Templum Deo: In Templo vis orare? In te ora, ſed prius eſto Templum, quia Deus in Templo ſuo exaudit. *Joan. c.4.v.23.*

735. *Sola juſtitia affert pacem, & reddit quietam animam.*

Veniat pax, requieſcat in cubili ſuo, qui ambulavit in directione ſua. Proſequitur Propheta ſtatum viri juſti, de quo ante dixerat, à facie malitiæ collectus eſt Juſtus, nempe raptus eſt ad Deum, ne malitia mutaret intellectum ejus, huic ſuccedit pax in cubili ſuæ conſcientiæ, quia ſola

Digitized by Google

la juſtitia affert pacem animæ cum Deo, cum proximo, & cum ſeipſo, & propria conſcientia, & hæc eſt pax vera fundata in fide, annunciata hominibus bonæ voluntatis. *Luc. c.7. in fine.*

736. *Illuſiones factæ Chriſto à Iudæis prædicta à Propheta.*

Vos autem accedite huc filii auguratricis, ſemen adulteri, & fornicariæ: ſuper quem dilataſtis os, & ejeciſtis linguam? Numquid vos filii ſceleſti, ſemen mendax? Loquitur hic Propheta cum ſynagoga, quam appellat auguratricem, quia in decernendo mortem Chriſto auguravit ſibi libertatem, & liberationem ab oppreſſione Romanorum, dicens: quid facimus, &c. ſi dimittimus eum, venient Romani, &c. Interrogat autem ipſam Propheta, dicens: ſuper quem luſiſtis, conſpuendo in faciem barbam evellendo & clamando, crucifige, crucifige eum: ſuper quem (ait) abſque determinatione, quis ſit ille, ut intelligatur, quòd loquitur de Chriſto, qui eſt omnia omnibus, & ideo uno nomine determinari non poteſt: & ſi dicuntur hæc ad Judæos, multò magis etiam ad plurimos Chriſtianos, Chriſto illudentes, & in ſeipſis Chriſtum ruſum crucifigentes. *Luc. c.23.v.36. & Ugo hic.*

737. *Idololatria Chriſtianorum expenditur.*

Qui conſolamini in Diis ſubter omne lignum frondoſum, immolantes parvulos in torrentibus ſubter eminentes petras; in partibus torrentis pars tua, hæc eſt ſors tua, &c. Nota quòd ad litteram Propheta reprehendit Iudæos de idololatria, in quam inciderunt: ſed myſticè loquitur pluribus Chriſtianis, qui ſpiritualiter velut idololatræ honorem Deo debitum vertunt in creaturam: Dicit igitur: Vos, qui conſolamini in Diis alienis, Dii alieni gentium erant ignis, ſcilicet Vulcanus, Aër ſuperior, nempe Iupiter, inferior, ſcilicet Iuno, gyrus ſtellarum, ſcilicet militia cœlorum, Aqua Neptunus, Sol, ſcilicet Phœbus, vel Apollo, Luna, ſcilicet Diana, quos omnes adorant impii Chriſtiani: nam ignem luxurioſi, ſpiritum ſuperbi, Inferiorum aërem iracundi, & impetuoſi; gyrum ſtellarum vitioſi aquam voluptuoſi; ſolem cupidi, Lunam pigri, & accidioſi adorant: ſed præcipuè numerus horum idololatrantium ad tria capita reducitur, nempe ad ſuperbos adorantes eminentes petras, ſcilicet honores; luxurioſos, & guloſos ventrem adorantes; & avaros adorantes nummos, & pecunias: & in hac impuritate, ait ſacer textus, eſt pars iſtorum, & ſors, ſcilicet ex parte animæ, & corporis ſua ipſorum negotiatio, & totum ſtudium. *Op. Diæt. tit. 3 c.2. ſap. c.2 & 11. & 13.*

738. *Deus ſuâ gratiâ vocat ad ſe inceſſanter quoſcumque etiam maximos peccatores.*

Unde hic poſt enumeratas idololatrias, & ſcelera hominum invitat ad pœnitentiam, dicens: *Viam facite, præbete iter, declinate de ſemita, auferte offendicula de via populi mei*, ſcilicet mutare vitam, declinare à malis commiſſis, quia dicit: Excelſus, & habitans æternitatem, & in excelſo, & in ſancto habitans, & cum contrito, & humili ſpiritu, ut vivificet &c. Ecce, quòd pœnitentibus promittit vivificationem, veniam, & remiſſionem peccatorum: Verè bonus, & ſuavis Dominus. *Pſal. 118. c. 6. v.8. & c.8. v.3. & c.10. v.10. Ioan. c.1. v.39.*

739. *Pugna multiplex inter Deum, & hominem expenditur.*

Non enim in ſempiternum litigabo, neque uſque ad finem iraſcar. Quomodo Deus, qui eſt amator pacis, & Rex pacificus litigare & pugnare dicitur? & quis eſt, qui litem audeat cum Deo conteſtare? ſed attende ad mirabilia opera, & ad charitatem infinitam Dei noſtri: Litigat, & pugnat cum Deo, Deus pugnat cum homine, ipſum tribulando, probando, tentando, & ponendo in certamine, & militia, & aliquando oſtendendo ſe velle hominem relinquere, quod facit præcipuè cum ſuis ſervis: & homo è contra bellat cum Deo, orando, inſtando, plorando, & ſic quodammodo ipſum compellendo, ut illum accipiat: ſic pugnavit Jacob Patriarcha cum Angelo, ſcilicet cum Deo, ſic pugnant ſancti frequenter: in qua pugna ſe proteſtatur, nolle in ſempiternum litigare, nec iraſci, quia vim ei facimus quodamodo, dum ei lachrymoſis orationibus obteſtamur, cum ſit veriſſimum, quod non coronabitur, niſi qui legitimè certaverit: ô felix, & deſiderabilis pugna. *Ser. 2. de S. Lucia Ser. 1. Dom. 9. Pent. & Pſal. 77.* Nota etiam (ait S. Joan. Chryſoſtom.) quod certant continuè inter ſe divina Bonitas, & humana malitia, hæc Deum oſtendendo, illa, peccatoribus benefaciendo.

740. *Per Chriſtum, & Mariam Virginem lis, bellumque inter Deum, & homines ablata ſunt, & pax mundo data.*

Non in ſempiternum litigabo. &c. Cur ô bone Deus non ſemper litigabis cum homine? Ecce reſponſum: *Creavi fructum labiorum pacem, pacem ei, qui longè eſt, & qui prope dicit Dominus, & ſanavi eum:* Sed quis iſte fructus labiorum? & ſi ex hoc fructu orta eſt pax, quomodo dicitur fructus labiorum? ſed attende ad myſterium: Hic eſt Chriſtus Jeſus fructus Ventris Mariæ Virginis, è cujus labiis ſtillaverunt melliflua verba illius: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum Verbum tuum*, & tunc ſtatim concepit mellifluum fructum ſuum, nempe Jeſum Chriſtum, ad cujus ortum Deus Pater creavit, ſive fecit pacem, pacem, ſcilicet malis, & bonis: Pacem refudit, & obtulit ei, qui longè eſt per culpam, ut fiat prope per gratiam, pacemque ei, qui prope eſt per gratiam, ne fiat longe per culpam: Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum: fructus etiam iſte factus eſt pax inter homines, quæ longe erat in mundo, & pacem inter hominem, & Angelum, qui propè eſt in Cœlo, utroſque enim pacificavit in patibulo Crucis: Itaque fructus iſte pax hominis ad hominem, pax hominis ad Angelum, & pax hominis ad Deum factus eſt: Ergo gratias agamus Beatæ Mariæ Virgini, quæ talem fructum nobis dedit. *Op. ſpecul. B. Virg. lect. 18.*

741. *Confeſſio peccatorum eſt, per quam homo pacificatur cum Deo, & ſanatur ab infirmitatibus.*

Creavi fructum labiorum pacem; pacem ei, qui longe eſt, & qui prope dicit Dominus, & ſanavi eum. Quis iſte fructus labiorum afferens pacem, niſi confeſſio peccatorum? hæc enim facit, quod qui erat longe per peccatum, prope fiat per veniam, & remiſſionem peccatorum, & per gratiam pacificatus cum Deo: fructus quidem virtuoſiſſimus, per quem ſanatur à vulneribus, & infirmitatibus ſpiritualibus. *Ser. 3. Dom. 2. poſt oct. Epiph.*

742. *Impiis nulla eſt pax vera, ſed ſemper agitantur veluti in mari tempeſtuoſo.*

Impii autem quaſi mare fervens (velut mare impulſum, & fluctuabundum legunt ſeptuaginta, & Textus hebræus) *quod quieſcere non poteſt, & redundant fluctus ejus in conculcationem, & lutum; non eſt pax impiis, dicit Dominus Deus.* Ecce qualem antitheſim facit Spiritus ſanctus inter juſtum, & impium: nam poſtquam expreſſit pacem juſtorum, tranſiens ad impios, eos aſſimilat mari procellis agitato: & meritò, ſunt enim furore, & rabie crudelitatis fervidi, rixis amari, ſuperbia tumidi, invidia lividi, luxuria ſpumidi, fraude malitiæ obſcuri, per inconſtantiam fluidi, per incrementa, & decrementa lunæ mutabiles, & continuis agitationibus ſubjecti: Addit: & fluctus ejus redundat in conculcationem, & lutum, quia eorum operationes malæ in propriam conculcationem redundant; ideo non eſt eis pax vera, & licèt videantur quieſcere per proſperitates, tamen eis talis pax eſt bellum continuum: hic eſt ſtatus infeliciſſimus impiorum, &c. *In Thren. c. 2. Sap. c. 2. & 4. & 14. Luc. cap. 2. v. 14. & c. 6 v. 11. & c. 8. v. 35. Ioan. c. 6. v. 4. & Ugo cum cæteris Expoſitoribus.*

CAP. LVIII.

743. *Prædicationis, & Prædicatoris munus qualiter exercendum.*

CLAMA, *ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo ſcelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.* Ecce quomodo Propheta à Deo inſtituitur in munere Prædicationis, qualiter illud exercere debeat: ſic & cuilibet Prædicatori eadem inculcantur: Ait ergò: *Clama*, corde, & ore ſcilicet affectuosè: *ne ceſſes*, ſcilicet continuè: *quaſi tuba exalta vocem tuam*, nempe comminando contra obſtinatos, & tumidos: Nota autem, quòd dicit, quaſi tuba, quia in Num. c. 10. Tuba fiebat invitatio præcipuè ad bellum, & ad ſolemnitatem, & ideo Prædicator debet excitare ad bellum contra vitia, & invitare ad feſtum pœnitentiæ; & annuncia populo, &c. quia Prædicator debet docere quid faciendum; quid reſpuendum, quid amandum, quid odiendum, quid unicuique prohibendum. *Ser. 2. de Evangeliſt. Luc. c. 3. v. 4. & c. 7 v. 32. & c. 8. v. 9. Ioan. c. 1. verſ. 15. & cap. 7. verſ. 16.*

744. *Hypocritæ ſimulant ſe appropinquare Deo, ſed verè ab ipſo elongantur.*

Me etenim de die in diem quærunt, & ſcire vias meas volunt, quaſi gens, quæ juſtitiam fecerit, & quæ judicium Dei ſui dereliquerit, rogant me judicia juſtitiæ, & appropinquare Deo volunt, &c. Ecce quales ſunt fictiones hypocritarum, qui ſimulant ſe quærere Deum, & velle ſcire vias ejus, ſed cum totum ſit fictio, & apparentia, ideo quærentes tali ſimulatione Deo appropinquare, magis ab ipſo elongantur: & nota, quod dicit, ſcire vias meas volunt, quia totum ſtudium eorum eſt ſcire, & benè loqui: Juſtorum verò ſtudia ſunt in operari. *Lucæ capite 13. verſ. 1.*

745. *Quale jejunium à Deo reprobatur, & quale acceptatur.*

Quare jejunavimus, & non aſpexiſti? humiliavimus animas noſtras, & neſciſti? Nota, quòd iſti ſimulatores, & hypocritæ jejunabant, & in exercitiis ſpiritualibus ſe ingerebant, & tamen videntes, quod tale jejunium, taleſque humiliationes Deo non placebant, conquerebantur de hoc: At Deus per Prophetam reſpondit eis: Ecce in die jejunii veſtri invenitur voluntas veſtra, ecce ad lites, & contentiones jejunatis, &c. numquid tale jejunium eſt quod elegi, &c. ſed quodnam peccatum erat hoc jejunium voluntarium? nonne omne opus bonum, ad hoc ut ſit meritorium, exigit concurſum voluntatis? In die jejunii invenitur voluntas veſtra, præterea addit, jejunatis ad lites, & contentiones: & quale malum eſt hoc? nempe repetere ſuum per lites, & conteſtationem? ſed attende, quod hic edocetur, quale jejunium Deo placitum, & quale reprobatur ab ipſo: Dicit ergo Deus; In die jejunii veſtri invenitur voluntas veſtra: Nota, quod non dicit, Voluntas Dei, ſed veſtra: quo modo loquendi involuit quidquid jejunium poteſt reddere Deo exoſum; qui enim jejunat à cibo corporali, vacat tamen peccato, nec ſe abſtinet à peccando, hic ſimilis eſt diabolo, cui eſca non eſt, & malitia ſemper eſt; qui jejunat quidem, ſed voluntas in litibus & contentionibus cum proximo, huic deficit charitas; qui jejunat ob vanam gloriam, iſte ſubtrahit ſibi cibum, & paſcit diabolum, & mundum; qui etiam jejunat, ut parcat crumenæ ob avaritiam, iſte ſubtrahit ſibi, & ponit in burſa, quæ eſt os diaboli; qui jejunant, ſed delicata cibaria quærunt, iſti Deum defraudant, & ventri jejunant Deo ſuo. E contra bonum jejunium eſt, quod aſſumitur ad ſatisfaciendum Deo, quod comitatur pœnitentia, & fuga peccatorum, dicente Deo, nonne hoc eſt jejunium, quod elegi? Diſſolve colligationes impietatis, &c. Taleque jejunium utile eſt ad impetrandam veniam, & ad augendam gratiam, ad obti

obtinendam victoriam de inimicis, & ad promerendam gloriam. *Ser.6. in die Ciner. ſerm.4. Dom.1.quadrag. op.Diat.Tit.2.c.6.v.30. & l.4. d.15.p.1.quæſt.2.& 1.2.a.1.q.4.*

746. *Voluntatis propriæ, & proprii conſilii peſſimi effectus expenduntur.*

Ecce in die jejunii veſtri invenitur voluntas veſtra. Nota, quòd nomine jejunii hîc venit omne opus bonum, & hinc perpende illud verbum, Voluntas veſtra, innuens, quod voluntas propria eſt peſtis, & lepra inficiens omnia bona noſtra: ſed quid eſt hæc voluntas noſtra propria? eſt illa quæ non eſt communis cum Deo, & hominibus, ſed noſtra tantùm, ſcilicet quando quod volumus, non ad honorem Dei, non ad utilitatem fratrum, & proximi, ſed propter nos ipſos tantùm, id facimus ad ſatisfaciendum tantùm nobis ipſis, cui contraria eſt recta facie charitas: & hæc eſt tantum malum quia Deus nihil odit in nobis, niſi voluntatem propriam: ceſſet igitur propria voluntas, & Infernus non erit: ô grande malum propria voluntas, qua fit, ut bona tua, tibi bona non ſint: ex qua voluntate oritur alia lepra, nempe proprium conſilium, eſtque illorum, qui zelum Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam, ſequentes errorem ſuum, & obſtinati in eo, ita ut nullis velint conſiliis acquieſcere, hoc verò unitatem concordiam, & charitatem ſcindit, eſtque peſſimæ ſuperbiæ fructus. *Op.de dono Conſil.c.3.*

747. *Qualiter ſolvenda ſint vincula, quibus obſtringitur anima à diabolo.*

Nonne hoc eſt jejunium magis, quod elegi? diſſolve colligationes impietatis, ſolve faſciculos deprimentes, dimitte eos, qui infracti ſunt, liberos, & omne onus dirumpe. Nota, quòd jejunium Deo charum Propheta collocat primo loco in diſſolutione impietatis, & faſciculorum deprimentium, & depoſitione oneris: quænam ſunt iſta vincula faſciculi, & onera? ſed attende, quòd triplex eſt vinculum, præcipuè quibus utitur diabolus ad capiendum homines, ſcilicet ſuperbia, invidia, & luxuria: primum ordinatur ad inhonorationem Dei, ſecundum ad offenſam proximi, & tertium, ad deordinationem ſui: Item confracti ſunt, quorum voluntas per peccatum infirmata eſt ad bonum: Diſſolve igitur ait Deus iſta vincula humiliatione tui coram Deo, charitate in proximum propter Deum, & ſobrietate, & continentia, & contritione repara confractionem animæ tuæ, ſicque te exonerabis tanto pondere, & tot vinculis: & hoc eſt jejunium, quod à te requirit Deus, ſcilicet declinare à tanto malo. *Ser.2.Dom.11.Pent.op.25. memorial.in princip.*

748. *Eleemoſyna cur præcipitur ſub ratione frangendi panem pauperi.*

Frange eſurienti panem tuum. Cur prætendit, ut panis minutatim frangatur erogandus pauperibus, & non potius integer? ſed attende, quòd hæc fractio non habet pro objecto ipſum panem, ſed perſonas plures, quibus erogandus eſt: *frange*, ait, *panem tuum*, id eſt tua bona, ut fragmenta eleemoſynarum colligere poſſis: *frange panem tuum*, & cum eſurientibus & egenis in domum tuam collectis ipſum comedas: frange item eſurientibus animabus Purgatorii: frange & eſurientibus in Cœlo, qui eſuriunt tuas eleemoſynas, & opera bona, & ſuper alios Chriſtus, qui eſurit hæc in te, & in ſe, & in pauperibus. *Serm.2. Dom.4. quadrag. Luc. cap.3.verſ.11. & cap.10. verſ.34. & c.11.v.5.& c.14.v.13.& cap.24. verſ.29.& cap.16. verſ.5.*

749. *Panis doctrinæ chriſtianæ frangendus ſecundùm capacitatem auditorum*

Frange eſurienti panem tuum. Nota, quòd hæc myſticè diriguntur Prædicatoribus, ut intelligant obligationem graviſſimam, quam habent frangendi panem doctrinæ chriſtianæ auditoribus: & nota, quod dicit, frange eſurienti, & pauperi &c. ſcilicet ut comedant intelligendo credenda, fugienda, & operanda documenta: frange hunc panem ſecundum capacitatem audientium diſtribuendo, ut ſaturentur tali cibo cæleſti. *Luc.c.9. v.17.ſer.2.Dom.4.quadrag.*

750. *Quibus motivis nos excitet Deus ad miſericordiam cum proximo.*

Cum videris nudum operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris &c. Nota, quod dicit, cum videris pauperem: Ergone tantùm quando oculis propriis videmus indigentem, tunc elargienda eſt miſericordia? ſed attende, quod notanter dicit, cum videris. ſcilicet cum cognoveris &c. excitatque nos tribus motivis ad hoc opus miſericordiæ exercendum: primum eſt naturalis conformitas, unde dicit & carnem tuam ne deſpexeris, quia omnes in Chriſto unum ſumus, & omnes ex uno principio originem trahimus: ſecundum eſt indigentia, & neceſſitas propria, qua poſſumus cognoſcere alienam: Tertium eſt amor, & unitas omnium in Chriſto membrorum. *Op.Diæt.Tit.7.c.4.ſer.1.de S.Barthol.*

751. *Hoſpitalitas pauperum ſuadetur.*

Et egenos, vagoſque induc in domum tuam. Ecce quomodo ſuadet nobis hoſpitalitatem pauperum; nam ſi pauperes, & peregrinos in domum tuam inducas, ipſi tibi acquirent ſanctorum amicitiam, & æterna tabernacula, & tibi creſcet oleum miſericordiæ divinæ, & meritum. *Ser. 3. Dom. 12. Pent.Luc.c.24.v.29.*

752. *Chriſtus, & beati quomodò tamquam egeni colligendi ſunt à nobis in domum noſtram.*

Frange eſurienti panem tuum, & egenos, vagoſque induc in domum tuam. Nota,quod myſticè invitamur ad introducendum in domum noſtram, ſcilicet mentis noſtræ illos, qui in hac vita fuerunt egeni,& pauperes,uti ſunt Apoſtoli,Sanctus Pater Franciſcus, qui fuit Pater pauperum, & inter pauperes pauperrimus : ſed quomodò hoc faciendum ? hoc faciemus, ſi eorum vitam intra nos conſideremus, & imitatores ipſorum erimus. *Ser.3.Dom.2.poſt oct.Epiph.*

753. *Chriſtus ſe eſurientem exhibet, ut ipſum cibemus.*

Frange eſurienti panem tuum,& egenos,vagoſque induc in domum tuam. Quis iſte eſuriens,qui à nobis petit panem? Nota,quod hic eſt Chriſtus Jeſus,qui pauperrimus fuit,& dicit de ſe, eſurivi,& ſitivi,ideoque exigit panem à nobis, & cum ipſe dicat Matt. c.8. Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet ubi caput ſuum reclinet,ideo cum ſit ipſe egenus, & vagus invitamur, ad ipſum introducendum in domum mentis noſtræ, conſiderando vitam, labores, neceſſitates pro nobis toleratas, & excitemur ad ipſius imitationem;ſequitur, cum videris nudum, operi eum.

754. *Chriſtus nudus in Cruce,ebrius,& deriſus in paſſione oſtenditur, ut à nobis veſtiatur.*

Cum videris nudum,operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris. Et quando umquam apparet aliquis homo nudus,ut continuè nobis dicatur, cum videris nudum ? hoc certè rariſſimè, vel,numquam evenit : ſubdit, & carnem tuam ne deſpexeris: cur non dicit carnem proximi nudi, ſed carnem tuam ? Attende,quod inter homines, ſolus Chriſtus in Cruce oſtendit ſe nudum, qui carnem noſtram ſuſcepit, ideo hic loquitur Propheta Myſticè de Chriſto : Et quia ſolent quatuor genera hominum eſſe nuda, ſcilicet ebrii, ſpoliati, mendici,& mimi,ſive ſcurræ;& Chriſtus inebriatus vino fortiſſimo charitatis, tamquam ebrius veſtibus ſpoliatus, & deriſus, ex cujus facie defluebant ſalivæ, & ſputa inceſta Judæorum, & etiam tamquam ebrius invaſit inermis diabolum armatum baculo Crucis, & quinque Vulneribus ipſum devicit : nudatus item fuit à Judæis ſuis veſtibus, & tamquam viliſſimus ſcurra, & veluti ſtultus tractatus, & illuſus, & tandem nudum ſe oſtendit in Cruce, & ideo dicitur, cum videris nudum,operi eum : ſed qua veſte ? Veſte ſcilicet fidei, ſpei, & charitatis, devotione, & operibus miſericordiæ : Vide igitur pauperem Chriſtum natum ſine hoſpitio, jacentem inter bovem, & aſinum in Præſepio, & involutum in vili panniculo, fugientem in Ægyptum, ſedentem in aſino, & nudum in patibulo : Et ſi hoc quomodo Chriſtum veſte operies tu, qui veſtem charitatis non habes : *Ser.3.Dom.2.poſt oct. Epiph.ſer.3. in Paraſcev.ſer.3.Dom.12. Pentec.*

755. *Chriſtus cibandus,veſtiendus,& ſubveniendus in pauperibus.*

Frange eſurienti panem tuum : cum videris nudum operi eum, &c. Nota, quod Chriſtus hoſpitatur in pauperibus, & ideo Matt. c. 25. dicet in Judicio : Eſurivi enim,& non dediſtis mihi manducare, &c. & poſtea concludit quod uni ex minimis meis feciſtis mihi feciſtis, ergo Chriſtus eſurit, & indiget in pauperibus : & cum videris egentem, eſurientem,nudum,& indigentem pauperem, recognoſce in ipſo Chriſtum habitantem ; & ipſi Chriſto frange panem tuum, da ei potum, viſita ipſum infirmum &c. collige, & fove ipſum in hoſpitio tuo : ſic enim benedictionem finalem audies ; Venite benedicti Patris mei, &c *Ser.3 Dom.2. Epiph. & ſer.3. in Paraſcev. Unde ſubdit :* Tunc erumpet quaſi mane lumen tuum,& ſanitas tua citius orietur, ſcilicet lumen gratiæ tibi erumpet, & celeriter orietur ſanitas animæ.*Ser.3.Dom.2.poſt oct.Epiph.*

756. *Orationis vis, & efficacia conjuncta cum jejunio, & eleemoſyna expenditur.*

Tunc invocabis, & Dominus exaudiet; clamabis, & dicet, ecce adſum. Nota, quod dicit, tunc : & quando ? Tunc, ſcilicet poſt jejunium,& eleemoſynam ſupra præceptum,invocabis, &c. ideſt, ſi orationem fuderis ad Deum, invocabis, ait, ideſt intus vocabis,attentè orando;clamabis non voce tantùm, ſed deſiderii intentione, Dominus exaudiet, gratiam benè operandi, & perſeverantiam conferendo, & dicet, ecce adſum, quia talis oratio familiaritatem cum Deo inducit, & totum, quod dignè petitur facit impetrare : ex quibus diſcamus, quod Deus promptiſſimus eſt ad dandum,ſed vult à nobis rogari. *Op. de perfect. religioſ.l.2.c.66.Luc.c.4.v.38.& Pſal.101.*

757. *Catena duriſſima eſt conſuetudo peccandi, & connexio vitiorum, quæ eſt deponenda.*

Si abſtuleris de medio tui catenam, & deſieris extendere digitum,& loqui,quod non prodeſt. Ecce quod poſt promiſſionem à Deo factam exaudiendi orationem tuam, & aſſiſtendi tibi oranti, ſubdit : ſi abſtuleris catenam de medio tui, ſcilicet hoc tibi erit, ſi abſtuleris à te catenam, quæ te ligatum tenet in medio: ſed quæ catena eſt hæc deponenda ? hæc eſt conſuetudo peccandi, & peccatorum progreſſus,atque connexio vitiorum; hæcque catena tenet ligatam animam intus, & foris, & impedit ne oratio noſtra exaudiatur: hanc catenam contritione,& pœnitentia depone; & ulterius deſine extendere digitum, & loqui, quod non prodeſt, ideſt, ut explicat, D. Gregor. ſoluto conſcientiæ vinculo, deſine jam digitum extendere, ut indiſciplinatos motus, & inutilia verba dimittas, quia in extenſione digiti, & linguæ notatur diſſolutio.*Sap.c.17. S.Gregor.hic.*

758. *Eleemoſyna ſacrificium prius in corde, poſtea in manu offeratur pauperi.*

Cum effuderis eſurienti animam tuam, & animam afflictam repleveris, orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt ſicut meridies. Quid eſt effundere animam eſurienti? nonne ſufficit extendere manus? Sed attende, quod ad hoc ut eleemoſyna ſit Deo chara, non ſufficit, ut foris ſolum exhibeatur; ſed requiritur, ut prius in corde offeratur cum ſimplicitate intentionis ad Deum, & compaſſione affectionis ad pauperem, quæ conditiones involvunt diſcretionem in electione, dulcedinem in ſermone, hilaritatem in facie, & celeritatem in opere, ſi hoc feceris, orietur in tenebris hujus vitæ lux tua, ſcilicet Chriſtus dicet, ecce adſum, ad te illuminandum, & fovendum ſua gratia. *Luc c.6.v.30.& c.11.v.41. Op. Eccleſ. Hier. p.4.c.5.prope finem.*

759. *Felicitas Iuſtorum pauperibus ſubvenientium in hac & in alia vita expenditur.*

Cum effuderis eſurienti animam tuam,&c.& requiem dabit tibi Dominus ſemper,& implebit ſplendoribus animam tuam, & oſſa tua liberabit, & eris quaſi hortus irriguus,& ſicut fons aquarum,cujus non deficient aquæ. Vide, & audi, quæ promittit Deus pœnitentibus, & eleemoſynariis, requiem dabit tibi Dominus ſemper; nota hoc verbum, ſemper, ſcilicet in hac, & in alia vita, & implebit ſplendoribus animam,&c. ideſt virtutibus, & dotibus animæ, & oſſa tua,&c. ideſt glorificabit corpus tuum, & eris quaſi hortus irrigans, ſcilicet verborum bonorum vernans, virtutum floribus redolens, operum fructibus reficiens; & ſicut fons aquarum, nempe in anima abundabunt aquæ ſalientes in vitam æternam indeficientes gratiarum. *Op.Eccleſ.Hier.p.4.c.2.op. de ſept.Itiner. æter. Itin.5.d.7.Ioan.c.7.v.38.& collat.39.ſer.2. in ſabb. S.ſer.4.Dom.2 poſt oct.Paſcha.*

760. *Religio,& ſtatus contemplationis locus eſt quietis.*

Si averteris à Sabbatho pedem tuum, ideſt ſi caveris à violatione Sabbathi, facere voluntatem tuam in die Sancto meo, & vocaveris Sabbathum delicatum,& Sanctum Domini glorioſum,&c. Quomodo dicitur, quod qui averterit à Sabbatho pedem, Sabbathum vocabitur? &c. Sed attende, quod myſticè loquitur de ſtatu contemplationis, & Religionis, in quibus cavetur omnis inobſervantia; nam talis ſtatus, eſt locus quietis, in quo Deus abundanter diffundit ſua dona, & gratias, quia in tali ſtato conſervatur recta intentio, Sanctum deſiderium, humilis ad Deum, pia ad proximum voluntas, perfecta paupertas Spiritus, & participatio veræ beatitudinis: Vnde addit ſuſtollam te ſuper altitudinem terræ,& cibabo te hæreditate Iacob. *Luc.c.6,v.1.& c.23.v.54. Ioan proœm.op.Eccleſ.Hier.p.1.c.4.*

CAP. LIX.

761. *Manus Dei abbreviata eſt, ut ad noſtrum auxilium extenderetur.*

E*CCE non eſt abbreviata manus Domini, ut ſalvare nequeat, neque aggravata eſt auris ejus, ut non audiat.* Quomodo hic Propheta fatetur, manum Domini, qui eſt Chriſtus, non eſſe abbreviatam? Nonne alibi dicitur, Verbum abbreviatum fecit Dominus ſuper terram? Sed attende admirabilia & magnalia Dei noſtri: manus Patris eſt filius, per quem fecit, & facit omnia; hanc manum abbreviavit, & veluti contexit in chiroteca carnis, ſumendo humanitatem, ſed tamen mirabiliter hac abbreviatione eam extendit ad nos, & ipſe poſtea in Cruce extendit manus ſuas, ut nos adjuvaret, & dona ſua nobis effunderet: Vnde verificatum eſt illud dictum SS. Patrum, emitte manum de alto, ſcilicet de Cœlo in terram, & de terra uſque in Infernum, ut ſalvet nos. *Serm.3. Dom.1. Adv.Ioan. c.12. verſ.38. opuſc. de inviſibilit.Dei.*

762. *Confidentia in Deum ſuadetur, ex promptitudine divinæ in nos protectionis in quacumque tribulatione.*

Ecce non eſt abbreviata manus Domini, ut ſalvare nequeat, neque aggravata auris ejus, ut non exaudiat. Nota, quòd hæc dicta ſunt à Propheta contra Iudæos, arguente eos de diffidentia auxilii divini promiſſi, ex hoc, quod pœnam ſuæ ipſorum captivitatis imputabant impotentiæ Dei, non ſuis peccatis: ſed tamen hæc propriè diriguntur ad nos à Deo, qui intendit oſtendere, ipſum ſemper preſto eſſe ad nos auxiliandum in quocumque eventu, & tribulatione: levemus ergo ad Deum mentis noſtræ oculos in directo, etiam in profundo miſeriæ, & peccatorum exiſtentes, & clamemus ad ipſum in fortitudine de profundis, ut nobis adjutricem porrigat miſericordiæ ſuæ manum, quia abbreviari numquam poterit ad ſalvandum, vel aures ejus obtundi, ne nos audiat, & exaudiat, non quæſo confidentiam amittamus magnam remunerationem habentem, adeamus Thronum miſericordiæ ejus cum fiducia fructum fidei noſtræ reportantes, ſalutem ſcilicet animarum noſtrarum, nulla nobis inſit cunctatio. *op.25.memorial.& Luc.c.4.v.40.*

763. *Peccatum ſeparat, & elongat à Deo animam, & quomodo.*

Sed iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos, & Deum veſtrum, & peccata veſtra abſconderunt faciem ejus à vobis, ne exaudiat. Quomodo anima poteſt ſeparari, & dividi à Deo, cum ſit ubique & in omnibus per eſſentiam, &c. Sed attende, quod loquitur quoad effectus gratiæ: cum enim peccatum ſit regio longinqua, ideo elongat etiam peccatorem

peccatorem à Deo, non quantum ad ſitum localem, ſed quantum ad voluntatis diſſimilitudinem; peccatum autem cum ſit iniquitas, elongat à ſumma bonitate; cum ſit tenebra, elongat à ſumma luce; & cum ſit nihil, elongat à ſumma æternitate, & exiſtentia. Et nota, quod in hac elongatione, ipſe peccator eſt, qui ſe à Deo ſeparat, interponens peccatum veluti murum fortiſſimum inter Deum, & ſeipſum: Deus enim non poteſt dici cauſa talis ſeparationis, niſi permiſſivè, cum ſit ipſe liberaliſſimus, & ſemper de ſe promptus conferre gratiam: Unde nulla excuſatio poteſt dari in quocumque peccatore, *l.1. d.40.q.ultim.Luc.c.15.v.13.ſap.c.1.*

764. *Peccatum eſt nubes denſiſſima, & murus inter Deum, & nos, impediens exauditionem noſtræ orationis.*

Peccata veſtra abſconderunt faciem ejus à vobis, ne exaudiat: manus enim veſtræ pollutæ ſunt ſanguine, & digiti veſtri iniquitate, & labia, & lingua, &c. Nota etiam, quod peccatum eſt nubes denſiſſima, & murus à peccatore manibus pollutis ſanguine interpoſitus, impediens, ne oratio noſtra ad aures Dei perveniat, & exaudiatur, & ideo non eſt mirum, ſi tot orationes Chriſtianorum reddantur ex ingratitudine noſtra fruſtratoriæ. *Op.de perfect.religioſ.l.2. c.71. ſap.c.1. & l.1. d.40.q.ultim.Pſal.79.Ioan.c.9.v.31.*

765. *Confidentes in rebus temporalibus in nihilo ſuſtentantur, qui in Deum confidunt ſecuri ſunt.*

Non eſt qui invocet juſtitiam, neque, qui judicet verè, ſed confidunt in nihil, & loquuntur vanitates. Ad quid invocanda juſtitia? & quomodo non eſt, qui judicet rectè? præterea quis eſt, qui confidit in nihil? Sed attende, quod loquitur de deceptione mundanorum, qui veram juſtitiam, ſcilicet Chriſtum relinquentes decipiuntur in ſuis judiciis, quia confidunt in nihil, ſperantes ſe in nihil poſſe ſubſiſtere: quomodo in nihil? nempe in ſeipſis, in rebus temporalibus, in peccato: Verè enim eſt in omnibus honoribus, in divitiis, in voluptatibus vanitas, ſicut vanum eſt ſomnium, vana eſt umbra: væ igitur, qui fundunt ſuam ſpem in tali nihil, quia ſolùm laborem concipiunt, & ſolùm labores inveniunt, & pariunt iniquitatem: E contra felix, qui in Deo, in rebus cœleſtibus, & in bonis operibus confidit. *Ser. 1. Dom.12.Pent.ſer.2.de Invent. S.Crucis.*

766. *Peccator aſpis venenoſa.*

Ova aſpidum ruperunt, & qui comederit de ovis eorum morietur, & quod confotum eſt, erumpet in regulum. Ecce quod faciunt iſti miſeri dediti temporalibus, & terrenis, nam fovent ova aſpidum, ex quibus producitur aſpis, & regulus, nempe gignunt peccata, & evadunt aſpides ſurdæ: Aſpis enim eſt ſerpens ſurdus, obturans aures ſuas, ne audiat vocem incantantis; & peccator dicitur ſerpens propter calliditatem, ſurdus propter peccati conſuetudinem, obturans aurem propter peccati obſtinationem, & ſic morti temporali, & æternæ ſubjicitur. *Pſal.57. & ſer.19.Hexam.*

767. *Peccator eſt veluti aranea texens telas viles, & vanas.*

Et telas araneæ texuerunt, & telæ eorum non erunt in veſtimentum, &c. opera eorum inutilia, pedes eorum ad malum currunt, & feſtinant, ut effundant ſanguinem, &c. Nota, quomodo exprimitur perfectè vanitas operum mundanorum: ſicut enim aranea cum labore texit, quia ſe eviſcerat texendo, & poſt laborem non capit niſi muſcam, nec in plano, ſed in angulo texit, & facile à vento diſſipatur: ſic mundani ſe eviſcerant laborantes, & poſt tot labores non capiunt niſi muſcas inquietudinis, & vanitatis, & eorum opera vento vanitatis diſſipantur: ó quàm verum eſt, & diligenter advertendum ab omnibus mundo ſervientibus. *Op.Diat.Tit.1.c.3. & tit.2.c.2.ſap.c.4. Additi & pedes eorum ad malum currunt,* quia ut plurimum iſti ſemper ſunt prompti ad omnia facinora peſſima patranda. *Pſal 118.c.4.v.11.*

768. *Diſciplina in inceſſu qualis ſervanda à Religioſis, quod ad omnes ſpecialiter applicatur.*

Viam pacis neſcierunt, & non eſt judicium in greſſibus eorum, ſemitæ eorum incurvatæ ſunt eis, omnis, qui calcat in eis, ignorat pacem. Quid eſt hoc, quod judicii defectus oſtenditur in gradiendo, & non potius in cæteris actibus gravioribus? Sed attende, quod hoc poteſt ſumi ſpecialiter de impiis, quorum greſſus ſunt incurvati à recta via mandatorum Dei ad Cœlum dirigente recedentes. Poteſt etiam intelligi de inceſſu corporali, & ſic loquitur de Religioſis indiſciplinatis: nam eorum obligatio requirit maximam cautelam in ambulando, nempè ut non impetuoſis greſſibus ambulent, nec erecta cervice, non prominenti pectore, ſeu etiam inclinato ſuper humerum capite, aut vagabundè pendentibus manibus; quæ omnia vel levitatem, vel ſuperbiam, vel remiſſionem, vel hipocriſim ſapiunt: debent & in eundo diſcretionem habere, ne de illorum numero cenſeantur, de quibus hic dicit Propheta; non eſt judicium in greſſibus eorum, quod præcipuè patefit, quando in eundo neceſſitatem, vel ordinem non attendunt. *Op.ſpecul. diſcipl.p.1.c.23.Pſ.118. c.3.v.3.*

769. *Qui Deum, & opera bona deſerit, in ſtultitiam cadit.*

Propter hoc elongatum eſt judicium à nobis, & non apprehendet nos juſtitia, & expectavimus lucem, & ecce tenebræ, ſplendorem, & in tenebris ambulavimus. Propter hoc (ſic loquuntur impii) elongatum eſt judicium: Cur amiſiſtis judicium ô infelices? ergone ſtulti facti eſtis? quænam fuit cauſa tantæ miſeriæ, quæ vos redegit in tenebras, & calamitates? propter hoc, aiunt, quia incurvatæ ſunt viæ noſtræ: ô notent hoc peccatores, quàm decepti in via perditionis, quia ut benè ſe habeant, malè agunt, ut luce, & ſplendore gaudeant, in tenebras ſe præcipitant, & quod omnium peſſimum eſt, malè incedunt in via hujus mundi, quod rectum eſt, relinquunt quod malum eſt amplectuntur, credentes, ſe poſſe benè concludere; hoc ſignum patens eſt ſtultitiæ; quò enim magis ſe elon-

gant à rectitudine actionis, eò à veritate, à juſtitia, à luce, à ſalute elongantur. *Pſal.*118. *c.*10. *v.*11. *op.de perfect.relig.p.*1.*c.*9. Et hinc in perſona iſtorum ſtultorum dicitur : Expectavimus lucem, & ecce tenebræ, &c. quia ſol Chriſtus bonis, & benè operantibus tantùm oritur. *Pſal.*118.*c.*6.*v.*15. *ſap.c* 5.

770. *Qualis nox, & quales tenebra, & errores occurrant deſerentibus veram lucem, ſcilicet Chriſtum.*

Palpavimus ſicut caci parietem, & quaſi abſque oculis attrectavimus : impegimus meridie quaſi in tenebris, in caliginoſis quaſi mortui. O videant, & audiant deſerentes Chriſtum verum ſolem juſtitiæ, quid aliis accidit ſibi ſimilibus : Palpavimus, &c. ſcilicet tenebris circundati oberravimus, neſcientes, quò nos vertere debebamus, & meritò : nam talis nox, quæ animæ advenit ex abſentia Chriſti, eſt obſcura, horrida, triſtativa, infrigidativa, timoris inductiva, periculorum abſconſiva, incedentium offenſiva, & ad perveniendum, & ad inveniendum quod quæritur impeditiva, quia homo in nocte credens ire ab una parte, vadit ad aliam, & quærit à dextris, quod eſt à ſiniſtris; & ante, quod eſt retrò, & è contrario. *Ioan.c.*11. *v.*9.*&* 10.

771. *Qui in hac vita gemunt: in alia latabuntur : E contra qui in hac vita latantur, in alia rugient, & gement.*

Rugiemus quaſi Urſi omnes, & quaſi columba meditantes gememus : expectavimus judicium, & non eſt; ſalutem, & elongata eſt à nobis. Ecce qualis finis impiorum poſtquam texuerunt telas aranearum, poſtquam in hac vita in omnia vitia ſe præcipitaverunt ebrietatibus, comeſſationibus, ludis, & luxuriis dediti, teſtat eis, ut in alia vita ſolùm rugitus, gemitus, planctus infructuoſus, & doloroſus, & miſeria perpetua : E contra, qui in hac vita gemunt, & dolent pro peccatis ſuis veluti columbæ, in alia vita perpetuo gaudebunt: Dicit autem : Rugiemus, & gememus, loquens de rugitu, & gemitu, qui proprius eſt vel beſtiarum, vel pœnitentium : malorum, & bonorum. *Ser.de SS.Sim.& Iud.& de S.Cathar.Luc.c.*2.*v.*24. *& c.*3.*v.*22.*Pſ.*118.*c.*10.*v.*11.

772. *Iudex rectus ſtans in medio, cauſa eſt ſalutis Reipublica : Injuſtus è contra, &c.*

Converſum eſt retrorſum judicium, & juſtitia longè ſtetit, quia corruit in plateis veritas, & aquitas non potuit ingredi, & facta eſt veritas in oblivionem, &c. Ecce undè origo omnium iniquitatum, injuſtitiarum in Civitatibus, & Reipublicis, quia corruit in platea veritas, & juſtitia : Cur in platea, & non potius in Palatio? quia platea ſolet collocari in medio Civitatis, ut videas qualis ſit locus Judicum, & Principum, ſcilicet medium, quod eſt locus virtutis : qui enim rectè judicant, & præſunt, in medio ſe tenent omnibus indifferenter ſine acceptione perſonarum, juſtitiam exhibentes; ſicque ab extremitatibus declinantes, virtutem, ſalutem, & omne bonum ſibi, & aliis conſervant : qui verò impii, ad extremitates ſe conferunt, in omnia mala incedunt, omnem ruinam Civitati afferunt. O quàm verum eſt hoc monitum Spiritus Sancti, & continua experientia notum. *Ser.*1.*de S.Matthia. op.de Eccleſ. Hier. p.*1. *c.*4.*In Eccleſ.c.*3.*ſap.c.*6.

773. *Oratio quàm Deo chara, nobiſque utilis.*

Et vidi quia non eſt vir, & aporiatus eſt, quia non eſt qui occurrat, quia non eſt, qui oret, legit Hebraus; ſed quid eſt, quòd hic dicit Propheta de Deo, Aporiatus eſt Deus? Aporiari eſt diſpoſitio ad infirmitatem, ob impedimentum in poris carnis noſtræ, ne emittantur fuligines, & excrementa in carne diſperſa, ob idque tale impedimentum eſt principium infirmitatis proximæ : Unde alii legunt, Infirmatus eſt Deus : Alii, Depauperatus eſt, quia non eſt, qui oret, &c. Ergo omiſſio orationis noſtræ cauſa eſt infirmitatis, & depauperationis in Deo? Sed attende ad magnalia, & ad efficaciam orationis : nam Deus à nobis exigit orationem, non ut ipſi inſinuemus, quod deſideramus, nec quia indigeat noſtra oratione flecti ad miſericordiam; ſed qui diſpoſuit nobis ſuas gratias gratuito elargiri, diſpoſuit etiam media ex parte noſtri, ut ipſa obtinere poſſimus, & mereamur, inter quæ ſupremum locum tenet oratio: Atque oratio non eſt cauſa ejus beneficentiæ, ſed via, ut ſi non propter illam, tamen per illam nobis miſereatur, in hocque nobis ampliorem profectum procurat. *Op.de perfect.relig.l.*2.*c.*66. *& l.*4.*d.*45.*a.*3.*q.*2.*ad Arg.& l.*3.*d.*13.*a.*2.*q.*1.*ad* 1. Et hinc ſolvitur dubium, quia quando non offertur ante Deum oratio, tunc nobis non impertitur ſuas gratias, ſicque dicitur aporiatus, infirmatus, non emittens ex ſuo fonte ſua dona : ô quàm bonus Deus.

774. *Chriſtus venit in mundum quaſi fluvius abundans ad omnes partes terra extendens ſuas aquas per miſſionem Spiritus Sancti.*

Et timebunt qui ab occidente nomen Domini, & qui ab ortu ſolis, gloriam ejus : cum venerit quaſi fluvius violentus, quem ſpiritus Domini cogit, &c. Ergone Chriſtus venit quaſi fluvius violentus, & non potius voluntarius? ſcilicet quia ei nihil potuit reſiſtere; ſcilicet nec mundus, nec caro, nec diabolus, vel impedire, quin veluti fluvius doctrina, gratia, & ſanguine lavaret, reficeret, & confortaret mundum : Venit, inquam attrahere omnes, & qui in occidente habitant, nempe timoris ſervilis, & qui in oriente ſcilicet amoris filialis; & ut latius, & ſecurius ſuos extenderet influxus, ad omnes miſit Spiritum Sanctum, & veluti ſuavi coactione omnes traheret ad gratiam, & ſalutem, nempè funiculo amoris, bonitatis, & charitatis. *Ser.*7.*Dom.*1.*Adv.& Luc.c.*7.*v.*16.*& c.*21.*v.*24.

CAPUT

CAP. LX.

775. *Chriſtus ſol oriens tantum ſurgentibus à cano terrenorum.*

SURGE *Illuminare Ieruſalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt: quia ecce tenebræ &c.* Nota quod ad litteram Propheta prædicit Civitati Jeruſalem liberationem à captivitate Babilonica: ſed myſticè exprimit ſtatum fælicissimum Eccleſiæ ex ortu Chriſti ſolis juſtitiæ: & notanter dicit: ſurge, quia per hoc dat intelligere, quod lumen à Chriſto nato expanſum in mundo ſolùm communicatur ſurgentibus, & ſe elevantibus ab his terrenis ad cæleſtia. *Luc. c.5. v.27. & c.6.v.19.& c.10.v.30.Eccleſ.c.1.*

776 *Chriſtus ſol mundi, lumen expandens in nativitate, in vita, & in paſſione.*

Surge illuminare Ieruſalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt. Nota, quod hic prævidit, & prædixit Propheta Divini Verbi Incarnationem, influentias ipſius, & effectus, nempè vocationem gentium, ſed ut pateret, quod ad omnes extenſurus erat radios ſuarum gratiarum, dicit: quia venit lumen tuum, ſcilicet Chriſtus ſol extendens ſuum lumen ubique, nempè ſpiritum ſuum, ut homo meritoriè, ut Deus effectivè in omnes, ut ipſos illuminet ab infidelitatis errore, & ignorantiæ, ut expurget à fætore deformitatis culpæ, & ſanet à languore pœnalitatis miſeriæ: ſed adverte, quod licet quantùm ad ſe Chriſtus immittat ſuos radios ad omnes ſine perſonarum acceptione, & Judæos, & Gentiles, & pauperes, & divites, & nobiles, & ignobiles, & ſapientes, & imperitos, tamen efficaciter tantùm pervenit ad membra ſibi unita per gratiam, & conformitatem: Ideo dicit: ſurge, & illuminare; ſurge à peccatis, ut illumineris; & hanc diffuſionem fecit non ſolùm in Nativitate, quando venit ut ſol in mundo, ſed & in toto tempore ſuæ vitæ, & maximè in Cruce; ibi enim eſt verè lux expellens omnes peccatorum tenebras per ſui præſentiam faciens diem, & per abſentiam noctem. *Op. ſtim. p.1 c.7. ſer.1. Hexam. ſer.3. Dom.23. Pent. ſerm.3. in Vigil. Nativit.*

777. *Crux gloria Chriſti extenſa ad totum mundum.*

Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos: ſuper te autem orietur Dominus, & gloria ejus in te videbitur. Nota, quòd dicit quod ſuper hanc caliginem totum mundum obfuſcantem, oritur Dominus, & gloria ſuper nos videbitur, quia per hoc dat intelligere, quod poſt nativitatem Chriſti, etiam gloria ejus extendenda eſt ſuper nos: At quomodo? quando? ſed nota, quod hæc gloria eſt in Cruce, hæc enim eſt gloria Chriſti, & ideo per adventum Chriſti hæc gloria Crucis extenſa eſt per totum mundum. *Op. Phar. l.1 c.4. & op. laudiſmus de Cruce & Ugo Card. hic.*

778. *Sicut in lumine doctrinæ, & exemplorum ambulant gentes*, ſic & in lumine talis doctrinæ, & ſanctitatis vitæ miniſtrorum, & Prædicatorum ambulant gentes in ſplendore ortus Chriſti; non enim ſufficit, ut intùs ardeant, ſed debent foris lucere per converſationis honeſtatem, ut gentes, ſcilicet gentiliter viventes, ambulent proficiendo ad exemplum ipſorum. *Ser. 1. Dedicat.*

779. *Ex latere Chriſti proceſſit congregatio fidelium.*

Leva in circuitu oculos tuos, & vide; omnes iſti congregati ſunt: & filiæ tuæ de latere ſurgent; &c. Quomodò de latere venient, & naſcentur tot filii? & de quo latere? ſed attende ad mirabiles effectus adventus Chriſti ſolis illuminantis: nam dat intelligere Propheta maximam congregationem hominum faciendam intra gremium Eccleſiæ à Chriſto fundatæ, unde dicit; leva ô Eccleſia oculos tuos, & vide: omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi, nempe in tui ſolatium, auxilium, & conſortium: & ſi deſideras ſcire quomodo tam mirabiliter ex omnibus partibus tam diſtantibus mundi venerint, & unde? dico quod venerunt de longe, ſcilicet de ſtatu infidelitatis per pœnitentiam, & de latere Chriſti nati ad fidem: ô verè mirabilis virtus hujus lateris, ex quo non ſolùm filiæ, ſed etiam ſponſa formata eſt ſcilicet Eccleſia, dilige ergo ô anima chriſtiana talem ſponſum, ex cujus latere inter membra Eccleſiæ proceſſiſti: noli propter vilem carbonarium talis ſponſi fidem violare, diaboli voluntatem faciendo, qui carbones Inferni miniſtrat: gratias igitur agamus Chriſto pro lateris ſui beneficio. *Ser.4. Dom. in Albis ſer.5. Dom.4. Pent.*

780. *Culpa elongat animam à Deo, pœnitentia appropinquat, &c.*

Filii tui de longe venient. Ex quo loco? ex loco peccati, quod eſt regio longinqua, diſtare faciens hominem à Deo: iſti autem peccatores venient prope ad Deum directi à lumine divinæ gratiæ per navem pœnitentiæ ad portum ſalutis: Ergo qui relinquit hanc navem ſubmergetur; teneat ergo ſe homo in pœnitentia, qui non vult ſubmergi in culpa. *Ser.1. Dom.4. Pent.*

781. *Gaudium Eccleſiæ pro converſione peccatorum expenditur.*

Tunc videbis, & afflues, mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando converſa fuerit ad te, &c. Ecce quomodo exprimit Propheta gaudium & lætitiam Eccleſiæ propter converſionem peccatorum ad Chriſtum, propter hoc & lætatur, & laudat benignitatem, & miſericordiam Dei. *Ser.5. in die Ciner.*

782. In

782. ***In hac vita contemplativi delibant gaudium beatorum.***

Tunc videbis, & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum &c. Nota, quòd primo loco ponit viſionem, Videbis, poſtea & afflues &c. datquè intelligere, quod in Cœlo viſio Dei eſt inchoatio gloriæ, ex qua ſequitur affluentia dulcedinis in voluntatem abſorptam in ſumma Dei bonitate, quam participat etiam myſtica Jeruſalem ſcilicet anima contemplativa in hac vita, ubi notantur tres ſpecies contemplationis, nempè admiratio mirabitur; dilatatio dilatabitur cor; & alienatio, ſcilicet elevatio ex ſe, & in Deum: unde dicit, & afflues, & ſic jubilus, vel jubilum advenit animæ, ſcilicet gaudium ineffabile mente conceptum, quod neque abſcondi poteſt, nec ſermonibus aperiri: Tale enim jubilum advenit animæ repente ex aliqua devota cogitatione infuſum animæ, quod cor totum concutit ex ſui vehementia, & quodam tremore commovet, & delectabiliter cruciat, & vel per riſum, vel per clamores, vel geſtus, vel ſingultus quaſi evaporando erumpit. *Ser.3. Hexam. Ioan. collat.75.& 78. Op.de perfect.religioſ.l.2.c.73 ſtim. p.3.c.10.*

783. ***Per Chriſti Incarnationem Cameli ad ipſum adducuntur.***

Inundatio Camelorum operiet te: Dromedarii Madian, & Epha, omnes de ſaba venient &c. Quid eſt hoc, quod ad Chriſti Nativitatem Cameli, & Dromedarii, qui itidem ſunt Cameli, ſed velociores venturi erant in tanta abundantia, ſicut abundant in regionibus Madian, & Epha? Sed attende, quod Camelus eſt animal ingentibus membris præditum, enorme, monſtruoſum, & gibboſum, & ideo rectè ſignificat quemlibet peccatorem oneratum gibba peccati, ſed maximè avarum oneratum injuſtis temporalium divitiis: & ecce maximum prodigium: Iſti Cameli venient ad Chriſtum aurum, & thus portantes, ut omnia ſua Chriſti pedibus deponant, & omnibus temporalibus renuncient. *Ser.1.de plurib.Confeſſor.ſer.3 Dom.Palm.* O quot Cameli poſt mortem Chriſti, & prædicationem Evangelii ad ipſum venerunt, quot Principes, quot divites, quot avari omnibus renuntiarunt, omnia relinquendo, omnia Chriſti pedibus depoſuerunt: Veniunt ergo peccatores, & venerunt ad Chriſtum, & in via Dei multis laboribus proficientes, moreſquè cæleſtes portantes coram Chriſto, ut cum Regina ſaba, ideſt fideli anima intrent in cæleſtem Jeruſalem. *Ser.3.Dom.Palm.*

784. ***Solùm Reges digni ſunt afferre Chriſto munera.***

Omnes de ſaba venient, aurum, & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes. Quomodo omnes de Saba venerunt ad Chriſtum? ſi ſolùm legitur, quod tres tantum fuerunt Reges illius regionis, qui cum ſuo comitatu venerunt adorare Chriſtum & ei obtulerunt aurum, thus, & myrrham? *Matth.c.2.* ſed nota, quod dicit, omnes de Saba venient; nomine ſabæ appellabatur tota regio orientalium: dicit, omnes, ideſt de omni gente, & ſtatu converſi fuerunt ad Chriſtum: ſed tamen *Matth.c.2.* Legitur fuiſſe tantùm tres Reges, & hoc ad indicandum myſterium, quia tres Reges ſunt tres vires animæ ad Deum converſæ, & dicuntur Reges, quia jam carni dominantur, ſenſibus principantur, in ſolis divinis ſtudiis, ſicut decet Reges occupantur, & puerum Jeſum jam per effectus multiplices eis revelatum, in Civitate regia, id eſt in hujus mundi machina, æſtimant eſſe quærendum: quærunt igitur meditationibus, requirunt affectibus, interrogant devotis cogitationibus: Ubi eſt, qui natus eſt? Vidimus ſtellam ejus in oriente, vidimus claritatem ejus fulgentem in devota mente, ſplendorem ejus radiantem in intentione animæ, venimus offerre aurum dilectionis ardentiſſimæ, thus conſolationis devotiſſimæ, & myrrham contritionis amariſſimæ; aurum dilectionis propter bona collata, thus devotionis propter gaudia præparata, & myrrham contritionis propter peccata perpetrata: aurum æternæ Divinitati, thus animæ ſanctificatæ, & myrrham corpori paſſibili: Venimus & laudem Domini annunciare per gratiarum actionem. *Op.de quinque ſolemn. pueri Ieſu.ſolemnit.4.Pſal.118.c.11.v.4.ſer.3.& 4. in die Epiph.& Thren.c.2.*

785. ***Eccleſia domus Divinæ Majeſtatis, quibuſnam expoſita, & aperta.***

Omne pecus cedar congregabitur tibi, arietes Nabaioth miniſtrabunt tibi: offerentur ſuper placabili Altari meo, & domum majeſtatis meæ glorificabo. Nota verba, ſigna myſteria: quomodo in domum Majeſtatis divinæ omne pecus Cedar, & arietes Nabajoth congregabuntur? ſed attende, illæ regiones ſunt valde abundantes pecoribus: Myſticè autem per pecora ſubditi, per arietes Prælati, & ſignificat omnes converſos ad fidem: Iſti omnes oblati ſunt Chriſto in Altari fidei, & introducti intra Eccleſiam, quæ eſt domus Majeſtatis Divinæ, quod dicitur non ſolùm de Eccleſia in communi, ſed de quolibet particulari; nam Templum, & Eccleſia eſt omnibus uſibus humanis evacuata, ab inferiori poteſtate exempta, ſoli Deo dicata, divino cultui, & ſacris myſteriis deputata: Dicitur autem domus majeſtatis Divinæ, quia eſt glorioſa majeſtate, ſancta, & munda puritate, magna amplitudine, decora ſpecioſitate, quam prohibet Filius Dei fieri domum negotiationis. *Ioan.collat.14.Luc.c.15.v.6.*

786. ***In Altari cordis offerenda ſunt vota noſtra.***

Offerentur ſuper placabili Altari meo. Nota quod myſticè hoc Altare eſt cor noſtrum: ſed cur appellatur placabile? placabile eſt, ideſt valde placens Deo, ſi in ipſo ardeat ignis amoris Dei, & gratiæ ejus: ô felix, qui ſua vota ſuper hoc Altare Deo conſecratum offert. *Ser.1.de S.Laurent. & ſer.1.Dedicat.*

787. ***Super Altare Crucis Chriſtus obtulit ſua ſacrificia, & nos omnes, ut nos ſuper ipſum noſtra offeramus.***

Offerentur ſuper placabili Altari meo. Nota, quòd Altare dicitur quaſi alta ara, & propter duo, ſcilicet propter immolationem & altitudinem, & ideo

rectè

rectè ſignificat Crucem, in qua Chriſtus obtulit ſeipſum, & omnes homines, per quam oblationem placatus eſt: ſed attende, quod Chriſtus offerendo ſeipſum, factus eſt Altare, & ſuper ipſum, & nos ipſos, & noſtra vota offeramus. *Pſ.25. ſer.2. Dom.5. Pent.*

788. *Anima eſt Templum Deo conſecratum.*

Et domum majeſtatis meæ glorificabo. Nota, quod hæc domus, ſeu Templum myſticè eſt anima Deo dicata: dicitur autem domus majeſtatis, quia eſt ad modum Eccleſiæ materialis conſecrata, ſcilicet aqua compunctionis aſperſione humilitatis, ſigno crucis pœnitentialis, inuncta oleo internæ lætitiæ ſpiritualis, & illuminata lumine divinæ ſapientiæ. *Ser.1. Dedicat.*

789. *Apoſtoli, & viri apoſtolici ſunt nubes volantes.*

Qui ſunt iſti, qui ut nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas. Ecce diſcrimen inter Patres teſtamenti veteris, & Apoſtolos, alioſque ſequaces Chriſti, ejuſque ſpiritu imbutos: nam illi conjugibus utebantur, terrenis intenti, & poſſeſſores erant rerum, & divitiarum temporalium: Iſti è contra; undè Propheta, licet à longe, videns Apoſtolos, alioſque Apoſtolicos viros ſubſtantias deſerere, filios non generare, nil in terra petere, nihil poſſidere, non eos ambulantes per terram velut homines, ſed nubes volantes appellat, & quaſi admirans, quærit: qui ſunt iſti, qui ut nubes volant, quaſi terram non tangentes, & ſicut columbæ ad feneſtras ſuas, repleti ſpiritu manſuetudinis, & ſimplicitatis? Et meritò eos appellat nubes, quia ipſi pluunt verbis irrigando arida corda peccatorum pluviis ſalutaribus verbi Dei, coruſcant miraculis, ſicut enim in nubibus fiunt coruſcationes vapore humido impellente; ſic iſti per virtutem gratiæ, Domino in omnibus præſidium conferente, coruſcant miraculis, & commovent Civitates, & Regna: Tonant ut nubes judiciis, minis, & clamoribus, & volant contemplatione mentis, ut nubes levitate ventorum, volant, inquam agilitate ſpiritus, & virtutis à peccatorum ponderibus alieni, per mentis decurſum, ſive in Cœlum per contemplationem gloriæ, ſive in Deum per exceſſum lætitiæ: & ideo ſi denuo interrogas: qui ſunt iſti viri apoſtolici? reſpondere poſſumus: Iſti ſunt paſtores gregis, conſervatores legis, ſenatores Eccleſiæ, aſſeſſores Judicis. *Ser.6. de SS. Sim. & Iuda. op. Eccleſ. Hier. p.1. c.2.*

790. *Volatus juſtorum ad Deum expenditur.*

Qui ſunt iſti, qui ut nubes volant? Ergone ſancti non pedeſtres incedunt, ſed volant? At quomodo volant? quibus pennis? volant ſancti à terra ad Cœlum, volant quaſi nubes, & quaſi columbæ, & volucres ſpirituales ad Chriſtum, & in ejus vulnera intrantes, ſe abſcondunt: Volant quidem, quia præditi ſunt quatuor pennis mirabilibus, ſcilicet penna dilectionis; amor enim Dei ad ſublimia elevat penna cognitionis, & contemplationis: penna devotionis, & penna orationis. *Ser. de SS Sim. & Iud. Luc. c.13. v.19. & op. myſt. Theol. c.3. p.1.*

791. *Anima pura myſtica columba.*

Qui ſunt iſti, qui ut columbæ volant ad feneſtras ſuas? Nota, quod hic loquitur de animabus puris, eaſque aſſimilat columbæ, & meritò, quia columba eſt humilis in convictu, caret enim felle, roſtro non lædit, prædam non accipit, nec ungulis aves diſcerpit, gemitum pro cantu habet, mutabilis eſt in viſu, celer in volatu, fertilis in effectu: ſic anima pura ſimplicitatem conſervat, aſperitatem pœnitentiæ exercet, ſagacitatem providentiæ contra ſerpentem, obedientiam velocem, & fæcunditatem operum bonorum ſecum comitatur. *Ser. de S. Cathar. Virg. & mart. Op. de ſept. Itiner. ater. Itin.1. d.7. ſer. de S. Luc. ſer.2. Dom.2. poſt oct. Epiph. Luc. c.2. v.24.*

792. *Anima ut columba volet ad Vulnera ſalvatoris, & ad cuſtodiam ſenſuum.*

Qui ſunt iſti, qui ut columbæ volãt ad feneſtras ſuas? Ad quas feneſtras volant myſticæ columbæ? Nota quòd ſenſus noſtri ſunt feneſtræ animæ, & ideo celeriter anima pura volat ad iſtas feneſtras, ut eas cuſtodiat ab ingreſſu accipitris. Vel ad feneſtras ad Vulnera ſalvatoris: nam columba numquam eſt ſecura, niſi quando ſe reduxit ad ſua foramina: ſic anima ſolùm eſt ſecura, quando volat ad Vulnera ſalvatoris, ibique requieſcit. Et ſi hoc, cur igitur non volemus, non intremus in has feneſtras dulciſſimas? ô cæcitas filiorum Adæ, qui per hæc Vulnera in Chriſto neſciunt intrare! ſupra vires laborant in vanum: cur ergo tardatis per corporis Chriſti foramina in gaudium beatorum intrare? Ego certè volo introire, & ibi tria Tabernacula facere, unum in manibus, unum in pedibus, & aliud continuum in latere, ibi volo quieſcere, dormire, videre, bibere, comedere, legere, orare & omnia negotia mea pertractare; ibi loquar ad cor ejus, & ab ipſo, quod voluero impetrabo. *Ser. de S. Cathar. Op. ſtim. p.1. c.1. ſer.1. de uno S. Doct.* Nota etiam, quod aliqui Expoſitores ſacri myſticè nubes, & veluti columbæ volantes vocant ſanctorum Reliquias, quæ in feneſtris, ideſt cuſtodiis aſſervantur, & per quas ſancti pluunt aquas gratiarum, irrigant Civitates, coruſcant miraculis, & protegunt devotos.

793. *Pœnitentia eſt navis per quam Chriſtus per ſuos miniſtros conducit ad portum ſalutis peccatores.*

Me expectant inſulæ, & naves maris in principio, ut adducam filios tuos de longe: argentum, & aurum eorum cum eis nomini Dei tui, & ſancto Iſrael &c. Nota quod hæc omnia verificata ſunt poſt adventum Chriſti, & prædicationem Evangelii: nam per Apoſtolos, & Prædicatores, Chriſtus conduxit, & continuè conducit peccatores habitantes in inſulis, ſcilicet in falſa ſecuritate mundi, per navem pœnitentiæ, ut fiant filii Eccleſiæ, & ſecum adſportat aurum & argentum nempe fidem & charitatem, ut per hoc tandem glorificetur Deus in ſalute peccatorum, & ſic ædificetur cæleſtis Jeruſalem, ut hic dicitur: & ædificabunt filii peregrinorum muros tuos, & Reges eorum miniſtrabunt tibi, quia ille amplius ædificabitur in Cœlo, qui argento fidei,

& auro charitatis amplius abundaverit in mundo. *Ser.1. Dom. Trinit. ſer. 1. Dom. 4. Pent.* Idem etiam confirmatur per id, quod ſubjungitur: Et aperientur portæ tuæ jugiter, die ac nocte non claudentur, ut afferatur ad te fortitudo gentium, & Reges earum adducantur: Chriſtus enim per ſuos miniſtros, adduxit, & continuè adducit ad Eccleſiam peccatores, prius captivos diaboli. *Luc.c.19.v.30.*

794. *Servitus Dei, & diaboli expenditur.*

Gens enim, & Regnum, quod non ſervierit tibi peribit, & gentes ſolitudine vaſtabuntur. Ecce quid docet hic Propheta, nempe quàm neceſſarium ſit ſervire Deo, quia omnis homo eſt ſervus, vel Dei, vel diaboli: In ſervitio diaboli eſt continuum exercitium vitiorum, & perditio ſecura: In ſervitio Chriſti exercitium virtutum, & ſalus ſecura, ideo rectè dicitur hic: gens quæ non ſervierit tibi, peribit. *Luc.cap.16.v.13. ſerm.2. de S. Nicol.*

795. *Gens, quæ non ſervit Mariæ Virgini, certò peribit.*

Gens, quæ non ſervierit tibi peribit. Nota, quod à pluribus ſanctis Patribus, ſicut recognoſcunt hæc dicta ad litteram de Chriſto, ſic applicantur Virgini Matri Mariæ, & meritò, quia qui dignè coluerit Mariam, ſalutem conſequetur, qui autem neglexerit eam morietur in peccatis, quia ipſa contemnit diſcedentes ab ejus ſervitio. *Op. Pſalt.B.Virg.Pſal.116.& 117.& 118.*

796. *Adoratio Dei qualiter facienda.*

Et venient ad te curvi filii eorum, qui humiliaverunt ſe, & adorabunt veſtigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant tibi, &c. Ecce quomodo adoratio præſtanda eſt Deo: nota autem, quod hic oſtendit, quod converſi ad Chriſtum, cum prius eſſent adverſi Chriſto, nunc curvi ſe proſternentes coram ipſo, adorabunt: Adoratio enim eſt veluti adverſa oratio, ſcilicet contraria actio geſtibus, & operibus malis prius factis: Dicitur autem, quod curvi venient iſti adoratores, &c. per quod dat intelligere; quod adoratio perfecta exigit correſpondentiam puritatis cordis, proteſtationem Divinæ majeſtatis, rectam fidei confeſſionem, & debitam honorificentiam, cum inclinatione etiam corporis uſque ad terram, & ſic adoratur Deus in ſpiritu, & virtute. *Ioan. cap.4.v.25.& collat.22.Luc.c.15.verſ.20.& c.12. verſ.11.*

797. *Sancti veſtigia Chriſti quomodo dicuntur adorare, & ſequi.*

Et adorabunt veſtigia pedum tuorum. Quid eſt adorare veſtigia pedum Chriſti & non potius pedes? Adorare veſtigia pedum Chriſti eſt ipſum imitari cum reverentia, & humilitate, & perfectione, nempè veſtigia humilitatis, in devincendos nos ipſos, veſtigia charitatis quoad proximos, & veſtigia poteſtatis quodammodo quoad miracula, & prodigia, quæ facit Deus per ſuos ſanctos. *Ser.1. de S.Nicolao.*

798. *Eccleſia quantò magis humiliata, tantò magis exaltata: ſic anima: Ubi de Euchariſtia.*

Pro eo quod fuiſti derelicta, & odio habita, & non erat qui per te tranſiret, ponam te in ſuperbiam ſæculorum, &c. & ſuges lac gentium, & mamilla Regum lactaberis, &c. Vide quomodo verificata eſt hæc prophetia in Eccleſia, quæ cum per tot ſæcula fuerit à potentibus ſæculi depreſſa, & odio habita, tandem ad tantam exaltationem eſt ſublimata, quia in ipſa ſalus ſecura habitat, ipſa continuè illuminatur à ſole æterno ſuo ſponſo: Ut pateat quod quantò quis pro Deo humiliatur, tantò amplius ſublimabitur. *Luc.c.14. v.11. & c.1.v.79.Ioan.collat.48.Pſal.118 c.11.v.14.Luc. c.7.v.28.& c.19.v.19.* Nota etiam, quod plures Sancti Patres per lac, & per mamillam Regum, quibus nutritur Eccleſia, intelligunt ſacramenta Eccleſiæ, & præcipuè ſacramentum Euchariſtiæ, quo veluti mamilla regali lac filiis ſuis regale exhibet: *Sic S. Cirillus, & alii ſancti Patres.*

CAP. LXI.

799. *CHRISTUS, quia ſine menſura fuit unctus unctione Spiritus ſancti, ita ſine menſura effuſus eſt per totam Eccleſiam:* Unde hic in perſona ipſius dicitur: *ſpiritus Domini ſuper me, eo quod unxerit me Dominus: ad annunciandum manſuetis miſit me, ut mederer, &c.* & proſequitur egregia facinora toti Eccleſiæ proficua. *Ser.1.in Epiph. & ſer.10. Pent.* Nota etiam, quod in his verbis enumerantur conditiones veri Prædicatoris, qui ad exemplum Chriſti proponit verbum Dei in ſalutem populorum. *ſer.2.Dom.1.quadrag.& ſer.10.Rogat.* Nota etiam, quod hic eſt ſermo de miſſione æterna, & temporali Chriſti: nam primo modo ſpiritus Domini ſtat pro Patre filium generante: ſecundò modo ſtat pro Patre, & Spiritu ſancto, & ipſo filio. *L.1. d.15. p.1. quæſt. 4. & d.34. dub.2.*

800. *Chriſtus medicus proviſus à Spiritu ſancto venit ad medendum noſtras infirmitates.*

Spiritus Domini ſuper me, eo quod unxerit me, &c. ut mederer contritis corde, &c. Notandum, quod patenter hæc verba dicta fuerunt à Propheta in perſona Chriſti, ſicut ipſe Chriſtus poſtquam ductus fuerat in deſertum à Spiritu ſancto, & inde egreſſus intravit in ſynagogam civitatis Nazareth, & traditus eſt ei liber Iſaiæ, legenſque hanc ſcripturam, dixit, tunc eſſe impleram ſuper ſe: In quibus verbis docet, ipſum fuiſſe electum à ſpiritu veritatis ad docendum ignaros, inſtitutum Prædicatorem propter æquitatem judicii, & ſanctitatis, Spiritus Domini ſuper me, ait: Item, & miſſum ad actionem officii, propter quod deſtinatus fuerat à Patre: Et quodnam officium? Reſpondetur ad annunciandum manſuetis, hoc eſt ad medendum, conſo-

landum

lan jumque triſtes à tribulatione, & dolore pœnali, ad ſanandum ægrotos à vulnere peccati, & ad liberandum captivos à carcere diaboli: ergo Chriſtus venit magnus medicus è Cœlo in hunc mundum, ideo unxit eum Pater Spiritu Sancto, & attulit unctionem ſpiritualem, & virtutem, & ita habuit virtutem vitalem, quoniam Deus erat in illo per unctionem; & cum ſit Deus, vitam habebat in ſemetipſo; & quia vitam in ſe habebat, mortuos vivificare poterat, & hinc fecit unguenta curantia à morbo læthali: Dum enim mortalitatem noſtram univit vitæ, & ille, qui erat vita, mortuus eſt, facta eſt confectio Sacramentorum Eccleſiæ, in qua & per quam mortuus reviviſcitur, & ex morte ipſius hæc unguenta, ideſt Sacramenta, habent vivificandi virtutem, & efficaciam. O qualis medicus, qualia medicamenta diſpoſitiva ad ſanitatem, & collativa ſanitatis gratiæ, & gloriæ. *l. 4. ſent. in prolog. ſerm. 1. Dom. 1. quadrag. collat. 51. Luc. c. 5. v. 31. ſerm. 2. de S. Matth.*

801. ***Prædicatoris munus quale, & prædicationis efficacia expenditur.***

Spiritus Domini ſuper me, eo quod unxerit me Dominus ad annunciandum, &c. Hæc verba ſumpſit Chriſtus in principio ſuæ prædicationis, ut oſtenderet quale deberet eſſe munus Prædicatoris, & efficacia prædicationis: ſicut enim Chriſtus, ſic & quilibet Prædicator debet eſſe primò inunctus divina gratia, ſcilicet ad hoc, ut ſecundùm Spiritum Dei exponat Sacram ſcripturam, unde dicit *Spiritus Domini ſuper me, &c.* Secundò inunctus mera obedientia, ideo dicitur ad annunciandum manſuetis miſit me, quia nemo debet hoc officium ſumere, niſi mittatur: Tertiò debet eſſe inflammatus fraterna benevolentia, ideo dicit, *ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & clauſis apertionem.* Sicut enim proles carnalis non generatur ſine amore carnali, ſic nec ſpiritualis ſine charitate: Dat etiam intelligere, qualis debeat eſſe auditor; dicit enim ſe miſſum ad annunciandum manſuetis, nempe humilibus, mitibus, & fidelibus, quia cum doctrina evangelica doceat hominem eſſe diſcipulum Chriſti, hinc decet, talem diſcipulum eſſe mitem, non litigioſum, item humilem in affectu per contritionem Spiritus, unde dicit, ut mederer contritis corde; Item fidelem in aſſenſu per captivationem intellectus; unde dicit, *ut prædicarem captivis remiſſionem, & indulgentiam.* Patet etiam ex dictis, quod cauſa efficiens prædicationis ſuprema eſt Spiritus Sanctus, infima ipſe Prædicator, & intermedia eſt ipſa gratia, quia unctio gratiæ diſponit & Prædicatorem ad docendum rectè, & auditorem ad ſuſcipiendum documenta veritatis: Patet etiam cauſa finalis talis muneris, quæ eſt manifeſtatio veritatis, undè dicitur, *ad annunciandum, &c* medicatio item noſtræ infirmitatis, unde dicitur, ut *mederer, &c.* & reſeratio æternitatis, unde dicit *ut prædicarem captivis, &c.* In quibus verbis Chriſtus ſe mediatorem, Prædicatorem, Redemptorem, & Triumphatorem demonſtrat. *Luc. proœm & c. 3. v. 2. & c. 4. v. 43. & c. 9. verſ. 2. & 55. Ioan. collat. 23. op. medit. vita. c. 18. Ecclen. c. 1.*

802. ***Nomen Chriſti quid indicet.***

Spiritus Domini ſuper me, & quòd unxerit me Dominus. Quid eſt hæc unctio? quomodo inunctus fuit Chriſtus? ſed attende, quod per hanc unctionem indicavit omnia ſua privilegia, nempè quid ſonet hoc nomen, Chriſtus, qui interpretatur unctus, ideo in hoc nomine & Divinitatis, & Incarnationis expreſſio eſt, & fides paſſionis: exprimit enim Perſonam unam in duabus naturis, & dignitatem regiam, & ſacerdotalem, & gratiæ plenitudinem propter unctionis prærogativam, quia in hàc unctione involuitur unctus, ungens, & quo ungitur, ac per hoc ſimul Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, intelligitur etiam uncti gratia, quà ungitur, & dignitas ad quam ungitur, ſive officium: Intelligitur etiam dignitas regalis, & prophetalis, & Sacerdotalis ſecundum triplicem excellentiam ſuam, ſcilicet poteſtatis, veritatis, & bonitatis, in cujus rei ſignum in lege veteri hæ tres perſonæ inungebantur: per hoc nomen etiam confutantur errores contra fidem, & continetur totius fidei fundamentum. *Luc. c. 9. v. 20.*

803. ***Expoſitio Sacræ ſcripturæ quale bonum.***

Ut darem coronam pro cinere. Quam coronam exhibuit Chriſtus pro cinere? pro captivitatis vilitate, & abjectione, in qua ante vivebat gentilitas. Nota quod in Tabernaculo Dei in lege veteri erat menſa refecta duodecim panibus benedictis, & ſupra habebat coronam, per quod ſignificabatur eminentia Sacræ Scripturæ, quæ & reficit animam per fidem duodecim Articulorum, & corona in alia vita promittitur: Promittit igitur Chriſtus audientibus documenta Sacræ ſcripturæ coronam gratiæ, & gloriæ pro cinere, &c. *Ser. 1. Dom. 2. Adv.*

804. ***Humiliatio ad coronam regalem extollit.***

Ut darem coronam pro cinere. Pro quo cinere? pro cinere humilitatis, hocque dicitur, quia homo quantùm glorificavit ſe in deliciis, tantum tormentum dabitur ei in alia vita: & è contra, quantùm ſe humiliaverit, tantò glorioſior erit corona mercedis. *ſer. 2. de una Virg. & ſer. 2. de S. Bart.*

805. ***Poſt Chriſti adventum deſerta ædificata, & habitata.***

Et ædificabunt deſerta à ſæculo, & ruinas antiquas erigent, &c. Cur, & quomodo deſerta ædificata poſt Chriſti adventum, &c. Sed attende, quod Chriſtus exivit è deſerto, & prædicare cœpit pœnitentiam ut dictum eſt, per quam prædicationem deſerta à ſequentibus Chriſtum fuerunt inhabitata; iſta enim ſunt loca ſterilitatis & aſperitatis apta ad exercendam abſtinentiam, loca deſpicabilia ad confundendam jactantiam ſæcularis ambitionis, & loca ſterilitatis apta ad ſuppeditandam avaritiam; & hinc deſertum ſemper fuit locus pœnitentiæ aptus, & ideo à ſectatoribus Chriſti inhabitatus, & amatus. *Ser. 2. Dom. 1. quadrag.* Et hinc talibus ſectatoribus Chriſti dicitur, quod in terra ſua duplicia poſſidebunt, ſcilicet præmium & ſtolam beatitudinis corporis, & animæ. *Ser. 3. Circumciſ.*

806. *Dominus Deus rapinam deteſtatur: Unde dicit hic.*

Ego Dominus diligens judicium; Scilicet juſtitiam, ut detur unicuique, quòd ſuum eſt; & odio habens rapinam: eſtque cum quis rem alterius manifeſtè per violentiam accipit injuſtè, habetque rationem mortalis, & ideo ab iſtis, ſi omnia per rapinam acquiſierunt, non poteſt licitè per eleemoſyna, niſi ignorantia, vel extrema indigentia, vel præſumptio, quod creditores de hoc contenti ſint, excuſet *Op. ſpecul. animæ, c. 2. op. determin. ſuper Regulam, q. 26.*

807. *Semen Chriſti, & ſemen diaboli qualiter differant.*

Et ſcient in gentibus, ſemen eorum, & germen eorum in medio populorum, omnes qui viderint eos, cognoſcent illos, quia iſti ſunt ſemen, cui benedixit Dominus. Nota quod hic loquitur ad litteram ſacer Textus de Apoſtolis ſequacibuſque Chriſti crucifixi, qui per totum orbem exercebant opera virtuoſa, & pietatis: iſta enim ſunt ſignum, quo cognoſcitur ſemen Chriſti benedictum, & quinam ſint filii crucifixi: è contra Zizania cognoſcuntur, eſſe ſemen diaboli, ex operibus malis, nam ex qualitate fructus cognoſcitur qualitas arboris. *Ser. 4. Dom 4. poſt oct. Epiph.* Et hinc ſubdit ſacer Textus in perſona Sanctorum: *Gaudens gaudebo in Domino, & exultavit anima mea in Deo meo, quia induit me Dominus veſtimentis ſalutis, &c.* per quæ notatur præmium, ad quod exaltantur ſectatores Crucifixi, quoad corpus, & animam, quæ erunt glorificata in ſæcula ſæculorum, *Ser. in Dom. quinquag. ſer. 2. de ana Virg. ſer. 3. de uno mart. Luc. c. 5. v. 34. & ſolil. c. 4. Pſalm. 118. in fine.*

CAPUT LXII.

808. *Cur Chriſtus voluit pati in Jeruſalem.*

PROPTER *Sion non tacebo, & propter Jeruſalem non quieſcam, donec egrediatur ut ſplendor Juſtus ejus, & ſalvator ejus, ut lampas accendatur, &c.* Nota, quod hic deſcribit Propheta paſſionem Chriſti futuram in Civitate Jeruſalem, & quia prævidit, quàm convenienter ſubierit paſſionem in iſta Civitate, & fructus paſſionis ejus, dicit, exultanter: propter Sion, & Jeruſalem non tacebo, nec quieſcam; ſcilicet à precibus, & gemitibus, donec videam Chriſtum paſſum in Jeruſalem propter ipſam, ſcilicet quia Joroſolima erat locus, in quo erat ſedes Regni, Sacerdotii, Magiſterii & Judicii, ideo ibi debebat pati ille, qui erat Rex, Sacerdos, Magiſter, & Judex, ut ſic ex Jeruſalem exiret, & inciperet Chriſti Regnum, & ſe diffunderet ut ſplendor per totum mundum, ad illuminandum tenebras noſtras. *Luc. c. 18. v. 31. & c. 15. v. 18. ſap. c. 7.*

809. *Jeſus nomen, nomen novum.*

Et vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit. Quod nomen novum eſt iſtud? hoc eſt nomen Jeſus: Vocabitur tibi (ait Propheta) ſed à quo à Deo, & poſtea ab Angelo, & tandem à Maria, & Joſeph: ſed cur nomen novum dicitur, cum alii hoc nomine appellati fuerint novum dicitur, quia in aliis fuit nomen vacuum, & ſolùm figura, in Chriſto autem fuit novum, quia continet veniam peccatorum noſtrorum, gratiam, victoriam, & gloriam. *Luc. c. 2. v. 21 ſer. 4. de Circumciſ.* Et nota cum aliis Expoſitoribus, quod ſubdit: Hoc eſt nomen novum, quod os Domini nominavit: quomodò hoc nomen nominatum fuit ab ore Domini? res ipſæ ſunt, quæ nominantur, & nomine exprimitur earum quidditas, & qualitas, non ipſa nomina? At rectiſſimè id dicitur de nomine Jeſu, quia eſt nomen novum, & plenum, & continens virtutem Divinitatis, & humanitatis Chriſti, ideo cum ſit veluti vaſculum plenum gratia Dei, ut dicit Bernardus, hinc & ipſum nominandum, & exprimendum ſignificatione ipſius: Nota etiam, quod hoc poteſt applicari Sancto Joanni Baptiſtæ, cujus nomen os Domini nominavit. *Luc. cap. 1. verſ. 60.*

810. *Nomen Chriſtiani quàm nobile.*

Et vocabitur tibi nomen novum, &c. Hæc diriguntur à Propheta ad Eccleſiam: ſed quale eſt hoc nomen novum? nomen hoc eſt nomen Chriſtiani, quia poſt paſſionem Chriſti appellata fuit gens ejus Chriſtiana, & filii Chriſtiani, quod nomen dicitur novum, ſcilicet nobile, & dignum: O quantùm tenemur Deum laudare, Deum amare, Deum prædicare, qui ad hoc vocati ſunt, ut Deum agnoſcant, ut Chriſtiani fiant, & dicantur; & cum ſaracenis, & aliis multis in errore non permanſerunt: ſed Væ talibus, ſi Deum agnoſcant, ſed non Deum honorant, unde Chriſtiani Chriſto non ſervientes, pluſquam ſaraceni, & pagani puniendi ſunt. *Ser. 2. de uno S. Mart. & Ugo hic.*

811. *Corona gloriæ licet per merita, tamen datur ex mera bonitate Dei.*

Et erit corona gloriæ in manu Domini, & diadema Regni in manu Dei tui. &c. Quomodò dicitur animæ, quod erit corona gloriæ in Cœlo, & non potius coronata? Corona dicitur, quia Chriſtus in Cœlo accingitur, & coronatur multitudine filiorum, qui ſunt corona ejus, & diadema, unde eadem anima dicitur corona Chriſti, & ſimul coronata à Chriſto, corona, inquam, in manu Domini: quid eſt in manu Domini? ſed dicitur, quia licet gloriæ corona detur per merita, ſunt tamen talia de manu Domini, nempè quia ſunt talia fundata in mera gratia Dei, ideo ſolius Dei bonitas eſt, ut nullis præcedentibus meritis gratia ditatus fuerit per quam evectus eſt ad tantam coronam. *Ser. 2. de uno mart. ſer. 3. ibidem. ſer. 2. de una S. Virg. & hinc ſubjungit, & terra tua inhabitabitur, habitabit enim juvenis cum Virgine, & habitabunt in te filii tui. & gaudebit ſponſus ſuper ſponſam, & gaudebit ſuper te Deus tuus*: Quaſi dicat, erit corona Chriſti multitudo filiorum, quia ibi erunt juvenes,

juvenes, & Virgines, & conjogati, & ſenes; & gaudebit Chriſtus ſponſus ſuper Eceleſiam ſponſam pro multitudine filiorum: *Sic Gloſſa, & Ugo.*

812. *Sicut caſtè habitavit ſponſus Ioſeph cum Maria, & ſimul Spiritus Sanctus: ſic & invitatur Spiritus noſter ad habitandum cum ea per devotionem.*

Habitabit Iuvenis tum Virgine, & gaudebit ſponſus ſuper ſponſam. Ad litteram Sponſus Sanctus Joſeph habitavit purè, & caſtè com Virgine Maria, & dicitur Juvenis ob ſuam puritatem illibatam; & ideo gaudebar ſuper ſponſam tam puram, & ſanctam: Sic etiam Spiritus Sanctus, ut Sponſus Mariæ habitavit cum ea, per hocque innuitur quilibet fidelis, ut ſpiritualiter ſemper habiter cum Maria, ſcilicet ut per devotionem, & dilectionem, & ſpiritualem venerationem ipſi uniatur, & ſemper unitus perſeveret. *Serm. 3. Dom. 18. Pent. & Ugo hic.*

813. *Chriſtus Eccleſiam ſuam munivit protectione Sanctorum Angelorum.*

Super muros tuos Ieruſalem conſtitui cuſtodes, tota die, ac nocte non tacebunt. Quinam ſunt muri iſti Civitatis Jeruſalem, nempe Eceleſiæ, & quinam cuſtodes? Nota quod Eceleſia à Chriſto fundata eſt, ipſamque munivit muris fortiſſimis, & ultra hoc conſtituit Cuſtodes qui ipſam veloti vigiles, & milites cuſtodirent tota die, ac nocte: muri iſti ſunt Apoſtoli, & Sancti, Cuſtodes ſunt Angeli deputati ad cuſtodiam Eceleſiæ, & ejus filiorum: Ratio autem quare Deus hæc privilegia contulit Eceleſiæ, & hominibus eſt, tum ex parte divinæ potentiæ, ut ſcilicet non ſolùm ipſe honoretur in ſe, ſed etiam in ſuis ſervis, & ut vincat Dæmones per ſuos miniſtros, & propter hoc Deus exercituum appellatur, tum ex ordine divinæ ſapientiæ, ut inferiora per media gubernet, tum ex ordine divinæ bonitatis, quæ non fuit contenta de divino adjutorio per redemptionem filii Dei, voluit etiam per ſuos miniſtros nos adjuvare, & cuſtodire: Vide ergo quanta ſit bonitas Dei noſtri, qui voluit exercitibus Sanctorum, & Angelorum veloti caſtris, & muris fortiſſimis munire Eceleſiam, qui eam noſque perpetuò cuſtodiunt, & adjuvant, & defendunt. *Ser. de S. Michael. ſer. de Angelis. In Thren. c. 2. Pſal.* 120: *Luc. c. 4. v. 11. l. 2 d. 11. q. 1.*

814. *Prælati ſunt muri, & Cuſtodes Religionum.*

Super muros tuos conſtitui Cuſtodes, &c. Nota, hoc dicitur etiam Religionibus, quarum muri ſunt Prælati, & cuſtodes omnium obſervantiarum, quorum munus eſt vigilare die, ac nocte, ut obſervantia vigeat, ut ſui Religioſi divinis laudibus incumbant, gratias Deo continuè reddant, ut hoſtes eis non prævaleant: ſed quid ſi Prælati ad terram corruant, & à diabolo decipiantur? ô infelices tunc erunt tales Religiones. *In Thren. c. 2. Eccleſ. Hier. p. 4. c. 4. Ecclen. c. 12. Luc. c. 1. v. 63.*

815. *Prælatorum obligatio ad ſubditos expenditur.*

Tranſite, tranſite per portas; præparate viam populo, planum facite iter, eligite lapides, & elevate ſignum ad populos. Nota, quod hæc dicuntur cuſtodibus ſupradictis nempe Prælatis, ut advertant ſummam ſui debiti: Tranſite, tranſite, ſcilicet à ſtatu culpæ, ad ſtatum perfectionis, & juſtitiæ, quam ſubditis debetis oſtendere: præparate viam ante omnes, alios antecedendo, & planum iter facite, de via offendicula removendo, eligite, vel ut legunt ſeptuaginta, projicite lapides, nempè ſcandala, & offendicula; & levate ſignum, ſcilicet Sanctæ Crucis virtutem oſtendite, & prædicate, quomodo ſit directiva ambulantibus, & proficientibus in via perfectionis: Crux enim iter nobis oſtendit, levate hoc ſignum, ut omnes unò corde ſub ipſo conveniant. *Ser. de Exalt. S. Crucis; & Pſal. 118. c. 2. v. 14.*

816. *Sicut adventus ſalvatoris in carnem fuit ſalus omnibus gentibus quoad ſufficientiam; ſit & ſecundus adventus erit gloria omnibus bonis, & ideo ad conſolationem Iuſtorum, & Eccleſia* dicitur hic: *Dicite filiæ Sion: ecce ſalvator tuus venit, ecce merces ejus cum eo, & opus ejus coram illo*, ideſt veniet ad judicium cum cicatricibus ſplendentibus, & oſtendentibus ejus merita, & gloriam, ob quæ electi vocabuntur populus Sanctus redemptus à Domino, & tu Eccleſia militans vocaberis quæſita Civitas, & non derelicta, ſcilicet à Chriſto quæſita, & non derelicta, quia tecum in hoc manebit uſque ad conſummationem ſæculi, & tandem in Cœlum te recipiet. *Luc. cap. 1. v. 40. & Vgo hic.*

CAP. LXIII.

817. *Chriſti Aſcenſio cum vulneribus inſculptis in corpore admirabilis fuit Angelis.*

QUIS eſt iſte, qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſra? Iſte formoſus in ſtola ſua? Nota quod hic Propheta introducit Angelos admirantes in Chriſti Aſcenſione, videntes ipſum aſcendentem cum comitatu maximo Angelorum, & Beatorum propria virtute & non alieno auxilio, & interrogantium: Quis eſt iſte, qui venit de Edom, & de Boſra? Edom interpretatur ſanguinolentus; Boſra, anguſtia, ſcilicet qui venit ſanguinea veſte indutus, plagatus in manibus, pedibus, & latere; ſanguine indutus effuſo in horto, in flagellatione, coronatione, & crucifixione? quis, quis eſt iſte, qui venit de loco anguſtiæ, & tribulationis? Nota autem, quod plures Angeli ignoraverunt myſterium Incarnationis, vel ſaltem ſecundùm plures circunſtantias, ſed poſtea edocti fuerunt ab Eccleſia, ideo interrogabant: quis eſt iſte, &c. quibus omnibus Chriſtus triumphans reſpondit: Ego qui loquor juſtitiam, & propugnator ſum ad ſalvandum, loquor juſtitiam, ſcilicet dictis, & factis; nam mortem ſuſcepi propter inflexibilem

KKk 3 rigorem

rigorem prævenientis juſtitiæ, ratione primæ prævaricationis: Et propugnator ſum ad ſalvandum Patres veſtros de lymbo Inferni propter immutabila decretum, & jusjurandum factum Abraham, daturum me ci in pretium liberationis, ut ſine timore populus meus de manu Dæmonum liberatus, liberè ſerviat Deo, & ideo rubrum, & ſanguinolentum eſt indumentum mei corporis, & veſtimenta, ſcilicet membra mea compreſſa ſunt ſicut calcantium in torculari racemos, eo quod torcular eſt vas aptum ad præmendum racemos mortis, & anguſtiæ: calcavi ſolus, ut de meo ſanguine compreſſo ex meo corpore, ſolveretur debiti reatus pœna pauperrimi hominis. *Ser.1.in Paſcha.ſer.2.Dom.4. Adv.ſer.3. Hexam. l.3.d.2.dub.4.Pſal.18.& 49.& 103.op.de inviſibilit. Dei. Luc.c.15.v.6.& 12.v.50.& cap.2. v.15.& c.22.v.44 op. Comp.Theol. l.4. c.24. opuſc. Lignum vitæ.*

818. *Chriſtus baptizatus eſt totus in ſanguine, ut nos à peccatis baptizaret.*

Quare rubrum eſt veſtimentum tuum, &c. Hoc veſtimentum eſt Chriſti corpus, & caro quæ fuit tota ſanguine tincta, fudit enim ſanguinem, in Circumciſione, in oratione, in flagellatione, coronatione, manuum, pedumque crucifixione, & lateris aperitione, ut ſic appareret, quod copioſa apud eum redemptio, quod ipſe dixerat, baptiſmo habeo baptizari. voluit enim in toto corpore baptizari ſanguine, ut nos à culpis, & peccatis baptizaret, & lavaret. O Mira Chriſti charitas! *Luc. c.12.v.50.& c.22.v.44.*

819. *Chriſtus ſolus calcavit torcular paſſionis, ut virtutem ſanctis daret ipſum imitandi, & ut nobis præpararet vinum dulciſſimum.*

Torcular calcavi ſolus, &c. Nota, quod dicit, calcavi, ſcilicet ſuperavi potentia, & patientia mea paſſionem hanc ſignificatam in torculari, quia graviſſima, & acerbiſſima; & quia calcatores vinum non lædunt, ſed purgant, & eliquant, corticem autem comprimunt: ſic ipſe Chriſtus vinum fortitudinis expreſſit pro Sanctis, & Martyribus, ut in torcularià Tyrannis exprimerentur, & vinum gloriæ educeretur. *Op.Comp. Theol.l.4. c.21.Luc.c.12.v.50.Pſal.80.In Thren.c.1.*

820. *Chriſtus cum Beata Virgine Maria Torcular paſſionis calcavit, &c.*

Torcular calcavi ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum. Nota quod benè dicit Chriſtus, ſe ſolum calcaſſe torcular paſſionis, quia ſolus potuit ſatisfacere Patri, exhibendo vinum ſatisfactionis de toto rigore: ſed poſtea addit: & de gentibus non eſt vir mecum, quia ab omnibus fuit derelictus: dicit, non eſt vir, non mulier, quia ſola Beata Virgo Maria fidelis extitit, & permanſit ad pedes Crucis tamquam perfectiſſima imitatrix, & cum Chriſto corredemptrix. *Op.off.de compaſſ. B.Virg. ſer.3.in Paraſ.op.meditat.c.28.op.ſtim.p.3.c.16.*

821. *Paſſionis, & beneficiorum Chriſti recordatio, & gratitudo ſuadetur.*

Miſerationum Domini recordabor, laudem Domini ſuper omnibus, quæ reddidit nobis Dominus, & ſuper multitudinem bonorum, &c. Ecce quid facit Sanctus Propheta poſt enumerationem dolorum, & paſſionis Chriſti, & beneficiorum ex ipſa provenientium, proponit ſe recordaturum ſemper, & beneficiorum, & benefactoris: & hinc tale exercitium nobis proponitur: miſerationum Domini recordabor debet dicere quælibet anima: & quarum? quia dedit nobis eſſe, poſſe, operari bonum, quia pro nobis incarnatus, quia Redemptor, qui pro nobis paſſus, quia nobis cibum de cœlo dedit, quia remunerator, & ſecundum merita, & vota, & ſupra deſideria: & hinc etiam Eccleſia ordinavit officium laudum divinarum ad certas horas cujuſlibet diei, non ſolùm ut ipſius miniſtri imitatores eſſent Angelorum continue Deum laudantium, ſed etiam, ut certis horis gratias ageremus Deo memores beneficiorum Dei, laudando, & orando, & ſic etiam ſæculares excitarentur ad idem faciendum. *Op.de ſex alis Seraph.c.8.Ecclen.c.12.op. ſpec. B.Virg.lect.9.*

822. *Anima orans, dum Deus ipſi videtur iratus, & ſurdus, inſtruitur.*

Attende de Cœlo, & vide de habitaculo tuo, & gloria tua: ubi eſt zelus tuus, & fortitudo tua, multitudo viſcerum tuorum ſuper me continuerunt ſe. Nota, quod Propheta prævidens Deum veluti iratum ſuper ſe, prorumpit in ſupradicta verba, veluti conquærendo, quod Deus, nec videat, nec audire, vel attendere dignetur, quaſi mutatus in crudelem, quodque cauſat in anima Deum diligente mœrorem maximum: Attamen exemplo Prophetæ non debet propterea ab oratione ceſſare, ſed inſtantius orare, quia per hoc Deus probat orantis conſtantiam, expurgat humiliati conſcientiam, & remunerat afflicti patientiam. *Op.de perfect.religioſ.l.2.c.67.*

CAP. LXIV.

823. *Patrum antiquorum merita, & orationes qualiter concurrerint ad opus Incarnationis.*

VTINAM *diſrumperes cœlos, & deſcenderes, à facie tua montes defluent, &c.* Nota quod iſtæ ſunt voces Sanctorum Patrum, qui ardentiſſimè deſiderabant, & petebant adventum Meſſiæ per Incarnationem: ſed cur in hac oratione utuntur hoc vocabulo, diſrumperes, quod videtur parum ad rem conveniens? Sed attende ad Myſterium: dicunt: Utinam diſrumperes Cœlos, per quem modum notatur ex parte petentium, ardentiſſimum deſiderium, &

ax

ex parte venientis violentia quædam per diruptionem, nempè celeritas, & veluti impetuoſitas facti, & ſimul abundantia gratiæ cœleſtis, quæ per diruptos cœlos uſque ad nos emanavit, & ideo bis cantatur Introitus miſſæ ad deſignandum hoc deſiderium: Hinc diſquirunt Theologi, quali merito concurrerint Sancti Patres ad hoc tantum opus: Et reſpond. quod tantum opus non potuit abſolutè cadere ſub ratione meriti, cum ſit opus meræ benignitatis divinæ, ſed tantùm potuit cadere quoad temporis circunſtantias: in quo merito major, & efficacior pars fuit Sanctitas, & oratio Beatæ Virginis: fuit ergo nativitas Chriſti, & incarnatio materia deſiderandi expectantibus Patribus, quod & nos confundere deberet, dum hujus gratiæ exhibitio nobis non generat tantum gaudium, quantum antiquis Patribus generabat deſiderium ſola repromiſſio *l.3. d 4. art.2. quæſt.1. ſermon.8. in Epiph. Luc c.7.v.27.& c.10.v.24.Ioan.c.8.v.53.& col.16. op.expoſit.Miſſæ.c.8.op.medit.c.4.*

824. ***Incarnatio, quare nomine deſcenſus, inclinationis, defluxus, & diruptionis cœlorum exprimitur? Vbi multa myſteria enarrantur.***

Utinam diſrumperes Cœlos, & deſcenderes, à facie tua montes defluerent, tabeſcerent, arderent igni, &c. Pende hæc verba & alia. *Pſal.143. Inclina cœlos tuos, & deſcende, tange montes, & fumigabunt.* Cur his modis verè inuſitatis petitur adventus Verbi in mundum? Nota, quod deſcendere Deum, non importat degradationem divinæ ſimilitudinis, ſed humanæ naturæ exaltationem: Vnde nunc Deus Cœlos, ideſt cœleſtes Angelos inclinavit, cum naturam humanam ſibi copulatam ſuper ipſos exaltavit: montes verò tetigit, dum carnem habentem defectus humanæ naturæ aſſumpſit à Patriarchis, & Prophetis, qui montes erant ſanctitate: & quia ſecundum Philoſophum, illa ſe tangunt, quorum ultima ſunt ſimul ideo Cœlos diſrupit, cum obſtaculum, quo prohibebatur genus humanum intrare cœlum, removit: ſubdit: A facie tua montes defluent, ſcilicet, à facie tua cœleſti proprietate divini fulgoris inſignita montes, ideſt ſuperbi deffluent, deſerent ſuperbiæ altitudinem, & ſequentur, humilitatis aſſumptæ humilitatem, & ſic tacti manu Chriſti, fumigant intus per doloroſam compunctionem cordis, & exterius per lachrymoſam confeſſionem oris ſuorum peccatorum, ex quibus ſequitur ardor ignis, nempè adventus Spiritus Sancti ſuper eum tamquam ignis ad illuminandum per ſplendorem veritatis, & ad inflammandum per ardorem charitatis. *Serm.8. Dom.20. Pent.*

825. ***Dei viſio gaudium ineffabile animæ cauſat.***

A ſæculo non audierunt, neque auribus perceperunt: oculus non vidit, Deus abſque te, quæ præparaſti expectantibus, &c. O quàm hoc verum eſt! nam cum talis dulcedo ex viſione Dei ſit fluxus dilectionis ſummæ Dei in nos, & cum plus ſuos diligat Deus, quàm ipſi ſeipſos, per conſequens plus ſine comparatione dat gaudii, & dulcedinis in Cœlo, quàm ſciremus vel poſſemus petere, vel appetere: O quàm bonus: quàm magnificus, quàm liberalis in ſuos amicos. *Op.ſtim.p.3. c.20.op.Diat.Tit.10.c.2.op. Comp. Theol. l.7.c.31. ſer.1.de Ang.ſer.1.de SS. Philip. & Iacob. ſap.c.3. Luc.c.2.v.15.*

826. ***Iuſtitiæ noſtræ coram oculis Dei ſunt velut pannus menſtruatæ, & quomodo.***

Et facti ſumus ut immunda omnes nos, & quaſi pannus menſtruatæ univerſæ juſtitiæ noſtræ. Nota, quod ad litteram Propheta loquitur in perſona Judæorum poſt adventum Chriſti, quorum juſtitiæ legales, ut Circuncisio, immolatio, & aliæ ceremoniæ Deo non placent: Dicuntur autem ſicut pannus menſtruatæ, quia mulier quolibet menſe ſolet fluxum ſanguinis ſuſtinere, & tunc debent viri abſtinere ab uxoribus, ut præcipitur Levitic. c.15. in quo poteſt committi peccatum mortale, & hinc ait Divus Hieron. tali tempore concipiuntur membris damnati, cæci, claudi, leproſi, & hujuſmodi, ut quia parentes non erubuerunt commiſceri in ſecreto, eorum peccata pateant cunctis, & apertè redarguantur & puniantur in parvulis: Dicuntur autem noſtræ juſtitiæ quaſi pannus menſtruatæ in oculis Domini, tum ad comparationem divinæ juſtitiæ, quæ videt omnes imperfectiones, negligentias, & vanitates occurrentes in noſtris operibus, etiamſi coram hominibus ſancta videantur, & puta; & hoc eſt, quod valdè timent Sancti, ſcilicet exteriora ſigna foris ſanctitatis: vel in comparatione puritatis Dei, & ideo etiam in bonis valdè timendum eſt, & humiliandum coram Deo. *In Thren.c.1. Pſ.118.c.1.v.10. & 3.v.11.& c.5.v.16.l.4.d.38.dub.4.ar.2. q.1.*

827. ***Oratio excitat, & detinet Chriſtum, ne nobis iraſcatur, & ſe abſcondat.***

Non eſt, qui invocet nomen tuum, qui conſurgat, & teneat te, abſcondiſti faciem tuam à nobis, & alliſiſti nos in manu iniquitatis noſtræ. Nota hunc ordinem verborum: primò dicit, quod non eſt, qui invocet nomen Dei, ſcilicet, qui orationem fundat veram, & ferventem, intus ex corde Deum invocando: Deinde ſequitur, qui conſurgat, & teneat te, ut videas, quod oratio, & conſurgere facit à terra ad cœlum, & ad Deum, ipſumque excitat ad ferendum auxilium, & ipſum detinet, ne feriat, & puniat, & ideo in peſſimo, & deplorabili ſtatu ſe collocat qui deſerit orationem, deplorabilis item ſtatus locorum, & Civitatum, quando omittitur oratio, maximè publica; tunc enim conſequitur abſconſio faciei Dei, nempe divinæ protectionis. *Luc. c.5.v.25.& c.18.v.8.*

828. ***Ante Mariam Virginem non erat, qui detineret Deum, ne feriret, & puniret ſeverè homines.***

Non eſt, qui invocet nomen tuum, qui conſurgat, & teneat te, &c. Quomodo poterat Propheta hoc verè dicere? Nonne Moyſes detinuit Deum, ne exterminaret populum? Nonne tot ſancti Deo chari? ſed transfer mentem ad verba Mariæ Eccleſ. c.24. *In plenitudine ſanctorum detentio mea:* Verum eſt, quod ante Mariam fuerunt plures ſancti,

Digitized by Google

ſancti, qui ad fores divinæ miſericordiæ oratione, & lachrymis pulſabant, ſed tamen non poterant perfectè detinere Deum, ut faciem ſuam apertè oſtenderet mundo niſi iratam: At quando venit Maria in mundum, tunc in plenitudine ſanctorum, ſcilicet in mirifica perfectione omnium ſanctorum ipſa ſuis meritis, orationibus, pœnitentiis, lachrymis, & ſanctitate detinuit, & detinet Deum, ne peccatoribus iraſcatur, ne minuatur ſanctitas juſtorum, imò ipſum attraxit ad nos in carnem. *Op. ſpec. B. Virg. lect.* 7.

829. *Qualiter excitare in nos poſſimus humilitatem.*

Et nunc Domine Pater noſter es tu, nos verò lutum, & fictor noſter es tu, & opera manuum tuarum omnes nos: ne iraſcaris Domine ſatis, &c. Ecce qua oratione Propheta excitat cor ſuum ad humiliandum ſe coram Deo, nempe conſideratione divinæ potentiæ, quæ nos fecit, & vilitas originis noſtræ: Tu Domine Pater noſter es tu, feciſti nos, ſed ex luto; tu fictor noſter, quia ex luto, & ſtercore nos fabricaſti, ergo in nobis nihil eſt, ex quo ſuperbire poſſimus, cum lutum ſimus: & ſi nihil habemus, quod à Deo non acceperimus, quid gloriamur, quaſi non acceperimus, ſed ex nobis ipſis hæc habeamus? ergo in ſolo Deo gloriandum, & nobis nihil ſupereſt, niſi quod ſimus humiles, divinæque potentiæ laudatores: Nota etiam quod dicit: Tu Pater noſter es, ideſt Redemptor noſter, ergo ſi ut Redemptor noſter eſſet, & Pater tantum ſe coram Patre ſuo humiliavit, & nos audebimus plus contra ipſum ſuperbire? Addit, ne iraſcaris Domine ſatis, ideſt nimis, ut legunt ſeptuaginta, & hic conſiderat Deum ultorem, & ſuam juſtitiam exercentem contra noſtra ſcelera: quæ pro uno motu nobiliſſimos Angelos de Cœlo ejecit, & pro modico cibo primos Parentes de Paradiſo: & ſi majoribus non pepercit, quomodo, & vilioribus membris parcet: Igitur & debemus nos coram Deo humiliare animas noſtras, nam humilitas caſum neſcit. *Ser.* 4. *de uno Confeſſ. Ecclen. c.* 2.

830. *Synagogæ deſolatio, & Jeruſalem deſtructio litteraliter prædicta à Propheta, & myſticè expoſita de Eccleſia, & Religione deformata.*

Civitas ſanctificata eſt deſerta, Sion deſerta facta eſt: Ieruſalem deſolata eſt: domus ſanctificationis noſtræ, & gloria noſtra, ubi laudaverunt te Patres noſtri, facta eſt in exuſtionem, & omnia deſiderabilia noſtra verſa ſunt in ruinas: numquid ſuper his continebis te Domine, tacebis, & affliges nos vehementer. Nota, quod hic Propheta perſpicuè prædicit deſolationem Civitatis, & Templi Jeruſalem, quæ poſt Chriſti paſſionem ſupra enarratam deſerta remanſit, unde audita eſt vox in aëre altè dicentium: Tranſeamus ab his ſedibus, quia Angeli, & ſancti facti ſunt inimici ſynagogæ, & divinæ ſeveritatis executores: hoc planum eſt, & patentet in toto orbe apud omnes nationes notum. Myſticè verò Civitas ſancti eſt Eccleſia, vel anima, vel Religio, vel ſtatus clericalis, quæ debent eſſe Sion per altitudinem contemplationis quantum ad Deum, & Jeruſalem per obedientiam pacis quantum ad ſe, & ad proximum, ſed per peccatum fit deſerta, Dei habitatione, & deſolata à gratia confortante, & datur in exuſtionem ignis per ſaturitatem carnalis, vel temporalis concupiſcentiæ, qui ignis omnia bona comburit. *In Thren. cap.* 1. & 2.

CAP. LXV.

831. *Chriſtus expandit manus ſuas in Cruce, ſcilicet dexteram obedientibus, ſiniſtram incredulis.*

QUÆSIERUNT me, qui ante non interrogabant, &c. expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur via non bona, &c. Nota, quod in his verbis deſcribit Deus vocationem gentium, qui ante paſſionem ſuam, nec Deum cognoſcebant, nec quærebant, & reprobationem Judæorum, qui Deum cognoſcentes, increduli fuerant in Chriſtum Redemptorem, & hinc Chriſtus dicit: Tota die expandi manus meas, ſcilicet ab illa die, in qua Crucem aſcendi, & mortem paſſus ſum: Expandi manus meas in Cruce ad hunc populum incredulum: ſed qualis fuit fructus talis expanſionis manuum? Expandi, ait, manus, ut credulus ex incredulo fieret: Expandi manus meas promittendo veniam, gratiam, & gloriam: expandi, ut eos reciperem, & collocarem in ſinu meo, eiſque beneficia elargiret: Expandi tandem manus meas, ſcilicet dexteram credulis, & ſiniſtram incredulis, illis gloriam, iſtis pœnam promittendo. *Serm.* 2. *Dom. in Paſſ. Ioan. collat.* 84.

832. *Sancti ad imitationem Chriſti extendunt manus ſuas multipliciter: Ubi de ſancto P. noſtro Franciſco.*

Expandi manus meas. Sic dicebat Chriſtus in Cruce: expandi manus ad populum incredulum, ut ex tali fiat credulus, & mei imitator: ſic ſanctus Pater Franciſcus, & quilibet imitator Crucifixi, extendit manus ſuas in Cruce pœnitentiæ, & hinc dictus Sanctus Pater voluit habitum ſuæ Religionis formatum ad modum Crucis: extendit & manus ſuas ad Deum, in elevatione orationis, item & ad exercitium operationum. *Ioan. collat.* 91.

833. *Peccatoris ſtatus miſerrimus oſtenditur.*

Populus, qui ad iracundiam provocat me, ante faciem meam ſemper: qui immolant in hortis, & ſacrificant ſuper lateres, qui habitant in ſepulchris, & in delubris Idolorum dormiunt, qui comedunt carnem ſuillam, & jus prophanum in vaſis eorum. Ecce ſtatus miſerrimus peccatoris ſuis ſceleribus provocantibus Deum ad iracundiam: nam iſte exterius in delubra Idolorum dormit, ſcilicet ſtudioſus quidem apparet in exteriori apparentia, ſed tamen in vaſis ſuis, ſcilicet in corde

conſervat

conſervat peſſimas cogitariones, ſignificatas per carnem ſuillam immundam, ideo ſimilis eſt ſepulchro dealbato, quod à foris apparet ſpecioſum, intus autem eſt plenum immunditia. *Luc. c.17.v.31.*

834 *Superbi alios iniquos judicant, proximi ſocietatem abhorrentes à Deo puniuntur.*

Qui dicunt, recede à me, non appropinques mihi, quia immundus es: iſti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die. Vide ad qualem perverſitatem perveniunt iſti increduli, & obſtinati; nam ob ſuperbiam, quam continent in corde, alios deſpiciendo ejiciunt à ſe tamquam immundos ad modum Phariſæi, eiſque apertè detrahunt, dicentes, recede quia immundus es: Ecce, quod Deus iſtos ſuperbos in Inferno torquebit fumo, & igne æterno. *In Turen.c.4. Diat. tit.10.c.1. Luc.c.18.v.9.& c.7.v.39.& c.9.v.49.& c.15.v.2.& c.21.v.33.*

835. *Iuſti ſcripti ſunt in libro vitæ: impii in libro mortis æternæ.*

Ecce ſcriptum eſt coram me, non tacebo, ſed reddam, & retribuam in ſinum eorum, &c. iniquitates veſtra, &c. Loquitur de perverſis, & ſuperbis Deus & dicit: Ecce ſcriptum eſt coram me: quid ſcriptum, & in quo libro? ſcriptum eſt peccatum eorum in libro reprobationis, ſcriptum eſt, non tacebo, & ſi diu patiens fui, veniet tempus quando vos puniam, & retribuam pœnam debitam peccatis veſtris: è contra juſti ſcripti ſunt in libro prædeſtinationis, & vitæ. *Ser.3.Dom.2. Adv.*

836. *Servorum Dei felicitas: diaboli ſervorum infelicitas expenditur.*

Ecce ſervi mei comedent, & vos eſurietis, bibent, & vos ſitietis; lætabuntur, & vos confundemini; laudabunt pro exultatione, & vos clamabitis præ dolore cordis, &c. Ecce diſcrimen inter ſervientes Chriſto, & ſervientes diabolo; nam ſervorum Chriſti felicitas eſt inexplicabilis, ſervi mei, ait Deus, comedent: quid, & quando comedent? comedent in hac vita panem ſuaviſſimum Angelorum Verbi Dei, & panem Euchariſticum, & in futuro panem vitæ æternæ: bibent, ſcilicet conſolationem ſpiritualem animæ, & ſanguinem meum, & in cœlo bibent ad fontes aquarum cæleſtium: ſervi diaboli eſurient, ſitient, ululabunt præ triſtitia cordis, &c. qui eis perpetuus torror, famis, ſitis, & aliarum pœnarum remanet in Inferno. *Op. Diat.tit.10.c.1. Luc. cap.1. v.53.& c.4.v.14.& 4.& c.6.v.25.& c.8.v.28.& c.16.v.23.ſap.c.5.& c.11.*

837. *In reſurrectione omnia innovabuntur.*

Ecce ego creo Cœlos novos, & terram novam, & non erunt in memoria priora, & non aſcendent ſuper cor, &c. Ecce ego creo Ieruſalem exultationem, &c. Nota, quod in his verbis dat Spiritus ſanctus intelligere, quòd in reſurrectione mortuorum omnia innovabuntur, non ſecundùm ſubſtantiam, ſed ſecundùm formam, ſcilicet mirâ pulchritudine innovabit Cœlos, & elementa propter homines; & ſi hoc multò magis ipſos homines juſtos per ineffabilem corporis glorificationem innovabit: Vnde addit, creo Jeruſalem, &c. nempe exultantem, & repletam omni gaudio, & lætitia. *Ser.4 Dom.11. Pent. Luc.c.15. verſ 9.*

838. *Maledictus puer centum annorum.*

Sic dicitur hic: Sed quomodo puer, & centum annorum? ſed attende, quod hic puer non ſumitur ſecundùm ætatem ſed ſecundùm mores, nempè homo, qui inſectator eſt ſuarum paſſionum ad modum pueri, nempè demonſtrat ſtoliditatem in ratione, concupiſcentiam in affectione, inſtabilitatem in operatione, iſte erit maledictus, & in æternum punietur in Inferno. *Luc. c.18.v.16.ſer.19.Hexam Eccleſ.c.10.*

8.9. *Iuſti antequam clament ad Deum audiuntur, & exaudiuntur à Deo dicente hic: Eritque antequam clament, ego exaudiam: adhuc illis loquentibus, ego audiam,* ut videas, quàm Deo ſit accepta oratio juſtorum, & quam ſit promptus ad eos exaudiendum. *Sap.cap.16. Pſal.101. Luc.c.18. v.9.*

840. *Lex evangelica lupos, & agnos ſimul ſociat: Vbi de ſtatu felici Juſtorum, & infelici impiorum.*

Lupus, & agnus paſcentur ſimul; leo, & bos comedent paleas, & ſerpenti pulvis panis ejus. Ecce quale prodigium legis evangelicæ, in qua lupi convertentur in agnos ex ſocietate agnorum, quales fuerunt Diſcipuli Domini, qui miſſi inter lupos, eorum ferocitatem converterunt in manſuetudinem agninam, ut patet in Saulo: è contra bovi, & leoni, & ſerpenti, ſcilicet impiis reliquit Deus fenum & pulverem in ſtabulo mundi, & poſtea Inferni. *Op.Diet.Tit.4.c.5.* Vel etiam dici poteſt, quod peccatores erunt perpetuus cibus Dæmonis, qui eſt ſerpens, quia ipſos ſibi incorporat. *Luc.c.15.v.15.ſer.2.in die Ciner.*

CAP. LXVI.

841. *In juſtis ſuæ Voluntati conformibus veluti in Cælo Deus ſedet.*

HÆC *dicit Dominus: Cælum mihi ſedes eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum: quæ eſt iſta domus, quam ædificaſtis mihi, & quis iſte locus quietis meæ? hæc omnia manus mea fecit &c.* Vide mirabilem bonitatem Dei, qui implendo omnia circundat, & circundando, omnia implet, præſidendo, omnia ſuſtinet, & ſuſtinendo præſidet; & cum totus ſit ubique per plenitudinem Divinitatis ſuæ, dicitur tamen habitaculum, & locus ejus eſſe in his, quæ ſanctiora ſunt, nempè in Angelis, & juſtis per ap-

Digitized by Google

tiſſimam, & ordinatiſſimam voluntatis conformitatem: & hoc precipuè in Religione, quæ meritò dicitur Cœlum, quia habitatores ejus veluti homines cæleſtes ad cæleſtem vitam divina gratia elevati in divinæ laudis confeſſione perſeverant continuè: ſuper iſtos ſedet Dominus, ut in loco ſublimi, nobili & altiſſimo *Ioan.collat.*10. *Op.Eccleſ.Hier.p.*4.*c.*1.*&* 4. *Luc.c.*15.*v.*18.*& c.*21. *v.*5.

842. *Spiritus Domini permanet ſuper humilem, & pauperculum, & timorem Dei habentem.*

Ad quem autem reſpiciam, niſi ad pauperculum? & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos? Legunt ſeptuaginta: ſuper quem reſpiciam, vel requieſcam niſi ſuper humilem, & quietum, & trementem ſermones meos? Nota, quod hic tria genera hominum, vel potius tres virtutes enumerat, ad quas ſpiritus Domini, ſuper alias, reſpicit, & venit; nempè pauperculum, contritum corde, & trementem ſpiritu: cur potius ſuper has, & non ſuper alias virtutes reſpicit Spiritus Sanctus? Sed attende ad myſterium: pauperculus dicitur ille, & qui humilis eſt, & pauper ſpiritu: & quia humilitas, & paupertas ſpiritus diſpoſitio eſt, & radix, & fundamentum omnium aliarum virtutum, ideo ad iſtos attrahuntur oculi Domini: addit, contritum corde, & trementem &c. Datque intelligere, quod ſpiritus Domini eſt triplex ordinans hominem in ſe, & ad ſe, & appellatur à David ſpiritus rectus: contritio ſpiritus eſt puritas, & ſanctitas, quæ ordinat hominem ad proximum, & appellatur Spiritus ſanctus & timor Domini ordinat ad Deum, & appellatur ſpiritus principalis, confirmans hominem in Dei ſervitio, & ideo rectè dicitur, quod Deus oculos ſuos figit in has virtutes, & requieſcit, quod experta eſt Maria Virgo ſuper omnes, & Chriſtus Jeſus. *Luc.c.* 11 *v.*20.*& c.*1.*v.*38.*& c.*7.*v.* 23.*c.*8. *v.*47.*c.*9.*v.*58.*&* 48.*l.*3.*d.*34.*dub.*1.*op.medit.c.*16. *Opuſ.Eccleſ.Hier.*1.*c.*3.*&* 4.*ſer.in ſabb.S.*

843. *Partus Beatæ Mariæ Virginis expenditur: Vbi de generatione verbi.*

Vox Domini &c. Antequam parturiret peperit: antequam veniret partus ejus, peperit maſculum &c. Nota quod in his verbis Propheta inſinuat perſpicuè generationem Chriſti æternam ex Patre, & temporalem ex Maria Virgine, & de utroque dicitur: quis audivit, vel vidit umquam tale? & reddit rationem Pater de utroque, dicens: ego qui alios parere facio, aliiſque fœcunditatem confero, ipſe ego ſterilis ero, & mihi deerit hæc ſublimis perfectio: quaſi diceret, minimè, ſed tamen ſine admixta imperfectione: ſed loquendo de nativitate Chriſti temporali, dicit, quod Maria Virgo antequam parturiret peperit, ſcilicet peperit filium, ſine dolore, & in unico inſtanti penitus ſine concurſu virili opere Spiritus ſancti, & ideo talis partus fuit novus, ſine exemplo, & admirabilis, nempe quia Virgo Maria fuit ſine corruptione fœcunda, ſine gravedine gravida, ſine dolore puerpera, ob id tria miracula ibi adfuerunt: primum eſt conjunctio infinitè diſtantium, Deus enim ibi factus eſt homo, Creator creatura, immenſus parvus, Verbum Infans, æternus temporalis: ſecundum eſt, quia qui fecit ventrem factus eſt in ventre: Tertium, quia qui continet omnia continetur in ventre, & ille ibi capitur, quem totus non capit orbis: ergo verè poteſt dici: quis audivit umquam tale, &c. *Luc. c.*11.*v.*27.*& c.*2.*v.*7.*l.*1. *d.*9.*q.*1. *Pſal.*118. *cap.*5 *verſ.*1.

844. *In Eccleſia militante quale gaudium percipitur à fideliter Deo ſervientibus, & quale in Triumphante.*

Lætamini cum Ieruſalem, & exultate in ea omnes, qui diligitis eam; gaudete cum gaudio univerſi, qui lugetis ſuper eam ut ſugatis, & repleamini ab ubere conſolationis veſtræ, ut mulgeatis, & deliciis affluatis ab omnimoda gloria ejus, &c. Notandum, quod Propheta poſtquam notificavit adventum Chriſti in carnem, & ejus opera mirabilia, tranſit ad ipſum notificandum jam glorioſum, & glorioſam ejus Civitatem, & hinc invitat omnes Apoſtolos, alioſque fideles, qui prius fleverunt mortem Chriſti, ut gaudeant, & ad ubera Chriſti confugiant cum tota Eccleſia, ut ſugant lac conſolationis cæleſtis. Myſticè autem loquitur de contemplativis, qui in hac vita poſtquam ſe exercuerunt in fletibus pœnitentiæ in ſtatu actionis, tranſeunt ad ſtatum contemplationis, in quo ſtatu anima repleta tanta dulcedine gratiæ, ſugit ab uberibus conſolationis Spiritus ſancti, ut tota repleta, & perfuſa, ſuper lumina in cæleſtibus elevetur, ut ſupra ſeipſam in ſublimitatibus ſuſpendatur, & à ſeipſa alienetur, & tanto tripudio delectetur, & jucundetur, ut magis ebria, quàm ſobria videatur, & ſi modica ſcintilla de illo torrente tantæ dulcedinis dilapſa, & diſtillata menti humanæ ita perfectè inebriat, quid erit, quando anima totaliter abſorbebitur in illo Pelago infinitæ felicitatis? ô quale gaudium, qualis dulcedo in illa cæleſti Ieruſalem: Ex quibus concluditur, quod quantò magis homo luget præ nimio deſiderio ex dilatione ſupernæ Jeruſalem, tantò majorem dulcedinem gloriæ ſuget ab uberibus divinæ muliebritatis, ex qua quidem dulcedine gloriæ anima repleta & perfuſa, non tantùm ſauciatur, imò inebriatur, & totaliter abſorbetur: & hinc ſubdit Deus: Ecce ego declinabo ſuper eam quaſi flumen pacis, & quaſi torrentem inundantem gloriam gentium, quam ſugetis: ad ubera portabimini. &c. *Ser.*1. *Dom.in Albis.ſer.*4. *Dom.*4. *poſt oct. Paſcha.ſer.*2.*Dom.*1.*Adv.Ioan. collat.*39. *&* 75.*Luc.c.*2.*v.*14.

845. *Euchariſtia eſt lac nobis propinatum ex uberibus humanitatis, & Divinitatis.*

Lætamini cum Ieruſalem, &c. ut ſugatis, & repleamini ab ubere conſolationis veſtræ, &c. Nota, quod plures SS. Patres transferunt hæc verba ad Euchariſtiam, quæ ſub nomine lactis exprimitur provenientis ab uberibus humanitatis, & Divinitatis Chriſti: & hinc dicitur de Chriſto: Butyrum, & mel comedet, &c. Butyrum, ſeu lac coagulatum, & expreſſum ſignificat Chriſti humanitatem; mel Chriſti Divinitatem; invitatur autem anima ad ſumendum lac humanitatis, ut per ipſius guſtum perveniat ad guſtum Divinitatis, ex quibus duobus deſcendunt rivuli dulcedinis

cedinis in tanta abundantia, quod ſolùm ſcit, qui experitur. *Op. de ſeptem Itiner. æern. Itin.6. d.5.* Sicetiam dicebat Sanctus Doctor in extaſim rapius: Vadam ad Præſepe ſalvatoris, in domo panis, & ibi miſcebo lac Virginis cum ſanguine filii, & mihi faciam unam dulciſſimam potionem: ô quàm dulcis potio animæ ſumptio ſanguinis Chriſti, qui fuit lac Beatæ Virginis. *ſtim.div.am.part.1.c.1.*

846. *Ad ubera vulnerum ſalvatoris invitatur anima.*

Lætamini, &c.ut ſugatis, & ſatiemini ab ubere conſolationis. Nota, quod hic myſticè etiam invitatur anima ad ubera ſalvatoris ſugenda, quæ ſunt, non duo, ſed quinque, ſcilicet vulnera manuum, & pedum, & præcipuè lateris, ex quibus emanat lac miſericordiæ, gratiæ, ſapientiæ, charitatis, & vitæ tamquam ex fonte omnium gratiarum, quibus repletur anima conſolationibus, & fructibus cæleſtibus. *Op.ſtim.p.1.c.1. op. de perfect.vitæ c.6.Pſal.141.Luc.c.15.v.5.*

847. *Ad ubera cæleſtis gloriæ invitatur anima per contemplationem.*

Ad ubera mea portabimini, & ſuper genua blandientur vobis: quomodo ſi cui mater blandiatur, ita ego conſolabor vos, & in Ieruſalem conſolabimini. O felix promiſſio, ad hæc ubera curramus omnes nos, qui in hac valle miſeriarum moramur, ubi invenitur ubique mors, luctus, clamor, dolor: Tranſeamus, aſcendamus per meditationem ad cæleſtem Jeruſalem, & ad ubera Divinitatis labia, & ora infigamus, & inde nobis abundabit omnis amenitas, omnis ſecuritas, omnis libertas, omnis voluptas, & medullaris transformatio: Ibi Chriſtus eſt Pater, & mater blandiens, amplexans, & lacte gloriæ nos cibans. *Op.ſtim.p.3.c.ult. de dono ſap.l.11.* Et hinc ſuprà dixerat: Declinabo ſuper eam quaſi firmamentum pacis, & quaſi torrentem mundantem gloriam, quia non in hac vita eſt talis vita, talis cibus, ſed in cæleſti Jeruſalem tantùm. *Ioan. collat.75.*

848. *Iudicium univerſale præcedet ignis, & qualis.*

Ecce Dominus in igne veniet, & quaſi turbo quadrigæ ejus, reddere in indignatione furorem ſuum, & increpationem ſuam in flamma ignis. Nota, quod tranſit Propheta poſt enarrationem effectuum primi adventus Chriſti in mundum, præparationiſque gloriæ ad ſecundum adventum, dicens, quod ipſum præcedet ignis: ſed quis ignis? Ignis duplex; unus, qui purgabit electos, ut totaliter purgati, ſiſtantur in conſpectu Dei, & hic præcedet faciem Judicis; & alius ignis ad purgationem mundi, & ejus innovationem, & iſte ſequitur judicium, & excurret faciem mundi & purgabit, & deinde cruciabit reprobos. *l. 4. d. 47. q.ult.*

849. *Prædicatio Apoſtolorum, & miniſtrorum Eccleſiæ prædicta à Propheta, ejuſque fructus.*

Et venient, & videbunt gloriam meam, & ponam in eis ſignum; & mittam ex eis, qui ſalvati fuerunt ad gentes, in mare, in Aphricam, & Lydiam, & Italiam, & Græciam, ad inſulas longe, &c. & annunciabunt gloriam meam gentibus, &c. In his, & antecedentibus, & ſequentibus verbis prædicit Propheta miſſionem Apoſtolorum, & aliorum miniſtrorum Chriſti, qui ferentes ſecum Crucem, vel in virtute ſigni Crucis portaverunt fidem ad omnes partes terræ, & converterunt tot infideles, quos adduxerunt donum Domino in montem ſanctum fidei, & ad cæleſtem Jeruſalem gloriæ: Dicit autem, quod adducent eos in equis, in lecticis, &c.per quæ inſtrumenta ſignificatur vel facilitas, quæ habetur in Dei ſervitio, mediante auxilio Spiritus ſancti, ejuſque gratia: vel per quadrigam intelliguntur infirmi, & ignobiles; per lecticam, contemplativi, per corrucam nobiles. Nota etiam, quod iſti adducentur ad montem Domini, & ad Civitatem ſanctam: per montem ſtatus Religioſorum, Virginum, & continentium: per Civitatem ſtatus conjugalis; & omnes ad Cœlum media prædicatione adducentur donum Domino. *Sic Gloſa, Vgo. D. Hieron. D. Gregor. aliique Expoſitores, & D. Bonavent. ſparſim. op. Apolog. pauperum op. libel. apolog. op.* Quare fratres minores prædicent, &c.

850. *Juſti ex hac vita in aliam tranſeunt de ſabbato, in ſabbatum.*

Quia ſicut Cœli novi, & terra nova ſtabit coram me, ſic ſtabit ſemen veſtrum &c. & menſis ex menſe, & ſabbatum ex ſabbato &c. Nota, quod in his verbis oſtendit Dominus fructus ſanctitatis, & perfectionis Juſtorum hujus vitæ, promittens, quod in alia vita tranſient à menſe, ſcilicet à perfectione ad menſem, & à ſabbato, nempè à quiete vitæ ſpiritualis, ad ſabbatum æternæ gloriæ innovati, & renovati ſicut Cœli novi, & terra nova. *Luc. c.1. v. 26. & c.23. v.54. Ioan.c.4. v.36. & collat. 37. & 38. ſap. c 16.* Impii è contra tranſeunt ex Inferno in Infernum, à luctu ad luctum, & miſeriam æternam.

851. *Damnati ſunt tales omnes, quia prævaricati ſunt legem Dei.*

Et egredientur, & videbunt cadavera virorum, qui prævaricati ſunt in me. Ergo tales ſunt omnes damnati ob prævaricationem legis divinæ? ſed quomodo hoc, cum multi numquam audierint legem Dei? ſed reſpond. quod omnes habent inſitam in corde legem naturæ, in qua non datur excuſatio, & hæc eſt lex Dei ab ipſo cuicumque homini ſcripta in corde. *Pſal.118. c.8. v.1. & l.2.d.39.a.2.q.1.*

852. *Corpora damnatorum quàm miſerabilia.*

Et egredientur, & videbunt cadavera virorum &c. Quomodo appellantur corpora damnatorum cadavera, cum informentur anima rationali? ſed dicuntur cadavera, ſcilicet viva, quia fœten-

tia, & internæ, & externæ morti ſubjecta, & deformiſſima pluſquam cadavera. *Op.Comp. Theol. l.2.c.22.& l.4.d.44.q.1.& 2.*

853. *In Inferno quare datur pœna æterna.*

Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur &c. Per hæc patet, quod pœnæ Inferni erunt æternæ, & meritò, nam peccator peccavit contra Deum æternum, tum quia ignis materia nempe macula peccati eſt æterna, tum quia eſt contra Deum infinitum, & voluntas in malo ſemper perſeverat. *l.4.d 44. p.2.a.1. per totum.Op.Comp.Theol.l.1.c.33.ſer.1.Dom.1.quadrag.* Nota etiam, quod dicit, quod vermis eorum non moritur, qui vermis non erit materialis, ſed erit tortor conſcientiæ, qui lacerabit in æternum animas.*l.4.d.50.p.2.a.2.per totum.Op.Comp.Theol. l.2.c.51.& l.3.c.7.& l.7.c.22. Luc.c.3. v.9.& 17. & c.16.v.26.l.3.d.23.q.5.*

854. *Vermis conſcientiæ damnatorum expenditur.*

Et vermis eorum non morietur. Quomodo non morietur? ergone erunt in Inferno vermes materiales? minimè; ſecundum probabiliorem opinionem, ſed tantùm erit vermis ſpiritualis, & hic dicitur vermis per ſimilitudinem vermis materialis, qui oritur ex putrefactione, & mordet illud, in quo oritur: ſic in damnatis eſt putrefactio peccati perpetua ibi remanens: & quia adeſt ibi concurſus ſynderesis dictantis qualitates peccati indebitè facti, quia ibi erit apertiſſima viſio omnium peccatorum, & quia talis exiſtentia peccati, ſine delectatione, ſed cum acerbitate pœnæ: hinc oritur talis vermis, qui etiam redundabit per triſtitiam in corpus, & ſic in corpore, & anima perpetua afflictio. *l.4.d.50. p.2.a.2.per totum.ſap.c.15. Ecclen.c.11.op faſcicul. c.3.Op.myſt.Theol.c.3.p.3.op. Comp.Theol.cit.ſer.2. in ſeptuag.*

855. *Ignis Inferni devorabit carnes damnatorum abſque conſumptione.*

Ignis eorum non extinguetur. Si hoc, ergo aliquando ille ignis conſumet corpora, dicente Domino *Pſal.22.*Devorabit eos ignis? ſed attende, quod in Inferno erit non corruptio objectiva, & conſumptiva, ſed tantùm illa, quæ aufert bonam diſpoſitionem generantem voluptatem, & benè eſſe, & ideo non diſponentem ad conſumptionem corporis, & hoc quia ille ignis habet virtutem ad inflammandum, non ad conſervandum: & corpus habet diſpoſitionem ad patiendum, non ad deficiendum, & hoc ex divina juſtitia ſic ordinante; & ſic erit ibi ſemper vita moriens, & mors vivens. *l.4. d.44. p.2.a.3.q.1. ſer.1.Dom.19.Pent.ſer.1.de S.Laurent.* Unde tanta eſt vis illius ignis, quod ſi totum mare in ipſum flueret, nec ipſum ad modicum temperaret. *Ibid.*

856. *Ignis avaritiæ torquet in hac vita avaros, & perpetuò eos torquebit in Inferno.*

Ignis eorum non extinguetur. Quis ignis, & quorum? Ignis avaritiæ, & avarorum; hic ignis in hac vita incipit eos torquere,& in Inferno eos in æternum cruciabit. *Ser.2.Dom.19.Pent.*

857. *Iuſti in utero concipiunt Ieſum: Impii vermem rodentem: Vbi de ſumptione bona, & mala Euchariſtiæ.*

Vermis eorum non morietur. Quis vermis eſt iſte? & ubi naſcitur? Nota quod loquitur de malis, in quorum utero concipitur peccatum, quod eſt putrefactio animæ, & ideo ibi generatur vermis rodens perpetuò eorum animam; quòd maximè verificatur in indignè ſuſcipientibus Euchariſtiam,quæ ipſis vertitur in fel,& vermem rodentem. E contra juſti, admittendo gratiam Dei, & Chriſti corpus dignè recipiendo, concipiunt in corde Chriſtum Ieſum afferentem gratiam, & gloriam perpetuam. *Ser.4. in die Circunc.* Unde dicit Chriſtus: *Caro mea verè eſt cibus* in hac ſolemnitate corporis Chriſti, in qua explicit hæc expoſitio in Iſaïam ad gloriam Dei, & *B.Virg.& Seraph.D.*

EXPOSITIO

EXPOSITIO SERAPHICI DOCTORIS

S. BONAVENTURÆ

IN HIEREMIAM PROPHETAM.

PROLOGUS.

HIEREMPAS fuit Propheta, & Sacerdos, & ſecundum locum inter Prophetas Majores habens: ejus liber, ut etiam dictum eſt de Iſaia, ſcriptus eſt intus, & foris: foris hyſtoricè Judæis beneficia Dei rememorat, eorum malitiæ improperat, æterna ſupplicia, & etiam temporalia malis comminatur, & bonis præmia promittit, ut ſic timore, & amore eos ab iniquitatibus revocet: Intus allegoricè, & myſticè continet principaliter prædictionem Incarnationis, & paſſionis verbi, ſimulque intendit Chriſtianos maximè Eccleſiaſticos, à vitiis revocare, & virtutibus informare: *Op. Princip. S. Script. S. Hieron. & Ugo.* Cætera verò, quæ ad prolegomena hujus libri ſpectant, remittimus ad SS. PP. *Hieronym. Gloſſam, alioſque expoſitores.*

CAPUT PRIMUM.

1. *Expreſſio verbi Dei per prædicationem, ejuſque receptio aliqualem ſimilitudinem præſefert Incarnationis Verbi Dei.*

FACTUM *eſt Verbum Domini ad eum, &c. & factum eſt Verbum Domini ad me dicens, &c.* Si per hoc Verbum Domini Prophetæ communicatum, intelligitur inſpiratio Dei, cur dicitur factum eſt Verbum, & non potius dictum, expreſſum, inſpiratum? nonnè hic eſt modus, quo exprimitur Incarnatio Verbi, ut patet *In Ioan. cap.* 1. *Et Verbum caro factum eſt?* tum etiam quia in S. Scriptura facere exigit, quid agat, nempè terminum ſubſtantialem, unde creare propriè eſt facere? *lib. 2. d. 1. p. 1. a. 1. q. 1. ad* 4. cur ergo dicitur hic factum eſt verbum? ſed attende ad mirabiles effectus Verbi Dei prædicati; quando enim veritatem Divinam intelligis, vel alios intelligere facis Chriſtum gignis, ideſt veritatem, & ita pater es Chriſti, id eſt quandò veritas Divina tibi à Deo, vel ab alio communicatur, tunc Chriſtus in te gignitur, ideſt veritas, & ita es Mater Chriſti: potes etiam eum gignere in corde tuo, & in corde alieno, & concipere à corde, & ab ore alieno; ſic autem Chriſtus, ideſt veritas in te intellecta gignitur, conſenſu concipitur, affectu naſcitur, effectu nutritur: Ergo in lege meritò maledicta pronunciatur ſterilis, quæ talem filium non peperit, ideſt veritatem, ſic quia talem filium non gignit: Hoc attendant & Prædicatores, & auditores Verbi Dei, & caveant à conceptu Verbi Mundani: *Pſal.* 28. Nota etiam quòd dicendo factum eſt Verbum Domini ad me, Propheta ſignat authoritatem à Deo ipſi collatam prædicandi Verbum Dei, oſtenditque verba Dei in ſuo corde à Spiritu Sancto inſpirata. & ſe locutum eſſe Spiritus Sancti inſpiratione; quod & prædicatoribus Verbi Dei proportionaliter competit. *Luc. c. 3. v.* 12.

2. *Hieremiæ, S. Ioannis Baptiſtæ, & Mariæ Virginis ſanctificatio expenditur.*

Priuſquam te formarem in utero novi te, & antequam exires de vulva ſanctificavi te, & prophetam in gentibus dedi te: Nota quod in his verbis patenter dat Spiritus Sanctus intelligere, Hieremiam ad altiora vocatum, & in utero Sanctificatum, & mundatum ab Originali culpa, quod & de Joanne Baptiſta patenter dicitur. Hic autem diſquirunt Theologi quale diſcrimen ſit inter hanc Hieremiæ Sanctificationem, & aliam S. Joannis Baptiſtæ & aliam B. Virginis Mariæ: & reſpondent quòd hoc diſcrimen eſt quòd ſanctificatio duorum iſtorum prophetarum removit culpam, & pronitatem peccandi mortaliter, quia importat confirmationem in gratia, non verò abſtulit pronitatem ad peccandum venialiter: ſed

in Maria Virgine fuit perfectiſſima ſanctificatio præveniens omnem culpam, & auferens omnem fomitem, & pronitatem ad peccandum quocunque modo, & afferens ſecum plenitudinem omnium gratiarum, ut eſſet digna Mater Dei. *lib.3. d.3.p.1.a.1.q.3.& lib.4.d.6. p.2. q.1. & op.Comp. Theol.lib.4.c.4.ſer.1. & ſer.2. de B.Virg.* Hic nota quod S. Doctor in juventute ſua aſſeruit contractionem culpæ originalis in Maria, ſed ſenior factus ipſam negavit ut patet.*in ſerm.cit.*

3. *Qualis ſanctificatio de Chriſto poteſt verificari: ubi de Sanctitate corporea Chriſti, & Mariæ.*

Nota item quod hæc de Chriſto myſticè dicuntur, nempè priuſquam te formarem, ait Pater, in utero B. Mariæ Virg. ſecundùm humanitatem, novi te ſecundùm Divinitatem, ſecundùm quod ſemper es in me: *& antequam exires de vulva Sanctificavi te*, ideſt caro illa de qua formatus eſt antecedenter ſanctificata, & mundata fuit; Undè licèt caro Chriſti materialiter fuerit in lumbis parentum ſecundùm propagationem ſicut caro aliorum hominum, tamen quia talis caro importat conjunctionem cum anima, & cum Verbo, ideò illa caro præciſa, & præordinata, & concepta fuit præter omnem legem naturæ, & concupiſcentiæ.*lib.3.d.3.p.2.a.2. q.2.* Et hinc inferunt plures Theologi, maximè recentiores apud Savedram de B. Virg. quòd caro Chriſti, idem proportionaliter dicendùm de B. Virg. Maria licèt antecedenter non potuerit ſanctificari gratia Spirituali, habitualique (hæc enim ſolùm in anima reſidere poteſt,) ſanctificata tamen fuit gratia corporea, quæ in matre importat vim generandi filium Dei, & in filio vim generationis paſſivæ ex tali Matre, quam ſanctificationem corpoream non negat *loc.cit.* Seraph. Doctor, licèt ſanctificationem ſpiritualem neget in ipſa carne antecedenter ad infuſionem animæ, quia ut dictum eſt hæc ſolùm poteſt ſubjectari in anima: *ſic lib.3.d.3.p.1.a.1.q.1.in princip.corp.* Et hinc ex tali ſanctificatione, & ſanctitate corporea inferunt, ſupracit. DD. contradictionem, & oppoſitionem formalem in B. Virg. ad contractionem peccati Originalis.

4 *Sanctificatio Spiritualis animæ à Deo exigitur in quolibet homine, ſed præcipuè in dicatis divino cultui, & in Prædicatoribus.*

Antequam exires de vulva ſanctificavi te, & prophetam in gentibus dedi te. Nota quod hæc moraliter exponuntur de quolibet fideli ex utero Eccleſiæ exeunte per Sacramentum Baptiſmi, qui ante ætatem adultam, & in ætate parvula ſanctificatur: & quia ſanctificatio in S. Scriptura tripliciter ſumitur, 1. pro emundatione à peccato: 2. pro dedicatione cultui divino: & 3. pro confirmatione in bono, ſicut in Joanne, & Hieremia: ſic & Eccleſia dicitur ſanctificari in laicis, & ſæcularibus per purgationem à peccatis tum in baptiſmo, tùm in Sacramento Pœnitentiæ: & quandò in clericis, & religioſis divino cultui dedicatis commendatur & exigitur, & hoc in Sacramento Ordinis, & in Profeſſione religioſa: & quandò in Paſtoribus & Prælatis confirmatur, qui debent eſſe ſanctificati quoad ſe, & quoad alios confirmandos in bono, undè ſubdit, *& Prophetam in gentibus dedi te: ſerm.3. de Dedicat. Eccleſiæ.* Hic autem quæritur an major ſit ſanctificatio in utero ut in Joanne, Hieremia, & aliis, quam ſanctificatio per Baptiſmum? & reſpondetur quod ſe habent tanquam excedens, & exceſſum ex una parte enim gratia ſanctificationis in utero aliam præcellit, quia talis ſanctificatus in utero non poteſt mortaliter peccare, & ad venialia minus eum inclinat fomes, propter quòd minora & pauciora venialia committit: & ideò hæc gratia eſt media inter baptiſmalem gratiam, & illam Patriæ: Ex alia parte verò ſanctificatio baptiſmalis præcellit ex hoc quod characterem imprimit, & aperit januam cœleſtem, & habilitat ad alia Sacramenta, quorum nihil operatur gratia ſanctificationis in utero. *Opuſ. comp. Theol. lib.4. cap.4.*

5. *Myſterium SS. Trinitatis innuitur à S. Propheta*, qui Deo ipſum deſtinanti ad munus Prophetiæ, ſacerdotale, & Prædicationis reſpondit, & dixit A A A Domine Deus neſcio loqui, quia puer ego ſum, quæ triplex littera A eſt interjectio dolentis, vel admirantis, triplicemque impotentiam proponebat ſcilicet ætatis, ſcientiæ, & eloquentiæ: vel vitæ, ſcientiæ, & doctrinæ: & cum triplex A ponat, & ſubdat in ſingulari Domine Deus denotat Trinitatem Perſonarum, & unitatem Eſſentiæ: *Op. Comp. Theol. lib.1. c.10. ſer.3. Dom. Trinit.*

6. *Iuſti, & humiles quantum poſſunt recuſant dignitates: ſuperbi ſe ultrò ingerunt.*

Et dixit A A A. Domine Deus, ecce neſcio loqui quia puer ego ſum. Ecce qualiter iſte Sanctus verè humilis oblatam prælaturam, & gradum humiliter recuſavit recognoſcens ſe indigniſſimum, & impotentem ad tantum munus ſubeundum: & ideò dixit A A A Domine Deus, neſcio loqui, puer ego ſum, &c. ſcilicet deſtitutus conditionibus neceſſariis, ſic ſemper fecerunt ſancti viri, qui prælaturas, quantum potuerunt recuſarunt, id enim exigit vera, & perfecta humilitas: E contra ſuperbi licet inſufficientes, ultrò ſe imprudenter ingerunt: quòd eſt ſignum intolerabilis ſuperbiæ. *Op. Pharetr. lib.1. c. 11. & ſeq. Luc. c.18. verſ.16. & in Pſal.46. & 72. & 115. Pſal.118. v.89. & Gloſſa.*

7. *Perfecta obedientia, & maximè in miniſteriis à Deo oblatis, & collatis, qualem protectionem divinam mereatur exemplo Chriſti probatur. Vbi de electione divina.*

Noli dicere puer ſum, quoniam ad omnia, quæ mittam te ibis, & univerſa quæcunque mandavero tibi loqueris, ne timeas à facie eorum, quia tecum ego ſum ut eruam te, dixit Dominus. Et miſit Dominus manum ſuam, & tetigit os meum, &c. Ecce quales fructus devotæ humilitatis, & promptæ obedientiæ: Propheta enim poſtquam ſe humiliter ſubjecerat ad terram coram Deo ſtatim fuit ſublimatus ad gradum Prælaturæ, & Prædicationis, ipſique

que à Deo promiſſam habuit ex merito ſuæ obedientiæ gratiá debire exequendi officia impoſita: ſic & Chriſtus miſſus à Patre tali pacto, & ipſe miſit ſuos miniſtros ad officia publica, eoſque munivit gratia, & qualitatibus ad ipſa obeunda neceſſariis. *Luc. c. 3. v. 3. op. Eccleſ. Hier. p. 1. c. 1. & Gloſſ. hic.* Ex quibus infertur quod quando Deus eligit aliquem ad aliquod munus, ipſi etiam exhibet media neceſſaria ad dignam executionem talis muneris: & hinc mirum non eſt quod licèt Apoſtoli à Chriſto electi fuerint numero pauci, potentia infirmi, ſcientia deſtituti, divitiis nulli, tamen Chriſtus per eorum paucitatem omnem multitudinem mundi ſubjugavit; per eorum infirmitatem omnem potentiam Mundi devicit; per eorum ſimplicitatem omnem ſapientiam mundi convicit, & per eorum paupertatem omnes mundi divitias, & ſæculi gloriam contemni fecit: ſufficiebat enim hoc Chriſti promiſſum, *ne timeas, quia ego tecum ſum. ſer. 2. de S. Martino.*

8\. *Qualis felicitas eſt homini eſſe cum Chriſto: qualis infelicitas eſſe ſine Chriſto.*

Ne timeas à facie eorum, quia ego tecum ſum, ut eruam te, dicit Dominus. O qualis promiſſio, quam magna, quam læta: ne timeas ô homo ait Chriſtus, quia ego tecum ſum, nam ſicut magna miſeria hominis eſt non eſſe cum Chriſto, ſine quo non poteſt eſſe, ſic maxima felicitas eſt eſſe cum Chriſto, cum quo eſt plena beatitudo, & omne bonum: *In Io. coll. 52. & 73. & ſer. 4. in vigil. Nat. ſer. 3. Dom. 3. Paſcha.*

9\. *Prælati, & Prædicatores exerceant in Campo Eccleſiæ officium agricolæ.*

Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, & ſuper regna, ut evellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes. Notanda ſunt priùs illa verba conſtitui te ſuper gentes, & regna quæ à Patre directa ſunt Chriſto, quem conſtituit Dominum omnium regnorum Mundi & à Chriſto ſuo Vicario in terris, cui poteſtas tradita eſt ſuper omnes gentes, & regna, & conſequenter etiam poteſtas temporalis prout ſubordinatur Spirituali: & deindè ſubditur evellas, &c. ut ſcirent Prælati Eccleſiarum, & Prædicatores ſe eſſe collocatos in agro Eccleſiæ veluti agricolas, ut evellerent herbas inutiles, ſc. malas cogitationes, & deſtruerent nocivas delectationes, & diſperderent prava opera, & diſſiparent malas conſuetudines reducendo ad pœnitentiam, ut ſic ædificarent Eccleſiam, & plantarent novellas plantationes fructiferas in hoc agro dominico. *In Luc. cap 17. verſ. 35. ſerm. 2. in cathedra S. Petri. Pſalm. 2. & 44. & 64. & 120.*

10\. *Prælati, & Prædicatores juſtitiam, & vindictam divinam prædicent ad terrendos peccatores: & virgam correctionis in obſtinatos exerceant.*

Quid tu vides? virgam vigilantem ego video: & dicit Dominus, benè vidiſti, quia vigilabo ego ſuper verbo meo, ut faciam illud. Ecce quod poſt commiſſum officium prædicationis Prophetæ Deus oſtendit quid debuit prædicare ad evellendas à campo Eccleſiæ ſpinas peccatorum: nempe ipſi oſtendit virgam vigilantem, & oculatam: ſed quid hoc ſignificabat? Virga vigilans eſt correctio peccatorum, ſuor & flagella, quæ Deus immittit ad puniendos peccatores, eſt & æterna punitio in inferno: dat igitur intelligere Spiritus Sanctus Prælatis ut ad exemplum Dei virgam vigilantem, non dormientem, ſcilicet correctionem aſſumant in peccatores: & Prædicatoribus, ut oſtendant ſuis auditoribus ſupplicia, quæ Deus in incorrigibiles præparavit tùm in hac vita, tùm in alia, & maximè in Inferno: & nota quod dicitur vigilans hæc virga, quia Deus obſervat vigilanter, bonos ad præmiandum, & malos ad puniendum: *Thren. cap. 1. ſerm. 1. de S. Andr. ſermon. 14. Hexam. Eccleſ. c. 11.*

11\. *Qualis debeat eſſe virga, & poteſtas paſtoralis.*

Virgam vigilantem ego video: benè vidiſti, quia vigilabo ego ſuper verbo meo. Nota quod hæc myſticè dicuntur de Chriſto ſummo paſtore diligenter vigilante ſuper gregem ſuum, ut oſtendat quali vigilantia Prælati debeant die, noctuque vigilare ſuper proprias oves, ne à lupis devorentur, & notanter appellat prælaturam virgam vigilantem, ſcilicet vividam, viridem, & florentem, quæ flores doctrinæ & fructus bonæ vitæ: vel flores virtutum, & fructus bonorum operum in ſe, & in ſuis ſubditis producere debet; & ideò Chriſtus ſuper Prælatos vigilat ad præmiandum vigilantes, & puniendum dormientes. *Luc. c. 2. v. 9. ſer. 2. de S. Matthia.* Notant etiam hic SS. Doctores quod ſeptuaginta legunt: Virgam vigilantem, Virgam nuceam, vel amygdalinam, per quod ſignificatur quod ſicut nux, & amygdala in cortice ſunt amaræ in nucleo dulces: ſic & Virga ſcilicet flagella à Deo immiſſa ſicut exterius videntur amara: tamen interiùs ſunt dulcia, quia à Deo immittuntur tum ad ſui gloriam, tùm ad utilitatem, & profectum noſtrum. *Lib. 4. d. 15. p. 1. dub. 1.*

12\. *Maria Virgo Virga vigilans, & oculata ad noſtrum ſolamen: ubi etiam de imaginibus B. Virginis.*

Virgam vigilantem ego video: Sed in quo loco adeſt hæc virga? in cœlo, an in terra? Virgam vigilantem ait ſcilicet vigilantem abſolutè ſcilicet in cœlo, & in terra: & quænam eſt hæc Virga vigilans, & oculata? Nota quod hæc eſt Maria Virgo: Virga verè vigilans ſuper gregem omnium hominum vigilans ſempè in cœlo, & in terra: Virga verè fuit virgo Maria vigilans, ſcilicet vivida, & florens, & fructifera, quæ flores virtutum & fructus ſanctorum exemplorũ produxit abundantiſſimè: virga vigilans, & protegens omnes homines, & ipſos defendens à tentationibus, & incurſionibus Dæmonum: & ideò Prædicatoribus hæc oſtenditur ut ipſam proponant venerandam, & imitandam populis. *Opuſc. ſpec. B. Virg. lect. 5. & 9. & 12.* Nota etiam quod cum virga hæc viſa à propheta ſit lignea à DD. applicant

cant

CAP. II.

18. *Prædicator prius corde recondat, & portes legem, & Verbum Dei, & ex corde ad os, & inde aliis depromat.*

*ET Factum eſt Verbum Domini ad me dicens vade, & clama in *auribus Ieruſalem: Audite Verbum Domini domus Iacob &c.* Nota hunc ordinem verborum: prius dicit Hieremias factum eſt Verbum ad me: & poſtea hoc Verbum in ſuo corde inſpitatum à Deo aliis prædicavit ut diſcat prædicator, quod prius in corde ſuo debet recipere Verbum Domini, & velut Ignem ibi fovere ot illud aliis poſteà exponat: & ideò cum Propheta propoſuiſſet in corde ſuo non loqui, adeò Verbum Dei in corde ejus concaluit quod illud ſuſtinere non potuit, donec aliis prædicavit: non enim poteſt radix latere ſub terra ſi vivat, quin in germen, arboremquè producat: undè ſi radix lateat, & ſe exteriùs extendat, certum ſignum eſt quod non vivit: ardeat igitur priùs prædicator in corde, ut alios ardere faciat. *Ser.1. de S.Luc.Evang.*

19. *Elongantes ſe à Deo per peccatum in quales miſerias incidunt.*

Hæc dicit Dominus: quid invenerunt patres veſtri in me iniquitatis quia elongaverunt à me, & ambulaverunt poſt vanitatem. & vani facti ſunt. Hæc verba dirigit Spiritus ſanctus ad peccatores, qui ſine cauſa Deum dereliquetunt, in quibus exprimitur error, & multiplex miſeria in quem incidunt peccando, nam primò peccando ſe à Deo avertunt, & elongant, & hinc ambulant poſt vanitatem per inobedientiam, & vani fiunt per finalem impœnitentiam: ambulant, ait, peccatores, & quo ambulant in via: ambulant ſina termino donec cadant in infernum, ubi pœna eis remanet ſine termino. Cave ergò peccator ne per ſemitas culpæ incedas in vita tua, ſine reverſione, vel terminatione; age pœnitentiam, alioquin incides in pœnam interminabilem. *Pſal.118.c.1.v.3.*

20. *Peccatum qualis regio, & quàm à Deo longinqua.*

Quia elongaverunt à me & ambulaverunt poſt vanitatem, & vani facti ſunt: Quomodò poteſt dici quod peccator ſe elonget à Deo. cùm Deus ſit obiquè, & in omnibus locis? ſed attendo quòd peccatum eſt regio longinqua à Deo, in qua Deus non habitat: regio inquam infeliciſſima in infinitum à Deo diſtans: & peccator intrans in hanc regionem ſe elongat à Deo non quantùm ad ſitum localem, ſed quantùm ad voluntatis diſſimilitudinem, & cum peccatum ſit nihil ſe elongat à ſumma æternitate & cùm ſit tenebra ſe elongat à ſumma, & vera luce, & veritate: & cùm ſit iniquitas ſe elongar à ſumma bonitate: & ideo vanus fit: quomodò vanus: id- eſt nihil: vanus cogitatione, vanus locutione, vanus operatione, quia à vanitate non oritur niſi vanitas. *in Lucam cap. 15. verſ. 13. & c.6.v.7.& in Ecclen.c.1.& in ſap.c.13.& ſer.1. de plurib.Confeſſ.*

21. *Peccatum, & Mundus regio vanitatis, ſitis, & penuria.*

Elongaverunt à me, ambulaverunt poſt vanitatem, & vani facti ſunt: traduxit eos Dominus per terram inhabitabilem, & in viam, per terram ſitis, & imaginem mortis, &c. Ecce qualis regio eſt peccatum, & Mundus: cum enim elonget à Deo, etiam introducit hominem peccantem in regionem vanitatis, in qua omnia vana, & continuà ſiti, fame, & penuria torquetur. Quicquid enim eſt in Mundo concupiſcentia eſt carnis, & oculorum, & ſuperbia vitæ, & ideò hæc vana, nec poſſunt ſatiare, nec extinguere ſitim animæ, imò quo plus ſumpta, eò magis irritant famem, & ſitim, & ideò meritò mundus appellatur deſertum, terra ſitis, & imago mortis. *In Lucam c.15. v.13.ſeq. Ecclen.c.1.& V.6. hic.*

22. *Vita ſpiritualis, & maximè religioſa quàm felix: è contrà defectio à tali vita quàm infelix.*

Induxi vos in terram Carmeli, ut comederetis fructum ejus, & optima illius, & ingreſſi contaminaſtis terram meam, &c. Ad litteram loquitur de introductione populi Iſraël in terram promiſſionis quam appellat meritò terram Carmeli pars pro toto, quia Carmelus interpretatur, ſcientia circumciſionis, eſtquè terra fertiliſſima, ut ſic Iſraëlitæ circumcidentes à ſe concupiſcentias Deo perfectè ſervirent, & ideo alibi hæc terra appellatur Paradiſus: ſed myſticè loquitur primò ad Chriſtianos per ſanguinem, & mortem Chriſti introductos ad fidem ſuam, ſed ſpecialiter ad religioſos; datque intelligere quòd religio eſt terra promiſſionis, ſeu potius Paradiſus terreſtris, imò cæleſtis, & ejus habitantes meritò vocantur Angeli vita Angelica præditi, quorum eſt aſcendere ad contemplationem Divinitatis Jeſu Chriſti, & arcanorum ejus, & deſcendere ad humilitatis ejus imitationem; & ſic veluti Angeli comedunt bona Paradiſi: O quàm felix vita, & ſtatus: & è contrà quàm infelix eſt in iis, qui hanc terram contaminant Indevotione, diſſolutione, & vagatione, iſtique meritò irridentur à diabolo, dum ab incæpto itinere perfectionis ad ſæculum, & ſæcularia opera miſerrimè redeunt. *In Io.collat.10 op.diet.tit.4 c.1. & in Luc. c.14. v.28. & ſeq.* O quot infelicibus poteſt verè dicere Chriſtus: induxi vos in terram Carmeli, ſed ingreſſi contaminaſtis terram meam &c.

23. *Doctores, maximéque clerici, & religioſi legem Dei ſcientes, & malè operantes quàm Deo exoſi.*

Sacerdotes non dixerunt, ubi eſt Dominus, & tenentes legem neſcierunt me, & paſtores prævaricati ſunt in me, & Prophetæ prophetaverunt in Baal, & Idola ſecuti ſunt: Conqueritur hic Deus de ſacerdotibus, & Doctoribus legis, qui ſcientes le-

 gem

gem Dei, tamen contrà legem operabantur, & veluti Gentiles gentiliter vivebant: ô utinam hoc tantùm malum non hæreditaſſent Sacerdotes, Clerici, & Doctores legis Evangelicæ: Undè notanda ſunt hæc verba: tenentes legem, ideſt cùm eſſent Doctores neſcierunt me, ideſt fecerunt, ac ſi neſcirent, quia ad Sacros currunt Ordines, & ad Divina officia non propter Deum, ſed propter lucrum, & cùm continuè teneant legem, & ſacras doctrinas ruminent, tamen Chriſtum non inveniunt, quærentes magis quæſtum, quam ipſum Chriſtum, his autem dicet Chriſtus: de ore tuo te judico ſerve nequam, quia benè loqui, & malè vivere nihil aliud eſt, quam ſe ſua lingua damnare: & dum Judicium, & legem Dei ſciat, & fatetur ſe ſcire, loquitur contrà ſe: & ideò meritò appellari poſſunt Prædones Eccleſiæ, per quos omnis decor ipſius deperditur dum ab eis deſeritur decor humilitatis caſtitatis, devotionis, & aliarum virtutum: *In Luc. c.19.v 22 in Thren.c.1.& cap. 4 & ſer.1. Dom.24. Pent.* Nota autem quod Deus ut oſtendat quam ſibi ſit exoſum tale vitium in Sacerdotibus, paſtoribus, & religioſis ſubdit: Propterea adhuc judicio contendam vobiſcum, & cum filiis veſtris diſceptabo: quaſi dicat, quia prætenditis vos in his veſtris iniquitatibus juſtificare, judicio vobiſcum contendam, & diſceptabo vobiſcum, oſtendendo quod æterna damnatio vobis imminet propter veſtra ſcelera, nec ullam excuſationem poteritis adducere pro veſtra juſtificatione. *i 1 Pſal.118. c.8.v.16.& c.9. v.14. & in Luc. c.11. v.14.& c.14.v.13.& Ugo hic.*

24. *Juſti Deum amantes ex quocunque objecto tum virtutis, tum vitii eliciunt bonum.*

Tranſite ad Inſulas Cethim, & in Cedar mittite & conſiderate vehementer, & videte ſi factum eſt hujuſmodi: ſi mutavit gens Deos ſuos &c. Nota quod hic ad litteram intendit Deus confundere inſtabilitatem Judæorum, qui tam faciliter tranſierunt ad cultum idolorum comparatione gentilium, eorumque conſtantiæ in falſa ipſorum ſuperſtitione: moraliter ad nos hæc diriguntur, ut pateat quam verum ſit quod filii ſæculi prudentiores ſunt in ſuis conſuetudinibus filiis lucis, & fidei in ſuis factis: intenditquè inſtruere nos quod jam ex bono virtutis proximi, quam ex malo inimicorum Dei debemus elicere occaſionem profectus noſtri, & omnia ordinare ad Dei gloriam, & profectum noſtrum. *Luc. c.16. v.7.& ſeq.& c.7.v.31.Pſal.118.c.2.v.2.*

25. *Quale ſcelus Chriſtianorum deſerere Deum fontem omnis boni pro terrenis: ubi de averſione, & converſione peccati.*

Obſtupeſcite Cæli ſuper hoc, & portæ ejus deſolamini vehementer dicit Dominus. Nota quod Propheta hic loquitur metaphoricè, ſicut ſi quis ſtans in porta, & videns aliquod Nefarium, & ſuſtinere non valens, claudit portam, vel ab ea recedit: ſic ob magnum ſcelus populi Iſraëlitici, & Chriſtiani dicit obſtupeſcite &c. ſed qua de cauſa? duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt, ait Dominus, fontem aquæ, hoc eſt unum, & fodiunt ſibi ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas hoc eſt Secundum; in quibus verbis dat intelligere Deus malitiam, & malignitatem peccati mortalis, & peccantium, nempè quia quilibet peccans mortaliter ſe avertit à Deo, & ſe convertit finaliter ad creaturam, ut autem dignoſcatur talis malignitas, Deus ſe appellat fontem aquæ vivæ, & creaturas ciſternas diſſipatas, quia ipſe eſt fons continens omne bonum, & refrigerans, & ſatians omnes, qui ad ipſum recurrunt: & è contra creaturæ ſunt de ſe vanæ, & nullum refrigerium abſquè Deo valentes conferre: notanter autem averſionem à Deo, & converſionem ad creaturas appellat duo mala; tum quia ſunt duæ diverſæ radices malæ concurrentes ad completionem unius peccati: tum quia deordinario à Deo importat omiſſionem mandatorum Dei, & commiſſionem peccati per converſionem ad creaturam: ſic enim Deus offenditur cultum ipſius deſerendo, & ſuum ultimum finem in creatura collocando, quod eſt ſpecies idololatriæ, maximè in avaris, in ſuperbis, in carnalibus, qui pecuniam, honores, & ventrem pro Deo adorant: O quale malum hoc? qualis deceptio hominum: qualis miſeria. *Li.2.d.42.a.3.q.2. Op.Comp.Theol. lib.3.c.7.Luc.c.10.v.37.& c.16.v.13.Ecclen.c.12.*

26. *Clerici ex patrimonio Chriſti male viventes extrahunt è manibus Dei flagella graviſſima.*

Nunquid ſervus eſt Iſraël aut vernaculus? quare ergo factus eſt in prædam? Nota quod per Iſraël hic intelliguntur myſticè clerici, & religioſi ab oneribus ſæcularium facti exempti: quomodo igitur ſervi facti ſunt? ait Dominus: quia luxuriantes de patrimonio Chriſti Eccleſiam ponunt ſub tributo, ipſamque diſſipant. *In thren.c.1.& 2.* ſed quomodò dicuntur facti in prædam? Reſpondent D.Hieron. aliique SS. Doctores, quia res Eccleſiæ injuſtè detinent, quia pejus eas impendunt, ideò juſtum fuit ut eorum furta, & Sacrilegæ detentiones ad Eccleſiam Matrem Univerſalem deportarentur, & ideo facti ſunt in prædam, ſcilicet in prædam, ait Ugo Cardinalis, Cardinalium, & Legatorum Sedis Apoſtolicæ, ut quæ noluerunt partiri pauperibus, divitibus Cardinalibus deportarentur: Ecce quomodò nunc beneficiati dicuntur facti in prædam: ita & ad mentem D.Bonav. *Op.apolog.paup.Thren.c.1.*

27. *Concupiſcentia eſt aqua turbida reddens hominem diſſolutum.*

Quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam? Quænam eſt aqua hæc turbida ad quam accurrunt homines: hæc eſt concupiſcentia, & dicitur aqua quia fluxa, quia lubrica, & deorſum petens, ſuos ſequaces inſtabiles, & diſſolutos reddens, & dicitur turbida, quia fæditatem peccati, & reatum ſecum portat. *Ioan. Collat.21.*

28. *Doctrina Chriſti clara & dulcis: doctrina Mundi turbida.*

Quid tibi vis in via Ægypti ſcilicet mundi, ut bibas aquam turbidam. Nota quod per aquam intelligitur propriè doctrina: & quia alia eſt aqua cœli, alia Ægypti, ſcilicet Mundi, hoc intereſt

inter

inter utramque, quod aquæ ſcilicet doctrinæ mundanæ ſunt turbidæ, quia promittunt felicitatem, ſed loco felicitatis, & beatitudinis afferunt miſerias, & obſcuritates: è contra doctrina Chriſti, & S. Scripturæ eſt clara, Munda, pura, dulcis afferens vitam animæ. *Opuſc. Princip. S Scrip. & ſer. 29. Hexam.*

29. *Peccator à malitia ſua arguitur & confunditur.*

Arguet te malitia tua, & averſio tua increpabit te. Quomodo arguitur peccator à malitia ſua? nonnè converſio eſt ab extrinſeco? Nota quod per hæc explicatur malignitas peccati: nam peccator ex malo opere arguitur interius in conſcientia à remorſu proprio, tanquam à ſerpente: arguitur exterius per Scripturam Sacram, & inferiùs per infamiam, & verecundiam, quam ſecum affert malum opus, undè qui male agit odit lucem, ut non arguantur opera ejus. *Ser. 1. Dom. 3. poſt oct. Paſcha. ſap. c. 4. in fine & c. 17. op. Comp. Theol. lib. 3. c. 1.*

30. *Peccatum ſolum malum, & amarum.*

Arguet te malitia tua, & averſio tua increpabit te: ſcito, & vide, quia malum & amarum eſt reliquiſſe Dominum Deum tuum. Ecce undè parebit hæc arguitio conſcientiæ peccatoris, quia malum, eſt, & amarum reliquiſſe Dominum; nota hæc duo: malum, & amarum: quale malum, & cur amarum? relinquere Deum eſt tam malum, quod ipſum ſolùm eſt malum, nec aliud verè malum poteſt dici, niſi peccatum; quia peccatum elongat, & ſeparat à Deo, à quo ſolo eſt bonum: & quia relinquere Deum, & converti ad Creaturam eſt imitari aquam, quæ in mari exiſtens dum elongatur à terra dulcedinem habet dum ei admiſcetur vapor terreſtris à ſole combuſtus, contrahit amaritudinem: ſic anima à Deo ſe elongans, & creaturæ adhærens contrahit amaritudinem peccati; in quibus datur intelligi, quòd in peccato eſt macula culpæ, quæ eſt verum malum, & reatus pœnæ, quæ eſt malum amarum; quodquè patet ex hoc quod dum anima ab æterno fonte omnium bonorum ſe elongat, & creaturis adhæret, eo magis amaritudinibus repletur. O quàm malum, quam amarum eſt peccatum. *Opuſc. Myſtic. Theol. c. 2. p. 2. opuſc. de tribus ternar. c. 7. & in ſap. c. 3. in Thre. c. 1. & opuſc. Comp. Theol. lib. 3. c. 1. ſer. 1. Dom. 12. Pentec.*

31. *Peccatoris arrogantia jugum Chriſti confringit, & pactum in baptiſmo initum.*

A ſæculo confregiſti jugum meum, rupiſti vincula mea & dixiſti non ſerviam, in omni enim colle ſublimi, & ſub omni ligno frondoſo tu proſternebaris meretrix: Vide ad qualem miſeriam redigitur peccator ea elongatione à Deo: nam ad tantam arrogantiam, & protervìam pervenit quod jugum Chriſti audet abijcere, & pactum initum cum Chriſto in baptiſmo confringere, vinculaquè gratiæ, & amicitiæ Chriſti rumpere, & ideò mirum non eſt quod omnia peccata, & in quocunquè loco univerſaliter patranda pronus, &

promptus ſit: hoc autem eſt ſignum malè patens quod talis peccator tàm imprudenter Deum deſerens, in profundum jactus Deo reddatur exoſus veluti infamis meretrix. *in Luc. c. 8. v. 30. & c. 19. v. 27. & in ſap. c. 2. & ſer. 1. de S. Barth.*

32. *Eccleſia, & Religio eſt vinea vel Chriſti vel diaboli.*

Ego autem plantavi te vineam electam, omne ſemen verum; quomodò ergò converſa es mihi in pravum vinea aliena: Nota quod ad litteram loquitur Deus cùm ſynagoga, quæ à Deo velut vinea electa, plantata, & cum omnibus conditionibus excellentiſſimis prædita, quæ tamen ob malitiam Judæorum tranſiit in vineam alienam, & à dæmone poſſeſſam: myſticè loquitur de Eccleſia, vel de Religione, & utraquè eſt vinea à Chriſto plantata, ſepe circundata, & muris virtutum, cæteriſque conditionibus ditata: ad quam excolendam vocati ſunt Apoſtoli Doctores, ſacerdotes & religioſi, in qua tot ſunt palmites, quot fideles, & vinum compunctionis, compaſſionis, devotionis, & gratiæ Spiritus ſancti extrahitur; ad laborandum in hac vinea vocat Chriſtus qualibet hora cum ſit promptus ſemper recipere laborantes, ut ibi creſcat vinum ſpirituale perfectionis: Horæ ergò operandi non te tranſeant ô miſer homo; alioquin hæc vinea permutabitur in vineam alienam, & diaboli, & loco fructuum gignet ſpinas peccatorum, contrà quos clamat Chriſtus, quomodò converſa es in vineam alienam *in Luc. c. 20. v. 9. & c. 12. in Io. c. 15. v. 1. & ſer. 4. Dom. 19. Pent. & ſer. 4. Dom. 20. Pent. & ſer. Dom. quinquag. & ſer. 2. Dom. ſeptuag.*

33. *Opera bona ſine pænitentia, & gratia non ſunt meritoria vita æterna.*

Si laveris te nitro, & multiplicaveris tibi herbam borith maculata es in iniquitate tua coram me: quomodo dicis non ſum polluta? Nota quod nitrum eſt pulvis & herba borith valdè juvant ad mundandum veſtes, quia ſunt efficaciora cinere: & per hæc intelligi myſticè opera pœnalia, & bona: ſed quando dicit quod ad purgandam animam non conferunt? Hoc eſt, quia licet ſe exercerent in operibus bonis exterioribus tamen maculatam animam habebant abſque pœnitentia interiori, & charitate Dei: & meritò nam opera bona non faciunt, ſed ſupponunt bonum operantem, & charitatis habitum in anima præexiſtentem, ad hoc ut fœcundata à Chriſto ſint viva & efficacia ad lavandum, & fœcundandum merita: & hinc maledictio cadit in facientem opus Dei negligenter *lib. 4. d. 15. p. 2. a. 1. q. 2. ad 2. & d 16. a. 1. q. 1. ad 1. in Luc. c. 19. v. 19.*

34. *Peccator invitatur ad conſiderationem miſerabilis ſui ſtatus.*

Vide vias tuas in convalle: ſcito quod feceris: curſor levis explicans vias ſuas. Nota quod ut reſipiſcat peccator ab operibus malis præcipit Deus ut intret, & deſcendat in convalle, ut ibi videat quid fecerit: ſed cur in convalle? Convallis eſt locus paludoſus infimuſque, & ſignificat ſtatum miſerabilem ad quem caro influere facit omnem infectionem, & ideo eſt vallis ſtercoroſa,

& fœtida, & omnibus malis & infectionibus plena: ad conſiderationem igitur talis ſtatus miſerabilis invitatur peccator ut videat miſerias, in quas incidit, laboretque ut ab ipſis liberetur & deinceps eas effugiat: quis enim non libenter fugit à lepra, à loco, & ſtatu infecto? ſic enim veluti curſor levis pertranſit iſtas vias malas. *Ser.1.de S.Thoma.*

35. *Qui à præcipitio vult evadere, in Convallem humilitatis ſe conferat.*

Vide vias tuas in Convalle, ſcito quid feceris. Cur in Convalle, locoque imo, & non potiùs in montem præcipit nos aſcendere ad conſiderandam viam per quam inceſſimus? nonnè mons erit ad hoc locus aptior? ſed attende quod prius propoſuerat Propheta præcipitia in quæ inciderat populus colens Baalim: Baalim autem interpretatur devorator, ſignificatque diabolum per Superbiam devorantem animas; hinc à tali altitudine invitat animam ad Convallem humilitatis, ut ſe humiliando coram Deo, examinando peccata commiſſa, eaquè confitendo coram Deo ſe liberet ab omni caſu, & præcipitio: attende igitur ô homo vias tuas, & hoc in convalle, ideſt in humilitate non in monte, undè poſſis cadere, ſicque ut curſor levis ad Deum incedes, explicabiſque vias tuas coram Deo. *Ser. 6. de Apoſt.& in Luc.c.7.v.10.*

36. *Humilis recognitio, & confeſſio peccatorum attrahit ad animam Spiritum S.*

Vide vias tuas in convalle &c. onager aſſuetus in ſolitudine. & deſiderio animæ ſuæ attraxit ventum amoris ſui: Nullus avertit eam, omnes qui quærunt eam non deficient: Nota quod licet hæc verba ab aliquibus exponantur in malum, intelligentes per onagrum, qui eſt aſinus ſylveſtris, virum deditum ſuæ concupiſcentiæ,& ſine fræno aliquo ad expletionem ipſius currentem: tamen in bonum meliùs ſumitur,ſic enim conſequenter procedit ſacer textus dans intelligere quod qui in convallem humilitatis, & recognitionis ſuorum peccatorum deſcendit, erit ſicut onager vel aſinus, qui videns imaginem ſuam ab ipſa abhorret & refugit: taliſque eſt anima pœnitens, ſimplex, laborioſa, peccata ſua deprehendens, & abhorrens, iſtaquè ſuſpirans in deſideria cordis attrahit ventum amoris ſui, ſcilicet Spiritus Sancti adventum; qui conſequitur ex humilitate, & perfecta contritione, & confeſſione peccatorum: O felix anima talis pœnitens, quæ attrahendo ad ſe Spiritum Sanctum non poterit deficere in via.*Luc.c.11.v.13.& Ioan.Collat.56.*

37. *Converſus ad Deum à quibus prohibere debeat pedes ſuos.*

Prohibe pedem tuum à nuditate, & guttur tuum à ſiti. Nota quod poſt converſionem Deus conſulit pœnitentem ut prohibeat pedem ſuum à nuditate; ſed cur pedem & non caput, vel manus? ſed attende quod in anima caput eſt portio ſuperior, pedes ſunt affectus concupiſcentiæ, & iraſcibilis: ait igitur jam converſo ad Deum cavene iterum pedes concupiſcentiæ colloces in imo peccati,& ſic nuda remaneas habitu charitatis priùs te informantis, & pulchram coram Deo reddentis, & ſic guttur tuum immune erit à ſiti continua, quam ſecum affert concupiſcentia: *Pſal.118.c.7.v.5.* Et hinc ſubdit, *quomodò confunditur fur quando deprehenditur, ſic confuſi ſunt domus Iſraël, ipſi, & reges eorum principes. & Sacerdotes, & Prophetæ eorum.* Dat hic intelligere quod ſicut Iſraëlitæ ſimularunt converſionem veram, ideò etiam in confuſionem ruerunt: ſic eveniet nobis ſi converſionem Deo ſimulabimus; nam quia talis ſimulatio Deo valdè eſt exoſa, ideò æternæ confuſioni ſubjiciemur, *Pſal. 118. cap.8. v 4.*

38. *Confidentia vana mundanorum expenditur.*

Ubi ſunt dii tui, quos feciſti tibi? ſurgant, & liberent te in tempore afflictionis tuæ. Hæc verba ad litteram diriguntur contra Iſraëlitas, qui Deum deſerentes fecerunt ſibi Idola, & ad ipſa in tempore tribulationis confugerunt, ſed fruſtra,nam in majora præcipitia inciderunt: myſticè ordinantur ad nos ut percipiamus quam vana ſit fiducia illa, quam multi decepti Deum deſerentes collocant vel in propria virtute, vel in humana poteſtate, vel in humanæ ſapientiæ ſagacitate, vel in divitiarum multitudine, quia omnium talium vana eſt ſpes, & vacua fiducia: ſed in ſolo Deo eſt confidendum, quia nunquam aliquis in ipſo verè confidens confuſus remanſit. *Ioan.Collat.74.*

39. *Sollicitudo mundanorum in rebus temporalibus, & ignavia in ſpiritualibus expenditur.*

Quid vultis mecum judicio contendere. Et qui ſunt iſti perverſi, qui cum Deo judicio contendere audent? quinam ſunt? major pars Chriſtianorum: Vide quam ſit hoc verum: omnes dereliquiſtis me dicit Dominus: & quomodò hoc? Ecce contentio impiorum cum Deo: Proverbium eſt, qui benè amat non dormit, intenta enim ſupplicatio dormire cor mundum vetat, nam & perfectè amans etiam ſomniat de amico, quod facit ipſa animæ ſollicitudo,ideo qui Deum amat ſollicitè ipſum quærit: è contra mundani Deum relinquentes plus ad terrena ſolliciti ſunt quàm ad cœleſtia: quærunt luxurioſi, & guloſi ſuavia: ſuperbi ſublimia: avari pecuniam pluſquam Chriſtum: verè multi plus diligunt aſinum ſuum, porcum, & equum quam Chriſtum; idquè patet, quia ſi perdit homo bovem, & ſollicitè eum quærit, perdit equum & non quieſcit: perdit ovem, & poſt eam vadit: perdit Aſinum, & quærit: ſed homo perdit peccando Chriſtum, & quieſcit, dormit,bibit,comedit,& non quærit: ô quot ſunt qui diu dormiunt in peccatis,nec curant per pœnitentiam Chriſtum Dominum invenire: Ecce judicium, & contentio peccatoris cum Deo &c.ecce quàm verum quod omnes ferè dereliquerunt Deum.*Ser.2.de S.Maria Magd.*

40.*Ingratitudo*

40. *Ingratitudo hominis cum Deo, miſericordia Dei cùm peccatore mutuo expenduntur.*

Nunquid ſolitudo factus ſum Iſraëli? aut terra ſerotina? quare ergo dixit populus meus receſſimus, non veniemus ultrà ad te, &c. Vide malignitatem peccatoris in Deum,& Dei Miſericordiam,& benignitatem in peccatorem certantes ſimul: nam licèt peccator à Deo averſus non curet ad ipſum reverti dicens factis non revertar ultrà ad te: tamen è contra Deus ipſum tam averſum ad ſe vocat,& ideò notanter dicit populus meus receſſit à me; quomodò ſuus poteſt dici ſi à Deo receſſit, & Deo reverti recuſat? ſuus eſt propter faciendam cùm eo miſericordiam, ſed non ſuus propter culpam commiſſam: vel ſuus propter electionem æternam, ſed non ſuus propter temporalem malitiam: vel ſuus propter eos, qui erant ibi boni, & non ſuus propter eos, qui erant ibi mali, ſed ſuus maximè quia ad ſe eos vocat ut ipſis miſericordiam impertiatur. *Ser.1.de S.Matt. Apoſt. Pſal.50.*

41. *Alii habent alas ſanguine pauperum oneratas, & ad profundum ducentes: alii alas puras ad cœlum ducentes: ubi de crudelitate divitum in pauperes.*

Quid niteris bonam oſtendere viam tuam ad quærendam dilectionem, quæ inſuper & malitias tuas docuiſti vias tuas? & in alis tuis inventus eſt ſanguis animarum pauperum, & innocentum. Quid eſt quod intendit hic Spiritus Sanctus? ergone homines illius temporis præditi erant alis,& alis contectis ſanguine? ſed hæc eſt Metaphorica locutio: nam nomine alarum veniunt manus,& operationes, & nomine ſanguinis rapinæ, furta, & oppreſſio pauperum, & innocentum, quæ ſunt fructus, & effectus avaritiæ, & cupiditatis iniquæ: datque intelligere Sacer Textus, quod quantumcumque divites nitantur per bona opera Deum placare, tamen quando eis deficit miſericordia in pauperes, quando replentur ſubſtantiis pauperum, & innocentum, quandò ſub alis ſuis manus miſericordiæ non porrigitur ad extrà fruſtrà laborant: hoc enim eſt diſcrimen inter bonos, & malos, nam boni præditi ſunt duabus alis Aquilinis ad cœlum elevantibus, ſcilicet charitatis Dei,& proximi: Mali alis milui,cujus proprium eſt rapere,& occidere, & ad cadavera deſcendere: quæ alæ ſunt cupiditas, & malignitas: *Eccleſ.Hierar.p.3.c.3.Luc.c.14. v.19. Thren. cap.4.*

42. *Elatio innocentes reddit reos: humilitas reos reddit innocentes.*

Et dixiſti abſque peccato, & innocens ego ſum, & propterea avertatur furor tuus à me: Ecce ego judicio contendam tecum, eò quod dixeris non peccavi, quàm vilis facta es nimis iterans vias tuas. Ecce hic typus arrogantiæ Phariſæi, qui ſe innocentem, & mundum reputabat, & ob id ſuper alios ſe extollebat, & Publicano ſe præferebat: E contrà publicanus ſe infrà omnes deprimebat, & ideò ille ex innocente factus eſt reus in Judicio Dei, & iſte ex peccatore innocens, & juſtificatus: Vide igitur qualis ſit vis ſuperbiæ, & elationis; & qualis humilitatis. *Luc.c.18. verſ.11.*

43. *Peccati vilitas, & iterationis peccatoris damna expenduntur.*

Quàm vilis facta es nimis iterans vias tuas, & ab Ægypto confunderis ſicut confuſa es ab Aſſur. Ad litteram explicat Propheta ſtultitiam Judæorum, qui ſemper multiplicantes ſcelera in anguſtiis contra Ægyptios confugerunt ad Aſſyrios, à quibus fuerunt captivati, & deinde ad Ægyptios contra Aſſyrios, & itidem ab iſtis fuerunt oppreſſi: Myſticè nobis inſinuat quale malum ſit relinquere Deum,& qualis ſit vilitas peccati: Quod animam ſordidam, Deoque fœtentem, & exoſam reddit, & addendo peccata peccatis dat intelligere maximum omnium malorum eſſe iterare peccata,& recidivare in illa,à quibus homo per pœnitentiam liberatus fuerat: dicit igitur quam vilis facta es: quia per talem iterationem fit homo impotentior ad reſurgendum, eo quòd vitium fortificatur amplius: & difficilior fit culpa ad reſurrectionem, & ad emendationem: *Opuſc. Comp.Theol.lib.3.c.7.Io.c.5.v.8. & coll.26. Thren. cap.1. Ecclen. cap. 8. ſermon. 3. de pluribi Martyr.*

44. *Sine Deo nihil proſperum: ideò in ipſo ſolo fidendum.*

Obtrivit Dominus confidentiam tuam, & nihil proſperum habebis in ea. Hæc eſt concluſio hujus capitis,qua ex eo quod accidit Judæis,qui Deum relinquentes in tribulationibus, & ad gentiles pro ſubſidio recurrentes ſpe ſua fruſtrati ſunt, cùm ab ipſis gentilibus fuerint meritò oppreſſi, nobis inſinuat quàm vana ſit ſpes, & confidentia in mundana poteſtate & quàm decipiantur illi, qui in tribulationibus Deo derelicto ad media, & auxilia humana confugiunt, quia ſine Deo nihil proſperum poteſt haberi, & è contra in Deo omne bonum, à quo omnia bona: ideò Deo innitamur ad Deum ſemper confugiamus, quia aliter faciendo eſt à Deo apoſtatare, à Deo retrocedere, ad vomitum redire & ſic regnum & omne bonum perdere: undè rectè Apoſtoli dicebant Chriſto: Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. *Ioan. collat.32. & 35. & 78.*

CAP. III.

45. *Exceſſus Divinæ miſericordiæ revocantis quemlibet peccatorem expenduntur.*

VULGO dicitur ſi dimiſerit vir uxorem ſuam, & recedens ab eo duxerit virum alterum, nunquid revertetur ad eam ultra, &c. Tu autem fornicata es cum amatoribus multis &c. tamen revertere ad me, dicit Dominus. Ita hæc dirigit verba miſericordiæ plena Dominus Deus ad quamlibet animam peccatricem: in quibus primò memorat legem repudii datam inter virum, & uxorem adulteram, & oſtendit quod gravius adulterium committit anima, quæ prius fuerat cum Sponſo Chriſto deſponſata per gratiam, & poſteà recedens ab ipſo Sponſo veluti adultera infamis ſocietatem init cum diabolo: qua offenſa non obſtante ecce quod Deus benedictus iterum revocat ad ſe hanc infelicem animam: ô ſumma, & inenarrabilis pietas Domini Dei noſtri: fornicatur uxor alicujus hominis, & ſtatim eam expellit, & vix ei unquam parcitur: ſed peccat anima Chriſti Sponſa, nec uno tantùm, vel pluribus peccatis. ſed modis innumeris cum Mundo carne, & diabolo, & ſtatim ſi redeat, ſtatim vocat ad ſe. & omnia peccata condonat, imò quod majus eſt, nolentem redire vocat ut redeat, & ut revertatur revocare non ceſſat, unde hic infrà ſubdit: convertimini filii revertentes, quia ego vir veſter, & aſſumam vos, &c. quæ igitur mulier ſi nobiliſſimum virum haberet deprehenſa ab eo in adulterio non ſtatim ſurgeret, verecundiam induceret, & ad virum indulgentem, & ſuppliciter vocantem non ſtatim accederet, & veniam lacrymis poſtularet: ſed talis eſt anima proſtituta peccato, cui dicit Sponſus Chriſtus revertere ad me ô anima, &c. *Ser.1. de S.Matt. Luc.c.15.v.2. & c.16.v.18. lib.4.d.53 a.3.q.ultim. ſap.c.14.*

46. *Invitatur anima exiſtens in peccato mortali ad conſiderationem ſui ſtatus.*

Leva oculos tuos in directum, & vide ubi nunc proſtituta ſis, &c. Quid eſt quod intendit Deus præcipiens animæ, ut levet oculos ſuos in directum? quid eſt in directum? ſed attende: ait Chriſtus, leva, & aperi oculos tuos, & vide quomodò à diabolo proſtituta, & proſtrata ſis, vide ſtatum miſerabilem, in quo nunc miſerrimè jaces, & vide ne te percutiat ſponſus tuus, & ſic proſternaris cùm diabolo adultero in Inferno: leva igitur oculos ſi non ex amore, ſaltem ex timore ad Dominum. *ſer.3. Dom.3. Pent. ſer.2. Dom.13. Pent. Io.c.4.v.16.*

47. *Peccator ſæpè prævenit tentationem, & tentatorem diabolum in peccando: ubi etiam de ſcandalo.*

In viis ſedebas expectans eos quaſi latro in ſolitudine. Nota quod hæc ad litteram dicuntur de infame meretrice, quæ ut latro ornata in vias publicas ſe exponit ut ad peccatum alliciat miſeros: dicitur etiam de impiis, qui ad tantam perverſitatem veniunt ut peccando præveniant tentationem, & tentatorem diabolum, ita *Ugo Card. & Gloſſa:* vel dicitur de Gentilibus diverſimode idololatrantibus, &c. *Luc c.10.v.30. & c.19. v.32.* Nota autem quod meritò homines ad peccatum alios ſuadentes, & trahentes nomine latronum hic veniunt; quia hoc diſcrimen eſt inter furem, & latronem, quod fur ſurripit res alienas invito Domino: latro etiam occidit: *Luc.c.10.v.2.* Sed ſcandaloſi ſunt venatores diaboli animas occidendo, eaſque Chriſto ſurripiendo, & in poteſtatem diaboli tradendo: O quàm grave malum eſt hoc peccatum, & ideò rectè ſcandaloſo dicitur: *in viis ſedes expectans eos ſicut latro in ſolitudine, &c. ſerm.2. ſer.3. Pent. ſer.3. Dom.4. Pent ſer.2. Dom.8. Pent. ſer.4. Dom.3. poſt oct. Paſchæ.*

48. *Terra ſterilitas ob peccata inducitur litteraliter, & myſticè.*

Polluiſti terram in fornicationibus tuis, & maliciis tuis: quamobrem prohibitæ ſunt ſtillæ pluviarum, & ſerotinus imber non fuit: Multi SS. Patres apud Gloſſam, & Ugonem legunt: prohibitæ ſunt ſtellæ pluviales. Sed quomodò dicitur terra polluta, & contaminata ex fornicationibus, & peccatis hominum? quomodo malignitas peccati, reſidens in anima extendit ſe ad terram? ſed attende quòd ad litteram dat hic intelligere Spiritus Sanctus tantam eſſe malignitatem peccati ut non ſolùm contaminet animam, & corpus peccatoris, ſed etiam extendatur ad agros, & vineas, & ad terram: nam propter peccata inducitur ſterilitas terræ, & pluvia fœcundans terram ſubtrahitur, & hinc oritur fames, ſitis, penuria, & ſtellarum influxus boni auferuntur à Deo. Myſticè autem, & ſpiritualiter dat etiam intelligere, quod ob peccatum ſterilitas terræ, ſcilicet animæ inducitur, nempè indevotio, & privatio gratiarum cœleſtium ob quam ariditas animæ advenit: & hinc multiplicatio peccatorum. *Luc.c.4 v.25. ſer.4. de Ded.*

49. *Erubeſcentiæ privatio maximum incentivum ad peccatum.*

Frons mulieris meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere. Ecce cauſa cur Iſraelitæ in tot peccata delapſi ſunt nempè ob privationem erubeſcentiæ vilitatis peccati: quando enim anima tali rubore privatur peſſimum ſignum eſt, & cauſa plurimorum peccatorum: & ideò in S.Scriptura appellatur character diaboli, ſcilicet quando peccatum committitur ſine rubore, & publicè, & hoc maximum ſignum eſt quòd ſyndereſis conſcientiæ licèt non auferatur totaliter, tamen obnubilatur, & depravatur quoad effectus, quia non ſolùm non remurmurat contra peccatum ſed potius gloriatur de ipſo; & hinc Chriſtus ordinavit

ordinavit ut Confeſſio peccatorum eſſet verecunda, ſcilicet ut verecundia proveniret ex cognitione fœditatis peccati; eſt enim maximè utilis tum ad peccati cognitionem, tum ad ipſius deletionem, & ſatisfactionem, tùm ad pœnæ diminutionem, tum ad conſcientiæ aſſecurationem: *Luc.c.9.v.26.lib.4.d.17.p.2.a.1.q.1.ad ult. Luc.7.v.3.lib.2.d.8.p.2.a.1.q.6.ad 2.& lib.2.d.3.a.2.q.2.& 3.*

50. *Deus Pater noſter contra filium indignatum non indignatur, ſed potius eum rogat, & conſolatur.*

Ergo ſaltem à modo voca me pater meus. Vide hic quàm excedens, & immenſa miſericordia Dei in peccatorem: ſed quomodò prætendit Deus ut peccator vocet Deum ſuum Patrem, qui per peccatum amiſit filiationem? amiſit quidem peccator quod eſt filii, ſed non amiſit Pater quod eſt Patris, quia licet videat filium indignatum, & privatum filiatione, tamen ipſe ſe dedignatum non oſtendit, ſed potius eum rogat, & conſolatur dicens, voca me Pater meus: Pater inquam, per creationem ut ad pœnitentiam rediens poſſis dicere Pater meus per adoptionem filiationis, & imitationem: quanta ergo hujus dilectio Patris quando peccator jam nec vires, nec ſanitatem, nec tempus habet, quia vitam ſuam in peccatis contempſit, tamen ipſum non abjicit, non contemnit, ſed dulciter filios pœnitentes ad ſe invitat, & amplexatur, ut ad ſuam miſericordiam revertantur: eſt ergo fratres peccatum grande, & immane tam pium Patrem offendere qui nos fecit, nos redemit, qui & tota die eum offendentes, benignè ſuſcipit, revertentes. *Luc. c.15.v.28.ſer.S Petri ad vin. ſer.2. Dom.14. Pent. ſer.2.Dom.2.Paſch.*

51. *Virginitati aliquando à Deo præponitur Pœnitentia.*

Dux Virginitatis meæ. Quomodò prætendit Deus ut ſynagoga, quam prius appellaverat Meretricem infamem, nunc ſuam Virginitatem oſtentet? quomodò poteſt dicere Meretrix proſtituta Deo: dux virginitatis meæ? ſed attende quod ad litteram explicatur Innocentia Sanctorum Patriarcharum, qui immunes fuerunt à cultu Idolorum, & in hoc poſſunt appellari Virgines: ſed myſticè, cùm hic invitat peccatorem ad pœnitentiam, dat intelligere quod pœnitentia vera, & perfecta poteſt recuperare virginitatem non quoad decorem accidentalem, & aureolam, ſed quoad perfectionem ſubſtantialem meritorum, unde etiam in Canone Sancta Felicitas vidua præfertur Virginibus, quia per hoc oſtendit quòd perfecta pœnitentia à Deo præfertur Virginibus tepidis. *Opuſcul. expoſition. Miſſæ c.4. & lib.3.d.31.art.1.q.1.ad 4.*

52. *Chriſtus ſponſus, & dux ſpecialis Virginum.*

Dux Virginitatis meæ. Nota quod Chriſtus dicitur dux, ſive ſponſus ſpecialis Virginum; qui enim in cœlo habet Angelos cœleſtes ipſum ſequentes, in terra habet Virgines, qui ſunt Angeli terreſtres, & ideò tanquam Rex, & ſponſus Virgines ſecum ducit, & ſibi deſponſat: dicitur autem ſpecialiter dux virginum, quia Chriſto conductore ſpeciali indigent ob fortes adverſarios, qui ipſos impugnant. *Ser.1. de SS.Virg.in addit.*

53. *Peſſimum genus fornicationis eſt quo anima recedit à Deo, & fornicatur cum Idolis, & Creaturis*, Unde de Synagoga hic dicitur: *pro eo quod mæchata eſt adverſaria Iſraël dimiſi eam. Sap.14.*

54. *Principium Converſionis eſt conſideratio qualitatis peccati.*

Scito iniquitatem tuam, quia in Dominum Deum tuum prævaricata es, & diſperſiſti vias tuas alienis, &c. Convertimini filii, revertentes, &c. Vide quòd Dominus invitans ad converſionem, & pœnitentiam animam peccatricem præmittit illa verba: Scito iniquitatem tuam quia in Dominum peccaſti, &c. ut intelligamus quod principium Converſionis perfectæ eſt conſideratio, & cognitio qualitatis peccati: dicit enim: vide iniquitatem ſcilicet quàm vile ſit peccatum, & quomodo ſit contra Deum, nam cum peccatum ſit tranſgreſſio legis Divinæ, & inobedientia cœleſtium mandatorum Deus nihil habet ſibi rebelle, injurioſum, & offenſivum niſi peccatum, quia ipſum Deum offendit, deformat liberum arbitrium, perimit donum gratuitum, & obligat ad ſupplicium æternum, & ob id peccator fit inimicus Dei, proſtibulum diaboli, & ſervus peccati: & ſi hoc quis tam vecors, vel ſtultus, qui hanc veritatem conſiderans tantum malum à ſe non abiget, & ad Deum ſe non converterit? *Ioan. cap. 5. verſ.8. opuſc. breviloq. p.5.cap.3. Ioan.c.9. verſ.1.ſerm.2. de Invent. S. Crucis lib.4.d.29. q.1. ad ultim.*

55. *Pœnitentia opportuno tempore aſſumpta ſanat infirmitates animæ.*

Convertimini filii revertentes, & ſanabo averſiones veſtras: rebelliones, legit Hebræus: contritiones veſtras, Septuaginta. Ecce quid facit pœnitentia, ſanat enim omnes infirmitates animæ, languores ſanat, leproſos curat, mortuos ſuſcitat, ſanitatem auget, & conſervat: ſed tamen opportuno tempore ſumpta: Cave ergo periculum: ſi enim hæc medicina differatur, vulnus animæ augetur, & ideò inveteratus difficulter ſanatur. *Sermon. 5. in die Ciner.*

56. *Chriſtus*

56. *Chriſtus Paſtor bonus paſcens ſuas oves per ſe, vel per ſuos miniſtros.*

Dabo vobis Paſtores juxtà cor meum. Quid eſt, & qualis Paſtor paſcens juxtà cor Dei? ſubdit, qui paſceret vos ſcientia, & doctrina, ſcilicet, qui erunt imitatores ſummi Paſtoris, qui de ſeipſo dicebat: Ego ſum Paſtor bonus. O quam bonus, & verus Paſtor, quia ſollicitè erudit, & domeſticat ſuas oves verbo prædicationis, & erudit exemplo vitæ, & hæc eſt ſcientia, & doctrina: ſcientia quantum ad verbum; doctrina quantùm ad exemplum, & utrumquè eſt neceſſarium: paſcit item Sacramentali refectione, & defendit eas virili præſidio à lupis, & hoſtibus: verè bonus paſtor qui animam ſcilicet vitam, corpus, & ſanguinem poſuit pro ſalute ovium: hinc dicit, dabo vobis Paſtores ſcilicet bonos, & mei imitatores; ſed animadverte quod tales non ſunt qui non ſolùm paſcunt oves, ſed ſemetipſos, & ut paſcant ſeipſos depaſcunt gregem ſuum, ſugentes ejus ſanguinem. *Ser.* 1. *&* 2. *Dom.* 1. *poſt oct. Paſcha. & in Ioan. collat.* 49. *&* 90.

57. *Deus exigit à nobis orationem mentalem, & vocalem, & vir in ipſa vult à nobis appellari Pater noſter.*

Ponam te in filios, & tribuam tibi hæreditatem præclaram exercituum gentium, vel ut legunt 70. *Dei omnipotentis gentium: & dixi Patrem vocabis me, & poſt me ingredi non ceſſabis.* Nota quod promiſſio divina propriè verificata eſt in tempore legis Gratiæ, nam Chriſtus nos in filios, & inter ſuos filios elegit, & collocavit: nobis Eccleſiam ſuam hæreditatem tradidit, & hinc à nobis prætendit ut ei dicamus, Pater noſter: Patrem vocabis me, id eſt voce, & corde, in quibus nobis duo notabilia inſinuat: primò quod ipſe eſt Pater noſter, ſcilicet tùm creatione, tùm collatione gratiæ, tum ratione conſummationis, & reparationis gloriæ: & hinc in oratione Dominica dicimus, Pater, ſcilicet ratione naturæ, noſter ſcilicet ratione gratiæ, qui es in cœlis, nempè ratione gloriæ: ſecundò eſt vocalis oratio, ſed mixta mentali, & in corde prius prolata dicendo vocabis me, nempè oratione vocali: nam hæc valet ad memoriam ſuſcitandam, ad ſomnolentiam excitandam, & ad deſiderium accendendum, ad obſequium impendendum, ad gaudium exprimendum, & ad exemplum demonſtrandum: & hinc filios ſuos invitat ad ſe dicens, & poſt me ingredi non ceſſabis. *Luc. c.* 11. *v.* 1. *& c.* 9. *v.* 55. *Pſal.* 2.

58. *Labores, & opera exiſtentis in peccato mortali vacua, & ſine fructu.*

Confuſio comedit labores patrum noſtrorum ab adoleſcentia noſtra, greges eorum, & armenta, & filios, & filias: dormiemus in confuſione noſtra, quoniam Domino Deo noſtro peccavimus. Quid eſt hæc confuſio comedens labores noſtros? quomodò comeduntur labores? ſed hæc eſt figurata locutio, qua explicat vacuitatem operum, quæ fiunt in confuſione mortis, ſcilicet in peccato mortali: ſunt enim labores, & opera mortua; undè tales poſſunt verè dicere ut dicebant diſcipuli Chriſto, præceptor per totam noctem laborantes nihil cœpimus; & id quod Job. *c.* 7. noctes laborioſas enumeravi mihi, qui enim de nocte ſcilicet in peccato mortali laborat, in vanum laborat, quia ſine Deo laborat: ô qualis confuſio tot ſtultorum: ô quot bona perdita. *Io c.* 21. *v.* 4.

CAP. IV.

59. *Prima duo Decalogi Præcepta ſunt principalia ordinantia perfectè hominem ad Deum: ubi præcipuè de juramento.*

Si reverteris Iſraël, ait Dominus, ad me convertere: ſi abſtuleris offendicula tua, abominationes tuas legit Hebræus, ſcilicet Idola, à facie mea non commoveberis, & jurabis vivit Dominus, in veritate, & in judicio, & in juſtitia. Nota quod in his verbis Deus removere conatur à Judæis cultum falſorum deorum, & ſuadere cultum ſolius Dei veri, & prætereà dicens, jurabis in veritate, in judicio, & in juſtitia: proponit obſervantiam ſecundi præcepti Decalogi in quo prohibetur aſſumptio in vanum nominis Dei, quæ inhonoratio fit medio juramento carente veritate, judicio, & juſtitia: requiruntur enim neceſſario in juramento veritas, non negando verum, non affirmando falſum, non aſſerendo ſcienter falſum: item juſtitia, ſcilicet ut non ſit contrà Mandatum Dei, vel S. Eccleſiæ, nec in diſpendium propriæ ſalutis, vel alienæ: item & judicium ſcilicet cum diſcuſſione veritatis, & juſtitiæ, & ſine temeritate. *Opuſc. de decem præcep. ſerm.* 2. *&* 3. *in ſup. c.* 14.

60. *Alii ſeminant inter ſpinas ſed fruſtrà: alii in terram bonam, & cum fructu: ubi de circumciſione ſpirituali.*

Novate vobis novalia, & nolite ſerere ſuper ſpinas; circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium veſtrorum, ne fortè egrediatur, ut ignis indignatio mea, & non ſit qui extinguat propter malitiam cogitationum veſtrarum. Nota quod hic metaphoricè Spiritus ſanctus inſtruit homines ne fruſtrà laborent, ſed profectum bonorum operum, & meritorum acquirant: ait igitur novate vobis novalia, quòd dicitur agricolæ ut ſcilicet priùs evellat ſpinas, & vepres ex campo, quàm ſeminet, ne frumentum ſuffocetur à ſpinis: ſic & terra cordis noſtri priùs expurganda eſt à ſpinis peccatorum, & poſteà ſeminanda grano bonorum operum: & hinc ſubdit: circumcidimini, ſcilicet per remotionem peccatorum, & auferte præputium cordis, quæ ſunt propria voluntas, ſenſus ſingularis, amor domeſticorum, & hoc ferro contritionis, confeſſionis, & ſatisfactionis, ſic enim erit circumciſio cervicoſitatis, cogitationum malarum, & cupiditatum, & converſationis ſæcularis, & verborum, quod ſi hæc non feceris Deus injunget pœnitentiam non panis, & vini, ſed ignis æterni. *Ser.* 1. *&* 3. *de circumciſ. Luc.* 8. *v.* 7. *& c.* 2. *v.* 21. *Ioan. coll.* 37.

61. *Prædicator inſtruitur in ſui muneris exercitio.*

Annuntiate in Iuda, & in Ieruſalem, & auditum facite; loquimini, & clamate fortiter, congregamini & ingrediamur Civitates munitas, levate ſignum in Sion. Nota quod hæc diriguntur prædicatoribus ut annuntient in Juda, & in Jeruſalem, ſcilicet tam Clericis, quàm Laïcis terribilitatem futuri Judicii ad hoc ut convertantur peccatores de viis ſuis peſſimis, & ingrediantur civitates munitas S. Eccleſiæ, & tranſeant ad ſtatum gratiæ, & ad hoc obtinendum debent clamare fortiter, veluti tubæ Chriſti prædicando de altitudine æternæ gloriæ, & de aſperitate pœnarum infernalium, ut peccatores elevent ſignum in Sion, ſcilicet aſſumentes pœnitentiæ vexillum: qui enim ad hæc non converſus fuerit, ſignum eſt reprobationis, & in die judicii poterunt dicere Prædicatores præſcitis: cantavimus vobis tibiis, & non ſaltaſtis, lamentavimus, & non ploraſtis. *Luc.c.7.v.32.*

62. *Clamandum fortiter in oratione.*

Et clamate fortiter. Clamate ait: & quomodò? clamore ex intimo cordis amore divino accenſi proveniente: clamate in oratione inſtanter fortiter, & perſeveranter: ſic enim clamor noſter ad aures Dei perveniet. *Pſal.118.c.10.v.3.*

63. *Chriſtus ex utero Mariæ venit in Mundum ut leo fortis contra diabolum habens mel in ore ad noſtram ſalutem.*

Aſcendit leo de cubili ſuo, prædo gentium ſe levabit: egreſſus de loco ſuo, ut ponat terram ſuam in ſolitudinem. Nota quod hæc eſt Prophetia de adventu Meſſiæ, Chriſtus enim in nativitate exivit de cubili ſuo, ſcilicet de utero Virginis Mariæ, & licet parvulus quaſi leo diabolum ſtatim invaſit, & gentes per vocationem ad fidem de manibus diaboli, quaſi prædam rapuit: terram in ſolitudinem poſuit, quandò lymbum inferni eductis animabus ſanctorum evacuavit: Hic eſt ille Leo, in cujus ore mel fuit, mel ſcilicet doctrinæ cœleſtis, & dulcedo gratiæ, & gloriæ. *Ser.3. de Nativ.*

64. *Pœnitentia placat iram Dei, & diſponit ad gaudium cœleſte Spiritus ſancti.*

Accingite vos ciliciis, plangite, & ululate, quia non eſt averſa ira furoris Domini. Nota quod hæc diriguntur ad peccatores & inſtruuntur quid ab ipſis faciendum ad placandam iram Domini, ad obtinendam remiſſionem peccatorum, & gratiam Spiritus ſancti: dicit igitur Propheta: accingite vos ô peccatores ciliciis: in cilicio omnis corporalis afflictio intelligitur: in planctu culpæ deteſtatio, in ululatu deteſtationis vehementia, & intenſio deſignatur, quæ exercendæ ſunt donec Spiritus ſancti clementia interius operetur, qui ideò dicitur Paracletus, ideſt Conſolator, dum ſpem veniæ parat, mentem à triſtitia levat: ira autem furoris eſt voluntas, ſive animus puniendi, & hoc eſt exercitium Neophytorum, ſcilicet incipientium, & pœnitentium, & hinc Eccleſia ſumit hunc affectuoſum planctum temporibus jejuniorum, ut per planctum veniat ad ſaltum gaudii ſpiritualis, & contemplationis; & ad ſolemnitatem Paſchæ perfectæ. *in Thren. in prolog.*

65. *Tentationes malis ſunt in malum: bonis in bonum.*

Ventus urens in viis quæ ſunt in deſerto viæ filiæ populi mei non ad ventilandum, & purgandum. Ad litteram loquitur de perſecutione Nabuchodonoſor, qua veluti vento urente terras Iſraëlitarum deſtruxit: Myſtice per ventum urentem intelliguntur tentationes, quæ in viis deſerti, ſcilicet peccatorum, quæ ſunt viæ tortuoſæ, laborioſæ, & periculoſæ malis ſunt in malum, quia per ipſas deteriores fiunt: bonis autem ſunt ad majorem profectum: cave ergò ô homo ne tibi ſint ad combuſtionem, ſed ad purgationem. *Pſal.17. & Pſal.118.v.2.* Et hinc ſubdit: ecce quaſi nubes aſcendet, & quaſi tempeſtas currus ejus: quaſi dicat, cave ne opprimaris ab iſto vento veluti à tempeſtate ab iſtis tentationibus, ſed armaturam patientiæ tibi provide. *in Ecclen.c.10.*

66. *Hypocritæ lavãt ſe exterius: Iuſti interius.*

Lava à malitia cor tuum Ieruſalem ut ſalva fias. Nota quod dicit lava cor tuum, non dicit manus, vel faciem exterius: quia hoc eſt diſcrimen inter hypochritas, & juſtos, quod illi exterius lavant, ſcilicèt curant foris apparere mundi: at juſti totum ſtudium ponunt in lavando cor, & animam à quacumquè etiam minima immunditia, ideò dicit lava abſolutè: lava ſcilicet intimè, & veraciter, plenariè, & totaliter in homine interiori, & exteriori, in affectu, & ſenſu, non ſicut hypocritæ. *Io. collat 45. Luc.c.11.39.*

67. *Cogitationes malæ ſunt idola cor noſtrum abominabile reddentia Deo.*

Uſquequò morabuntur in te cogitationes noxiæ: Vide undè terminanda ſit hæc lavatio à Deo præcepta, lava à malitia cor tuum: quænam eſt hæc malitia? ſubdit: uſquequò morabuntur in te cogitationes noxiæ? malitia, & fœditas exiſtens in corde, eſt ex cogitationibus malis, quæ veluti Idola à diabolo in corde pinguntur, ipſumquè reddunt Deo abominabile: lava ait Deus à tali fœditate malarum cogitationum cor tuum, & ipſas expelle à te toto conatu: ſic enim oſtium non aperies ad patrandas immunditias luxuriæ, aliorumquè peccatorum: Per quæ datur remedium efficax contrà luxuriam, & alia peccata: quia pravæ cogitationes, & affectiones ſunt inimici hominis domeſtici, quorum fraude urbs mentis inimicis traditur, ſi non benè caveatur, cuſtodiaturquè. *Op. de perf. relig. l.1.c.39. & l.2.c.15.*

68. *Sapientia mundana, terrena, animalis, & diabolica eſt: ſapientia quæ deſurſum eſt pudica, pacifica, modeſta, & divina.*

Stultus populus me non cognoſcit: filii inſipientes ſunt, & vecordes, ſapientes ſunt ut faciant mala: Eccè quomodò omnes peccatores inſipientes à Spiritu ſancto declarantur, & aſſignatur diſcrimen inter ſapientiam mundanam, & cœleſtem: nam ſapientia mundana eſt vera, & abominabilis inſipientia, quia eſt terrena, aſpiciens

tâtùm ad temporalia bona: animalis, quia ad delectationem nefariam inhiat: & diabolica, quia in ambitione tota volutur: E contra ſapientia juſtorum eſt munda, pudica, innocens, modeſta, liberalis, & ſimplex. *Ser.2.Hexam.in ſap.c.15.& opuſ.de Eccleſ.Hierar.p.1.c.3.*

69. *Sapientia Mundi vera inſipientia: inſipientia juſtorum vera ſapientia.*

Stultus populus meus non cognoſcit: filii inſipientes ſunt, ſapientes ut faciant mala: Quomodò ſi ſtulti ſunt dicuntur inſipientes? ſapientes ſunt? ſed nota quod additur, ſapientes ſunt ut faciant mala: nempè hæc ſapientia mundanorum: ſapientes ſunt, quia pro rebus, & honoribus, pro voluptatibus, pro vindictis, & hujuſmodi conſulunt ſapienter, pro animabus, inſipienter: ſapientes ſunt. & mundo tales videntur, qui ſciunt vias ad peccandum exquirere, proximos conculcare, pecuniam congregare, bella diſponere, incendia procurare, & hæc ſapientia eſt griſonica, & malitioſa aſtutia, & vera inſipientia, quia eſt ad Deum offendendum, ad proximum involvendum, fallendum, & confundendum, quæ cæcitatem intellectui affert, & homines ſtultiſſimos reddit: Contra quam venit Chriſtus, ut ipſam deſtrueret, & veram ſapientiam cæleſtem doceret, ſcilicet humilitatem, puritatem, ſimplicitatem, & alias virtutes chriſtianas. *Ser.2.Hexam.ſer.1.de S.Gregor.ſerm. de SS.Sim. & Iud. in addit.*

70. *Creaturarum inanitas expenditur.*

Aſpexi terram, & ecce vacua erat, & cælos, & non erat lux &c. Quomodo hoc poterat verè dicere Propheta? quomodo terra vacua, quomodo ſine habitatoribus? quomodo Cœli ſine luce? &c. ſed attende, quod in his, & ſequentibus verbis dat nobis intelligere vacuitatem, & vanitatem, & inanitatem omnium creaturarum, quæ vanæ ſunt, tum quia de nihilo ſunt, tum quia in nihilum redeunt, ſi non eas manus Conditoris retineret, tum quia omnia hujus mundi inſtabilia, honores dignitates, divitiæ, voluptates. *Ser. 1. de S.Thoma Apoſtol.ſup.c.13.*

71. *Homo ſine gratia Dei eſt terra inanis, & vacua, & ſine luce: Ubi de Clericis, & Religioſis.*

Aſpexi terram, & ecce vacua, & Cælos, & non erat lux in eis. Nota, quod per terram intelliguntur laici, per Cœlos Clerici, & Religioſi, hoſque vidit Propheta involutos in peccatis, & ideo tamquam nihil & carentes luce, & lumine, cum deberent eſſe lucentes & ſibi & aliis. *Op. Eccleſ.Hier.p.4.c.3.& 5.Pſal.2. Op.myſt. Theol.in Pater noſter.* Vide ergo, quod Religioſi, & Clerici deberent eſſe Cœli myſtici in Eccleſia, nempè mundi. & elevati à terrenis, volubiles per obſervantiam obedientiæ, & ſui muneris, immunes ab omni contrarietate per unitatem, & concordiam occultantes ſeu continentes in ſe cognitionem, & amorem myſteriorum cæleſtium, influentes vitam, & motum ſpiritualem verbo, & exemplo in ſæculares: faciat Deus, ut in Eccleſia nunc non poſſit verè dici: Aſpexi Cœlos, & in eis non eſt lux. *Op.Eccleſ.Hier.p.4.c.4.*

72. *Chriſti reſurrectio vim Dæmonibus abſtulit.*

A voce equitis, & mittentis ſagittam fugit omnis civitas, ingreſſi ſunt ardua, & aſcenderunt rupes &c. Nota, quod ad litteram deſcribitur fuga, & devaſtatio Judæorum facienda ab exercitu Nabuchodonoſor: ſed Myſtice ad Chriſtum refertur, ejuſque victoriam, quam in Reſurrectione reportavit de Dæmonibus, quia de equo deſcendens corporis in morte damnavit dæmones: In Reſurrectione ad equum rediens, eos magis fugavit, auferendo eis poteſtatem ſuper genus humanum, quam virtutem magis experientur in judicio cum civitate, & congregatione impiorum, qui ſententia æternæ damnationis ferientur: hocque dicitur nunc, ut cæcitati peccatores ab hoc timore, fugiant ad pœnitentiam, & evitent gehennam. *Ser.2.in Paſcha.*

73. *Chriſtus ſagitta Spiritus ſancti ſagittat ſuos: Diabolus ſagitta malignitatis: illi, ut in caverna pænitentiæ ſe abſcondant: iſti ut in Inferno præcipitentur.*

A voce equitis, & immittentis ſagittam fugit omnis civitas, ingreſſi ſunt ardua, & aſcenderunt rupes &c. Nota, quod iſte eques eſt Chriſtus Jeſus, ejus equus eſt Eccleſia, vel quilibet fidelis, ad quem mittit Spiritum Sanctum, ut ſagitta timoris, doloris, & amoris, vel etiam tribulationis, ut his quaſi calcaribus ſtimuletur ad currendum in pugnam, & ut civitas, ſcilicet mundani homines fugiant ad cavernam pœnitentiæ, vel ad urbes refugii, nempè ad Religionem, vel ad aliquem ſtatum ſalutis: E contra diabolus ſuos ſagittat ſagittis tentationum, ut ad malum currentes, eos tandem præcipitent in Inferno. *Ser.7. in Pentecoſt.*

CAP. V.

74 *Propter merita juſtorum ſæpe Deus parcit Civitatibus & locis.*

CIRCVITE *vias Ieruſalem, & aſpicite an inveniatis virum facientem judicium, & quærentem fidem, & propitius ero ei.* Vide benignitatem Dei noſtri, qui ſæpè iratus propter multiplicia peccata alicujus Civitatis vel loci promittit veniam propter merita, & preces alicujus viri juſti, quod ſæpe evenit: ſed attende, quod flagella licet per juſtorum merita evitentur, & reproborum damnatio poſſit differri, non tamen per ipſos poteſt auferri, ſi non corrigantur; vult enim emendationem, & pœnitentiam. *Ser.3.Dom.13.Pent.Luc.c.13.v.4.*

75. Ad

75. *Ad fidei magnitudinis proportionem Deus confert ſuas gratias.*

Domine oculi tui reſpiciunt fidem : percuſſiſti eos, & non doluerunt, &c. Nota, quod in his verbis dat Spiritus ſanctus intelligere, quod Deus in conferendo gratias reſpicit ad fidem noſtram, & ſecundum majorem, vel minorem intentionem ipſius nos tractat, & hinc ad ipſius proportionem etiam miracula ab eo patrantur, & à ſanctis, & qui ipſam deſerunt, etiam ab ipſo puniuntur. *Luc.c.5.v.20.& c.7.v.6.*

76. *Judices, & Prælati caveant ab ignorantia.*

Forſitan pauperes ſunt, & ſtulti, ignorantes viam Domini, & judicium Dei ſui : ibo igitur ad optimates, & loquar eis &c. Vide quomodo, ut inſtruantur populi debet fieri recurſus ad optimates : ſupponitur enim ſcientia neceſſaria, & lumen cæleſte in mente ſuperiorum, per quæ & regere, & inſtruere debent ſubditos, & ideo ipſi tenentur eſſe refugium omnium ſubditorum in rebus dubiis, & ad expellendam illorum ignorantiam ; quod ſi ipſi Prælati ignorantia laborant, tunc ruina ipſorum & ſubditorum imminet : & hinc ſubdit Propheta de Prælatis populi : Et hi magis ſimul confregerunt jugum, ruperunt vincula. *Op. Eccleſ. Hier. p.2.c.2.*

77. *Peccatum Prælatorum gravius eſt, cæteris paribus peccato ſubditorum.*

Ibo ad optimates, & loquar eis, ipſi enim cognoverunt viam Domini &c. Et ecce magis hi ſimul confregerunt jugum, ruperunt vincula. Nota illud verbum : & ecce magis hi ſimul confregerunt : Dans intelligere, quòd Prælati, & ſubditi peccaverunt ſimul, ſed tamen magis Prælati : ſed cur magis Prælati, cum ſint pares cum ſubditis in iiſdem peccatis ? ſed optime dicit : nam peccata Prælatorum, cæteris paribus, ſunt graviora peccatis ſubditorum, tum ratione commiſſi, quia plus ipſis à Deo commiſſum eſt ; tum ratione damni, quia alios ſuo exemplo corrumpunt ; tum ratione ſcandali, quia Eccleſiam ſcandalizant ; tum ratione judicii, quia ſubditi in hac vita judicantur, & puniuntur, non Prælati ; tum ratione officii, quia officium ſuum indignè exercent. *Sap.c.6.*

78. *Peccator rumpens vincula præceptorum Dei, in duriora vincula diaboli incidit.*

Hi magis ſimul confregerunt jugum, ruperunt vincula. idcirco percuſſit eos leo de ſilva, lupus pardus &c. Ecce quid facit peccator ſtultus, qui rumpens vincula dulcia, & aurea mandatorum Dei, ſe injicit in vincula ferrea diaboli, ſubjiciens ſe crudelitati Dæmonis, & ſic volens vitare jugum, & vincula dulcia Dei, incidit in dura diaboli. *ſer.3. Dom.3. Adv. Luc.c. 8.v.29.* Et nota, quod ſimilitudinem trium ferarum hic apponit, nempè leonis, lupi, & pardi, per quæ ſignificatur feritas diaboli. qua lacerare, & diripere conatur animas, triplici maxime vitio, ſcilicet ſuperbia ſignificata in leone, gula & luxuria in lupo, & avaritia in pardo : per iſta enim ligat diabolus plurimos. *Ser. 1. de uno Confeſſ. ſer. 5. de plurib. Mart. ſer.6. de Apoſtol. Joan.c.10.v.18.*

79. *Diabolus venator animarum, præcipuè in exitu è corpore : Item & vir ſcandaloſus.*

Omnis, qui egreſſus fuerit ex eis capietur, quia multiplicatæ ſunt prævaricationes eorum, confortatæ ſunt averſiones eorum. Nota, quod diabolum ſuprà propoſuit veluti leonem, lupum, & pardum ; quia totus intentus eſt ad diripiendas animas ; nunc ſubdit, quod omnis, qui egreſſus fuerit, capietur ab eis, ſcilicet à Dæmonibus : De quo loco egreſſus ? Egreſſus fuerit de cauſa gregis Chriſti : egreſſus fuerit, prævaricando legem Dei : egreſſus fuerit ex hac vita in tali ſtatu, capietur à Dæmonibus, qui veluti leones in abſcondito obſervant exitum, & operationes noſtras, iſtique veluti venatores peſſimi capiunt homines retibus, & laqueis malarum cogitationum, eſca voluptatum & dentibus detractorum ; & ad hoc utitur ſuis miniſtris venatoribus, ſcilicet hominibus malis, conſiliaribus, meretricibus, ſociis malis, & ſcandaloſis, qui veluti miniſtri, & auxiliarii diaboli, animas Chriſto auferunt, eas tradentes diabolo. *Ser.3. Dom.4. Pent. ſer.2. ſer.3. Pent. ſer.1. Dom.1. quadrag.* ô quam nimis verum hoc ! quot animæ dantur in prædam diaboli ab his iniquis diaboli miniſtris.

80. *Ex gulæ vitio luxuria naſcitur.*

Super quo propitius tibi eſſe potero ? filii tui dereliquerunt me, & jurant in his, qui non ſunt dii : ſaturavi eos, & mœchati ſunt, & in domo meretricis luxuriabantur. Conqueritur Deus cum populo Iſraël, quia dereliquerunt Dominum, & honorem Deo debitum Idolis tribuunt, & quia vitio gulæ ſe dederunt, hinc in luxuriam omnem præcipitaverunt : ſed iſta verba magis diriguntur contra plures chriſtianos, qui derelinquentes legem Chriſti, ventri, avaritiæ, & ſuperbiæ ſe immergunt : & hic nota illam connexionem, ſaturavi eos, & mœchati ſunt, ut videas maximè, quod gulæ vitium gignit peccata luxuriæ, nam ex vicinitate membrorum ſcilicet ventris, & genitalium intelligitur confœderatio vitiorum iſtorum. *Op. Diet. Tit.1.c.8.* Et hinc ſubdit, equi amatores, & emiſſarii facti ſunt : unuſquiſque ad uxorem proximi ſui inhiabat : & hoc eſt, quod maximè in hominibus hujus ſæculi videtur, quia totus ferè mundus in maligno poſitus eſt : in quibus adulteria, fraudes, furta, mendacia, & cuncta mala diffuſa ſunt, & omnes tamquam equi emiſſarii, & luxurioſi in proclivo vitiorum ſunt. *Op. de contemptu ſæculi & ſer.5. de una Virg.*

81. *Viſitatio Dei viventis ſuper iniquos expenditur.*

Numquid ſuper his non viſitabo dicit Dominus, & in gente tali non ulciſcetur anima mea ? Ecce quid concludit Deus poſt enarratas malitias iniquorum, nempe viſitationem ab ipſo faciendam : Viſitabo, ait, iſtos impios, viſitabo ſuper impudicos, luxurioſos, detractores, & alios enormibus

bus vitiis, & tenebris latentes: & quid ſequetur ad hanc viſitationem? Injunget Chriſtus in tali viſitatione pœnitentiam, non panis, & aquæ ſed ignis æterni. *Ser. 3. in Circumciſ. ſer. 5. de una Virg.*

82. *Hominis à diabolo decepti, & poſſeſſi infelicitas qualis.*

Ecce ego adducam ſuper vos gentem de longinquo, ait Dominus, gentem robuſtam, gentem antiquam, gentem, cujus ignorabis linguam, nec intelliges quid loquatur, &c. Ad litteram hic prædicit ſtragem, quam poſtea fecit crudeliſſimam exercitus Chaldæorum ſuper terram, & habitatores Iſraël: ſed myſticè nobis inſinuat poteſtatem, & crudelitatem immanem, quam ſuper à Deo recedentes, juſto Dei judicio id permittente, exercet dæmon: & ideo notandum eſt primò, quod ſacer Textus appellat dæmones gentes, cujus linguam, & ſermonem ignorant peccatores, quia diabolus primò rationem, ſeu rationalem potentiam excæcat et‑ie falſitatis, & malitiæ, ſecundò concupiſcibilem deformat fœtore carnalitatis, & luxuriæ, tertiò iraſcibilem deordinat tumore vanitatis & ſuperbiæ, & ſic ſub ſpecie boni, & delectabilis decipit miſeros; & hinc ut fur iniquus furatur merita, mactat in culpa, & perdit in gehenna: ecce quales calamitates, in quas dejicit dæmon hominem miſere deceptum. *Ser. 2. Dom. 3. quadrag. ſer. 8. ſer. 3. Pent. ſer. 1. & 2. Dom. 1. quadr.*

83. *Qui in hac vita recuſat Deo ſervire in lætitia, in Inferno ſerviet diabolo ſine requie.*

Sicut dereliquiſtis me, & ſerviſtis Deo alieno in terra veſtra, ſic ſervietis Diis alienis in terra non veſtra. O quàm juſta, quàm vera hæc lex à Deo peccatoribus intimata, & præcipuè damnatis: Vos ô peccatores in terra veſtra, in hac vita recuſaſtis ſervire Deo veſtro in lætitia, & delectatione maxima; ecce quod ſervietis dæmonibus in terra non veſtra, ſcilicet in Inferno: ex quibus patet qualis, & quanta ſit inſania peccantium, qui, relicto Chriſto Patre amantiſſimo, voluntariè ſe ſubjiciunt diabolo, qui eſt in dominando tyrannicus, & crudelitate impius, & in exigendo ſervitium laborioſum inexorabilis, & iniquus, & in reddendo ſtipendium duriſſimus, & ſæviſſimus. Nota etiam quod dicit ſervietis in terra non veſtra, quia infernus eſt paratus diabolo, & Angelis ejus, non verò hominibus, niſi volentibus. *Joan. c. 14 ad finem.*

84. *Omnis creatura, excepto homine, Deo obedit.*

Audi popule ſtulte, qui non habes cor &c. qui poſui arenam terminum mari &c. Nota, quod in his verbis intendit Deus oſtendere, quod omnes creaturæ præcepto Dei perfectiſſimè obediunt: quo poſito, contra hominem infert: me ergo non timebitis &c. quaſi dicat, ergo cum cæteræ creaturæ mihi exactiſſimè obediant, tu ſolus homo me non timebis? non obedies? Unde miro modo in hoc arguitur, & reprehenſibilis oſtenditur pervicacia humanæ voluntatis, cum omnis creatura ſenſibilis obediat divinis imperiis, quibus homo miſerabilis contradicit. *Luc. c. 4. v. 39. & c. 8. v. 25. & c. 12. v. 5. ſap. c. 19.*

85. *Peccatum quodlibet, ſed præcipuè ſcandalum eſt murus impediens bonorum cæleſtium influxum.*

Iniquitates veſtræ declinaverunt hæc, & peccata veſtra prohibuerunt bonum à vobis, quia inventi ſunt in populo meo impii inſidiantes quaſi aucupes laqueos ponentes, & pedicas ad capiendos viros, ſicut decipula plena avibus, ſic domus eorum plena dolo &c. Nota ô lector hæc verba graviſſima, & ipſorum ordinem: nam primò dicit, quod iniquitates populi declinaverunt hæc, ſcilicet flagella & prohibuerunt bonum: Ut intelligamus, quod peccata ſunt veluti murus interpoſitus inter Deum & nos, & impediens, ne nos tranſeamus ad Deum, & ne bona cæleſtia ad nos tranſeant, & per conſequens cauſantia omnia mala. *Pſal. 79.* Deinde ſubdit: quia inventi ſunt in populo impii quaſi aucupes, laqueos ponentes: & quinam ſunt iſti? ſunt laſcivæ mulieres, ſunt hæretici, ſunt mali conſiliarii, ſunt iniqui ſocii, ſunt Prædicatores quæſtuarii, adulatores, & omnes ad peccatum trahentes, & capientes animas hominum, & hi ſunt homines impii, Deo exoſi, deteriores furibus, & latronibus, ut vides, quàm grave malum, Deoque ſuper omnia exoſum, & nobis pernicioſum ſit peccatum ſcandali. *Ser. 2. Dom. 4. Pent. ſer. 3. Dom. 1. poſt oct. Epiph. ſer. 1. Dom. 1. poſt oct. Paſchæ.* Hinc dicebat S. Vincent. ferrer. quod ob ſcandala publica Deus immittit tribulationes, & flagella toti Civitati.

86. *Divitias cumulare ſæpe Deus homini permittit ad ipſius pœnam.*

Iniquitates veſtræ, & peccata veſtra prohibuerunt bonum à vobis &c. quia inventi ſunt in populo meo impii aucupes, laqueos ponentes &c. domus eorum plena dolo, ideo magnificati ſunt. Nota, quòd primò Deus præmittit privationem bonorum cauſatam in populis ob ſua ipſorum peccata, & privata, & publica, maximè ob ſcandala, & deinde infert, quod ipſorum impiorum domus repletæ fuerunt divitiis, & ditatæ ſuper omnes, & magnificatæ: ſi hoc, quomodo tetigit eos ſuprapoſita privatio bonorum? Imò oppoſitum, quia licet divitiæ ſint bona temporalia, tamen à Deo etiam iſtæ dantur? ſed attende connexionem verborum indicantium talem cumulationem divitiarum, quia, ait, domus ipſorum plenæ ſunt dolo, idcirco magnificati ſunt, & ditati: Ergo hæc ditatio, & multiplicatio divitiarum orta eſt ex dolo, rapina, avaritia, & Dei multiplici offenſa: hinc evidenter concluditur, quod ad adventum divitiarum in domibus iniquorum, non ſolùm non adveniunt bona à Deo, imò ira Dei ſuper ipſos, & meritò hoc flagellum divinum potius debet reputari, quia iſtæ fœdæ, & delectationes terrenæ deprimunt affectum ad terrena, potiùs amaricant, quàm delectant, & loco delectationis, quam credunt iſti ſtulti invenire, experiuntur cruciamenta & irritationes ad malum: Igitur quæ ſurſum ſunt ſapiamus, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens, non quæ ſuper terram per depreſſionem affectus ad iſta fœda, & immunda. *Ser. 4. Dom. 14. Pent. ſer. 3. Dom. 3. poſt oct. Epiph. ſap. c. 14.*

87. *Lachryma*

Digitized by Google

87. *Lachryma viduarum, & pauperum non pervenientes ad aures Iudicum iniquorum, perveniunt tamen ad aures Dei, & flagella graviſſima impetrant in ipſos.*

Cauſam viduæ non judicaverunt, cauſam pupilli non direxerunt, & judicium pauperum non judicaverunt: numquid ſuper his non viſitabo, dicit Dominus? &c. Ecce quam verum eſt, quod lachrymæ viduæ deſtitutæ ſolatio viri, pupillique, & pauperum, licet non perveniant ad cor Judicum, & Prælatorum, obduratum propter ſuam crudelitatis perfidiam, perveniunt tamen uſque ad Cœlum ad aures Dei, invocantes, & attrahentes flagella ſenſibilia, & graviſſima ſuper ipſos: Dicit enim Chriſtus, quod Deus citò faciet vindictam iſtarum pauperum: Audiant hæc, & intelligant iniqui Judices, & Prælati, & contremiſcant. *Luc. c.18.v.3.&ſeq.ſap.c.6.* Nota autem ordinem iſtorum verborum: dicit enim primò: Cauſam viduæ non judicaverunt, ideſt ad utilitatem, ſed ad damnum viduæ contra juſtitiam: cauſam pupilli non direxerunt, ideſt non fuerunt advocati pro eis, ſicut tenentur facere: & judicium pauperum non judicaverunt, ſcilicet pro divitibus judicantes, eoſque pro muneribus juſtificantes. *Sic Ugo, &c.* Unde ſubdit, ſtupor, & mirabilia facta ſunt in terra, ut intelligas, quod valdè mirabile eſt videre, quod inter Chriſtianos Judices doctos inveniantur tam impii, & iniqui malè judicantes. *Luc.c.2.v.47.*

CAP. VI.

88. *Peccator ſurgat de die, nec expectet noctem. Ubi de malitia peccati mortalis.*

V*Æ vobis, quia declinavit dies: ſurgite, & aſcendamus in nocte, &c.* O quot, quot dicunt idem cum iſtis ſtultis, quia de die hujus vitæ vivunt in luxuriis, & peccatis poſtea reducti ad noctem mortis, dicunt, ſurgite, & aſcendamus in nocte per ſerotinam pœnitentiam, & ſic decepti inveniuntur. *Ser.1. Dom.1. Adventus.* Ut autem reddat ſacer Textus rationem talis erroris, ſubdit, dicens, quod ſicut frigidam facit ciſterna aquam ſuam, ſic frigidam facit malitiam ſuam impius, vanitas audiatur in ea, &c. In quibus verbis prætendit Spiritus Sanctus oſtendere effectus peccati mortalis, cujus malignitas dicitur frigida, quia infrigidat animam, auferens ab ipſa calorem gratiæ, infrigidat, & opera bona, auferens ab eis meritum, & ideo veluti impellit ipſam ad ignem concupiſcentiæ. *Ioan.c.18.& collat.80.*

89. *Deus baculo tribulationis erudit animam: & væ, qui ad hanc ſcholam non profecit.*

Erudire Ieruſalem, ne forte recedat anima mea à te, ne fortè ponam te deſertam terram inhabitabilem. Sed quis fuit doctor docens populum Jeroſolimitanum: quæ lectio, & doctrina? Doctor docens Jeruſalem fuit Deus, qui virga tribulat. bonum, in ſchola perſecutionum ipſam docuit, quia in tempore proſperitatis capere noluit lectiones Sacras: ſic, ſic facit Dominus nobiſcum; quia enim multi in tempore proſperitatis ipſum deſerunt, & rejiciunt doctrinam legis divinæ, id eò ipſos emittit in ſcholam tribulationum, ut ad meliorem frugem redeant, ut diſcant humilitatis, pœnitentiæ, & obſervantiæ legis divinæ lectiones: hinc ſicut Civitati Jeruſalem dicebat in Perſona Dei Propheta, ſic & cuicumque animæ: erudire Jeruſalem in tali ſchola, alioquin, væ tibi, alioquin recedet à te anima mea, & ponam te deſertam. *In Thren.c.1.*

90. *Multos rapit diabolus, paucos colligit Chriſtus.*

Hæc dicit Dominus exercituum, uſque ad racemum colligent quaſi in vinea reliquias Iſraël: converte manum quaſi vindemiator ad chartallum. Nota, quòd hic ſub metaphora vindemiatorum prædicit Propheta deſolationem Jeruſalem, quæ per Chaldæos facta eſt, qui ipſam vindemiarunt, ducentes in captivitatem omnes, exceptis paucis racemis, ſcilicet vilibus perſonis, ut evenit in vindemia, poſtquam una ponitur in chartallo, nempe in vaſe ligneo, ut ibi calcetur, & exprimatur uva, quia Iſraëlitæ ducti in captivitatem fuerunt afflicti maximis tribulationibus, & præſſuris: ſed myſticè datur intelligi id, quod evenit in mundo, & in Eccleſia: nam vindemiator eſt diabolus in vinea dominica, qui integras uvas colligit, ſcilicet magnos, & divites, & Chriſtus eſt quaſi grappator, qui pauperes, & viles tantùm colligit, ille in chartallo eos collocat, ſcilicet in Inferno, ut calcet, torqueat in æternum, & extorqueat vinum iræ Dei amariſſimum, & pœnarum atrociſſimarum: iſte ſuos pauperes in Cœlum introducit in æternum ſatiandos ad menſam gloriæ. Unde *Amos c.7.dicit: Væ mihi quia factus ſum, ſicut qui colligit racemos vindemiæ, non eſt botrus ad comedendum: quia multi ſunt vocati, pauci electi:* ô quàm verum eſt! ô nimis verum! quia totus mundus in maligno poſitus eſt. *In Thren. c.1. Luc.cap.8.verſ.8. & cap.13. verſ.23. & Ugo Card hic.*

91. *Cauſa cur multi in oratione non proficiunt expenduntur.*

Cui loquar? & quem conteſtabor, ut audiat, idcirco furore Domini plenus ſum, laboravi ſuſtinens, &c. Attendant hæc verba ſervi Dei, & omnes illi, qui vitam religioſam profitentur, & qui in vita ſpirituali ſe exercent: Dicit enim Dominus: Cui loquar? quaſi dicat, quòd pauci, imò pauciſſimi ſunt, qui ſe diſponant ad recipiendum in corde verba mea, inſpirationes meas, influentias cœleſtes: & cur hoc, cum tot ſint in Eccle-

ſia, qui in oratione tempos multum ſine fructo expendunt, qui vitam ſpiritualem profitentur? ſed reſpond. quia incircumciſæ aures eorum, & audire non poſſunt; quaſi dicat quia non imitantur me, qui laboravi ſuſtinens, nempè qui ante meritum exigunt præmium, & aote laborem ſumere volunt cibum, quia qui non laborat, non manducat, ait Apoſtol. 2.*Theſ.c.3.* quia niſi propter obedientiam mandarorum contemplationis guſtus noo debetur: Non igitur putes de proptio amore quietis ſanctæ obedientiæ actibus, ſeniorumve traditionibus præjudicium ullatenus faciendum, nec enim dat inobedienti, habentique aures incircumciſas copiam ſui tantus obedientiæ amator; nec dat ſeipſum Chriſtus iis, qui alios ſua ſingularitate turbant, ſua impatientia irritant, ſua inobedientia coinqoinant: & cum hoc ſit veriſſimum, tamen noo deſunt multi, qui ad fœdum ſuæ concupiſcentiæ, amoris proprii, imperfectionumque voluntariarum lectulum, omni orationum inſtantia totius puritatis Dominum invocare audent: Et hinc eſt, quod dicit Chriſtus: cui loquar? quia multis factum eſt verbum Domini in opprobrium *Op.medit.vitæ Chriſti c.46.* Vide ô anima, quòd Deus ſolus vult cohabitare tecum, nec io malevolam animam plenam, & fœdatam amore proptio vult intrare.

92. *Quomodo dicitur Deus laborare ſuſtinens: Ubi de miſericordia ejus expectante ad pœnitentiam.*

Laboravi ſuſtinens. Quomodo id dicitur de Deo? eſt ne ſubjectus laboribus? ſed eſt metaphorica hæc locutio, quæ ut intelligatur, præmittit alia verba dicens: ideirco furore Domini, plenus ſum: Cur furore Domini? ſcilicet ob peccata multiplicia excitantia iram, & furorem divinæ juſtitiæ, ſubdit, laboravi ſuſtinens, nempe cum tali furore, & ita excitatus, tamen ſuſtineo: Dat intelligere in his verbis Propheta quanta, & qualis ſit miſericordia Dei in peccatorem, ipſum expectando ad pœnitentiam, etiam dum in peccatis vivit peccando, & dans ipſi tempus pœnitentiæ; eſt enim patiens redditor, expectando, & differendo punitionem ultimatam, *l.2. d.36. art. 2. quæſt.1. ſermon.3. Dom.6. Pentec.*

93. *Deus extendit manus ſuas aliis ad puniendum, aliis ad ſublevandum.*

Extendam manum meam ſuper habitantes terram dicit Dominus. Ad quid extendit manum ſuam? Nota quod Deus dicitur extendere manum ſuam, vel puniendo, vel protegendo, vel benefaciendo, ideo aliis extendit manum ſuam, ut eos puniat, & puniendo, vel à peccatis revocet, vel impellat obſtinatos à ſe: Aliis, ut eos ſurgere faciat à culpa, deducat per gratiam, & ſuſcipiat in gloria. *Pſal.80.ſer.2.Dom.13.Pent.*

94. *Deus extendit manum ſuam ſuper nos, mittendo Filium in mundum, & extendendo ipſum in Cruce.*

Extendam manum meam ſuper habitantes terram. Et quandonam extendit Deus manum ſuam ſuper nos. Tunc extendit, quando miſit manum ſuam, ſcilicet Filium in mundum ad ſumendam carnem noſtram, unde antiqui dicebant, emitte manum tuam ſuper nos: emiſit autem manum ſuam Deus, ut divina offenſa placaretur, ut natura humana liberaretur à captivitate diaboli, ut natura Angelica reſtauraretur, ut diabolica violentia per hanc manum refrænaretur: Vide qualem extenſionem: emiſit Filium ad Crucem, ut in ipſa membra ejus ad quatuor partes mundi diſtenderentur, ut ibi igne amoris divini fieret ſacrificium Deo gratiſſimum, atque chariſſimum: ô felix qui ad hanc manum ſuas extendit per amorem. *ſer.1.Dom.1.Adv.*

95. *Avaritia oſtenditur radix omnium malorum, in cujus ſchola ferè omnes ſtudent homines.*

A minore uſque ad majorem omnes avaritiæ ſtudent, & à Propheta uſque ad ſacerdotem cuncti faciunt dolum. Quomodo hoc verum eſſe poteſt, quod cuncti avaritiæ ſtudeant? nonne multi, licet in aliis vitiis immerſi, tamen immunes ſunt ab hoc vitio? Sed attende, quod hic pro avaritia ſumitur, non ſolùm amor pecuniæ, ſed omnis concupiſcentia illicita, ex qua oriuntur uſura, rapina, latrocinium, talliæ injuſtæ, fraudes negotiatorum, deceptiones advocatorum, acceptio munerum, ſimonia, promotio indigni favore Principum, avaritia ſcientiæ, iniquitas ludentium, & innumera alia mala, in quibus ferè totus mundus ſtudet, & involutus eſt, & hinc dicitur, à minori uſque ad maximum, ſcilicet major pars hominum omnes ſtudent in hac diaboli ſchola. *Op.Diat.Tit.1.c 6.Thren.c.2. ſer.1. S.Mariæ Magdal.ſer.1. Apoſtol.ſer.2.In Converſ.S.Paul. Luc.c.10.v.11.Eccleſ.c.1.& 10. Vide infrà ad c.8. v.10.n.133.*

96. *Pax Chriſti, & pax diaboli qualis.*

Et curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia, dicentes, pax, pax, & non erat pax. Nota quoad litteram loquitur de falſis Prophetis, qui contra prædictiones Sancti Prophetæ, promittebant Jeruſalem ſecuritatem; & pacem, ſed falsò, ut experientia cognoverunt. Miſticè loquitur de ſequacibus diaboli, & mundi, & præcipuè Prælatorum malorum, qui ob avaritiam permittunt, ſubditos vivere malè, cum ſpe, & fiducia vana futuræ ſalutis: ſed notanda ſunt illa verba, pax pax, & non erat pax, quia pax, quam promittit, & dat Chriſtus ſuis, quæ conſiſtit in tranquilitate mentis, & gaudio contemplationis, habeturque per ſubjectionem carnis ſub Dominio Spiritus: Alia eſt, quæ à diabolo mundo, & carne exhibetur, & conſiſtit in tranquillitate temporalium, in ſanitate corporum, in ſubjectione Spiritus ad carnis imperium, & hæc ficta, & falſa, & maledicta pax, quæ bellum continuum fovet in corde. *Pſal.84.& 150.Luc.c.12.v.51.ſap.c.14.*

97. Erubeſcen

97. *Erubeſcentia in confeſſione qualis bona, & qualis mala.*

Confuſi ſunt, quia abominationem fecerunt, quin potius confuſione non ſunt confuſi, &c. Quomodo dicitur de Jeroſolimitanis, quod confuſi ſunt, & confuſione non ſunt confuſi? nonne hæc ſunt inter ſe pugnantia? ſed attende quod eſt confuſio bona, & mala: ſic latrones pœnis à Judicibus conſtricti, demiſſo capite, & cum confuſione, & erubeſcentia confitentur facinora ſua, ſed tamen coram Deo, & ſacerdote nolunt ea ſubjicere, & ſic confuſionem, & erubeſcentiam cum cauſa, & ſine fructu habent: qui verò confitentur peccata ſua ſacerdoti cum humilitate, & erubeſcentia, ipſis eſt cum fructu, & merito. *Op. Diat. Tit. 1. c. 7. Thren. c. 4.* Qui igitur confuſione fruſtratoria, & infructuoſa ſunt contenti, confuſionem perpetuam in tempore viſitationis Dei, ſcilicet Judicii patientur, &c.

98. *Prædicatores, & Prælatorum munus qualiter exercendum.*

Hæc dicit Dominus: ſtate ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea, & invenietis refrigerium animabus veſtris. Nota, quod hæc diriguntur ſpecialiter Prædicatoribus, & Prælatis, quorum munera hic exprimuntur: debent enim ſtare, videre, aſcendere, ſeu ambulare, & ſtare: dicitur igitur, ſtate ſuper vias, ſcilicet per intentionis rectitudinem, debent videre per certitudinem diſcretionis, ut agnoſcant vultum pecoris ſui, & ſubditorum, & auditorum ſtatum, ideo dicitur, videte: ſubdit, & interrogate de ſemitis antiquis, ſcilicet aſcendite per exercitium actionis, & ſollicitudinem diſcretionis: ſubdit quartò, & invenietis refrigerium animabus veſtris, nempè per otium contemplationis: nam Prædicator debet modo ad contemplationem aſcendere, modo ad actionem deſcendere. *Luc. c. 5. v. 3.*

99. *Via, quæ ducit ad Cœlum, & quæ ducit ad Infernum exponitur.*

State ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona. Si eſt via bona, ergo & via mala: Via bona quærenda eſt, & eſt quam ambulaverunt juſti per obſervantiam mandatorum Dei: Via autem bona eſt vita conjugalis juſtorum, melior vita vidualis, & optima Virginalis, hæcque ducit ad Cœlum, & ad Deum: Via verò mala eſt quam oſtendit diabolus, ducens ad Infernum, hæcque, licèt quibuſdam videatur delectabilis valdè, in fine tamen erit execrabilis, eſtque via peccatorum. *Serm. 5. in Tranſlat. S. Franc. in addit.*

100. *Vita religioſa via ſecura ducens ad Cœlum.*

State ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, ambulate in ea, &c. State, ait Dominus, ſuper vias: ergo plures ſunt viæ ducentes ad Cœlum: ſed ſubdens, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, dat intelligere, quod inter iſtas vias bonas adſunt ſemitæ, quæ in comparatione aliarum dicuntur via bona, ideſt cæteris melior: & quænam eſt hæc via melior? hæc eſt vita clauſtralis, & religioſa, verè ſecura, & ſecurè ducens ad apicem perfectionis, & ad Deum, & hæc eſt, quam calcarunt Sancti Inſtitutores religioſorum, qui verbo, & exemplo oſtenderunt nobis ſemitas perfectionis, & operum perfectorum, per quas anima introducitur in refrigerium æternum: Via autem aliorum juſtorum eſt via mandatorum Dei, & minus perfectorum: Ambulate, ait Dominus per iſtas ſemitas, per opera perfecta, & ſimul aliis oſtendite, & ad Cœlum recta via incedentis. *Sermon. 2. in Tranſlat. S. P. Franc. in addit. ſermon. 12. in Pent. opuſc. Eccleſ. Hier. p. 5. cap. 3. in fine.*

101. *Religioſorum vita qualis debeat eſſe.*

State ſuper vias, & videte, & interrogate, &c. quæ ſit via bona, ambulate in ea. Nota, quod videtur contradictio in his verbis: dicit enim, ſtate ſuper vias, poſtea dicit, ambulate in ea: ſi ſtandum eſt, quomodo ſimul ambulandum? ſed adſpice ad Seraphim Iſaiæ, de quibus dicitur, quod ſtabant ſimul & volabant; ſic & Religioſi debent ſtare, ſimulque ambulare, ſeu potius volare: ſtare debent in ſervitio Dei, non ſedere, non jacere, ſed fixi, & erecti, ſuper utrumque pedem ſtare, nempè per erectam intentionis, & affectionis elevationem ad cœleſtia, & per fixam, & immobilem æternorum contemplationem ſtare, & videre Deum; ſimulque debent volare, vel ambulare per multiplicationem meritorum, & perfectionem virtutum, nempè ambulare de virtute in virtutem, de perfectione ad perfectionem de ſtatu in ſtatum, ſicque ad ſimilitudinem Seraphim videbunt Deum, & clamabunt die, ac nocte Sanctus, Sanctus, Sanctus per divinæ laudis ſine intermiſſione continuationem; ſicque invenient refrigerium animabus ſuis in hac, & in alia vita. *Op. Eccleſ. Hier. p. 1. c. 1. ſer. 5. in Tranſlat. S. P. Franc. in addit.*

102. *Sanctorum vita legenda meditanda, & imitanda proponitur.*

State ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, &c. Quænam ſunt iſtæ viæ & ſemitæ antiquæ videndæ, & imitandæ? Iſtæ ſunt perfectiones, & opera Sanctorum, ideo à volentibus ambulare ad perfectionem, debent ſanctorum vita, geſta, opera perfectiones legi, videri, meditari, & imitari: nam geſta Sanctorum, vitæque lectio, & meditatio eſt maximum incentivum ad imitationem, & ad vitam ſpiritualem: nam ab altero ſumimus virtutem fortitudinis, ab altero fidelem intelligentiam myſteriorum Dei, ab altero paupertatem, ab altero charitatem, & ſic de ſingulis: ô quàm proficua, & utilis eſt talis lectio, & meditatio. *In Thren. c. 1. ſer 3. Dom. 2. Epiph. ſer. 4. Dom. 18. Pent. ſer. 6. in Nativit. op. de perfect. religioſ. l. 2. c. 58. ſer. 1. Dom. 28. Pentec.*

103. *Qui vult evadere acerbiſſimas pœnas Purgatorij incedat per viam arctam.*

State ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea, & invenietis refrigerium animabus veſtris. Nota hæc utiliſſima verba : & invenietis refrigerium animabus veſtris : quodnam eſt hoc refrigerium? ſed conſiderandum eſt, quòd hic proponuntur variæ viæ,& inter iſtas vias,etiam ſemitæ : quale diſcrimen eſt inter ipſas ? Reſpondetur quòd per duplicem viam boni incedunt ad Regnum, ſcilicet per viam latam, & per ſemitam ; per viam latam,incedunt, qui per ignem Purgatorii tranſeunt ad Cœlum ; per ſemitam deducuntur, qui ad Regnum ſine Purgatorio tranſeunt : illi tranſeunt per viam latam, nempe opera ordinaria cum multis imperfectionibus, quas neceſſariò luere debent vel per pœnitentiam, vel per ignem Purgatorii : Per ſemitas verò perfectè vivendo, & purgando omnia vitia fugiunt, & patrum antiquorum antiquas obſervantias, & perfectiones ſequendo, & iſti in morte inveniunt refrigerium animarum ſuarum, contra ardorem Purgatorij, quod eſt fornax, quæ univerſaliter urit acriùs,quàm aliquis ignis, vel pœna præſentis vitæ. *Serm.12. in Pent. ſermon.3. de mortuis in addit.*

104. *Qui de ſua ſalute ſolicitus eſt, interroget doctos,expertos de modo ipſam aſſequendi.*

State ſuper vias,&c. Scilicèt ſalutis,& interrogate de ſemitis antiquis,&c. Quis interrogandus? ſed attende, quod hic loquitur ad illos, qui viam perfectionis chriſtianæ ambulant, & ſoliciti ſunt de propria ſalute animæ, eiſque præcipit,ut interrogent diſcretos, & doctos expertos, ut ab ipſis addiſcant modum ſecutè ingrediendi ad Cœlum : Deus enim exigit in vita ſpirituali hanc humilitatem, vult,inquam, ut ſui ſequaces quærant ſtudiosè, non curiosè, non de operibus factis,ſed faciendis propter meritum ſalutis. *Luc. c.3.v.12.& c.10.v.25.& c.18.v.18.* Et hinc ſubdit Deus : Et conſtitui ſuper vos ſpeculatores., ſcilicet Prophetas, & Doctores, qui vobis oſtendant viam. & veluti tubæ vobis annuncient, quæ facienda ſunt. Sic & in *Act.c.9.* dixit Saulo poſtquam elevatus fuerat ad tertium Cœlum, & ad videndum Deum : Surge, & ingredere Civitatem, & tibi dicetur, quid te oporteat facere.

105. *Sacrificia, & laudes divinæ in aliis ſunt ſpecioſa coram Deo, in aliis exoſa.*

Quia non audierunt verba mea, & legem meam projecerunt, &c. Quid mihi thus de ſaba affertis? holocauſtomata veſtra non ſunt accepta, & victima veſtra non placuerunt mihi, &c. Vide hic apertè expreſſam cauſam, quare ſacrificia, & orationes, & laudes divinæ non fuerunt coram Deo acceptæ, quia non audierunt verba Dei, & quia projecerunt legem divinam : Ut hinc addiſcas, quod laus Dei in ore peccatoris non eſt ſpecioſa ſed exoſa, ob tranſgreſſionem legis divinæ, & amicitiæ divinæ carentiam : Ad hoc enim requiritur pax, charitas, juſtitia,obſervantia rituum, & ceremoniarum Eccleſiæ, ſed multi ſunt, qui partim Deo, partim diabolo offerunt ſacrificia.*Ser.1.Hexam.op.ſpec.Diſcipl.p.1. c.14. & ſeq.& p.2.c.1.Pſal.65.& 50.*

106. *Propter avaritiam, & maximè Cleriorum,& Religioſorum,veniunt ſtrages publicæ.*

Propterea hæc dicit Dominus : ecce ego dabo in populum iſtum ruinas.& ruent in eis patres, & filii ſimul,vicinus,& proximus peribunt,&c. Nota,quod ſupra expoſuit Dominus avaritiam occupantem omnes, ſed præcipuè ſacerdotes, & Prophetas, dicens,à Minori uſque ad majorem omnes avaritiæ ſtudent,& à Propheta uſque ad Sacerdotem cuncti facient dolum,&c. & deinde ſubdit, quod eorum ſacrificia ſibi non ſunt accepta, & hinc infert, ecce propter hoc, ego dabo in populum iſtum ruinas, &c. Ut videas quod cum propter avaritiam frequententur, & multiplicentur peccata,& vitia, & maximè in Clericis,& Religioſis,in quibus ſacrificiorum oblatio, & laudis divinæ perſolutio contemnitur ; hinc Deus immittit ſtrages publicas, & ruinas communes, & univerſales, quibus quilibet ruit de peccato in peccatum, & de pœna in pœnam, *Pſal.118. c.8.v.16.*

107. *Diaboli imitatores in crudelitate quinam ſint.*

Ecce populus venit de terra Aquilonis, &c. crudelis eſt, & non miſerebitur. Hic ad litteram loquitur de exercitu Chaldæorum, qui in Judæos exercuit ſuam feritatem : ſed Myſticè loquitur de diabolo, & ejus ſequacibus ; crudelitatem, & feritatem exercentibus in proximum, & ideo tamquam imitatores diaboli, non Chriſti,qui eſt Pater miſericordiarum, opera miſericordiæ in proximum,abhorrent : & ſpecialiter etiam dicitur de Prælatis negligentibus, & crudelibus, qui non nituntur eripere ſubditos à violentia Dæmonum, & potentium eos opprimentium. *Op.Eccleſ.Hier.p.2. cap.3. ſermon.2. Dom.1 Pentec.*

108. *Pœnitentiæ lixivium proponitur peccatori,ad emundationem ſui.*

Filia populi mei accingere cilicio, & conſpergere cinere, luctum unigeniti fac tibi,planctum amarum, quia repente veniet vaſtator ſuper nos. Nota hic, quòd cum ſuadeat Deus pœnitentiam ſignificatam in cilicio,vult ut cinis cum planctu aſſumatur : & cur hoc ? quia aqua cum cinere facit lixivium : Vult igitur Deus, ut cinerem ſcilicet memoriam mortis connectamus cum aqua lachrymarum & contritionis, ut ſic faciamus, & provideamus nobis ſpirituale lixivium pœnitentiæ, ad emundationem noſtram : Nota autem, quod lixivio ſolent lavari capita,& veſtes,ſic autem tali lixivio mundare poſſumus caput, nempe conſcientiam interiorem,& veſtes,ſcilicet converſationem exteriorem. Vide ergo ò peccator, quia cinis es, & ideo in cinere ſemper vivere debes,

debes, ſemper lugens, ſemper mœrens, ſemper ſuſpiria cordis emittens. *Ser.2.in die Ciner. opuſc. Comp.Theol.l.6.c.21.& 24.*

109. *Mortem ſpiritualem animæ plangere debet homo ſicut mortem unigeniti.*

Luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum. Sed qui non habet unigenitum mortuum quomodo poteſt plangere? Sed attende, quòd vult Deus, quod ſicut planctu amaro plangitur unigenitus morte peremptus, ſic & a peccatore exiſtente in peccato mortali debet fleri mors ſpiritualis animæ, & qui non ipſam plangit, ſignum læthale eſt, &c. *Ser.Dom.23.Pent.Luc.c.7.v.12.& c.8.v.42.*

110. *Dolor animæ pœnitentis qualis eſſe debeat, & quomodo excitandus.*

Filia populi mei accingere cilicio, & conſpergere cinere: luctum unigeniti, fac tibi planctum amarum, quia repente veniet vaſtator ſuper te. Iam dictum eſt, Prophetam comminaſſe deſolationem futuram populo, & Civitati Ieruſalem, ideòque ipſam ſuadere conatur ad aſſumendam pœnitentiam, tùm exteriorem per illa verba, *accingere cilicio, conſpergere cinere.* tum & magis internam, dicens, *luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum, quia repente veniet vaſtator ſuper te:* Sed quid eſt planctus amarus? & quomodo excitandus? Sed attende ad illa verba, *Luctum unigeniti fac tibi*, ſcilicet plange amarè, quia peccaſti contra Deum, & peccando in te, occidiſti animam tuam, & Unigenitum Dei Filium: alioquin veniet in te deſolatio, & vaſtator, nempè diabolus, & æterna damnatio. Igitur perfecta pœnitentia exigit dolorem animi amarum, ut autem ſit talis, ſcilicet, ut ſit purgativus animæ, & placativus Dei, duos debet habere comites, nimirum timorem divini judicii, & ardorem interni deſiderii, ut timore recuperetur cor humile, & deſiderando cor devotum, & dolendo cor illibatum: Timor innuitur in illis verbis, *quia repente veniet ſuper te vaſtator,* & æterna damnatio: Dole de offenſa Dei, qua tranſgrediendo, inhonoraſti Majeſtatem, denegaſti veritatem, & offendiſti bonitatem divinam, & deordinaſti univerſum, & hinc luctum unigeniti fac tibi planctum amarum, deſideraque ſimul divina chariſmata divini amoris in Deum conſcendens, qui te peccantem tã patienter ſuſtinuit, expectavit, & ad pœnitentiã tam miſericorditer reduxit, tibi concedendo veniam, infundendo gratiam, & promittendo coronam. *op.de regim.animæ ſer.1.& Dom.23.Pen.* Nota etiã, quod in cilicio, cinere & luctu exprimitur perfecta pœnitentia, nẽpè in cilicio dolor ex conſideratione divinæ offenſæ: In cinere timor ex conſideratione vindictæ, quia cinis præfert mortis imaginem; & in luctu, qui etiam alibi per ſeſſionem explicatur, ut dicitur. *Luc.c.10. Olim in cilicio, & cinere ſedentes pœniterent.* In luctu, inquam, & ſeſſione pudor ex conſideratione culpæ, ſive vilitatis ſuæ. *Luc.c.10.v.13.*

111. *Invitatur peccator ad flendum cum Chriſto.*

Luctum unigeniti fac tibi, plãctum amarum Quis iſte unigenitus? & quis fletus hujus unigeniti? & quomodo anima ſibi facere poteſt, & in ſe aſſumere luctum hujus unigeniti? ſed aſpice ad Chriſtum Filium Unigenitum Patris, & Matris Conſidera ejus vitam, & videbis ipſum pluries flentem pro nobis: flevit namque ſuper Lazarum, flevit ſuper Civitatem Ieruſalem, flevit & in Cruce pro nobis miſeris, nunc humanæ infirmitatis plorando miſeriam, nunc cæci cordis caliginem, nunc obduratæ malitiæ pravitatem: & cum id fecerit Chriſtus Ieſus Filius Dei, ergo & tu anima luctum hunc Unigeniti fac tibi, aſſume in te, deduc lachrymas, quaſi torrentem per diem. & noctem, non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui alioquin veniet ſuper te vaſtitas. *Op.lign. vitæ Ieſus fletu rigatus.*

112. *Invitatur anima pia ad flendum cum Maria Virgine pro Chriſto crucifixo.*

Luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum: Hæc verba Prophetæ nobis ad memoriam revocant luctum amarum Mariæ Virginis pro paſſione unigeniti filii, ejuſque morte, ut ad ipſam imitandam excitemur. Vide igitur anima quomodo Mater Maria aſpiciens prolem in Cruce pendentem lachrymatur inceſſanter, pectus ſuum percutiens plures movit ad mœrorem ſuo planctu querulo, vide gemitus, & lachrymas, quibus afficiebatur Virgo dulciſſima, quando vidit filium ſuum dulciſſimum Iudici præſentari, acriter flagellari, variis illuſionibus, & opprobriis affici: Vide doloris gladium, qui pertranſivit animam matris, quãdo filium ſuum dulciſſimum cernebat in Cruce levatum, clavis perforatum, & per omnia laceratum, plagis, & verberibus, & vulneribus: Audi ejulatus acerbi planctum, quando in amplexus ruit exanimis corporis filii ſui de Cruce depoſiti, hunc planctum fac tibi, aſſume in te, plange cum Maria Virgine, cum fueris tu cauſa tanti ſupplicii: Aſſume tibi hunc planctum Mariæ, & devoto corde dic ei: Propter gemitus, & lachrymas tuas, propter planctum acerbi ejulatus, quem è profundo pectoris fonte manante abſcondere non valebas in paſſione filii tui dulciſſimi, adjuvet nos, ut cor noſtrum nunc compaſſionis, & compunctionis gladius perfodiat, divinique amoris lancea vulneret, ita ut omnis peccati ſanguis effluat à pectore noſtro, & à noſtris vitiis emundemur, virtutum indumentis decoremur, ſemperque mente, & corpore de valle miſeriæ levemur ad cœleſtia, & dum corpus noſtrum morte deformabitur, noſtra tunc anima rutilet candore innocentiæ, quatenus digni ſimus, frui mellifluis oſculis, conſtringamurque amoroſis oſculis, & amplexibus ſuper omnia dulciſſimi filii Domini noſtri Ieſu Chriſti. *Hæc ſparſim op.offic. de Compaſſ.Mar. Virg.*

113. *Diaboli fraudulentia, crudelitaſque in hominem expenditur, ſtultitia hominum ipſi obedientium expenditur.*

Omnes iſti Principes declinantes, ambulantes fraudulenter, æs, & ferrum univerſi corrupti ſunt. Ad literam loquitur de Principibus Nabuchodonoſor, quorum fraudulentiam, & crudelitatem experti ſunt populi Ieruſalem, ideo aſſimilantur æri, propter ipſorum impatientiam, & ferro propter obſtinationem. Myſticè loquitur de Principibus exercitus Inferni nempe de Dæmonibus, daſque

intelligere primò eorum fraudulentiam : nam promittendo voluptates, divitias, honores, longam vitam, finalem pœnitentiam, multos ſtultos decipiunt eis obedientes, & credentes : Secundò eorum inquietudo in tentationibus, ſemper enim circuit diabolus, ut homines decipiat : Tertiò eorum crudelitas in perditione, & injuſtitia, iniquitaſque in retributione : & cum hæc vera ſint, & cum Chriſtus è contrario ſit Princeps fideliſſimus, pacificus, clementiſſimus, & juſtiſſimus, tamen multi ſtulti Chriſtum deſerunt, & diabolo obſequuntur, & obediunt. *Ser.2. Dom.3. poſt oct. Paſcha.*

114. *Principes, & Iudices mali à diabolo inſtructi declinant à caſu recto in obliquum.*

Omnes Principes iſti declinantes, ambulantes fraudulenter, &c. Si declinant, quomodo declinant ? quid eſt declinare ? ſed attende, declinant ſecundùm regulas grammaticæ diaboli, ſcilicet à caſu recto in genitivum propter illos, qui ſunt de genere ſuo, in dativum, qui muneribus corrumpuntur, in Accuſativum, propter illos, qui odio habentur, in vocativum propter illos, quorum gratia, vel favor deſideratur, in Ablativum propter illos, quorum bona deſiderantur : non ſic faciunt boni, & juſti Judices in Iudiciis, & regimine populorum. *In Thren.c.3.*

115. *Qui in adverſitatibus non melioratur, peſſimum ſignum reprobationis exhibet.*

Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus projecit illos. Quid eſt argentum reprobum, niſi illud, quod in ſufflatorio ignis non purgatur ? ſic eſt omnis, qui in adverſitatibus non melioratur, ſed peior fit : hoc enim eſt ſignum patens reprobationis. *Sap.c.9.& 11.*

CAP. VII.

116. *Prædicator annuncians verbum Domini ſtet in porta domus Dei.*

STA in porta domus Domini, & prædica ibi verbum iſtud: Audite verbum Domini, qui ingredimini per portas has, ut adoretis Dominum. Nota, quod ad litteram præcepit Deus Prophetæ, ut volentibus ingredi Templum ad audiendum verbum Domini, ſtaret in portis Templi, & ibi annunciaret, quæ præceperat ei Deus, quod & pluries fecit Chriſtus. Sed myſticè præcipit Prædicatoribus, ut in prædicando ſtent in portis domus Domini: quid eſt hoc? quid ſignificatur per portas? Porta in Sacra ſcriptura multa ſignificat : nempe Chriſtum, qui eſt porta domus Domini, & Cœli, & ideo Prædicator debet populis oſtendere hanc portam : oſtium eſt Chriſtus ſenſui per corporale objectum, nempe per vulnera corporis ſui: oſtium eſt intellectui per fidem reſeratum : oſtium eſt voluntati per charitatem, per quod ad Divinitatem intratur : Ad hoc autem oſtium non poteſt quis appropinquare niſi in ipſum credat per fidem, ſperet per fiduciam, & amet per charitatem: oſtium quidem apertum omnibus, per quod habetur ingreſſus in domum Domini, ſcilicet in unitatem corporis ſui, quod eſt Eccleſia : Item in abdita, & arcana ſcripturarum, & in affluentiam deliciarum cœleſtium : ſed tamen advertere debes, quòd nemo poteſt obtinere hunc ingreſſum, niſi oſtio ſe conformet, nempe ut humiliet ſe, ut ſano capite poſſit intrare. *Ioan.cap.10. v.1.& 2.& collat.48.op.Itiner.ment.c.4. op.de ſept. Itin.ætern.d.1.Pſ.99.&* 107. Vel ſecundò dicitur, Sta in porta: porta autem eſt ingreſſus, & egreſſus hujus vitæ, ſcilicet nativitas, mors, & judicium: Item portæ animæ ſunt ſenſus, per quos intrat mors, & peccatum. *Pſal.99.&* 20. Item porta domus Domini ſunt virtutes, per quam habetur ingreſſus in ipſam. *Ser.3.Dom.Trin.Sta igitur in porta,* ait Dominus Prædicatori, ſcilicet hæc attentè conſidera, & prædica ibi verbum iſtud, nempe annuncia hæc tuis auditoribus, ut ſciant quomodo ingrediendum ſit in domum Domini.

117. *Via ad Deum quomodo rectificanda.*

Hæc dicit Dominus : bonas facite vias veſtras, & ſtudia veſtra, & habitabo vobiſcum, &c. Nota, hæc prædicanda ſunt à Prædicatoribus : *Bonas facite vias veſtras,* & ſubdit: quas vias ? *Vias veſtras,* ait, quia via hominis eſt tortuoſa quia ignota, laborioſa, & periculoſa, & ideo polluta, & inquinata; eſtque voluntas mala in malo defixa, cum diabolo unita, per ſtudia, & operationes malas : bonas, ait facite has vias: & quomodo ? Sicut via materialis præparatur per ſordium amotionem, per veſtium proſtrationem, per florum ſuperpoſitionem : ſic via ſpiritualis ad adventum, & ingreſſum Dei diſponitur per immunditiæ, & fœditatis expulſionem, & hoc præcipuè fit per confeſſionem : Item per laſciviæ carnalis proſtrationem, mediante caſtigatione, & mortificatione carnis : Item per floridæ caſtitatis ſuperpoſitionem mediante pura mentis, & corporis conſervatione : hoc facite, ait Spiritus Sanctus, & Deus ad vos, & in vos intrabit tamquam in habitaculo digno. *Pſal.118. v.1. & c.8.v.16 ſer.1.Dom.4.Adv.*

118. *Studium aliud bonum, aliud malum: Ubi ad ſtudentes dirigitur inſtructio.*

Bonas facite vias veſtras, & ſtudia veſtra. Quomodo præcipit Iſraëlitis, ut faciant bona ſtudia ſua ? nonne ipſorum ſtudium erat de lege Sacra, & in libris legis divinæ, unde habebant in Ieruſalem plures ſcholas ad hæc ſtudia ordinatas ? Sed attende ; quòd ſtudentes alii ſtudent in bonum, alii in malum : ſtudium in malum eſt ſtudium doctrinarum prophanarum, quæ profanum reddunt ſtudentem : ſtudium malum eſt ſtudium ad fovendam curioſitatem : In bonum ad fovendam devotionem, & ad acquirendam ſapientiam cœleſtem : hic autem notent illi, qui ſcripturas ſacras, & ſacros libros legunt, quod talis lectura prodeſt legenti, ſi quod legitur, opere compleatur. Attende ergo diligenter, quo ordine

quo

quo ſtudio, quo fine ſtudeas: quo ordine, ut id prius addiſcas, quod eſt maturius ad ſalutem; quo ſtudio, ut id ardentius, quod eſt vehementius ad amorem; quo fine, ut non ad inanem gloriam, vel curioſitatem, vel aliud ſimile, ſed tantum ad tuam, & proximi ædificationem, & ad Dei gloriam: nam qui ſcire volunt, eo fine tantùm, ut ſciant, hoc turpis curioſitas eſt: & qui ſcire volunt, ut ſciantur ipſi, & hoc turpis vanitas eſt: & qui ſcire volunt, ut ſcientiam ſuam vendant, v.g. pro pecunia, atque honoribus, & hoc turpis quæſtus eſt: qui verò ſcire volunt, ut alios ædificent, & ſeipſos, & hæc eſt prudentia vera, & bonum ſtudium: ô quot laborantibus in evolvendis libris, & frequentandis ſcholis poteſt dici: Bonas facite vias veſtras, & ſtudia veſtra, & habitabo vobiſcum, quia ferè totus mundus implicatus eſt in ſtudiis vaniſſimis. *Op. Phar. l. 1. c. 25. ſer. 19. Hexam. Ecclen. c. 2. in fine. Vide etiam op. myſt. Theol. in prolog.*

119. *Deus non adſpicit ad locum quantumcumque Sanctum, ſed ad opera noſtra.*

Nolita confidere in verbis mendacii, dicentes Templum Domini, &c. Quomodo dicuntur verba mendacii iſta populi Iſraëlitici, qui Templum Domini frequentabat? in quo tot ſacrificia offerebantur, & ad quod ter in Anno conveniebant ad ſacra facienda, & ad adorandum Deum, Ideoque hic ter requiritur Templum Domini? Ad litteram hæc dirigebat Propheta Civitati Ieruſalem, quia cum ipſe prædiceret in ſua prædicatione deſolationem imminentem, alii ſacerdotes populo inculcabant oppoſitum. ne Ieremiæ crederetur, dicentes, quòd Deus non permitteret, Templi ita Sancti, pulchri, & pretioſi deſtructionem & conculcationem, quia maximè ibi ter in Anno conveniebant, & ibi tot ſacrificia Deo offerebantur: Sed contradicebat Ieremias; *nolite confidere in hac verbo mendacia, nolite confidere in pulchritudine Templi, atque pretioſitate, nolite confidere in ſanctitata ipſius, ſed agita pænitentiam:* In quibus verbis habemus pulcherrima documenta, quibus dat Deus nobis intelligere, quod ipſe non adſpicit ad Templum manufactum, ad laquearia, & ſplendida, & aurata ædificia, non ad perfectionem Religionis, quia ibi coluntur Sancti maximi meriti, nec ad ſanctitatem fundatoris, nec ad Sanctorum Reliquias, & ornamenta Eccleſiæ, ſed ad opera, ad ſanctitatem habitatorum, ſed ad animam, an ſit Templum Dei, an diaboli; ſicut enim fides ſine operibus mortua eſt, ſic & perfectio ſine operibus, nec eſt gloriandum de profeſſione religionis ſine perfectione operum competentium: ideo dicit Chriſtus: ſi filii Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite. *Joan. c. 8. v. 39. & ſer. 1. & ſeq. in Dedidac. Templi. &c.* Hocque patet in tot Templis ſomptuoſiſſimis, & in tot Religionibus antiquitus Sanctiſſimis, à Deo derelictis, & in manu inimicorum Dei tranſlatis, & hinc ſubdit Ieremias: Ecce vos confiditis vobis in verbis mendacii, quæ non proderunt vobis furari, occidere, adulterari, jurare mendaciter, libare Baalam, & ire poſt Deos alienos. &c. & veniſtis, & ſteriſtis in domo hac, &c. quaſi dicat, vos in omnibus iniquitatibus ſepulti, mendaciter confiditis in ſacrificiis, in genua flectendo, & orando vocaliter coràm Chriſto, & corde adorando diabolum: in quibus patet qualis deceptio multorum, qui tempore tribulationis imminentis in publicum exponunt ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, inſtituunt orationes publicas, ſed ſine emendatione, & pœnitentia vera; *Sic Carthuſianus ad rem mirabiliter in 1. Reg.*

120. *Idem argumentum probatur maximè de Eccleſia praphanata.*

Et veniſtis, & ſteriſtis coram me in domo hac, in qua invocatum eſt nomen meum, & dixiſtis, liberati ſumus, eo quod fecerimus abominationes iſtas, &c. numquid ergo ſpelunca latronum facta eſt domus mea, &c. ego. ego ſum, ega vidi dicit Dominus, &c. Proſequitur ſacer textus detegere deceptionem eorum, qui pleni dolis, & peccatis audacter intrant in Templum Dei, etiam intuitu religionis, & oblationis, & orationis abſque pœnitentia, & dolore peccatorum, credentes, ſe poſſe ſic Deum placare, ſed iſti ſtulti non advertunt, quòd hæc eſt intolerabilis audacia, quia faciunt domum Dei, & orationis, ſpeluncam latronum. Et nota, quod ſpecialiter fit ſpelunca latronum Domus Dei, quando in ea habitantes, & ſervientes ſuperbè inter ſe contendunt, iſti enim faciunt domum orationis, domum contentionis, quia non poteſt eſſe perfecta laus, ubi non eſt conſonantia, non ſolùm vocum, & laudum Dei, ſed etiam cordium per pacem, & unitatem. item quando in Eccleſia eſt infectio lubricorum, & luxuriantium, & tunc fit Eccleſia domus abominationis: Item quando in Eccleſiaſticis eſt negotiatio cupidorum, nempe eorum, qui vendunt Sacramenta vel eccleſiaſtica officia, vel lucra ſectantur, cupiditati, & avaritiæ dediti. iſti ſunt veluti latrones, qui latent in ſpelunca, ut ſpolient tranſeuntes, quia ad Eccleſiam veniunt, vel in Eccleſia aſſiſtunt, non ad gloriam Dei, ſed propter burſas implendas, ad luxuriandum in impudicitiis, comeſſationibus, ludis, & cupiditatibus: iſtique non placent ſuis orationibus, & ſacrificiis Deum, ſed potius irritant, & graviſſima flagella è Chriſti manibus extrahunt. *Ser. 4. Dom. 9. Pent. ſer. 1. Hexam. & ſer. 1. de Dedicat.* Nota autem, quòd maximè ex culpa ſacerdotum fit Eccleſia ſpelunca latronum, quando contra voluntatem Chriſti contrectant patrimonium Chriſti crucifixi, hoc enim eſt furari, & latrocinari, quando publicè fit, hoc autem maximè imputatur ſacerdotibus, ideo notanter dicit Deus: *Vos autem, quorum erat meam domum orationis purgare, & in ſanctitate cuſtodire*; nam ſacerdotes tenentur reddere rationem non ſolùm pro ſuis peccatis, ſed etiam ſubditorum, & maximè prophanationis Eccleſiæ. *Luc. capit. 19. verſ. 47.*

121. *Anima quamado ex domo arationis fiat ſpelunca latronum: Ubi de infelicitate exiſtentis in peccato mortali.*

Numquid ergo ſpelunca latronum facta eſt domus mea, &c. Nota quòd per domum Dei, quæ dicitur à Deo domus orationis, intelligitur etiam myſticè quælibet anima, quæ per gratiam dum eſt

ſanctificata dicitur domus Dei; domus orationis, quia in ea mens, intellectus, & voluntas ad Deum ſe elevant: felix quidem domus à Deo habitata, ab Angelis cuſtodita, auro charitatis tecta, variis meritorum & pietatis donis ornata: & ideo talis homo verè templum Dei poteſt dici. *Ser.4. Dom. Palm. ſer.2. fer.2. Paſcha. Luc. c.11. verſ.44.* Sed proh dolor, ait Chriſtus, quomodo ſpelunca latronum facta eſt hæc domus mea? Verè ſpelunca latronum facta eſt anima in peccato mortali exiſtens, & perſeverans, & peccata multiplicia in ſe congregans: Et nota, quòd ſpelunca eſt locus tenebroſitate obſcurus, feditate ſordidus, algore frigidus, beſtiis, & inſidiantibus inhabitatus: ſic anima in peccatis manens ſpelunca eſt doloroſæ malignitatis, libidinoſæ voluptatis, impiæ rapacitatis, à Dæmonibus poſſeſſa, & inhabitata: ô quàm miſera, & infelix. *Ioan. c.9. v.40.*

122. *Oratio matutina quàm Deo chara.*

Et nunc, quia locutus ſum ad vos mane conſurgens, & non audiſtis, & vocavi vos, & non reſpondiſtis, projiciam vos à facie mea. Nota, quòd dicit Deus, ſe locutum fuiſſe, & vocaſſe Iſraëlitas mane conſurgens: quomodo mane conſurgens? ergone erat prius in lecto jacens? & cur in mane, & non in meridie, neque in ſero eos vocavit? Sed attende myſterium: mane conſurgit, maximè Chriſtus, invitans nos ad ſurgendum, ut ipſe conſurgat ad nos illuminandum, & ad cœleſtia elevandum; & ideo hæc verba diriguntur, maximè contra pigros, & illos Religioſos ignavios, qui nolunt mane ſurgere ad orandum: Datque intelligere, quod oratio matutina, cæteris paribus, eſt Deo charior, & in ipſa facilius Deus loquitur animæ oranti, & audit & exaudit talem orationem: ſic legitur de Propheta Rege, qui mane aſtabat Domino. *Pſal.5. & Prover. c.8.* Dicit Deus: *qui mane vigilaverint ad me, invenient me*: Tunc enim cum profundum nocturnus ſopor indicit ſilentium, mens liberior erit, puriorque oratio nullo tunc turbata clamore, nulla aſpicientis laude tentata: ſic mentis tranquillitas, & quædam ſpontanea quandoque animi promptitudo, imo inſpiratio, quæ ſe offert, otiique libertas non innoxiè negliguntur: ſurripienda igitur carni, & ſi forte non ſemper, ſæpe tamen ſomni requies matutini, cum illa Chriſtus hora reſurrexerit; tunc eſt tempus allidendi ad petram parvulos mortificandæ carnis, & recreandi ſpiritum opportunum: tunc ſpirituales aviculæ Deo in cordis organo exhibent melodiam: ergo talis temporis, & quietis opportunitates minimè ſunt negligendæ, ne poſſit tibi dici locutus ſum ad te ô anima mane conſurgens, ideſt te excitans ad ſurgendum mane ad orationem, & non audiſti. *Op. ſpec. Diſcipl. p.1. cap.11. & p. 2. c. 1.* ô quot bona perduntur à Religioſis tepidis, & negligentibus, & ſomno deditis.

123. *Sanctorum invocatio, & interceſſio quàm utilis, & neceſſaria, ipſius privatio, quàm nobis noxia.*

Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec aſſumas pro eis laudem, & orationem, & non obſiſtas mihi, quia non exaudiam te: nonne vides, quid iſti faciunt? Verba hæc à Deo dicta fuere Prophetæ, & verè ſtuporem maximum ingerunt: Deus enim decrevit punire populum Judæorum, & ne impediretur, præcipit Jeremiæ, ne oret pro populo, neque obſiſtat ſuis decretis: ergone Deus dependet in executione ſuorum decretorum à creatura? Ergone poſſunt ſancti ei obſiſtere? Sed attende, quod licèt nemo poſſit reſiſtere Dei potentiæ, id tamen aliqualiter poſſunt Sancti, quia voluntatem timentium ſe facturum promittit, quia Sancti ſunt firmamentum noſtrum, ſunt ut murus detinens iræ divinæ furorem ſuper nos, & ideo Deus decrevit, ut pro nobis orarent ſancti, & nos ipſos rogaremus: Tum propter noſtram inopiam relevandam in amando, in merendo, & in contemplando: nempe, ut relevarent noſtram inopiam in amando, quia aliquando miſer homo ſe ſentit magis affici circa unum Sanctum, ut circa ſanctiſſimam Virginem, quàm etiam circa Deum: ideo compatiens noſtræ inopiæ, voluit nos rogare Sanctos, ut ille, qui de ſe eſt indignus, rogando Sanctos, eorum patrocinio efficiatur dignus: Tum propter noſtram inopiam in merendo, ut ubi noſtra non ſuppetunt merita, patrocinentur aliena: Tum propter inopiam in contemplando, ut qui non poſſumus ſummam lucem aſpicere in ſe, aſpiciamus in ſanctis. Voluit item, nos confugere ad Sanctos, propter ipſorum gloriam, & glorificationem, & ideo per ipſos miracula multa operatur: Item & propter Dei reverentiam, ut qui propter ſua peccata ad Deum immediatè adire non audet, Sanctorum Dei amicorum patrocinium quærat: Et hinc eſt, quòd Sancti multa nobis impetrant, & meritis ſuis præcedentibus, & affectu, & ob amicitiam quam habent ad Deum, & ideo Deum veluti compellunt nos diligere: ex quibus patet quàm grave malum ſit privari Sanctorum interceſſione, & auxilio, ut fecit Deus iratus cum perfido populo Judæorum. *l.4. d.45. a.3. per totum. op. Eccleſ. Hier. p.4. c.6. op. Brevil. p.5. c.10. op. myſtic. Theol. c.3. p.3. Pſal.47.*

124. *Patres per malam educationem filios immolant diabolo.*

Filii colligunt ligna, & Patres ſuccendunt ignem, & mulieres conſpergunt adipem, ut faciant placentas Reginæ Cœli, & libent Diis alienis, & me ad iracundiam provocent: ſubdit infrà: *& incenderunt filios ſuos, & filias ſuas igni, &c.* Vide ad qualem impietatem advenerat tempore Jeremiæ populus Jeruſalem: nam tunc filii colligebant ligna, patres ſuccendebant ignem, ſtruem lignorum ſuper carbones accendentes, & mulieres adipem in ignem ponebant, ſic quod ſolius Dei erat, Idolis immolátes, & oblationes, maximè lunæ, quã appellabant Reginam Cœli, faciendo. Moraliter autem per ligna ſignificantur malæ concupiſcentiæ, quibus ſuccenditur ignis diaboli in cordibus peccatorum per conſenſum, & opus exhibitum illis concupiſcentiis: nutrimenta talis ignis ſunt multa

multa ligna : ſic ſacri Expoſitores : Iſta ligna colliguntur à filiis, nam concupiſcentia in pueris incipit à guſtu, poſtea tranſit in tactum, unde juvenes ſunt valdè proni ad ſenſualitatem, & cupiditatem, & ideo in juventute colligunt varia ligna ; & cum à parentibus negligitur eorum educatio, vel etiam fovetur, tunc patres ſuccêdunt talia ligna, ut filios ſuos immolent diabolo, & hinc ſunt inobedientes filii parentibus, & aliis ſine reverentia, ante tempus immundi, & quod deficit de ætate, ſupplet malitia, & ideo peccata, quæ committuntur ante ſeptennium, parentibus imputantur, quia eos malè nutriunt, & hinc evadunt blaſphematores, murmuratores, & immundi. *Ser. 2. Dom. 5. Pent. & ſer. 1. Dom. 23. Pent.*

125. *Dei odium in peccatum, & peccatorem expenditur.*

Ecce furor meus, & indignatio mea conflatur (funditur, vel ſtillatur, legunt ſeptuaginta) ſuper locum iſtum, ſuper viros, & jumenta, & ſuper lignum regionis, & ſuper fruges terræ, & ſuccendetur & extinguetur. Nota ô peccator effectus peſſimos peccati, & quantum Deus oderit peccatum, & peccatorem : nam ex peccatis Deus veluti diſtillat iram ſuam, & extrahit ex his flagella, ita quod propter odium, quod habet ad peccatum Deus diſſipat opera ſua ut fecit per diluvium, & ignem, & continuè per alia flagella, quæ immittit, non ſolum ſuper peccatorem, ſed etiam ſuper agros, vineas, fruges, armenta, Civitates, & loca : Et ideo mirum non eſt, ſi tanta flagella continuè ab ira divina diſtillentur ſuper nos. *Op. Diet. Tit. 1. c. 1. & 2.*

126. *Juſti incedunt antrorſum ; impii retrorſum.*

Et non audierunt, ſed in pravitate cordis ſui pravi, factique ſunt retrorſum, & non ante. Quomodo Iſraëlitæ facti ſunt retrorſum ? ergone retrorſum incedebant, & non more aliorum hominum ? maximè, hoc enim eſt diſcrimen inter juſtos, & impios ; quod impii non incedunt motu naturali, & proprio hominis, cui dedit Deus duos oculos in capite à parte ante, ut ſpeculatores quoſdam ad omnia intuenda, & noxia præcavenda, & in ſignum, quod debet homo procedere ad anteriora, non retrocedere ad poſteriora : Undè impii retrorſum incedunt ad terrena, ea præponendo cæleſtibus : At juſti, & prædeſtinati coram facie ſua ambulant, ubi eſt impetus ſpiritus, terrena relinquendo, ſectando cæleſtia, & procedendo de virtute in virtutem : Sicut impii incedunt ubi eſt impetus carnis, qui eſt terrena amare, temporanea æternis præponere, voluptatem concupiſcere ; ſic Jeroſolimitani. *Ioan. c. 7. in fine ſup. c. 16.*

127. *Perſequens Prædicatores, & rejiciens verbi Dei prædicationem ſubjectatur iræ Dei.*

Unde hic contra Iſraëlitas Jeremiam prædicantem perſequentes, & ejus verba rejicientes dicitur à Deo : *& miſi ad vos ſervos meos Prophetas, & non audierunt me* : quia perſequens Prædicatores, Chriſtum perſequitur, qui hanc injuriam ut ſibi illatam punit ſeveriſſimè, ſicuti punivit iſtos perfidos. *Luc. c. 11. v. 49. & c. 20. v. 12.*

128. *In multis, licet maneat fides theologica, tamen eſt fides mortua, & fides ſine fide.*

Hæc eſt gens, quæ non audivit vocem Domini Dei ſui, nec recepit diſciplinam, periit fides, & ablata eſt de ore eorum. Hæc dicuntur de populo Iſraël, ſed quomodo dicitur, quòd periit fides ab eo ſi unum Deum colebant ? ſed attende, quòd aliud eſt fides theologica, aliud fides fidelitatis, & fiduciæ : habebant quidem habitum fidei ; ſed mortuæ, & ſine diſciplina, quia toti immerſi erant in ſceleribus, ſed eis deficiebat fides fidelitatis, & fiduciæ, quæ potius pertinet ad ſpem ; & hæc deficit in maxima parte Chriſtianorum, qui quidem credunt in Chriſtum, ſed non credunt Chriſto, nec ſuam ſpem, & cogitatum in ipſo collocant, ſed in mundo. *Luc. c. 18. v. 8. ſup. c. 14. Op. centil. p. 3. ſect. 37.*

129. *Tonſura Clericorum, & Religioſorum myſteria expenduntur.*

Tonde capillum tuum, & projice, & ſume in directum planctum, quia projecit Dominus &c. Hoc præcepit Dominus Jeremiæ, ſcilicet ut capillos ſibi tonderet, ad oſtendendum, quòd ſicut capilli attonſi projiciuntur cum prius adhærerent capiti, idque erat ſignum lugentium in funere : ſic Deus Iſraëlitas, cum prius adhærerent ipſi Deo per fidem veram, ipſos projecit tanquam impios, ob quam projectionem, juſſit, ut Propheta aſſumeret planctum, Myſticè autem tonſio capillorum ſignificat amotionem ſuperfluitatis, & temporalium, & hinc Eccleſia præcipit, ut Clerici, & Religioſi tonſurentur, & hoc triplici ratione, & modo : primò ratione ſitus, ſcilicet in capite, quia in ſuper excellenti parte corona ponitur, ut ſignificetur nobilitatis officium, ad quod aſſumuntur, & ideo appellatur regale ſacerdotium, nempe ſacerdos, & Rex coronatus : Secundò ad oſtendendum, quod ſicut in talis ſignaculi collatione eſt ſuperfluitatis amotio, eſt ſummitatis capitis denudatio, eſt figuræ orbicularis impreſſio, ſic inſtruuntur Clerici quid ſit vitandum, nempe ſuperfluitas terrenitatis, & quòd ſolùm deſiderare, & tenere, & amare cæleſtia per converſationem in Cæleſtibus mente accedendo Deo, & ſobrios eſſe proximo : Tertiò per coronam, quæ eſt figuræ orbicularis, ob idque ſimpliciſſima, capaciſſima, & pulcherrima, ſignificaturque, quod debent eſſe ſimplices in mente, dilatati in affectione ad Deum, & pulchri, & mundi in converſatione : Monachi autem altius tonduntur, quàm Clerici ſæculares, quia magis tenentur abjicere inutiles cogitationes : Et in hoc differunt Clerici legis evangelicæ à lege moſaica, quia Nazarei primò ſervabant capillaturam, & poſt totam radebant, in quo ſignificatur velamen legis Moſaicæ, & revelatio evangelicæ, ſed in hac partim raditur, & partim reſervatur, ut ſignaculum regale, ſcilicet corona maneat, & ſic ſit ſignaculum diſtinctivum, & per quam ſufficienter ſignificatur abdicatio terrenorum, & ſimul apertio mentis in ſummitate raſuræ, tū ut ma-

gis ſervetur honeſtas. *L.4.d.24.p.1. dub.4.& a.1. q.1.Pſal.119.*

130. *Malum exemplum Prælatorum, ſacerdotum, & Clericorum, & Patrum, quam plebi noxium & filiis.*

Projecit Dominus &c. quia fecerunt filii Iuda malum in oculis meis, poſuerunt offendicula in domo, in qua invocatum eſt nomen meum, ut polluerent eam, & ædificaverunt excelſa Tophet &c. & erit morticinium populi hujus in cibos volucribus &c. Nota, quòd hic exprimitur prævaricatio legis divinæ univerſaliter facta in populo, quam tamen Propheta docet, & prædicat ortam à ſcandalis ſacerdotum, qui in domo Dei poſuerunt offendicula, ſcilicet quia ipſi fuerunt primi in tranſgreſſione legis, ad quorum exemplum poſtea in plura ſcelera cecidit populus. Datque per hoc intelligere, quod ruina, & caſus populorum, ut plurimum oritur ex malo exemplo Prælatorum, ſacerdotum, Clericorum, nec non Religioſorum: Cum enim majores ipſi voluptati deſerviunt, minoribus laſciviæ fræna laxantur, quia ita ſibi regentium merita connectuntur & plebium, ut ſæpe ex culpa Præſidentium deterior fiat vita ſubditorum: ergo verum eſt, quod, qui malè vivit in conſpectu eorum, quibus præpoſitus eſt, quantum in ipſo eſt, omnes occidit, cum ſequentes à prioribus accipiant exemplum benè, & malè vivendi, non è converſo. *Op.Phar.l.1.c.12. ſer.2. Dom.3. poſt Pent. & l.3.d.25. a.2.quæſt.2. ad altim.*

CAP. VIII.

131. *Excommunicati ſepulti in loco ſacro à Dæmonibus exſepeliuntur.*

IN Illo tempore, ait Dominus, ejicient oſſa Regum Iuda, & oſſa Principum ejus, & oſſa ſacerdotum, & oſſa Prophetarum, & oſſa eorum, qui habitaverunt Ieruſalem, de ſepulchris ſuis. & expandent ea ad ſolem, & lunam, & omnem militiam Cæli, quibus ſervierunt &c. Nota, quòd ad litteram hoc factum eſt tempore belli Chaldæorum, & Romanorum: ſed myſticè dat nobis intelligere, quod ſicut iſti excommunicati extracti ſunt poſt mortem è ſepulchris, ſic permittente divina juſtitia: ſic & Eccleſia jubet, ut omnes excommunicati, & mortui impænitentes priventur eccleſiaſtica ſepultura: Unde narrat D. Gregor. quod cum excommunicati fuerint in loco ſacro ſepulti, quando Diaconus in Eccleſia clamabat, ut omnes excommunicati exirent, quidam videbat eos de ſepulchris exire, & extra Eccleſiam ire, & hoc miniſterio Dæmonum. *Ser 2. de S. Iacob.* Dat etiam myſticè intelligere, quod ſepulchrum impiorum non eſt Eccleſia, vel Cœlum, ſed Infernus. *Luc.c.16.v.22.*

132. *Certamen inter divinam miſericordiam vocantem ad pænitentiam; & peccatorem recuſantem obedire expenditur.*

Numquid qui cadit, non reſurget? & qui averſus eſt, non revertetur? quare ergo averſus eſt populus iſte in Ieruſalem averſione contentioſa? apprehenderunt mendacium &c. Nota illa verba *Averſus eſt populus averſione contentioſa*: quænam eſt hæc averſio contentioſa? Averſio contentioſa eſt illius, qui pluries vocatus à Deo venire contemnit: hic ergo certamen deſcribit inter Deum vocantem pluries peccatores ad pœnitentiam inceſſanter, & ipſos peccatores ſemper contemnentes, & recuſantes obedire, & ideo de hac obſtinatione, & negligentia conqueritur Deus, ex quo patet quam immenſa ſit Dei miſericordia, ejuſque ardens deſiderium noſtræ ſalutis, & inexcuſabilis pervicacia peccatoris. *Ser.2. de S.Agnete.*

133. *Pænitentia à paucis vera, & perfecta fit: Unde conqueritur Dominus.*

Attendi, & auſcultavi, nemo quod bonum eſt loquitur, nullus eſt, qui agat pænitentiam ſuper peccato ſuo. dicens, quid feci? omnes converſi ſunt ad curſum ſuum &c. O quàm verum eſt hoc, de quo conqueritur Deus, quia totus mundus in maligno poſitus eſt, & ut dicitur *Ioan. c.2.* Omnis homo primum bonum vinum bibit, nempe voluptatum, & delitiarum. *Ser.1. in die Ciner. ſer.3.de S.Andr.Ioan.collat.12.*

134 *Infidelitas qualem cæcitatem animæ, & fidelitas qualem illuminationem animæ afferat.*

Milvus in Cælo cognovit tempus ſuum, & turtur, & hirundo &c. populus autem meus non cognovit judicium Domini. Ecce qualis cæcitas Judæorum, qui cum haberent tot teſtimonia adventus Chriſti in carnem, tamen ipſum noluerunt agnoſcere ipſis animalibus irrationalibus irrationabiliores, & hic eſt effectus infidelitatis, quæ miſerandam cæcitatem animæ affert: ſicut è contra fides, mirabilem illuminationem. *Luc.c.3. v.2.& c.19.v.44.*

135. *Mendacium aliud conſiſtit in verbis, aliud in factis*; quando ſcilicet actio non eſt talis, qualis oſtenditur: & talis eſt vita Chriſtianorum impiorum, qui ſe profitentur ſequaces Chriſti, ſed vita ſunt ſequaces Diaboli: Unde hic dicitur de ſcribis: *Verè mendacium operatus eſt ſtylus mendax ſcribarum. Ioan.c.8.v.44.* Unde mendacia ſunt adulteria, furta, homicidia, & alia vitia, quibus ferè totus mundus involutus eſt, *ut dicitur hic v.10. A maximo uſque ad minimum omnes ſequuntur avaritiam, & faciunt mendacium. Op.de contempt.ſæcul ſer.2.in Converſ. S. Paul. Ioan.c.13. v.10.ſer.1.de S. Magdal.ſer.1.de Apoſtol. Vide ſuprà ad cap.6.v.13.n.94.*

136. *Sapientes mundi verè inſipientes ſunt*: quia licet aſtuti ſint in malitia, & in rebus mundanis, tamen in iis, quæ ad ſalutem animæ ſpectant, inſipientes ſunt, ideo dicitur de eis: *Confuſi ſunt ſapientes, perterriti & capti ſunt, quia verbum Domini projecerunt, & ſapientia nulla eſt in eis. Pſal.*

Digitized by Google

Pſal.82. Ecclen. c.1. Op. de dono ſap.c.2. ſer.1. de uno martyr.

137. *Erubeſcat Chriſtianus vilitatem peccati, ſed non Crucem, & imitationem crucifixi.*

Confuſi ſunt. quia abominationem fecerunt, quinimò confuſione non ſunt confuſi, & erubeſcere neſcierunt, ideo cadent &c. Nota, quòd ſupra *ad c.6.* eaodem quærelam faciebat Deus de Iſraëlitis, in qua duplicem confuſionem expooit: Altera, qua affecti ſunt: Altera, qua noo ſunt affecti, nec erubeſcentiam habuerunt: Darque intelligere Deus, quod erubeſcere debet Chriſtianus pro abominatione peccati, ejuſque vilitate, non autem de Cruce, & Imitatione, & doctina Crucifixi, alioquin confuſionem patietur à Chriſto in Judicio. *Luc.c.9.v.26.*

138. *Sine cognitione, & pœnitentia peccatorum non eſt bonum aliquod, nec medela homini.*

Peccavimus Domino: expectavimus pacem, & non erat bonum, tempus medelæ, & ecce formido. Nota, quòd ex experientia in ſeipſis habita iſti Judæi nos inſtruunt, quod, qui peccatum habet in anima, ſi pœnitentia illud non delet, nullum bonum poteſt habere, nec medelam recipere: nam vulnera peccati, ſi pœnitentia noo curantur, putreſcunt, & fætere animam Deo faciunt. *Ser 2.Dom.9.Pent.*

139. *Tempus medelæ animæ eſt in hac vita, non in altera, vel in tempore mortis, in quo ſubeſt anima Judicis ſententiæ: Vbi de formidine peccatoris in morte.*

Expectavimus pacem. & non erat bonum, tempus medelæ, & ecce formido. Nota, quòd ſtulti ſunt, qui tempus medelæ peccatorum ad alteram vitam prolongant, vel etiam ad tempus mortis, in quo tunc formido occupat totum hominem: Tempus medelæ eſt in hac vita, non in altera vita; tunc enim eſt tempus formidinis, quia tunc formido remanet peccatori, videns ſupra ſe Judicem, ſub ſe Infernum horrendum, ante ſe mortem, poſt ſe vitam præteritam, à dextris bonos Angelos repellentes, à ſiniſtris Dæmones rapientes. *Ser.1.de S.Luca Evang.in addit.*

140. *Stultitia peccatorum, qui ſolliciti ſunt in medendo corpus, & negligunt tempus medelæ animæ, differentes de die in diem &c.*

Expectavimus pacem, & non erat bonum: tempus medelæ & ecce formido. O quaotis accidit hæc dicere in morte, qui tempus pœnitentiæ, quæ eſt medela animæ vulnerum, differunt de die in diem uſque ad mortem, licet ſolliciti fuerint in medela corporis; hocque patet continua experientia: ſi enim in corpore aliquid morbi pulſaverit, ſtatim medicos vocas, & pecuniam profundis: anima verò cum quotidie vulneretur, cum per ſingula lanietur momenta curatur, præcipitetur, & modis omnibus patiatur, ne parva quidem pro ea cura te ſollicitat: meritò ergò tantam temporis negligentiam Deus à te requiret; meritò tunc formido ſolùm remanet: ò quàm tunc infeſtus eſt diabolus homini: ergò dum tempus habemus operemur bonum, ſi volumus invenire bonum, pacem, & ſecuritatem: *Ser.1.Dom.1.quadrag.*

141. *Diabolus ſerpens crudeliſſimus: infelix, qui in ejus poſſeſſionem traditur.*

Ecce ego mittam vobis ſerpentes regulos, quibus non eſt incantatio, & mordebunt vos, ait Dominus. Vide quid facit Dominus cum obſtinatis, & ſuis contemptoribus, nam eos in poſſeſſionem ſerpentum tradit: & qui ſunt? Iſti ſunt Dæmones, qui flatu adurunt per inflantem ſuperbiam, & corda interficiunt per concupiſcentiam, & mordendo eos per avaritiam, ad mortem inducunt: ô quàm crudeles ſunt iſti ſerpentes, à quibus non poteſt homo liberari ſine pœnitentia, & auxilio Spiritus Sancti. *Ser.3.Dom.1.quadrag.Ecclen.c.10.*

142. *Qualis dolor exigitur à Deo in pœnitentia.*

Dolor meus ſuper dolorem, in me cor meum mærens. Hæc dicit Deus, quatenus hæc eadem facit dicere ab anima pœnitente: dolor meus ſuper dolorem, in me cor meum mærens, ſcilicet pœnitens debet habere dolorem gemitus hominis exterioris, & dolorem, & mærorem hominis interioris, propter contagium culpæ, quo contaminata eſt anima, & propter conſcientiæ cauterium, quo conſignata & vulnerata eſt: & in hoc ſtat perfecta pœnitentia. *Pſal. 118. capit. 5. verſ.16.*

143. *Poſt mortem nulla remanet ſpes pœnitentiæ, vel unquam habendi aliquod bonum:* Unde in perſona damnatorum dicitur. *Hic tranſit æſtas, conſummata eſt meſſis, & nos ſalvati non ſumus. Op. Comp.Theol.l.4.cap.7.& l.7.c.21.v.20.*

144. *Deus licèt non ſit capax doloris, tamen ut oſtendat ſuum ardentiſſimum amorem in nos, & deſiderium noſtræ ſalutis per figuram Antropoſpathos;* (Quod verbum interpretatur, hominis converſio, ſeu affectus) ſibi attribuit ſæpe in ſcriptura humanos affectus, ut hic doloris ſuper mala, & obſtinationis peccatoris dicens: *ſuper contritione filiæ populi mei contritus ſum* (*obtenebratus ſum in afflictione*, legunt ſeptuaginta) *& contriſtatus ſtupor obtinuit me.Pſal.25.*

145. *Chriſtus providit homini medicamenta neceſſaria pro omnibus infirmitatibus ſpiritualibus animæ, ideo nulla excuſatio datur in homine.*

Nunquid reſina non eſt in Galaad? aut medicus non eſt ibi? quare igitur non eſt obducta cicatrix filiæ populi mei. Nota, quòd reſina eſt liquor ex terebintho progrediens, & rubeus, & eſt medicinalis, ſignificans media, quibus providit Deus in omni tempore homini, ſicut & medicos ſpirituales dedit, quibus homo poſſet ſanari ab infirmitatibus, & vulneribus

animæ

Digitized by Google

animæ,quodque fecit in tempore legis naturæ,& magis tempore legis ſcriptæ, & abundantiſſimè in lege gratiæ; numquam enim defuerunt medici ſpirituales,nempe ſacerdotes, & Prophetæ, & Sancti homines apti ad applicandum remedia ſpiritualia animabus, hocque maximè in ſtatu legis evangelicæ, in quo Chriſtus medicus venit in mundum ad curandum noſtra vulneta, miſit medicos,ſcilicet Apoſtolos, & ſacerdotes per totam Eccleſiam: inſtituit medicamenta, nempe ſacramenta,quæ virtute ſanguinis, & paſſionis ſuæ condita, habent mirabilem efficaciam contra omnem morbum: exhibet & gratiam, quæ eſt medicamentum ſanativum,& confortativum: & hinc nulla datur excuſatio in hominis infirmitate,& damnatione, diciţque hic: Nunquid reſina in Galaad, ſcilicet in Eccleſia? & medicus non eſt ibi? &c. *l.1.in prolog.luc.c.5.v.26 ſer.10. in Rogat. & alibi ſparſim pluries.*

CAP. IX.

146. *Pœnitentia vera non eſt ſine lachrymarum, & contritionis cordis effuſione.*

QUIS *dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die, ac nocte?* Cur aquam petit ad caput? Ad quid vult in capite aquam? ſed adſpice ad Eliam, ad cujus caput collocatum fuit vas aquæ: per caput intelligitur cor, ut videas, quod cor pœnitens debet habere in capite, ſcilicet in principio aquam lachrymarum, & contritionis,ſine qua non poteſt fieri vera,& perfecta pœnitentia. *Ser.2.in die Ciner.ſer.4. Dom.4. quadrag.Ecclen.c.2.* Unde hæc dicere debet Prædicator,ut in principio, & progreſſu prædicationis excitet ad lachrymas auditores. *Ser.2.Dom.4. Pent.* Sic legitur de Magdalena pœnitente, ſic de Petro Apoſtolo poſt negationem, qui in baptiſmo lachrymarum mundaverunt animas ſuas. *Luc. cap.7.v.44. & c.19. v.41. ſerm.1. de S. Mar. Magdal.*

147. *Anima pœnitens faciat ſibi fontem lachrymarum, ut in ipſo baptizetur.*

Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum? & plorabo, &c. Nota, quòd hæc eſt anima deſiderans ſe baptizare à maculis peccatorum, & ideo petit à Deo in oratione donum lachrymarum,ut in tali fonte emundet ſe ab omni macula,ut pura, & munda in conſpectu Domini ſe præſentet. *Serm. 1. in Invent. S.Crucis in addit.*

148. *Eccleſia, & anima Deum amans plangit ſuper interfectos à diabolo.*

Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum,& plorabo die, ac nocte ſuper interfectos filiæ populi mei? Nota etiam quod hæc dicuntur in perſona ſanctæ Matris Eccleſiæ, & animæ Deum amantis, videns tot interfectos filiòs ſuos à diabolo: ò quot miſeros interfectos! videns, inquam, ferè totum mundum, & omnes homines magis currere ad terrena ad obtemperandum diabolo,ſubjectos ipſius feritati,& Chriſtum Ieſum amantiſſimum relinquere: Currunt Reges,currunt Principes, currunt pariter omnes gentes ad aurum,ad terrena, ad voluptates, & vix eſt unus, qui currat ad Chriſtum: Ideo Eccleſia plangit tot ſtrages; datque intelligere, quod in Eccleſiæ tribulatione, in his ſimilibus ſubverſionibus Principum Eccleſiaſticorum, Religioſorum, & aliorum anima Deum amans debet in oratione ad Deum plangere. *In Thren. prol.ſer.1 de S.Mar.Magdal.ſerm.1.de S. Matt. in addit. op ſtim. p. 3. c. 11. opuſc. Myſtic.Theol. cap 3.p.1. & p.3.*

149. *Paſſio Chriſti à nobis deflenda.*

Quis dabit capiti meo aquam, & oculis, &c. & plorabo die, ac nocte interfectos filiæ populi mei. Nota illud verbum, *Interfectos filiæ populi mei:* qui ſunt iſti interfecti? & ſi ſunt interfecti, ad quid amplius ſuper ipſos flendum? ſed attende, quòd hoc verbo innuit cauſam, quare Chriſtus factus homo ſe in mare paſſionis projecit, & in Cruce mortuus eſt: Unde loquens ad filias Ieruſalem dixit: *Nolite flere ſuper me,ſed ſuper vos ipſas interfectas,* ſcilicet in peccato, inter quos etiam propter eadem peccata noſtra interfectus eſt: ergo præcipit Chriſtus, ut ſuper ſe fleat omnis Chriſtianus, & ſuper humano genere, quia fuit cauſa interfectionis Domini ſui: quis igitur conſiderans labores, quos non pro ſe, ſed pro nobis ſuſtinuit Chriſtus Ieſus,fatigationes in prædicando, & diſcurrendo vigilias in oratione, lachrymas in compaſſione,dolores, convitia,ſputa,colaphos, ſubſannationes, clavos, vulneraque, non exclamabit cum Propheta: quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, ut poſſim flere die, ac nocte mortem Domini mei Ieſu Chriſti, quam non pro ſuis, ſed pro interfectis, ſed pro meis peccatis ſuſtinuit? Uulneratus eſt enim propter iniquitates noſtras,attritus eſt propter ſcelera noſtra. *Opuſc. de perfect.vitæ,c.6.Luc.c.23.v.28.*

150. *Lingua mala, mendax, & blaſphema impugnat divinam majeſtatem, Veritatem, & Bonitatem.*

Et extenderunt linguam ſuam, quaſi arcum mendacii, & non veritatis, &c. Ecce una inter alias cauſas, quare populus Iſraëliticus ſubjectus fuit iræ divinæ, quia illi impii extenderunt linguam ſuam quaſi arcum mendacii: quid eſt arcus mendacii? & ad quam partem extenderunt? Arcus mendacii eſt quando arcus videtur jacere ſagittam extra arcum,ſed non jacit: ſic eſt lingua doloſa

loſa, & mendax, quæ videtur aliud prætendere, & aliud facere: Impii auté ſua lingua doloſa jaciunt in Deum, & proximum: In Deum, impugnando Divinam Majeſtatem per verba jactantiæ, & blaſphemiæ, ponentes os ſuum in Cœlum: Item divinam veritatem per verba mendacia; & divinam bonitatem per verba blandientia, & detrahentia, & ſic proximum fallentes, & decipientes: ô grande peccatum, peccatum linguæ. *Luc.c.16.v.24. Ioan.c.8. v.44.& in Pſal.36.& 118. c.7. v.14.* Nota etiam, quòd detractio eſt ictus arcus doloſi, quia detractor alteri jaciendo, proximum, & ſimul auditores, & ſeipſum occidit. *Ser.11.Pent.*

151. *Cave ne credas, & ne committas omnibus, qui fingunt ſe eſſe amicos: Vbi de malorum ſocietate.*

Vnuſquiſque ſe à proximo ſuo cuſtodiat, & in omni fratre ſuo non habeat fiduciam. Nota, quòd hæc dicebat, & prædicabat Jeremias, nempe ut quiſque caveret ſocietatem malorum, etiam ſi ſe fingerent amicos, & amantes ut fratres: Tum quia malorum ſocietas eſt periculoſiſſima: Tum quia non facilè homo debet ſe committere, & fidere promiſſis omnium, quia amici ſunt pauciſſimi; unde maximum tormentum eſt, cum aliquis patitur ab his, dequibus præſumebat. *Luc. c.21.v.16.& c.2.v.21.*

152. *Caveat homo ab amicitia mundi, carnis, & diaboli.*

Omnis frater ſupplantans ſupplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet. Si frater eſt, quomodo ſupplantabit te? & ſi amicus, quomodo fraudulenter incedit? Nota, quòd hic loquitur de amicis falſis, iſti ſunt diabolus, mundus, & caro, & falſi fratres: nam iſti falſi, & fraudulenti inſtitores fraudulenta mercimonia exhibent, & pro levi pretio ipſa dant, multa promittunt, & pauca dant, & tempore neceſſitatis deſerunt: cave ergo à tali amicitia fraudulenta *Ser.2.de Dedicat. ſer.4.in Dom.8 Pent.In Thren.c.1.*

153. *Via peccantium laborioſa, difficiliſque: Via juſtorum ſuavis, & facilis.*

Vt iniquè agerent, laboraverunt. Quomodo connectit laborem cum iniquitate? Nonne lata, & ſpatioſa eſt via quæ ducit ad perditionem? ſed optimè loquitur Propheta: nam viæ peccantium ſunt ſpinoſæ; laborioſæ atque difficiles, quia multum affligunt animam in preſenti per conſcientiæ remorſum; non enim patitur ordo divinæ juſtitiæ, ut vel ad momentum ſit culpa ſine pœna: Unde S. Auguſt. dicebat: Juſſiſti Domine, & ſic eſt, ut pœna ſibi ſit ipſe inordinatus animus. Verum quidem eſt, quod tales viæ dicuntur in Evangelio latæ, & ſpatioſæ, quia faciles ſunt in ingreſſu quaſi ſtratæ floribus ſcilicet præſentis delectationis dulcore, & temporali jucunditate; ſed difficiles ſunt in progreſſu, propter remorſum conſcientiæ, difficiles in egreſſu propter ſeparationem à præſenti voluptate, & difficillimæ poſt egreſſum, propter tormentum gehennæ: O quàm verum hoc, & continuo experimento notum: ſicut è contra via Domini anguſta quidem prima facie videtur, ſed facilis in progreſſu, & dulciſſima in egreſſu. *Eccleſ.c.10. ſap.c.5.& 15.Luc.c.13.v.24.*

154. *Schola Chriſti docet veritatem, diaboli docet mendacium.*

Docuerunt linguam ſuam loqui mendacium: Quinam ſunt iſti magiſtri docentes linguam ſuam loqui mendacium? ſed attende, quod in Textu ſeptuaginta Interpretum legitur: Didicit lingua eorum loqui mendacia: ergo ſi ſunt magiſtri docentes, erunt etiam diſcipuli audientes, & diſcentes: ſed in qua ſchola? In ſchola diaboli in qua Dæmones docent mendacium, & ſequaces diſcipuli diaboli addiſcunt loqui mendaciter: Ad hanc ſcholam introducit diabolus primam mulierem quæ & ipſa didicit mendacia, & hinc orta eſt ruina totius mundi: Vide quàm hoc verum ſit: nam diabolus loquens cum muliere, in corde ſuo ſuppoſuit hanc propoſitionem veram: Creatura rationalis debet appetere ſimilitudinem Creatoris: & hinc cum hac veritate immiſcuerit falſitatem, ſi comederis ex ligno vetito, hanc ſimilitudinem acquires, cui mendacio conſentit mulier, & ſic peccavit, unde meritò diabolus dicitur pater, & inventor, & magiſter mendacii, & qui mentitur ex diaboli ſchola, doctrina, & perſuaſione mentitur. E contra Chriſtus magiſter veritatis, veritatem & in verbis, & in factis docens, & ideò qui veritatem loquitur, filius eſt Dei. *Ser.1. Hexam. Ioan. capit. 8. verſ. 45. & ſeq. ſer. 3. de S.S. Doctor. in addit.*

155. *Sagitta Chriſti, & ſagitta diaboli quales: Vbi de mala lingua, & pace diabolica.*

Sagitta vulnerans lingua eorum, dolorem loquuta eſt: in ore ſuo pacem cum amico ſuo loquitur, & occultè ponit ei inſidias. Quænam eſt hæc ſagitta? & cur lingua appellatur ſagitta vulnerans? ſed attende ad verſutias Diaboli; videns enim, quòd Chriſtus miſit Spiritum Sanctum contra mundum ad arguendum, ſicut ſagitta mittitur contra hoſtem ad feriendum, & ipſe contra Chriſtum, & ſuos ſequaces miſit ſuas ſagittas; ſagitta Spiritus Sancti eſt inſtinctus, & inſpiratio cordis vulnerans animam, & ipſam diſponens ad contritionem, & ad recipiendum doctrinam Chriſti, ſagittat autem timore pœnæ, dolore culpæ, & amore gratiæ & gloriæ: & diabolus contra hanc ſagittam utitur ſagitta linguæ malæ, vulnerando animas per detractiones, ſuſurrationes, ſuaſiones ad malum, deceptiones, promiſſiones pacis, quæ non eſt vera pax, ſed ficta, diabolica, pernitioſa; & hac ſagitta uſus eſt etiam contra Chriſtum per linguas perfidorum Judæorum. *Ser.7.in Pent.In Thren.c.3.Luc.c.6 v.7.& c.11. v.51.& c.16. v.24.* O quot mala cauſat diabolus per homines malos.

156. *Devaſtatio Eccleſiæ qualiter fiat.*

Super montes aſſumam fletum , ac lamentum . & ſuper ſpecioſa deſerti planctum , quoniam incenſa ſunt , & non audierunt vocem poſſidentis : Vocem ſubſtantiæ , *legunt ſeptuaginta* : *&c.* Nota, quòd hic Propheta deplorat vaſtationem factam ſynagogæ per Chaldæos : ſed myſticè ſignificatur devaſtatio Eccleſiæ, & modus traditur, quo accidere poteſt per immundos : montes ſunt Prælati, & viri Eccleſiaſtici : ſpecioſa deſerti ſunt Religioſi : Volucres Cœli ſunt Clerici : pecora ſunt laici : dans intelligere, quod quando Prælati, Eccleſiaſtici , Religioſi , Clerici , & ſubditi in immunditias ſe immergunt , nec in eis invenitur aliquid ſubſtantiæ Dei, ſcilicet ſpiritus, & ſapor rerum ſpiritualium , & verbum Dei contemnitur , tunc ſignum eſt peſſimum , & quod Deus dereliquit talia loca : & ideo meritò fletus , & planctus aſſumendus eſt à bonis ſuper tot miſerias imminentes. *In Thren. prol.& ſer. 1. Dom.9. Pent.* Et hinc proſequitur Deus per Prophetam : *Et dabo Ieruſalem in acervos arenæ, & cubilia draconum , & Civitates Iuda dabo deſolationem &c. quia dereliquerunt legem meam &c.* per quæ patet, quod peccatum eſt origo omnium calamitatum.

157. *Strages peccati exiſtentis in anima expenditur, & ſtultitia hominis ipſam non deflens.*

Super montes aſſumam fletum &c. quoniam ſpecioſa deſerti incenſa ſunt : Addunt ſeptuaginta : *Eo quod non ſint homines :* Hebræus : *Eo quod non ſit , qui tranſeat &c.* Notet hæc verba homo exiſtens in peccato mortali, & videat ſtragem, quam affert animæ peccatum mortale : Dicit autem, quòd ſunt incenſa ſpecioſa deſerti : quænam ſunt iſta ſpecioſa ? hæc ſunt bona opera , boni mores, merita , atque gratia Dei : Dicuntur autem ſpecioſa , quia decorant animam , & ipſam redduot pulchram coram Deo, & Angelis, & ab ipſo Deo habitatam : ſed ecce adveniens peccatum mortale , quod eſt ignis infernalis , omnia iſta incendit, & deſtruit, reddens animam, veluti deſertum , & cubile Draconum , ſcilicet Dæmonum , imò in nihilum : O qualis infælicitas talis animæ deplotanda : Certè , qui eſſet in domo undique ardenti, inſtantiſſimè laboraret eam aquis extinguere quantò magis ô ſtulte homo. cum cor tuum, anima tua ardeat flammis vitiorum extinguere debes aquis fletuum ? ô quàm ſtulti ſunt homines , qui mortem amici deflent, & non dolorem de peccato oſtendunt per lachrymas. *Ser.1. Dom.9. Pent. Pſal.118.c.11.ſap. c.9.Ioan.c.1.v.3.ſer.1.& 1.Dom.3.quadrag.*

158. *Peccatoris cibus eſt diabolus , venenum & ſtercus diaboli.*

Hæc dicit Dominus Deus : ecce ego cibabo populum iſtum abſinthio. & potum dabo eis aquam fellis. Nota , quòd nomine abſinthii , & fellis venit quæcumque abominatio : Dat igitur intelligere, quod peccans mortaliter cibat animam veneno, ſtercore diaboli , & quod pejus eſt ſumit diabolum pro cibo , qui in interiora ejus ingreditur tanquam in ſtabulo. *l.4.d.16.p.1.a.1.q.1, Op.ſpec. B.Virg.lect 2.& 14. Op. Diet.Tit.1.c.2. Luc.c.13. v.9.ſer.2.in Cœna Dom ſer.2.ſer.2.Pent.*

159. *Prædicator per comminationem pœnarum vocet peccatores ad pœnitentiam , & ad fletum* , unde hic dicitur : *Contemplamini , & vocate lamentatrices &c.* Nam qui ad harum prædicationem non convertitur, ſignum eſt perfidæ obſtinationis, & reprobationis. *Luc.c.7.v.32.& c.8.v.52.Pſal.118. c.9.v.8.*

160. *In ſchola Chriſti principalis lectio eſt flere , & plangere.*

Audite ergo mulieres verbum Domini : mulieres , ideſt animæ &c. & docete filias veſtras lamentum, & unaquæque proximam ſuam planctum. Nota, quòd ad litteram Propheta , ex quo vidit , quod majores, & ſacerdotes noluerunt plangere deſolationem imminentem , & peccata propria , & populi , converſus ad mulieres , eas invitat ad planctum &c. ſed myſticè iſtæ filiæ ſunt animæ converſæ per prædicationem Doctorum , & prædicatorum : Vultque Spiritus Sanctus , ut edoceantur , & inducantur ad fletum , & lachrymas contritionis , quia hæc eſt principalis lectio in ſchola Chriſti : Et hinc ut in nos imprimeret Chriſtus hanc lectionem, qui eſt riſus , & gaudium beatorum . quater fleviſſe legitur , ſcilicet in infantia, ſuper Lazarum mortuum , ſuper Civitatem Jeruſalem , & in Cruce , ut oſtenderet quatuor eſſe differentias lachrymarum , & fletuum , nempe ex compunctione , ex compaſſione proximi , & pro incolatu præſentis miſeriæ, & pro appetitu fælicitatis æternæ. *Ser. 3. de SS. Doctor. in addit. Luc.c.19. v.41. Ioan.c.11. v.38. ſer.1.Dom 9.Pentec.*

161. *Portæ ſenſuum diligenter cuſtodiendæ, & quomodo, ne mors intret per ipſas.*

Aſcendit mors per feneſtras noſtras , ingreſſa eſt domos noſtras diſperdere parvulos deforis , juvenes de plateis. Quomodo hic dicitur , quod aſcendit mors per feneſtras ? Eſt ne mors aliquod ſenſibile corpus, vel ſpiritus, vel aliquid creatum poſitivum valens ingredi per feneſtras ? Nonne mors eſt privatio vitæ, in corpore noſtro eveniens ex defectu vitæ , & vitalis vis ? ſed attende , quòd per portas intelliguntur ſenſus noſtri ; per mortem, mors animæ, ſcilicet peccatum mortale occidens animam ſpiritualiter : ſenſus autem noſtri dati ſunt nobis, ut ſint veluti quinque portæ, per quas totus mundus ſenſibilis per ſpecies, & phantaſmata intret in mentem , quæ nobiſcum naſcitur veluti tabula raſa : Et quia per iſtas portas intrat, & bonum , & malum , ſaltem occaſionaliter ; hinc in incautis intrare dicitur mors , quia per viſum , per auditum, per guſtum , per olfactum , & per tactum intrant iſta ſenſibilia , quibus adhærens anima , ſæpe Deum deſerit , avertens ſe ab ipſo , & convertens ſe ad creaturam : hinc dicitur , quod in iſtis incautè viventibus, & malè cuſtodientibus iſtas portas . intrat mors in domum animæ , ſcilicet peccatum diſperdens parvulos deforis , nempe incautos in creaturis manentes, & ob ipſas Deum deſerentes ; & juvenes de plateis, oimitum illos, qui ambulant viam

ſpatioſam hujus mundi, quæ ducit ad mortem: exemplum hujus periculi habemus in David reſpiciente uxorem Uriæ; in Eva, quæ vidit lignum pulchrum viſu, &c. in Dina egreſſa ad paſcendam curioſitatem, & tot aliis: Et hac de cauſa Religioſi includunt ſe in cellulis, ne vel ipſi concupiſcant, vel concupiſcantur, quia in molendino, non pulverulentum fieri vix impoſſibile eſt. *Op. Itin. ment. c.2. op. Diat. Tit.6. c.1. In Thren. c.1. & 2. op. de perfect. religioſ. l.1. c.39. op. medit. c.17. ſer.3. de SS. Doctor. in addit. ſer.4. Dom. infra oct. Epiph.*

162. *Peccatum ſtercus diaboli animam fætentem reddens, & veluti cadaver putridum.*

Et cadet morticinium hominis quaſi ſtercus ſuper faciem regionis, &c. Ad litteram Propheta prædicit ſtragem faciendam à Nabuchodonoſor de Judæis, quos occidere fecit, & eorum cadavera projicit in ſterquilinia abſque ſepultura: Myſticè exprimit ſtatum miſerabilem exiſtentis in peccato mortali; remanet enim anima ſine vera vita veluti cadaver ſepultum in ſtercore diaboli, quod eſt ipſum peccatum mortale, per quod fætens Deo, & Angelis redditur: Vide igitur miſeriam jacentis, & dies, & annos in hoc ſterquilinio: Væ igitur illi, qui ad ſanguinem Chriſti, ut in ipſo ſe emundet, non acceſſerit. *Sermon. 2. in Cœna Dom. Luc. cap.13. verſ.9.*

163. *Sapientia mundana, potentia, & opulentia terrena ſine Deo vacua, & fallax.*

Hæc dicit Dominus: non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, & non glorietur fortis in fortitudine ſua, &c. hæc enim placent mihi. Nota, quòd cum in his tribus ſoleant confidere homines, præcipuè obſeſſi in Civitate, nempe cum ibi morentur viri magnæ prudentiæ, magnæ fortitudinis, & divites, Propheta hunc errorem communem conatur evellere à mente populi Judaici, & à mente omnium mundanorum: Hæc dicit Dominus omnibus hominibus; & notent diligenter hanc concionem Domini: Ne gloriemini in veſtra ſapientia, fortitudine, & opulentia, quia quod veſtrum eſt, totum vanum, caducum, fallax, & vos in tempore neceſſitatis cadetis in errores intolerabiles, in ruinas, & ſtrages, & iſta veſtra ad nihil vobis juvabunt, imo facient vos ruere in majora præcipitia, & ruinas, ut per patentiſſima, & continua exempla docent hiſtoriæ: Et ideo ſolùm ſapientia, quæ eſt à Deo fortitudo virtuti divinæ innixa, & opulentia ſpiritualis gratiæ, hæc nobis poteſt proficere: ô utinam ad hanc divinam doctrinam attenderent homines. *Serm. 1. de uno mart. Centill. p.1. ſect.18. ſup. cap.5. & 17. ſermon. 1. in feſto omn. ſanct.*

164. *Viſitatio à Chriſto facienda ſpecialiori modo ſuper Clericos, & Religioſos in Judicio univerſali expenditur.*

Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & viſitabo ſuper omnem, qui incircumciſum habet præputium, &c. & ſuper omnes, qui attonſi ſunt in comam, &c. Ad litteram prædicit Deus deſtructionem ab iſtis faciendam de gentilibus poſt deſtructionem ab iſtis factam terræ Judeæ: ſic enim per gentiles punivit Judæos iniquos, & poſtea eoſdem gentiles deſtruxit, & deſolari fecit: Myſticè tamen alluditur ad viſitationem à Chriſto faciendam ſuper omnes homines in die Judicii, in qua tamen ſpecialiori, & exactiori modo viſitabuntur illi, qui attonſi ſunt in comam, habitantes in Deſerto: & quinam ſunt iſti attonſi? Attonſi ſunt primò Clerici in ſuperiori parte capitis, in ſignum, quod voluntatem, & mentis attentionem nudam debent habere ad Deum, & ad præmia æterna, & immediatè conjunctam, non perplexam, & involutam capillis voluptatum, & bonorum temporalium: Religioſi verò, qui habitant in deſerto Religionis ſunt etiam attonſi uſque ad aures, in ſignum, quod aurem obedientiæ debent habere expeditam, ut dictum eſt ſuprà ad *cap.7. n.127. Viſitabo, ait Dominus ſuper omnes iſtos attonſos, an incircumciſi ſint*, an vixerint ad modum ſæcularium: Væ ergo iis, qui vitam abjecerunt angelicam: Væ iis, qui reſidentiam non faciunt in Eccleſiis ſuis, ſed vagi inter ſæculares vitam ducunt, aut ſi faciunt reſidentiam, propter pecuniam faciunt, horas ſuas non dicunt ex devotione, nec Deum laudant: Viſitabo, ait Deus, qui ad officium ſuum, & obligationem non attendentes, ad aliena ſe applicant: Vnde in extra. *de celebrit. miſſar. tit.14. cap.1.* Gravi nimium, &c. habetur: Diſtrictè præcipiendo, mandamus in virtute obedientiæ, ut officium nocturnum, pariter & diurnum, quantum Deus dederit, ſtudioſè celebrent, pariter, & devotè: ubi dicit Gloſſa, qui contra hoc præceptum faciunt, inobedientiam incurrunt: Ergo ô Clerice, ô Religioſe cum pſallis, cor ad ſenſum pſalmi habeas, niſi ad ſublimius rapiatur, & omnium, quæ ibi dicuntur, vel dicendis in tuo Choro, vel audiendi in alio uſque ad unum iota ſcias, te eſſe debitorem: Iſti ergo cum ſtipendia accipiant, & officium non impleant, injuſtitiam exercent, ideo non habitabit juxta Deum malignus, neque permanebunt injuſti ante oculos Dei: ô quàm ſevera, & terribilis erit hæc Chriſti viſitatio. *Serm. 1. in feſto om. Sanct. Vide l.4. d.24. p.1. q.1. opuſc. determin. ſuper Regulam quaſt.16. & 19. opuſcul. Diat. Tit.4. cap.1.*

CAP. X.

165. *Scientia, quæ non eſt fundata, vel conformis ſcientiæ divinæ & Sacræ Scripturæ vana, atque inutilis.*

HÆC dicit Dominus: *Iuxta vias gentium nolite diſcere, & à ſignis Cæli nolite metuere, &c. quia leges populorum vanæ ſunt, &c.* Nota, quòd hæc Chriſtianis diriguntur: datque Spiritus Sanctus intelligere, quòd ſcientia quælibet humana, quæ non eſt conformis divinæ, & Sacræ Scripturæ, vana eſt, & inutilis, & in errores varios inducit. *Op. Eccleſ. Hier. p.4.c.5. Sap.c.14.*

166. *Qui totum ſtudium in exteriori ornatu Templorum, & rerum ſacrarum collocant, relicto interiori, quàm decipiantur.*

Lignum de ſaltu præcidit opus artificis in aſcia: argento, & auro decoravit illud: clavis, & malleis compegit, ut non diſſolvatur, in fortitudinem palmæ fabricata ſunt. Ad litteram Propheta loquens de Idolis, & Idololatrantium erroribus, oſtendit auctoris, inſtrumenti, & materiæ qualitatem Idolorum, eorum vanitatem. & deinde addit, quod ad hoc ut talia Idola apparerent, ea texit artifex auro, & argento, & coloribus pulchris, ut ſic fulgor deciperet ſimplices. Moraliter autem reprehenduntur Chriſtiani, qui totam curam collocant in ornatu exteriori Templorum ex auro, & argento, & picturis; item & ceremoniarum, relinquentes, & deſerentes interiorem animæ: hæc enim eſt maxima deceptio diaboli, quæ in multis nimium apparet: Unde qui in iſtis exterioribus contentus, interiora poſtponit, ſic eſt quaſi, qui corticem, vel teſtam vacuam ſine nucleo habet: nam talis ornatus exterior, & pompa, & ceremoniæ exteriores ſunt quidem virtutis tegumenta, vel ad decorem, vel ad cuſtodiam virtutis ordinata, & excitantia, in quibus non pura virtus conſiſtit, ſed quædam quaſi umbra virtutis, latentis intrinſecus demonſtratio figuralis: ſic & in Tabernaculo fœderis erant plura velaminum genera; unde habitus exterior ſine virtute interiori eſt veluti ſimia tali habitu joculatoriè induta: hæc enim ſunt tantum ſigna exteriora interioris virtutis, ſicut ſignum ad Tabernam potum venalem deſignat, & vexillum ſuper Eccleſiam denuntiat Dedicationem, & ideo ſi ſigna falſa fuerint, decipiuntur homines putantes invenire ſignificatum. Idem & dic de ceremoniis exterioribus, in quibus ſæpe minus virtuoſi majorem vim faciunt, quàm perfecti: Idem & dic de moribus exterioribus compoſitis, & ſignis pœnitentialibus externis, quæ omnia parum juvant, ſi non adſit interior humilitas, & virtus: Eccleſia ergo, atque Religio magis ornetur byſſo caſtitatis, cocco Martyrii, purpura pœnitentiæ, auro Apoſtolorum, gemmis virtutum. *Opuſcul. de perfect. religioſ. l.2. cap. 22. Pſalm.74. ſapient. cap.14.*

167. *Deus ſolus metuendus, non homines, nec influentia Cælorum, nec alia irrationales.*

Nolite timere ea, quæ nec malè poſſunt facere, nec benè: quis non timebit te ô Rex gentium, &c. Notanda hæc verba à qualibet anima fideli, in quibus Spiritus Sanctus advertit non eſſe metuendum nec de Idolis, nec de Dæmonibus, nec de hominibus, nec de ſtellarum influentiis, quia ſine Dei concurſu nihil poſſunt: ſed ſolùm Deus timendus eſt, qui poteſt in animam, & in corpus: hunc timeamus, huic adhæreamus, in ipſum totam fiduciam noſtram collocemus, quia nihil nobis poterit obeſſe, &c. *Luc. cap.12. v.5. & c.1. v.44. & cap. 4. verſ.36. & c.8. v.25. & 35. & cap.9. v.34. ſermon. 2. de uno S. Doctor.*

168. *Nominis Ieſus mirabilia expenduntur: Nominis item Mariæ.*

Non eſt ſimilis tui Domine: magnus es tu, & magnum nomen tuum. Hic loquitur Propheta cum Chriſto, dicens, quod non eſt ſimilis ipſi aliquis, cum ſit Deus, & cum ſit homo ſimul Deus: ſubdit, magnus es tu, & magnum nomen tuum: quodnam hoc nomen, niſi Jeſus? Magnum quidem eſt hoc nomen, ſicut magnus eſt ipſe Jeſus. Vide quàm magnum; magnum eſt nomen Jeſus fama, & laude in omni populo, ſcilicet in Cœlis, & in terra, ſe extendens ad omne tempus, quia eſt nomen æternum, & in tempore ejus virtus à principio mundi per infinita miracula manifeſtata eſt: magnum item ſe extendens ad omnem locum in Cœlo, & in terra, à ſolis ortu uſque ad occaſum: magnum item, quia Mariæ Nomini extendit, & communicavit ſuam virtutem, cum ſit ſecum, reddens eam nominatiſſimam, & famoſiſſimam, & virtuoſiſſimam. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 9. Luc. c.1. v.31. & 49. & c.2. v.21. & c.9. v.44.*

169. *Timor Dei humiliare facit animam coram ipſo, & ipſum laudare:* unde hic dicitur: *quis non timebit te ô Rex gentium? tuum enim eſt Deus, &c. Luc. c.4. v.36. & cap.8. verſ.25. & 35. & cap.9. v.34.*

170. *Si ergo diceritis eis: Dii, qui Cælos, & terram non fecerunt, pereant de terra, & de iis, quæ ſub Cælo ſunt.* Nota, quòd cum liber Jeremiæ ſcriptus fuerit litteris, & ſermone hebraico, hæc ſupra poſita particula ſolùm conſcripta eſt in caldaicis litteris, & hoc ut Hebræi quando Caldeos corriperent ſuper idololatriam, haberent hanc ſententiam intelligibilem ab eis ad vitandum. *In Thren. prol. & Ugo hic: & ſap. c.14.*

171. *Doctrina Chriſti devotè accepta elevat à terra ad cæleſtia, & extrahit lachrymas à corde, & oculis per compunctionem.*

Unde hic dicitur: *Qui* ſcilicet Deus, *ad vocem ſuam dat multitudinem aquarum in Cælo, & elevat nubes ex extremitatibus terræ fulgura in pluviam facit. & educit ventum de theſauris ſuis:* ſic enim elevat maximos peccatores ad ſtatum ſanctitatis. *Luc.c.6.v.15.*

172. *Scientia mundana ſine divina ſtultum reddit hominem.*

Stultus factus eſt omnis homo à ſcientia. Quomodo ſtultus factus à ſcientia? Nonne ſcientia reddit ſcientem hominem.& ob id ſapientem? quomodo ergo ſi ſapiens eſt, dicitur ſtultus? ſed attende, quòd ſcientia mundana ſapientiam Chriſti deridet & rejicit, ideo ſtultum reddit hominem: ſapientia verò cæleſtis facit cognoſcere veritatem, & omnia alia propter Chriſtum contemnere: ſed proh dolor! quod major pars hominum hanc ſapientiam rejicit, & contemnit pro ſcientia mundana, quæ eſt vana, vulpina, fraudulenta, docens,& ducens hominem ad malum cogitandum, loquendum, & operandum. *Ser.2.de una Virg.Luc.c.8.v.53.*

173. *Idem argumentum denuo expenditur: Ubi de idololatria ſcientiæ mundana.*

Stultus factus eſt omnis homo à ſcientia ſua: Confuſus eſt omnis artifex in ſculptili, quoniam falſum eſt, quod conflavit & non eſt ſpiritus in eis: vana ſunt & opus riſu dignum &c. Vide quomodoſ loquens de ſcientia mundana tranſit Propheta ad declarandam vanitatem Idolorum,& idololatriæ: Ut intelligas, quòd datur non ſolùm Idolum materiale, ſed etiam morale in ſcientiis mundanis: omnis enim error eſt fictio mentis, errorem autem facit phantaſia obnubilans rationem, quæ facit, quod illud, quod non eſt, videatur eſſe, ſicut Idolum: & talia Idola moralia conflantur vel ex improbo uſu inveſtigationis phyloſophicæ per quam effinguntur errores improbi contra fidem, ut eſt ponere mundum ab æterno: Unum intellectum in omnibus, animam mortalem: Vel ex perverſo intellectu ſcripturarum ſacrarum, ut in hæreticis Lævi: Vel ex inordinato affectu carnalitatis humanæ, ut in ſecta Epicureorum &c. O quàm verum eſt, quod ſtultus factus eſt omnis homo ex ſimili ſcienria mundana, & diabolica. *Op. de decem præcept. ſer. 2. & in Eccleſ. proœm.*

174. *Vana ſunt omnia, præter amare, & ſequi Chriſtum in Cruce pænitentia.*

Vana ſunt, & opus riſu dignum in tempore viſitationis ſuæ peribunt &c. Ecce quid concludit Propheta: Vana ſunt omnia opera hominis, quæ ad Chriſtum non diriguntur,ſcilicet præter amare Chriſtum, ipſumque ſequi per Crucem pœnitentiæ. *Luc.c.13.v.5.*

175. *Concupiſcentia in homine innata peſſima plaga, & infirmitas non excitans ad humiliationem.*

Væ mihi ſuper contritione mea, peſſima plaga mea: planè hæc infirmitas mea eſt, & portabo illam &c. Sed quænam eſt hæc plaga, & peſſima infirmitas, faciens dolere, & plangere Prophetam? Nota, quòd ad litteram hæc dicuntur nomine Civitatis Jeruſalem, tum ob multitudinem iniquitatum, tum ob imminentem ruinam: ſed myſticè dicuntur in perſona cujuslibet hominis, qui laborat plaga, & infirmitate peſſima: hæc eſt concupiſcentia, ejuſque fames inclinans perpetuò ipſum ad malum, & ad bonum retrahens: & hæc recordatio deberet ineſſe perpetuò in mente noſtra ad humiliandum animas noſtras coram Deo, & ut vita præſens contemptui habeatur. *In Thren.c.1. Op.ſpec. B. Virg.lect.2.Luc. c.7.v.23.*

176. *Tabernaculum, & Tentorium pulcherrimum eſt Eccleſia, & Religio, ſi vigeat obſervantia præceptorum, & quomodo devaſtatur.*

Tabernaculum meum devaſtatum eſt: omnes funiculi mei dirupti ſunt: filii mei exierunt à me, & non ſubſiſtunt: non eſt qui extendat ultra Tentorium meum, & erigat pelles meas. Nota, quòd per deſcriptionem devaſtationis Civitatis Jeruſalem, explicat ſtatum Eccleſiæ in bonum, & in malum: nam per Tentorium, quod deforis eſt, intelligitur populus, & plebs: per Tabernaculum ordo Prælatorum: Item & vita Clericorum, & Religioſorum; illos autem Chriſtus dum Templi gloria ſublimavit, quaſi Tentorium ad decorem expandit, & dum eos ad cognitionem ſecretorum ſuorum in familiaritatem levavit, quaſi Tabernaculum eos extendit: Iſtos autem ſcilicet Religioſos poſuit veluti peregrinos in mundo, eoſque elevavit ad ſublimitatem perfectionis: Hæc autem Tentoria, & Tabernacula diſſipantur, quando in rebus ſpiritualibus ſola carnalia quæruntur, quando abjecta vita ſpirituali ad carnalitates ſectandas attendunt. *In Thren.c.2.* Et hinc ſubdit: ſtultè egerunt paſtores, & Dominum non quæſierunt, propterea non intellexerunt, & omnis grex eorum diſſipatus eſt, ſcilicet quia dereliquerunt orationem, & laudes Dei, per quas conqueritur Deus, ideo non intellexerunt ſtatum ſuum, & hinc grex diſſipatus eſt. *Pſa.118.c.7.v.3.*

177. *Abſque dono gratiæ Dei homo non poteſt implere divina præcepta, & aliquod bonum meritorium facere.* Unde hic dicitur: *Scio Domine, quia non eſt hominis via ejus*, ſcilicet in ſua naturali poteſtate via ad Deum, nec ut ambulet, ut dirigat greſſus ſuos, nempe per præceptorum impletionem, quod eſt contra dogma peſſimum Pelagii. *l.2.d.28.a.1.q.3.*

178. *Prælati ad imitationem Dei corrigant cum clementia delinquentes.*

Corripe me Domine, verumtamen in judicio, & non in furore tuo, ne fortè ad nihilum redigas me. Hoc dicebat Jeremias, ut populum ſuum inſtrueret qualiter ad Deum confugere deberet: corripe Domine in judicio, & non in furore: ſed quid eſt in judicio, & non in furore? Ideſt cœleſtis legis judicio per temporalem caſtigationem, & non in furore per æternam damnationem: Deus enim ſemper miſcet ſuam miſericordiam cum ſeveritate in puniendo peccatores, ad hoc ut convertantur ad meliorem frugem, & ſi non convertuntur, hoc provenit ex ipſorum obduratione: Diſcant ex hoc modo Prælati, qualiter corrigant ſubditos errantes, ſcilicet non cum ſeveritatis impetu, ſed blandientis animi affectu, ut ſic ad emendationem ſit correctio, non ad deſtructionem. *Opuſc. Eccleſ. Hier. p.4. cap.3.*

CAP. XI.

179. *Qui legem Dei tranſgreditur, maledictionem Dei incurrit.*

AUDITE verba pacti hujus, dicit Dominus: maledictus vir, qui non audierit verba pacti hujus, quod præcepi patribus veſtris. Hæc dixit Deus populo Iſraël per Jeremiam, ne mirarentur ſi calamitates, & deſolationes Deus immittebat ſuper eos, quia ſcilicet tranſgrediendo Dei mandata, maledictionem divinam incurrerunt. Hæc etiam ad nos diriguntur, ut intelligamus quænam ſit origo maledictionis divinæ, ſcilicet peccatum, & ideo pronunciatur, *Maledicti omnes, qui declinant à mandatis Dei,* à Rege Propheta. *Pſal.*118. Ex qua maledictione Dei poſtea gignuntur ſtrages, deſolationes, & innumera mala: Unde maledictio eſt ſuperbia, avaritia, luxuria, ira, &c. *Pſal.*118. *c.*2. *v.*5. *op.ſpec. B.Virg.lect.* 2. *ſapien. cap.*1.

180. *Clericorum, & Religioſorum mala vita quàm Deo abominabilis.*

Quid eſt, quod dilectus meus fecit in domo mea ſcelera multa? Numquid carnes ſanctæ auferent à te malitias tuas, in quibus gloriata es? Quis iſte dilectus? & quomodo dilectus ſi plenus eſt innumeris ſceleribus? Sed attendant hoc Clerici, Sacerdotes, & Religioſi: Iſti enim dicuntur inter cæteros dilecti; ipſis enim quaſi quadam familiari dilectione conceſſit Dominus tractare carnes Sanctas, nempe conficere corpus, & ſanguinem Domini Jeſu, quod nec Angelis datum eſt: Item & tractare, & exercere Sancta miniſteria in domo Dei, ergo verè inter cæteros dilecti, & beneficiis ſummis cumulati. Hinc videns, quod multi ex iſtis perversè vivunt, quaſi admirativè dicit: quid eſt, quod dilectus meus, tam dilectus, tam exaltatus, tam nobilitatus in domo mea, in Eccleſia fecit ſcelera? Templum meum luxuriâ, & comeſſationibus replevit? quid eſt? ſed reſpondet Ezechiel *c.*16. Hæc fuit iniquitas ſodomæ ſororis tuæ, ſuperbia, ſaturitas panis, abundantia, & otium. O grandis iniquitas? verè ſummè Deo exoſa. *ſer.*1. *de Dedicat.*

181. *Sumptio Euchariſtiæ aliis in bonum, aliis in malum eſt: Ubi de effectibus Euchariſtiæ.*

Nunquid carnes ſanctæ auferent à te malitias tuas, in quibus gloriata es? Quænam carnes Sanctæ, niſi caro, & ſanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti? Sanctæ ſunt, quia ſunt ſancti Sanctorum Jeſu Chriſti, & quia ſanctificant manducantem; ſed attende, quòd talis manducatio aliis eſt in bonum, aliis in malum, & ruinam: Nam caro Chriſti habet vim diſpoſitivam ad gratiam, ideo dicitur caro Sancta, & auferens malitiam, quia non ſolùm augmentum gratiæ confert, ſed in multis caſibus etiam vivificationem à peccato mortali per priorem gratiam ſanctificantem: hinc, & habet vim mitigandi fomitem concupiſcentiæ, excitandi, & augendi devotionem, & nutritionem ſpiritualem, amoris divini excitationem, & aliorum plurium affectuum eſt cauſa. E contra indignè ſumentibus multa mala eveniunt, quia nullius opus placet Deo, niſi ipſe placeat operans, ideo magis hominem peccatis illaqueat, in peccato indurat, mentem excæcat, ne rationi ſubjuget, Deum irritat, vitam temporalem breviat, gratuitis ſpoliat, damnationem præparat: Unde malè ſumens hoc Sacramentum, non ſolùm ſibi Chriſtum non incorporat, ſed potius nauſea compellente, talem Chriſtus evomit, velut cadaver putridum beſtiis devorandum, & avibus, cum ſcilicet animam infelicem tradit Sathanæ cruciandam: Et cum hæc ſint certiſſima, quomodo tot ſunt miſeri, maximè Sacerdotes, ſuæ ſaluti tam improvidi, qui Chriſti corpus in Altari veluti carnes pecudum manducant, & involuti, & contaminati abominationibus, manibus ſceleratis, & pollutis labiis contingere non verentur, & oſculari filium Dei, & Mariæ Virginis Unigenitum? ô infelices? nunquid carnes Sanctæ auferent à vobis malitiam? minimè quia Deus eſſet mendax, & ſocius veſter. *Op. de praparis, ad miſſ. c.4. op. Comp. Theol. l.6. c.15. ſer.3. in Vigil. Nativit. ſer.6. in Nativit. l.4. d.10. p.2. a.1. q.3. corp.*

182. *Chriſtus Agnus manſuetus oſtenditur.*

Tu autem demonſtraſti mihi, & cognovi, tunc oſtendiſti mihi ſtudia eorum, & ego quaſi Agnus manſuetus, qui portatur ad victimam. Ad litteram Propheta loquitur de ſeipſo dicens, quòd Deus ipſi revelavit perſecutiones intentandas à Judæis contra ipſum, & quod Deus ipſi patientiam contulit, omnia patienter, ut agnus, tolerandi. Sed hoc fuit figura Chriſti Jeſu, qui omnia conſilia, odia, perſecutiones, & paſſiones futuras prævidit, quibus non obſtantibus, veluti Agnum manſuetum, qui portatur ad victimam ſe oſtendit: Verè Agnus manſuetus fuit Chriſtus: Tum in natura

tura

tura humanitatis aſſumptæ,quia homo eſt animal naturâ manſuetum, ratione diſcretum, naturâ erectum:Tum in converſatione,tum in prædicatione,tum in peccatorum remiſſione,dimiſſioneque,& maximè in paſſione;ideo verè dicitur Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. *Luc. c.6. v.11. Pſal.118.c.5.v.11.ſap.c.8.Dial.Tit.7.cap.2.Ioan.coll.8.*

183. *Chriſtus in tolerando fuit Agnus, ſed in ulciſcendo injuriam divinam ſeverus Iudex.*

Et ego quaſi Agnus manſuetus,&c. Sed ſi ſe profitetur Chriſtus Agnum manſuetum, quomodo poſtea in Templo tam ſeverum ſe oſtendit in ejectione vendentium? Reſpond. quod fuit Agnus manſuetus, quoad ſe,ſcilicet in tolerando injuriam propriam, ſed poſtea in ulciſcendo injuriam divinam fuit Judex ſeverus: hoc addiſcant Prælati,&c. *Luc.c.19.v.45.*

184. *Crucis,& paſſionis Chriſti fructus expenduntur.*

Mittamus lignum in panem ejus, & eradamus eum de terra viventium, &c. Figuratus eſt iſte modus loquendi, qui tamen loquens de Ieremia, ad litteram ex Textu hebræo exponitur ſic: mittamus lignum, ſcilicet toxicatum, & corrumpamus veneno cibum ejus,hoc fuit conſilium perverſum Judæorum, deſiderantium occultè occidere Prophetam: ſed quia hic eſt ſermo propriè de Chriſto etiam ad litteram: Attende, quòd hic eſt figura Hypallage: mittamus lignum in panem, ideſt corpus ejus in lignum ipſum configamus. *Op.expoſ. miſſ. c.4.* Sed cur tali modo utitur? Sed reſpond. hoc factum eſſe, ut innueretur quòd majorem habebat potentiam ille panis in lignum, quàm lignum in panem,& ut oſtenderetur, quòd ſicut arbor ponitur in terra ad hoc,ut fructificet,& non è converſo, ſic Crux in Chriſtum dicitur poſita, ut fructus Crucis ex tali pane, ſeu terra, procrearet; quia Crux à tactu Chriſti effectus mirabiles produxit. *Sic Vgo Card. ad mentem Seraph.Doct. ſer.1.& 2. Invent.S.Crucis.*

185. *Per Crucem procedit anima ad panem Euchariſticum.*

Mittamus lignum in panem ejus, &c. Quomodo lignum in panem poteſt mitti? Quomodo Crux in panem? ſed attende myſterium nobiliſſimum: mittamus lignum in panem: Hæc dixerunt Iudæi ex odio in Chriſtum; hoc nos dicamus ex amore: mittamus lignum in panem, ideſt ordinemus ad Crucem, & paſſionem Chriſti oculos mentis prius habeamus antequam panem manducemus: Datur autem per hoc intelligentia, quòd volens recipere Corpus Chriſti, quod eſt panis vitæ, & maxime ſacerdos volens celebrare miſſam poſt expurgationem conſcientiæ,recolligere debet ſeipſum, & ad Divinam Majeſtatem elevare mentem ſuam, & ad propriam miſeriam vergat, ut ſic videat quàm magnus eſt Dominus, & quàm parvus, vanus, & inutilis eſt ſervus: Intret quantum poteſt in Deum, & cogitet qualis fuit erga nos dilectio Dei noſtri, & cum ignitus fuerit charitate circa dilectum, adaperiat viſcera pietatis,& pro ſe vilificato, afflicto, & læthaliter vulnerato compatiatur, intra ſe omnia iſta vulnera transformet,ac ſi ipſemet eſſet læthaliter vulneratus, & magna Chriſti vulnera, paſſiones & pœnas in Cruce toleratas meditetur: & cum ſic in iſta meditatione cum Chriſto fuerit crucifixus, quia talem meditationem maximè exigit hoc Sacramentum,tunc cogitet, quod illam nobiliſſimam carnem in Crucis Ara immolatam pro nobis dignatus eſt dare in cibum, & ſanguinem ſuum effuſum pro redemptione humani generis de latere ſuo in potum: & ſic hoc ligno, ſcilicet hac meditatione affectus,accedat ad hoc Sacramentum, ſe veſtibus ſacerdotalibus induat, quæ omnes ſignificant Chriſti paſſionem,& virtutes, quibus informatus ſacerdos, miſſam celebret, &c. *Op.de præparat.ad miſſ. celebr. op. expoſit.miſſ.c.1. ſer.4. in Cœna Dom.ſer.1.& 3. Dom.4. quadrag.*

186. *Paſſionis Chriſti meditatio animam mirabiliter reficit.*

Mittamus lignum in panem ejus: Nota etiam quòd per hunc modum loquendi exponitur efficacia meditationis paſſionis Chriſti: *mittamus lignum, &c.* ideſt colligamus lignum Crucis, ut ipſum in panem reficientem conſecremus: ſic mulier illa 3. *Reg.c.17.* duo ligna collegit ad panem faciendum,& præparandum: hæc ligna ſignificant paſſionem, & Crucem Chriſti: hæc colligenda eſt per meditationem, & ideo medicanda per fidem, & devotionem, ut ſic panem faciat ad refectionem animæ: Vide quale bonum: paſſio Chriſti mentem elevat, indicans quid agendum, quid meditandum, quid ſciendum,quid ſentiendum ſit, ad ardua inflammat,affectus regulat in cogitatione,in locutione, in operatione roborat, & ſtabilit mentem contra vana,& caduca,fortificat contra tribulationes, & adverſa, adducit animam in quandam familiaritatem,confidentiam,& amorem ſpecialem Chriſti,ita quod alia vilipendit, & contemnit. *Opuſc. meditat.proœm.ſer.3. Dom.4. quadrag. Opuſc.ſtim. p.1. c.1.*

187. *Fructus ligni Crucis,& paſſionis Chriſti expenduntur.*

Mittamus lignum in panem ejus, &c. Vide, quòd primo loco ponitur lignum, & deinde panis: hoc lignum ſignificat Crucem, & paſſionem Chriſti, ex cujus meditatione panis eruitur: lignum hoc eſt lignum vitæ, quod eſt Chriſtus, cujus origo fuit in utero Virginali ex ſinu Patris,cujus rami ſunt opera per totum curſum vitæ facta, cujus folia, & flores ſunt ipſius virtutes, cujus fructus eſt iſte panis, ſcilicet effectus meditationis vitæ paſſionis, & Crucis Chriſti, qui ſua maxima ſuavitate delectat, & virtuoſitate confortat animam meditantem. *Op. lign. vitæ in præfat.*

188. *Chriſti paſſio in ſalutem credentibus, in damnationem obſtinatis.*

Tu autem Domine Sabaoth.qui judicas juſtè, & probas renes,& corda,videam ultionem tuam ex eis. Nota,hæc ſunt verba Chriſti ad Patrem, in quibus dat intelligere, quòd licèt ejus paſſio fuerit ab ipſo aſſumpta in redemptionem, & ſalutem humani generis, tamen in obſtinatos eſt in pœnam, & damnationem: hoc autem dicit non operando, nec animo vindictæ, ſed permittendo, & imprecando contra obſtinatos. *In Thren. capit.3.*

CAP. XII.

189. IUSTI *Deum amantes aliquando deſperationem, & querimoniam confidencialem faciunt cum Deo etiam cum merito:* Sic Jeremias in principio hujus capitis confidenter dicit cum Deo: *Iuſtus quidem tu es Domine,ſi diſputem tecum verumtamen juſta loquar ad te:* hoc enim eſt ex magna confidentia,quam cum Deo habebat. *Luc.c.14 v.31.& c.15.v.1.*

190. *Humilis ſe elongando à Deo,ad Deum appropinquat: ſuperbi approximando, ſe elongant à Deo.*

Quare via impiorum proſperatur, benè eſt omnibus,qui iniquè agunt,&c. propè es tu ori eorum, & longè à renibus eorum. Quid eſt hoc, quod cum proſperitate impiorum Propheta connectit, quòd Deus eſt prope ori eorum, & longè à renibus? ſi prope eſt ori, ergo & renibus: & quid eſt eſſe prope ori, & longè à renibus? Sed attende ad Myſterium: Ad litteram iſti erant ſacerdotes, quorum officium erat Deum laudare, ſed quia peſſimi erant, ideo ore appropinquabant ſe Deo, corde elongabantur: Dat autem intelligere.quòd ſuperbi & impii hypocritæ videntur ore ſcil. per ſimulatam juſtitiam proximi Deo, ſed per occultam ſuperbiam ſunt longinqui. E contra humiles videntur longinqui, quia ſe indignos exiſtimant,ſed verè ſunt propinqui Deo,& Deus eis prope eſt,ô quanti ſimiles ſunt illi Phariſæo, qui ſe juſtum prædicabat, & Dei amicum, ſed verè inimicus erat: Sic & Iudas ore appropinquavit ſe Chriſto, ſed corde ipſum tradidit: ſic & qui Deum ore laudant in Eccleſia, ſed verè inimici ſunt, malè vivendo. *Luc.c.7.v.6.& c.15.v 1.ſer.3. de S.Mar. Magdal.in addit.* Et hinc ſubdit Propheta, quod licèt exterius proſperati fuerint iſti impii,tamen poſtea Deus eos congregavit ad victimam,quia ſubjecti iræ Dei fuerunt omnes occiſi,& maxime in obſidione facta à Romanis, in qua omnes Chriſtiani ſalvati ſunt. *Luc. c.21. v.21.*

191. *Impii proſperantur in malum: Iuſti probantur tribulatione in bonum.*

Quare via impiorum proſperatur, &c. Ecce diſcrimen juſtorum, & impiorum: nam impii proſperantur quidem in hac vita, ſed tamen in malum, nam eis ſupervenit ſempiternus interitus. Iuſti è contra probantur ſicut aurum igne tribulationis in hac vita, ut poſtea mundati, coronentur in alia. *Ecclen.c.7.& 8.op. Diat.Tit.7. capit.5.*

192. *Terra,& elementa ob pondus, & malignitatem peccatorum noſtrorum lugent, gemunt, & ſterleſcunt, & armantur contra peccatores.*

Vſquequo lugebit terra, & herba omnis regionis ſiccabitur propter malitiam habitantium in ea? conſumptum eſt animal,& volucre. Quid eſt hoc,quod dicit Propheta? ergone terra lugere poteſt? ergone vitam animamque habet? Sed transfer mentem ad verba Apoſtoli 8.*ad Rom. omnis creatura ingemiſcit, & parturit uſque adhuc:* quæ verba maximam difficultatem etiam ingerunt, cum ſit certum, quod gemitus eſt actus liberi arbitrii remurmurantis de malo, & dictantis bonum. *l.4. d.14 p.1.q.1.ad prim.*Quomodo ergo omnis creatura etiam inſenſata ingemiſcit? At hæc eſt figurata locutio,indicans qualitatem peccati, & ejus effectus, non ſolùm inficientes, & devaſtantes animam, ſed redundantes etiam in corpus, & in agros,& in elementa: Ideo dicitur terra lugere ob ſterilitatem cauſatam ex peccatis,ſic & de cæteris creaturis: Ex peccato enim proveniunt tot ſiccitates, ariditates, tempeſtates, bella, ſeditiones, ſubverſiones, inundationes, & infinita mala: ſic Sancti Expoſitores conformiter ad ſenſum Seraphici Doctor.*Ser.4.de Dedicat.l.4. d.47. a.2.q.3.ad arg.l.2.d.30.a.1.q.2.ad arg.& d.32.a.1. q 1.op.de decem præcep ſer.2.& ſer.3. Dom.5. Pent. ſer.4.Dom.11.Pent.* Quibus ſic ſtantibus, mirum non eſt, ſi tot flagella inundant in nos; quod elementa prævertantur, nec ſuam virtutem exerceant in profectum,ſed potius ad noſtram ruinam machinent: ſunt enim omnia iſta gemitus creaturarum, in quos, ob pondus ſcelerum noſtrorum prorumpunt, &c. Hoc etiam fuit aliquando demonſtratum B. Mariæ de Ognis, quæ vidit omnes iſtas creaturas gementes, ob pondus, & infectionem peccatorum hominum: gemitus ſcilicet in terra, ob terræ motus: in Aere, ob tempeſtates: in Aqua, ob inundationes: in Cœlo, ob fulmina, & tonitrua, & cometas, & ſic de aliis.

193. *Chriſti amor in Incarnatione & morte nobis oſtenſus expenditur.*

Reliqui domum meam,dimiſi hæreditatem meam, dedi dilectam animam meam in manibus inimicorum. Nota,quod hæc ſunt verba Chriſti, quibus oſtendit quantum dilexerit hominem; cum enim totus mundus ſententiâ Patris damnatus eſſet, Filius ſe fecit fidejuſſorem pro nobis, & ob id de domo ſua ſcilicet è Cœlo deſcendit, carnem noſtram

noſtram ſumpſit, relinquendo Angelos in Cœlo, & pro ſatisfaciendo Patri pro nobis, dedit animam, vitamque ſuam in mortem, ſcilicet non in manus amicorum, ſed inimicorum crudelium, ſed in morte diuturnitate prolixa, amaritudine dira, & ignominioſitate opprobrioſa: quod cum ſit veriſſimum, ecce quod Chriſtus in medium proponit tantam dilectionem, ut nos excitet ad amandum ipſum, nec enim aliud exigit à nobis: quis igitur iam ingratus, qui tanto Benefactori non reſpondeat? *Ser. 3. Dom. 1. poſt oct. Paſcha. ſer. 9. de Apoſtol. Luc. c. 19. v. 28. Ioan. collat. 50.*

194. *Chriſti doloris vehementia expenditur, quando ab anima per peccatum ejicitur.*

Reliqui domum meam, dimiſi hæreditatem meam, &c. dedi animam, &c. Nota, quòd hæc verba ſunt in perſona Chriſti prolata, quibus dolor vehemens exprimitur, quando ab anima per peccatum mortale ejicitur è domo ſua, privatur hæreditate, quam ſanguine ſuo acquiſivit, & cogitur tradere animam ſuam, ſcilicet hominis peccatoris in manus diaboli: ô qualis dolor, qualis miſeria lachrymis inceſſanter deflenda! *Op. ſpec. B. Virg. lect. 7.*

195. *Religioſus imitator Chriſti poteſt dicere: Reliqui domum meam, dimiſi hæreditatem meam, tradidi animam dilectam in manus inimicorum*; relinquendo cupiditatem, & carnalitatem, ſcilicet ſubjecit eam pœnis, & jejuniis dicente Chriſto: *qui non reliquerit domum, vel fratres, &c. & qui non odit, &c. animam, &c.* Non tales ſunt illi, qui curioſitate ducti, inter ſæculares habitare non ceſſant: Tales non attendunt, quod dictum eſt Abrahæ: egredere de terra tua, &c. *Luc. c. 9. v. 61. & c. 18. v. 29.*

196. *Crudelitas, & clamores Iudæorum in Chriſtum expenduntur.*

Facta eſt mihi hæreditas mea quaſi leo in ſilva, dedit contra me vocem, ideo odivi eam. Hæc prædixit Propheta in perſona Chriſti, contra quem Judæorum crudelitas, in factis ipſum Chriſtum trahendo ad paſſionem crudeliſſimam, & blaſphemia in ore clamantium: crucifige, crucifige hic in medium producuntur. *Luc. c. 23. v. 21.*

197. *Chriſtianus, & Religioſus pluribus coloribus indutus Deo abominabilis.*

Nunquid avis diſcolor hæreditas mea mihi? nunquid avis tincta per totum? venite, congregamini omnes beſtiæ terræ properate ad devorandum. Quid eſt hoc, quod intendit Spiritus Sanctus in hac metaphora, comparans populum Judaicum avi habenti diverſos colores? Sed attende ad id, quod *in Deuter. c. 22. præcepit.* Non indueris veſtimento, quod ex lana, & lino contextum eſt: per quod datur intelligi, quòd Deus nolebat in ſuo populo homines indutos ex diverſis materiis, & coloribus, ſcilicet, qui exterius eſſent benè ornati, oſtendentes ſanctitatem exteriorem, ſed interius foventes impietatem, & hypocriſim: hos enim Deus odit, hos relinquit Deus in manus inimicorum. Diſcant ex hoc Religioſi; quod Deus abhorret illos, qui exterius ſimulant ſanctitatem, æſtimantes nimis ceremonias exteriores, ſed poſtea interius pleni ſunt immunditia, & iniquitate; inobedientes; &c. Diſcant & illi Religioſi, qui nimis exterius exculti veſtibus pretioſis religioſo indignis induti incedunt: hos enim Deus deſerit; & in manus hoſtium infernalium permittit; & relinquit. *Luc. cap. 5 verſ. 36. & Expoſitores communiter.*

198. *Eccleſia, & anima eſt vinea Domini.*

Paſtores multi demoliti ſunt vineam meam, conculcaverunt partem meam, dederunt portionem deſiderabilem in deſertum, poſuerunt eam in diſſipationem, &c. Nota illud verbum, Vineam meam: quænam eſt hæc vinea Domini, niſi Eccleſia? Dicitur autem vinea Domini, ſcilicet Jeſu Chriſti, quia ipſe plantavit eam ſuo ſanguine, eam munivit ſepe, nempe, Angelorum cuſtodia; locavit eam agricolis, ſcilicet Epiſcopis, & ſacerdotibus, qui eam colerent verbo, & exemplo, & vitæ ſanctitate. Et quia etiam anima intelligitur in hac vinea, hanc unicuique etiam locavit, ut unuſquiſque ipſam excoleret per ſanctam diſciplinam, & exercitium virtutum, ut vinum compunctionis, compaſſionis, devotionis, & gratiæ Spiritus Sancti extrahatur, & iſta ſunt hæreditas, pars, & portio, quam exigit continuè Chriſtus à cultoribus vineæ: & ideo væ illis, qui loco uvæ, & vini colligunt ſpinas peccatorum, ipſam vineam ſuffocantes ſub cæno vitiorum. *Luc. c. 10. v. 8. ſeq. ſer. in Dom. 5. Epiph. ſer. 4. Dom. 19. Pent. Pſal. 118. c. 4. v. 9.*

199. *Eccleſiæ profectus, & ruina ex Paſtoribus bonis, vel malis provenit.*

Paſtores multi demoliti ſunt vineam meam, conculcaverunt partem meam, &c. Nota, quòd dicit Paſtores multi, non dicit omnes, quia inter colonos vineæ, qui ſunt Paſtores gregis Domini, alii ſunt boni, alii mali, ex illis provenit omne bonum Eccleſiæ, & animarum, ex iſtis omne malum, & ruina: Paſtoris autem mali malignitas maximè in tribus conſiſtit, ſcilicet in intrando illegitimè, ideſt non per Chriſtum, & in alienum uſurpando, nempe redditus Eccleſiæ malè expendendo; & in mactando, nempe peſtilentioſo dogmate, pernitioſo exemplo, perverſo imperio, & doctrinam debitam ſubtrahendo: ô quot mala ex talibus Paſtoribus impiis, quia propter ipſorum malam vitam, ait ſacer Textus, *deſolatione deſolata eſt omnis terra:* Paſtores verò boni ſunt, qui per Chriſtum legitimè ingrediuntur, qui doctrinam Dei annunciant, qui per vias juſtitiæ oves ducunt ad Chriſtum, qui ſuos ſubditos vitæ, & exemplorum perfectione præcedunt: ô felix vinea tali Paſtore exculta, &c. *Ioan. c. 10. v. 3. ſeq. Pſal. 118. v. 176. op. Phar. l. 1. c. 11. ſeq. & l. 4. c. 35.*

200. *Propter peccata noſtra, ubi ſeminatur frumentum, ſæpe gignuntur ſpinæ, & cardui.*

Seminaverunt triticum, & ſpinas meſſuerunt, hæreditatem acceperunt, & non eis proderit: confundemini à fructibus veſtris, propter iram furoris Domini. O utinam attenderent ad hæc verba, & ad id, quod accidit impiis Iudæis, mortales, quia eadem accidentia eveniunt quotidie hominibus peccatoribus. Iuſto enim Dei judicio factum eſt, quòd Iudæi ubi ſeminaverunt frumentum, ſpinas collegerunt, quod hæreditates pingues eis relictæ à majoribus nihil eis profuerunt, & in locis, ubi abundantiã frugum reportaverunt, eis non profuit, niſi ad majorem confuſionem, & ruinam: & per hoc datur nobis intelligentia, quod licèt homine ſtante, etiam terra germinaſſet ſpinas, & tribulos in locis deſertis ad ornatum mundi, tamen divina maledictione ſupervenienie ob peccatum hominis, factum eſt, ut ſæpe ubi ſeminatum eſt frumentum, ſpinæ, & tribuli germinentur in pœnam peccatorum noſtrorum, & ex maledictione terræ, quæ cum colitur, ut det fructum, unde homo ſuſtentetur potius producit, unde crucietur, *l.2.d.14.p.2.dub.2.* Et propterea addit. *Hæreditatem acceperunt, & eis non proderit, & confundemini à fructibus veſtris propter iram furoris Domini,* ideſt propter ultiones judicium Iudicis metuendi, ſcilicet propter peccata veſtra, ubi ſperatis pacem, gaudium, & proſperitatem, pœnam potius ſubibitis, & confuſionem, ó quàm verum hoc, quia bona fundata in Dei offenſa nihil boni poſſunt producere, *Pſal.118.c.1.v.6.*

201. *Qui in ſchola adverſitatis à Deo immiſſa proficit, à Deo ipſo plurima bona conſequitur.*

Cum evulſero eos, convertar, & miſerebor eorum, &c. & ſi eruditi didicerint vias populi mei, &c. ædificabuntur in medio populi mei. Nota illud verbum, *& ſi eruditi didicerint vias meas, &c.* In qua ſchola erudiendi erant? Sed attende ad antecedentia, in quibus comminatur Judæis flagella graviſſima, ſicque prætendebat eos ducere in ſcholam tribulationum, & pœnalitatum, ut ibi eruditi, dirigerent vias ſuas in obſervantiam mandatorum Dei; ſicque eis promittit ſuam benedictionem, & tali pacto tractat ſuos; erudit enim nos per flagella, docens, quòd propter peccata veniunt flagella, & qui ad hanc lectionem proficit, convertitur ad pœnitentiam, & à Deo benedicitur in hac vita: & tandem in alia ædificatur, & coronatur. *l.4.d.15.p.2. dub.2. opuſc. Phar.l.4.c.48.op.de reform.mentis c.22.op. de perfect.religioſ.l.2.c.22.*

CAP. XIII.

202. *Opera pœnitentialia abſcondenda in Vulneribus Crucifixi Ieſu.*

VADE, & poſſide tibi lumbare lineum, & pone illud ſuper lumbos tuos, &c. & ait Dominus: Vade ad Euphratem, & abſconde illud in foramine petræ. Nota ad litteram, quòd Deus præcepit Prophetæ, ut ſibi provideret pannum lineum, quod appellatur lumbare, vel linteus, &c. & ſuper lumbos ſuos collocaret, & deinde, ut ipſum abſconderet in foramine petræ in flumine Euphrate. Et hoc facto voluit ſignificare, quòd opera bona ſignificata in illo linteo, debent reponi, & abſcondi in foramine petræ, ſcilicet in Uulneribus Chriſti, ſed hoc in Euphrate, quòd ſignificat diſpenſationem Sacramentorum: Datque nobis intelligere, quod opera pœnitentialia unita Uulneribus Chriſti, mediantibus Sacramentis, ipſe Chriſtus exigit à nobis ad mundandam animam, & ipſam replendam bonis ſpiritualibus. *Sic ex S. Doctor. ſparſim l.1. prol.& ſer. 2. Dom.2. poſt oct. Epiph. ſer.4. in oct.Paſchæ:* Quia per linteum de lino, quod multo labore paratur, ſignificatur pœnitentia digna, & perfecta, &c.

203. *Eccleſia plorat captivitatem ſuorum factam à diabolo, invitans ſuos miniſtros ad ipſorum liberationem.*

Plorans plorabit, & deducet oculus meus lachrymam, quia captus eſt grex Domini. Nota, quod hæc ſunt verba Prophetæ, & magis Sanctæ Matris Eccleſiæ plorantis captivitatem tot filiorum factam à diabolo: Ipſe enim ſuis dentibus, ſcilicet per detractiones, contentiones, perditiones, blaſphemias, perjuria, mendacia, & verba luxurioſa ſuorum miniſtrorum infinitos capit, & ligat, & ad perditionem ducit: & per hoc invitat eadem Eccleſia ſuos miniſtros ad plorandam tantam miſeriam, eos excitans ad liberandum ipſos captivos. *Ser.3.Dom.4.Pent.ſer.1.de S.Mar. Magdal. in addit.*

204. *Reges, Principes, & Prælati invitantur ad humiliationem ſui.*

Dic Regi, & Dominatrici: Regi, ſcilicet Iſraël, & Reginæ, dic eis, humiliamini, ſedete, quoniam deſcendit de capite veſtro corona gloriæ veſtræ. Sed quid eſt, quod Deus prætendit à Regibus, dum eis præcipit, ut cum humiliatione ſedeant? quid eſt, quod per ſeſſionem ſignificatur? Sed nota quòd ad humiliationem excitandam, vult, ut ſedeant, ſcilicet in terra: vult, ut conſiderent ſuas culpas, & vilitatem contractam ex culpis, ibique ſedeant, & morentur, ut ad pœnitentiam excitentur, & ne vanè glorientur ex ſublimitate prælaturæ, quia eorum corona fragilis eſt, & facile amitti poteſt: *Luc.c.10.v.13.*

205. *Corona, & celſitudo mundana, quàm vana, & inſtabilis.*

Dic Regi, & Dominatrici: humiliamini, ſedete; quoniam deſcendit de capite veſtro corona gloriæ veſtra. Quæ eſt iſta corona, niſi celſitudo, & corona mundana, quæ eſt vaniſſima & inſtabilis: Dicit enim, *quia deſcendit de capite*: quaſi dicat: hæc eſt corona, qua quis pingitur coronatus in rota fortunæ, nam quia rota ſemper volvitur, nec ad momentum ſtare permittitur, dum ad ſummum pervenit, deſcendere cogitur: Unde in hac rota ſedens in ſummo dicit: Glorior elatus, deſcendo mortificatus: & alius in imo exiſtens dicit: Infimus ecce præmor, rurſus ad aſtra vehor: & eſt ratio, quare nec in proſperis gaudendum, nec in adverſis deſperandum eſt: & hinc Salomon, *Eccleſ.c.10. vidit ſervos ambulantes in equis, & Dominos ſuper terram*, & hoc ob inſtabilitatem fortunæ, ideo ſub hac rota humiliandum. *Ser.2. de S. Barthol.*

206. *Prælati ſint veluti Cœli dimenſivi omnium motuum inferiorum, & ideo de his motibus reddituri ſunt rationem coram Deo.*

Levate oculos veſtros, & videte, qui venitis ab Aquilone: ubi eſt grex, qui datus eſt tibi, pecus inclytum tuum? quid dices, cum viſitaverit te? tu enim docuiſti eos adverſum te. Ad quid dicitur Prælatis, *Levate oculos veſtros? levate oculos veſtros, ait Dominus, ad Cœlum, & videte*: quid? videte, quòd ſicut Cœlum eſt omnium motuum inferiorum dimenſivum, eſt enim principium omnis temporis, & motuum: ſic vos ô Prælati: ſic veſtra auctoritas, & juriſdictio, regula eſt, & menſura ſubditorum: nam juxta ordinatum motum voluntatis ſuperiorum, moveri debent corda, & voluntates ſubditorum: Ipſorum enim eſt officium, ſubditorum corda diſcutere, & de ſingulorum factis rationem & computum exigere, quia de iſtis rationem reddituri ſunt, & eis in judicio dicetur: Ubi eſt grex, qui datus eſt tibi, pecus inclytum tuum? & quale judicium, quàm diſtrictum ſubibit Prælatus malus! quid dices, (ait Propheta) cum viſitaverit te, ſcilicet non ſolùm ſuper animam tuam; ſed ſuper alias curæ tuæ commiſſas? quid dices cum Iudex invenerit, quod tu docuiſti tuos ſubditos adverſum te, & erudiſti in caput tuum, quod tuum regimen, quod tua mala exempla redundabunt in damnationem tuam? *Op. Eccleſ. Hier. p.4.c.3. Luc.c.2.v.8. & c.12. v.48. Sap.c.6.*

207. *Conſuetudinarii converſio quàm difficilis.*

Si mutare poteſt Ethiops pellem ſuam, aut Pardus varietates ſuas, & vos poteritis bene facere, cum didiſceritis malum. Notanda ſunt diligenter hæc verba, quibus dat Spiritus Sanctus intelligere difficultatem converſionis conſuetudinarii, & obſtinati inveterati in peccatis, exemplo Ethiopis, & Pardi, qui ſine decorticatione non valent mutare pellem; & advertenter loquitur de iis, qui didicerunt malum, ſcilicet qui à juventute cœperunt, & in ſchola diaboli proſecuti ſunt iniqua opera: Unde eſt proverbium; quòd nova teſta capit, inveterata ſapit: non quòd iſtorum converſio ſit impoſſibilis. *l.1.d 48. a.2.q.1. ad 5.* Sed quia eſt valde difficilis, ideò tales indigent Dei gratiâ efficaci, & maxima violentia contra vitia in ſe ipſis, ut cum didicerint malum, diſcant ex oppoſito, bonum. *Serm.2. in Dedicat. Ioan. cap.12. verſ.41* & Ugo hic.

CAP. XIV.

208. *Cauſa ruinæ ſubditorum eſt mala vita Prælatorum.*

HOC QUE accidit ad litteram in populo Judaico, unde hic dicitur: *Luxit Iudæa, & Portæ ejus*, ſcilicet Prælati *corruerunt, & obſcuratæ in terra, & clamor Ieruſalem aſcendit, &c. majores miſerunt minores ad aquam, venerunt, & non invenerunt, &c.* Myſticè aſſignat ruinæ Eccleſiæ cauſam, quæ eſt ruina, & mala vita Prælatorum, qui ſunt portæ, per quas intrant ſubditi ad benefaciendum, & ideò de portis vitæ, fiunt portæ Inferni, quia portæ in eis ſenſuum à legibus diſciplinæ non ſunt reſtricti, ſed illecebris famulantur. *In Thren. c.1.* Nota autem, quòd dicit clamor Ieruſalem aſcendit: quis iſte clamor? clamor ſubditorum, clamor peccatorum, qui ob delictum quod Prælati committunt aſcendit ad Deum, invocans, & attrahens flagella è Cœlo. *Pſal. 37. & 137. & 140. Luc.c.17.v.28. & 29* Ad confirmationem autem hujus argumenti ſubdit: *Et onagri ſteterunt in rupibus, traxerunt ventum quaſi dracones, defecerunt oculi eorum, quia non erat herba:* Onagri ſunt ſubditi, qui deficiunt ob defectum viridis herbæ, ſcilicet exemplorum bonorum Prælatorum. *Pſal.118.c.8.v.11.*

209. *Avarus onager, & veluti draco paſcens ſe vento.*

Et onagri ſteterunt in rupibus: traxerunt ventum quaſi dracones: defecerunt oculi eorum, quia non erat herba. Quid eſt, quod onagri trahunt ventum ſicut dracones? ergone ſe paſcunt vento, & non potius herba? Sed attende ad myſterium: onagri iſti ſunt Aſini ſilveſtres, ſignificantque avaros, qui verè Aſini ſilveſtres ſunt, ſemper onerati cupiditate, & divitiis: iſti ſe paſcunt vento ſicut dracones: draco enim eſt animal ſiti horridum, in tantum, ut vix poſſit aqua ſatiari, & ideo vento os aperit, ut ſic ſitim extinguere valeat, quare cum navem in mari viderit, & ventum maximum circa navis velum adverſare, tanto impetu illuc vadit, quod ſæpe navem ſubvertit, & tamen draco nihil proficit, cum ardorem nullo vento unquam extinguere poſſit: ſic avarus cum ſiti cupiditatis torqueatur, nec poſſit eam extinguere, currit ad ventum, ſcilicet ad iſta tranſitoria, quæ ſunt veluti ventus, & mendacium, & non attendit, quod quanto plura acquirit, tanto plura appetit, & vacuum

ſtibundum ſe eſſe magis invenit, & cum hoc ſit veriſſimum, tamen nunquam ceſſant iſti ſtulti à tanta inſania. *Ser. de SS. Petro, & Paulo.*

210. *Nomen Ieſus quantum valeat contra peccata.*

Si iniquitates noſtræ reſponderint nobis: Domine fac propter nomen tuum, &c. Vult dicere Propheta: *ſi iniquitates noſtræ reſponderint nobis*, ſcilicet per pœnam, & afflictiones, ad Deum recurre, & dic: *Domine fac propter nomen tuum, &c.* Sed cur propter nomen ſuum, & non potius propter miſericordiam ſuam? Propter nomen ſuum, nempe propter nomen Ieſus, quia propter hoc nomen ſaluriferum, & potentiſſimum veniam impetrat homo peccatorum ſuorum, ſi tamen cum invocatione hujus nominis comitetur circumciſio, ſcilicet pœnitentia, & dolor peccatorum: quid enim eſt Ieſus, niſi ſalvator: ergo dic: Domine Ieſu propter nomen tuum propitiare peccato meo, & ſalva me: noli attendere Domine Ieſu ſic malum noſtrum, ut obliviſcaris bonum tuum. *Sermon. 4. in Circumciſ.*

211. *Chriſtus velut peregrinus, & pauper venit in mundum.*

Expectatio Iſraël ſalvator ejus in tempore tribulationis: quare quaſi colonus in terra, & quaſi viator declinans ad manendum? quare futurus es velut vir vagus, ut fortis, qui non poteſt ſalvare? &c. Nota, quòd hic textus ad litteram loquitur de Chriſto, eſtque potens contra ſenſum Iudæorum credentium meſſiam venturum in majeſtate, potentia, & gloria magnificum exterius, contra quos hic patenter Propheta dicit, Chriſtum venturum, ſicuti de facto venit, pauperem, humilem, ſicut colonum, & peregrinum non habentem ubi reclinaret caput, & ideo in ejus Nativitate ſe collegit in ſpelunca, non habens locum in diverſorio. *Luc. c. 2. v. 8. & c. 19. v. 5.*

212. *Chriſti ſequaces, maximè Prædicatores, non curſitent de domo in domum*; ſed maneant ſemoti à ſæcularibus, ne de ipſis dicatur, quod hic de populo Iſraël conqueritur Propheta: *Hæc dicit Dominus populo huic, qui dilexit movere pedes, nempe curſitare per domos, & non quievit, & Domino non placuit. Luc. capit. 9. verſ. 4.*

213. *Sanctorum preces quanti valeant apud Deum: & dixit Dominus ad me: noli orare pro populo iſto in bonum*: de quo vide ſupra *ad cap. 7. n. 16.*

214. *Iuſtitia Sanctiſſimæ Trinitatis indeclinabilis eſt contra peccatores obſtinatos.*

Gladio, fame, & peſte conſummam eos ait. Dominus, & dixi a, a, a Domine Deus: Prophetæ dicunt eis: non videbitis gladium, *& fames non erit in vobis, &c.* Ecce quid minatur Deus obſtinatis, nempe bellum, famem, & peſtem, ſuper quod tripliciter gemit Propheta, & quilibet Iuſtus, alludens ad juſtitiam indeclinabilem Sanctiſſimæ Trinitatis ſuper obſtinatos i *A*, ſcilicet juſtiſſime Pater Deus: *A*, juſtiſſime Fili Deus: *A*, juſtiſſime Spiritus Sancte Deus tua juſtitia indeclinabilis eſt, licet falſi conſolatores falſam ſpem ingerant impiis. *Ser. 3. Dom. Trinit.* Et hinc patet diſcrimen inter veros Prædicatores, & falſos: nam illi cum Ieremia deplorant, & ſimul minantur ruinas imminentes propter peccata: iſti falſam ſpem promittunt, per quod impii non excitantur ad pœnitentiam. *Sermon. 5. Dom. 2. Adven.*

215. *Ad extinguendum ignem iræ divinæ lachrymæ ſunt à Deo ordinatæ.*

Deducant oculi mei lachrymam per noctem, & diem, & non taceant, &c. Vide, quod Ieremias pro extremo remedio tot malorum, quæ à Deo comminata ſunt belli, famis, & peſtis, ad lachrymas recurrit: iſtæ enim ſunt remedium efficax pro impetratione curationis omnium vulnerum animæ, & placationis divinæ. *Pſal. 118. c. 9. v. 8.*

216. *Pœnitentia vera qualem pacem, & ſanitatem animæ affert: quibus effectibus caret pœnitentia falſa.*

Quare ergo percuſſiſti nos, ita ut nulla ſit ſanitas? expectavimus pacem, & non eſt bonum, & tempus curationis, & ecce tribulatio. Vide quale diſcrimen inter pœnitentiam falſam, & veram: Iſti Iudæi ad Deum confugerunt, ut ipſe ſanaret eorum vulnera, ut pacem eis concederet, ut à tot malis, quibus torquebantur, liberarentur, & tamen fruſtra ad Deum confugerunt: cur hoc? quia eorum pœnitentia erat falſa: Nam quando pœnitentia eſt vera, non ſolùm malum culpæ, ſed & miſeriæ, & gehennæ declinatur; eſt enim medicamentum efficax ad medendum, & ſanandum omnia vulnera animæ, ad pacem fovendam cum Deo, & proximo, & ad omne bonum gratiæ acquirendum. *Ser. 5. Dom. 3. poſt Pent. ſer. 3. Dom. 12. Pent. Pſ. 118. c. 6. v. 15.*

217. *Peccator ad obtinendam veniam, & Deum placandum, recurrat ad Mariam, ut ad Mediatricem apud Deum.*

Cognovimus Domine impietates noſtras, &c. ne des nos in opprobrium propter nomen tuum, &c. ſolii gloriæ tuæ recordare, ne irritum facias fœdus tuum nobiſcum, &c. Mirum eſt quomodo Propheta in perſona pœnitentium petentium veniam peccatorum à Deo inter alia motiva ad impetrandam dictam veniam interſerit recordat o ſolii gloriæ ſuæ: quodnam eſt hoc ſolium tam efficax, ad cujus aſpectum moveri habet ad pietatem? ſed attende ad id, quod alias dixerat Iſaias, *c. 16.* Præparabitur in miſericordia ſolium ejus, & ſedebit ſuper illud in virtute, alludens ad Mariam Virginem, quæ verè ſolium eſt miſericordiæ, in quo omnes inveniunt ſolatia pietatis: & ideo meritò pœnitens, cupiens veniam peccatorum, &

Dei

Dei placationem invenire interponit ad ſuam precem hoc ſolium gloriæ Dei, ut in ipſam reſpiciens Deus moveatur ad miſericordiam. *Op.ſpec: B.Virg.lect.2. & 5. & 9. & alibi ſparſim in eodem opuſculo.*

218. *In Throno miſericordiæ ſedet Deus in ſede glorioſa.*

Recordare ſolii gloriæ tuæ. Quodnam eſt hoc ſolium gloriæ Dei? hoc eſt ejus miſericordia, in qua reſidet in Throno glorioſo:non dicitur autem reſidere in Throno juſtitiæ, quia miſericordia eſt ejus proprium, & totum provenit ab ejus bonitate: juſtitia verò præſupponit noſtram iniquitatem. *Op.Eccleſ. Hier.p.1.c.4.l.1. d.47. dub.1. op.Comp.Theol.l.1.c.34.*

CAP. XV.

219. *Qui à Deo ejicitur, & Deum relinquit incidit in mortem, gladium, peſtilentiam, & omnia mala.*

ET *dixit Dominus ad me: ſi ſteterit Moyſes, & Samuel ante faciem meam, non eſt anima mea ad eos.* Emitte populum iſtum,ejice illos à facie mea,& egrediantur: quò egrediemur? qui ad mortem,ad mortem, & qui ad gladium, ad gladium; & qui ad famem, ad famem; & qui ad captivitatem, ad captivitatem, & viſitabo ſuper eos quatuor ſpecies, &c. Hîc prædicit Propheta ſtragem imminentem populi Judaici, & ante ipſam præponit ejectionem ejus à facie Dei, quia amiſſo Deo,omnes ſtrages, & omnia mala conſequi neceſſe eſt: ſic & accidit omnibus peccatoribus, qui propter temporalia, Deum deſerunt: iſti ex conſequenti incidunt in mala omnia. *In Thren c.1.* Nota autem, quòd per mortem myſticè ſacri Expoſitores intelligunt luxuriam, quæ reddit hominem in corpore, & anima fœtidum,& abominabile ut mors:per gladium, ſuperbiam:per famem,avaritiam:per captivitatem,accidiam,quæ captivat hominem.

220. *In hac vita Deus purgat ſuos ventilabro tribulationis, & ſeparat à malis: & in judicio electos ſeparabit à reprobis.*

Et diſpergam eos ventilabro,in portis terræ interfeci,& diſperdidi, & tamen à viis ſuis non ſunt reverſi. Nota,quòd ventilabrum eſt inſtrumentum, quo purgantur frumenta à ſcoriis: hoc ventilabro utitur in hac vita, ſcilicet juſtitia ſua, & tribulationibus, per quas decernuntur electi, & præſciti: & in judicio ſua judiciaria poteſtate ſeparabit electos à præſcitis,in portis terræ, ſcilicet in judicio, illos in Cuneum Cœli collocandos,iſtos in cloacam Inferni. *Luc.c.3.v.17.*

221. *Vidua alia in bonum, alia in malum.*

Multiplicata mihi ſunt viduæ ejus ſuper arenam maris,&c. Nota, quòd in Sacra ſcriptura vidua ſumitur in bonum, & in malum: In bonum dicitur illa anima, quæ verè vidua eſt, inſtans obſecrationibus,jejuniiſque die, ac nocte:In malum,quæ viduata eſt, & privata Deo. *Luc.c.2.v.37. & c.18.v.2.* Nota etiam,quod multæ mulieres remanent viduæ, & privatæ ſuis viris ob peccata, vel virorum, vel mulierum, ut evenit in populo Iſraël tempore Ieremiæ. *Luc.c.v.25.*

222. *Infelicitas benè & fervidè incipientibus Dei ſervitium, & poſtea non perſeverantibus.*

Infirmata eſt, quæ peperit ſeptem: deficit anima ejus: occidit ei ſol, cum adhuc dies eſſet, confuſa eſt, & erubuit, &c. Nota; hæc ad litteram dicuntur de ſynagoga, quæ prius fervida Deo ſerviebat, & veluti mulier fœcunda pariebat, & multiplicabat opera ſancta, ſed poſtea quando Chriſtus verus ſol apparuit, ut meridiem, & lucidam diem ei faceret, Deum reliquit, & ipſa obcæcata remanſit. Myſticè loquitur de illis, qui perfecto corde incipiunt Deo ſervire, multiplicantes opera ſancta, ſed paulatim fervore deficiente in tepiditatem, & tandem in omnimodam frigiditatem,cadunt, ſicque privantur vita gratiæ, & quando erat dies, vel meridies, in quo radios bonorum operum debebant emittere,inducuntur, & reducuntur in confuſionem, & tandem in æternam damnationem, ſicque gradatim ad tantam ruinam perveniunt. *Pſal.118.c..v.9.* Nota etiam, quòd hoc applicatur Prædicatoribus, qui fervidi ſunt in convertendo peccatores, & pariendo Eccleſiæ filios,ſed ſibi ipſis infirmi,tepidi, & frigidi ſunt, carentes Spiritu Dei, & vita gratiæ: iſtis enim occidit ſol ſalutis,dum adhuc dies erat aliis. *Sic Vgo Card.*

223. *Multis occidit ſol in meridie per mortem improviſam.*

Occidit ei ſol,cum adhuc eſſet dies. O quantis hoc accidit! ſed quomodo occidit ſol, dum adhuc dies eſt? vel ut dicitur in Amos c. 8. Dum eſt meridies: occidit ſol, ſcilicet venit mors improviſa homini ſicut fur, quando minimè homo putabat, quando minimè diſpoſuit, quando adhuc diutius vivere ſperabat,quando adhuc multa agere cogitabat, tunc enim occidit ei ſol, cum adhuc dies eſſet: ſcilicet in ſpe: ô qualis infelicitas talium? cogita ergo te ſemper moriturum. *Op.faſcicul.c.2.op.Eccleſ. Hier.p.4.c.5. Luc. cap.21. verſ.35.*

224. *Ingratitudo peſſima in benefactorem, quàm Deo exoſa, & in ſe abominabilis: Vbi de ingratitudine Iudæorum in Chriſtum.*

Væ mihi mater mea: quare me genuiſti virum rixæ, virum diſcordiæ in univerſa terra? non fœneravi, & fœneravit mihi quiſquam, omnes maledicunt mihi. Nota hæc ad litteram dicuntur à Chriſto, qui cum innumeris beneficiis cumulaſſet ſynagogam, tamen Iudæi ipſi contradicentes,

 ipſum

ipſum blaſphemantes, injuriantes, fecerunt objectum iræ & contentionis: Myſticè loquitur etiam de Chriſtianis, qui nolunt cum Chriſto habere commertium, ſed ipſum blaſphemant, injuriantur & deſerunt. *See S. Bon. op. Phar. l. 3. c. 21. & Ugo Card.*

225. *Verbum divinum devotè receptum quale bonum.*

Inventi ſunt ſermones tui, & comedi eos, & factum eſt mihi verbum tuum in gaudium, & lætitiam cordis mei, quoniam invocatum eſt nomen tuum ſuper me Domine Deus exercituum &c. Vide quid accidit Prophetæ, & qualem fructum anima reportare poteſt ex verbo Dei devotè ſuſcepto: qui enim hunc cibum cæleſtem ſumit, in ventrem tranſit, ſcilicet in mentem, intra viſcera recondit, nempe ipſum recipiendo cum interna, & recta intentione, ſancto deſiderio, humili voluntate ad Deum, pia ad proximum, iſte vitam gratiæ, & gloriæ recipiet: & hinc ſubdit: factum eſt mihi verbum tuum in gaudium, & lætitiam cordis mei, quia verbum divinum poſtquam perfecta fide creditur, ita miro modo delectat, cum intelligitur, ut fiat in gaudium & lætitiam cordis intelligentis. *Ser. 2. Dom. in Albis; Ioan. c. 8. v. 51. & collat. 33. ſap. c. 16.*

226 *Contritionis amaritudo qualem requiem, & dulcedinem afferat animæ: Item & ſolitudo, & ſilentium.*

Non ſedi in concilio ludentium, & glorians ſum à facie manus tuæ: ſolus ſedebam, quoniam comminatione repleſti me: amaritudine repletus ſum, legunt ſeptuaginta. Ecce hic diſcrimen præſcitorum & electorum: illi quidem ſedent in concilio ludentium ſcilicet in ſpectaculis, ludis, vanitatibus vitam degunt: iſti è contra ſedent ſoli cum Deo: ſed quomodo ſedent, & non potius laborant? ſedent repleti amaritudine cordis per contritionem, & contemplationem: ſedent, ideſt quieſcunt, & dulcedinem in tali amaritudine cæleſtem exhauriunt: ſic Magdalena ſedebat ad pedes Chriſti repleta tali amaritudine verè dulciſſima: ſicque gloriantur à facie manus Domini, ad percuſſionem manus Domini, gaudenter omnia tolerando. *Luc. c. 7. v. 16. & c. 10. v. 39.* Vide etiam qualia bona afferat ſolitudo ſervis Dei: per hanc enim facile anima incumbens orationi intrat in interiora ſecretorum cæleſtium. *Ioan. c. 11. v. 20.* Et hinc ſubdit Propheta ad rem: quare factus eſt dolor meus perpetuus, & plaga mea deſperabilis renuit curari? facta eſt mihi quaſi mendacium aquarum infidelium: quaſi dicat, ut exponit Ugo Cardinalis: quare factus eſt dolor meus perpetuus, ſcilicet nullam conſolationem in amaritudine mea expectans, ſed tantùm futuram, quia conſolationes temporales apud me ſunt veluti aquæ mendacii, ſcilicet vanæ, & tranſitoriæ.

227. *Prædicatoris, & prædicationis verbi Dei ſublimitas, & fructus expenditur.*

Hæc dicit Dominus: ſi converteris, convertam te, & ante faciem meam ſtabis, & ſi ſeparaveris pretioſum à vili, quaſi os meum eris: convertentur ipſi ad te, & tu non converteris ad eos & dabo te populo huic in murum æreum &c. Nota, quòd his verbis explicatur ſublimitas prædicationis verbi Dei, & Prædicatoris: primò enim dicit: *ſi converteris, convertam te &c.* ſcilicet, ſi converteris tua prædicatione populum à peccatis, convertam te de tribulatione in lætitiam: nam ut dicit *S. Iac. c. 5. qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſalvabit animam ſuam à morte:* Alii legunt: *animam ſuam ſalvabit à morte, & ipſe ſtabit coram Deo tanquam familiaris gratus, & quaſi dapifer meus: & ſi ſeparaveris pretioſum à vili,* ſcilicet animam pretioſam Chriſti ſanguine redemptam à terrenis rebus, quaſi os meum eris, quia in te, & per te loquar, & ſecreta mea revelabo, eris firmiter mihi adhærens, & convertentur ipſi ad te, nempe ad tuam prædicationem convertentur, ad te imitandum, & obediendum, non tu converteris ad eos ſcilicet non inquinaberis ab auditorum iniquitatibus, ſed pertranſies impollutus &c. & dabo te in murum æreum, quia reſiſtes perſecutionibus per patientiam &c. De hac materia vide *Luc. c. 7. v. 34. & c. 10. v. 15 & ſeq. Pſal. 118. c. 2. v. 13. Op. Bibl. paup. in præfat. Op. Phar. l. 1. c. 14. ſer. 5. Pent ſer. 3. & 4. Dom. 1. poſt oct. Pent. ſer. 1. & 2. de S. Gregor. & de Evangel. & Ugonem Card. hic.* Et tandem ſubdit: *ego tecum ſum, ut ſalvem te, & eruam te, & liberabo te de manu peſſimorum, & redimam te de manu fortium &c.* per quæ dat intelligere Deus protectionem ſpecialem, quam habet ſuorum Prædicatorum &c.

CAP. XVI.

228. *Flagella à Deo immittuntur in nos propter peccata &c.*

Mortibus ægrotationum non morientur &c. & morientur grandes, & pauci &c. ſubdit poſtea, *quia dereliquerunt me patres veſtri &c.* ergo propter peccata veniunt adverſa. Vide ſuprà *ad cap. 12. n. 190. & 198.*

229. *Dei ſervitium derelinquens, ſub captivitate diaboli collocatur.*

Et ſervietis Diis alienis, qui non dabunt vobis requiem Ecce, quòd neceſſariò quilibet homo vivit ſub poteſtate, & dominio Dei, vel diaboli: Deus autem ſic ordinavit, ut qui ſibi non vult ſervire, ſerviat diabolo, & ſub poteſtate, & tyrannide ipſius vivat, qui ſuis nullam requiem unquam permittit. *Ioan. c. 14. in fine, & collat. 41. Luc c. 16. v. 13.* Nota autem quòd ſerviunt Diis alienis, qui ſerviunt mundo, ſunique cupidi, & avari; ventri ſuo, ſuntque luxurioſi, diabolo tumidi,

midi, & ſuperbi, qui nullam requiem unquam ſuis permittunt: ergo Chriſto ſerviamus, ſub quo vera, & perpetua requies, &c. *Serm. 2. de S. Nicol. Ecclen. proœm.*

230. *Chriſtus habet ſuos piſcatores, & venatores: Diabolus item.*

Ecce ego mittam piſcatores multos, dicit Dominus, & piſcabuntur eos, & poſt hæc mittam eis venatores, & venabuntur eos, &c. Hoc dicit Deus, & verè: nam Chriſtus ad piſcandum, & venandum animas de manu diaboli providit, & miſit piſcatores, & venatores, ſcilicet Apoſtolos, & miniſtros, ut excurrerent per mare hujus mundi, & animas hamo, & rete verbi Dei caperent, & eas ad Chriſtum exhiberent. Habet & diabolus ſuos miniſtros, qui verbo, & exemplo malo, ſuaſionibus, muneribus, aliiſque innumeris modis animas caperent ad implendum Infernum. *Luc. c. 5. v. 7. Ioan. c. 8. v. 37. Vide ſer. 3. & 4. Dom. 4. Pent. & ſer. 2. 3. & 4. Dom. 11. Pentec.*

CAP. XVII.

231. *Peccata publica Clericorum, & Religioſorum ſicut peccata Iudæorum, quàm difficilia curatione, & remiſſione.*

PECCATUM *Iuda ſcriptum ſtylo ferreo in ungue adamantino, exaratum ſuper latitudinem cordis eorum, & in cornibus ararum eorum, &c.* (& poſt pauca) *ſacrificantes in agro: fortitudinem tuam, & omnes theſauros tuos in direptionem dabo, &c.* Nota, quòd ad litteram hic prædicit Propheta obſtinationem Judæorum duraturam uſque ad finem mundi; & flagella, quibus ſemper à Deo flagellantur, & flagellabuntur. Myſticè per Juda intelliguntur Clerici, & Religioſi, quorum peccata, cum ſunt publica, obdurationem in malitia ſecum afferunt, ita ut difficillimè poſſint avelli, & ideo iſtorum peccata, & difficilius curantur, & gravius à Deo puniuntur, & quia exarantur in cornibus Altarium, nempe cum contemptu, & abuſione Sacramentorum. *In Thren. capit. 4. & Ugo hic.*

232. *Maledictus, qui totaliter confidit in creatura: benedictus, qui totaliter confidit in Deo.*

Sic dicitur hic à Propheta: ſed cur ille maledictus, iſte benedictus? quia ille Deum deſerit, & à ſe abiicit, ſperans in humana virtute, vel in ſagacitate humanæ ſapientiæ, vel in multitudine divitiarum, quia omnia ſunt vanitas, & mendacia: Iſte, qui confidit in Deo, confidit in ſumma veritate, in ſumma poteſtate, & bonitate, ideo iſte triumphat de diabolo, mundo, & carne. *Ioan. collat. 74. & 12. ſerm. 1. de uno Confeſſ.*

233. *Confidens in Deo eſt lignum plantatum, viride, & fructiferum: Confidens in creatura eſt lignum, quod cito areſit.*

Et erit quaſi myrica in deſerto, &c. & habitabit in civitate, & in deſerto, in terra ſalſuginis, & inhabitabili, ſcilicet, qui confidit in homine: Benedictus, qui confidit in Domino, &c. & erit quaſi lignum, quod tranſplantatur ſuper aquas, &c. Ecce diſcrimen inter confidentem in creatura, & confidentem in Domino: nam qui relicto Deo, confidit in creatura eſt veluti myrica, ſeu virgultum plantatum in deſerto, qui ob defectum humoris, areſit ſine fructu fruſtratus ſua ſpe, quando major eſt expectatio, & neceſſitas. E contra confidens in Deo irrigatur divina Spiritus Sancti aqua, & ideo vireſcit, & fructificat, & omnia bona deſiderata reportat, quia fructus, qui reportatur ex divina confidentia, eſt fructus virtutum in hac vita, & præmiorum in alia: nempe ſublimis honorabilitate, multus numeroſitate, delitioſus dulcedine, & delectabilitate, & perennis perpetuitate, qui eſt Deus ipſe. *Ioan. collat. 57. & c. 15. v. 17. Luc. cap. 8. v. 6.* Stulte igitur ô homo in homine confidis, vel in alia creatura, quæ ſine Deo eſt univerſa vanitas, quæ eſt veluti arbor cadens, & ad interitum ruens: quomodo ergo te ſuſtentare valebit? *Sermon. prim. de uno Confeſſ.*

234. *Secreta cordis homini cognita, & inſcrutabilia, ſoli Deo nota.*

Pravum eſt cor hominis: profundum, & altum eſt cor hominis, legunt ſeptuaginta: *quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans cor, &c.* Nota, quòd Spiritus Sanctus hic intendit tollere deceptionem multorum, qui ab exteriori judicant ſenſum interiorem hominum, vel qui exterius conantur apparere boni, ſed interius ſunt peſſimi: Cave (ait Deus) à tali judicio, quia ſolus Deus eſt cordium ſcrutator, & unicuique dat retributionem ſuorum operum, & cogitationum bonarum, vel malarum. *Pſal. 41. & 91. & c. 2. in fine l. 1. d. 39. a. 1. q. 2. Luc. cap. 12. v. 2. & c. 16. v. 15.*

235. *Ex alienis rebus congregans divitias, non ſibi, ſed aliis congregat inſipiens.*

Perdix fovit quæ non peperit, fecit divitias, & non in judicio, in dimidio dierum ſuorum derelinquit eas, & in noviſſimo erit inſipiens. Ad litteram dat Propheta intelligere Judæis, quòd divitias cum offenſa Dei congregatas maximo ſtudio, & labore, congregaverunt Chaldæis, ad modum perdicis, quæ aliena ova fovit: & per hoc admonet id, quod continua experientia patet in multis inſipientibus, qui divitias ex uſuris, rapinis, & malis artibus congregantes multo labore, & ſudore, in fine veluti inſipientes tractantur à Deo, quia alienis, qui nullum laborem in eis habuerunt, tranſeunt: verè inſipientes

pientes ſunt, licet in hoc tempore ſapientes videantur, quia tandem inveniunt tales divitias, ſibi nihil poſſe juvare, imò potius ipſos perdere. *Ser.1.de plurb.Confeſſ.ſer.1.Dom.14.Pent.Luc.c.16.v.9.ſap.c.10.*

236. *Confidentes in Deum invitantur ad ſolium Mariæ Virginis.*

Solium gloriæ altitudinis à principio locus ſanctificationis noſtræ. Nota, quòd ad litteram poſt enarrationem periculorum, in quæ incidunt confidentes in terrenis, tranſit ad felicitatem confidentium in Deo, quibus proponit ſolium gloriæ divinæ, ut ad ipſum accedant, quia eſt locus ſanctificationis, & fons omnium bonorum: quodnam eſt hoc ſolium? quis locus iſte? ſolium hoc primò eſt divina miſericordia, quæ confidentibus in Deum promittitur: ſed myſticè Beata Virgo Maria eſt hoc ſolium excelſum, & elevatum, & plenum majeſtate, beatiſſimum, & ſtabiliſſimum, ad quod invitantur omnes in Deum confidentes, quia ipſum invenient cuſtoditum ab Angelis, & locum ſanctificationis noſtræ, fontemque omnium bonorum. *Luc.c.1.v.38. ſpec.B.Virg.lect.7.& lect.9.*

237. *Deum fugientes Deum inveniunt ultorem.*

Domine omnes, qui te derelinquunt confundentur, recedentes à te in terra ſcribentur, quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium. Vult dicere Propheta, quod impii Deum derelinquentes, & ab ipſo recedentes, Deum invenient ultorem ipſos confundentem, & punientem, idque ſignificat illud in terra ſcribentur, ſcilicet non in Cœlo, ſed in pulvere, quia punientur ſeveriſſimè à Deo: Cave ergo ne fugias, & derelinquas Deum, quia in fugiendo ipſum, invenies ultorem. *Ser.1. Dom.12. Pent. Pſal.118 c.8.v.4. Ioan.c.8.v.8.ſap. c.10.*

238. *Chriſtus è Cœlo venit medicus ad ſanandas noſtras infirmitates.*

Sana me Domine, & ſanabor: ſalvum me fac, & ſalvus ero. Ergo ad medicum veniat ægrotus, ut ſanetur: ægrotum eſt genus humanum gravatum plurimis infirmitatibus ſpiritualibus, id eoque venit Chriſtus medicus ſanare omnes infirmitates noſtras ſanguine ſuo, ut ad ipſum confugiamus, & quilibet noſtrum dicat: ſana me Domine, & ſanabor &c. *Ser.1.in Paraſc. Pſal.118.c.10. verſ.2.*

239 *Confuſio æterna ſuccedit derelinquentibus venam aquarum viventium, qui eſt Chriſtus crucifixus.*

Omnes, qui te derelinquunt confundentur: recedentes à te in terra ſcribentur, quia venam aquarum viventium dereliquerunt Dominum. Ecce quale malum derelinquere venam aquarum viventium: Nota autem, quod Chriſtus eſt vena, ſeu potius fons, in quo extinguitur ardor vitiorum, emittens ex vulneribus ſuis venam aquarum viventium, ſcilicet aquam miſericordiæ ad lavandam culpam; ſapientiæ ad extinguendam ſitim; gratiæ ad irrigandas bonorum operum plantas; & charitatis ad excoquendos cibos animæ.

240. *Maria vena aquarum viventium.* Nota quòd etiam hoc dicitur de Maria Virgine, Vena enim aquarum viventium, ſeu fons eſt Beata Virgo Maria, emittens aquam vitæ ſuis ſervis: felix igitur, qui ad hos fontes currit: infelix è contra, qui relinquens hos fontes ſalutares, venit ad aquas turbidas mundi, quæ non valent extinguere ſitim animæ. *Pſ.141.ſer.6.inf. octav. Epiph.ſer.1. Dom.3. Adv.Op. Eccleſ.Hier.p.4.c.6.l.1.ſent.in prol. Op. in Te Dei matrem laudamus.Op. ſpec. lect.12.*

241. *Qui Chriſtum ſequitur, ab ipſo paſcitur, & protegitur.*

Et ego non ſum turbatus te paſtorem ſequens. O quàm verum? Chriſtus eſt noſter paſtor, nos ſuas oves paſcens, defendens, ducenſque per viam ſalutis felix, qui hunc paſtorem ſequitur, ejuſque veſtigia calcans, quia turbationem, vel confuſionem æternam evitat. *Ser 1.2.& 3.Dom.1. poſt oct Paſchæ.Pſal.118.c.4.v.12.*

242. *Sequens Chriſtum, diem hominis non quærit, vel deſiderat, ſed ipſius Chriſti diem.*

Diem hominis non deſideravi. Quis iſte Dies hominis? Dies hominis eſt gloria mundana: hanc ſequaces Chriſti rejiciunt, & abominantur, ſed diem Chriſti quærunt, ſcilicet diem gratiæ, & perfectionis, ad quam pervenitur per exercitium virtutum *Pſ.l.118.c 6.v.11 Luc.c.19.v.42. Ioan.c.7.v.7.Op.de ſept. Don.ſpiritus Sancti per totum ſer.1.Dom.1.Adv.*

243. *Metuens judicia Dei non ceſſet orare ad Dominum exemplo Jeremiæ, qui timore divinorum judiciorum percuſſus, orabat ad Dominum confidenter.*

Non ſis mihi Domine formidini, ſpes mea in die afflictionis, vel, ut legunt ſeptuaginta: *Parcens mihi in die malo.* Talis enim timor, quo aliquando anima orans occupatur: Timor inquam iræ divinæ ſolet incutere mærorem, & turbationem, & ideo ab iſta caveat anima, & non ceſſet orare ad Dominum, cum ſit probatio, qua ſolet Deus exercere ſuos *Op.de perfect.religioſ.l.2.c.67.*

244. *Impii duplici confuſione conterentur: Juſti unica.*

Confundantur qui me perſequuntur &c. duplici contritione contere eos &c. Cur duplici contritione? quia impii in Inferno conterentur contritione culpæ & pœnæ, ſcilicet in anima, & in corpore: Juſti ſolùm pœnaliter in hac vita. *Pſal.17.& 48.& 68.& 93.*

245. *Prælatus excitet ſubditos ad obedientiam, maximè religioſos ad obſervantiam eorum, quæ promiſerunt.*

Sta in porta filiorum populi &c. Hoc dictum eſt Prophetæ, ut in loco publico ſe collocaret, & prædicaret hæc verba: Audite verbum Domini &c. qui ingredimini per portas iſtas, ſcilicet vel in Eccleſiam, vel ad ſervitium Dei: cuſtodire

dite animas veſtras &c. cuſtodite præcepta, & vota, quæ promiſiſtis, maximèque obedientiam. *Ecclen.c.4.ad finem.*

246. *Qui feſtum ſolemne coram Deo vult celebrare, non portet pondera in die feſti.*

Cuſtodite animas veſtras, & nolite portare pondera in die ſabbathi. Quomodo hoc Deus vetat, cum Chriſtus juſſerit paralitico, ut tolleret grabatum in die ſabbathi? ſed attende, quòd etiam ſi prohiberet opera ſervilia impedientia vocationem ad Deum, tamen hic præcipitur obſervantia ſpiritualis feſti, nempe, ut caveatur onus peccati in die feſto: feſtum enim ſolemne celebrat Deo, qui à peccatis ſe abſtinet, & quietem in Deo quærit: unde ad hoc præceptum præmittit illa verba: cuſtodite animas veſtras, ſcilicet à tranſgreſſione divinæ legis. *Luc.capit. 23. verſ. 54. Ioan. capit. 5. verſ. 9. & collat. 37.*

247. *Sanctificatio diei feſti qualiter facienda: Vbi de mutatione ſabbathi in diem Dominicam.*

Sanctificate diem ſabbathi, ſicut præcepi patribus veſtris. Ergo præcipitur obſervantia diei ſabbathi? Cur ergo nos obſervamus diem dominicam: ſed attende, quòd remanſit in lege gratiæ, quod eſt morale, nempe ſanctificatio ſpiritualis animæ, quam exigit Deus in tali celebratione, & mutavit quod erat merè ceremoniale, & figurale: quia enim ſabbathum figurabat quietem Chriſti in ſepulchro, & reſurrectione, ideo mutatum eſt in diem Dominicum, & remanſit quod eſt ſimul partim ceremoniale, & partim morale, nempe ceſſatio ab opere ſervili: Hinc in die feſto præcipit ceſſationem ab operibus ſervilibus, & mechanicis extra neceſſitatem, præcepit vacationem in operibus religionis ad cultum Dei ſpectantibus, conformando ſe Chriſto. *Op.ſer.4. de decem præcept.Ioan.collat.37.Vide l.3.d.37.dub.3. Op.ſpec.animæ c.3.*

248 *Ingreſſus in Cœlum animarum ſanctarum expenditur: moduſque illuc aſcendendi.*

Ingredientur per portas civitatis hujus Reges, & Principes, ſedentes ſuper ſolium David, & aſcendentes in curribus, & equis, & ipſi, & Principes eorum, viri Iuda, & habitantes Ieruſalem, & habitabitur Civitas hæc in ſempiternum. Ad litteram obſervantibus divina præcepta Propheta promittit omnem fælicitatem: ſed anagogicè loquitur de ingreſſu beatorum in Regnum cæleſte, in quod ſolùm intrare poſſunt Reges, & Principes, & nobiles: Nobiles, inquam, non ſanguine, ſed virtute; Principes, & Reges, qui ſeipſos rexerunt ſecundùm leges Dei; iſtique omnes aſcendunt per currus in illam ſanctam Civitatem: Currus ſunt boni fructus, & varii ſtatus bonorum hominum: ſuntque ſtatus conjugalis, vidualis, virginalis, & diverſorum ordinum Religioſorum, nunc autem aſcendunt in curribus, ſed poſt diem judicii, reſumptis corporibus, aſcendent in equis: iſtique introducuntur in Civitatem illam glorioſam ſimul cum Principibus, ſcilicet cum ſanctis Angelis, ibique omnes una voce, in uno populo, in unâ patria erimus millia millium conjuncti, & pſallentibus Angelis cæleſtium poteſtatum in una Civitate viventium: ô quàm glorioſa, & nobilis illa Civitas, in qua nullus omninò, niſi Principes, & Reges, & Reginæ habitant, quàm ordinata Civitas, in qua per charitatem omnium ſanctorum una eſt anima, & unum gaudium: ô quàm ſtabilis, lucida, & affluens Patris æternitate, Filii veritate, & Spiritus Sancti bonitate. *Ser.4.in Aſcenſ.ſer.2. Dom.16. Pent.ſer.2.inf.oct. omn.ſanctor.in addit.*

249. *Inobſervantia dierum feſtorum, quàm Deo exoſa, & hominibus nociva.*

Si autem non audieritis me, ut ſanctificetis diem ſabbathi &c. ſuccendam ignem in portis veſtris, & devorabit domos Ieruſalem, & non extinguetur. Vide quàm vigeat Dei zelus in obſervantia dierum feſtorum: hic enim ad litteram minatur inobſervantibus ignem devorantem domos quòd eſt idem ac deſolationem domorum, agrorum, & alia mala temporalia, & ſpiritualia: & meritò: nam in obſervantiâ diei feſti continetur veluti in compendio obſervantia aliorum præceptorum Dei, & qui non obſervant dies feſtos, ſimiles ſunt diabolo, & damnatis, qui nunquam quieſcunt, ſed ſemper laborant. *Op. de decem præcep.ſer.4. Op. Diet. Tit.3.cap.2. Ioan.collat.36. & 37.*

CAP. XVIII.

250. *Hominis creatio in rota inſtabilitatis, & ſub motu perpetuo, & mortis ſubjectio expenditur.*

SURGE, *& deſcende in domum figuli &c. & ecce ipſe faciebat opus ſuper rotam, & diſſipatum eſt vas, & fecit illud vas alterum.* Nota, quòd Deus præcepit Prophetæ, ut deſcenderet in domum figuli, & obſervaret opera ejus, & notat, quod faciebat ipſe vas luteum ſuper rotam, & dum rotam volueret, diſſipatum eſt vas, & in aliud tranſmutatum: ſed quid prætendebat Deus hoc facto? ergone debebat diſtrahi iſte ſervus Dei à ſuis meditationibus, ut deſcenderet ad obſervandum opera figuli? ſed attende ad myſterium: Ad litteram voluit hoc facto oſtendere Deus, quod ipſe eſt figulus, & Creator noſter, ad cujus nutum poteſt pro libito formari homo, vel fabricari Civitas, vel Templum, & ſtatim in aliquod reformari: ſed moraliter dat nobis intelligere, quod iſte figulus eſt Deus omnipotens, cujus poteſtati omnia ſunt ſubjecta, qui omnia ſuper rotam inſtabilitatis poſuit, & fecit, unde Salomon ait: Vanitas vanitatum, & omnia vanitas: & ſpecialiter fecit hominem ſubjectum motui perpetuo, & vanitati, & quantum ad eſſe naturæ, & quantum ad eſſe

eſſe culpæ, & quantum ad eſſe pœnæ: quantum ad eſſe naturæ, quia cum ſit in continuo motu propter elementorum pugnam, & qualitatem, continuè tendit in non eſſe, & continuæ morti ſubjacet: quantum ad eſſe culpæ eſt in rota, & vanitate, quia peccatum eſt mors & in nobis eſt fons, & cauſa omnis peccati: quantum ad eſſe pœnæ quia ſubjacet infinitis miſeriis: & hinc perveniens ad ultimatum terminum, diſſipatur vas, & fit alterum vas. *Ecclen. cap.1. & in proœm. l. 2. d.19. dub. 3. opuſcul. de perfect. religioſor. l. 1. capit.2. op. Comp. Theol. l.4. cap.23. opuſc. de inviſibilit. Dei. ſap. c.7.*

251. *Memoria mortis frequenter habenda.*

Deſcende in domum figuli, &c. & ipſe faciebat opus ſuper rotam. Quodnam opus? ſcilicet luteum: ergo præcipit, ut intremus in domum luteam: quænam eſt hæc domus lutea, niſi ſepulchrum, in quo reconditur lutum corporis noſtri? ergo in hanc domum per conſiderationem intrare debet homo, & ſemper cogitare, ſe eſſe ſubjectum morti, & moriturum: nam mors non poteſt declinari, ideſt hora mortis non poteſt inveſtigari, & tempus à Deo præſcriptum non poteſt mutari, non miſeretur inopiæ, non reveretur potentiam, non reſpicit morum, vel generis excellentiam, non parcit juventuti, vel ætati, ſenibus eſt in januis, juvenibus in inſidiis: memorare igitur hæc noviſſima, & in æternum non peccabis. *l.2. d.19. dub.3. op.ſolil. c. 3. opuſc. faſcicul. cap. 2. op. incendium c. 2. ſerm. 2. Dom.11. Pentec.*

252. *Homo vas luteum vel in honorem, vel in contumeliam.*

Et ipſe faciebat opus ſuper rotam, ſcilicet vas luteum. Iam dictum, quòd iſtud vas eſt corpus hominis ex luto fabricatum: Sed attende quod in aliis eſt vas in honorem, in aliis ad contumeliam: nam in malum eſt vas, in quo diabolus theſaurum iræ Dei, & omnis malitiæ includit: In bonis recondit Deus theſaurum pretioſiſſimum: unde dicebat D. Paul. *habemus theſaurum in vaſis fictilibus*, ſcilicet theſaurum gratiæ Dei, per quam iſtud vas fit alterum, nempe vas altum à terra elevatum, & Cœlo proximum per contemptum temporalis ſubſtantiæ: Vas item luminoſum, & clarum per lumen fidei, & ſapientiæ cæleſtis: Vas item mundum, & purum per donum continentiæ, & puritatis: Vas item ſolidum per donum patientiæ: In vaſis autem diaboli concluditur theſaurus iræ divinæ, & omnium vitiorum exercitus, & ideo iſta vaſa ad ignem Inferni deputantur. *Pſal. 30. ſermon. 2. in Converſ. S. Pauli.*

253. *Pœnitentia noſtra ad pœnitentiam quodammodo inducit Deum.*

Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, quod locutus ſum adverſus eam, agam, & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitavi, ut facerem ei. Verè, mirabile eſt, quod hic dicit Deus: ergo & ipſe ſubjacet pœnitentiæ? ergo & mutationi? minimè: ſed eſt modus loquendi Sacræ Scripturæ, quo dictat, non quod Deum more hominum pœniteat de tranſactis operibus, ſed pœnitere Dei eſt ſtatuta mutare, & quod prius inchoatum eſt, in aliquid mutari, vel ex bono in malum, id exigentibus culpis, vel de malo in bonum, id exigente pœnitentia noſtra: & per hoc dat intelligere qualem vim habeat pœnitentia noſtra apud Deum: nam per ipſam malum culpæ, & etiam pœnæ declinatur, per pœnitentiam gratia, & amicitia Dei recuperatur, & Regnum gloriæ acceleratur: ô magna pœnitentiæ utilitas, & potentia. *Sermon.3 Dom.3.Pent.Luc.cap.15. verſ.10.* Ut autem intelligatur qualem pœnitentiam exigat Deus à nobis, ſubdit: Revertatur unuſquiſque à via ſua mala, & dirigite vias veſtras, & ſtudia veſtra: quaſi dicat revertatur unuſquiſque à via ſua mala per mali declinationem, relinquendo vias pravas, & peccata, & dirigite vias veſtras, quantum ad affectionem, & cogitationum rectificationem, obſervando præcepta divina, & opera Sancta faciendo. *Pſalm.118.c.1. v.5. & cap.7. verſ.5. Vide idem de pœnitentia Dei infrà ad cap. 26. verſ.13. & 19.*

254. *Deſperatio quale peccatum.*

Qui dixerunt deſperavimus: poſt cogitationes enim noſtras ibimus, & unuſquiſque pravitatem cordis ſui mali faciemus. Nota, quòd in iſtis verbis iſtorum perfidorum involuitur ratio formalis deſperationis, quæ eſt peccatum in Spiritum Sanctum: deſperatio enim formaliter includit impœnitentiam finalem, ſcilicet propoſitum poſitivum non recedendi unquam à via mala: & hoc eſt ponere obicem formalem adventui Spiritus Sancti, ad quem præexigitur voluntas recedendi aliquando à peccato; & hinc oritur irremiſſibilitas, non quod detur in hac vita peccatum abſolutè irremiſſibile, ſed tamen difficulter remittitur, & rariſſimè: hocque provenit tum ex mala voluntate libera peccatoris, tum ex parte Dei nolentis ampliare manum ſuæ miſericordiæ ſupra uſitatum ordinem, ſic exigente malitia peccatoris, ut locum habeat ſua juſtitia. Ex quo patet, quàm Deo ſit exoſa talis deſperatio: Unde ſubdit ſacer Textus: *quis audivit talia horribilia, quæ fecit nimis Virgo Iſrael? numquid deficiet de petra agri nix libani*, quaſi dicat, ſicut numquam in libano nix deficit, ſic nec ego hominibus, &c. Ut videas, quòd præcipua cauſa irremiſſibilitatis eſt à malitia hominis, *l.2.d.43. a.2. q.2.*

255. Signum

255. *Signum excidii locorum eſt deficientia in ſacerdotibus ſcientiæ, & obſervantia legis divina.*

Venite, & cogitemus contra Ieremiam cogitationes: non enim peribit lex à ſacerdote, neque conſilium à ſapiente, nec ſermo à Propheta. Vide qualem illuſionem peſſimam faciunt iſti cæci: cum enim ſcirent deficientiam ſcientiæ, & obſervantiæ legis divinæ in ſacerdotibus eſſe ſignum patens imminentis ruinæ populi, proponunt tollere è medio Jeremiam Prophetam, qui vera eis annunciabat, confidentes, decepti à diabolo, & excæcati à propria malitia, quod ablato de mundo Jeremia, adhuc ſcientia, & obſervantia legis divinæ remanſura eſſet in ſuis pſeudo Prophetis. Ex quo patet, quod quando perit lex, ſcilicet ſcientia, & obſervantia in ſacerdotibus, & Prælatis, qui deberent eſſe legis æmulatores, tunc ſignum evidens eſt imminentis ruinæ populi, & locorum. *Luc.c.6.v.3.& c.19.v.45.& 46.& c.21. v.12.*

256. *Lingua mala flagellum diaboli, quo flagellantur Chriſtus, ejuſque ſequaces: lingua ſancta eſt inſtrumentum Spiritus Sancti per ipſam ſanctificantis animam.*

Venite, & percutiamus Ieremiam lingua, & non attendamus ad univerſos ſermones ejus. Quomodo iſti impii prætendebant percutere, & flagellare Jeremiam lingua ſua, ſed attende ad id, quod addunt: *& non attendamus ad univerſos ſermones ejus:* Ut videas, quod dum Propheta lingua à Spiritu Sancto informata nitebatur eos avertere à viis ſuis pravis, per mollitiem patientiæ eorum duritiem confringere, & verbis ſanctis eos ſanare, & ſanctificare: hoc enim eſt proprium linguæ à Spiritu Sancto inflammatæ; & ipſi ut miniſtri diaboli ex oppoſito verbis malignis, & adinventionibus iniquis ipſum perſequi, & è medio tollere conantur, quod & poſtea ipſi Judæi fecerunt contra Chriſtum, qui magis flagellatus eſt à mala ipſorum lingua, quàm à flagellis materialibus: Diabolus enim hoc flagello linguæ bonos flagellat, ut ad malum inducat. *Ser.2. Dom.quinquag. Pſal.*118.*c.*11.*v.*12.

257. *Inter cæteràs pœnas Chriſti gravior fuit, non ſolùm pro culpa pati ſine culpa, ſed etiam pro beneficiorum exhibitione.*

Unde dicebat Jeremias hîc: *Numquid redditur pro bono malum, quia foderunt foveam animæ meæ:* quaſi diceret, hoc eſt mihi graviſſimum, quòd hoſtes mei me torqueant ſine offenſione, qui peccatum non feci, nec dolum: item pro gravis criminis offenſione, fodiendo foveam animæ, nempe pro prohibitione tributi, pro uſurpatione Regni, pro deſtructione Templi, quæ mihi falsò impoſuerunt, & tandem pro beneficii exhibitione, cum ipſis ſemper beneficia maxima contulerim. *Ser.5. Paraſceu.*

258. *Proprium eſt Juſtorum exemplo Chriſti reddere bonum pro malo, & orare pro perſequentibus.*

Recordare, quòd ſteterim in conſpectu tuo, ut loquerer pro eis bonum, & averterem indignationem tuam ab eis. Ecce quid faciunt pro Chriſto Juſti: nam ad exemplum ſui magiſtri, reddere conantur bonum pro malo, & dum perſecutiones patiuntur, pro ipſis orando, & quo majores ſunt perſecutiones, eò ferventiori dilectione pro ipſis orationem fundunt in conſpectu Dei: ſic Jeremias hic, ſic Moyſes, ſic Stephanus, ſic ſuper omnes Chriſtus Jeſus, ſic & omnes, qui ſectatores, & imitatores ſe eſſe Chriſti profitentur. *Luc.c.20.v.12.*

259. *Diabolus laqueòs, & retia abſcondit pedibus Juſtorum, ut eos ruere faciant in interitum.*

Foderunt foveam, ut caperent me, laqueos abſconderunt pedibus meis. Hoc dicebat Jeremias: hoc dixit Chriſtus Jeſus de Judæis, qui omne ſtudium poſuerunt, ut ipſos dolo caperent, & in ruinam præcipitarent. Et hoc eſt, quod facit diabolus cum juſtis: ſicut enim lupo foditur fovea, & ſtramine ſuppoſito decipitur, ut in eam cadat; ſic diabolus ſub eſca voluptatum carnalium, vel rerum temporalium, vel per blanda verba ſuorum miniſtrorum, mulierum malarum, vocum conſiliariorum, & iniquorum abſcondit laqueos, & retia, ut juſtos decipiat. *Ser. 4. Dom.11.Pent.Pſal.67.Pſal.118.c.7.v.9.fer.2.fer.4. Pent.fer.2.fer.3. Pent.*

260. *Omnia abſcondita in Iudicio coram Deo revelabantur, & qui in hac vita cadunt, à Deo recedentes; in Iudicio cadent in interitum æternum:* unde hic dicitur: *Tu autem Domine ſcis omne conſilium eorum adverſum me &c.* quia nihil Deo latet: *ſiant corruentes in conſpectu*, nempe in Judicio, quia in vita corruerunt, Deum deſerendo. *Luc c.6.verſ.8.& cap.22.v.66 Pſal.118.cap.11. verſ.8.*

CAP. XIX.

261. *Diaboli cibus electus ſunt peccata, & peccatores, quos ipſe poſſidet.*

ET diſſipabo conſilium eorum &c. & ſubversã eos in manu quærentium animas eorũ; & dabo cadavera eorum eſcam volatilibus Cœli, & beſtiis terræ. Nota quòd hæc eſt comminatio, & prophetia de deſolatione populi Judaïci, qui juſto Dei permittente judicio, cum in obſtinatione voluerint permanere, traditi ſũt in poſſeſſionem Chaldæorum, & Aſſiriorum, & tandem Romanorũ, & quorum cadavera expoſita fuerunt

RR t a volucri

volucribus, & beſtiis. Sed myſticè dat nobis intelligere ſtragem, quam facit diabolus ſuper peccatores, ei conſentientes: nam primò peccatorem recipit in ſua poſſeſſione, ipſum poſſidens, & torquens, & Deus Dæmonibus comedendos, & devorandos tradit: nam peccator eſt cibus in menſa diaboli, panis deſiderabilis eſt peccatum, obſonium electum ſunt peccatores, & ut ſit cibus electus in hac vita accommodat, & conficit eos in igne avaritiæ aſſando, & in aqua luxuriæ, & vitiorum coquendo, ut poſtea eos devoret, & torqueat in Inferno æternaliter. Cave igitur ô homo à peccato, ne ipſum devorando, tu à diabolo devoreris. *Serm. 2. fer. 3. Pent. ſer. 4. Dom. 19. Pent ſer. 1. 2. & 3. Dom. 3. quadrag.*

262. *Quod Deus fecit Iudæis in pœnam, hoc Chriſtus facit nobis in ſalutem in obſidione inimicorum: ubi de præparatione Euchariſtia.*

Unuſquiſque carnem amici ſui comedet in obſidione, & in anguſtia, in qua concludent eos inimici eorum, & qui quærunt animas eorum. Nota, ad litteram hæc verificata ſunt contra Judæos, qui in obſidione ob defectum ubi ita coarctati fuere, ut unuſquiſque ad famem tollendam conaretur comedere carnes proximi: hoc factum eſt à Deo in pœnam obſtinationis ipſorum. Sed myſticè hæc omnia convertit Chriſtus in ſalutem noſtram: dum enim obſidemur in Civitate Eccleſiæ à dæmonibus, ut nos devorent, ecce venit Chriſtus parare, & porrigere cibum ſui corporis, & ſanguinis, ne fame pereamus: ô amor Dei grandis! o quantum obſeſſos amaret, qui ſeipſum in hoſtili obſidione aliquibus manducandum daret, ne fame deficerent: hoc verè fecit Chriſtus noſter amicus in hac vita, in qua obſidemur à Dæmonibus. *Ser. 8. in Nativit. & ſer. 3. Dom. 2. Pent.*

263. *Divitum crudelitas in proximum expenditur.*

Unuſquiſque carnem amici ſui comedet in obſidione, & anguſtia. Quis eſt qui in obſidione, & anguſtia carnem amici ſui comedit? Iſti ſunt divites crudeles, qui tempore anguſtiæ, & penuriæ, ſub ſpecie etiam pietatis, & miſericordiæ pauperes inducunt per contractus impios, ad tantam anguſtiam, quòd coguntur privari ab eis ſuis bonis temporalibus: ô peſſimum malum? & væ talibus divitibus carnem proximi ſic crudeliter devorantibus. *Ser. 1. Dom. 24. Pent.*

CAP. XX.

264. *Chriſti illuſio, & deriſio figurata in Ieremia.*

Factus ſum in deriſum tota die, omnes ſubſannant me, &c. Hoc accidit ad litteram Jeremiæ poſt prædicationem: hoc idem & Chriſto, quem Judæi irriſerunt triplici ratione, ſcilicet in miraculis, quaſi ignorantem, quando dixit: non eſt mortua puella ſed dormit, & deridebant eum: Secundò in conſiliis quaſi imprudentem: & tertiò in paſſione quaſi impotentem. *In Thren. c. 3. Luc. c. 22. in fine.*

265. *Verbum Dei devotè receptum, ignitam, & illuminatam reddit animam, quia eſt ignitum calore cæleſti.*

Unde hic dicit Jeremias: *& factus eſt ſermo Domini quaſi ignis exæſtuans, clauſuſque oſſibus meis. Luc. c. 24. v. 32. Eccleſ. Hier. p. 4. c. 4.* Et ideo ſicut ignis in cor agit, purgat & etiam innovat, non ſolum audientem, ſed & loquentem, & ideo cum Jeremias propoſuerit non amplius loqui, veluti coactus, & incenſus non potuit non proſequi ſuam prædicationem. *Ser. 2. de S. Laurent. & ſer. 2. de Evangel.*

266. *Confidens in Deum de nulla creatura timere debet.*

Audivi contumelias multorum, & terrorem in circuitu, &c. Dominus autem mecum eſt quaſi bellator fortis, ideo qui perſequuntur me, cadent, & infirmi erunt, & confundentur, &c. Ex his, & ſequentibus, vide quàm intrepidus ſit contra omnem poteſtatem hoſtilem, qui in Domino confidit, & qui Deum habet ſocium. *Pſalm. 118. c. 10. v. 13. ſer. 4. in Vigil. Nativitat.*

CAP. XXI.

267. *Qui abutitur donis à Deo collatis, vel per otium, vel contra Deum datorem, ad ipſius damnationem, & majus damnum vertuntur.*

HÆC dicit Dominus: ecce ego convertam vaſa belli, quæ in manibus veſtris ſunt, & quibus pugnatis vos adverſus Regem Babilonis, & Chaldæos, &c. & debellabo vos, &c. Nota quòd cum Aſſyrii obſiderent Civitatem Jeruſalem, Rex Sedecias miſit ad Jeremiam, ut ipſi revelaret eventum futurum talis belli: Propheta verò in perſona Dei reſpondit, quòd

quòd Deus converſurus erat arma; & omnia inſtrumenta Civitatis, quibus cogitabant ſe defendere, contra ipſos Judæos, ſic exigentibus ipſorum peccatis, ſicut factum eſt, quia omnia arma, divitiæ, & munitiones Judæorum inſervierunt Babilonijs ad deſolationem Civitatis, & occiſionem ipſorum. Myſticè dat nobis Deus intelligere, quod ſicut Judæi in malum abuſi ſunt donis, divitiis, & rebus temporalibus contra Dominum, & ob id per ipſa Deus eos ſeveriſſimè punivit: ſic & Deus exiget à nobis rationem ſtrictiſſimam omnium donorum, tum particularium, tum naturalium, tum ſupernaturalium, quæ nobis tam liberaliter conceſſit: qui enim non faciunt fructum, nec Deo reddunt debitum de talentis receptis, ſcilicet de gratia, de ſcientia, de potentia, de tempore, & temporalibus, de gratia, & aliis auxiliis ſupernaturalivus oblatis: eadem dona contra ipſos abutentes, bertentur ad majorem damnationem: malè ergo hæc dona accipit, qui ad uſum iniquitatis ea impendit, & pro ipſis damnari metuerit. *Serm.1. Dom.21.Pent.ſer.1.Dom.8.Pent.*

268. *Prælati, & Iudices tenentur ſubditos à calumnia, & violentia ab oppreſſoribus potentibus ipſis illata, liberare, alioquin ipſi reddent rationem de tali violentia: unde per Prophetam ipſis dicitur.*

Iudicate mane judicium: mane, ideſt in publicum, & citò ut omnibus ſit potens, & liberum; *eruite vi oppreſſum de manu calumniantis, ne fortè egrediatur ut ignis indignatio mea, & non ſit, qui extinguat propter malitiam ſtudiorum veſtrorum:* ô utinam ad hæc attenderent Principes, Prælati, & Iudices, quia ſic aufugerent indignationem Domini. *Pſal.118. cap.8. v.9. opuſc. Eccleſ. Hier. p.2.cap.2.*

CAP. XXII.

269. *Ex Prælatorum vita bona, vel mala, & recto, vel malo regimine dependet ſalus, vel Ruina Reipublicæ.*

AUDI verbum Domini Rex Iuda, &c. hæc dicit Dominus: facite judicium, & juſtitiam, &c. nec opprimatis injuſtè, & ſanguinem innocentem ne effundatis in loco iſto, &c. Si enim facientes feceritis verbum iſtud, ingredientur per portas domus hujus Reges ſedentes de genere David, &c. Si non audieritis verba hæc, &c. in ſolitudine erit domus veſtra. Vide quomodo Propheta poſt tot comminationes, converſus ad Principes, eis dat remedium ſalutare effugiendi tot calamitates, nempe facere judicium, & juſtitiam, & cavere ab effuſione ſanguinis innocentium: & è contra minatur eis deſolationem totalem, ſi oppoſitum fecerint. Ex quibus perſpicuè patet, quòd ex vita bona, & mala, ex regimine bono, vel malo dependet ſalus, vel excidium totius Reipublicæ, & ſubditorum: faciant ergo judicium, ſcilicet rectum in dando ſententiam, & juſtitiam in exequendo: Item faciant judicium prius in ſeipſis, rectè, & exemplariter vivendo, & juſtitiam quoad alios ſine perſonarum acceptione. Caveant item ab effuſione ſanguinis innocentum: quaſi diceret: caveant, ne malo exemplo ſimplices, & ſubditos ſcandalizent, tot enim mortibus digni ſunt, quot ad poſteros perditionis exempla tranſmittunt. *Op. Eccleſ. Hier. p.2.c.2. & p.4.c.3. In Thren.c.4.ſer.4 Dom.3.Epiph.ſer.2.ſer.3. Pent.ſer.4.Dom.4.Pent.ſer.1. Dom.24. Pent. Ioan. collat.71. Luc.c.4. verſ.30. & Ugo Cardin. hic, & Gloſſa.*

270. *Væ ei, qui ædificat in injuſtitia, & cum Dei, & proximi offenſa.*

Væ qui ædificat in injuſtitia, & cœnacula ſua non in judicio, amicum ſuum opprimet fruſtra, & mercedem ejus non reddet ei: qui dicit ædificabo mihi domum latam, & cœnacula ſpatioſa: qui aperit ſibi feneſtras, & laquearia cedrina, pingitque ſynopide: nunquid regnabit: &c. Hæc ad litteram dicuntur contra divites, & avaros, qui ex alienis ſubſtantiis, ex oppreſſione pauperum, & puſillorum, ex patrimonio Crucifixi cum Dei, & juſtitiæ offenſa accumulant theſauros, ædificant palatia magnifica: Ecce quod iſtis minatur Deus Væ æternæ damnationis in alia vita, & ruinas etiam in hac, quia iſta ædificia citò corruunt, ideo ſic ædificantes, ædificant excidium, & ruinam ſibi, & filiis ſuis. Vide, quæ infrà traduntur ſuper *Abac. capit. 2. verſ.6. Vide Luc.cap.6.v.24.ſerm.1.& 2. Dom.24. Pent. ſermon. 2. de S.Andr.ſap. cap.3. & Gloſſa, & Ugo hic.*

271. *Divites mali, avari, Prælati mali ſepulturâ Aſini ſepeliuntur.*

Hæc Dominus ad Ioachim &c. ſepultura Aſini ſepelietur putrefactus, & projectus extra portas Ieruſalem, &c. Quænam eſt hæc ſepultura Aſini, qua iſte Rex impius ſepultus eſt? Nota, quòd iſte Rex fuit dives ex oppreſſione pauperum ditatus, avariſſimus, luxurioſus, & crudelis in ſubditos; iſteque ſepultus ſepultura Aſini extra portas Ieruſalem, & hoc accidit omnibus ipſum imitantibus; nam ſicut Aſino prius corium detrahitur, & poſtea canibus, & avibus devorandus exponitur, ſic omnis dives malus, prius divitiis expoliatur, & deinde Dæmonibus perpetuo cruciandus traditur in ſepultura Inferni: Nota etiam, quod accidit Aſinis, ſcilicet illis, qui ſtolidè ſine cognitione Dei vivunt. *Ser.2. de S. Iacob. & ſermon. 2. in Dedicat. & in Ecclen. capit.6.*

272. *Epiſcopi, & Prælati cor interius, reſpondeat gradui interiori.*

Annulus in manu dextera mea, inde evellam eum. Hic loquitur de Rege impio Joachim, cui inter alia mala, minatur Deus, ſe evulſurum è manu ejus annulum: ſed quale malum eſt hoc? ſed attende, quod hic loquitur de Prælatis, & Epiſcopis, quibus in ordinatione datur annulus in medio digito, & baculus argenteus, ad ſignificandum per annulum confeſſionem cordis, ejuſque puritatem; & per baculum argenteum vitam, & doctrinam exteriorem, quam exponere omnibus debent: & ideo, ſi vitæ, & gradui exteriori non reſpondebit puritas, & ſanctitas interior, auferetur ei à Deo annulus, nempe gratia, & gloria. *Pſal. 107. & Vgo Card. hic.*

273. *Homo originaliter, & finaliter eſt de terra:* & myſticè qui ad terrena inhiat, magis terra dicitur: Unde ad ipſum loquitur Deus hic: *Terra, terra audi ſermonem Domini, &c.* Bis dicit: *Terra, terra,* ad ipſum excitandum, ut ad Deum cor & animam tendat, & convertat, atque terrena iſta deſpiciat. *Luc. cap. 10. verſ. 41. Ioan. cap. 3. verſ. 31.*

CAP. XXIII.

274. VÆ paſtoribus impiis diſpergentibus, & lacerantibus gregem Chriſti, ſcilicet ſua mala vita, & pravo exemplo, oppreſſionibus, ut hic dicitur. *V. ſuprà n. 269.*

275. *Chriſti ſalvatoris prærogativa prædicta à Ieremia.*

Ecce dies veniunt (ſcilicet plenitudo temporis) *& regnabit Rex,* nempe Chriſtus, per potentiam in præcipiendo, & regendo, & ſapiens erit per ſapientiam in diſcernendo, & faciet judicium, & juſtitiam, per juſtitiam perfectam, ut ſit in eo omnimoda perfectio. *Luc. c. 1. v. 32. & c. 2. v. 1. & c. 19. v. 38.* Et per hoc oſtendit qualitates boni Prælati, & qualiter in ſubditos regimen exercere debeat. *Op. Diæt. in appendice pro viſitat. Prælator.* Nota etiam quòd ſubdit de Chriſto: hoc eſt nomen, quod vocabunt Dominus juſtus noſter: Iuſtus enim dicitur per Antonomaſiam, ſcilicet purus ab omni peccato quoad ſe, & juſtus apud alios. *ſap. c. 2.*

276. *Ebrietatis corporalis, & ſpiritualis effectus enarrantur: Vbi de Chriſti inebriatione ex amore nimio.*

Contritum eſt cor meum in medio mei: contremuerunt omnia oſſa mea: factus ſum ſicut ebrius, & quaſi homo madidus à vino à facie Domini, & à facie verborum ſanctorum ejus. Nota, quòd Propheta hæc verba pronunciavit tum in perſona propria, quibus dat intelligere afflictionem occupantem ſuum cor ex revelatione habita deſolationum imminentium populo ſuo: Tum in perſona ſervorum Dei, cum ex divino eloquio, & inſpirationibus inebriatur, anima ipſorum ſpiritualiter: Tum in perſona Chriſti inebriati vino amoris intenſiſſimi: & per hoc dat intelligere duplicem inebriationem, ſcilicet corporalem, & ſpiritualem poſſe ineſſe homini, & utriuſque effectus: nam ebrietas corporalis rationem perturbat, memoriam enervat, errorem infundit, membra tremulenta reddit: Ebrietas ſpiritualis mala oritur ex vino delectationis carnalis, vel infatuantis proſperitatis, vel ſeducentis erroris, quod vinum inducit perturbationem mentis, inſaniam in anima. *Pſal. 22. Ioan. collat. 12.* Ebrietas verò ſpiritualis Sancta procedens ex vino colloquii Paradiſi eſt quælibet magna amoris, & gaudii devotio, ex qua quaſi ex vini fortitudine, fervor ſpiritus exhilareſcit, quod ſe intra ſe cohibere non valet, erumpitque aliquando per inuſitatos geſtus, vel voces, vel ſingultus, maximè in novis, & nondum exercitatis mentibus infuſus, ſicut vinum novum in vaſe ebullit: in exercitatis verò quieſcere facit, ſicut vinum inveteratum quieſcit, ex quo etiam corpus quaſi obrigeſcit, & membra inſtabilia, & inflexibilia fiunt ex ſubita fervoris, & ſuavitatis influentia; advenit & vel ſubitus terror, vel immoderata lætitia, ſubitus dolor, odium immenſum, & intemperatus amor ex diverſis motivis, quæ in mentem infunduntur, per quæ Sancti aliquando leguntur corruiſſe, & viribus emarcuiſſe. O felix ebrietas! ô vinum fortiſſimum Spiritus Sancti! quid agis in anima amante. *Op. de perfect. religioſ. l. 2. c. 72. op. ſtim. p. 3. c. 6.* Nota etiam, quòd hæc dicta ſunt in perſona Chriſti, qui cum vino amoris inebriatus eſſet, & ideo ad modum ebrii nudatus eſt, & deriſus, tanquam fatuus in furorem factus inceſſit, & tractatus eſt, & ſic nudatus diabolum invaſit, & vixit: Recordare igitur ô homo qualis amor occupaverit cor Chriſti, quàm te amaverit, qui pro te jam vilificatus eſt. *Serm. 3. in Paraſcev.*

277. *Sancti prævidentes tribulationes Eccleſiæ, & locorum, planctum, & orationem ad Deum aſſumunt excitati vino charitatis.*

Contritum eſt cor meum in medio mei, contremuerunt omnia oſſa mea, &c. Nota, quòd Ieremias, ſicut cæteri Sancti amore Dei, & proximi accenſi, quando vident tribulationes inundantes Eccleſiam, & loca, & populos, ad Deum ſe convertunt, planctum, orationem, & auſteritates in ſeipſis aſſumunt: hoc enim eſt proprium charitatis, & amoris, quo in Deum feruntur. *In Thren. prol. & l. 4. d. 41. a. 3. per totum.*

278. *Via peccatorum qualis.*

Idcirco via eorum erat quaſi lubricum in tenebris, impellentur enim, & corruent in ea: afferam enim ſuper eos mala, &c. Ecce qualem viam ambulant iniqui, qui relinquentes viam ſalutis, & lumen gratiæ, in vias perditionis ſe præcipitant, quæ ſunt viæ tenebroſæ, & lubricæ, impellentes eos de peccato in peccatum, donec ruant æternaliter in Infernum. *Pſal. 118. c. 1. v. 9. & c. 2. v. 10. & 11.*

279. *Sola oratio in conſpectum Dei introducitur ad cognitionem ſecretorum ipſius.*

Quis affuit in conſilio Domini, & vidit, & audivit ſermonem ejus? Nota hæc dicuntur contra Prophetas, & ſacerdotes impios populi Iſraëlitici, qui ſine Deo, imò contra Deum prophetabant, & profitebantur ſe ſcire futura, contra quos dicit Propheta: quis affuit conſilio Domini? quaſi diceret: quomodo præſumitis ſcire conſilia Dei, vos, qui tam impiè vitam degitis, & orationem contemnitis; non enim in conſilia Dei introducitur, niſi oratio, per hanc ſolam enim anima audit & videt Dei Voluntatem. *Pſal. 118. c. 2. v. 2. ſer. de SS. Sim. & Iud.*

280. *Solùm Apoſtoli, & à Deo miſſi dignè prædicationem exercere valent.*

Non mittebam Prophetas, & ipſi currebant, non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant. Ecce quòd Deus conqueritur de miniſtris Templi, qui temerariè officium prædicationis ſibi uſurpabant, non à Deo miſſi, & inſpirati, & ideo mirum non eſt, ſi vana, & falſa prædicabant: Datur per hoc nobis intelligentia, quod ſicut Chriſtus miſit Apoſtolos ad prædicandum verbum Dei per totum terrarum orbem: ſic qui non Apoſtolus, ideſt non eſt miſſus auctoritate ſuperiorum, & auctoritate, & inſpiratione divina, non aſſumat hoc miniſterium, alioquin à Deo derelinquetur, & confundetur: Et hinc eſt, quod in multis non conſpicitur fructus prædicationis, qui temerariè ex propria voluntate non ex zelo ſalutis animarum, hoc munus percipiunt. *Luc. c. 9. v. 2. Ioan. c. 10. verſ. 9. op. libell. Apologet. quæſt. 4.*

281. *Exercitium divinæ præſentiæ ſuadetur.*

Putas ne Deus è vicino ego ſum dicit Dominus? & non Deus de longè? Cœlum, & terram ego impleo. Nota, quòd hæc à Deo dicuntur contra inſipientes, & ſtultos, qui in malè faciendo quærunt abſcondita, & ſecreta loca, quaſi credant ſe Deo poſſe latere, quod eſt maximus error, quia ubique eſt Deus, intra omnia non incluſus, extra omnia non excluſus, ſuper omnia non elatus, infrà omnia non depreſſus, omnibus præſens, omnia continens, & gubernans, nemini abſens: ergo Deum præſentem inſpectorem omnium noſtrorum operum conſideremus, Iudicem, remuneratoremque, & ſic numquam peccabimus. *Ser. 3. fer. 2. Paſchæ. ſer. 2. de S. Thom. in addit. Luc. c. 2. v. 48. & c. 10. v. 21. Ioan. collat. 52. op. expoſit. miſſ. c. 1. op. de inviſibilit. Dei. ſap. c. 1. de exiſt. Dei I. l. d. 37. a. 1.*

282. *Mali ſunt paleæ in Inferno comburendæ: boni ſunt triticum in Cœlum congregandum.*

Quid paleis ad triticum dicit Dominus? Notà, quòd per paleas intelligit ſacer Textus impios, quia erunt in æternum materia combuſtionis in Inferno: per triticum, bonos, qui congregabuntur in Cœlo, quia in hac vita congregati fuerunt in gratia. *Luc. c. 3. c. 17.*

283. *Verbum Dei eſt ignis, & malleus.*

Numquid verba mea ſunt quaſi ignis, dicit Dominus, & quaſi malleus conterens petras? Nota, quòd hic exprimit effectus verbi Dei in bonos, & malos: eſt enim velut ignis cœleſtis inflammans corda bonorum ad ardorem zeli honoris Dei, ad amorem deſiderii rerum cœleſtium, & diſponens ad liquefactionem ſuaviſſimarum affectionum: eſt & malleus contra induratos: Ex quo patet quàm dura perverſitas impiorum, qui nec igne ſolvi poſſunt, nec malleo domantur, ideo ad ignem Inferni, & ad malleos diaboli reſervantur. *Luc. c. 24. v. 32. ſer. 1. de S. Laurent. ſer. 3. de S. Franc. in addit. Sap. c. 12.* At adverte, quòd hoc dicitur etiam de Prædicatoribus, qui debent habere ignem, & malleum, non ſolùm in ore, ſed & in corde, qui exæſtuare debent amore Dei, & cor habere tali igne liquefactum.

CAP. XXIV.

284. *Arbor bona bonos fructus facit, mala malos: ubi de ſignificatione ficus.*

QUID *tu vides Ieremia? & dixi ficus, ficus bonas, bonas valdè: & malas malas valdè, quæ comedi non poſſunt, eo quod ſint malæ.* Sed quid intendit hic Spiritus Sanctus hac metaphora ficus? Nota myſterium: per ficum intelligitur homo qui eſt arbor vel bona, vel mala: ſi bona, bonos fructus facit, nempe fructum boni operis, habentem pulchritudinem ſpecioſitatis, puritatis, & munditiæ, delectationis viſum, ſuavitatem manſuetudinis, dulcoritatis guſtum, & utilitatem charitatis informantis affectum: ô quàm bonæ ſunt iſtæ ficus palato Dei? Impius autem eſt arbor mala gignens fructum habentem putredinem, & fœditatem carnalis luxuriæ conturbantis viſum, acerbitatem furoris, & iracundiæ amaricantis guſtum, & venenoſitatem invidiæ deformantis affectum: & hinc talis arbor bona benedictione divina, informatur; & mala maledictione divina, ut in ignem mittatur. *Serm. 1. Dom. 7. Pent. Ioan. c. 1. prope finem.* Nota etiam quòd hic Textus applicatur à ſacris expoſitoribus Religioſis: nam per calathum plenum ficubus bonis, & malis intelligitur Religio, quæ ex multis obſervantiis coaleſcit, ſicut calathus, ex multis viminibus: ficus autem bonæ ſunt valdè bonæ, & malæ valdè malæ, quia, ut dicebat, D. Auguſt. non inveni meliores quàm qui in Religione profecerunt, nec peiores, quàm qui in Religione defecerunt: unde eorum probitas, vel malitia non eſt modica, vel ordinaria, & exedens vitam ſæcularium: Hæc etiam ad ſenſum S. Bonavent. *Op. Diæt. Tit. 4. c. 1. op. de paup. Chriſti, q. 1. a. 2. op. de perfect. vitæ, c. 5.*

CAP.

CAP. XXV.

285. *Calicem paſſionis Chriſtus prius bibit, & poſtea nobis bibendum porrexit.*

SIC dicit Dominus exercituum: ſume calicem vini furoris hujus de manu mea, & propinabis de illo cunctis gentibus, ad quas mittam te, & accepi calicem, &c. Hic ad litteram indicat afflictiones, quas miſit Dominus ſuper Aſſyrios poſtquam perſecuti ſunt Judæos? Sed myſticè in Ieremia, cui præceptum eſt, ut ſumeret calicem furoris Domini, figuratus eſt Chriſtus, qui à Patre propinatum calicem ſui furoris accepit, in quo ſignificatur acerbitas paſſionis Chriſti, & cum Chriſtus bibiſſet hunc calicem plenum furoris Domini vino amariſſimo, juſſit de ipſo (nota, quod dicit de ipſo, non ipſum) propinari gentibus ideſt particulam omnibus ipſum ſequentibus propinavit, ſicque ipſe prior bibit medicus, ut bibere non dubitaret ægrotus; Unde cum Filius Dei biberit hunc calicem, nonne incuriale eſt volentibus ipſum ſequi, de eodem calice nolle bibere? & ideo regnare cum eo volentibus calix iſte prius bibendus eſt, quia per calicem pervenitur ad Regnum, talis enim eſt ordo præſtitutus, ut per tribulationem ad gloriam perveniatur. *Ioan. c. 18. v. 11. Pſalm. 74. l. 4. d 8. p. 2. a 1. q. 2.*

286. *Calix Domini diverſimodè propinatur ab hominibus in bonum, & in malum.*

Et accepi calicem (ait Jeremias) *de manu Domini. & propinavi cunctis gentibus, ad quas miſit me Dominus, Ieruſalem, & Civitatibus Iuda, & Regibus ejus & Pharaoni, & cunctis Regibus gentium: hæc dicit Dominus bibite, & inebriamini, &c.* Sed quis iſte calix expoſitus, & propinatus à Deo omnibus tam electis, quàm reprobis, ſed transfee mentem *ad Pſal. 74.* ubi dicitur quòd *calix in manu Domini vini meri plenus mixto:* quomodo, ſi plenus eſt vino mero, continet etiam vinum mixtum, & ob id & fecem? ſed nota, quòd calix Domini habet merum in ſummo, mixtum in medio, & in fundo fecem: fex eſt amaritudo ſumma: mixtum eſt vinum mixtum ex proſperitate, & adverſitate temporalis mutabilitatis: Deus autem tenet in manu hunc calicem, quia juſtitiam puram exercet; malis, & obſtinatis in fine vitæ porrigit fecem amaritudinis æternæ, qua inebriabuntur æternaliter cum Dæmonibus: Iuſtis propinat merum, ſcilicet jucunditatem æternam in Cœlo, in quo inebriantur ab ubertate Domus Domini: In hac vita propinat mixtum vinum, ut tranſiens homo per proſpera, & adverſa, perveniat tandem ad vinum merum gloriæ. *Pſalm. 74.*

287. *Vox Domini in Iudicio univerſali qualis.*

Dominus de excelſo rugiet, & de habitaculo Sancto ſuo dabit vocem ſuam, rugiens rugiet, &c. pervenit ſonitus uſque ad extrema terræ, quia judicium Domini, &c. Nota, quòd Propheta hic apertè prædicit adventum Chriſti ad judicium, & dicit quod clamor ejus erit ſicut leonis, cum rugit: Dat hac metaphora intelligere, quod Chriſtus veniens ad judicium, emittet vocem ſuam terribilem, & omnipotentem: *Surgite mortui, & venite ad judicium,* quæ vox perveniet uſque ad extrema totius mundi, cui ſeptem tonitrua conſequentur: Diſcedite à me maledicti in ignem æternum: eſurivi enim, & non dediſti mihi, &c. quæ voces inſinuant graviſſimum terrorem, & horrorem, & tam intolerabilem, quòd præ magnitudine ſcribi non poteſt, imò nec intellectu capi. *Ser. 3. Dom. 25. Pent.*

288. *Exiſtens in peccato mortali, jacet in ſterquilinio fœtidiſſimo.*

Et erunt interfecti Domini in die illa: in ſterquilinio ſuper faciem terræ jacebunt. Ad litteram loquitur de interfectione futura multorum populorum; ſed myſticè loquitur de interfectis ſpiritualiter per peccatum mortale; iſti enim mortui jacent ſuper faciem terræ in ſterquilinio, quod eſt ipſum peccatum mortale fœtidius incomparabiliter quolibet ſterquilinio terreno, quia talis anima fœtet naribus, & auribus Dei, Angelorum, atque juſtorum. *Ser. 2. in Cœn. Dom.*

289. *Clamor orationis remedium optimum ad placandam iram Domini, & hoc maximè eſt proprium paſtorum.*

Ululate paſtores, & clamate, & aſpergite vos cinere optimates gregis, quia completi ſunt dies veſtri, &c. Vide quomodo Propheta ad evitandum tot ſtrages à Deo ſuprà comminatas, invitat paſtores, & optimates ad ululandum, & clamandum, & ad pœnitentiam: Iſtos ſolos invitat, quia ad exemplum Prælatorum, & optimatum ſemper ſequitur imitatio inferiorum: *clamate,* ait, ſcilicet in oratione, quia oratio eſt efficax remedium ad placandum Deum, & effugiendum ictus furoris Domini, & maximè ſi comitetur pœnitentia ſignificata in conſperſione cineris: *clamate,* ait, in oratione, toto corde pœnitentes, ac ſi jam gladio transfodi deberetis. Hoc diſcant Chriſtiani in tempore tribulationum imminentium, hoc agant Prælati & optimates cum ſuis populis. *Ser. 2. Dom. 2. quadrag.*

290. *Qui nunc ad lamenta pœnitentiæ non recurrit, effugere non valebit iram venturam ſupremi Iudicis.*

Facta eſt terra eorum in deſolationem à facie iræ columbæ, & à facie iræ furoris Domini. Proſequitur Propheta prædictionem deſolationis futuræ in judicio contra impios, qui noluerunt obedire voci Domini invitantis eos ad pœnitentiam; Tunc enim erit deſolatio univerſalis à Chriſto Iudice, qui proponitur primò ſub metaphora columbæ iratæ, ut inſinuet, quod Chriſtus miſcebit ſuam

juſtitiam

juſtitiam cum miſericordia: & puniet citra condignum, & tamen punitio erit ſeveriſſima à facie furoris ſui. *Luc.c.3.v.7.& Ugo hic.*

CAP. XXVI.

291. *Peccantes Prælatos, & ſacerdotes, ſubditi ſequuntur, & imitantur, ut accidit in morte Chriſti.*

CUMQUE *compleſſet Ieremias loquens omnia, &c. apprehenderunt eum ſacerdotes, & Prophetæ, & omnis populus, dicens morte moriatur.* Ecce quali ordine præcipitati ſunt Jeroſolimitani in perſecutionem Jeremiæ, & poſtea Chriſti prædicantium ejus veritatem: primò ſacerdotes, & Prophetæ præceſſerunt in perſequendo, eoſque ſecuti ſunt poſtea ſubditi, & inferiores, quia ex mala vita Prælatorum, & Sacerdotum conſequitur imitatio inferiorum. *In Thren.c.4.*

292. *Veritas prædicata à Chriſto odium Iudæorum in ipſum concitavit, ſicut & in Ieremiam.*

Iudicium mortis eſt viro huic, quia prophetavit adverſus Civitatem iſtam, &c. Vide quaſi illatione concludunt, Jeremiam eſſe dignum morte, quia prophetavit: ſi prophetavit, ergo verè Propheta, ergo veritatem prædicavit: Sic ſic eſt, quia apud impios veritas odium parit: ſic evenit Chriſto, & ideo ob prædicationem veritatis, condemnatus eſt ad mortem, *Luc.c.20.v.19.*

293. *Amor captivavit Chriſtum in manibus Iudæorum, & continuè ipſum in manibus ſacerdotum captivat in Eccleſia.*

Nunc ergo facite bonas vias veſtras, & ſtudia veſtra, & audite vocem Domini Dei veſtri: Ego autem ecce in manibus veſtris ſum, &c. Hoc dixit Jeremias, quando à Judæis, & maximè Sacerdotibus captivatus fuit, dans exemplum omnibus Prædicatoribus, & Prælatis in hoc, quod locutus eſt eis prudenter, dans eis conſilia ſancta; humiliter, cum fateretur ſe eſſe in manibus ſuis, expoſitus voluntati eorum; & conſtanter, dum proteſtaretur, ſe juſſu Dei locutum fuiſſe: & hoc fuit figura Jeſu Chriſti, qui à Judæis captivatus fuit, nec umquam deſtitit ipſos conſulere humiliter ſe gerere, & conſtanter: quod & continuè facit nobiſcum, maximè cum ſacerdotibus in Sacramento Euchariſtiæ ad oſtendendam bonitatem, & amorem ſuum: quæ enim major bonitas, quàm quod Chriſtus dignatur captivus eſſe in Altari: Unde nobis in Euchariſtia captivus amoris dicit inceſſanter: Ecce in manibus veſtris ſum, quod bonum & rectum eſt in oculis veſtris facite mihi: quid ergo nobis faciendum? Nota, quòd dum aliquis Dux propter ſuos captivus tenetur, non dimittitur, niſi det pecuniam magnam: ſic nec nos Chriſtum captivum dimittere debemus, niſi remiſſionem peccatorum nobis tribuat, & Regnum cœleſte ab eo accipiamus: & ideo Sacerdos elevans Corpus Chriſti in miſſa, & in Altari, omnibus nobis dicit: Ecce, quem totus mundus capere non poteſt, captivus noſter eſt, ergo eum non dimittamus, niſi quod petimus, prius obtineamus. *Op. Expoſit. miſſ. c.4.* o utinam ad hæc attenderent Chriſtiani, & maximè ſacerdotes ad illa, quæ ſubdit ſacer Textus: Ecce in manibus veſtris ſum, verumtamen ſcitote, & cognoſcite; ſi occideritis me, ſanguinem innocentem tradetis contra voſmetipſos: Indignè enim ſumentes Corpus Chriſti, quantum in ipſis eſt, occidunt Chriſtum in damnationem ſuam, & in ruinam populorum. *Sic Ugo Card. hic, & S. Bonavent. loco cit. op. de præparat. ad miſſam. c.4.*

294. *Iudices inſtruuntur exemplo ſeniorum Iſrael in ſuo ipſorum munere.*

Et dixerunt Principes, & omnis populus ad ſacerdotes, & ad Prophetas, non eſt viro huic judicium mortis, quia in nomine Dei noſtri locutus eſt ad nos, &c. Vide, quòd iſti Iudices cauſam Jeremiæ ſecundum acta, & probata terminaverunt, non declinantes ad dexteram, vel ſiniſtram, ſed ſecundùm veritatem, & juſtitiam: per hocque inſtruuntur Judices, ne declinent à juſtitia, nec ſint acceptatores perſonarum, quod etiam tenentur defendere oppreſſos à violentia potentum, & celeriter cauſas expedire. *Op. Eccleſ. Hier. p.2.c.2. Pſal.118.c.9.v.9.*

295. *Sine charitatis glutino, vel cæmento nulla fabrica Spiritualis poteſt ſubſiſtere.*

Sion quaſi ager arabitur, & Ieruſalem in acervum lapidum erit, & mons domus Domini in excelſa ſylvarum. Hæc fuit prophetia ab Amos prædicta, & hic apud Jeremiam repetita: ſed cur deſolatio Ieruſalem, & Templi, & Arcis Sion à Deo permiſſa? hoc fuit, quia defecit muris illis cæmentum, ſcilicet charitatis, ſine qua non poteſt ſubſiſtere Eccleſia, nec aliqua fabrica ſpiritualis, vel Congregatio, & cum qua ædificia eriguntur ad æternitatem: ô nimis verum, & experientia continua patet. *Opuſc. Diat. Tit.5.c.2.*

296. *Sancti aliquando licitè fugiunt perſecutores, & perſecutiones*, quando ſcilicet prudentia recta, id dictat, & non inſtat fidei periculum univerſale: hoc patet in Uria Propheta Sancto, de quo hic dicitur, quod *timuit Regem, & fugit in Ægyptum. op. Apol. paup. reſp.2.c.1. Ioan.c.7.v.1.*

CAP. XXVII.

297. *Dei conſilia expenduntur in imperio ab ipſo Rege Nabuchodonoſor ſuper populum Iſraël, & alia Regna impoſito.*

EGO *dedi omnes terras in manu Nabuchodonoſor Regis Babilonis ſervi mei, & ſervient ei omnes gentes, &c.* Sic per Jeremiam dictum eſt à Deo populo Iſrael, & ſicut dictum, ſic eſt confirmatum: ſed mirum videtur id, quod dicit de Nabuchodonoſor, appellans eum ſervum Dei: Regis Babilonis ſervi mei: quomodo ſervus Dei dicitur vir idololatra? vir aliorum oppreſſor, & alienæ rei uſurpator? Sed attende, quòd in hoc facto multa myſteria à Deo involuuntur: & primò, quod in hoc imperio figuratum eſt imperium Imperatoris Romanorum, quando natus eſt Chriſtus, tunc enim omnes ferè gentes ei ſubjectæ erant. *Luc.c.2.v.1.* Addunt alii Expoſitores ad ſenſum Seraphici Doctoris, quod Nabuchodonoſor, & omnis impius, & ipſe diabolus, velit, nolit, Deo ſervit: quod enim iniquus iniquè facit, Deus juſtè permittit, ut ſic Domino ſerviat in eo, quod per eum exercet juſtitiam ſuam in malos, & ſimul ſibi acquirit alios, ſcilicet bonos, quorum tot diabolus Chriſto acquirit, quot per tentationem ejus, vel flagellationem probati inveniuntur. *Pſ. 118.v.91.l.2.d.33.a.1.per totum.& l.2.d.44.dub.1.*

298. *Superioribus, etiam malis obediendum in his, quæ non ſunt contra Deum.*

Gens autem, & Regnum, quod non ſervierit Nabuchodonoſor, &c. in gladio, & in fame, & peſte viſitabo ſuper gentem illam, ait Dominus, donec conſumem eos in manu ejus. Ecce quomodo Deus præcipit, ut cuicumque poteſtati ſæculari, etiam iniquorum, obediatur: & licèt ab hæreticis hoc negatum fuerit, tamen Deus præcepit omnibus hominibus, ut obediatur Dominis ſæcularibus, etiam diſcolis, in his quæ ſunt ſecundum rectam conſuetudinem, & rationabilia, non verò in his, quæ ſunt contra legem Dei. *l. 2.d.44.dub.1. art.3. per totum.in Toren.c.1.*

299. *Nemo poteſt ſe ſubjicere dominio diaboli: Ubi de energumenis.*

Gens, quæ non ſervierit Nabuchodonoſor, &c. Nota, quòd ex his verbis ortus eſt error maximus (crediturque fuiſſe Origenis) quod cum Nabuchodonoſor fuerit figura diaboli, hinc ſequitur, quod videtur licitum ſe ſubjicere diabolo ad majus exercitium virtutum, quæ opinio eſt error maximus, & receſſit ab aula Eccleſiaſticæ fidei, ut ait Ugo Cardin. & ratio eſt, quia eſt maxima diſparitas inter Principem terrenum etiam peſſimum, & inter diabolum: nam Princeps terrenus exigit ea, quæ ſunt conformia legibus, & ſtatutis rationabiliter, & prudenter ordinatis: in iis verò, quæ ſunt contra Deum, non tenemur, nec debemus obtemperare: ſed diabolus ex perverſitate voluntatis ſuæ, ſemper inordinatè, & ad malum movet, & contra Deum: Unde licet poteſtas diaboli à Deo ſit, tamen ipſa abutitur in malum, & ad malum, ideo ſemper ei reſiſtendum, & pugnandum contra eum tamquam peſſimum adverſarium. *l.2.d.44.dub.1.* Hinc patet quantum decipiantur aliqui ſcioli, qui ſub ſpecie devotionis, & magis pro Chriſto patiendi, vel advocant diabolum ad ſui poſſeſſionem, vel ſi energumeni ſunt, nec curant, nec volunt ab Exorciſtis liberari, malè credentes, ſe contra Dei voluntatem facturos, ſi curant, & quærunt liberationem, non credentes, quàm male faciant recipere, & hoſpitari in domo propria tam peſſimum hoſpitem, qui ſemper inhiat ad perniciem & corporis, & animæ.

CAP. XXVIII.

300. NOTANDUM, quod in hoc capite exponitur Prophetia, & prædicatio Hananiæ pſeudo Prophetæ, qui ſe oppoſuit prædicationi Jeremiæ, & prænuntiavit liberationem futuram populi Iſraël à captivitate poſt duos Annos, quæ tamen verificata non fuit, cum mendaciter, & perverſe fuerit prædicta, & ideo in pœnam talis flagitii, eodem Anno mortuus eſt peſſima morte Hananias: quæ omnia ad moralem ſenſum trahuntur à Sanctis, quia in Ieremia figurantur Prædicatores veraces prædicantes ſine timore verbum Dei, & ſine acceptione perſonarum: & in Hanania Prædicatores mendaces, qui ob reſpectus humanos non exercent debitè ſuum munus, relinquentes peccatores in via ſua prava, & latam viam eis oſtendentes, iſtique juſtè à Deo in hac, & magis in alia vita puniuntur. *In Thren.c.2.*

CAP. XXIX.

301. *Prælatis, & Prædicatoribus præcipitur à Deo ædificatio Eccleſiæ, multiplicatio filiorum Chriſto, & Eccleſiæ.*

HÆC *dicit Dominus exercituum Deus Iſraël omni tranſmigrationi, &c. ædificate domos, plantate hortos, accipite uxores, generate filios & filias, &c.* Nota, quòd Ieremias zelans bonum ſui populi, ſcripſit Iudæis, qui erant in captivitate babilonica, eos docens, quid agere deberent, & præcipuè jubet, ut plantent hortos, ædificent domos, ſumant uxores, multiplicent filios, &c. conſervent pacem, &c. ſed myſticè iſta diriguntur ad Prælatos, & Prædicatores, ut ſciant quale ſit munus, & obligatio ipſorum, nempe ædificatio Eccleſiæ, & generatio filiorum Chriſto crucifixo: & hinc Seraphicus Pater S.Franciſcus hoc ſuis Prædicatoribus inculcabat, nempe ut ſuſcitarent ſemen fratri ſuo defuncto, ſcilicet Chriſto pro peccatoribus mortuo, per prædicationem, & converſionem peccatorum. *Op. legenda S.Fran.c.8.*

302. *Anima in hac captivitate carnis quærat pacem ſenſualitatis cum ratione*; ut illa ſubjiciatur, nec recalcitret contra rationem, & ad hoc exigitur ſcutum orationis, quo anima ornatur, & fortificatur contra vitia: Unde Ieremias hic dicebat Iſraëlitis exiſtentibus in captivitate babilonica: quærite pacem Civitatis, ad quam tranſmigrare vos feci, & orate pro ea ad Dominum, quia in pace erit pax veſtra *Pſal.* 118. *c.* 7. *v.* 4.

303. *Septuageſimæ ab Eccleſia inſtitutæ myſteria expenduntur.*

Hæc dicit Dominus: cum cœperint impleri in Babilone ſeptuaginta Anni, viſitabo vos, & ſuſcitabo ſuper vos verbum meum bonum, ut reducam vos ad locum iſtum, ego enim ſcio cogitationes &c. cogitationes pacis, &c. Cur poſt ſeptuaginta Annos ſolùm Iudæos reduxit ad Ieruſalem? Sed nota, quod hoc fuit figura captivitatis generis humani propter inobedientiam Adæ, quæ per Chriſti mortem, & reſurrectionem ablata eſt: Ideo ſeptuageſima ab Eccleſia inſtituta eſt, durans uſque ad Sabbathum in Albis, ut denotetur, quod per obſervantiam decalogi præceptorum, & per ſeptem dona Spiritus Sancti, quæ ſimul ſumpta conſtituunt numerum ſeptuageſimum, à captivitate diabolica reducimur ad reſurrectionis gloriam *Luc. c.* 16. *v.* 7. *& Pſal.* 17.

304. *Per verbum Dei devotè receptum, à captivitate diaboli ad poſſeſſionem libertatis redimur. Unde hic dicitur: & ſuſcitabo ſuper vos verbum bonum, ut reducam vos ad locum iſtum. Pſal.* 118. *c.* 8. *v.* 2.

305. *Oratio ut exaudiatur debet eſſe fervens, non tepida.*

Et invocabitis me, & orabitis me, & exaudiam vos cum quæſieritis me in toto corde veſtro. Nota, quòd dicit in toto corde, ſcilicet ferventer, & devotè, & integrè, & non aliter, unde tepor ſæpe eſt cauſa vacuitatis orationis. *Op. de perfect. religioſ. l.* 2. *c.* 71. *ſer.* 6. *in Rogat.*

306. *Deus in judicio erit Iudex, & teſtis, cum ipſi omnia ſint aperta, & nihil abſconditum; ſic dicit hic: Ego ſum Iudex, & teſtis. Ioan. cap.* 2. *in fine. Sap. c.* 1.

CAP. XXX.

307. *Iuſtis tribulationes ſunt ad modicum: Impiis ſunt in ſempiternum.*

EGO tecum ſum, ait Dominus, ut ſalvem te: faciam enim conſummationem in cunctis gentibus, &c. te autem non faciam in conſummationem. Vide diſcrimen tribulationum juſtorum, & impiorum: nam tribulationes juſtorum ſunt temporaneæ, non ad condemnationem pro alia vita: At impiorum tribulationes, hic incipiunt, & continuant cum æterna pœna: Undè illi in morte tranſeunt de tribulatione, & labore, ad conſolationem; & gloriam: iſti de labore, ad laborem, de afflictione ad afflictionem. *Sap. c.* 16. Ex iſtorum genere fuit Iudæa tempore hujus Prophetæ, quibus dixit Deus: *Inſanabilis fractura, peſſima plaga tua, &c.* talis enim eſt caſtigatio à Deo immiſſa in obſtinatos, quibus ſic exigentibus ipſorum culpis, duriores fiunt. *Ioan.* 19. *v.* 5. *Sap. c.* 1. *&* 15. *&* 16.

308. *Qui alios vaſtat, & torquet, à Deo vaſtabitur, & torquebitur.*

Sic enim juſto Dei judicio evenit Babiloniis, qui devaſtaverunt terram Iſraël, & ipſi devaſtati ſunt ab aliis hoſtibus: hoc enim facit divina juſtitia, ut qui proximum lædit, lædatur ipſe, & per quæ quis peccat, per hæc & puniatur, ut dicitur in *Sap. c.* 11. *v.* 17. Statuit enim Deus pœnam talionis contra proximum offendentes, ut patet in Levitic. *c.* 24. *v.* 20. Væ igitur illis, qui ad pœnam, & ad judicia injuſtè alios injuſtè trahunt. *Ser.* 3. *fer.* 4. *Pent. Pſal.* 118. *c.* 6. *v.* 15. *ſer.* 4. *Dom.* 2. *poſt Epiph.*

309. *In Eccleſia, & Religionibus ordo in omnibus ſervandus, maximè in vita ſpirituali.*

Et ædificabitur Civitas in excelſo ſuo, & Templum juxta ordinem ſuum fundabitur. Nota, quòd hic Propheta prædicit reædificationem futuram Civitatis Ieruſalem, & Templi, quæ jam diruta fuere à Babiloniis: Ut autem hæc ad mores pertrahantur, notandum illud verbum, *In excelſo ſuo ædificabitur Civitas*, ſcilicet Eccleſia, & Religio à Chriſto ædificabitur in apice perfectionis, Addit & *Templum juxta ordinem ſuum:* Quis ordo in Templo? Dat per hoc intelligere, primò, quod in Eccleſia debet eſſe, & ſervari ordo in miniſteriis, alioquin eſſet veluti Babilon, & confuſio maxima, ordo, inquam, Hierarchicus ſecundum gradus ſuperiores, & inferiores ſubordinatos, in quibus conſiſtit pulchritudo maxima, decorque Sanctæ Eccleſiæ, de quo ordine vide. *l.* 2. *d.* 9. *in expoſit. Text. & quæſt.* 7. *opuſc. Brevil. p.* 6. *cap.* 12. *opuſc. Eccleſ. Hier.* 1. *cap.* 1. *ſeq. ſermon.* 21. *Hexam. ſerm.* 2. *de uno S. Doctor. De ordine, & ædificatione in Religionibus obſervanda*, Vide *opuſc. ſpec. diſcipl. p.* 1. *cap.* 14. *& deinceps.* Et hic ordo à miniſtris Eccleſiæ, & Religioſis eſt addiſcendus: ordinis enim ignorantia perturbat formam meritorum, nec reputatur in nobis perfecta rei cognitio exiſtente, etiam ſi ſciamus quid faciendum, & poſtea ignoremus, quo ordine ſit procedendum. *Op. ſolil. c.* 1. *in princip.* Ordo item ab unoquoque Religioſo obſervari debet in ſuis peculiaribus actionibus tanquam neceſſarius ad aſſequendam perfectionem. *Op. Eccleſ. Hier. p.* 4. *c.* 12. *Pſal.* 118. *c.* 10. *v.* 8.

310. *Religioſorum ſtatus eſt ludentium coram Domino.*

Et egredietur de eis laus, voxque ludentium, & multiplicabo eos, & non minuentur. Nota, quod hic loquitur de miniſtris Templi, prædicitque, quòd in Templo, in cultu Dei, & laudibus divinis ſe exercebunt: & ludentes erunt, voxque ludentium: quomodo ludentium? ergone in Templo ad ludos ſe exercebunt? ſed attende, quòd iſti ludi non ſumuntur in malum, ſed in bonum, Alluſioque fit ad ludos paleſtræ: Paleſtra enim fuit ludus oudè luctantium, qui ſe oleo perungebant, ne à colluctantibus teneri poſſent, & ita ad terram dejici: Sic etiam Religio eſt ſchola paleſtralis, exercitii perfectionis: & ideo Religioſi peruncti oleo gratiæ Spiritus Sancti, & devotionis, ſe mutuò exercent in virtutibus patientiæ admirandæ, humilitatis perfectæ, charitatis arduæ, ſobrietatis eximiæ, paupertatis, & ſublimis devotionis, & ſimilium virtutum, in quibus unuſquiſque alium ſuperare intendit. *Op. de ſex Alis Seraph. c. 7.*

CAP. XXXI.

311. *Charitatis divinæ immenſitas, principium, medium, & finis expenduntur.*

IN charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miſerans, Hæc dixit in perſona Dei Ieremias populo Iſraël, prædicens ei reverſionem ipſius in terram ſuam ex captivitate, reædificationem Templi, & proſperitates hinc conſequentes: ſed quia hæc charitas, quoad effectus non fuit eis perpetua, quia denuò Templum fuit deſtructum, & iterum in captivitatem redacti fuere; hinc & de aliis effectibus charitatis divinæ, & maximè in Chriſtianum populum loqui dicendum eſt: Nobis igitur ſingulis perpetuò clamat Deus: In charitate perpetua dilexi te, in quibus & principium, & medium, & finis tantæ charitatis innuit, ideo benè dicit, in charitate perpetua, nam dilexit nos ante omne tempus, & in omni tempore vitæ præſentis: ante omne tempus, ſcilicet antequam eſſet homo, vel Angelus quia ab æterno; & ipſe antequam tu naſcereris Regnum præparaverat, & filium ſuum mori fecerat: dilexit te ô homo per omne tempus, à nativitatis tempore, uſque ad tempus mortis, nec ulla hora pertranſire poteſt ſine aliquo ſigno dilectionis ſuæ: dilexit te item, non dilectione ſolùm temporali, ſed æterna, ſcilicet ad vitam æternam te deſtinando: ô qualis dilectio Domini Dei noſtri in nos, qui prior dilexit nos, ut ſub tali priore ad ordinem charitatis, & dilectionis in Deum initieris, & ne hoc tempus prætereas, ne tale tributum Deo debitum rependas. *Serm. 1. fer. 2. Pent. ſer. 3. de S. Ioan. Evang. in addit. Pſ. 118. c. 11. v. 6. Ioan c. 12. v. 35. & coll. 17. & 64. & 68. op. myſt. Theol. c. 2. p. 2. op. Comp. Theol. l. 1. c. 14. & p. 14. cap 5.*

312. *Amoris, & charitatis fune aurea ad ſe nos attrahit Chriſtus*

In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miſerans, &c. Attraxit, & attrahit nos: ſed qua fune? fune ſcilicet ſuæ charitatis attrahit: ſed quò? Attrahit ad ſe, ad crucem, & ideo extendit continuè ad nos hanc funem auream, flagellis, beneficiis, inſpirationibus, ut & nos manus noſtras extendamus, & per bona opera ad ipſum tendamus, quod ſi hoc neglexeris, tua culpa erit, ſi non evadis è periculis, ſi non in alium attraheris. *Ser. 1. & 2. fer. 4. Pent.*

313. *Trahit Chriſtus bonos ad ſe: diabolus, malos.*

Ideo attraxi te miſerans. Sic dicit continuè Chriſtus: nota, quod dicit, attraxi te: quis iſto attractus; ſed attende, quod trahit Chriſtus homines, trahit & diabolus: Trahit Chriſtus obedientes ad ſe per promiſſa, per comminationes, per flagella, per proſperitates, per gratiam, per inſpirationes. Trahit & diabolus de bono ad malum, de malo ad malum, & de mondo ad Infernum: Trahit, inquam, ad ſeipſum ſuggeſtionibus per malos homines, ut ipſos ad infernum finaliter trahat: & hinc patet hominum protervia, qui Chriſtum tot funibus aureis invitantem, & trahentem, nolunt ſequi, ſed potius diabolum decipientem. *Ser. 3. fer. 4 Pent. ſer. 3. de S. Ioan. Evangel. in addit. Ioan. c. 6. v. 45.*

314. *Prælati, & Prædicatores tanquam galli, & cuſtodes excitant peccatores ad pœnitentiam.*

Erit dies, in qua clamabunt cuſtodes in monte Ephraim, ſurgite, & aſcendamus in Sion ad Dominum Deum noſtrum. Nota, quòd explicat Propheta miſſionem Apoſtolorum, Prælatorum, & Prædicatorum factam à Chriſto, ut ipſi clamarent in monte Eccleſiæ: clamarent, ut galli, & inceſſanter excitarent, per prædicationem peccatores ad pœnitentiam, hoc enim eſt officium ipſorum, & ad hoc poſiti ſunt in Eccleſia. *Serm. 5. Dom. 1. Adv.*

315. *Qui ad Chriſtum in fletu vadit, in gaudio, & exultatione vivet.*

In fletu venient, & in miſericordia reducam eos per torrentes aquarum in via recta, &c. quia factus ſum Iſraëli Pater. Hæc dixit Deus, agens de reductione populi ad terram Iſraël, venient, inquam flentes, ſed reducti in ſuam terram, vivent gaudentes. Hoc myſticè dicit de omnibus fidelibus, qui flentes, & pœnitentiam agentes, ad Chriſtum confugiunt: iſti enim in gaudio metent, & veluti filii chariſſimi, ſub alis Chriſti Patris dulciſſimè; exultabunt; & ideo dixit Chriſtus ſuis: plorabitis, & flebitis vos, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium: ô felices lachrymæ: ô beatus fletus pœnitentis animæ. *Diet. Tit. 7. a. 3. Luc. 6. n. 21. Ioan. c. 16. Thren. cap. 1.*

316. *Pœnitentia reddit hominem verè filium, & Deum Patremipſius.*

In fletu venient, & in miſericordia redimam eos, & obducam eos per torrentes aquarum in via recta; quia factus ſum Iſraëli pater. Sic dicit Deus: quomodo dicit, quod denuò factus eſt pater Iſraëli? nonne erat etiam prius? Erat quidem Deus Pater ſed habitu tantùm, quia Iſraël perdiderat, quod erat filii, elongando ſe per vias perditionis à Deo, ſed ad pœnitentiam rediens, & cum fletu veniens ad Chriſtum, ipſe talem pœnitentem recipit, amplexatur, & oſculatur, & ſicut filio prodigo evenit fœliciter, iterum fit Pater amantiſſimus illius, qui prius filius diaboli erat: ô miſericordia ineffabilis Dei noſtri. *Luc. c.15. v.17.& deinceps & ſer.2. Dom.14.Pent.*

317. *Chriſtus paſtor qualis ovium.*

Qui diſperſit Iſraël (ideſt diſperdi permiſit) congregabit eum, & cuſtodiet eum ſicut paſtor gregem ſuum: redemit enim eum de manu potentis. Ecce quomodo Chriſtus ſe paſtorem perfectiſſimum declarat ovium ſuarum: Venit enim in hunc mundum, & inveniens oves errantes per devia, aſcendit in Crucem, ut è Cruce oves errantes ad ſe vocaret, & attraheret, quas extra cauſam Eccleſiæ per fidem colligit, paſcit collectas per doctrinam, per gratiam, per euchariſtiam, cuſtodit, & defendit à lupo infernali: ô felix ovis Chriſti? ô quàm dulcis amor, & pietas noſtri paſtoris. *Ser.1.2.& 3.Dom.1.poſt oct. Paſcha.Pſal.118.c.7.v.10.*

318. *Idem de Chriſti amore in oves ſuas.*

Congregabit eum, & cuſtodiet eum ſicut paſtor gregem: redemit enim Deus Iacob, & liberavit eum de manu potentioris, & venient, & laudabunt in monte ſion, & confluent ad bona Domini &c. eritque anima eorum quaſi hortus irriguus. Vide, & iterum perpende miſericordiam Chriſti ſummi Paſtoris, qui non contentus paſcua abundantiſſima præparare in hac vita, in Eccleſia, eas congregabit, & congregat continuè in monte ſion, ſcilicet in Civitate cœleſti poſt liberationem ipſarum de manu diaboli, qui eas multipliciter afflixerat: congregat, inquam eas in monte ſion ad contemplandum perpetuò claritatem Dei in lætitia, & exultatione, ubi nullum eſt malum, & ubi eſt omne bonum. *Ser.1. Dom.1.Adv.ſer.2. Dom.1.poſt oct.Paſcha.*

319. *Animæ pœnitentis felicitas ad Chriſtum reducta expenditur.*

Congregabit eum, & cuſtodiet eum ſicut paſtor gregem ſuum, & venient, & laudabunt in monte ſion, & confluent ad bona Domini ſuper frumento, & vino, & oleo, eritque anima eorum quaſi hortus irriguus &c. Nota ô lector hæc verba, & ſigna myſteria, & attende ad bona, quæ promittit Deus animæ flenti peccata, & pœnitenti, & ad Chriſtum redeunti: nam per pœnitentiam introducitur anima in montem ſion, ſcilicet in Eccleſiam per gratiæ filiationem, & unitatem, in qua anima fit quaſi hortus irriguus, quia ad ipſam emittit Chriſtus fluenta emanationum cœleſtium, nempe rectam intentionem, pia deſideria, humilem ad Deum, & proximum voluntatem, gratiarum affluentiam; profluvium lachrymarum, & devotionis, & virtutem agentem, & producentem fructus dignos ex fide, & imitatione paſſionis Chriſti Jeſu. *Ioan. collat.39.& 79.* *Tunc lætabitur Virgo in Choro, juvenes, & ſenes ſimul, & convertam luctum eorum in gaudium, & conſolabor eos, & lætificabo à dolore ſuo, & inebriabo &c.* Ex quibus patet qualis felicitas animæ pœnitentis, & quomodo dolor contritionis verè lætitiam inenarrabilem affert animæ. *Pſal.118.c.6. v.2.Eccleſ.Hier.p.1.c.3.l.3.d.16.a.1.q.2.*

320. *Pſalmodiæ in Choro fructus expenduntur.*

Tunc lætabitur Virgo in Choro (in congregatione legunt ſeptuaginta) juvenes, & ſenes ſimul, & convertam luctum eorum in gaudium, & conſolabor eos, & lætificabo & inebriabo animam ſacerdotum pinguedine, & populus meus bonis adimplebitur, ait Dominus. Notent hæc verba Religioſi, & Clerici Choro addicti ad Deum laudandum: ait enim, quòd lætabitur Virgo: & quomodo? & in quo loco lætabitur ſimul cum juvene, & ſene: & cum ſacerdotibus, qui inebriabuntur pinguedine, ſcilicet ſpiritus? hoc eſt in Choro, nempe pſallentium: & meritò tot bona promittuntur pſallentibus in Choro, quia imitatores ſunt Angelorum, & beatorum, qui non ceſſant Deum laudare die, ac nocte: & ideo intereſſunt Angeli cantantibus, adſunt orantibus, inſunt meditantibus, ſuperſunt quieſcentibus, ordinantibus, & procurantibus proſunt, & quantò magis dulcem cantum & dulciora orationis verba à nobis audiunt, tantò magis amici noſtri fiunt & libentius nos auſcultant, ſtantes in medio juvencularum, ſcilicet animarum timpaniſtriarum, & quod amplius eſt; in medio eorum ſtat Chriſtus inebrians dulcedine cœleſti devotè pſallentes, & ſimul populum audientem. Et ad hoc rectè, & ritè faciendum, debent Clerici ſeipſos in corpore, & anima totaliter immolare Chriſto, Sacramenta populo miniſtrare, & laudes Deo decantare, & voce exteriori, & voce cordis interiori, ut ſint in ſe quaſi hoſtiæ immolati, proximo obligati, & ad Deum ordinati. O beati, qui ſic inhabitant in domo Domini. *Ser. 4. Dom. 8. Pent. ſer.1 in feſt.om.ſanctor. ſer.de Dedicat.in communi, & ſer. 1. de Dedicat. De modo pſallendi devotè in Choro. Vide Op.ſpecul.diſcipl.p.1.c.15.*

321. *Sacerdos ſit in ſe ita devotione inebriatus, ut alios inebriare poſſit.*

Et inebriabo animas ſacerdotum pinguedine, & populus meus bonis meis adimplebitur, ait Dominus. Nota hunc ordinem: primò promittit inebriationem ſpiritualem animabus ſacerdotum, non autem infuſionem bonorum populo, ſed tantùm infert ex inebriatione ſacerdotum conſequi debere adimpletionem in populo bonorum omnium: cur non dicit, & adimplebo populum, ſicut dixerat, Inebriabo animas ſacerdotum? ſed attende ad myſterium, & ad obligationem ſacerdotum: Dat enim intelligere, quòd ſacerdotes debent ita vivere, ſic Deo uniti, ſic addicti,

ut poſſint à Dei repleri pinguedine, ſcilicet cognitionis, & affectionis de Deo, ut alios replere & reficere poſſint. *Op. Eccleſ. Hier. p.1. c.3.* Hinc in fert, quod ſi ipſi vacui devotione, & ſpiritu Dei ſunt, qualiter ſe habebit populus.

322. *Eccleſiæ fletus ſuper filios ſuos expenditur. ubi de morte ſanctorum Innocentium: de pœna exiſtentium in Purgatorio, & damnatorum.*

Vox in excelſo audita eſt lamentationis, luctus, & fletus: Rachel plorans filios ſuos, & noluit conſolari ſuper eis, quia non ſunt: Septuaginta legunt, vox in Rama, eſtquè locus juxta Gabaa, duodecim milliaria à Bethleem, ubi mortua eſt, & ſepulta Rachel, quem locum aſſumpſit ſanctus Matheus, loquens de cæde ſanctorum Innocentium, qui licet non eſſent de tribu ſua, ſcilicet Ephraim, ſed Juda; tamen dicitur Rachel, licet mortua talem cædem ploraſſe, ad exagerationem doloris talium puerorum, qui tantus eſt, quod etiam mortua dicitur eos flere: Ad litteram verò Ieremias intendit deplorare occiſionem decem Tribuum, quæ ferè extinctæ ſunt in captivitate Babilonica, demptis pauciſſimis. Myſticè autem eſt Eccleſia, quæ plorat innocentes, & Martyres, qui fuerunt tam dirè occiſi: plorat & filios, qui non ſunt, ſcilicet ſeparati ſunt à gratia Dei, & æternaliter damnati: vel plorat filios ſuos, qui exiſtunt in Purgatorio, pro quorum præmii dilatione plorat. *Sic Ugo Card.*

323. *Spes præmii cæleſtis aufert omnem triſtitiam, & minuit laborem hujus vitæ.*

Quieſcat vox tua à planctu &c. quia eſt merces operi tuo. Nota hic rationem, quam affert, ut quieſcat à ploratu, ſcilicet quia eſt merces, nempe præparata operi tuo, quaſi dicat: Noli flere pro adverſis, quæ tibi occurrunt in hac vita, quia nihil eſt, quod pateris, nihil eſt, quod operaris, ſi mercedem operis attendis: ſi ergo labor terret, merces invitat, unuſquiſque ſecundum laborem ſuum mercedem accipiet, & in hoc commendatur divina miſericordia in ſuos, quam nobis oſtendit, & quantum ad cordis affectum, & quantum ad affectum oris, & quantum ad effectum operis, ut nos in hac valle miſeriarum conſoletur. *Ser.3. Dom. ſeptuag. Luc.c.7.v.15.* Et hinc addit Beda: Inter odia cordium, inter probra linguarum, inter manus perſequentium, æquali imò lætiori corde verſemini intuitu mercedis ſupernæ: gaudete, ait Chriſtus, quoniam merces veſtra copioſa eſt in Cœlo, gaudete in tribulationibus, ob retributionem bonam vobis præparatam, quia ut addit ſacer Textus: eſt ſpes noviſſimis tuis. *Luc.c.6.v.23.*

324. *Poſt fletum, & tribulationem ſequitur conſolatio, & merces ad proportionem fletus &c.*

Quieſcat vox tua à ploratu, & oculi tui à lachrymis, quia eſt merces operi tuo, ait Dominus, & revertentur de terra inimici. Sed quid eſt hoc, quod ſuadet Propheta? ergone in hac vita exulandus eſt fletus, & lachrymæ rejiciendæ, & ablegandæ? nonne dixit Chriſtus: plorabitis, & flebitis vos in hac vita? & beati qui lugent, ſcilicet in hoc mundo? & meritò, quia hæc vita, & hoc tempus hujus vitæ eſt fletus, non riſus? Sed attende, quod hæc dicuntur à Deo animæ revertenti de terra inimici, nempe animæ, quæ ex hoc exilio reducitur ad gratiam poſt mortem: quaſi dicat: ô tu qui in hac vita dolebas, quod Creatorem tuum, quod Redemptorem tuum amicum verum offendiſti, quieſcat modo vox tua à ploratu, quia intras in terram, in qua locum non habet fletus, & triſtitia, ſed ibi ſuperabundat gaudium, & lætitia & per hoc dat intelligere Spiritus Sanctus, quòd qui cognoſcunt ſe ſemper peccare in hac vita miſerabili, debent etiam ſemper plorare, quia eſt vita fletus, & doloris, ut in alia vita abſtergant omnem lachrymam, & fletum, & ſemper in æternum gaudeant: nam aut continui dolores cruciabunt hanc vitam temporalem, aut æterni cruciatus vexabunt puniendam animam noſtram: plora ergo in hac vita peccata, ut poſt hanc vitam quieſcat vox tua à ploratu, & oculi tui à lachrymis. *Ser.2. de plurib. mart. in Dedicat. Luc.c.6.v.23.*

325. *Peccatoris converſio ante omnia exigit divinum lumen, deinde cooperationem peccatoris.*

Caſtigaſti me, & eruditus ſum, quaſi juvenculus indomitus: converte me, & convertar, quia tu Dominus meus. Ecce ordo converſionis peccatoris expreſſus in his verbis, caſtigaſti me, ait pœnitens, quia Deus immittit tribulationes impiis ambulantibus per vias pravas, ut reſipiſcant, ſimulque immittit ſuum lumen, ut cognoſcant proprium ſtatum peſſimum, ſimul etiam gratiam excitantem, cui ſi obtemperent, tunc fit perfecta converſio ad Dominum: & cum Deus omnes ad ſe vocet multipliciter, nulla datur excuſatio in peccato. *Luc.c.7.v.10. & c.17.v.13. & c.23. v.1.* Et hoc idem confirmatur ex verbis ſequentibus ſacri textus, ubi dicitur in perſona peccatoris: *poſtquam convertiſti me, egi pœnitentiam, & poſtquam oſtendiſti mihi percuſſi femur meum, confuſus ſum, & erubui, quoniam ſuſtinui opprobrium adoleſcentiæ meæ &c.* Ecce quid facit lux à Deo adveniens animæ peccatrici, & devotè ab ipſa recepta: facit enim cognoſcere ſtatum peſſimum peccatoris, cauſat erubeſcentiam, de fæditate, & ſceleribus pœnitentiam aſſumit, & ſic remiſſio peccatorum à Deo datur. *Luc.c.15.v.10. ſer.1. & 2. de S. Matt. Apoſtol. In Thren.c.1.*

326. *Qui vult agere rectam pœnitentiam, & peccata confiteri, aſcendat in ſpeculam prius, & ibi ploret, & dirigat vias ſuas.*

Statue tibi ſpeculam, pone tibi amaritudines, dirige cor tuum in viam rectam &c. revertere &c. Ad litteram ſuadet Propheta Iſraëlitas, ut veluti poſiti in monte, & loco alto, & ſublimi, adſpiciant ea, quæ ſunt longè, & propè, nempe antiqua beneficia Dei, & præſentia, & peccata contra Deum commiſſa, & converſi emendent vitam pravam. Ad quemlibet noſtrum intendentem agere pœnitentiam diriguntur iſta verba, & præcipuè

cipuè proponentem confiteri peccata: ſtatue tibi ſpeculam, ait Deus, ideſt veluti in alto poſitus verte, & recogita peccata commiſſa, vitam, quam per devia duxiſti, & deinde convertere, & dole de peccatis tuis, & dirige cor tuum in viam rectam ſcilicet per integram confeſſionem, & perfectam contritionem, atque ſatisfactionem, & tali pacto reverteris ad ſtatum felicem filiorum Dei habitantium in Civitate Jeruſalem &c. Et nota, quod dicit dirige cor tuum per viam rectam, ſcilicet non declinando ad dexteram, vel ſiniſtram, ita ut caro obediat ſpiritui, & ſpiritus condeſcendat tantùm neceſſitatibus carnis, ne ſuccumbat ad moriendum, & hoc per diſcretam caſtigationem, ordinando totum per rectam intentionem in Deum. *Ser.1.Dom.4.Adv. Luc.c.13.v.8.*

327. *In deliciis externis, & internis vivens, maximè Virgo, & mulier periclitabitur.*

Uſquequò diſſolveris delitiis filia vaga? Nota, quòd diſſolutionem collocat in deliciis, ſcilicet exterioribus, & interioribus: nam veſtis pretioſa, & vita delitioſa ſignum ſunt, & cauſa omnis diſſolutionis, ſuntque propriæ, non ſpiritualium, ſed mundanorum, quæ tamen majus excitamentum, ad peccata generant in mulieribus, & maximè in Virginibus, & Viduis. *Luc.cap.7. v.15.*

328. *Incarnationis opus fuit novum in mundo.*

Creavit Dominus novum ſuper terram: fœmina &c. Certum eſt, quòd hic loquitur Propheta de Incarnatione Verbi, quæ dicitur opus novum: ſed quomodo dicitur novum, cum dicatur alibi, Deum ceſſaſſe ab omni opere, & nihil novum accidere ſuper terram? *Eccleſ.c.1.* Sed reſpond. eſſe novum ſuper terram, nempe ſuper omnia naturalia, cum aliud ſimile in natura non poſſit reperiri: Deus autem ceſſavit ab operibus ſpectantibus ad ordinem naturæ, & in hoc ſenſu dicitur nihil novum advenire, ſcilicet vel quod non præhabuerit principia, vel aliud ſimile in natura; ergo opus Incarnationis fuit aliquid novum, & omnium novitatum noviſſimum, & mirabiliſſimum. *l.2.d.15.dub.4.l.3.d.6.a.2.q.2.Ecclen. c.1.*

329. *Miracula expenduntur facta in Conceptione Verbi, ex parte Matris, Filii, & Spiritus Sancti.*

Creavit Dominus novum ſuper terram: femina circumdabit virum. Quomodo dicitur à Deo creatum novum conceptio viri in utero mulieris? ſed attende, quòd patenter loquitur de Conceptione Verbi in Utero Mariæ Virginis: hancque appellat quid novum, quia eſt opus ſuper omnes novitates noviſſimum, quia in hac Conceptione mirabiliſſima inter alia multiplex miraculum concurrit tam ex parte Matris, quam prolis: Ex parte Matris inter alia hæc mira relucent, quia fuit ſine corruptione fœcunda, ſine gravedine gravida, ſine dolore puerpera: ibi portavit ſtella ſolem, palmes vitem, rivus fontem, filia patrem, creatura Creatorem: fuit filia nati, Mater Patris, fuit prole poſterior, contento minor, Mater, & Virgo cum Deo filium communem habens: maledictionem legis evaſit, in qua maledictæ fuerunt Virgines non generantes, & corruptæ, quia in dolore pepererunt: ipſa verò Virgo Maria, genuit, & dolorem non ſenſit. Ex parte prolis inter alia mirabilia hæc notantur, quia in inſtanti fuit ibi ſanguinis ſeparatio, conſolidatio, & organizatio: Unde dicitur: fœmina circumdabit virum, ſcilicet concipiet filium perfectè organizatum, & hoc totum fuit in inſtanti, licet poſtea ſucceſſivè ſpatio novem menſium fuerit factum augmentum membrorum Corporis. Item hoc fuit novum, quod iſte parvulus ab inſtanti ſuæ conceptionis ſcivit omnia, & Anima fuit perfectè beata; & ideò ſimul viator & comprehenſor: habuit Patrem in Cœlis ſine matre, & Matrem in terris ſine Patre: ſicque Dominus factus eſt ſervus, æternus temporalis, immenſus parvulus, ſummus imus, incomprehenſibilis localis, ſimplex compoſitus: & in hac conceptione virtus innata Matris materiam miniſtravit: virtus infuſa purificando ad unionem Verbi adaptavit, & virtus increata ſubitò profecit, quod natura non potuit niſi ſucceſſivè. Ex quibus elucet mirabilis potentia Dei, & qualis concurſus fuerit ex parte Virginis Mariæ in hoc tanto opere: nam conſenſum præbendo, recipiendo virtutem infuſam Spiritus Sancti, ipſa præbuit materiam ad formandum Corpus Chriſti, concurrit activè virtute ſua innata, & ad organizationem, & unionem cum Verbo concurrit inſtrumentaliter virtute infuſa: & tali concurſu præparavit nobis in ſuo Utero Corpus, & ſanguinem, quæ poſtea à Chriſto collocata ſunt in Euchariſtia, & ideo hoc opus verè dicitur miraculum omnium miraculorum. *Op.Comp.Theol.l.4. c.10.& 5. Op.ſpec. B.Virg.lect.5.& 7.ſer.2.in Can. Dom.Pſal.32.& 101. In Thren c.3. Luc.c.1.v.27. & c.11.v.27. Ioan. c.2.v.21. Ecclen c.1.l.2.d.15. dub.4.& l.3.d.3. p.1.a.1.q.3.& p.2.a.3. q.1.& l.3. d.6.a.2.q.2.& d.18.a.1.q.1.*

330. *Chriſtus in Uterum Beatæ Virginis deſcendens qualem benedictionem ipſi portavit, & per Mariam nobis.*

Adhuc dicent in terra Iuda verbum iſtud, cum convertero captivitatem eorum: benedicat tibi Dominus, pulchritudo juſtitiæ, mons ſanctus: mons ſanctæ legit Hebræus. Ecce quid ad conceptionem Verbi in Utero Beatæ Virginis conſecutum eſt, nempe è Cœlo juſtitia, & plenitudo virtutum, ſcilicet Chriſtus deſcendit, & omnem benedictionem, & pulchritudinem in Mariam ſignificatam in monte ſancto, propter excellentiam meritorum ſuper omnes Sanctos, & Angelos, portavit: Unde mirabiliter elucet pulchritudo juſtitiæ in hoc monte, quia apparuit pulchra in vita, pulchra in morum diſciplina, & tota pulchra: & per hanc pulchritudo benedictionis, & juſtitiæ ad nos pervenit. *Op.ſpec.B.Virg.lect.14. Pſal.118.c.11.v.4.*

331. Ex

331. *Ex Incarnatione Verbi in Utero Beatæ Virginis proceſſit præparatio cibi, & potus ſatiantis, & inebriantis animam in Sacramento Euchariſtiæ.*

Creavit Dominus novum, ſcilicet formavit in Utero Virginis Corpus, & ſanguinem filio ſuo: quo opere facto, ecce, quod Chriſtus ſubjungit: *Inebriavi animam laſſam, & omnem animam eſurientem ſaturavi.* Quomodo inebriavit, & ſaturavit? Sed audite Chriſtum, qui dicit Prover. c. 9. *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miſcui vobis*: quis panis? quod vinum, niſi panis, quem formavit in Utero Virginis, & ſanguis, quem præparavit, ut animam laſſam inebriaret, & eſurientem ſaturaret? non eſt enim plena refectio, nec omnimoda refectionis delectatio, niſi cum cibo potus jungatur: & hanc eandem refectionem, non ſolùm nobis viatoribus, ſed & animabus beatis præparavit, quo delectentur, quo reficiantur, quo ſatientur. *Op. de dono ſap. c. 5. 6. & 7. Pſal. 118. c. v. 15.*

332. *Amor intenſiſſimus Chriſti in nos mortem ſuam veluti ſomnum dulcem facit appellare, & reſurrectionem ſuſcitationem de ſomno.*

Ideo quaſi de ſomno ſuſcitatus ſum, & vidi, & ſomnus meus dulcis mihi. Hæc ſunt verba in perſona Chriſti prolata à Propheta, quibus poſt Incarnationem prædictam, inſtitutionemque Euchariſtiæ etiam prophetat mortem ſub metaphora ſomni, & reſurrectionem ejus ſuſcitationis à ſomno, ut videas, quàm intenſus fuerit amor Chriſti in nos, dum mortem crudeliſſimam ſomnum dulcem appellat. *Op. de Inviſibilis. Dei.*

333. *Verbi Dei prædicatio facta à Chriſto aliis in ſalutem fuit, aliis in damnationem.*

Ecce dies veniunt, & ſeminabo Domum Iſraël, & domum Iuda ſemine hominum, & ſemine jumentorum, & ſicut evigilavi ſuper eos, ut evellerem, & demolirer, & diſſiparem, & perderem: ſic evigilabo ſuper eos, ut ædificem, & plantem, &c. Quodnam eſt hoc ſemen hominum, & jumentorum à Chriſto coactum, & ſeminatum ſuper domum Juda? Nota, quod hic prædicit in perſona Chriſti prædicationem verbi Dei, quæ à Chriſto facta eſt in Judæa per ſe, & per ſuos miniſtros, & ſemper viguit in Eccleſia Dei: Aſſignat autem hic duo genera audientium Dei verbum, ſcilicet hominum, & jumentorum, ut ſignificaret, quod alii audiunt verbum Dei, ut homines, nempe credentes, & devotè in corde optimo recipientes ſemen cœleſte: Alii, ut jumenta, beſtialiter viventes, quibus non eſt in ſalutem, ſed potius in damnationem: Primos tali ſemine ædificat, & plantat, ſcilicet fœcundat virtutibus: Secundos deſtruit, & diſſipat, quod diſcrimen apertè Chriſtus aſſignavit in parabola ſeminantis. *Luc. c. 8. v. 11. ſeq.*

334. *Filius non portabit iniquitatem patris, & quomodo.*

In diebus illis non dicent ultra: patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt, &c. Sed qui comederit uvam acerbam obſtupeſcent dentes ejus. Nota, quod hac metaphora dat nobis intelligere, quòd qui peccat, pœnam ipſe, & non alius luet, nec filius portat iniquitatem patris, niſi patrem peſſimum imitetur: ideo ſi comederis ô homo uvam acerbam, ſi in iniquitatem te projicias dentes tui obſtupeſcent, per ſtupiditatem, & duritiam peccati: hoc tamen verum eſt de peccatore, ut perſona privata, non de Adam, qui ut perſona publica peccavit, & ut pater omnium. *l. 2. d. 30. a. 1. q. 2. ad 1. Eccleſ. c. 7. & Ugo hic.*

335. *Pœnitentis manus Chriſtus quomodo apprehendit, ut ipſum ſublevet.*

Apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti, &c. Nota, quod ad litteram explicat auxilium, quod porrexit Deus Judæis in liberando eos de Ægypto: Myſticè quotidie idem facit cum pœnitentibus: nam primò apprehendit manus eorum, præveniendo eos gratia excitante, ut ſic præventi, & ipſi cooperantes, exeant de Ægypto, ſcilicet de culpa, & intrent in poſſeſſionem gratiæ ſanctificantis. *Ser. 4. Dom. 16. Pentec.*

336. *Lex charitatis Dei, & proximi ſcripta eſt in corde noſtro.*

Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam, &c. Ecce quomodo lex charitatis Dei & proximi eſt de dictamine naturæ, & veluti ſcripta in corde cujuſcumque hominis: unde in hac lege non datur excuſatio. *Ser. de S. Luca. Pſal. 118. c. 1. v. 11. ſer. 12. Hexam. op. Diat. Tit. 3. c. 1.*

337. *Doctrina Chriſti Evangelica qualis.*

Et non docebit ultra vir proximum ſuum, &c. omnes cognoſcent me à minimo uſque ad maximum, quia propitiabor iniquitatibus ſuis. Loquitur Propheta de effectibus Adventus Chriſti in carnem, & dicit, quòd tunc homines non indigebunt magiſtro, ſed omnes ſine labore cognoſcent Deum imbuti ſua doctrina: ſed quomodo hoc? nonne Chriſtus miſit Apoſtolos, & Doctores, & Prædicatores, & continuè mittit ad erudiendos populos? Sed attende, quòd dat intelligere, quòd ipſe ſolus eſt magiſter illuminans ſuos: Cathedram enim tenens in Cœlo, docet omnes per ſuos miniſtros, eiſque inſtillat unicam ſuam doctrinam per fidem, ideoque qui fidem amplectitur, ſtatim fit doctiſſimus in iis, quæ ad Deum ſpectant, quia ſermo ejus veritas eſt, nempe origine ſublimis, quia Divinus, entitate verus, quia eſt veritas ſumma, à qua pullulat omnis veritas creata, poteſtate virtuoſus, ſcilicet efficax ad ſanandum à morbis peccatorum: unde in hoc ſtatu ſubdit: *Omnes cognoſcent me, quia propitiabor iniquitatibus ipſorum*: Efficax item ad conſolandum, ad confirmandum, & ad illuminandum, ad arguendum, & convincendum, & tandem ad

defenden

defendendum à ſupplicio æterno : ideo Chriſtus ut Magiſter verus, & unicus ſuos fideles imbuit tali doctrina, ut quilibet ipſam per fidem reciperet veluti cibum cœleſtem , & dentibus diſcretionis maſticaret , & ad intimum tranſmitteret, & in ventre memoriæ retineret , ut operibus ipſam impleret. *Ioan.c.6.v.44. & collat.76.ſer.1. Hexam.Pſal.68.ſer.2.Dom.ſeptuag.*

338. *Ordo Cœlorum , & ſtellarum perpetuus, quid myſticè nobis inſinuat.*

Hæc dicit Dominus : qui dat ſolem in lumine diei, ordinem lunæ, & ſtellarum in lumine noctis, &c. Nota, quod Deus proponit ordinem Cœlorum, & ſtellarum , eorumque motum , & influxum perpetuum, ut ſe Dominum Cœli, & terræ oſtendat, & ut doceat, quid nobis faciendum in ſuo ſervitio : & hoc maximè dirigitur ad Religioſos , ut ſpiritu divino repleti non ceſſent curſum injunctæ obedientiæ pro viribus adimplere , & ne ſint veluti ſtellæ erraticæ retardantes , vel obviantes obedientiæ legibus , & omnia ordinatè facientes, ſuavem in Eccleſia harmoniam faciant, nec ceſſent ad modum Cœlorum, ſolis, & ſtellarum influxus doctrinæ , & exemplorum inferioribus communicare. *Op.Eccleſ.Hier.p.4. cap.4. Pſal.118.c.1.v.12.*

339. *Eccleſia eſt Civitas perfectiſſima à Chriſto ædificata.*

Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & ædificabitur Civitas Domino à Turre Hananeel uſque ad portam anguli. Nota, quod, ut dicit S. Hieron. hæc, quæ hic dicuntur pro ſenſu litterali, habent ſolùm myſticum , quia ad litteram eſt prophetia de ſtatu Eccleſiæ militantis à Chriſto ædificatæ, cujus fundamentum eſt ipſe Chriſtus Eccleſiam defendens : In hac Civitate ædificavit alias turres minores , qui ſunt Prælati, aliique ſupereminentes : munimenta, & muri ſunt articuli fidei, qui ſunt foſſati humilitate : huic Civitati aſſiſtit Spiritus Sanctus emittens flumen gratiarum per totam Civitatem : ejus porta eſt Chriſtus , per quem quilibet ingredi , & egredi ad contemplationem, & orationem poteſt. *Pſal.107.*

340. *Peccatum eſt vallis , & ſepulchrum cadaverum cineris, & mortis.*

Et omnem vallem cadaverum, cineris, & univerſam regionem mortis , uſque ad torrentem Cedron. Nota quod extra Civitatem Hieruſalem eſt vallis , in qua ſepeliebantur cadavera, ideo dicitur vallis cinerum, & mortuorum : Myſticè hæc vallis eſt peccatum mortale, in qua ſepeliuntur , vel degunt peccatores tamquam in cloaca fetida, & ſepulchro, ſpeluncaque plena oſſibus mortuorum; nempe libidinoſa voluptate, rapacitate , & cæteris vitiis : ô quàm obſcura , quam fetida , quàm horribilis eſt hæc vallis. *Pſal.82.Ioan.c.11.v.38. ſer.4.Ciner.ſer.3.Dom.6.Pent.op. Comp. Theol.l.3. c.7.op.de trib. Ternar.c.4.ſer.1.& 4.Dom.15. Pent. op.Diat.Tit.3.c.4.l.2.d.28.a.1.q.1.ad 1.*

CAP. XXXII.

341. *Oratio exigit fiduciam in divina miſericordia & potentia.*

HEU , *Heu Domine , non erit tibi difficile omne verbum , qui facis miſericordiam in millibus , ideſt ipſam extendendo in mille generationes.* Nota, quod in hoc capite exprimitur carceratio Ieremiæ facta juſſu Regis Sedechiæ propter prædictiones factas de clade imminente , &c. qui Propheta ad Deum confugit in oratione , & ut exaudiatur, ſibi proponit divinam miſericordiam, ejuſque omnipotentiam, quæ ſunt duæ baſes orationis efficacis, quæ facile à Deo exauditur : debet enim oratio noſtra fundari , non in noſtris meritis, ſed in divina miſericordia , & potentia. *Luc.c.5.v.32.*

342. *Peccatum fedat loca , in quibus committitur, ideo & ipſa ſubjecta ſunt vindictæ divinæ.*

Et venient Chaldæi præliantes adverſum urbem hanc, & ſuccendent eam igni , & comburent eam , & domus, in quarum domatibus (ideſt in tectis) ſacrificabant Baal, & libabant Diis alienis libamina ad irritandum me ; &c. Cur Deus non ſolùm punivit Iudæos in perſonis, ſed etiam Civitatem , & domos igni tradidit ? ergone alius peccat , & alius eſt, qui vapulat ? Sed transfer mentem ad id, quod *Apoſt.2.Theſal.c.1.* dicit loquens de judicio : In flamma ignis dantis vindictam : qui ignis , ait Gloſſa tantùm aſcendet in mundo, quantum aqua aſcendit in diluvio : qui ignis dicitur conflagrationis : Cur ergo Deus conflagrabit iſta mixta ante judicium ? ſed reſpondetur quod hoc erit ad purgandum loca à feditate , in quibus peccata commiſſa fuerunt ; tanta enim eſt virulenta feditas peccati, quod non ſolùm peccantes in corpore, & anima inficit , ſed etiam loca , in quibus committitur : & ecce cauſa , cur Civitas Ieruſalem juſto Dei Iudicio igni ſuccenſa eſt, & præcipuè domus , in quibus impii Iudæi Baal ſacrificia obtulerunt , quia ex fumo ſacrificiorum fuerunt infectæ. *l.4.d.47.a.2.q.3.ad arg.Vid. Comp. Theol. l.3.c.7.* Vide igitur ô homo quanta ſit malignitas peccati ; & ideo mirum non eſt , ſi Deus puniat peccatores in corpore, in anima, in incendiis domorum, in penuria, &c.

343. *Sicut in Eccleſia militante ſequacium Chriſti cor eſt unum, & via una : ſic & in Eccleſia triumphante mediante charitate.*

Et erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum, & dabo eis cor unum , & viam unam ; ut timeant me, &c. Ecce prodigia qualia charitatis divinæ in fidelibus Chriſtum amantibus , quibus ſicut in terra eſt cor unum, & anima una, & una via, ſcilicet Dei amor: ſic & in triumphante, in qua beati habebunt cor unum, & animam unam: ô mira, & dilectiſſima charitas , qua omnium Sanctorum

anima eſt una: Una utique, non in ſubſtantia, ſed in charitate: Audi chariſſime: Ecce ſi anima martyris,& tua erit anima una,ergo gaudium animæ ejus erit gaudium animæ tuæ. ſic & de cæteris Sanctis, quia vera charitas ſic omnes ſibi ſociat,ut bonum, quod quiſque in ſe non accipit, in alio ſe accepiſſe gaudeat: ecce ergo quàm bonum, & quàm jucundum habitare fratres in unum.*Ser.2.in feſto om.Sanctor.in addit.Pſal.118.c.3.v.5.*

344. *Felix, cui Deus infundit ſuum timorem, de quo dicitur hic.*

Timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant à me; quia timor Dei expellit peccatum, & adhærere facit Deo toto corde, & anima, & amorem Dei attrahit. *Pſal.118.c.7.v.11.op. Diat. Tit.6.c.2.* Subdit Deus, *& lætabor ſuper eis, cum benè eis fecero*: ut videas qualis amor ſit & deſiderium Dei nobis ſuam miſericordiam communicandi.*Pſal.118.c.11 v.2.*

CAP. XXXIII.

345. *Nomen Domini in Deo expenditur.*

HÆC *dicit Dominus, &c. Dominus nomen ejus.* Cur appellatur Dominus hic, & non Deus, vel alio nomine? quia hoc nomen, Dominus poteſtatem, & Majeſtatem importat,& tali nomine prætendebat incutere in populis venerationem,& timorem. *Ioan.c.14.v.11. Pſalm.28. ſer.1.Dom.4.Epiph.*

346. *Clamor in oratione eſt nuntius ad Deum, & quomodo.*

Clama ad me, & exaudiam te, &c. & annuntiabo tibi grandia, & bona. quæ neſcis. Cur vult Deus, ut clamemus ad ipſum in oratione? & quaſi clamore? clamore cordis, devotionis, & neceſſitatis in oratione, quia hæc impetrat à Deo quidquid deſideratur, & revelationes,& illuminationes myſteriorum Dei: ut hinc ediſcamus & nos clamare ad Deum, nam talis clamor eſt optimus nuntius ad Deum, evolans, & impetrans omne ſubſidium in noſtris neceſſitatibus.*Op. de perfect.religioſ. l.2. c.66. ſer.2. Dom.2. quadrageſ. Pſal.140.*

347. *Chriſtus medicus perfectiſſimus ad ſanandum vulnera noſtra venit.*

*Ecce ego obducam eis cicatricem,& ſanitatem, & curabo eos. &c.*O quàm benè dicit: nam Chriſtus medicus de Cœlo venit curare vulnera noſtra,& ideo alligavit vulnera, ligatura præceptorum charitatis, poſtea ea curavit oleo,& vino, ſcilicet per Sacramenta Eccleſiæ,quæ ſunt medicamenta efficaciſſima contra omnem morbum. *Sap.c.16. ſer.3.& 4.Dom.12.Pent.l.4.ſent.prol.*

348. *Religio deſertum eſt, in quo habitat Chriſtus communicans ſua bona.*

Adhuc audietur in loco, quem dicitis deſertum, vox gaudii,vox lætitiæ, vox ſponſi & ſponſæ. vox dicentium confitemini Domino, quoniam bonus. &c. exportantium vota in domum Domini. Ecce quomodo apertè explicat Propheta felicitatem ſtatus Religioſi, quem mundani ignorantes appellant deſertum,& locum omni bono privatum:deſertum quidem eſt.quia eſt locus continentiæ,paupertatis, & obedientiæ contra tria mala mundi, ſcilicet concupiſcentiam carnis,oculorum, & ſuperbiam vitæ, deſertumque tale eſt, ſed à Deo habitatum, & ab Angelis, nempe à Chriſti ſequacibus, qui die,ac nocte non ceſſant à Divinis laudibus,quos ipſe Chriſtus prævenit, quando à Spiritu Sancto ductus eſt in deſertum. *Serm.2. Dom.2.quadrag.Luc.c.4.v.41.*

CAP. XXXIV.

349. *Diabolus impius venator, & bellator captivat ſuos ſequaces.*

ECCE *ego tradam Civitatem hanc igni, &c. non effugies de manu Regis Babilonis. ſed comprehenſione capieris, & in manu ejus traderis, & oculi tui oculos Regis Babilonis videbunt, & Babilonem intrabis.* Hæc prædixit Ieremias Regi ſedeciæ, & hæc evenerunt: myſticè autem exprimit calamitates impiorum, qui à diabolo capiuntur laqueis, & retibus malarum cogitationum,& manibus malarum operationum: & ſicut Sedecias ligatus in carcere tandem vitam in Babilone finivit, ſic qui in hac vita capiuntur manu diaboli ad Gehennam, & ſicut Nabuchodonoſor eruit oculos Sedeciæ, ſic diabolus eruit oculos,auferens cognitionem ſui ſtatus, & inferens cæcitatem,& ignorantiam: oh quàm tamen non impeditur, ne in egreſſu animæ de corpore videat diabolum rapientem animam ad Infernum. *Ser.3.Dom.4.Pent.*

350. *Pœnitentia non procraſtinanda: ſed pœnitens caveat à recidivitate.*

Converſi eſtis hodie,& feciſtis,quod rectum eſt in oculis meis. Ecce, quod ad prædicationem Jeremiæ converſi ſunt ad Dominum, licet poſtea recideriut ad priſtina peccata, & hinc totale excidium eis advenit: ſed quod ſpectat ad mores, obſervandum eſt illud verbum, hodie, converſi eſtis hodie, nempe per ſollicitam pœnitentiam; hoc enim exigit à nobis Deus: Hodie ſtatim ac à Deo vocabimini, qui enim pœnitenti veniam ſpopondit, diem craſtinum non promittit: ſed pœnitens caveat à recidivatione, quia majus periculum ſubibit. *Ser. de mortuis in addit. & Vgo hic.*

CAP.

CAP. XXXV.

351. *Abſtinentia gulæ in cibis licitis quàm Deo chara & remunerata.*

VADE ad domum Rechabitarum, & loqueris, & introduces eos in domum Domini, &c. Nota, quod Rechabitæ erant ex familia Rechab, qui pro amore Dei abſtinebant ſe à potu vini, iſtique fuerunt à Deo remunerati, & exaltati ad miniſteria principalia Templi: per quod dat Deus intelligere, quòd abſtinentia à cibis licitis eſt ſummè Deo chara, & remunerata. *Op. de perfect. religioſ. l. 2. c. 18.*

352. *Homo præcepta Principis amplectitur ſine mora, præcepta Dei contemnit.*

Vade, & dic viris Iuda: numquid non obedietis verbis meis. prævaluerunt ſermones Ionadab filiis Rechab, quos præcepit filiis ſuis, &c. Nota, quod ad confundendam proterviam Iſraëlitarum Propheta proponit exactam obedientiam filiorum Rechab, qui eis præceperat, ne biberent vinum: ipſi autem Iſraëlitæ præcepta Dei contempſerunt. Per hoc oſtenditur, quam exiſtimationem habeant plures fideles de præceptis Dei, dum præcepta, & leges Principum terrenorum exactiſſimè obſervant, præcepta autem Dei in viliſſimo pretio apud ipſos ſunt: ô qualis confuſio erit iſtis in die Iudicii. *Ser. 2. de uno S. Doct.*

CAP. XXXVI.

353. *Qualem converſionem exigat à peccatore Deus.*

REVERTATVR unuſquiſque à via ſua peſſima, & propitius ero iniquitati, & peccato eorum. Ecce quid Deus exigat à nobis ad evitandam æternam damnationem: Revertatur, ait Deus, à diabolo, à peccato, & convertatur ad Dominum, & ad opera pœnitentiæ, & virtutum, nec alia via eſt ad acquirendam propitiationem, & remiſſionem peccatorum, & ad Deum placandum. *Ser. 2. Dom. 10. Pent.*

354. *Otioſitas ad prunas, & circa ignem, quàm periculoſa, maximè Religioſis.*

Rex autem ſedebat in domo hyemali, & poſita erat arula coram, & plena prunis. Nota, quòd hic deſcribitur contemptus, quem habuit ad libros legis Rex Ioachim: dum enim legeretur ſacer codex. ipſe volumen projecit in ignem: ſed cur ſacer Textus notat hoc, quòd ſedebat tunc rex ad ignem, & prunas? Hoc factum eſt, ut intelligamus, quàm periculoſa ſit otioſitas, & vigilate ad ignem, maximè in Religioſis: nam iſte Rex ibi ſprevit Dominum, & Petrus negavit: nam vigilare ad ignem ſitim provocat, bibitare compellit, gravat corpus, exhaurit ſpiritum, tempus in verbis penè imperceptibili ſubductione conſumit, tempeſtivè ad orationem ſurgere, officii debitum ſolvere devotè, ut expedit non permittit: & qui ſero ſobrietatis non obſervat ſententiam, mane frequenter ſuſpenditur à Divinis: Uſitatum eſt hoſti homines ad prunas ſeducere, ſicuti ſeduxit Regem Ioachim & Petrum. Et hinc nota, quòd Ioachim audit ſermones Domini, ſed contemnit, ut videas, quòd nec etiam ad prunas ſtandum, ut audiatur nocturna prædicatio: ſic enim Petrus interrogatus de Chriſto, ipſum negavit: ô quoties eſt ſerotinis verbis neceſſaria correctio matutina! mane prædicant docti, ſero concionantur indocti, & in his omnibus honeſtius alibi, quàm ad ignem, & pocula prædicatur. *Op. ſpec. diſcipl. p. 1. c. 32.*

CAP. XXXVII.

355. *CHRISTI deſcenſus ad Inferos figuratus in Ieremia poſito in carcere, & miſſo in lacum, ex quo exivit liber, in Thren. c. 3. ſic dicitur in hoc capite, & in ſequenti.*

356. *Oratio ad hoc, ut exaudiatur exigit humilitatem, aſſiduitatem, & affectuoſitatem, ſicut fecit Ieremias cum Sedecia Rege, dicens, valeat deprecatio mea in conſpectu tuo, & ne me remittas in domum Ioachim ſcribæ, ne moriar ibi. Pſalm. 118. c. 11. v. 9.*

CAP. XXXVIII.

357. *Funiculo fidei homo peccator extrahitur de lacu miſeriæ.*

EXTRAXERVNT Ieremiam funibus, & eduxerunt eum de lacu. Nota, quòd myſticè datur intelligi, quòd peccator exiſtens in lacu peccati, non poterit extrahi, niſi funiculo triplicis fidei ſanctiſſimæ Trinitatis, ſed ad hoc ut effectus liberationis conſequatur, requiritur, ut manus ad funiculum mittat peccator, ſcilicet per bona opera, *ſer. 2. in Dom. de Trinit. & Pſal. 57.*

358. *Charitatis funiculus eſt quo homo liberatur à miſeria.*

Extraxerunt funibus Ieremiam, &c. Nota, quòd per funiculum hic intelligitur charitas, quæ eſt funiculus triplex, qua & Deus, & amicus, & inimicus diligitur: hoc funiculo anima ſecurè trahitur ad portum ſalutis. *Ser. 2. in Pent.*

359. *Sancti Franciſci fune attrahitur anima à lacu peccatorum.*

Extraxerunt funibus Ieremiam, &c. Nota, quòd hæc fuit figura myſteriorum legis Evangelicæ, unde cum Chriſtus funibus ejeciſſet è Templo ſimoniacos, & prophanos; hoc eodem fune ſuos fratres, & filios cinxit, & armavit Seraphicus Sanctus Franciſcus, & ſic accinctos, & armatos voluit incedere contra vanitatem mundi, & contra perſecutores Eccleſiæ. *Op. Expoſ. Reg. c. 2.* Addit, quod cum portantibus hanc funem concedantur à ſummis Pontificibus multæ indulgentiæ, poſſumus rectè inferre, quòd tali fune liberantur animæ de lacu culpæ.

CAP. XXXIX.

360. *Diabolus ſuos ligat vinculo ferreo, oculos eis eruit, & ducit in Babilonem.*

OCULOS *Sedeciæ Rex Babilonis eruit, & vinxit eum, ut duceretur in Babilonem.* Ecce patens figura crudelitatis diaboli in ſuos ſequaces figuratos in hoc infelici, & impio Rege Jeruſalem, qui captus à Rege Babilonis vinculis alligatus, eruit ipſius oculos, & duxit in Babilonem, & conſtrictum in carcere, ipſum tenuit uſque ad mortem: Hic eſt peccator, qui à diabolo ligatur totus, ſcilicet in pedibus per pravum affectum, manibus per iniquum factum, collo per nocivum verbum, & lingua per indebitum ſilentium: oculos ei eruit, ſcilicet dexterum, id eſt aufert ei reſpectum ad gloriam, & ſiniſtrum auferens ei timorem Gehennæ, & damnationis, & in ſecuritatem falſam inducens: ipſum & ducit in Babilonem, ſcilicet in multitudine peccatorum, & enormitate ſcelerum ipſum confundit, & deinde in carcerem Inferni mittit: Ecce gradus, per quos impii præcipitantur finaliter in Infernum. *Ser. 3. Dom. 11. Pent. & in Thren. c. 3.*

CAP. XL.

361. HOC *caput continet principaliter liberationem Ieremiæ à carcere factam juſſu Regis Babilonis, circa quam nihil ſupereſt addere, niſi quod per hoc patet qualem protectionem habeat Deus ſuorum ſervorum in ipſum confidentium. Sic Gloſſa.*

CAP. XLI.

362. *Diabolus hoſtis iniquus ſuos ſpoliat omnibus, eoſque occidit.*

QUI *cum veniſſent ad medium Civitatis Iſrael eos occidit, &c.* Nota, quòd ſacer textus narrat occiſionem iniquam factam ab Iſmaël Tyranno, qui abſtulit vitam multis filiis Iſraël, & captivos duxit reliquos: Per quod figuratur ſtrages, quam facit diabolus, in ſuis ſequacibus, quos ſpoliat gratuitis, & vulnerat in naturalibus, & ſemivivos eos relinquit captivos, auferens eis ſimilitudinem gratuitam Dei. *Luc. c. 10. v. 31. ad 37.* Sed notandum, quòd Iſmaël reliquit vivos decem viros, quia theſauros, & frumentum, vinum, & oleum habebant: ſignificaturque, quòd diabolus non poteſt in eos, qui theſauros virtutum in corde portant. *ſerm. 3. Dom. 13. Pent.*

CAP. XLII. & XLIII.

363. IN his duobus capitulis narratur, quod Iſraëlitæ timentes, ne Nabuchodonoſor eos puniret veluti reos homicidii Godoliæ, qui fuerat à Rege conſtitutus Præſes in terra Iſraël, conſilium à Ieremia petierunt, utrum fugere deberent in Ægyptum, qui eis ſuadere conatus eſt, ne hanc fugam arriperent, quo conſilio tamen, non obſtantibus vocibus Jeremiæ, non obtemperarunt, & ob id in multa mala præcipitarunt, juſto Dei judicio id permittente.

CAP. XLIV.

364. *Qui obliviſcitur mandatorum Dei, & admonitionum, à Deo ſecurè punitur.*

NUMQUID *obliti eſtis mala patrum veſtrorum, & mala veſtra? &c. ecce ego ponam faciem meam in vobis in malum, &c.* Vide quòd Jeremias objicit iſtis Iſraëlitis impiis, qui vocem Domini non audierunt, qui per afflictiones præteritas non meliorati ſunt, quia obliti ſunt pactum divinum; Dei promiſſiones, præcepta, beneficia, monita, ideo minatur ſuper eos ultimum exterminium: Væ ergo iis, qui Dei obliviſcuntur. *Pſal. 118. c. 4. v. 13.*

365. Crapula

365. *Crapula ad omnia mala inducit.*

Sacrificemus Reginæ Cœli, & Diis alienis, & ſaturati ſumus panibus, & bene nobis erat, malumque non vidimus. Sic Jeremiæ dixerunt impii Iſraëlitæ, putantes quod viventes in Ægypto, & libantes Diis alienis, omnia proſpera eis adventura eſſent, & omnis abundantia in cibo, & potu. Per quod datur intelligi, quàm periculoſa ſit proſperitas in rebus temporalibus, & maximè in abundantia ciborum: nam ex crapula, & ebrietate, & proſperitate oritur omne peccatum, etiam idololatriæ. *Op. medit. c. 44. ſap. c. 13.*

CAP. XLV & XLVI.

366. *Servi Dei exemplo Mariæ Virginis, non ſolùm bonis operibus inſiſtant, ſed etiam vitiis reſiſtant, & contra ea pugnent.*

P*OLITE lanceas, induite vos loricis, &c.* Hoc dicitur à Deo ſuis ſervis, ut ſciant, quod non ſolùm bonis operibus debent inſiſtere, ſed lorica indui juſtitiæ ut à malis protegantur, & lanceam zeli impugnent contra vitia, quia ſi lanceam zeli contra vitia non extenderimus in mundo, Deus contra nos lanceam iræ ſuæ extendet in judicio: ſic & pugnavit Maria Virgo contra omnia vitia, & ideo facta eſt bellatrix noſtra contra diabolum, mundum, & carnem. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 6.*

367. *Diabolus pugnavit contra Chriſtum, & ambo conciderunt, ſed Chriſtus remanſit victor.*

Fortis impegit in fortem, & ambo pariter conciderunt. Ad litteram loquitur de exercitu Regum Nabuchodonoſor, & Ægypti, qui ambo exterminati ſunt: myſticè loquitur de diabolo, qui in Chriſtum impegit: Chriſtus corporaliter: Diabolus ſempiternaliter: & ideo Chriſtus reſurgens ex mortuis victor triumphavit de Diabolo, ipſumque captivum ligavit. *Luc. c. 11. v. 22.*

368. *Mercenariorum impietas quàm à Deo puniatur.*

Mercenarii quoque ejus (ſcilicet milites Regis Ægypti) quaſi vituli ſaginati verſi ſunt, & fugerunt ſimul, nec ſtare potuerunt. Hîc ad litteram loquitur de ſtrage futura Ægyptiorum: ſed cur milites exercitus appellat mercenarios? & ſi propter mercedem militaront, cur ex hoc puniti? Sed attende, quòd in Dei obſequio duo genera mercenariorum reperiuntur: Alii enim militant, & Deo ſerviunt intuitu mercedis æternæ, & hi Deo chari: Alii ob mercedem temporalem, qui ſcilicet quærunt Chriſtum non propter Chriſtum, ſed propter temporalia, & hi impii ſunt: hic autem dat intelligere Spiritus Sanctus, quòd qui militant in Dei ſervitio, & in cura animarum propter lucrum temporale, itæ, & flagellis Dei ſubjicientur, quando venerit Deus ad judicandum eos in morte. *Ser. 1. fer. 4. Paſcha.*

369. *Qualis requies, & felicitas animæ pœnitentis.*

Revertetur Iacob, & requieſcet, & proſperabitur, & non erit, qui exterreat eos. Ecce felicitas animæ revertentis à ſequela diaboli, à culpa ad Deum, iſta requieſcit per affluentiam conſolationis, & per ſecuritatem in tentationibus, hoc habet anima, quæ in Deo requieſcit, & in ipſo totam ſeipſam collat. *Ser. 1 ſabb. Sanct.*

CAP. XLVII.

370. *Inter aquas cæleſtes, & terrenas quale diſcrimen.*

H*ÆC dicit Dominus: ecce aquæ aſcendunt ab Aquilone: Alii legunt, deſcendunt, & erunt quaſi torrens inundans.* Nota, quod dicitur de aquis iſtis, quòd aſcendunt: quomodo hoc poteſt eſſe verum, cum proprium ſit aquæ deſcendere, non aſcendere? & ſi aſcendunt, quomodo dicitur, quod deſcendunt? Sed attende, quòd hic innuitur diſcrimen inter aquas venientes è Cœlo, & à mundo: Aquæ è Cœlo deſcendentes dicuntur aſcendere, quia elevant animam ad Cœlum: Unde dicebat Chriſtus, qui biberit ex aqua mea, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam, & ob id aqua eſt inundans animam, illuminatione, inflammatione, & refectione cæleſti: è contra aquæ mundi, ſcilicet bona, & delectationes terrenæ videntur aſcendere, ſed verè deſcendere faciunt in profundum erroris, & impietatis. *Ioan. collat. 21.*

CAP. XLVIII.

371. *Confidentia in Deum quàm ipſi chara: confidentia in ſeipſum quam homini noxia, & Deo exoſa.*

P*RO eo enim quod habuiſti fiduciam in munitionibus tuis & in theſauris tuis, tu quoque capieris.* Nota, quòd hæc dicta fuere ad litteram Moab: ſed ad nos magis diriguntur, dans per hoc intelligere, quàm fallax, quàm vana, quàm Deo inviſa eſt confidentia hominis in ſuis viribus, divitiis, & opulentia, quia talis confidentia eſt veræ juſtitiæ inimica, quia eſt ſine humilitate, quæ eſt totius juſtitiæ fundamentum, & è contra eſt cum præſumptione, quæ conducit ad contemptum Dei, & proximi; qui igitur in Deum confidit, qui cum humilitate ſuum ædificium fabricat,

hic à Deo protectus, in altum elevat ædificium vitæ ſpiritualis. *Luc.c.18.v.9.*

372. *Stulti in floribus collocant ſuam ſpem, & beatitudinem: Iuſti in fructibus.*

Date florem Moab, quia florens egredietur, & civitates ejus deſerta, & inhabitabiles. Ad quid præcipitur dari florem Moabitico populo? & quid eſt, quod iſte flos egredietur? & tandem, qua conſequentia infertur deſolatio Civitatum ejus? Sed attende, quoad diſcrimen inter ſtultos mundanos, & juſtos ſapientes: nam illi collocant ſuam beatitudinem in floribus, ſcilicet in proſperitate mundana, quæ cito tranſit, & marceſſit, & reddit Civitatem animæ virtutibus deſertam. Iuſti verò ſuum finem collocant non in floribus veris præſentis, ſed in fructibus autumni futuri, nempè in vita æterna, & bonis cœleſtibus: hinc dicit Propheta, date florem Moab, relinquite iſtos ſtultos, & ad Deum vos convertite. *Sap.c.2.*

373. *Maledictus, qui celebrat miſſam, vel ſumit Euchariſtiam fraudulenter.*

Maledictus, qui facit opus Dei fraudulenter: negligenter legunt ſeptuaginta. Nota, quòd coincidunt ſimul in Dei ſchola facere opus Dei fraudulenter, & negligenter: nam in deſidia concurrit fraus, & in fraude negligentia: Sed de quo opere hic loquitur ſacer textus? De omni opere bono loquitur, ſed præcipuè de opere excedente cætera opera ſpiritualia, hoc eſt ſacrificium miſſæ, & ſumptio Euchariſtiæ: præcipitur enim ab Apoſtolo; ut antecedenter homo probet ſeipſum, ſcilicet examinet diligenter ſeipſum ex quanta charitate, & quali fervore accedit, & hoc ne nimis tepidus, & inordinatus accedat, ſed reverenter, circumſpectè, & conſideratè: nam accedere indignè horrendum eſt judicium, non accedere ex notabili negligentia, vel contemptu, damnabile eſt, quia non complet ſibi injunctum magnæ dignitatis obſequium, nec officium exercet debitæ ſervitutis Dei: maledictus igitur talis fraudulentus, quia privatur plurimis bonis, nempe remiſſione peccatorum, fomitis mitigatione, mentis illuminatione, interiori refectione, Chriſti, & corporis ejus myſtica incorporatione, virtutum roboratione, contra diabolum armatione, fidei inſtitutione, ſpei elevatione, charitatis excitatione, devotionis augmentatione, & Angelorum convivatione, exponens ſe periculo mortis æternæ, & evacuat Divinum cultum, & latriam Deo debitam. *Opuſc. de præparat. ad miſſ.c.5.*

374. *Idem probatur de orantibus fraudulenter, & de fraudulentia Prælatorum in regimine.*

Maledictus qui facit opus Dei fraudulenter. Nota, quòd hoc opus Dei eſt oratio: ſed qualiter fit fraudulenter? qui orat, vel prædicat, vel aliud opus de ſe bonum facit ſimulatè, ut hypocrita, ſimulans exterius bonum opus: & ſanctitatem, ſed interius reſpiciens ad mercedem, vel aliud temporale, vel vanam gloriam: maledictus eſt iſte, quia fraudem abominabilem coram Deo committit, & ratio eſt, quia cum ſimulatio, & fraus in omnibus ſit reprehenſibilis, potiſſimè tamen abominabilis eſt in his actibus, qui maximè deberent fieri veritate, ſcilicet corde, & actu exteriori, &c. *Luc.c.20.* ad finem. Nota etiam, quòd hæc dicuntur de Prælatis, qui propter ſuam ambitionem, & quietem temporalem, omittunt exercere ſuum munus in ſubditos ad ipſorum ſalutem: talis enim fraudulentia, & negligentia corrumpit Eccleſiam Dei. *Luc.c.18. v.15. ſap.c.5.* Et hinc contra Prælatos, & Prædicatores, fraudulentos ſubjungit: maledictus, qui prohibet gladium ſuum à ſanguine, ſcilicet gladium prædicationis, & admonitionis, & correctionis à ſanguine, ſcilicet ita ferit leniter, ut ſanguis vitiorum non exeat foras, prohibens à fructificatione ob reſpectus terrenos. *Luc. c. 22. v.36. Pſal.118.c.2.v.5.*

375. *In fecibus peccatoris requieſcit diabolus, ipſum requieſcere in proſperitatibus ſinens.*

Fertilis fuit Moab ab adoleſcentia ſua, & requievit in fecibus ſuis, nec transfuſus eſt de vaſe in vas, &c. Dat intelligere proſperitates Moab, qui non fuit ſubjectus tranſmigrationi eorum in captivitatem, ſed tamen remanſit in ſuis fecibus peccatorum abſque emendatione: Ex hoc patet, quòd maxima eſt infelicitas peccatoris tranſigentis vitam abſque tribulationibus, & ad id perſeverat manens in ſuis fecibus, ſcilicet in peccatis luxuriæ, accidiæ, & tali permanentia requiem diabolo præparat. *Ser.2. in Sabb. S.ſerm.2. Dom.2. Adv.Ioan.Diat.Tit.1.c.7.*

376. *Converſatio hominum, maximéque vitioſorum à ſervis Dei relinquenda.*

Relinquite Civitates, & habitate in petra habitatores Moab. Quomodo Deus præcipit ſuis ſervis, ut relinquant Civitates? ergo habitare in Civitatibus à Deo eſt vetitum? nonne tot Sancti in Civitatibus ad ſanctitatem ſublimati ſunt, etiam converſando cum hominibus? Sed attende, quod hic non loquitur de relictione Civitatum materiali, ſed de morali: præcipit enim Deus in his verbis, ut ſui ſequaces fugiant converſationem hominum maximéque vitioſorum, & ſi aliquando inter eos converſare cogantur, id faciant cum moderatione, nempe in petra, ſcilicet in Chriſto mente convivantes, ita ut in mundo degentes, vivant quoad mores, affectum & voluntatem extra mundum. *Luc. capit. 5. verſ. 28. & cap. 9. verſ.5. & capit. 14. verſ. 19.* Et hæc eſt ſolitudo, de qua dicebat Paulus vivens inter peccatores, noſtra converſatio in Cœlis eſt.

377. Servi

377. *Servi Dei morentur, & habitent jugiter in Vulneribus Crucifixi, & præcipuè in vulnere pectoris.*

Relinquite Civitates, & habitate in petra, & eſtote quaſi columba nidificans in ſummo ore foraminis. Quid eſt, quod Deus præcipit, ut habitemus in petra? & quomodo in ſummo ore foraminis petræ poteſt homo ſedem ſuam collocare? Nota, quod hæc petra eſt Chriſtus, ut dicebat D.Paulus 1.*Cor.c.*10. ſuper hanc petram vult, ut fundent ſui ſervi ædificium, & aſcendant ad foramina hujus petræ, ſcilicet ad vulnera, ibique intrent, & præcipuè in ſummo ore, nempe in lateris vulnere, ut ibi nidificent, operentur, comedant, bibant, ſtudeant, & omnia negotia ſua tractent: ô felix anima, quæ ſemper habitat in his petræ foraminibus ad modum columbæ: nam ibi grandeſcunt mentes, ibi non honoribus, ſed virtutibus fæcundantur. *Luc.c.*14.*v.*29. *ſer.de S.Cathar. Op.ſtim.p.*1.*c.*1.

378. *Alia altitudo à Deo elongat, alia ad Deum approximat.*

Audivimus ſuperbiam Moab, ſuperbus eſt valdè, ſublimitatem ejus, & arogantiam, & ſuperbiam, & altitudinem cordis ejus &c. (poſt pauca ſubdit) *Dejecit &c.* Nota, quòd Deus deteſtatur altitudinem cordis iſtorum, quia datur altitudo, quæ à Deo elongat, & dejicit animam ad profundum: alia eſt, quæ exaltat ad Deum: Altitudo Deo exoſa eſt præſumptionis, ambitionis, oſtentationis, ob quam præcipitat Deus tales in altum aſcendentes: Altitudo verò paupertatis, contemplationis, deſiderii, & expectationis viſitationis divinæ ad Deum approximant animam. *Luc.c.*16.*v.*15.

379. *Mali ſeipſos perimunt.*

In plateis Moab omnis planctus, quoniam contrivi Moab, ſicut vas inutile. Nota, quòd hoc dicitur de impiis, qui in via ſua ad mala opera totos ſe præcipitant, hoſquè Deus permittit in mala ſemper majora incidere, & ſeipſos perimere. *Op.de perfect.religioſ.l.*2.*c.*12.

380. *Cor impiorum dolores parturientis ſubit: Cor juſti eſt veluti cor mulieris latantis poſt partum.*

Et erit cor Moab, ſicut cor mulieris parturientis. Cur ſicut mulieris parturientis? ſed attende ad illud verbum, parturientis: nam mulier, dum actu parturit, præſſuram maximam habet, poſt partum verò lætatur: ſed impiorum cor ſemper eſt in actu parturitionis, quia ſemper in triſtitia, & præſſuris moratur, quia impiis non eſt pax: Cor juſtorum è contra præſſuram quidem in hac vita patitur, ſed mixtam, & temperatam cum lætitia. *Ioan. c.*16.*v.*18. Et hinc ad impios ſubdit ſacer textus: pavor, & fovea, & laqueus ſuper te ô habitator Moab: quaſi dicat, ſuper te ô peccator timor, & tremor, & fovea, & laqueus, & in hac vita, & in morte, & in judicio: ô vita infelix peccatorum. *Luc.c.*21.*v.*35.

CAP. XLIX.

381. *Peccatum excæcat rationem, tollit affectionem bonam, & intentionem rectam.*

NUMQUID non ultra eſt ſapientia in Theman? periit conſilium, inutilis facta eſt ſapientia eorum. Nota, quòd Theman erat Civitas Idumeæ, in qua vigebant ſcientiæ mundanæ: Theman interpretatur defectio, & ſignificatum peccatorum, in quo licet abundet ſapientia mundana, tamen deeſt cæleſtis: Datque intelligere Spiritus Sanctus, quod Deum, & cæleſtia relinquentes propter terrena, relinquuntur etiam & privantur conſilio, ſapientia, & recta intentione, quia peccatum excæcat mentem. *Pſal.*118.*c.*6.*v.*12. Ex hoc patet etiam, quod Deum deſerens, & ad mundanas ſcientias ſe dedicans, conſilium perdit, ſapientiam deſerit, & excæcationem incurrit.

382. *Qui propter temporalia Deum relinquit, in maximam confuſionem præcipitat.*

Ego verò diſcooperui Eſau, revelavi abſcondita ejus, & celari non poterit, vaſtatum eſt ſemen ejus. Quid eſt, quòd dicitur de Eſau? quid diſcooperuit Deus in Eſau? ſed attende, quod per Eſau intelliguntur omnes ipſius imitantes, qui pro minimo edulio, ideſt propter temporalia, & carnalia, relinquunt æterna: de iſtis dicitur, quod Deus diſcooperit eorum nuditatē, ſcilicet in confuſionem præcipitant, ſic permittente divino judicio. *In Thren.c.*4.*in fine.*

383. *Arrogantia, & ſuperbia reddit contemptibilem Deo, & hominibus: humilitas charum, & amabilem.*

Ecce parvulum dedi te in gentibus, & contemptibilem inter homines: Arrogantia tua decepit te, & ſuperbia cordis tui, qui habitas in cavernis petræ, & apprehendere niteris altitudinem collis, cum exaltaveris quaſi Aquila nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus. Ad litteram loquitur Deus Idumæis, qui inter alias nationes contemptibiliores erant habitantes in montibus, & inter cavernas petrarum, ideoque exiſtimantes ſe eſſe inſuperabiles, in ſuperbiam erecti erant. Myſticè loquitur Chriſtianis, & præcipuè Religioſis, quos Deus parvulos, humiles, & demiſſos vult, & habitantes in cavarnis petræ, ſcilicet Religionis: ſed væ iſtis, qui in ſuperbiam elati ſunt, ſe eſſe aliquid magnum reputantes: nam à Deo deſpiciuntur, & contemptibiles apud homines redduntur, dejiciendo eos in profundum miſeriarum: nec id mirum, nam ſuperbia infatuat cor hominis, & reddit hominem fatuum. *Ser.*1. *de S.Ant. Op. Diet tit.*1.*c.*3.*Luc.c.*16.*v.*15.

384. *Tonſura in Clericis, aliis eſt in contemptum Dei, aliis in cultum Dei.*

Et diſpergam eos in omnem ventum, qui ſunt attonſi in omnem comam, & ex omni confinio eorum adducam interitum ſuper eos, ait Dominus. Si hoc eſt verum, ergo omnes, qui attonſi ſunt in comam, ſcilicet attonſi Deo abominabi les ſunt? ſed nonne Eccleſia præcipit tonſuram ſuis miniſtris? ſed attende, quòd alii attonduntur ad miniſterium Dæmonum, & hos Deus deteſtatur, & abominabiles ſunt apud ipſum: Alii ad cultum Dei, iſti ſunt, qui totaliter ſe Deo emancipant, ipſi toto corde ſervientes: non ſic primi, qui tonſurate ſe faciunt ob lucrum temporale, & ad explendas concupiſcentias. *l.4. d. 24. p.1.a.1. quæſt.1.*

CAP. L.

385. *Prædicator inſtruitur in exercitio ſui muneris.*

ANNVNTIATE *in gentibus, & auditum facite, levate ſignum, prædicate, & nolite celare, dicite, capta eſt Babilon &c.* Nota, quòd hæc Jeremiæ, & omnibus Prædicatoribus, maximèque Prælatis directa ſunt à Deo, ut ſciant qualiter exercere proprium munus debeant: Debent enim Prædicatores, & maximè Prælati prædicare verbo, & levare facto ſignum illud divinæ miſericordiæ in condonatione delictorum, hoc enim vult Chriſtus, nec debent illud cælare, vendendo miſericordiam Dei liberalem prætio temporali, ut ſic experti peccatores dulcedinem divinæ miſericordiæ annuntient, & auditum faciant timentibus rigorem ſeveritatis juſtitiæ, quoniam pronior eſt Deus ad miſerandum, quàm ad condemnandum. *Ser.1. Dom 4. quadrag.* Nota autem quod hic duo exigit Deus à Prælatis, ſacerdotibus, & Prædicatoribus: unum eſt, quod caveant ab avaritia per abdicationem cordis à terrenis lucris: Aliud eſt, quod in prædicando divinam miſericordiam, & juſtitiam quærant attrahere peccatores, magis alliciendo per dulcedinem divinæ pietatis, oſtendendo eis ardens deſiderium Chriſti, quod habet condonandi peccata. *ibid.*

386. *Qualiter quærendus à nobis Deus.*

In diebus illis, & in tempore illo venient filii Iſraël ambulantes, & flentes properabunt, & Dominum Deum ſuum quærent. Nota, quòd hic traditur modus Deum quærendi, & inveniendi: ſcilicet in tempore illo: quo? In tempore hujus vitæ, dum adhuc dies eſt, & tempus pœnitentiæ: In hoc tempore quærendus eſt Deus in Sion, ſcilicet in ſpeculo, vel corde mundo, in quo facies Dei quærenda eſt, & quærendo, ambulandum eſt de virtute in virtutem, & fletibus, & pœnitentiis properandum ad Deum. *Ser.2. in Rogat.*

387. *Animæ per malum exemplum Prælatorum perditæ, à diabolo inveniuntur ad interitum æternum.*

Grex perditus factus eſt, populus meus: paſtores eorum ſeduxerunt eos, feceruntque vagari in montibus, de monte in collem tranſierunt, obliti ſunt cubilis ſui, &c. Vide hîc ſtragem animarum, & unde oriatur: Grex perditus factus eſt populus meus, dicit Dominus, diſperſi ſunt greges mei, tranſierunt de monte ſuperbiæ, ad collem avaritiæ, & de vitio in vitium, obliti ſalutis propriæ: unde tantum malum? quia ait, paſtores ſeduxerunt eos, ſcilicet ſeduxerunt verbis, & malis exemplis, eos perdendo, & ideo ſic perditi, à diabolo inveniuntur ad interitum æternum: ô quot mala, ex mala vita Prælatorum. *Ser.2. Dom.3. Pent. & ſer.2. fer.2. Pent. Luc. cap.11. verſ.52. Ioan. collat.49.*

388. *Chriſtus ardenter à Judæis expectatus, ſed derelictus, & contemptus ab ipſis.*

Peccaverunt Domino decori juſtitiæ, & expectationi patrum eorum Domino. Quis iſte decor juſtitiæ? quæ expectatio patrum antiquorum, niſi Chriſtus Jeſus, qui tot ſæculis expectatus fuit à ſanctis Patribus, & à Judæis? qui tandem in plenitudine temporum, ipſe juſtitia de Cœlo decora advenir ad ſatisfaciendum Deo Patri, & ad ſalvandum humanum genus: ſed tamen impii Judæi ipſum non receperunt, imò in ipſum peccaverunt, & crudeliter afflixerunt. *Pſal.118. c.11. verſ.4.*

CAP. LI.

389. *Qui vult ſalvare animam fugiat de medio Babilonis.*

HÆC *dicit Dominus, ecce ego ſuſcitabo ſuper Babilonem quaſi ventum peſtilentem: fugite de medio Babilonis, & ſalvet unuſquiſque animam ſuam, nolite tacere ſuper iniquitatem ſuam, quoniam tempus ultionis eſt à Domino, &c.* Nota, ad litteram prædicit Propheta imminentem deſolationem Babilonis, ideo hortatur Judæos, ut exeant, & fugiant ab ipſa, ne ultio Domini cadat etiam ſuper eos. Myſticè Babilon eſt mundus plenus confuſione, & peccatis, & ideo ſubjectus iræ Dei: hinc omnibus hominibus clamat Spiritus ſanctus: fugite de medio mundi, pœnitendo, omnibus creatis renuntiando, & moriendo à vita peccatorum: & ut unuſquiſque excitetur ad hanc fugam, præcipit Prædicatoribus, ut clament, quod Domini, vel tempus ultionis, & vindictæ divinæ imminet. *Pſal.3. & 9. & 120. & 118. c.11. v.13.*

390. *Diabolus ſuis exhibet in calice aureo fæcem, & venenum mortis.*

Calix aureus Babilon in manu Domini inebrians omnem terram, de vino ejus biberunt omnes gentes, & ideo comminuta ſunt. Quomodo dicitur calix Babilon, vel Babilonis in manu Domini? ſed attende, quòd per hunc calicem aureum Babilonis intelligitur mundana proſperitas, voluptaſque vel copia divitiarum: hunc calicem tenet Deus in manu, quia divitias ipſe dat quibus vult: ſed tamen omnibus calicem propinat diabolus, ut fæcem, & venenum in tali calice contentum bibant, & inebriati in vitiis, ad infernum deducantur æternaliter. *Pſal.74.& 104.* Cave igitur ô homo à tali paſſione, alioquin morte morieris æternali.

391. *Angelorum cuſtodia ſollicitudo in nos expenditur.*

Curavimus Babilonem, & non eſt ſanata, derelinquamus eam, eamus unuſquiſque in terram ſuam. Nota, quòd communiter iſtæ voces attribuuntur Angelis Dei, qui ut medici, & cuſtodes deputati ſunt à Deo, non ſolum ſuper Provincias, & Regna, ſed & ſuper quamlibet animam; & ideo multiplex effectus talis curationis, & cuſtodiæ expenditur à ſanctis Doctoribus: ſunt enim medici curantes nos à malis, adjuvantes in bono, mitigantes dolores, & tribulationes noſtras, confortantes nos in via hujus vitæ, defendentes ab incurſibus dæmonum, illuminantes mentem, inflammantes voluntatem, & alia bona nobis cauſantes. *L.2.d.11.a.2.q.1.*

392. *Ingratitudo, & obſtinatio hominis quàm Angelis exoſa: ubi de deſertione angelica cuſtodia.*

Curavimus Babilonem, & non eſt ſanata, derelinquamus eam, &c. Si iſtæ voces ſunt Angelorum, ergo datur aliquis ſtatus in hac vita, in quo homo privabitur angelica cuſtodia? & tamen à ſanctis Patribus negatur? ſed attende, quòd angelica cuſtodia poteſt conſiderari & reſpectu boni conſervandi, vel acquirendi, vel augendi; & reſpectu mali deſerendi, vel evitandi, vel minuendi: ſic dicendum, quod Angeli numquam deſerunt etiam obſtinatos quantum ad cuſtodiam reſpectu mali, quia ſemper pro viribus retrahunt hominem, ne labatur in pejus & ne à dæmone ſuffocetur: quantum verò ad profectum in bono, in obſtinatis ceſſat cuſtodia angelica, quia obſtinati à ſe Angelos repellunt, nec eorum conſiliis acquieſcunt, & hinc ſequitur, quod ſæpe Angeli dicunt: Curavimus Babilonem tamquam medici, &c. *L.2. d.11.a.2. q.1.ſer.de S.Matt.in addit.*

393. *Licèt Angeli non triſtentur de damnatione, & obſtinatione malorum, privantur tamen gaudio multiplici eis adveniente ob profectum in bono.*

Curavimus Babilonem, & non eſt ſanata, derelinquamus eam, &c. Nota, quòd licet Angeli non ſint capaces triſtitiæ ob obſtinationem malorum, tamen in his verbis datur nobis intelligi aliqua triſtitia eis ſuperveniens, & hoc eſt privatio gaudii, quod ipſis acceſſit, quando vident homines ſuis mandatis, & vocibus obedientes: Væ igitur eis, qui modo Angelis gaudium non faciunt pœnitendo: Væ iis, qui Angelos gaudio ſuo privant, pœnitentiam relinquendo: gaudent enim quando vident ſuos cuſtoditos à porta inferi per pœnitentiam revocari, exclamant veluti quando eos vident ad portas Inferni teneri, & præcipitari: Curavimus Babilonem, & non eſt ſanata &c. *l.2.d.11. a.2.q.1.& ult.ſer.3.& 4.Dom.3.poſt Pent.*

394. *Væ iis, qui Angelorum inimicitiam contrahunt.*

Curavimus Babilonem, & non eſt ſanata, derelinquamus eam, &c. O quàm terribilis eſt iſta vox Angelorum ait D. Gregor. Terribilis verò contra illos qui per tranſgreſſionem mandatorum Dei obſtinati in malo Angelorum voces, monita, & inſpirationes contemnunt, ideo inimicitiam ipſorum contrahunt: Hæc inimicitia tam damnoſa contrahitur maximè propter ſuperbiam, luxoriam, & blaſphemiam, contra quæ vitia Angeli armantur *Ser.2.fer.3.Paſcha.*

395. *Prædicatores ſunt venti extracti à theſauris Dei per totum mundum à Chriſto immiſſi:* Unde hic dicitur de Deo: *qui levat nubes ab extremo terræ, fulgura in pluviam fecit, & producit ventos de theſauris ſuis:* quæ omnia competunt Prædicatoribus rectè prædicantibus verbum Dei; quia fulmina comminationum in pluviam fæcundationis immutant, & veluti nubes irrorant Eccleſiam, & peccatores, & ut venti velociter tranſeunt, & perveniunt, ad omnem partem, ut animas Deo convertant, & ad Deum elevent. *Pſ.77. Op.Eccleſ.Hier.p.1.per totam & p.2.*

396. *Sapientia mundana ſine charitate reddit hominem ſtultum.*

Stultus factus eſt omnis homo à ſcientia. Quomodo ſtultus, & non potius ſapiens à ſcientia? ſed optimè dicit, ſtultum facit, & inſipientem, ſcilicet vanum inflatumque reddit ſcientia mundana, quæ eſt ſine Deo, ejuſque charitate, & ideo eſt vana, & inutilis. *In Ecclen.in proœm.*

397. *Sine Deo omnia opera noſtra ſunt vana, & riſu digna,* & ideo in die mortis noſtræ projicientur omnia in ignem, ſi non fuerint fundata, & informata charitate, & virtutum forma. *Ecclen. in proœm.& c.2 ſap.c.13.& 14.*

398. *Prælati ſcandaloſi quàm Deo exoſi, & mundo pernicieſi.*

Ecce ego ad te mons peſtifer, ait Dominus, qui corrumpis terram, extendam manum ſuper te, & volvam te de petris & dabo te in montem combuſtionis. Notandum, quòd ſacri Doctores per hunc montem intelligunt Prælatum, qui alios ſuo exemplo, vel perſuaſione corrumpit: Prælatus autem dicitur jurè mons, quia ſicut montes primò recipiunt ſolis irradiationes, ex quo poſtea deſcendunt in valles: ſic Prælati debent in ſe primò recipere divinas influentias, & deinde in ſubditos eas tranſmittere, ut poſſint dicere cuilibet: Inſpice & fac ſecundum exemplar, quod

tibi in monte monſtratum eſt Exod. c. 25. Sed quid eveniet, ſi Prælatus ſit mons non à Deo il luſtratus, ſed à diabolo habitatus & offuſcatus per vitia, & mala exempla? ecce maxima peſtis inundans in ſubditos, & loca ex tali monte peſtifero: nam ex tali vita oriuntur omnia mala, & ideo ſeveriſſimè à Deo puniuntur. *Ser.* 4. *Dom.* 2. *quadrag. & Ugo hic.*

399. *Proſperitatis temporalis abundantia ſignum reprobationis.*

In calore eorum ponam potus eorum, & inebriabo eos, ut ſopiantur, & dormiant ſomnum ſempiternum, & non conſurgent, dicit Dominus. Notant hic Sacri Expoſitores pulchram metaphoram, in qua Spiritus Sanctus dat intelligere, quod ſicut quando calor febrilis infirmum torquet, & medicus ipſi dat potum, & cibum, quem petit, & deſiderat, ſignum eſt, quod morbus eſt deſperatus: ſic Deus quando homini in calore ſui deſiderii concedit potum abundantiæ temporalis, ſignum eſt peſſimum, & reprobationis, quia per iſtas proprietates temporales ſopiuntur ad ſomnium ſempiternum. Sic D. Gregor. & totum eſt ad mentem Seraph. Doct. *Op. Pharel.* 3. *c.* 18. *ſer.* 7. *de Apoſtol.* Et hinc ſubdit: *Deducam eos quaſi agnos ad victimam*, ſcilicet ſicut agnus per paſcua ducitur ad victimam: ſic mundani per proſperitates ad Infernum.

400. *Delitias in pœnitentia quærere quàm damnabile.*

Quomodo capta eſt Seſach, & comprehenſa eſt inclyta univerſæ terræ, quomodo facta eſt in ſtuprum Babilon inter gentes. Ad litteram notat captivitatem ſecutam Babilonis, & Civitatis Jeruſalem, quas vocat inclitas, quia erant matrices cæterarum Civitatum: ſic Thren. *c.* 2. Myſticè Seſach, quæ eſt Babilon interpretatur byſſus ſacci, & ſignificatur in byſſo mollities, in ſacco pœnitentia, & conſequenter ille, qui in ſtatu pœnitentiæ quærit delitias exorbitantes, ut qui in jejuniis quærunt cibos delicatos: Iſte per pœnitentiam fictam, non ſolùm non obtinet liberationem à culpa, ſed potius amplius in vitiis eradicatur, & à diabolo captivatur: hoc advertant profitentes vitam auſteram, & pœnitentialem. *Sic D. Auguſt. Ugo, & aii.*

401. *Receſſus de medio Babilonis, ſcilicet mundi qualis ſuadetur à Deo.*

Egredimini de medio Babilonis populo meus, ut ſalvet unuſquiſque animam ſuam. Vide quomodo Deus ſuadet egreſſum de medio Babilonis, quia ibi non poteſt obtineri ſalus: ſed attende, quòd Babilon eſt mundus, & ideo qui vult ſalvam animam, debet egredi de mundo; ſed quomodo hoc? Hoc fit per renuntiationem, & abdicationem ſæcularium rerum, non ſolo corpore, ſed & animo, & affectu. *Luc. cap.* 18. *v.* 19. *ſeq. Ioan. collat.* 4. *verſ.* 10.

CAP. LII.

402. *In hoc capite Propheta gerit perſonam Hiſtoriographi, narrans tempus obſidionis Ieruſalem, ipſius capturam factam à Rege Babilonis, & alia inde ſecuta, ut ibidem poteſt videri.* Et hic explicit expoſitio Seraphica libri Jeremiæ Prophetæ, &c. Ad gloriam Dei, Beatæ Virginis Mariæ, & Seraphic Doctoris Sancti Bonaventuræ.

EXPOSI

EXPOSITIO SERAPHICI DOCTORIS S. BONAVENTURÆ SUPER THRENOS SEU LAMENTATIONES JEREMIÆ PROPHETÆ.

PROLOGUS.

PRIMO autem nota quod Seraphicus Doctor in Tomo primo explicat exactiſſimè hunc librum Threnorum, ut cuicumque patere poteſt: ideo ne actum agam hic ſubjiciam tantùm varias expoſitiones, quas Sanctus Doctor inſeruit in cæteris ſuis ſcriptis, demptis tamen quibuſdam expoſitionibus ejuſdem textus neceſſariis ad explicationem ipſius remittendo lectorem in reliquis ad hoc opuſculum, ſicut & ad præfationem, quam ibi præmittit.

CAPUT PRIMUM.

1. *Doctrina Chriſti eſt medium efficax evitandi pericula tentationum, ex cujus defectu incidit homo in manus diaboli.*

ALEPH: *Quomodo ſedet ſola Civitas plena populo &c.* Nota, quòd hic præmittitur littera hebraïca, *Aleph*, quæ interpretatur doctrina; & etiam tentationum millia: per quod denotatur, quòd doctrina Chriſti eſt, per quam homo evitat lapſus, & pericula tentationum omnium, & ſine qua doctrina neceſſariò homo incidit in captivitatem diaboli. *Pſal.118.c.1.v.1.In Thren.hic.*

2. *Ante Chriſti paſſionem tota generatio hominum, etiam ſanctorum erat ſub tributo captiva, ſed per Chriſti paſſionem liberata eſt:* unde plorans Propheta clamabat. *Quomodo ſedet ſola Civitas plena populo, &c. princeps provinciarum facta eſt ſub tributo:* quod tamen magis propriè verificatur de damnatis exiſtentibus ſub crudeli captivitate diaboli. *ſer.1.de S.Marco in addit. op.Comp.Theol. l.7.c.21.*

3. *Anima in peccato redditur contemptibilis Deo, & Angelis.*

Plorans &c. omnes amici ejus ſpreverunt eam. &c. Qui amici? & quomodo amici, ſi eam ſpernunt? Præterea ſi hæc anima deplorat peccata ſua, plorans ploravit in nocte ait: quomodo talis pœnitentia contemnitur? ô peccator nota verba, ſigna myſteria: plorat quidem, ſed in nocte non in die, nempe ſic peccata deplorat, quod etiam affectum ad peccatum conſervat in corde, & ideo ſolùm timore pœnæ temporalis, & quia iſtæ ſunt lachrymæ impiæ, & ſordidæ. hinc amici ejus ſpernunt tales lachrymas: Amici quidem erant antequam captiva diaboli eſſet anima, & iſti ſunt Angeli, & Deus ipſe, quia in peccato exiſtens non eſt ipſis conformis affinitate amoris. *Opuſc. myſt.Theol.c.1.p.2.in Pater, &c. & ſer.2.de S.Magdal.in addit.* Nota etiam quòd dicit, plorans ploravit in nocte, ideſt in peccato, in quo ſtatu redditur digna planctu. *Op.Diat.Tit.7.c.3.*

4. *Anguſtiæ animæ peccatricis in morte expenduntur.*

Migravit Iudas propter afflictionem. &c. omnes perſecutores ejus apprehenderunt eam inter anguſtias Nota, quòd myſticè loquitur de anima in tranſitu, & ſeparatione à corpore, & de anguſtiis, in quas tunc temporis redigitur, & maximè ſi in peccato exiſtit. Dicit igitur, quòd perſecutores ejus apprehenderunt eam inter anguſtias, nam & intus, & ſupra, & ſubtus, & exterius maligni Spiritus eam anguſtant, ipſi objicientes & cogi-

tationes, & verba, & opera mala, ut ipſam proſternant ad Infernum: ô ſi homo tantas anguſtias mortis agnoſceret, quomodo fleret? *Serm.2.& 3. Dom.9. Pent. opuſc. comp. Theol.l.3. cap.7.*

5. *Servi Dei deflere debent, non ſolùm propria, ſed etiam aliena peccata.*

Via Sion lugent, &c. Sacerdotes ejus gementes: Virgines ejus ſqualidæ, &c. Nota, quòd dat hic intelligere, quod officium eſt Sacerdotum, & Religioſorum Deo dicatorum, non ſolùm deflere propria peccata, ſed etiam aliena populorum, per quod ſe diſponunt ad aſcendendum altius ad divinam contemplationem. *Luc.c.2.v.24.*

6. *Vias perfectionis quàm pauci ambulant. Vide infrà poſt n.11.& num.ſequ.17.*

7. *Caput peccatoris eſt diabolus.*

Facti ſunt hoſtes ejus in capite. Quomodo in capite Jeroſolimitarum facti ſunt hoſtes, & non etiam in toto corpore? Sed attende ad miſerias horribiles peccatoris: nonne horribile eſſet, ſi quis haberet caput caninum, vel ſerpentinum? quantò magis horribilis eſt habens caput diaboli? Verè enim caput morale animæ exiſtentis in peccato eſt diabolus: ideo rectè de iniquis dicitur, facti ſunt hoſtes ejus in capite, ideſt caput facti ſunt iniquorum ipſi Dæmones. *Ser.2. in Decollat.S.Io.Baptiſt.in addit.*

8. *Damna Eccleſiæ ex malitia Prælatorum expenduntur.*

Facti ſunt hoſtes ejus in capite, inimici ejus locupletati ſunt. Quid eſt hoc, facti ſunt hoſtes in capite? In quo capite? In capite, ſcilicet in Prælatis indignis, & ſcandaloſis, ex quorum mala vita, & regimine facti ſunt hoſtes, ſic etiam ſubditi, ex quibus Dæmones locupletati ſunt, ob multitudinem hominum, quæ ſubjecta eſt poteſtati diaboli, & maximè Prælati, Clerici, & Religioſi: nam ex his oritur excidium, & ruina Eccleſiæ. *Sermon. 4. in Dedicat. & in Thren. hic.*

9. *Adoleſcens tribuens diabolo ſuam juventutem, locupletat diabolum toto tempore vitæ ſuæ*: Sic plorat Ieremias, dicens: *facti ſunt hoſtes*, Eccleſiæ, & Dei, in capite ideſt in adoleſcentia ſua, ex quo hoſtes locupletati ſunt, quia ex malo initio ſequitur, quod diabolo ſerviatur per totum tempus vitæ ſuæ, quia, adoleſcens juxta viam ſuam etiam cum ſenuerit non recedet ab ea. *In Thren.hic*

10. *Decor Eccleſiæ qualis, & quomodo in ipſâ deperditur.*

Egreſſus eſt à filia Sion decor ejus: facti ſunt Principes ejus velut arietes non invenientes paſcua, & abierunt abſque fortitudine ante faciem ſubſequentis. Nota, ad litteram loquitur de ſubverſione Ieruſalem, quæ dicitur filia Sion, quia ab arce Sion muniebatur. Myſticè loquitur de pulchritudine Eccleſiæ, & de ipſius deperditione. Eccleſia namque tota pulchra eſt fundata à Chriſto, cujus oculi ſunt Prælati, os Advocati, & Doctores, aures ſunt confeſſores, & cauſarum auditores, naſus ſunt ſapientes diſcretores bonorum, & malorum, collum ſunt Clerici, & cantores, pectus nobiles, & potentes, ubera ſunt conſiliarii, brachia ſunt milites, manus ſunt artifices, coxæ ſunt famuli, pedes ſunt ruſtici, & agricultores, qui portant totum pondus: quando ergo omnes ſuo muneri incumbunt fideliter, & ſub Eccleſiæ mandatis vivunt, tunc decor Eccleſiæ mirabiliter elucet. Sed heu nonne ex plurium malitia decor Eccleſiæ egreſſus & periit, & ſanctæ vitæ? ideo diſpergunt totum gregem. *Ser.1.Dom.19. Pent. Ioan. coll.48.& 90. in Thren.hic.*

11. *Quàm pauci vias perfectionis ambulant, etiam inter Religioſos.*

Via Sion lugent, eo quod non ſint, qui veniant ad ſolemnitatem. Ad litteram Propheta deplorat calamitates temporales, & magis ſpirituales populi ſui, qui cum ex majori parte eſſet redactus in captivitatem, ideo viæ, quibus ſolitus erat ire ad Deum colendum in Templo diebus à lege decretis, erant veluti deſertæ, & ob id veluti lugentes erant: ſed myſticè deplorat miſeriam univerſalem populi Chriſtiani, & ſtatus Religioſi, dicens: *Via Sion lugent, eo quod non ſint, qui vadant ad ſolemnitatem*: Sed quæ ſunt iſtæ viæ veluti deſertæ? nonne venit populus Chriſtianus turmatim ad Eccleſiam, & maximè in diebus ſolemnibus? nonne Eccleſia repleta eſt Religionibus, monaſteriis, & Religioſis, atque Clericis Divino cultui convenientibus? Sed attende ô prudens lector, quam ſit verum, quòd dicebat Iſaias: *Multiplicaſti gentem, ſed non magnificaſti lætitiam*: Viæ Sion ſunt ſemitæ juſtitiæ, & viæ æquitatis, ſunt & amantium deſideria animarum, ſunt & via purgativa activorum, illuminativa contemplativorum, & unitiva amantium ferventer Deum, quibus ad Deum, & ad ſupernam Civitatem Ieruſalem ſuper omnem rationem, & intellectum etiam in terreno corpore habitantes animæ ſublevantur: viæ lugere dicuntur, eo quod non ſit, qui ad tantam ſolemnitatem aſpiciat, eo quod abjecta vera ſapientia, tam clerus, quàm populus mundanis delitiis, vel inutilibus curioſitatibus ſe immergant: ſed (quod multo magis dolendum eſt, & cordis lachrymis inceſſabiliter lachrymandum, & lamentandum) multi Religioſi, multi etiam viri famoſi reputati, veluti quondam populus Iſraëliticus recto cultu Creatoris ſui manufactis ſervierunt Idolis: ſic relicta vera ſapientia, qua Deus ſolus colitur, & à ſolis amantibus adoratur, diverſis ſcientiis, & fabricationibus multiplicium argumentationum inventitiis, quaſi quibuſdam Idolis miſerabiliter mentem impleverunt: In quibus ſic abſorbentur, diabolo inſtigante, & ſic mens ipſorum in iſtis totaliter poſſideatur, ut vera ſapientia in eis locum non inveniat: nam hac occupatione peſſima, quam Deus dedit filiis hominum, infeliciter captivantur, itaut non ſit ſpiraculum, quo ſuum Creatorem anima per flamigeras amoris affectiones contingat: ô quàm nimis verum! ideo Eccleſia meritò deplorat hanc communem miſeriam. *Op. myſt. Theol. in prolog.*

12. *Ad*

12. *Ad qualem ſolemnitatem, & delitias ducant viæ perfectionis.*

Viæ Sion lugent, eo quod non ſint, qui veniant ad ſolemnitatem. Sed quæ ſunt iſtæ viæ ducentes ad ſolemnitatem? Iſtæ viæ ſunt purgativa, illominativa, & unitiva: per primam diſponitur anima pœnitentiâ, dolore, & exercitio viæ activæ ad diſcendam veram ſapientiam: ſecunda eſt qua cogitando ad amoris inflammationem accenditur: Tertia, quia mens ſuper omnem intellectum, rationem, & intelligeotiam à ſolo Deo ſurſum actu dirigitur, & ſic anima gradatim ducitur ad ſolemnitatem, & deguſtandas delitias cœleſtes. *Op. Myſt. Theol. in prol. & ſeq. capitib.* in quibus fusè explicatur, quomodo anima per iſtas vias pervenire poſſit ad Dei fruitionem.

13. *Memoria miſeriarum hujus vitæ, & beneficiorum Dei ſuadetur in curſu hujus vitæ.*

Recordata eſt dierum afflictionis ſuæ, & prævaricationis omnium deſiderabilium ſuorum, &c. Nota, quod hic ſuadetur recordatio miſeriarum hujus vitæ, ut contemptui habeatur, & beneficiorum Dei, quæ ſunt deſiderabilia noſtra, ut excitetur anima noſtra ad gratitudinem: ſed adverte, quod talis recordatio habenda eſt in hac vita, non in alia, quando non amplius eſt invenire remedium, & ſolatium, & poſtquam incidit homo in manu hoſtili. *In Thren. c. 1.*

14. *Dierum feſtorum celebratio multorum à diabolo deridetur, & ab hoſtibus nominis Chriſti.*

Viderunt eam hoſtes, & deriderunt ſabbatha ejus. Ad litteram docet Propheta, quod Chaldæi videntes obſervantiam feſtorum exteriorem in Judæis, ſed non quieſcentes à peccatis, deridebant iſta feſta: quod evenit etiam in multis Chriſtianis, qui cum ipſa vacationis otia ad cogitationes illicitas, & mala opera pertrahant, deridentur à Dæmonibus, & ab infidelibus, & ſabbatha eorum. *In Thren. hic Luc. c. 4. v. 16. & c. 13. v. 14. Ioa. col. 36. & 37.* Attendant hæc Chriſtiani, in quorum medio degunt Judæi: attendant, inquam, an exterius Judæi perfectius celebrent ſua ipſorum Sabbatha, & an ſcandalum ea prophana Chriſtianorum celebratione ipſis advenire poſſit.

15. *Qui ab incepto itinere perfectionis retrocedit deridetur à diabolo.*

Viderunt eam hoſtes, & deriderunt ſabbatha ejus. Quid viderunt hoſtes? & quomodo deriderunt ſabbatha, & feſta? Vident Dæmones animam religioſam jam per viam perfectionis incedentem deſiſtere ab incepto itinere, ſicque deridentur pro temeritate in præſumendo, pro inſtabilitate in proſequendo, pro puſillanimitate in deſiſtendo, non ſolùm à diabolo, ſed & à mundo. *Luc. c. 14. v. 30.*

16. *Qui vult in Dei ſervitio ſtabilis permanere habitus malos deſtruat.*

Peccatum peccavit Ieruſalem, propterea inſtabilis facta eſt. Nota illud verbum, *inſtabilis facta eſt:* cur inſtabilis, & vagabunda? quia peccatum peccavit, ſcilicet addidit peccatum peccato, & malum habitum in vitiis efformavit: ut videas, quòd cauſa vagationis mentis intrinſecè avenit propter habitus malos, eo quod ſine ablatione peccati, & remotione talis malæ aſſuefactionis non poteſt anima in Deo perfectè quieſcere. *Ser. 17. Hexam. op. de reſurrect. à peccatis.* Nota etiam, quòd hoc dicitur de Eccleſia, multis filiis qui ipſam ob peccatum cupiditatis, & avaritiæ inſtabilem reddunt propter pecunias. *Thren. cap. 1.*

17. *Sordes in pedibus totum hominem, & corpus inficiunt.*

Sordes ejus in pedibus ejus, nec recordata eſt finis ſui: depoſita eſt vehementer, non habens conſolatorem. Cur, & quomodo tantum malum Civitati Jeruſalem advenit ex infectione pedum, nam ex ipſa conſecuta eſt ruina ipſius totalis? Sed attende, quòd myſticè per pedes intelliguntur Prælati, qui debent ſuſtinere Eccleſiam, & dirigere ſubditos in viam ſalutis: per pedes item intelliguntur affectus animæ: ex quibus ſequitur, quod quando ſordes Eccleſiæ ſunt in pedibus, & Prælatis, ſordes, inquam, avaritiæ, luxuriæ aliorumque vitiorum, tunc totum corpus inficitur Eccleſiæ, & cætera membra remanent infecta, & ruina Eccleſiæ imminet: & ideo Chriſtus invitavit ſuos Apoſtolos, & ſequaces ad lavationem pedum, quia iſtis mundatis, totum corpus remanet purgatum. *In Thren. hic. Ioan. collat. 59.*

18. *Oblivio noviſſimorum cauſa ruinæ ſpiritualis animæ.*

Non eſt recordata finis ſui, depoſita eſt vehementer, &c. Ecce alia cauſa ruinæ animæ, quia noviſſimorum ſuorum oblita eſt, ideo depoſita eſt vehementer, ſcilicet de peccato in peccatum deſcendit, & tandem in æternam damnationem. *In Thren. c. 1.*

19. *Eccleſiæ planctus, & oratio ad Deum qualis ex hominum iniquorum exaltatione ad prælaturam, & ſubjectione filiorum ſuorum tyrannidi diaboli.*

Vide Domine afflictionem meam. Nota, quòd hoc dicit Eccleſia, vel anima nomine Eccleſiæ, gemens, & deplorans, & orans ad Deum: & cur? quia erectus eſt inimicus, ſcilicet malus, & vitioſus evectus eſt ad prælaturam: & quia filii Eccleſiæ diaboli ſuggeſtionibus ſe incurvantes, erigere faciunt ipſum Dæmonem ſuper ſeipſos. *In Thren. hic Pſalm. 118. 10. v. 9.*

20. *Exaltatio vitioſorum ad prælaturam ſignum patens iræ Dei in populos.*

Manum ſuam miſit hoſtis ad omnia deſiderabilia ejus, quia vidit gentes ingreſſas ſanctuarium ſuum,

de quibus praceperas, ne intrarent in Ecclesiam tuam. Nota, quòd hic proſequitur Jeremias miſerias Civitatis Jeruſalem, ex eo quod gentiles inimici omnia deſiderabilia, ſcilicet inſtrumenta Sacra Templi rapuerant, & in Templum Sanctum ad ipſum prophanandum intrarunt: Myſticè deſiderabilia Eccleſiæ ſunt ſtatus privilegiati Prælatorum: quando ergo rapiuntur à vitioſis malè intrantibus, & peſſimè viventibus, tunc ſignum patens habetur iræ Dei, & imminentis ruinæ Civitatum & populorum, & ideo meritò dicit Eccleſia ſuo ſponſo Chriſto: Vide Domine afflictionem meam, &c. *In Thren.c.1.Luc.c.21. verſ.24.*

21. *Mercatura ſtultorum pretioſa diabolo renunciantium pro vili pretia expenditur.*

Omnis populus ejus gemens, & quarens panem, dederunt pretioſa quaque pro cibo ad refocillandam animam: Vide Domine, & conſidera, quoniam facta ſum vilis. Hic ad litteram Propheta deplorat afflictionem populi ratione obſidionis, & gemitum ratione famis graviſſimæ, ob quam dederunt pretioſa quæque pro pane habendo, &c. Myſticè Eccleſia deplorat ſtultitiam, & calamitatem plurium, qui quærentes abundantiam temporalium, & voluptatum carnalium, quæ ſignificantur in cibo, & in refocillatione animæ idest ſenſualis, & animalis, renunciat pretioſa quæque, ſcilicet vitam æternam, virtutes, ſapientiam, gratiam, Cœlum, Deum, & animam, & ſanguinem, paſſionemque Chriſti: & hæc eſt tota ratio doloris Eccleſiæ, videntis tot ſtultos deceptos, & abrenunciantes tot pretioſa pro cibo carnali. Nota etiam, quod hæc dicuntur contra Prædicatores pro temporalibus vendentes pretioſa quæque, nempe verbum Dei, & prædicationem: ô infelix mercatura faciens plangere Eccleſiam, & electos ingemiſcentes coram Deo propter tantum ſcelus. *Op. Diat. Tit.1. c.8. Ioan.collat.31.op.Libell.apologet.q.19.In Thren.c.1. Pſal.118.c.10.v.9.*

22. *Invitatur anima à Chriſto in paſſione, & Cruce exiſtente ad conſiderationem ſuarum dolorum: item & dolorum. B.V. Mariæ.*

O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite, & videte, ſi eſt dolor ſicut dolor meus. quoniam vindemiavit me Dominus, ut locutus eſt in die furoris ſui. Ad litteram invitat Propheta ad conſiderationem devaſtationis, & miſeriarum Civitatis Jeruſalem, &c. Myſticè, vel Allegoricè hæc eſt vox Chriſti in paſſione, & Cruce poſiti invitantis omnes homines per hanc vitam, & vitam mortalem tranſeuntes, ut ad pœnas, & dolores, quos ipſe pro nobis pertulit attendant, & videant, quod paſſio Chriſti fuit acerbior, & gravior, & pœnoſior quibuſcumque aliis paſſionibus, pœnis atque doloribus: Vide, ait Chriſtus, qualis paſſio mea, fuit enim omnium maxima, tum ratione intenſionis, propter optimam diſpoſitionem ipſius patientis, tum propter innocentiam ejus, tum propter honoris ejus excellentiam: nam paſſus eſt juſtus pro injuſtis, ab injuſtis cum injuſtis, & injuſtis cauſis, ſub injuſtis Judicibus, & injuſtis pœnis; ideo ejus ſupplicium fuit maximum, quo nullum in mundo fuit majus; opprobrium, quo nullum vilius: Attendite igitur & videte, quis eſt, qui patitur, quæ patitur, à quibus, & pro quibus patitur: Videte, ait Chriſtus, quæ pro vobis patior, videte pœnas, quibus afficior, videte clavos, quibus confodior, & cum tantus ſit dolor exterior, & interior, tamen planctus eſt gravior, dum vos tam ingratos experior: Videte, ſi eſt dolor ſicut dolor meus imò ſi eſt amor ſimilis ſicut amor meus. *Op.Comp.Theol.l.4.c.19.& 21.op.ſtim.part.1. c.13.op.inſtruc Sacerdos ſer.3.fer.2. Paſcha.ſer.1. in Converſ.S.Paul. ſerm.5. de Apoſtol.Ioan.collat.85. Thren. hic.* Nota etiam, quòd hæc dicuntur à Beata Virgine Maria in paſſione ſua pro paſſione Chriſti tolerata. *O vos omnes, qui tranſitis, &c.* quia poſt Chriſtum, dolores Beatæ Virginis fuerunt acerbiores quibuſcumque aliis cæterorum viatorum. *Ser.1. Dom. infr.oct. Epiph. op. de Compaſſ Mariæ.op.ſtim.p.1.c.3.& 15.& p.3.c.16.* Et hinc ſubdit: *quoniam vindemiavit me Dominus*; ſcilicet à corde ſeparavit botrum meum, nempè filium meum.

23. *Anima in peccato mortali in miſerabiliſſimo ſtatu exiſtit.*

O vos omnes, qui tranſitis, &c. & videte, ſi eſt dolor, &c. Nota etiam, quòd moraliter hæc eſt vox animæ exiſtentis in peccato mortali, quæ ſeparata à Deo experitur majorem deſolationem, quam poſſit homo excogitare. *In Thren.c.1.*

24. Nota etiam, quòd iſtæ voces ſunt animarum exiſtentium in Purgatorio. *O vos omnes, &c.* nam nulla pœna hujus vitæ comparari poteſt pœnis ipſarum. *Thren.c.1.op.medit.c.78.*

25. *Spiritus Sancti miſſio in die Pentecoſtes praviſa, & pradicta à Propheta.*

De excelſo miſit ignem in oſſibus meis, & erudivit me. Nota, quòd hic ad litteram exprimit vehementem tribulationem Civitatis Jeruſalem, ejuſque utilitatem. Sed Allegoricè prædicit miſſionem Spiritus Sancti factam in die Pentecoſtes, dicens: *De excelſo*; ſcilicet è Cœli Palatio, & à Trinitate tota miſit ignem, nempe cum infuſione Spiritus Sancti, qui eſt ignis illuminans, & inflammans, miſit ignem ſenſibilem in ſimilitudinem linguarum in oſſibus meis, videlicet in Apoſtolis, qui fuerunt ex ipſis Judæis aſſumpti, ut eſſent tali virtute oſſa, & membra fortia Eccleſiæ: dicit etiam in oſſibus meis, quia adventus Spiritus Sancti exſiccavit pinguedinem carnalem: ſubdit: & erudivit me, quia per Apoſtolos Eccleſia fuit illuminata doctrina cœleſti, & ſimul inflammata. *Thren. hic op.Eccleſ.Hier.p.1.c.1.& t.c.1. op. de prof.religioſ.l.2.c.71.Luc.c.1.v.22.& c.12.v.49.* Et per hoc datur intelligi, quòd Spiritus Sanctus in animam adveniens, ipſam illuminat, & inflammat, & fortem reddit ad reſiſtendum tentationibus, quibuſcumque. *Ioan.c.19.v.37.*

26. *Per tribulationes erudit Deus animam.*

De excelſo miſit ignem in oſſibus, & erudivit me. Quomodo erudita eſt hæc anima ex immiſſione ignis in oſſibus ſuis? optimè dicit: nam per hunc ignem immiſſum in oſſa intelligitur vehemens tribulatio affligens intus, & foris, per quam Deus erudit, & edocet, & ediſcere facit, quod in proſperitatis tempore capere noluit. *Thren. hic.* & hoc patuit in Judæis, qui poſt captivitatem babilonicam numquam idololatrarunt: Beata igitur, & benedicta eſt ſchola tribulationis, in qua Deus lectiones legis ſuæ addiſcere facit. *ibid.*

27. *In converſione peccatoris Deus ipſi expandit retia ſua, & ipſum retrorſum convertit.*

Expandit rete pedibus meis, convertit me retrorſum. Vide quid facit Deus cum peccatoribus: primò enim expandit retia ſua pedibus peccatoris, per quod ipſum convertit retrorſum: quid eſt hoc? ſed attende ordinem mirabilem: primò expandit rete, ſcilicet immittit tribulationes, dolores, & afflictiones, ſicque qui fuerat averſus à Deo, & converſus ad creaturam, convertitur retrorſum, nempe avertitur à bono creato, & convertitur ad incommutabile Dei: & per hoc deſignatur ordo juſtificationis peccatoris: primò præparatio liberi arbitrii, quæ media tribulatione fit, & hinc ſequitur converſio perfecta per infuſionem Spiritus ſancti. *Thren. hic Pſal.* 68. Et hinc ſubdit: *poſuit me deſolatam, tota die mœrore confectam*, quia anima ad Deum converſa totum ſpatium vitæ in amaritudine peccati ducit, & ducere debet. *Pſal.* 118. *c.* 7. *verſ.* 1. *Thren. hic.*

28. *Deus vigilat ſuper peccatores, ut ipſos puniat: & peccatum ſemper comitatur pœna: ubi de effectibus peccati, & maximè conſuetudinaris.*

Vigilavit jugum iniquitatum mearum: in manu ejus convoluta ſunt, & impoſita collo meo, infirmata eſt virtus mea: dedit me Dominus in manu, de qua non potero ſurgere. Nota, quòd in his verbis exprimuntur effectus peccati mortalis, & reſpectu Dei permittentis, & reſpectu ipſius peccati, & peccatoris, & reſpectu ſequelarum ſequentium: Ex parte Dei dicitur: *Vigilavit jugum iniquitatum mearum:* vigilare dicitur, qui ante diu dormiebat, ſic vigilat Dominus ſuper peccatum poſtquam videbatur dormire expectans eum ad pœnitentiam vigilat, inquam. ſcilicet vigilare facit jugum iniquitatis, immittendo pœnam deprimentem, quia culpa & ratione ſui, & ratione conſequentis eſt jugum maximum deprimens animam, & collo ipſius tanquam latronis impoſitum per ſubjectionem, & ſuperioritatem ſenſualitatis, & hinc ſequitur infirmitas virtutis, quia redigitur ad ſtatum, à quo ſi non eſt impoſſibile ſurgere, ſaltem eſt difficillimum: & per hoc datur in manu diaboli per finalem damnationem. Vide igitur, quàm malum eſt dormire in peccato, & multiplicare culpas. *In Thren. hic Pſal.* 118. *c.* 5. *v.* 5. *Luc. c.* 13. *Ioan. c.* 11. *v.* 1. *Sap. c.* 12. Nota etiam, quòd hic datur intelligi, quod peccator eſt veluti beſtia, cui impoſitum eſt jugum peccati, & hinc ligatur in collo à diabolo, ne in bonum redeat. *Ser.* 3. *Dom.* 11. *Pent.*

29. *Infelix populus, quando à Prælato malo regitur, & medium ipſe deſerit, felix qui à bono regitur.*

Abſtulit omnes magnificos meos Dominus de medio mei. Qui ſunt iſti magnifici, quos de medio Jeruſalem abſtulit? magnifici ſunt magna facientes, ſcilicet Prælati, qui in omni opere virtutis eligunt, quod perfectius eſt, unde magnificentia eſt decus, & ornamentum divinarum, humanarumque virtutum: hæc facit ſtare Prælatos in medio omnium per humilitatem, per communitatem, per omnium diligentem conſiderationem, & pacis conſervationem: quando verò Prælatus de medio hoc tollitur, & ipſe magna, & magnifica derelinquit, & caduca, & vilia quærit, tunc ſignum eſt imminentis ruinæ populi. *In Thren. hic.*

30. *Adverſus Chriſtum armatum eſt tempus ipſum cum ſuis inimicis.*

Vocavit adverſum me tempus, ut contereret. Quomodo tempus adverſum ſe dicit vocatum? Hoc dicitur in perſona Chriſti, cujus paſſio inter alias circumſtantias aggravantes eſt à tempore, quia in tempore Paſchæ occiſus eſt, ad quod pœnè infinita multitudo convenerat ad ejus inhonorationem. *Ser.* 6. *in Paraſc.*

31. *Tota ratio judicii in morte, & in diſcuſſione univerſali erit examen temporis.*

Vocavit adverſum me tempus. Nota, quòd hoc dicitur in perſona poſiti in anguſtiis mortis, & judicii, nam examen temporis, quomodo fuerit expenſum eſt majus ſupplicium omnium aliorum: nam in morte, & in judicio exiget Deus rationem ſtrictiſſimam de toto tempore vitæ, & tunc in multis conteret electos, ſcilicet rejiciet ea, quæ videntur ſancta, quæ talia non erant. *Thren. hic.*

32. *Chriſtus in torculari Crucis, ut botrus expreſſus fuit*, ut ex ipſo exprimeremus vinum imitationis paſſionis ejus: Unde hic dicit: *Torcular calcavit Dominus Virgini filiæ Iuda*, ſcilicet ad hoc ut anima exprimeret vinum imitationis Dominicæ paſſionis. *Thren. hic.*

33. *Per torcular tribulationum Chriſtus ſeparat bonos à malis.*

Torcular calcavit Dominus Virgini filiæ Iuda. Nota, quòd ſicut per torcular vinum eliquatur, in dolio collocandum, & quo refici poſſint homines, & fæces remanent, quæ deprimuntur: ſic per tribulationes, & pœnitentiam electi probantur, ut ad menſam Domini ponantur, & reprobi remanent in ſua fæce culpæ, æternitatis ſuppliciis comburendi. *Pſ.* 8. *Thren. hic & Pſ.* 55. Hoc etiam addidit D. Hieron. quòd Deus veluti in torculari exprimit peccata noſtra, ex quo extrahit vinum iræ ſuæ in peccatores.

34. *Qualis*

34. *Qualis miſeria, & quam deflenda ſeparari à Chriſto.*

Idcirco ego plorans, & oculus meus deducens aquas. Et cur tantus fletus? *quia longè factus eſt à me conſolator, convertens animam meam: facti ſunt filii mei perditi, quoniam invaluit inimicus.* Ecce quomodo Eccleſia inceſſanter deplorat pro filiis, à quibus propter peccata longè factus eſt Chriſtus ſponſus, & ob id perditi facti ſunt: hæc enim eſt major, & maxima omnium miſeriarum, à Chriſto ſeparari. *Luc.c.5.v.35. Pſal.118. c.10.v.11.*

35. Nota etiam, quòd hoc eſt, quod facit Eccleſia tempore paſſionis Chriſti, in quo invitat omnes ad plorandum, & deplorandam cauſam talis paſſionis, ſcilicet peccata hominum, pro quibus paſſus eſt. *Luc.c.23.v.28.*

36. *Ad pœnitentiam veram, non ſolùm interior pars, ſed & exterior exigitur.*

Expandit ſion vias ſuas, non eſt, qui conſoletur eam. Nota, quòd hæc expanſio manuum eſt propria exiſtentium in ſumma afflictione, ut patet in mulieribus parturientibus: Per hoc dat intelligere, quòd pœnitens debet, non ſolùm corde pœnitere, ſed etiam opera pœnitentialia externa facere, hæc enim exterior ſimul cum interiore valdè Deo placet: ſic & Eccleſia ingruente aliqua tribulatione maxima invitat fideles ad ſimiles exteriores pœnitentias. *Thren. cap.3. & hic.*

37. *Iuſtè à Deo punimur propter peccata noſtra.*

Iuſtus eſt Dominus, quia os ejus ad iracundiam provocavi. Quid eſt os ad iracundiam provocare? os ejus, ſcilicet filium Dei Chriſtum Jeſum offendi: *os ejus*, ideſt contra mandata mihi per os ſanctorum intimata egi, ideo cum ſit juſtus Dominus, juſtè etiam pœnas, & afflictiones ſuper me immittit: ô, ô repetant frequenter homines hæc verba nec obmurmurent contra Deum nos variè affligentem. *Op. de inviſibilit. Dei & in Thren. hic.*

38. *Anima ad vomitum peccati rediens, Deo exoſa fit.*

Facta eſt Ieruſalem quaſi polluta menſtruis, non eſt qui eam conſoletur. Ecce quòd peccator poſt pœnitentiam actam rediens ad vomitum ſolitum culparum, à Deo derelinquitur ſine conſolatione & ſemper gravioribus tribulationibus ſubjicitur, redditur enim per recidivationem immundior, & fœtidior. *Luc.c.15.v.30. Thren. hic.*

39. *Captivitas juventutis lachrymis amariſſimis deflenda.*

Audite obſecro univerſi populi, & videte dolorem meum. Quid eſt hoc, quod in ejulatus tam magnos exire facit Eccleſiam catholicam? quid mali ipſi de novo accidit? Ecce quale malum: Virgines meæ, & juvenes mei abierunt in captivitatem: Sed cur tot ſigna afflictionis emittit Eccleſia ob captivitatem Virginum, & juvenum, quæ numquam ob alias maximas afflictiones ſimilia dedit: meritò deflet captivitatem Virginum, ex quibus ſperabat ſucceſſionem; & juvenum, ex quibus defenſionem, & auxilium expectabat: Datque intelligere, quod captivatio à diabolo facta juventutis, cauſa eſt totalis ruinæ Reipublicæ, & Eccleſiæ: quando enim pudicitia, ſimplicitas, & manſuetudo, item humilitas, puritas, devotio, & verecundia in Virginibus deperditur; & in juvenibus zelus, amor, fortitudo, magnanimitas, pudicitia, in bonis operibus occupatio, ſcientia, & doctrina ſancta; tunc imminet totalis ruina Eccleſiæ. In Thren. hic, & in fine capitis. Audiant hoc juvenes, & Virgines, & caveant à captivitate diabolica: audiant hoc Sacerdotes, Prælati, Parentes, & Rectores, & curam ſpecialem obſervent juventutis &c.

40. *Eccleſiam plorare faciunt mali Religioſi, & Clerici.*

Vocavi amicos meos, & ipſi deceperunt me: ſacerdotes mei, & ſenes mei in urbe conſumpti ſunt, quia quæſierunt cibum ſibi, ut refocillarent animam ſuam. Ad litteram conqueritur de fraudulentia amicorum Jeruſalem fictorum, qui ſub ſpecie auxilii ferendi, intraverunt in Civitatem, & fuerunt Ægyptii, & Romani, qui tandem ipſam totaliter deſolaverunt. Allegoricè Eccleſia conqueritur de amicis fictis, de Clericis, & malis Religioſis, qui ad auxilium ferendum pro majori Dei cultu aſſumuntur in Eccleſia, & tamen communi utilitati non ſerviunt, imò malè viventes, aliis ſunt ſcandalo, cum ipſius Eccleſiæ maxima ruina, qui tandem divino judicio permittente conſumuntur, vitam malè terminantes infelicem, quia ſibi cibum quærentes, & conſolationes terrenas, non lucrum animarum, propriam, & alienam perdunt. Thren. hic. Nota etiam, quod in hac ingratitudine Religioſorum Deus permittit, ut ſæcularibus reddantur contemptibiles, & odio habeantur. *Op. apol. paup. & libel. Apologet.*

41. *Caveat homo à falſa amicitia carnis, mundi, & diaboli.*

Vocavi amicos meos, & ipſi deceperunt me. Quos amicos deceptores? Ecce quid dicit ſtultus peccator in morte: *Vocavi amicos*, ſcilicet carnem, mundum, & diabolum, & ipſi deceperunt me, quia caro ad ſuſpendium reduxit me, mundus finem paravit, & diabolus me ſuſpendit in Inferno. *Thren. hic.*

42. *Invidia, & diſcordia maxima mala Eccleſiæ pariunt.*

Vide Domine, quoniam tribulor: conturbatus eſt venter meus: ſubverſum eſt cor meum in me metipſa, quoniam amaritudine plena ſum: foris interficit gladius, & domi mors ſimilis eſt. Nota, quòd Allegoricè, ea quæ Civitati Ieruſalem in ejus deſolatione acciderunt propter intimam invidiam, & diſcordiam civium, ipſi Eccleſiæ quotidie eveniunt: quando enim inter filios Eccleſiæ graſſatur invidia, & diſcordia, tunc omnia ſubvertuntur. *Thren.c.1. Luc.c.21.v.24. Pſal.118.c.3. verſ.4.*

43. *Eccleſia*

43. *Eccleſiæ querimonia pro crudelitate divitum in pauperes expenditur.*

Audierunt, quia ingemiſco, & non eſt qui conſoletur me &c. Hæc eſt vox Eccleſiæ conquerentis de crudelitate divitum in pauperes filios ipſius, ſed tamen poſtea conſolatur, quia ſciens, quod pauperes tandem conſolabuntur, & crudeles punientur. *In Thren. c. 1.*

44. Eccleſia continuè invocat à Deo gemitum, & dolorem impiis, ut reſipiſcant à peccatis: Unde dicit: Ingrediatur omne malum eorum coram te, & vindemia eos &c. *Thren. hic. Pſal. 118. c. 5. v. 16.*

CAP. II.

45. NOTA, quòd in hoc capitulo deplorat Propheta miſerias Ieruſalem à Deo reprobante populum Iudæorum advenientes: & myſticè in primo, & ſecundo verſu deplorat Eccleſia excæcationem ſapientiorum, qui ob peccata à ſanctitatis culmine in profundum vitiorum præcipitant, dicens: *quomodo obtexit caligine in furore ſuo Dominus filiam ſion, projecit de Cœlo in terram inclytam Iſraël, &c.* Et hoc nimis verum eſt, quia ſæpe multi ob ſuas negligentias à culmine ſanctitatis præcipitant in profundum vitiorum. *In Thren. c. 2. hic.*

46. *Superbia iram Dei valdè excitat.*

Confregit in ira furoris ſui omne cornu Iſraël: avertit retrorſum dexteram ſuam à facie inimici, & tetendit in Iacob quaſi ignem flammæ devorantis in gyro. Nota, quòd per cornu intelligitur elatio ſuperbiæ, quæ ſi non humilietur interiori inſpiratione, vel exteriori prædicatione, Deus aliquando in ira furoris ſui ratione effectus confringit mortis punitione, & æterna damnatione: ſic etiam fecit cum Civitate Ieruſalem, & ſic frequenter cum Prælatis ſuperbis, qui dicuntur cornuti ob dignitatem ſuam ſublimem, ſi male vivunt, à Deo puniuntur ſeveriſſimè. *Op. Compendioſum princip. in fine. Ser. 2. Dom. 19. Pent. Thren. hic.*

47 *Infelicitas animæ à Deo derelictæ expenditur.*

Tetendit arcum ſuum quaſi inimicus, firmavit dexteram ſuam quaſi hoſtis, & occidit omne, quod pulchrum erat viſu in Tabernaculo filiæ ſion: effudit quaſi ignem indignationem ſuam. Ad litteram exprimit ſtragem Ieruſalem terribilem factam à Deo tanquam ab hoſte, & inimico illorum impiorum. Myſticè deploratur miſeria exiſtentis in ſtatu inimicitiæ Dei, quia Deus contra iſtum extendit arcum indignationis auferendo ei omne pulchrum, ſcilicet gratiam, & diſciplinam morum; quæ infelicitas figura eſt ſtragis à Chriſto faciendæ in Judicio, in corpore & anima damnatorum. *Thren c. 2. Luc. c. 21. verſ. 24.* Et ad majorem expreſſionem talis infelicitatis ſubdit: factus eſt Dominus veluti inimicus, præcipitavit Iſraël, & omnia menia, & munitiones, & c; nempe abſtulit ei gratiam, virtutes, & cuſtodiam interiorem, & exteriorem. *Ibid.*

48. *Eccleſia rectè colens Deum eſt veluti Paradiſus Domini: & quomodo diſſipari poteſt.*

Et diſſipavit quaſi hortum tentorium ſuum, demolitus eſt Tabernaculum ſuum, oblivioni tradidit feſtivitatem in Sion, & Sabbathum, & in opprobrium, & in indignationem furoris ſui Regem, & ſacerdotem. Nota, quòd in his verbis exprimit Propheta deſtructionem Templi Jeroſolimitani, quæ bis facta eſt: primò à Chaldæis: ſecundò à Romanis, & illud, quod nunc ſtat prophanatur à Saracenis: Et hinc exprimit ſtatum miſerabilem, in quo nunc Judæi vivunt ſine Rege, ſine ſacerdotibus, ſine ſacrificiis, ſine ſolemnitatibus. Myſticè autem dat intelligere ſtatum Eccleſiæ, quæ nomine horti venit: eſt enim velut hortus, & Paradiſus, in quo ſunt roſæ martyrum, Lylia Virginum, Violæ Confeſſorum: eſt & ibi tentorium, ſcilicet populus ordinatè conveniens ad Eccleſiam, & Tabernaculum, id eſt ordo Prælatorum, & ſacerdotum rectè, & ritè Deum colentium: ſed tamen ſi cultus Dei deſeratur ab his, tunc diſſipatio hujus horti advenit, & ipſos deſerit tradens eos in manus inimicorum. *Pſ. 118. c. 8. v. 14. Thren. hic.* Idem ſuo modo dicendum eſt de ſtatu Religionis, & Religioſorum. *ibid.*

49. *Chriſtus Altare myſticum eſt: quomodo dicitur à Patre repulſus, & acceptus ſimul.*

Repulit Dominus Altare ſuum, &c. Quodnam eſt hoc Altare Dei, quod dicitur repulſum? hoc Altare eſt Chriſtus, cujus humanitatis ſacrificio Deus nobis placatus redditur, ſuper quod omnia ſacrificia noſtra debent offerri: Hoc Altare Deus repulit, quando uſque ad Crucis patibulum in Iudæorum manibus eum dereliquit: ſanctificationi ſuæ maledixit, quando illum, quem ad ſanctificationem noſtram miſit, maledictioni acerbiſſimæ paſſionis expoſuit: muri ejus, ſcilicet Apoſtoli in manibus inimicorum traditi ſunt, quia & ipſi dereliquerunt Chriſtum, & voci Iudæ obtemperantes, ipſum Chriſtum occidiſſe gloriati ſunt. *In Thren. hic cap. 2.*

50. *Fides noſtra eſt Altare Dei vel repulſum à Deo, vel ſanctificatum.*

Repulit Dominus Altare ſuum, &c. Nota: hoc Altare eſt fides noſtra, ſuper quod ſacrificium offertur boni operis, tuncque repellitur, quando fides bonis operibus nudatur; & ſic à Deo reprobatur: Sanctificatur autem, quando ei per incrementum virtutis merita augentur, ſed ſanctificatio maledicitur quando fides ipſa, amiſſis virtutibus, pravis operibus violatur, per quæ anima fit vas immundum: muri turrium in

in manus inimici dantur, quando Ingenium, & aliæ hujuſmodi gratiæ gratis datæ ad iniquitatis ſtudium convertuntur: In quibus muris inimici vox auditur, quando diabolicæ ſuggeſtiones admittuntur, & exterius improbè proferuntur, de quo multum lætantur dæmones, quod ſignatur per illa verba: Vocem dederunt in domo Domini, ſicut in die ſolemni. *Thren. c.2.Pſ.118.c.1.v.14.*

51. *Eccleſia infelicitas qualis ex malitia Prælatorum, & ſacerdotum.*

Repulit Dominus Altare ſuum. &c. Nota etiam quod dicitur Deus repellere Altare, & Templum ſuum, quando homines indignos in Eccleſia præfici permittit, & tunc in muris, & turribus, ſcilicet in Prælatis auditur vox inimicorum, quando iniquè, & perversè dignitatem gerunt, & exercent. *Thren.c.2.*

52. *Altare vel benedictum, vel maledictum eſt cor hominis.*

Repulit Dominus Altare ſuum, maledixit ſanctificationi ſuæ. &c. Nota etiam, quòd moraliter hoc Altare eſt cor hominis, ſuper quod debet offerre ſua ſacrificia: hoc Altare eſt benedictum, Deoque charum, quando per gratiam ſanctificantem, & incrementum virtutis muri augentur: maledictum eſt, quando eſt immunditia peccati repletum, & pravis actibus, & operibus infectum eſt, & tunc datur à Deo, nempe permittitur, ut tradatur in poſſeſſionem diaboli. *Thren. cap.2. Pſal.118. cap.1. verſ.14.* Et hoc idem confirmatur ex his, quæ ſubdit Propheta: Cogitavit Dominus diſſipare murum filiæ Sion, ſcilicet privare talem animam muro virtutum, antemurali operationum meritoriarum: tetendit funiculum, nempe ſuæ rectiſſimæ juſtitiæ ad talem animam puniendam. *Luc c.19.v.43.Thren.c.2.*

53. *Signum iræ divinæ in loca quando ipſa privat auxilio, & cuſtodia ſanctorum.*

Cogitavit Dominus diſſipare murum filiæ Sion, &c. luxitque antemurale, & murus pariter diſſipatus eſt. Nota quod muri locorum ipſa tutores ſunt ſancti, & ideo quando Deus loca privat interceſſione, & cuſtodia ipſorum, tunc eis imminet ruina. *Pſ.79.*

54. *Ex mala vita Prælatorum caſus, & ruina ſubditorum ſequitur.*

Sederunt in terra, continuerunt ſenes filiæ Sion &c. Vide expoſit. Textus *n. 11. & 12. & in Luc. c.21 v.22.* Vide etiam expoſit. *v.20. & 21. qui eſt finis capitis.*

55. *Iræ divinæ, effectus auferunt uſum rationis, & extrahunt lachrymas ab oculis eos conſiderantium.*

Defecerunt præ lachrymis oculi mei. &c. Vide expoſit. text. *& ſerm.3.Dom. 5. Pent. Luc. c.23. verſ.28.*

56. *Subditi multipliciter petunt à Prælatis cibum.*

Matribus ſuis dixerunt, ubi eſt triticum, ubi vinum? cum deficerent quaſi vulnerati in plateis Civitatis, cum exhalarent animas ſuas in ſinu matrum ſuarum matribus ſuis dixerunt. &c idest à Prælatis ſæpe ſubditi petunt cibum ſpiritualem, & hoc multipliciter: nam petunt per miſeriam, quando indigent, petunt quando deſiderant, petunt & per obedientiam, quia afflictorum indigentia eſt veluti vox clamans ad aures Prælati: item quia deſiderium eſt lingua petens: Item quia dum ſunt parati ad recipiendum, quaſi ad implorandum Prælatos deſides adoriuntur: petunt igitur triticum & vinum, ſcilicet Chriſtum, ejuſque verba: ſi igitur à Prælatis ſubditi non ſubveniuntur, ipſi reddent rationem de morte ſpirituali ſubditorum. *Thren.c.2.*

57. *Peccatum frangit, & vulnerat animam, quam contritio ſanat.*

Cui comparabo te? vel cui aſſimilabo te filia Jeruſalem? magna eſt enim velut mare contritio tua: quis medebitur tui? Nota, quòd ad literam deſcribit Propheta irremediabilem miſeriam populi Judaici. Sed myſticè proponit ſtatum animæ per peccatum vulneratæ, & confractæ, & exhibet remedium ſcilicet contritionem: nam ſola contritio habet vim ſanandi animam à vulneribus peccatorum: Comparatur autem mari, quia ſicut mare ſuper omnes aquas mole, & amaritudine præcellit: ſic dolor contritionis debet amaritudine imaginativæ omnem alium dolorem excedere. *Thren. c. 2. l.4. d 20. p.2.d.2.Luc.c.4.v.19.Joan.c.5. v.4. & c.11. v.2. & collat.45.*

58. *Solus Chriſtus medicus poteſt ſanare infirmitates animæ medicinâ ſacramentorum.*

Quis medebitur tui? Quaſi dicat: quis tot infirmitates, & fracturas animæ poteſt ſanare, & mederi? quaſi dicat: Nemo, niſi Chriſtus Jeſus, qui medicus miſſus eſt à Patre in terram ad medendum noſtris infirmitatibus, & ideo nobis paravit ſeptem medicinas ſpirituales. *Sermon.2.de S.Matth. in addit. l.4. ſentent. in prolog.*

59. *In recidivis quàm difficilis curatio ſpiritualis.*

Quis medebitur tui? Nota, quòd hic loquitur Civitati Jeruſalem, quæ poſt agnitam veritatem

tem retro abiit: & quia in recidivis difficilior eſt curatio, quàm in illis, qui numquam virtutem habuerunt, ideo dicit: quis medebitur tui? quaſi dicat: difficillima eſt curatio tua: & hinc eſt, quod in lege evangelica à Sacris Canonibus major impoſita eſt pœnitentia peccatoribus recidivis poſt agnitam veritatem, quàm in lege veteri. *Thren.c.2.& l.4.d.20.p.2.dub.2.*

60. *Maria mare amarum ex paſſione filii excedens omnes alios dolores.*

Cui comparabo te? &c. magna eſt velut mare contritio tua. Nota, quòd hæc à Sanctis Doctoribus adaptantur Mariæ Virgini: Maria enim interpretatur mare amarum, quia ſicut mare in mole, & amaritudine aquarum omnes alias excedit: ſic & dolores Beatæ Virginis in paſſione filii cæteros omnes dolores exceſſerunt, & ideo rectè dicit: Cui comparabo te, vel cui aſſimilabo te, niſi mari amaro. *Op.ſpec.B.Virg.lect.3.op.ſtim. p.3.c.16.*

61. *Logica diaboli qualis: Ubi de Prædicatoribus falſis.*

Prophetæ tui viderunt tibi falſa, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent: viderunt autem tibi aſſumptiones falſas, & ejectiones. Nota illud verbum, *aſſumptiones falſas, & ejectiones*, ideſt concluſiones: ut videas qualis ſit logica, quam edocet diabolus, & ſui miniſtri in ſchola mundi: nam intermiſcent falſa veris, majorem veram proponentes, & minorem falſam aſſumentes, & hinc falſam concluſionem inferentes: & ſic ſub ſpecie boni trahunt ad malum peccatores, ut ipſos protrahant ad præcipitium: ſic & hæretici, & mali Prædicatores. *Thren.c.2. ſer.1.Hexam.Luc.c.21.ad finem.*

62. *Mali Chriſtum falsè aſſumunt, & turpiter ejiciunt.*

Viderunt tibi aſſumptiones falſas, & ejectiones. Quid eſt hoc? quid aſſumptiones, & ejectiones falſæ? Nota quòd hæc eſt doctrina diaboli contra doctrinam Chriſti evulgata: Chriſtus enim Dei virtus, & Dei ſapientia eſt, qui in juſtificatione in corde aſſumitur ſpiritualiter, in communione ſacramentaliter: & hinc dicitur? ſumite, hoc eſt Corpus meum: ſed Deus ſuadet aſſumptionem falſam, & indignam corporis Chriſti ſine aſſumptione ſpirituali, ut inde ejiciatur Chriſtus à ſe: Cave ergo ne Dominum aſſumptum turpiter ejicias *Ser.5.Dom.1.quadrageſ.*

63. *Peccata ſunt voces ad Deum clamantes, & invocantes vindictam contra peccatores.*

Clamavit cor eorum ad Dominum ſuper muros filiæ Sion. Nota quòd hic ad litteram Propheta loquitur de hoſtibus Iſraëlitarum, & dicit, quòd clamavit cor eorum ad Dominum ſuper muros Civitatis: quid eſt hoc? ergone Idololatræ ad Deum clamaverunt? clamaverunt quidem, ſed clamore peſſimo, clamaverunt peccatis ſuperbiæ, & jactantiæ, gloriantes de deſtructione Civitatis, & irridentes contra potentiam Dei; peccata enim ſunt voces ad aures Dei clamantes, & invocantes vindictam contra peccatores. *Thren. c.2.Pſal.79.*

64. *Orationis clamor prius in corde, & ex corde emittatur.*

Clamavit cor eorum ad Dominum Ergone cor habet vocem? maximè: Cor pœnitens, & devotum habet voces ſuas, imò oratio vocalis in tantum ad aures Dei penetrat, in quantum à corde oritur: clamor ergo cordis eſt ille, qui ad Deum penetrat, & penetrare facit clamorem oris, & operum. *Pſalm. 118. cap. 10. verſ. 1. & 2.*

65. *Lachrymæ pœnitentis, & orantis ad Deum quales eſſe debent.*

Deduc quaſi torrentem lachrymas per diem, ac noctem: non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui Hæc verba difficultatem multiplicem ingerunt: quomodo enim quaſi torrentem poteſt anima emittere lachrymas? & quomodo per diem, & noctem inceſſanter? ſed attende ad myſteria verborum, in quibus exprimitur, quomodo ſit plorandum ab anima pœnitente coram Deo: dicit primò: *Deduc*, ſcilicet à corde, ut lachrymæ ſint non extortæ, ſed ſpontaneæ: *Deduc*, ſcilicet deorſum duc aquas ad mundationem conſcientiæ per compunctionem, quia lachrymæ à corde procedere debent, & ad cor ipſum deſcendere, compungendo cor, non aſcendere per indevotionem: Addit: *quaſi torrentem lachrymas*, ideſt abundanter ferventer, & impetuosè ſicut torrens, quia quantò gemitus eſt fortior, tantò citius, ſicut torrens, culpa exſiccatur, & divina conſolatio ſupervenit: Dicit autem, *ſicut torrens*, non ſicut flumen, quia in hac vita tantùm iſtæ aquæ decurrunt, torrens enim non ſemper decurrit, ſicut flumen: Dicit: *per diem, & noctem*, ſcilicet inceſſanter propter peccata diei, nempè proſperitatis, & noctis ideſt adverſitatis: Addit: *non des requiem tibi neque taceat pupilla oculi tui*, ſcilicet numquam ceſſes à compunctione, & contritione, & devotione ſignificata in pupilla oculi, quæ vim orationis efficaciſſimæ apud Deum obtinet. *Thren.c.2.op. lign.vitæ.op.de regim.anim.ſer.3.Dom.4.quadrag.ſerm.1. Dom.19. Pent.Luc.c.7.v.39.& 23.& 18.Ioan.c.11.v.33. & collat.79.* Nota autem, quòd dicit: *deduc lachrymas per diem, & noctem*: primò dicit, *per diem*, poſtea *per noctem*, nec dicit per noctem tantùm, ut ſuprà *c.1.v.2.plorans ploravit in nocte*, quia per noctem intelligitur timor gehennæ, *per diem*, ſcilicet amore lucis æternæ, & ſummi boni: lachrymæ quidem excitentur ex timore pœnæ, ſed informentur amore ſummi boni. *Ser.2.de S.Magdal. in addit.*

66. *Oratio nocturna quàm Deo chara: & in juventute.*

Conſurge, lauda in nocte in principio vigiliarum tuarum. Notent hæc verba Dei ſervitio incumbentes, & præcipuè Religioſi: *Conſurge*, ait Spiritus Sanctus, ſcilicet cum aliis ſurge de nocte ad Deum laudandum: Cum enim profundum nocturnus ſopor indicit ſilentium, tum planè liberior

liberior exit, puriorque oratio: ô quàm ſecurè de nocte aſcendit oratio, ſolo arbitro Deo, ſanctoque Angelo, qui illam ſuperno altari ſuſcipit præſentandam! quàm grata, & lucida, & verecundo colorata rubore? quàm ſerena, placidaque nullo interim turbata clamore, vel ſtrepitu? quàm denique munda, & ſincera, nullo reſperſa pulvere terrenæ ſollicitudinis, nulla aſpiciente laude, ſeu adulatione tentata? *Op. medit. c.36.*

67. *In juventute aſſueſcendum orationi.*

Nota etiam, quòd dicit *In principio vigiliarum*, quia noctes antiquitus dividebantur in quatuor vigilias: prima dicitur conticinium: Secunda intempeſtum: Tertia Galli cantus: quarta ſenes. Dicit igitur; *Conſurge in principio vigiliarum*; *conſurge*, ſcilicet à pueritia, aſſueſce orationi, & virtutis ſtudio inhære: felix juvenis, qui orationis amator fit. *Thren.c.2.*

68. *Oratio perfecta elevat animam ab omnibus terrenis.*

Conſurge, &c. effunde ſicut aquam cor tuum. In quibus verbis dat intelligere, quod perfecta oratio elevat animam ſuper omnia creata, & ipſam evacuat ab omni terrenitate; ideo dicit, *effunde ſicut aquam cor tuum*; dicit ſicut aquam, non ſicut oleum, quod effuſum relinquit ſaporem: non ſicut lac, quod effuſum relinquit colorem: non ſicut vinum, quod effuſum relinquit odorem: ſed ſicut aquam ita ut omnis ſenſus terrenus in terra relinquatur, & anima ad Deum tota conſurgat. *Thren.c.2.ſer.2.Rogat.Diat.tit.2.c.2.Luc.c.2.v.8. & c.21.in fine.ſer.22.Hexam.*

69. *Perfecta pœnitentia hic ſuadetur.*

Conſurge, &c. effunde ſicut aquam cor tuum, leva ad eum manus tuas, &c. Hic exprimitur perfecta pœnitentia: dicit enim, *conſurge* per contritionem, *effunde* per confeſſionem integram, & perfectam: *Leva, &c.* per ſatisfactionem. *Serm.2. in Rogat.ſer.1. Dom.4.Pent.Diat.tit.2.c.2.*

70. *Oratio fundenda pro proximo in neceſſitate poſito, & pro animabus Purgatorii.*

Conſurge, &c. effunde, &c. Leva manus tuas pro anima parvulorum tuorum, qui defecerunt fame in capite omnium compitorum. Nota etiam, quòd hic ſuadet nos ad Deum orandum pro proximis noſtris (ſignificatis in parvulis) poſitis in neceſſitate, eoſque coram Deo præſentare, maximè pro mortuis ſignificatis in illo verbo, In capite compitorum, ideſt confluentia plurium viarum, ubi ſolebant ſepeliri mortui. *Thren.c.2.Luc.cap.5. v.19.& c.15.v.16.*

CAP. III.

71. *Chriſti paupertas expenditur.*

EGO *vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus.* Nota quòd hoc caput cætera poſita in præcedentibus excellit; nam propriè, licèt ad litteram exprimatur calamitas perſonarum privilegiatarum vitæ meritis, & ſtatu honoris, propriè, inquam, & verius eſt prophetia de Chriſto, & membris ſuis, ideo etiam primò præponitur triplex Aleph, ſcilicet triplex doctrina directa ad tres perſonas: & cum principaliter loquatur in perſona Chriſti, hic exprimitur paupertas Chriſti triplex, ſcilicet moralitatis, vel aſſumptæ infirmitatis, & egeſtatis, & familiaritatis, ſcilicet amicorum in paſſione, in qua ab ipſis derelictus fuit: pauper verè fuit Chriſtus mundum ingrediens, progrediens, & egrediens, ideo dicit, ego Chriſtus trium perſona vir à virtute eximia videns, & veraciter cognoſcens paupertatem meam, quam toto tempore vitæ ſervavi: *me minavit in tenebras* Pater meus, ſcilicet humilitatis, paupertatis, & adverſitatis, quia convertit in me manum ſuam flagellando ad redemptionem mundi. *Thren.c.2.* Et per hoc oſtenditur excellentia paupertatis voluntariæ, quam Chriſtus in ſe, & in ſuis membris tantum privilegiavit. *Luc. cap.7. verſ.23.*

72. *Chriſtus pro laboribus, & paſſionum vehementia, ſenior videbatur, quàm erat:* Unde dicitur in perſona ipſius; *Vetuſtam fecit pellem meam, & carnem meam, & contrivit oſſa mea.*

73. *Chriſti pellis, caro, & oſſa myſticè ſunt martyres, Confeſſores, Virgines, Clerici, & Apoſtoli.* Vid. Expoſ. Textus, &c.

74. *Chriſti paſſio adamuſſim deſcribitur in ſequentibus verſibus*, ut videre eſt in expoſ. Textus, &c. *a v.5.& deinceps.*

75. *Aceti & fellis deguſtatione Chriſtus ſe oppoſuit peccato Adæ in deguſtatione ligni vetiti commiſſo:* Unde dicit hic: *ædificavit in gyro meo, & circumdedit me felle, & labore. op.lign.vitæ Tit.Ieſus felle, & aceto potatus.*

76. *Mariæ dolores in paſſione filii expenduntur.*

Poſuit me deſolatam, &c. Quæ lingua dicere, vel quis intellectus capere ſufficit deſolationum tuarum pondus Virgo beata? quæ præſens aſtitiſti, & particeps fuiſti per omnem modum tot doloribus, tot pœnis, & afflictionibus tui dilectiſſimi filii? *Op.lign.vitæ ibid.*

77. Chriſtus

77. *Chriſtus in Cruce poſitus, & expoſitus ſagittis paſſionum in ſignum ſalutis noſtræ.*

Tetendit arcum ſuum : ideſt complevit judicium juſtitiæ ſuæ in me Pater meus, & poſuit me quaſi ſignum ad ſagittam. Poſuit me Pater in Cruce, quaſi ſignum ad ſagittam, quia ſagittas opprobriorum, irriſionum, ſputorum, colaphorum, & lanceæ ſuſtinere voluit, in ſignum charitatis ſuæ maximæ, & in exemplum noſtrum, ut nos per charitatem ſimus nobile ſignum contra ſagittas caſtigationum divinarum, tentationum, perſecutionum, & adverſitatum : charitas enim inter opprobria ſecura eſt, inter rixas placida, inter inſidias innocens iniquitatem gemens, in veritate reſpirans : ſed heu, huic ſigno à multis contradicitur per ſignum odii, & fraudulentiæ. *Ser.2.Dom.infr.oct.Nativit.Luc.c.2. verſ.35.Ioan. collat.86.*

78. *Irriſiones factæ à Iudæis Chriſto expenduntur in verſu 14. factus ſum in deriſum omni populo, canticum eorum tota die : Vide expoſit. Textus.*

79. *Peccatorum recordatio*, Item & meditatio paſſionis Chriſti, quæ ob amorem fuit delectabilis, ſic eſt cinis, quo dulciter cibatur anima pœnitens : Unde dicit hic : *Cibavit me cinere*, ſcilicet tamquam pane. *Ioan. collat. 31. Thren. cap.3.*

80. *Recordatio paſſionis Chriſti ſuadetur.*

Recordare, (ait Chriſtus) *paupertatis, & tranſgreſſionis meæ, abſyntii, & fellis.* Cur hæc tria præcipuè recordanda paſſionis Chriſti inter tot alias pœnas? Hoc eſt, quia in his continentur omnes paſſiones à Chriſto toleratæ contra tria præcipua vitia nos inficientia : Recordare ait Chriſtus paupertatis meæ contra avaritiam; tranſgreſſionis, ſcilicet pœnarum pro tranſgreſſionibus tuis, contra ſuperbiam; & abſyntii, & fellis contra concupiſcentiam, quia iſtorum recordatio ſuccendit cor, adurit pectus, interiora depaſcit : talis memoria elicit lachrymas, infundit oculos, vultum humectat : Pudeat nos non recordari tantorum beneficiorum, & pudeat nos eum offendere, quem recordamur nobis tanta bona feciſſe. *Ser.3.Dom.5.Pent.ſer.6. Paraſcev. ſer.2.Dom.17.Pent.Luc.c.1.v.36. & c.9. verſ.31.& cap.22.v.19. Ecclen.capit.12. Compen.Theol.l.3. c. 20.*

81. *Memoria paſſionis Chriſti tabeſcere facit animam, & oblivioſam reddit omnium aliarum creaturarum* : Unde talis anima ad propoſitionem Chriſti : *Recordare paupertatis meæ &c.* reſpondet: *Memoria memor ero, & tabeſcet anima mea* : Sic & memoria mortis eundem effectum parit in anima cum contemptu mundi. *Ser.2.de S.Magdal. ſer.de anim.Pſal.118.c.10.v.14.Thren.c.3.*

82. *Miſericordia Dei in peccatorem exiſtentem in peccato expenditur.*

Miſericordiæ Domini, quia non ſumus conſumpti. Cur dicitur, quia non ſumus conſumpti? & non potius, quia nos redemit? quia nobis pepercit? ſed dicit hoc quia cum homo vivit in peccato mortali, ſtatim dignus eſt totali conſumptione, & ideo elucet mirabiliter divina miſericordia non ſolùm non conſumens ipſum, ſed ipſum expectans ad pœnitentiam : miſericordia Dei etiam in præſervando ipſum à multis peccatis. *Ser.1.Dom.1.poſt Pent.ſer.4.Dom.5.Pent.ſer.3. Dom.6.Pent.ſer.2 Dom.4. poſt oct. Paſcha. Ecclen. c 8.op.de reſurrect.à peccato.*

83. *Chriſtum habens pro parte, & hæreditate ſua habet omnia deſiderabilia. Unde hic dicit anima.*

Pars mea Dominus, dixit anima mea, propterea expectabo eum. Et quæ pars, niſi illa, de qua dixit Chriſtus, loquens de Magdalena, *Luc.cap 11. optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea?* & hoc maximè competit animæ contemplativæ, quæ relictis omnibus creatis, tota fertur in Deum. O felix ſors, & pars, quia hæc ſecum fert omnia deſiderabilia. *Luc.c.10.v.42. Ioan collat.60.Pſal.118. c.1.v.2.* Dicitur autem pars (ait Sanctus Doctor) quia reſpectu felicitatis æternæ, quæ eſt totum, ſolùm eſt pars, quæ juſtis in hac vita contingit.

84. *Animæ felicitas in Deo ſperantis, & quærentis illum expenditur.*

Bonus eſt Dominus ſperantibus in eum, animæ quærenti illum. Vide quales felicitates acquirit anima ſperans in ſolo Deo, & ipſum quærens toto corde, quia illi ſuſpiranti frequenter, & quærenti, orantique ſine intermiſſione, & affligenti ſe præ deſiderio, cum interdum deſideratus ille, qui ita quæritur, miſeratus occurrit, illi quidem de propria experientia convenit dicere cum Jeremia : Bonus es Domine ſperantibus in te, animæ quærenti te : bonus quidem, quia condonator peccatorum, quia conſolator in tribulatione, quia coronator in Cœlo : ô anima ſpera in Deo ſolo, quære Chriſtum inceſſanter, quia bonum eſt præſtolari cum ſilentio ſalutare Dei. *Op.medit.c.37.Pſal.118.c.5.v.4.& c.6.v.1.Luc.c.1. v.21. & c.9. v.33. op.Regul. Novit. cap 4.Thren. cap.3.*

85. *Iugum Chriſti portandum tempeſtivè & ab adoleſcentia.*

Bonum eſt viro, cum portaverit jugum ab adoleſcentia ſua. Quodnam jugum? illud jugum, de quo dixit Chriſtus : *Tollite jugum meum ſuper vos*, ſcilicet pœnitentiæ, & mortificationis, & hoc tempeſtivè, & ab adoleſcentia, ne brevitatem hujus temporis negligamus : ſic enim per aſſuefactionem dulcis redditur via pœnitentiæ. *Ser.4.Dom.4. Adv.ſer.2.in Circumciſ.ſer.4.Dom.3.quadrag.ſer.2. in ſub. S.ſermon.6. in Pent. ſerm.1.de uno Confeſſ. Luc.c.13. in fine, & cap.14.v.19. l.4. d.15.p.1. quæſt.6.*

86. *Solitudo alia bona, alia vitioſa.*

Sedebit ſolitarius, & tacebit, quia levavit ſuper ſe. Quomodo laudatur hic ſolitarius, ſi alibi dicitur, væ ſoli? Sed reſpondetur, quòd ſolitudo alia eſt per defectum dilectionis, ut in avaro invido, ſuperbo, & hæc peſſima eſt : Alia eſt per defectum conſolationis, & hæc miſera eſt, de qua dicitur *Ecclen.c.4.* Væ ſoli : Alia eſt contemplationis, per quam anima ſe ſeparat à creaturis, &

cum Deo ſolo converſatur,& hæc ſancta, & laudabilis. *Ecclen.c.4.* Quando enim homo à tumultu peccatorum, à ſtrepitu mundi ſeparatur, tunc levat ſe ſuper ſe,& Deus in ipſo requieſcit. *Ser.2. Dom.6.Pent.ſer.5. in Pent. op. de profect. religioſ. l.2. c.56.*

87. *Ex ſilentio oritur ſolitudo, & è contra, ex utroque elevatio animæ ad Deum.*

Sedebit ſolitarius,& tacebit, quia levavit ſe ſuper ſe. Nota ordinem verborum: primò ponit ſolitudinem, deinde ſilentium, & tertiò elevationem animæ ſuper ſe; quæ tamen etiam in ordine convertuntur inter ſe:nam ſolitudo gignit ſilentium, & ſilentium elevationem animæ in Deum: & è contra ex elevatioue ſuper omnem creaturam oritur ſilentium, & ſolitudo, quæ omnia in volentibus Deo ſervire, ſunt neceſſario connexa. *Op. de prof.Religioſ.l.2.c.56.op.de perfect. vitæ,c.4. Luc.c.2.v.43.& c.5.v.3.& c.8.v.31.& c.9.v.18.& c.14.v.28.& c.10.v.26 ſer.2. de S. Iacob. in addit. Ecclen.c.4.Thren.hic.*

88. *Chriſtus opprobria, colaphos, & pœnas ad noſtram purgationem toleravit.*

Dabit percutienti ſe maxillam:ſaturabitur opprobriis. Nota illud verbum, *ſaturabitur, &c.* ut videas multitudinem opprobriorum, quæ Chriſtus toleravit ad noſtram ſalutem: voluit enim conſpui, ut nos lavaret; velari, ut velamen culpæ, & ignorantiæ à cordibus noſtris auferretur: voluit in capite percuti, ut caput noſtrum reſtitueret ſanitati: alapis in illa facie, in quam deſiderant Angeli proſpicere cædi, & verbis derideri, ut nos ei labiis, & manibus, ideſt verbis, atque operibus applaudamus: ô qualis,& quanta charitas Dei noſtri Jeſu Chriſti? *Luc.c.22. v.63. Thren.c.3.*

89. *Deus percutit,ut ſanet:* Dicitur enim hic: *quia non repellit in ſempiternum Dominus: ſi abjecit,& miſerebitur, &c.* & ideo,ſi punit hominem, id facit ad ſuam ſalutem. *Luc.c.21. v.24. & cap.1. v.52.Thren.c.2.& hic.*

90. *Sicut Chriſtus,ſic rectus Iudex ignorat declinare judicium à caſu recto in obliquum.*

Dominus ignoravit, ut declinaret judicium in conſpectu vultus Altiſſimi, ut perverteret hominem in judicio ſuo. Nota hunc modum perbellum, quo rectitudo juſtitiæ Chriſti exprimitur:dicit enim, quòd *ignoravit,ut declinaret judicium.* Ergone neſcivit declinare hoc nomen judicii ſecundùm regulas grammaticales? Sed attende ad myſterium: Ignoravit quidem hanc declinationem,ſic & quilibet rectus Iudex, ſcilicet à caſu recto in genitivum, propter illos, qui ſunt de genere ſuo: In dativum, qui muneribus corrumpuntur: In accuſativum, propter illos, qui odio habentur: In vocativum, quorum gratia, vel favor deſideratur: In ablativum per illos, quorum bona deſiderantur, ſicut Achab deſideravit vineam Naboth. *Thren.c.3.*

91. *Taciturnitas Chriſti in paſſione, quando pro ſui defenſione nihil reſpondit.* Dat nobis exemplum prudentiæ, & patientiæ, & facit ad deteſtationem murmurationum impiorum, qui ſine cauſa obloquuntur vel de proximo, vel de divina providentia, eis permittente flagella: Unde hic dicitur: *Ex ore Altiſſimi,* ſcilicet Chriſti *non egredientur nec bona, nec mala:* quid murmuravit homo vivens cur pro peccatis ſuis, &c. *Pſal.16.Luc.c.15.v.2.& c.19.v.7.& c.23.v.9. Ioan. c.19.v.10.*

92. *Perfecta pænitentia, & converſio ad Deum quas conditiones exigat: ſic & oratio.*

Scrutemur vias noſtras, & quæramus,& revertamur ad Dominum: levemus corda noſtra cum manibus ad Dominum in Cœlo: nos iniquè egimus,&c. In his verbis ordinem & conditiones exponit Propheta perfectæ converſionis peccatoris. Primò dicit, *ſcrutemur vias noſtras*, ſcilicet per examen conſcientiæ perfectum, & quæramus quid fuimus quantum ad naturæ miſeriam, ſcilicet (ſperma prius, modo ſaccus olens, pòſt vermibus eſca) in tumulo, quaque dote ſuperbit homo: *quæramus item quid fecimus*, quia ſcrutinium ordinatur ad,inquirendum: *ſcrutemur* per quas operationes deviavimus à via juſtitiæ, & quæramus jus cœleſte, quod eſt prohibitivum culpæ, & comminativum pœnæ, & recurramus ad Dominum per viam pœnitentiæ, & levemus corda noſtra cum manibus ad Dominum,& jungamus opera pœnitentialia extrinſecùs,nos ad ipſos accuſando coram Domino,& orationem noſtram operibus roborando: hæc eſt perfecta pœnitentia,& converſio ad Dominum:unde non ſufficit converſio interior ſine exteriore,& exterior ſine interiore. *Pſal.118. c.7.v.4. & c.3. v.16. Ioan. collat.22.& 91.Thren.c.3.*

93. *Peccata noſtra ſunt nubes, vel potius murus impediens orationem noſtram, ne evolet ad Deum.*

Oppoſuiſti nubem tibi, ne tranſeat oratio. Quæ nubes eſt hæc impediens tranſitum orationis noſtræ ad Deum? Hæc nubes ſunt peccata noſtra, ſunt & tumultus cogitationum, & carnalium deſideriorum perturbantes vocem orationis noſtræ, ne Jeſus ad illuminandum venire poſſit cor hominis, quia ſunt obſtaculum, inter nos, & Chriſtum. Vide ergo unde procedat invaliditas, & inefficacia orationis tuæ. *Luc. cap.18. verſ.39. Thren.hic.*

94. *Chriſtus flevit propter peccata noſtra, ut nos invitaret ad ipſius imitationem,* Unde dicitur hic in perſona Chriſti: *diviſiones aquarum,*ideſt *rivos aquarum,*ut legit Hebræus, *deduxerunt oculi mei, in contritione filiæ populi mei*; ſic & peccator debet plangere contritionem, & captivitatem animæ ſuæ: *Pſal.118.c.9.a.8.in Thren.hic.* Nota autem, quòd dicit, *diviſiones aquarum deduxerunt oculi mei,* quia aliæ lachrymæ ſunt contritionis, aliæ compaſſionis,aliæ devotionis: *ibid.Thren.*

95. In

95. *Incauta cuſtodia ſenſuum, maximèque oculorum affert mortem animæ.*

Oculus meus deprædatus eſt animam meam in cunctis filiabus urbis meæ. Quomodo oculus poteſt lædere animam? ſed attende, quod nomine oculi venit omnis operatio ſenſuum; datque intelligere, quòd incauta cuſtodia exteriorum ſenſuum maximèque oculorum affert deprædationem, & mortem animæ ut experta eſt Dina Gen. *c.34.* & ideò cave ô ſerve Dei, ne tibi idem contingat: ô quoties mors intrat in animam per iſtas portas. *Op. de prof. Religioſ. lib.1.c.39. & ſerm.3. Dom. infrà oct. Epiph. Thren. hic.*

96. *Dæmones, & impii ſunt venatores animarum.*

Venatione ceperunt me quaſi avem inimici mei gratis. Nota hæc dicuntur in perſona Chriſti contra quem Judæi tetenderunt laqueos & in ſermonibus, & in actibus, ut ipſum caperent, ſicut innocentes captus eſt ab ipſis inſidiatoribus, quia hic voluit: myſticè iſti venatores ſunt Dæmones, & impii homines, qui retia, laqueoſque malarum cogitationum, detractionum, blaſphemiarum, mendaciorum tendunt contra innocentes, ut ipſos capiant. *Ser.3. Dom.4. Pent. Pſal.118. c.11. v.1.*

97. *Chriſti ſepultura litteraliter qualis fuit: Peccatoris ſepultura moralis expenditur.*

Lapſa eſt in lacum vita mea, & poſuerunt lapidem ſuper me. Nota, quòd hic ad litteram exponitur poſitio corporis Chriſti in ſepulchro, cui ſuperpoſitus eſt lapis; ſed moraliter hoc dicitur de peccatore, qui cum peccat mortaliter, in lacum, vel ſpeluncam, vel ſepulturam culpæ ponitur, & ſi ſuperadditur mala conſuetudo, tunc lapis ſuper imponitur, ut videas in quali miſeria præcipitatur conſuetudinarius. *Luc. c. 23. v. 53. Ioan. c. 11. v. 38. Thren. hic.*

98. *In Chriſtum inundaverunt omnes pœnæ hujus vitæ:* unde dicitur in perſona ipſius: *Inundaverunt aquæ ſuper caput meum & dixi perii. in Thren. hic.*

99. *Malis tribulationes ſunt ad ruinam, bonis ad ſalutem.*

Inundaverunt aquæ ſuper caput meum, & dixi perii. Nota, hæc ſunt verba, & voces impiorum quibus tribulationum aquæ ſunt in ruinam; nam electis ſunt ad ſalutem, quia immobiles ſtant in medio aquarum. *Op. Eccleſ. Hier. p.4. c.5. Luc. c.8. verſ.23.*

100. *Chriſti Reſurrectio prædicta à Propheta hic:* ut videri poteſt in expoſitione textus ſeraphici. *tom.1. n.57.*

101. *Ex Chriſti Paſſione, & tolerantia proponitur nobis ſcutum patientiæ:* unde hic dicitur, *dabis eis ſcutum cordis laborem tuum. Dist. tit.7. c.7.*

102. *Judæi ob mortem Chriſto illatam, à Deo reprobati, & in præſenti vita ſignati ſigno inſami.*

Perſequeris illos in furore, & conteres eos ſub Cœlis Domine. Nota, quòd deſcripta paſſione, & morte Chriſto illata à Judæis, ſubdit de ipſis Judæis, quòd Deus perſequetur eos malè tractando in Judicio, in futuro, & etiam in præſenti; unde ſubdit *& conteres eos ſub Cœlis*, ſcilicet hic in terra, *& ſub Cœlis*, ſcilicet ſub Chriſtianis: & huic verſui cum præponatur littera *Thau*, quæ interpretatur ſignum dat intelligere, quòd judicio Dei id exigente, Judæi ſignati ſunt ſigno infami, ut cognoſcantur ab omnibus veluti à Deo reprobati, & Dei inimici per totum orbem terrarum. *Thren. c.3. in fine.*

CAP. IV.

103. *Clerici & Religioſi boni ſunt aurum lucidum: mali ſunt converſi in obſcuram caliginem.*

QUOMODO obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus; diſperſi ſunt lapides Sanctuarii in capite omnium platearum &c. Nota, quòd Propheta in hoc capitulo deplorat ad litteram reprobationem populi Iſraëlitici, qui reſpectu aliarum nationum prius erat veluti aurum optimum: myſticè deplorat caſum in Eccleſia ſpiritualium perſonarum quoad ſtatum prælationis, & Religionis: unde Clerici, Religioſi, & Prælati meritò comparantur auro, quod cæteris præeminet: ſic & iſti cæteris præeminere debent quoad ſplendorem ſanctitatis interioris, & exterioris; quod ſi deficiunt à ſua obligatione, tunc mutatur aurum in caliginem obſcuritatis & deformationem exterioris converſationis, & ſic diſperſi aſpiciuntur in capite omnium platearum, ideſt per vias latas ſæculi, & mundanæ vitæ: ô utinam non poſſet hoc deplorari malum diebus noſtris. *Thren. c.4. Pſal.104. ſer.1. de uno Confeſ.*

104. *Anima in gratia eſt aurum optimum, & pretioſum: in peccato mortali eſt obtenebrata caligine inferni.*

Quomodo obſcuratum eſt aurum &c. Nota, quòd hæc competunt animæ, quæ ſi in gratia Dei exiſtit eſt aurum optimum lucidum, & pretioſum, Deo, & Angelis chara, & ſpectabilis: ſed in peccato mortali exiſtens obtenebratur caligine Inferni, & ratio eſt, quia in gratia, & per gratiam recipit in ſe ſplendorem lucis divinæ, ſed ſi interponitur peccatum, tunc impeditur talis irradiatio, & quia peccatum eſt umbra, & caligo, ideo anima remanet umbroſa, & tenebroſa, ſicut eſt diabolus: *Op de Trib. ternar. peccat. c.8. & op. Comp. Theol. lib.3. c.1. ſerm.1. de uno Conf.*

105. *Anima in gratia exiſtens eſt vas in honorem ad menſam Cœli reponendum;* unde hic dicitur: *Filii Sion incliti, & amicti auro primo, ſed ſi*

in

in peccatum mortale incidit, convertitur ſtatim in vas luteum igni deputandum manu diaboli; unde ſubdit, quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea opus manuum figuli. *Ser. 2. de Nativ. Beatæ Virginis in addit. & Thren. hic.*

106. *Senſualitas eſt ſerpens, lac venenoſum inficiens homines.*

Sed & lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos ſuos. Nota, quòd lamia eſt monſtrum habens caput virgineum, corpus porcinum, & pedes equinos, verè crudeliſſimum; ſed quid hoc ſignificat; Reſpondetur; quod lamia eſt ſenſualitas, quæ faciem exteriorem pulchram oſtendit, ſed habet porcinum corpus, quia per duo ubera concupiſcentiæ exterioris in ſenſu, & interioris in affectu lac carnalis delectationis catulis ſuis, ſcilicet peccatoribus propinat, & quia hoc lac eſt venenoſum, ideò venenum peccati propinat, inficicas, & mortem animæ inducens: *Ser. 4. Dom. 3. poſt oct. Pentec.* Item lamiæ ſunt Hæretici qui ſimplices, idiotas, & parvulos lactant errorum ſuorum poculo; Item ſunt Hypocritæ & mali Prælati, qui lacte mali exempli paſcunt ſubditos: Thren. hic. & hinc ſubdit: Filia autem populi mei crudelis, quaſi ſtruthio in deſerto: da quæ per hoc intelligere quòd Prælati ignavi, ſic & Parentes ſegnes in educatione filiorum, & ſubditorum ſunt pejores lamiis, ſcilicet gentilibus & infidelibus, quia ſicut ſtruthio relinquit in via ova, ſic iſti relinquunt ſubditos expoſitos malæ ſocietati impiorum, & tyrannidi diaboli. *Thren. hic.*

107. *Dei ira terribilis in Prælatos, Prædicatores, & Parentes non paſcentes ſubditos lacte doctrinæ Chriſti, & ſinentes eos fame perire.*

Adhæſit lingua lactentis ad palatum ejus in ſiti; parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis, &c. Ecce calamitas deploranda, in quam Prælati, Concionatores & Parentes deſides, & negligentes non paſcentes lacte verbi, doctrinæ & boni exempli ſuos filios, & ſubditos, redigunt ipſos; qui præ defectu doctrinæ deficiunt, & fame pereunt; unde in multis locis poteſt dici parvuli petierunt panem & non eſt, qui eis frangat. *Thren. hic. Eccleſ. cap. 1. Pſal. 58. ſer. 2. Dom. 4. Quadrag.*

108. *A gratiæ ſtatu, vitaque ſpiritualis cadens in ſtercus proiicitur.*

Qui veſcebantur voluptuosè interierunt in viis: qui veſtiebantur in croceis amplexati ſunt ſtercora: Ecce quid accidit multis; nempe qui in ſtatu gratiæ, vel vitæ ſpiritualis degebant, qui delitiosè cibis conſolationum, & contemplationum cæleſtium nutriebantur, tranſeuntes à tali ſtatu ad peccatum, vel ad deſidiam, vel ad præſumptionem, iſti præcipitantur in ſtercora, in miſerabiliſſimo ſtatu collocati; qui ſtat igitur, videat ne cadat: *In Thren. hic. op. ſtim. p. 3. c. 8. in Luc. c. 13. v. 8. ſer. 2. in dedic. & ſerm. de ſancto Petro in addit.* & hinc de talibus ſubdit: Et major effecta eſt iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum; quia ut dicebat ſanctus Auguſtinus, non invenitur pejor, quam qui in religione deficit.

109. *Anima Deo chara quàm candida, quàm rubicunda, quàm pulchra: Ubi de Clericis, &c.*

Candidiores Nazarei ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſaphiro pulchriores: Ecce qualis debet eſſe anima Deo ſerviens; candidior nive, nitidior lacte, rubicundior ebore, & ſaphiro pulchrior: ſed quomodò ſimul candida, & rubicunda poteſt eſſe? ſed attende; debet eſſe candida per munditiam omnimodam, & rubicanda per charitatem; munditia autem cordis eſt lac, quo Deus, & Angeli valdè delectantur; in lacte citò apparet muſca, vel pulvis; ità in conſcientia munda latere non poteſt qualiſcumquè macula, & ideo ſtatim de conſcientia abiici debet muſca volatilis cogitationis pravæ; ſicquè Anima pulchra coram Deo, & Angelis apparebit, ſi & munditia, puritate, charitate, & aliis virtutibus erit decorata. *Ser. 3. Dom. in Albis & ſer. 4. Dom. 22. Pentec. & ſer. 2. in Aſſumpſi. B. Virginis, & ſer. 2. de S. Franc. & ſer. 1. & 2. de S. Cathar. in addit.* Vide expoſit. textus pro Clericorum, & Religioſorum pulchritudine.

110. *Anima in gratia carboni ignito ſimilis: in peccato carboni extincto.*

Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum, & non ſunt agniti in plateis eorum, adhæſit cutis eorum oſſibus, aruit, & facta eſt quaſi lignum: Ecce qualis metamorphoſis conſpicitur in anima; Hæc ſaphiro priùs comparata, quandò gratia erat prædita; verè ſaphirus, vere carbo ignitus; hic enim dum ignitus eſt fit candens, & lucidus; ſed quando extinguitur, niger efficitur; ſic Anima gratia, & amore Dei ignita, & pulchra & lucida eſt, & ejus aſpectus quaſi carbonum ardentium; ſed quando abundante iniquitate refrigeſcit charitas, tunc nigreſcit, & fit carbone deformior, & nigrior, in tantùm, quod non ſolum dæmones, ſed & Angeli ſpernunt eam, ipſi facti inimici. *Op. myſt. Theol. c. 2. p. 2. & Comp. Theol. lib. 3. c. 7. & ſerm. 2. cæna Domini*, & hinc benè ſubdit & non ſunt agniti in plateis ſcilicet tales, quales eſſe ſolebant, quia in plateis, ideſt in carnalitate aliis Mundanis ſunt conformes: *In Thren. hic.* ô nimis verum, & experientiâ patens; & ideo rectè hæc verba verificantur de Religioſis, & Clericis, qui relinquentes vitam ſpiritualem, & cæleſtem, in quibus peregrinam ſpeciem induunt, & induunt mores ſæcularium, id eſt culparum vel nihil dignoſcuntur differentes à malis ſæcularibus, & mundanis, niſi per habitum exteriorem. *ibid.*

111. *Infelicitas Eccleſiæ, tempore perſecutionum comparatur cum felicitate temporis præſentis.*

Meliùs fuit occiſis gladio, quàm interfectis fame, quoniam iſti extabuerunt conſumpti à ſterilitate terræ. Nota quod ad litteram comparat ſtatum eorum, qui à Romanis fuerunt occiſi gladio, cum illis, qui poſtea tempore obſidionis perierunt fame, & dicit, quòd melior fuit conditio illorum

illorum gladio occiſorum; ſed myſticè comparat Eccleſiæ ſtatum in tempore, quo fuit in Apoſtolis, Martyribuſque perſecuta à Tyrannis, cum ſtatu proſperitatis præſentis, in quo caret perſecutoribus talibus, & dicit, quòd melior fuit ille ſtatus, quia tales perſecutiones repleverunt Cœlum Martyribus, ſed felicitas præſens reddit ſteriles filios, & major pars tabeſcit in avaritia, & cupiditate terrenorum: *In Luc. c.15.v.16.in Thren hic.*

112. *Prælatorum nimia ſeveritas reprehenditur.*

Manus mulierum miſericordium coxerunt filios ſuos, facti ſunt cibus earum in contritione filiæ populi mei: Nota ad litteram hæc verificata ſunt tempore obſidionis Romanorum, ſed myſticè loquitur de Prælatis qui non tegunt veluti Patres, vel Matres amantes, ſed ad modum Tyrannorum nimia ſeveritate, licet ſub ſpecie amoris, & miſericordiæ, coquunt, vel devorant ſubditos, in excidium, & ruinam eos immittendo, & hæc eſt cauſa ruinæ, multorum locorum, Eccleſiæque. *In Thren.hic.*

113. *Peccata levia contemnens incidit in graviſſima.*

Non crediderunt Reges terræ, & univerſi habitatores orbis, quoniam ingrederetur hoſtis, & inimicus per portas Ieruſalem: Nota, quòd nimis confidentes cives Jeruſalem in munitionibus civitatis, incauti nimis in ipſius cuſtodia, in cauſa fuerunt, quòd hoſtes eam ceperunt: myſticè dicitur de Regibus, ideſt juſtis, qui in propria juſtitia nimis confidentes incautè vivunt in cuſtodia portarum, ideſt ſenſuum, & hinc inopinatò ſæpè ruunt in peccata graviſſima. *Ser.1.de S. Agnete in Thren.hic.*

114. *Clericorum, & Religioſorum malorum ſtatus infelix expenditur.*

Erraverunt cæci in plateis, polluti ſunt in ſanguinibus, cumque non poſſent, tenuerunt lacinias. Infelicitas civitatis Jeruſalem ex mala vita miniſtrorum templi hic exprimitur; ſicut & infelicitas Eccleſiæ ex mala vita clericorum, & religioſorum: Dicit autem erraverunt cæci, ſcilicet ex cæcitate culpæ, & ignorantia eorum, quæ ſpectant ad ſuum munus pullulant infiniti errores, & mala, quia talis cæcitas facit indiſcretum in diſcernendo, & judicando, incautum in declinando, & evitando pericula; ineptum in operando, & præcipitem in eundo; & ideò ait erraverunt cæci, ſcilicet juniores exemplo majorum in plateis, ſcilicet in lata via perditionis: polluti ſunt ſanguine, ſcilicet in peccatis carnis: ſubdit, & cum non poſſent, ſcilicet deficientes doctrina, & meritis, cum non poſſent intrare, vel explere deſiderium ſuum in Eccleſia, ad ſimonias ſe converterunt, tenueruntquè lacinias, ſcilicet ora ſuorum veſtimentorum, ſicut cæci, qui expectant, & ambulant ad alienum ducatum. *in Ioan. c.9. v.32. in Luc. c.7.v 23.in Thren.hic.*

115. *Quàm vana ſpes, & confidentia in creaturis.*

Cum adhuc ſubſiſteremus, defecerunt oculi noſtri ad auxilium noſtrum vanum, cum reſpiceremus attenti ad gentem, quæ ſalvare non poterat, Sic dicebant Iſraëlitæ, qui in tribulationibus non ad Deum, ſed ad gentiles confugerunt pro auxilio: ſic dicent in æternum damnati, ſic & experientia dicunt ſtulti in hac vita, qui in neceſſitatibus non ad Deum, ſed ad creaturas confugiunt pro auxilio, quia fruſtrantur ſua vana ſpe. *Pſal.118.c.8.v.11.in Thren.hic & ſer.2.ciner.* ubi expenditur, quod ſequitur, ſcilicet lubricaverunt veſtigia noſtra in itinere platearum noſtrarum, veſtigia, ideſt imitationes gentium: proprium enim eſt gentilium in creaturis confidere, proprium juſtorum eſt ſperare in Domino.

116. *Diabolus quam velox, quàm ſedulus in tentando hominem in hac vita, & in morte.*

Velociores fuerunt perſecutores noſtri, Aquilis Cœli, ſuper montes perſecuti ſunt nos, in deſerto inſidiati ſunt nobis. Hæc dicebant ad litteram Judæi de ſuis perſecutoribus quod magis verificatur de Dæmonibus, qui die, ac nocte numquam quieſcunt, ſed ad omnem partem velociſſimè volant, ut ubique nos impugnent, & maximè in tempore mortis: undè quiſque dicere poteſt Deo, Heu me Domine Deus, quia undique mihi mala, undique tela volant, undique pericula, undique impedimenta: quocumque vertam me, nulla unquam eſt ſecuritas; ideò ad Deum toto corde confugere debemus, ut nos defendat ab inſidiatoribus Dæmonibus, & à ſuis miniſtris. *Ser. 5. Dom.1.Quadrag.ſer.3 Dom.24.Pent. Pſal.118.c 6. v.6 ſer.1.de S.Ioan.Evangeliſ.in addit.Thren.hic.*

117. *Captura Chriſti Jeſu facta à Judæis expenditur.*

Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus captus eſt in peccatis noſtris; cui dicemus: in umbra tua vivemus in gentibus. Ecce quod ad finem threnorum ſuorum Jeremias aſſignat cauſam radicalem deſolationis gentis Judaicæ, quæ fuit captura & paſſio, & mors Chriſto Jeſu illata crudeliter ab ipſis; unde dicit ſpiritus oris noſtri Chriſtus Dominus captus eſt: dicitur ſpiritus oris noſtri, quia eſt verbum, & ratio Patris & noſtra, ſine quo nullum verbum rectum eſſe poteſt; dicitur Spiritus, quia eſt Spiritus, & vita noſtra; Chriſtus igitur captus eſt propter peccata noſtra, ligatus à vinculis peccatorum noſtrorum, captus eſt ſicut latro iniquiſſimus, & ideò latro pro ipſo dimiſſus eſt, cum latronibus crucifixus pro peccatis noſtris. *Ser.4.in Paraſceve. op.meditat. cap 99. ſer.3.Dom.4.Pent.Luc.c.22.v.22.Pſal.118.c 7.v.7. Thren.hic.* Nota autem, quòd in perſona Iudæorum dicitur; *in umbra tua vivemus in gentibus,* ideſt propter umbram legis, quia propter hoc ſuſtinentur Iudæi inter nos; Hæretici verò expelluntur. *Thren.c.4.*

CAP. V.

118. NOTA, quòd hoc quintum caput Threnorum continet orationem Ieremiæ fuſam coram Domino pro ſe, & pro populo, ut ab ipſo impetraret remiſſionem & liberationem populi à tot miſeriis, in quibus in captivitate jacebat: & myſticè hæc oratio eſt Eccleſiæ ſanctæ orantis pro omnium filiorum liberatione à captivitate diaboli; in cujus capitis expoſitione, quæ per ſe eſt clara, pauca ſuperſunt dicere.

119. *Synagoga perdidit coronam fidei, quam Eccleſia Chriſti acquiſivit.*

Cecidit corona capitis noſtri; væ nobis, quia peccavimus. O quam verum eſt hoc, quod dicit continuè Synagoga; cecidit enim ab ipſa corona pulcherrima capitis ſui, & quæ? illa quam vidit Ioannes in Apoc. c. 1. in capite Eccleſiæ Chriſti, ſtellarum duodecim: Hæc corona eſt fidei catholicæ continens duodecim articulos ſymboli Apoſtolici, qui tamquam ſtellæ illuminant, & ornant animam, & Eccleſiam veritate, & virtutibus. *Ser. 3. in Pentec. ſer. 1. in feſto omn. ſanct. in addit.*

120. *Iuſti coronantur corona aurea: impii corona ignominiæ.*

Cecidit corona capitis noſtri, væ nobis quia peccavimus. Verè hoc dicere poſſunt miſeri, qui ob peccatum carnalitatis amiſerunt coronam virginitatis, ob ignaviam: coronam debitam Doctoribus, ob defectum charitatis, & amoris: coronam martyrum ob defectum fortitudinis, & loco talis coronæ aureæ triplicis, coronam ignominioſiſſimam à diabolo recipiunt, ſcilicet laſciviæ, avaritiæ, & ſuperbiæ: & ideò væ iſtis quia à diabolo torquebuntur in æternum. *ſerm. 2. de S. Bartholomæo:* ſed attende ad Chriſti charitatem; nam ipſe, ut nobis recuperaret coronam perditam, voluit ſpinea corona coronari in capite, & pungentiſſimis lacerari ſpinis, ut ad ipſum imitandum excitaremur. *Ser. 2. de uno S. Mart.* ô utinam in hac vita coronemur imitando coronâ ſpineâ Chriſti, ut in alia coronam gloriæ digni ſimus recipere; & ideò dicamus toto corde ad Dominum cum Ieremia; Converte nos Domine ad te, & convertemur; *innova dies noſtros, ſicut à principio;* Quod concedat nobis Dominus Ieſus Chriſtus: Et hic explicit expoſitio Seraphica in Ieremiam Prophetam, Ad Domini Ieſu, B. V. Mariæ, & Seraphici Doctoris laudem.

EXPOSITIO SERAPHICI DOCTORIS
S. BONAVENTURÆ
IN
BARUCH PROPHETAM.

PROLOGUS.

NOTA, quòd Baruch fuit Notarius Jeremiæ Prophetæ, & ductus captiyus in Babylonem ſcripſit duas epiſtolas ad Judæos habitantes in Jeruſalem, in quibus eos conſolatur, & ſuadet ad orationem, & alia opera pœnitentialia, & prædicit multa de Adventu Meſſiæ, & multa myſteria noſtræ fidei expoſuit: cætera, quæ ſpectant ad prolegomena hujus Prophetiæ videantur apud Gloſſam, Ugonem, alioſque Expoſitores.

CAPUT PRIMUM.

1. *Lectio ſpiritualis quàm proficua; lectio prophana quàm noxia.*

ET *legit Baruch verba libri hujus ad Jechoniam, & ad aures univerſi populi, & Presbyterorum, &c. qui audientes plorabant & jejunabant, & orabant in conſpectu Domini, &c.* Vide quid operatur in corde lectio Sacra: ſicut enim ad lectionem ſacræ doctrinæ, legis divinæ factam à Propheta omnes audientes compuncti in lachrymas copioſiſſimas prodierunt, jejunaverunt, & orationi ferventi ſe dederunt: ſic & idem evenit omnibus incumbentibus lectioni Sacræ, hæc enim ſalutem ſuggerit, vitæ odorem fragrat: cur igitur ô ſerve Dei non illa tempora, quibus ab Eccleſia vacas lectioni impendas: cur non Chriſtum reviſas, Chriſtum alloqueris, Chriſtum audias? illum alloquimur cum oramus, illum audimus, cum divina oracula legimus. Spiritualis lectio conſequenter ſanctificat, & Spiritus affert gratiam: divinæ incantationes ſunt ſcripturæ; ſicut è contra lectio prophana, & turpiloquium ſordidat mentem, & Dæmones advocat: *On. Phar lib. 4. c. 31. op. de Prof. Relig. lib. 2. c. 58. & op de inform Novit. p. 1. c. 14. & p. 2. c. 4. & Pſalm. 118. c. 2. v. 2. & cap. 7, v. 1. In Luc. c. 4. v. 31.*

2. *Iejunium quale Deo placitum.*

Plorabant, & jejunabant, & orabant in conſpectu Domini: Nota, quòd dicit in conſpectu Domini, non in conſpectu hominum, ut videas, quòd Jejunium, ut Deo ſit charum debet eſſe ex intentione pura, nempe debet eſſe factum, non intentione placendi hominibus, non propter avaritiam, ſed ſolùm ad Deo placendum, & mortificandam carnem; *Ser. 6. in die Cinerum.*

3. *Lectioni Sacræ, & auditioni verbi Dei debemus incumbere diebus feſtis*; Unde Propheta admonuit his verbis Jeroſolimitanos; *Legite librum hunc, quem miſimus ad vos recitari in templo Domini, in die ſolemni, & in die opportuno:* Dies ſolemnis eſt dies opportunus, in quo homo debet incumbere auditioni verbi Dei, & lectioni Sacræ, & addiſcere doctrinam evangelicam: *In Luc. c. 4. v. 31.* ô quale feſtum celebrat in honorem Dei, & profectum proprium; qui tempus impendit in lectione Sacrorum librorum.

4. *Tranſgreſſio mandatorum Dei affert privationem bonorum, & incidere facit in varia alia flagitia.*

Non audivimus vocem Domini Dei noſtri, ut ambularemus in mandatis ejus, quæ dedit nobis: Ecce cauſa ruinæ in bonis temporalibus, & ſpiritualibus Judæorum, nempè tranſgreſſio mandatorum Dei, ob quam in nefaria alia flagitia ruerunt; audi igitur Dominum Deum tuum, ut obſerves mandata ejus. *Serm. 1. in op. de dec. precept.* & hinc in capite ſequenti patenter fatentur Judæi, ſe à Deo derelictos, & punitos ob eandem tranſgreſſionem: Vide etiam contritionem, compunctionem, & orationem, &

lachrymas, in quas Iſraëlitæ, prorupetunt ob lectionem Sacrorum librorum, & auditionem verbi Dei.

CAP. II.

5. ANIMA, *quæ triſtatur ob peccata contra Deum commiſſa Deo eſt placens, ejuſque triſtitia à Deo vertitur in lætitiam*: unde hic dicitur: *Anima, quæ triſtis eſt ſuper magnitudinem mali, & incedit curva, & infirma, & oculi deficientes, & anima eſuriens dat tibi gloriam, & juſtitiam Domine: in Ioan. c.16. v.6. & coll.73.*

6. *Humiliandum eſt coram Deo, & hominibus, abeo, qui vult divinam protectionem.*

Inclinate humerum veſtrum, & opera facite Regi Babyloni, & ſedebitis in terra, quam dedi Patribus veſtris: quòd ſi non audieritis, &c. dejectionem veſtram faciam, &c. Ad litteram præcipit Deus Iſraëlitis, ut fideliter obediant Regi Babyloniæ, ſub cujus poteſtate redacti fuerant; ut videas, quod Deus vult in ſubditis obedientiam, etiam iniquis Principibus: ſed myſticè exigit humiliationem coram Deo, & hominibus, ut ſic evitetur confuſio, & acquiratur remiſſio peccatorum: *Pſal.118. c.4.v.5.*

7. *Reliquiarum Sanctorum tranſlatio, & veneratio à Deo ordinata ad ſalutem noſtram.*

Statuiſti verba tua, quæ locutus es in manibus Prophetarum, ut transferrentur oſſa Regum, & Patrum noſtrorum de loco ſuo: Ad litteram Deus voluit, ut oſſa Sanctorum transferrentur de loco, in quo ſepulta fuerant, ad alia loca in Jeruſalem; quod & in Eccleſia continuè practicatur cum maximo fructu fidelium: Reges enim ſunt Sancti in Cœlo, & Patres, & Protectores noſtri in Mundo. horum oſſa Deus præcipit, ut de ſepulchris transferantur ad varia loca, ut ibi reverentur, & veluti Reges, & Protectores multa bona impetrent ipſis: *Serm.1. in tranſlatione S. Franciſci in addit.* Vide igitur, quòd Reliquiæ Sanctorum ſunt theſauri indeficientes, quibus loca à Deo ditantur.

CAP. III.

8. *Non ſufficit audire, niſi etiam auribus percipiatur verbum Dei.*

AUDI *Iſraël mandata vitæ, auribus percipe, ut ſcias prudentiam.* Nota hunc ordinem; primò præcipit Deus, ut audiatur doctrina ſua, deindè auribus percipiatur; ſed nonne idem eſt audire, & auribus percipere? minimè: auribus audire eſt extrinſecus audire verbum Dei, auribus percipere, eſt intrinſecus ipſum recipere, & cuſtodire, & operibus comprobare: hoc enim exigit Deus ab audientibus ſuam doctrinam, & ſic erit nobis verbum vitæ: ſcilicet removebit à corde duritiam, impinguabit ipſum devotione, & præparabit ad pœnitentiam, & hinc vita inde exiet, & hæc eſt vera prudentia. *Sermon.4. de una Virgine, & Pſalm.118. c.1.v.15.*

9. *Infelicitas multiplex exiſtentis in peccato mortali.*

Quid eſt Iſraël, quod in terra inimicorum es. Hoc ad litteram dicebat Deus Iſraëlitis exiſtentibus in Babylonis captivitate: myſticè dicitur cuicumque exiſtenti in peccato mortali; nam iſte in terra aliena à Deo infinitè diſtante habitat, eſtque locus peccati: ſubdit inveteraſti in terra aliena, ideſt vilis, & inutilis effecta es in peccato, quod à Deo alienat; & inquinatus es cum mortuis, ſcilicet cum mortuis in peccato immundus factus, deputatus es cum deſcendentibus in Infernum, quia in tali ſtatu condemnatus es ad infernum, & in portis inferni habitas, dereliquiſti fontem ſapientiæ, ſcilicet Deum tuum, &c. *In Thren.cap.3. & in Luc. cap.15. & Ugo hic.*

10. *In via Dei ſemper pax invenitur; in via diaboli ſemper bellum.*

Nam ſi in via Dei ambulaſſes, habitaſſes utique in pace ſempiterna: O quàm verum eſt; duæ ſunt viæ homini oſtenſæ; una ad Deum ducit, altera ad diabolum: prima à Deo dirigitur, eſtque via Dei; ſecunda à diabolo: in prima ſemper viget pax, tranquillitas, ſecuritas, felicitas, nec à quoquam extrinſeco poteſt deturbari; in ſecunda numquam pax, ſed ſemper pugna, bellum, infelicitas occurrit: *Sermon.3. fer.1. Paſcha ſerm.3. Dom. 8. Pentecoſt. in Luc. c.3. verſ. 4. & in Ioan. collat.66.*

11. *Miſeria hominis ſolùm in Deo relevantur.*

Diſce ubi ſit prudentia, ubi ſit virtus, ubi ſit intellectus; ut ſcias ſimul ubi ſit longiturnitas vitæ, & victus, ubi ſit lumen oculorum, & pax: Diſce, ait ſacer textus; ſed in quaſchola? diſce ubi ſit prudentia, virtus, & intellectus ſcilicet in ſchola,

la ubi eſt fons totius boni; in ſchola nempè Chriſti, ſi igitur in hanc ſcholam intraveris, ſi lectiones doctrinæ Chriſti percipias, etiam addiſces, quod cum homo ſit impotens in agendo, inſipiens in noſcendo mirabilia, miſer in patiendo diverſa pericula, indigens in habendo cibaria neceſſaria, vel nutrimenta, in hac ſchola Deum invenies, & ibi recipies virtutem agendi, & operandi rectè in lege Dei; prudentiam contra inſipientiam, ut poſſis opera digna virtutis oſtendere; intellectum, ut poſſis imitabilia in ſapientia intelligere; longitudinem vitæ, & victus, ut poſſis pati pericula, & miſeriam evadere; lumen oculorum, & pacem, ut poſſis cœleſtia contemplari, & acquirere; ad Deum igitur recurre, & in ipſo invenies totum: *Serm. 2. in Epiph. ſerm. 2. de S. Gregor. ſerm. 2. de uno Sancto Doctore.*

12. *Quo in loco invenire poſſit homo Chriſtum ejuſque theſauros.*

Quis invenit locum ejus? ſcilicet ſapientiæ increatæ, Chriſtique Jeſu? *& quis intravit in theſauros ejus:* Sed quis locus Chriſti? cum nullum locum permanentem habuerit? Sed attende, quòd locus ejus eſt in Cruce, unde qui extra Crucem, ſcilicet pœnitentiæ, laborum, & mortificationum; vel in deliciis quærit Chriſtum, nunquam ipſum inveniet: *Ser. 2. in Inventione Sanctæ Crucis*, Nota, quòd ſubdit, quis intravit in theſauros ejus, quia theſauri Chriſti in Cruce tantùm inveniuntur, nempè in ipſius vulneribus, theſauri inquam miſericordiæ, gratiæ, ſapientiæ charitatis, & vitæ. *Opuſc. ſtim. p. 1. capit. 1. Pſal. 141.*

13. *Gloria mundana, & divitiarum vanitas expenditur.*

Ubi ſunt Principes gentium, & qui dominantur, &c. qui argentum theſaurizant, & aurum, &c. Exterminati ſunt, & ad inferos deſcenderunt, &c. Ecce terminus gloriæ mundanæ, & humanæ, dominationũ, dominiorum, divitiarum, & deliciarum; hæc enim omnia vaniſſima ſunt, & ad inferos trahunt ipſorum poſſeſſores; ergo his terrenis non eſt inhærendum, ſed in ſolo Deo, & in mundiria conſcientiæ. *Serm. 1. de S. Andrea; ſerm. 3. in Aſcenſ. In Eccleſ. c. 1. & proœm. in ſap. c. 2. & 3. & 5. & 7. & 12.*

14. *Filii Agar, ſcilicet mundani quærunt ſapientiam diabolicam, Filii Dei ſapientiam Chriſti.*

Filii quoque Agar qui exquirunt prudentiam, quæ de terra eſt, negotiatores Merrhæ, & Theman, & fabulatores, & exquiſitores prudentiæ, & intelligentiæ, viam autem ſapientiæ neſcierunt, neque commemorati ſunt ſemitas ejus: Qui ſunt iſti filii Agar exquirentes prudentiam? & quomodò exquirentes prudentiam cum negotiatoribus, & mercatoribus? ſed attende, quod hic Propheta myſticè loquitur intendens aſſignare diſcrimen inter ſapientiam cœleſtem, & terrenam, & diabolicam; & proponit in medium filios Agar, qui ſunt Sarraceni aſtuti, & fraudulenti in ſuis negotiationibus, per quod deſignatur infelicitas eorum, qui ſcientiis mundanis perverſè utuntur: Agar enim interpretatur perverſio, Theman ficus ſignificans dulcedinem voluptatum terrenarum; ſic enim ſunt confabulatores ſcientiæ ratione vanitatis, & inflationis, ob quam præbetur occaſio multiplicis erroris debilibus, & infirmis, & ob id talis ſapientia, vel prudentia dicitur terrena ratione cupiditatis deprimentis; animalis ratione voluptatis ſubvertentis; & diabolica ratione inflationis ſuperbientis, & quia tales nolunt videre nec acquieſcere primæ veritati, tanquam bonæ matri, meritò traduntur in manus malæ novercæ id eſt philoſophicæ rationis; & hinc ſubdit: Viam autem ſapientiæ neſcierunt non attendentes ſuum defectum eſſe non divinæ ſapientiæ. *Ser. 1. Dom. 3. Advent. ſer. 2. de S. Gregor. in ſap. c. 12. & ſer. 1. Dom. 4. poſt oct. Epiph. ſerm. 2. de uno S. Doctore. in Luc. c. 13. v. 3.*

15. *Civitatis, ſeu domus cæleſtis qualitates expenduntur.*

O Iſraël quàm magna eſt domus Domini, & ingens locus poſſeſſionis ejus, magnus eſt, & non habet finem excelſus, & immenſus: Nota, quòd hic Propheta à terrenis ad cœleſtia elevatus eſt ad contemplationem domus cœleſtis, poſtquam exiit in has voces: ô Iſraël quàm magna eſt domus, quaſi dicat eſt tam magna hæc domus, magna in quantitate, & qualitatibus mirabilibus, quòd lingua terrena non poteſt explicari: ô quàm magna ait, & maxima propter latitudinem, magna amœnitate propter ipſius pulchritudinem; magna jucunditate propter ſuavis melodiæ dulcedinem; magna opulentia propter omnis boni plenitudinem, ideò melior eſt dies una in hac domo habitare, ſuper millia in hoc Mundo. *Ser. 1. de dedicatione, & ſer. un. de dedicatione, & ſer. 3. in Aſcenſione, & ſer. 1. in feſto omnium Sanctorum, & op. ſoliloqu. c. 4. in Luc. c. 14. v. 16. & c. 22. v. 12. Io. collat. 14.*

16. *Maria Virgo domus magnifica Dei.*

O Iſraël quàm magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis ejus. Quæ eſt tàm magna domus Dei, niſi Beata Virgo Maria, domus quidem Dei, in quam Filius Dei ſe recepit; verè magna, quia potuit continere, quem Cœli non poſſunt capere: ejus locus poſſeſſionis, ingens, quia Regina totius Mundi facta eſt: domus verè magna, quia omnibus bonis repleta. *Op. ſpecul. Beatæ Virginis cct. 7. & 14.*

17. *Ad exercitium præſentiæ divinæ invitatur anima in domo divinitatis.*

O Iſraël quàm magna eſt domus Domini, & ingens locus poſſeſſionis ejus, magnus eſt, & non habet finem, excelſus, & immenſus: Nota, quòd conditiones, quas exprimit Propheta de hac domo Dei, & loco poſſeſſionis ejus, non poſſunt competere creaturæ, dicit enim, quòd iſte locus non habet finem, & eſt immenſus: de qua ergo domo Dei, & loco infinito, & immenſo loquitur? ſed attende, quòd hæc dicit ad Iſraël; Iſraël, id eſt videns Deum; loquitur ergo ad Animam contemplativam; cui proponit domum Dei, & locum

locum Dei: locus autem Dei eſt ipſemet Deus, ejuſque divinitas: & cum prædicet de ipſa immenſitatem, quæ eſt proprietas præſentiæ divinæ, ex conſequenti invitat animam ad introeundum in conſiderationem, & contemplationem ſuæ diviniſſimæ præſentiæ: nempè ut relinquat creaturas, & intret in Deum per contemplationem, & amorem, & hoc meritò; nam cum animæ inſit capacitas infinita, ob idque quælibet creatura ſit veluti Crypta, vel ſpelunca, in qua anima cogitur ſtare veluti conſtricta, compreſſa, & coanguſtata, ad exeundum à ſe ipſa, è Mundo, & ab omni re creata, & ad intrandum in hanc latiſſimam domum divinitatis invitatur, ubi poteſt ſpatiari ad libitum, & in cognitione, & amore divinæ eſſentiæ, ejuſque infinitarum perfectionum continuè verſari, & ideo invitatur à Spiritu Sancto dicente ô Iſraël, ô Anima, quàm magna eſt domus Dei, &c. & hæc eſt propriè locus Angelorum, & animæ: *lib.2.d.6.q.1. ad 2. & Pſalm.113. & in Luc.c.15. v.17.* De hoc exercitio divinæ præſentiæ *Vide op.25. memor. op. de ſex alis Seraph. c.8. ſerm.1. Dom.2. poſt oct. Paſchæ. op. ſtim. p.2. c.1. ſeq. op. de prof. Religioſ. lib.2. c.20. op. myſt. Theol. c.3. p.2. Vide infrà ad num.19.*

18. *In Eccleſia alii ſunt gigantes ſcientes bellum, alii pacem, illi reprobi, iſti electi.*

Ibi fuerunt gigantes ſcientes bellum, non hos elegit Dominus, neque viam diſciplinæ invenerunt, propterea perierunt, &c. Quomodò id dicitur de cœleſti Jeruſalem, quòd ibi fuerint habitatores ſcientes bellum, non à Deo electi, & proptereà perditi? Sed attende an Divus Ambroſius, quòd hæc domus poteſt ſumi pro Eccleſia triumphante, & militante; ſi de triumphante gigantes ſcientes bellum fuerunt Angeli ſuperbientes, qui non electi fuerunt à Deo, & præcipitati ſunt in barathrum infernale, quia veram ſapientiam non habuerunt, ſed fundare voluerunt ſuam altitudinem in vento: Angeli boni fuerunt gigantes ſcientes pacem, electi, & glorificati à Deo: ſi de militante: gigantes ſcientes bellum ſunt tinoſi ſcindentes veſtem charitatis fraternæ dicunturque gigantes, quia iſti ſunt præditi malitia maxima gigantea, volentes aliis ea ſuperbia præeſſe; gigantes ſcientes pacem ſunt pacifici præditi bonitate, & ſapientia cœleſti superexcedente quamcumque aliam; illi non electi, & deſtinati ſunt ad perditionem; iſti electi, & prædeſtinati ad gloriam: hæc Divus Ambroſius, & ad ſenſum Sancti Bonaventuræ: *Vide ſer.1. Hexaem. & ſerm 9. de Apoſt. op. Phar. lib.3. cap.21. & lib.4. capit.16. opuſcul. Eccleſ. Hierarch. p.4. cap.4.*

19. *Sapientia cauſa ſalutis, inſipientia cauſa damnationis.*

Et quoniam non habuerunt ſapientiam interierunt propter ſuam inſipientiam. Ergone ſapientia neceſſaria eſt ad ſalutem conſequendam? nonne tot idiotæ intrant in Cœlum? ſed attende ad diſcrimen inter ſapientiam, & inſipientiam: ſapientia dicitur ſapida ſcientia, eſtque cognitio Dei, qua exercetur fides, ſpes, & charitas, & omnis cœtus virtutum; vel conſiſtit in exercitio Divinæ præſentiæ, de qua ſuprà *ad n.17.* nempè eſt digniſſima Dei cognitio per ignorantiam cognitā, ſcilicet per fidem, & unionem myſticam, quæ eſt ſuprà mentem, qua mens ab omnibus aliis recedens, poſteà ſeipſam dimittens unitur ſuper ſplendentibus radiis, inſcrutabili, & profundo ſapientiæ ſplendore illuminata, relicto reſpectu cujuſcumque temporalis emolumenti, vel donorum ſponſi, ſcilicet gratiæ virtutum, vel gloriæ, ad ipſum ſponſum ſolum ſcintillantibus affectionibus, inſatiabilibus deſideriis, unitivis aſpirationibus tangendum, & ſtringendum affectat: ô felix anima, quæ hanc ſapientiam acquirere meretur, hæc enim eſt in hac vita aliqualis inchoatio gloriæ de qua *lib.3. d.35. q.1. & op. myſt. Theol. c.3. p.1. & ſeq. & op. de dono ſap.* Inſipientia verò eſt excæcatio à malitia in corde reſidente, qua anima in omnia ſcelera præcipitat, & hinc cauſa damnationis. *Luc. c.6. v.11. Eccleſ. c.9.*

20. *Ex inſenſibilium obedientia diſcat homo obedientiam promptam Deo præſtandam.*

Stellæ dederunt lumen in cuſtodiis ſuis, & lætatæ ſunt, vocatæ ſunt, & dixerunt, adſumus, &c. Nota, quod per figuram Proſopopeiam introducit Propheta ſtellas à Deo collocatas in ſitu ſuo in Cœlo, obedientiam promptam, quam exequuntur ad nutum creatoris, ut per hoc nobis inſinuet ratione utentibus, quali obedientia debemus Deo ſervire, ſine mora, ſine retardatione, ſine murmure; ſicut fuerunt perfectiſſimi obedientes Deo Sancti. *Sermon. 1. de Apoſtol. Eccleſ. cap.12.*

21. *Apoſtoli, & juſti qualiter comparantur ſtellis, ſic & Prædicatores: ubi de Sanctorum reliquiis.*

Stellæ dederunt lumen in cuſtodiis ſuis, & lætatæ ſunt, vocatæ ſunt, & dixerunt adſumus, &c. Nota, quòd myſticè per ſtellas hic intelliguntur Sancti, & juſti, & præcipuè Apoſtoli, qui à Chriſto vocati ad ſuum obſequium ſtatim obtemperaverunt, & luce refulgentiæ cœleſtis, & ſapientiæ divinæ irradiati in ſeipſis, hanc lucem Mundo communicarunt vitæ exemplo, & prædicatione, illuminantes peccatores: ſtellæ autem dicuntur quia fuerunt per tolerantiam incorruptibiles, per conſtantiam infatigabiles & per perſeverantiam ineclypſabiles: ſtellæ quidem fuerunt in ſeipſis puræ, & mundæ per continentiam, & perfectam carnis, & mentis munditiam; fuerunt, & ſitu altiſſimi, ſcilicet per altiſſimam paupertatem, & abdicationem omnium rerum terrenarum; fuerunt, & figuræ rotundæ ad motum obedientiæ Chriſti aptiſſimi, & promptiſſimi: fuerunt, & ſtellæ, quoad apparentiam parvæ, ſcilicet humiles, ſcilicet quoad veritatem maximi; fuerunt, & pulcherrimi per Sanctæ vitæ converſationem: felix igitur anima ſi fuerit una ex his ſtellis: *Serm. 1. 2. & 3. de Apoſtolis: ſerm.10. Hexam. op. Comp. Theol. lib.5. c.6. Eccleſ. c.12. Luc. c.19. v.13.* Nota etiam, quòd iſte textus poteſt applicari, (ſicut ab aliquibus Doctoribus

ribus applicatur) Reliquiis ſanctorum quæ veluti ſtellæ collocatæ in cuſtodiis in Eccleſia illuminant Mundum, & emittunt radios influentiarum protectionis ſuæ in loca, & in fideles; ſic ex Divo Chriſoſt.

22. *A ſolo Chriſto vera diſciplina in ejus ſchola acquiritur.*

Hic eſt Deus noſter, &c. hic adinvenit omnem diſciplinam, & tradidit illam, &c. Nota, quòd hic loquitur de Chriſto, docetque quod inter alia beneficia, illam diſciplinam, quam ignorabat Mundus, tradidit, ut & nos intelligeremus, quòd à ſolo Chriſto & in ejus ſchola poteſt haberi, nempe diſciplina verborum, & factorum, quæ eſt cognitio fidei cum operibus aſſociata, & ſine qua nemo poteſt ſalvari. *in ſap. c.8. & c.18. in Luc.c.4.v.17. & c.20.v.44.*

23. *Dei dignatio, & charitas in ſumendo carnem, & converſando cum hominibus expenditur.*

Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt: Nota, quòd hæc eſt Prophetia clariſſima de Chriſti Incarnatione, qua exprimitur divina dignatio, humilitas, & charitas, dum voluit homo inter homines, etiam impios, etiam perſecutores, & inimicos converſari, eoſque inſtruere. *In Luc.c.2. verſ.30. & 51. & c.11. v.31. & c.14.v.1. & c.15.v.4. & c.19. v.5. & c.20. v.44. & in Ioan.c.1.v.14. & lib.3. prol. & in Pſal. 143. & op. Eccleſ. Hierarch.p.4.c.6. & ſer.4. in vigilia Nativit.*

CAP. IV.

24. *Lex divina indelebilis, in æternum ſervanda, ut veluti ultimum teſtamentum Chriſti.*

HIC liber mandatorum Dei, & lex, quæ eſt in æternum; omnes, qui tenent eam, pervenient ad vitam; qui dereliquerunt eam, in mortem.* Notandum, quod non ſine myſterio maximo Propheta loquens de ſcriptura, vel libro legis divinæ, dicit, quòd talis liber eſt durabilis in æternum ſeu lex æterna; & meritò, nam ſicut in Mundo tres Scripturæ ſunt ſpecialiter indelebiles, & immobiles; nempe leges Imperatorum, donatio inter vivos, & ultimum teſtamentum: ſic Chriſtus fecit nobiſcum; nam nobis tradidit librum legis ſummi Imperatoris in conſiſtorio Sanctiſſimæ Trinitatis editum, & veluti ultimum Teſtamentum nobis relictum, cui appoſita eſt acquiſitio vitæ æternæ, veluti donatio irrevocabilis inter vivos, ut ſciat unuſquiſque, quod ſine obſervantia legis divinæ non poteſt quis pervenire ad hæreditatem æternam, nec ad talem obſervantiam poteſt perveniri, niſi per ſtudium, vel auditum divini verbi. *Op. Diat. tit.3.c.2. in Luc.c.4.v.31. & c.10. v.26. Pſal.118. c.9.v.8.*

25. *In via mandatorum Dei ambulandum de virtute in virtutem ad lumen Dei.*

Convertere Iacob, & apprehende eam; ſcilicet legem Dei, ambula per viam ad ſplendorem ejus contra lumen ejus. Ecce quid à nobis exigit Deus poſt expoſitionem libri ſuæ legis; nempe converſionem ad pœnitentiam, & de hoc non contentus, præcipit ut ambulemus, ſcilicet progrediendo de virtute in virtutem uſque ad contemplationem Dei, in qua via lumen divinum nobis exhibebitur, ſcilicet cognitionis myſteriorum Dei, & amoris. *Ser.4. Dom.4. Adv.*

26. *Gaudium Eccleſiæ pro liberatione ſanctorum è limbo facta à Chriſto.*

Ego ſperavi in æternum ſalutem veſtram, & venit mihi gaudium à ſancto ſuper miſericordia, quæ veniet vobis ab æterno ſalutari noſtro. Hæc dicit Propheta ad litteram nomine Jeruſalem gaudentis de liberatione filiorum è captivitate Babilonica: myſticè hæc eſt Eccleſia gaudens de liberatione filiorum quos cum ploratu emiſerat ad limbum, ad Adventum, & Reſurrectionem Chriſti facta, quando eis contulit gloriam perpetuam. *Ser.1. Dom.2. Advent.*

27. *Omnes juſti ad regnum perveniunt per vias aſperas.*

Delicati mei ambulaverunt vias aſperas, ducti enim ſunt, ut grex direptus ab inimicis. Ecce lex à Chriſto facta ſuper delicatos, ſcilicet dilectos ſuos filios, ut in hac vita tranſeant per viam aſperam tribulationum ad regnum. *Ser. 4. Dom. 4. Advent.*

28. *An homo per pœnitentiam reſurgat in majori, vel minori charitate.*

Sicut fuit ſenſus veſter, ut erraretis à Domino; decies tantum iterum revertentes, invenietis eum: Quid eſt decies tantum iterum revertentes invenietis eum? ergo ne decies debet eſſe major pœnitentia ſuper culpam, ad hoc, ut quis reſurgat ad gratiam? Nota, quòd hic proponitur quæſtio, an homo poſſit reſurgere in majori charitate, quam perdidit? In qua aliqui fundati ſuper hunc textum dicunt, quod debet eſſe major; ſed tamen communior, & verior, quòd quis poteſt reſurgere ad recuperationem gratiæ cum minori charitate, quàm fuerit illa, quam perdidit propter culpam; quia Deus reſpicit, & exigit tantùm, ut ſit ſufficienter anima diſpoſita, ad recipiendam qualemcumquè gratiam, etiam in minimo gradu; iſte autem textus loquitur de præparatione perfecta, & pœnitentia conſummata, quæ habet hanc vim reſtituendi omnia ablata. *lib.3.d.31.a.1.quæſt.3. & lib.4.d.14.a.2.q.1.*

29. *Ad gloriam cæleſtem oculos continuè debemus intendere.*

Circumſpice Ieruſalem ad orientem, & vide jucunditatem à Deo tibi venientem. Quaſi dicat circumſpice ô Anima ait Spiritus Sanctus, iſta terrena, & vide vanitatem ipſorum; & ſubleva mentem ad beatam gloriã tibi à Deo præparatam, & vide quàm firma quàm ſtabilis, quàm perpetua; quàm

quàm affluens, & ad illam totam mentis tuæ animam converte. *Ser.1.Dom.12.Pent.*

CAP. V.

30. *Congregatio diverſarum nationum in unum, effectus mirabilis potentiæ Chriſti.*

EXURGE *Ieruſalem, & ſta in excelſo, & circumſpice ad orientem, & vide collectos filios tuos ab oriente ſole uſquè ad occidentem, in verbo ſancti gaudentes Dei memoria.* Ad litteram Propheta ſuadet civitati Jeruſalem, ut gaudeat ob reverſionem Judæorum à captivitate; ſed myſticè loquitur Spiritus ſanctus cum Eccleſia Catholica, & nobis inſinuat, quàm mirabiles effectus ex Chriſti morte, & redemptione reſultarint in mundo, & præcipuè ex hoc, quòd congregaverit in unum ſub unico vexillo fidei tot diverſas nationes ab Oriente, Occidente, & aliis partibus Mundi, quod & continuè pateſit etiam in variis Religionibus in Eccleſia inſtitutis, ex quo & virtus fidei, & charitatis magis eluceſcit. *in Luc. c.13. verſ.29. Ugo, Gloſſa, &c.*

CAP. VI.

31. NOTA quod caput ſextum continet epiſtolam ſcriptam à Ieremia captivis exiſtentibus in Babylone, quæ quia continet eadem ab ipſo expoſita in ſuo libro, ideo omittitur repetitio expoſitionis ejuſdem: Et hic explicit expoſitio Seraph. Doctoris ſuper Baruch. &c. *Vide in Lucam c.10. verſ.11.*

EXPOSI

Digitized by Google

EXPOSITIO SERAPHICI DOCTORIS
S. BONAVENTURÆ
IN
EZECHIELEM PROPHETAM.
PROLOGUS.

EZECHIEL Propheta vixit tempore Jeremiæ, & poſt Jeremiam ſcripſit, dum erat captivus in Babylone, & hoc fecit, quia cum videret Judæos murmurantes de prædictionibus Jeremiæ, non adhuc verificatis, ut ipſos à murmuratione reprimeret, & ad pœnitentiam revocaret, ſcripſit ſuum librum propheticum; qui tamen myſticè continet prædictionem de Chriſti futura Incarnatione, & aliis myſteriis redemptionis noſtræ, ſed præcipuè de triumpho per reſurrectionem reportato à Chriſto in totum Mundum, & in converſione gentium; unde iſte liber ad Chriſtum potiſſimè refertur. *Op. Princip. S. Script. D. Hieron. Vgo, Gloſſa, & alii*; ad quos circà ea, quæ ſpectant ad prolegomena hujus libri, Lectorem remitto.

CAPUT PRIMUM.

1. *Tempus prædicationis aſſumendæ eſt ætas matura exemplo Chriſti, & Ezechielis.*

ET factum eſt in triceſimo anno, &c. cum eſſem, &c. aperti ſunt cœli, & vidi viſiones Dei. & factum eſt verbum Dei ſuper Ezechielem, & facta eſt ſuper eum manus Domini. Nota, quòd hic non ſine myſterio deſignat tempus, in quo Propheta aſſumptus eſt ad miniſterium prædicationis, quia id fuit figura temporis, in quo Chriſtus incæpit ſe manifeſtare per prædicationem, ut dicitur *Luc. c. 3.* idque voluit, ut oſtenderet, quòd nullus debet docere ante ætatem adultam, quantumcumque habeat ſapientiam, niſi diſpenſetur à Deo ex ſpeciali privilegio ut in Jeremia: unde filii Gerſon *Num. c. 4.* niſi à triginta annis, uſquè ad quinquaginta numerabantur ad portanda onera tabernaculi. *in Luc. c. 3. v. 23.* Nota autem, quod dicit: *tunc aperti ſunt Cœli*: quando aperti? ſcilicet aperta legitur intelligentia myſteriorum Sacræ ſcripturæ ipſis Prædicatoribus à Chriſto miſſis, Nota etiam, quòd dicitur hic: *in triceſimo anno*, per quod notatur ætatis maturitas requiſita in Prædicatore; addit *cum eſſem in medio captivorum*, per quod notatur ſi compaſſio Prædicatoris, & Prælati in peccatorem requiſita, ut ei ſit communis, & affabilis; addit *juxta fluvium Chobar*, quod interpretatur grave, per quod ſignificatur gravitas, & aſſiduitas ſtudii, & meditationis circa divinam legem; & tali aperiuntur Cœli, ut Ezechieli per ſecretorum myſteriorum revelationem, & ſuper eum facta dicitur manus Domini, ſcilicet confortando & per ipſum operando ſalutem proximorum. *in Lucam c. 3. v. 23. & c. 4. v. 42. & c. 6. v. 26. & c. 9. v. 36. ſic & Gloſſa, Ugo, cum aliis Doctoribus.*

2. *Chriſti divinitas, & humanitas Prophetæ oſtenſa, & per ipſum toti Mundo.*

Et ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone, & nubes magna & ignis involvens, de medio ejus quaſi ſpecies electri. Cur dum oſtenditur Prophetæ, nubes magna, & ignis, &c. præceſſit ventus turbinis ab Aquilone? ad litteram prædicit perſecutionem populi Judaici à populo Chaldeo venturam, ex qua veluti ab igne purgata eſt gens Iudæorum; myſticè per ventum turbinis ſignificatur malignitas, & malitia populi Judaici, quæ ad extremum, & ad ſummum redacta erat; & tunc facta eſt Incarnatio Verbi, ſignificata in nube magna, per quam ſpecies electri apparuit, ſcilicet Chriſtus in duabus naturis, ſcilicet in auro divinitatis, & argento humanitatis: Electrum autem conſtat ex auro, & argento, & dum miſcentur, argentum creſcit in claritate, & au-

rum io claritate à fulgore ſuo paleſcit: ſic humanitas in majeſtatis gloria crevit, & divinitas à fulgoris proprietate, potentiaq; ſe humanis oculis temperavit io Chriſto; dum ergo pallet aurum, fulget argentum, undè etiam Deus homo dicitur liber in clauſtro humanitatis ſcriptus, & auro divinitatis illuminatus. In hoc electro erat ignis involuens, ſcilicet fides nos illuminans per cognitionem; diciturque iovolutus, ſcilicet involuta propter ænigmatis obſcuritatem; ideò quacumquè cognitione habita à noſtro intellectu de divinitate, adhuc tamen latet animam noſtram in luce, quia verſatur in tenebris, & miſeria. *Ser.7.in Nativit.& Pſal.104.*

3. *Chriſtus in igne venit omnibus benefaciens.*

Et ignis involuens &c. Cur dicitur eſſe ignis involuens in hac nube, vel electio, & ſimul ſplendor in circuitu, ſi in nube latebat? Ut daret intelligi, quòd ſicut ignis omnia purgat, omnia penetrat ſic Chriſtus involutus in nube humanitatis, velut ignis omnibus ſe extendit, & ſuum ſplendorem gratiarum purgando, illuminando, & inflammando, ubiquè in circuitu omnibus communicat. *Op.Eccleſ.Hier.p.3.c.3.& p.4.c.1.*

4. *Judicium univerſale expreſſum in hac viſione, rigorque Iuſtitia divina.*

Et ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone, & nubes magna, & ignis involuens &c. Vide hic miram extremi examinis deſcriptionem, quantum ad naturarum qualitatem in Iudicante, ſcilicet in electo ex auro divinitatis & ex argento humanitatis; item comminationem terrificarum impreſſionum per ventum turbinis, & nubem: item conflagrationem elementorum per ignem involuentem; item examinationem, & denudationem conſcientiarum per ſplendorem; item confeſſionem aſſiſtentium per quatuor animalia, nempà in leone ordinem Martyrum, in Bove ordinem Confeſſorum, in Homine ordinem Virginum, & in Aquila ordinem Doctorum propter contemplationis acumen, ſic in Judicio fiet ſeparatio puri ab impuro, agnorum ab hædis. *Ser.1.Hexam.in fine.*

5. *Mirabiles ſenſus Sacra Scriptura expreſſi in hac viſione.*

Et in medio ejus ſimilitudo quatuor animalium &c. Nota, quòd hic exprimuntur mirabiles ſenſus Sacræ Scripturæ; nam in quatuor animalibus ſignificantur ſcriptores ſacræ ſcripturæ, maximè Prophetæ, & Evangeliſtæ: in duabus rotis vetus, & novum teſtamentum; in quatuor faciebus rotarum quatuor Intelligentiæ principales; litteralis, allegorica, moralis & anagogica; aſpectus autem quaſi viſio maris propter profunditatem myſteriorum ſpiritualium, & volatus audiuntur, quando mentes excitantur, & fit ſonus ſublimis Dei, quia omnia ſunt à Deo; Rota autem in medio rotæ erat, ſcilicet vetus teſtamentum in novo, & una rota ob concordantiam illarum intelligentiarum quia mirabiliter concordant, & fit mira harmonia. *Ser.13.Hexam.*

6. *Unuſquiſque ſit quadruplex animal continens ignem in medio.*

Et ignis involuens, & in media ejus ſimilitudo quatuor animalium, &c. Vide mirabilem methamorphoſim in his quatuor animalibus, quæ Prophetæ apparuerunt in ſimilitudinem quatuor animalium, & ſimul unius hominis, & ipſa in medio ignis: quomodo hæc poſſunt ſimul ſubſiſtere: ſed attende ad myſterium, dat intelligere, quód unuſquiſque eſt io igne, ſcilicet tribulationis in hoc Mundo, & debet eſſe unus homo, & quadruplex animal quoad aſpectum: ſcilicet velox leo in tentatione, homo in diſcretione, vitulus in carnis mortificatione, aquila in contemplatione; quicumque igitur erit talis, ambulabit per ignem abſque læſione, & ſic ejus ſimilitudo erit quaſi ignis ardentis. *Ser.1.de S.Laur. in addit & ſer.2.in cœna Dom.*

7. *In quatuor animalibus mirabiliter indicantur quatuor Evangeliſta.*

In medio ejus ſimilitudo quatuor animalium, &c. Nota, quòd hic ponitur quadruplex animal, & ſimul unum, & unum quodque illórum quatuor facies habebat; per quæ ſignificantur quatuor Evangeliſtæ: quorum prima facies eſt hominis indicantis Chriſti naturam; ſecunda leonis indicantis victoriam Chriſti; tertia bovis indicantis victimam, & ſacrificium in cruce; quarta Aquilæ indicantis doctrinam: & ideò in hac quadriformitate animalium unum univerſale apparet, ſic de uno Chriſto ſub quadruplice conditione ſunt, quatuor Evangelia, quæ io unum congeſta ſunt, indicantia per Evangelium ſancti Matthæi hominis faciem oſtendens incarnationis myſterium, per aliud Marci leonis faciem oſtendens reſurrectionis trophæum; per aliud Lucæ oſtendens faciem bovis ſacerdotii, & paſſionis myſterium; per aliud Ioannis oſtendens faciem Aquilæ Chriſti magiſterium. *Luc. in Proœm.in fine.*

8. *Deo ſerviens habeat pedes rectos.*

Pedes earum pedes recti, &c. Nota, quòd hoc exigit Deus à nobis volentibus ipſi devoto corde ſervire; nempe quòd pedes ideſt affectus noſtri ſint recti, & quoad intentionem, & quoad operationem per juſtitiæ executionem. *Luc.c.3.v.4. & c.8.v.48.*

9. *Prælati, & Prædicatores, & Iuſti habeant manum hominis extenſam ſub alis.*

Et manus hominis ſub pennis earum in quatuor partibus, &c. Quodnam myſterium inſinuatur in hac quadruplici manu quæ ſub pennis, & alia foras extendebatur? quid manus cum alis, & pennis? ſed attende ad myſterium; iſta quatuor animalia habentia alas ſunt Prælati, Prædicatores, & Iuſti, qui circumquaque volant alis contemplationis, ſed tamen advertant, quòd ad executionem ſui miniſterii debent habere ſub pennis manum quadruplicem; ſcilicet exercitium quatuor virtutum cardinalium, quarum manus fortitudinis pertinet ad faciem leonis; manus temperantiæ ad faciem vituli, quæ carnem

hem immolat mortificatione ; manus juſtitiæ ad faciem hominis , cujus eſt mori pro juſtitia ; manus prudentiæ ad faciem Aquilæ de longè reſpicientis , & malum præcaventis ; tales debent eſſe Prælati, tales & Prædicatores , facientes opere, quod ore dicunt. *Ser. 1. de S. Thoma in addit. in Luc. c. 6. v. 14. & c. 10. v. 2.*

10. *Anima quadruplex facies potentiarum expenditur, ubi de ſyndereſi.*

Quatuor facies uni , &c. Nota, quòd hæc quadruplex facies animæ noſtræ, adaptatur in Gloſſa : ſcilicet facies hominis vi rationali , facies Leonis iraſcibili , facies bovis , ſeu vituli concupiſcibili , & facies Aquilæ ſyndereſi: hæc enim eſt cæteris altior, & ſuperior, quia numquam ceſſat volare in altum, unde dicitur facies Aquilæ deſuper ipſorum quatuor, licet enim ob pravos habitus aliarum potentiarum poſſit inturbari in pluribus actibus , nunquam tamen omninò poteſt deleri , quia enim ineſt animæ , ſecundum primam naturæ inſtitutionem , ideò ſemper aliqualiter obmurmurat contrà malum, & ſtimulat ad bonum. *Lib. 2. d. 39. a. 2. q. 1. & q. 3.* Vide Gloſſam fuse hanc materiam diſſerentem

11. *Sanctus Ioannes Evangeliſta Aquila myſtica.*

Et facies Aquilæ deſuper ipſorum quatuor , &c. Rectè autem Aquilæ comparatur ſanctus Joannes Evangeliſta , quia Aquila eſt avis regia, altifera, citivola , ad alimentum à longè videndum habet acumen præcipuum , & ad proſequendum illud velocitatem volatus , ſuos motus prudentia naturali dirigit , radium ſolarem in ſua virtute radiantem intuitu directo , & irreverberato conſpicit ; quæ omnia aptiſſimè , conveniunt ſanctò Joanni ſuper alios Evangeliſtas , ut videre eſt. *in Ioan. procem. & ſer. 1. & 2. de S. Ioan. in Addit. de quo alias erit ſermo.*

12. *Iuſtus duas pennas ſimul junctas habeat ipſum tegentes ; & duas deſuper extenſas.*

Et pennæ eorum extenſæ deſuper, & duæ tegebant corpora eorum, &c. Quid per has pennas ſic concinnatas ? ſed dat per hoc intelligere , quòd juſtus debet habere duas pennas extenſas deſuper ſcilicet amor , & ſpes, quæ futura reſpiciunt ; & duas tegentes corpora , ſuntque timor , & pœnitentia , quæ contegunt peccata ab oculis omnipotentis Dei : *in Ioan. c. 4. v. 36.* Vel etiam dicendum , quòd juſti debent habere duo genera alarum, aliud reſpicientium corpora per opera miſericordiæ corporalia , aliud reſpicientium Spiritus per opera miſericordiæ ſpiritualia in proximum , ſine quibus anima non poteſt elevari ad cæleſtia. *Op. de Eccleſ. Hier. p. 1. c. 2.*

13. *Iuſti incedunt anterius ; impii retrorſum ; illi impetu amoris, iſti malitia.*

Vnumquodque coram facie ſua ambulabat ; ubi erat impetus ſpiritus , illuc gradiebantur : Nota quod duo dicit de iſtis animalibus, ſcilicet, quòd coram facie ſua ambulabant , & gradiebantur impulſu ſpiritus ; ex quo patet , quòd ſequentes Chriſtum anterius incedunt , ſcilicet de virtute in virtutem , hic enim eſt motus à ſpiritu amotis productus : impii è contrà retrorſum incedunt motu diabolico impulſi ab ipſo diabolo ; nempe incedunt vel ſupra ſe per ambitionem ; vel circà ſe in circuitu per voluptates , vel infrà ſe , & retrorſum per curioſitatem. *In Ioan. c. 6. ad finem op. Diet. tit. 3. c. 2. op. de 7. itin. ætern. itin. 4. d. 5. in Luc. c. 5. v. 3. Pſal. 118. c. 1. v. 1.*

14. *Doctores, & Prædicatores ſint carbones igniti, & lampades illuminantes Mundum, & ſicut fulgura.*

Aſpectus animalium quaſi carbonum ignis ardentium , & quaſi aſpectus lampadarum. Ecce qualis obligatio Prædicatorum , & Doctorum Eccleſiæ , debent enim eſſe veluti carbones in ſe accenſi amore Dei, & lampades accenſæ , ut Mundum illuminent. *in Ioan. coll. 29. & ſer. 1. de Apoſtol. in Addit.* Nota autem, quòd dicit quaſi carbonum ignis ardentium ; nam anima charitate prædita eſt carbo ignitus : ſi hæc extinguitur remanet veluti carbo niger. *Ser. 2. in Cœna Domini.* dicit etiam ſicut fulgur , quia debent timorem incutere. *Ioan. c. 20. v. 21.*

15. *Dei ſervi incedant ab actione ad contemplationem, & ab iſta ad actionem ſecundum impulſum Spiritus ſancti.*

Animalia ibant , & revertebantur in ſimilitudinem fulguris coruſcantis : Quid eſt ibant , & revertebantur ? ergò non ſemper ambulabant anterius ? Ibant quidem coram facie ſua , ſed impulſi à Spiritu ſancto ; ibant in ſimilitudinem fulguris coruſcantis. , ſcilicet ad exemplum Chriſti ab actione , ad contemplationem , & à contemplatione ad actionem revertentes , prout Spiritus ſanctus eos movet. *In Luc. c. 2. v. 2 . & c. 4. v. 30. & c. 17. v. 8. op. Eccleſ. Hierarch. p. 4. c. 1.* Nota autem , quòd ſubdit ad *v. 17.* quòd ibant, & non revertebantur , ſi revertebantur , quomodo non revertebantur ? non revertebantur retrorſum ab incæpto itinere perfectionis per obliquam intentionem, ſed ſemper ibant ; vel incedentes, vel revertentes de virtute , in virtutem. *in Luc. c. 6. v. 15. & c. 14. v. 21.*

16. *Teſtamentum vetus in novo continetur, velut rota in medio rotæ.*

Aſpectus earum (ſcilicet rotarum) *quaſi ſit rota in medio rotæ, &c. rota habens quatuor facies , &c.* Nota, quod Ezechieli fuerunt prænuntiata, & demonſtrata myſteria totius Sacræ ſcripturæ ſub metaphora rotæ exiſtentis in rota, vel continentis rotam, ſed cur ſub tali metaphora ? & cur in rota habente aſpectum quatuor facierum ? ſed attende ad myſterium digniſſimum: Hæc rota erat una, & erat duplex, quia tota ſcriptura habet unicum objectum, & dividitur in vetus , & novum teſtamentum, dicitur rota (ait Divus Gregorius) quia ex omni parte voluitur ad auditorũ mentes, & nullo erroris angulo à prædicationis ſuæ via retinetur, volvitur inquàm inter adverſa , & proſpera, & rectè & humiliter incedit : Rota etiam habet partem, quæ tangit modò terram, modò elevatur ſurſum , & è converſo ; ſic ſacra Scripturæ eſt

eſt rota, in qua parvuli juxta litteram inferiorem intelliguntur, docti per ſpiritualem intelligentiam in altum evehuntur, & idem eſt principium, & finis; vel quia pars inferior ſignificat legem; ſuperior Evangelium: Rota autem dicitur in rota, quia novum Teſtamentum eſt in veteri per præfigurationem, & vetus eſt in novo per impletionem, & explicationem, habet aſpectum quadruplicis faciei ob quadruplicem ſenſum, quem continet, vel ut dicunt expoſitores propter quatuor Evangelia, & Evangeliſtas. *Lib.3.d.35.art.2.q.1.& op.Brevil. in Proœm.& in Pſal.81.*

17. *Rota hujus vitæ, & Mundi quàm volubilis, item rota charitatis quàm efficax & firma.*

Rota in medio rotæ. Nota etiam, quòd per rotam ſignificatur vita noſtra, quæ veluti rota ſemper volvitur, quia eſt in medio rotæ ſemper volubilis, quia vita noſtra ſubjecta eſt continuæ mutationi: *Pſalm.81.& ſerm.2.de ſancto Barthol. & ſer.1.de uno Confeſſ.* Nota etiam, quòd alii ſacri expoſitores dicunt, quòd rota in medio rotæ, hanc volvens eſt charitas, quæ eſt forma aliarum virtutum, & operationum noſtrarum ipſis dans vitam, & motum ad cœleſtia; item eſt virtus obedientiæ dans ſpiritum, & vitam omnibus noſtris operibus: *Op. Eccleſ. Hierarch. p.1.c.2.*

18. *In Deo ſervientibus qualis circumſpectio requiritur.*

Et totum corpus oculis plenum in circuitu ipſarum quatuor rotarum. Vide quid requiritur in animalibus in altum aſcendentibus, & volantibus, ſcilicet in ſervis Dei; debent enim eſſe plena oculis in circuitu, ſcilicet præditi omni circumſpectione, ut poſſint aſpicere ad quatuor partes Mundi, ſcilicet ad Aquilonem, nempè ad culpæ tranſgreſſionem vitandam: ad Orientem ad claritatem gloriæ: ad meridiem, ſcilicet ad fervorem juſtitiæ, & ad occaſum hujus vitæ. *Ioan. collat.46.*

19. *Prælati, & Religioſi in ſe ſint volubiles ad Cœlum, ut alios etiam moveant, & elevent.*

Cumque ambularent animalia, ambulabant pariter & rota juxta ea, & cum elevarentur animalia de terra, elevabantur ſimul & rotæ: Vide, quòd ad motum animalium, movebantur & rotæ: quid eſt hoc? niſi quia per hoc dat Deus intelligere, quòd Prælati, & Religioſi ſunt animalia, qui Spiritu Dei, divinaque dilectione ità debent eſſe præditi, ut ſe moventes, & rotas moveant, ſcilicet ſubditos, & alios ipſis exemplum ſanctitatis, obedientiæ, & aliarum virtutum relinquentes. *Op. Eccleſ. Hierarch. p.1.cap.2.*

20. *Humanitas noſtra per Incarnationem quàm exaltata.*

Et ſimilitudo ſuper capita animalium firmamenti, quaſi aſpectus Chryſtalli horribilis, & extenti ſuper capita eorum. Quid, & quale fuit hoc firmamentum, vel corpus ſimile firmamento Chryſtallino? Sed attende quòd hic Incarnatio Verbi exprimitur, daturque intelligi quòd humanitas à Verbo aſſumpta elevata fuit ſuper capita animalium, ſcilicet ad ſtatum ſuperiorem animalibus, imò & Angelis; cum enim priùs eſſet veluti terra, aſſumpta à Verbo fuit nobilitata ſuper omnes Angelos, & ideo dicitur ſimilis chryſtallo; chryſtallus enim eſt corpus, quod ex aqua congelata indiſſolubilem contrahit firmitatem: ſic humanitas Chriſti ſubjecta priùs fuit flexibilitati paſſionum, & pœnarum, ſed in reſurrectione virtutem incorruptionis obtinuit, & in chryſtallinam firmitatem, natura primò mutabilis mutata eſt. *Opuſcul. Eccleſ. Hierarch. p.4.cap.6.*

21. *Chriſtus firmamentum Mundi.*

Similitudo firmamenti, &c. Hoc firmamentum myſticè eſt Chriſtus Jeſus, verè firmamentum, tùm ratione fixæ, & firmæ unionis, qua humana natura in unione perſonæ in ipſo indiſſolubiliter copulatur, tùm quia eſt mediator inter aquas ſuperiores, & inferiores, ſcilicet hominum, & Angelorum corporalium, & ſpiritualium; tùm quia eſt conſervativus omnium hominum in gratia; tùm quia humanitas eſt ſingularis ſedes Dei, ſicuti eſt Cœlum; tùm ob alia innumera privilegia, quæ continet. *Opuſ. Eccleſ. Hierarch. p.4.cap.6.*

22. *Chriſti vox in judicio quàm terribilis.*

Et audiebam ſonum alarum, quaſi ſonum aquarum multarum, quaſi ſonus multitudinis, ut ſonus caſtrorum, &c. Nota, quòd prævidit Ezechiel Chriſtum venturum ad judicandum Mundum, in quo connectit ſonum hunc terribilem ex voce Judicis Chriſti, & aſſeſſorum, quæ per totum Mundum reſonabit, ut ad judicium omnes conveniant. *Luc.c.21.v.25.Ioan.c.12.v.29.*

23. *Vox Prædicatorum eſt vox Angelorum, & Dei.*

Et audiebam, &c. quaſi ſonum ſublimis Dei cum ambularent, quaſi ſonus erat multitudinis, ut ſonus caſtrorum. Nota, quòd iſta vox alarum ſimilis voci ſublimi Dei, & caſtrorum, ideſt Angelorum, myſticè eſt vox Prædicatorum, & Religioſorum, qui veluti interpretes Dei ad aures ſimplicium laicorum extendunt ſuam vocem veluti Angeli Dei, ut ipſos ad Deum, & eorum actiones reducant. *Op.Eccleſ.Hierarch.p.1.c.3.*

24. *Beatæ Virginis Mariæ throni ſublimitas expenditur, & qualitas.*

Et ſuper firmamentum, quod erat ſuper caput quatuor animalium, quaſi aſpectus lapidis ſapphiri ſimilitudo throni, & ſuper ſimilitudinem throni, ſimilitudo quaſi aſpectus hominis deſuper. Vide quot mirabilia aſpectu Prophetæ hic objiciuntur; nam

per

per quatuor animalia intelliguntur omnes juſti degentes in carne ; Per firmamentum chryſtallinum Angelica natura , & triumphans Eccleſia : Per thronum ſapphirinum Maria Virgo propter cœleſtem ejus puritatem, & converſationem ſuper omnes Sanctos , & Angelos , ideò ſuper animalia militantis Eccleſiæ vidit Propheta firmamentum Eccleſiæ triumphantis Beatorum, & Angelorum ; ſuper hoc firmamentum vidit thronum ſapphirinum , ideſt Beatam Virginem Mariam, & ſuper hunc thronum vidit Chriſtum Ieſum collocatum. *Ser. 2. de Aſſumpt. Beatæ Virginis in Addit.*

25. *Sancti ſunt thronus Dei chryſtallinus, & ſapphirinus.*

Et firmamentum, &c. Nota etiam , quod ſuper caput quatuor animalium , ſcilicet juſtorum , & Sanctorum apparet firmamentum ſapphirinum, ſignificans , quòd juſti ſunt iſte thronus Dei , in quo propter munditiam , & puritatem Deus reſidet. *Op. Eccleſ. Hier. p. 4. c. 4.* Dicitur autem ſicut chryſtallus , quia Sancti , licèt ſint per ſe fluidi, & fragiles, tamen flante vento Spiritus Sancti indurati ſunt in firmitatem chryſtallinam. *Op. Eccleſ. Hierarch. p. 4. c. 1. in fine , & c. 2.* Sed attende quòd infrà ſubdit , quòd iſte thronus erat quaſi aſpectus lapidis ſapphiri, & meritò ; nam ſapphirus eſt ſolidus lapis cœleſtis , & aërei coloris , & ſignificat illos, qui firmi ſunt , & ſtabiles contra extrinſecas Mundi tribulationes, & hoc ob ſpem æternorum , & bonorum cœleſtium. *Op. Eccleſ. Hierarch. p. 1. c. 4.*

26. *Chriſti cognitio nos elevat ad contemplationem gloriæ nobis ab ipſo præparatæ.*

Et vidi quaſi ſpeciem electi, &c. hic erat aſpectus ſplendoris per gyrum : & ſubdit in capite ſequenti. *Hæc viſio ſimilitudinis gloriæ Dei.* Nota, quòd in his verbis repreſentatur Chriſtus illuminans Eccleſiam, & fideles , in quo , & per quem anima introducitur ad contemplationem gloriæ nobis ab ipſo præparatæ in Cœlum , ut ad ipſam indeſinenter curramus. *Eccleſ. c. 1.*

CAP. II.

27. *Prædicator ſtet ſuper pedes ſuos, ſi vult illuminationes ſupernas.*

FILI hominis ſta ſuper pedes tuos , & loquar tecum. Cur ſuper pedes , non potius genibus provolutus ? ſed nota, quòd hæc diriguntur Prædicatoribus, quibus & ſingulis dicitur, ſta ſuper pedes tuos , ſcilicet ſurge à terrenarum rerum affectione ; erige te ad Deum per exercitium perfectæ actionis ; ſta per rectitudinis intentionem, per promptitudinem, & vigilantiam ; & ad hoc requiritur amor perfectus Dei, quia timor deprimit , & ſolus amor elevat animam in altum : unde ſubdit Propheta ; *Et ingreſſus in me Spiritus , poſtquam locutus eſt , & ſtatuit me ſupra pedes meos, & audivi loquentem ad me* ; Sic enim rectitudo intentionis , vigilantia cordis, amoris efficacia trahunt Deum illuminantem animam : *Luc. c. 4. v. 16. & c. 5. v. 3. & cap. 13. verſ. 17.*

28. *Mali cadunt retrorſum , Boni antrorſum.*

Et vidi, & cecidi in faciem meam, & audivi vocem loquentis ſta ſuper pedes tuos. Cor cecidit in faciem , & non retrorſum , benè dicit cecidi in faciem meam , ſcilicet ob reverentiam ad Deum, & humiliationem mei ; Boni enim cadunt ante, quia ſponte dejiciunt terrena, & contemptibilia, tranſeundo ad inviſibilia, & cœleſtia: Mali cadunt retrorſum, quia afficiuntur ad ea, quæ ſunt retro, & hinc poſteà in infernum cadunt. *Ioan. c. 18. v. 7. Luc. c. 17. v. 16.*

29. *Prædicatores à Chriſto mittuntur non ſolum ad bonos, ſed præcipuè ad obſtinatos, & gentes apoſtatrices.*

Fili hominis, ecce ego mitto te ad filios Iſraël, & ad gentes apoſtatrices, quæ receſſerunt à me , &c. & dices ad eos, hæc dicit Dominus , &c. Nota illa verba ; *ad filios Iſraël , ad gentes apoſtatrices , &c.* Ut videas, quòd Prædicatores mittuntur à Chriſto , non ſolùm ut prædicent bonis , ſed & apoſtatis, ſcilicet non ſolùm apoſtatantibus à fide, ſed & apoſtatantibus à Deo per mala opera, viventibus in obſtinatione peccati. *Luc. c. 13. v. 34. & Ugo hic.* Nota autem, quòd Prædicatori præcipitur, ut dicat auditoribus : Hæc dicit Dominus , quia in perſona Dei debet loqui : & per hoc admonentur, qua fidelitate debeant in concionibus ſententias Sacræ Scripturæ, & Sanctorum afferre in medium & eos citare , & nominare : & hinc advertit Ugo Cardinalis , quod cum contingit afferre aliquam veritatem Philoſophorum gentilium, iſti non debent nominari in ſacra lectione, & hoc ad vitandam jactantiam, & ne illud Philoſopho adſcribatur , quia non adducitur ſententia, quia ſit Philoſophi , ſed quia eſt veritatis.

30. *Subverſores , & ſcorpiones Inferni ſunt, qui alios ad malum trahere conantur.*

Ne timeas eos, &c. quia increduli, & ſubverſores ſunt tecum , & cum ſcorpionibus habitas, &c. Ecce quomodo Deus admonet concionatorem , ne timeat incredulos, ſubverſores , & ſcorpiones, qui ſecum habitant : & quinam ſunt iſti ſubverſores, & ſcorpiones ? ſubverſores ſunt , qui nituntur alios ſubvertere à ſpe vitæ æternæ , ſcorpiones item ſunt , qui in facie verbis blandiuntur , ſed cauda, ſcilicet veneno falſæ, & iniquæ perſuaſionis occidunt, iſtique ſunt, qui alios ad malum attrahere curant. *Luc. c. 11. v. 12. & c. 14. v. 1. & c. 23. verſ. 2.*

Digitized by Google

31. *Qui in malum prævertunt verba Dei à Prædicatore prolata, ſunt de domo diaboli exaſperantis.*

Ne formides, quia domus exaſperans eſt. Quid eſt domus exaſperans? Nota, quòd hoc dicitur Prædicatori, ut ſi aliquando incidis in gentem perverſam prævertentem in malum verba Dei, ne formides, quia iſti ſunt de domo exaſperante, ſcilicet de familia diaboli, dicuntur domus exaſperans, ſcilicet Deum, quia ſuum converſorem vocant ſubverſorem; ſic fecerunt Judæi cum Chriſto, dicebant enim, hunc invenimus ſubvertentem gentem noſtram. *Luc. c.22. v.2.*

32. *Prædicator tenetur reddere rationem coram Deo de pecunia verbi Dei, ſibi à Chriſto concredita, ut audientibus diſpenſet.*

Loqueris ergo verba mea ad eos, &c. Hoc audiant, & attendant Prædicatores, ut ſciant, quòd verba, quæ proferunt in prædicatione ſunt non ſua, ſed Dei, & hæc eſt pecunia, talentumque eis commiſſum à Deo, ut ipſum diſpenſent audientibus, & ut advertant ſe redditurος rationem ſtrictiſſimam coram Deo de recta vel mala diſpenſatione *Luc. c.19. v.23.* Et hinc ſubdit Deus; *Tu autem audi quæcumque loquar ad te.* Quia prius Prædicator debet audire, & addiſcere verba Dei prædicanda in ſchola, ſcilicet ſcripturæ: ſubdit; *& noli eſſe exaſperans, ſicut domus exaſperatrix eſt, aperi os tuum, & comede quæcumque ego do tibi,* ſcilicet teipſum refice verbo, & doctrina mea, & noli eſſe exaſperans per inobedientiam, negligentiam, & timorem reticendo verba mea.

33. *Chriſtus liber eſt Sacra ſcriptura, in quo ſcripta ſunt lamentationes, & carmen, & væ.*

Et vidi, & ecce manus miſſa ad me in qua erat involutus liber qui erat ſcriptus intus, & foris, & ſcripta erant in eo lamentationes, & carmen, & væ, &c. Quæ iſta manus miſſa ad Prophetam? qui liber ſcriptus? quomodo continebat tam diverſa, & contraria? Sed attende: hæc manus miſſa ad nos fuit Chriſtus manus Patris, miſſa ad ſumendam carnem, & ut inter alia officia, hoc præcipuè exerceret, nempè ut exhiberet Mundo ſeipſum veluti librum involutum in Sacra Scriptura, ad hoc, ut in ipſo poſſemus legere lamentationes, ſcilicet ipſum cognoſcere Redemptorem, ejuſque Paſſionem, & carmen, ſcilicet ipſum cognoſcere remuneratorem in Cœlo; & væ ipſum ultorem malorum in Inferno, ut ſic in nomine Jeſu omne genu flectatur, &c. ut nos excitaret ad lamenta pœnitentiæ pro peccatis noſtris coram Redemptore pro ipſis paſſo, ut ſic perveniamus ad carmen vitæ cœleſtis, & væ æternum non ſentiamus. *Ser.7. in die Nativ. & ſer.2. in feſto S. Agnetis. Ioan.c.10. v.30. Luc.c.7. v.32.*

34. *Ieſus nomen liber, in quo ſcripta ſunt lamentationes, & carmen, & væ.*

Et ecce manus miſſa ad me, in qua erat involutus liber ſcriptus, &c. Si hæc manus eſt Chriſtus miſſus à Patre: quis liber eſt expoſitus, & ſimul involutus in hac manu? Nota: hoc eſt nomen Jeſus: verè liber grandis ſcriptus intus, & foris; quia dictat Chriſtum Redemptorem, glorificatorem & judicem, ut ſic in nomine Jeſu omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. *Ser.7. in Nativ. Domini.*

35. *Chriſtus in cruce liber ſcriptus intus, & foris.*

Et ecce liber involutus, &c. Hic liber eſt Chriſti humanitas, in qua ſcripta ſunt divina myſteria intus de divinitate, foris de humanitate: ſcripta ſunt lamenta, ſcilicet, quæ paſſus eſt Chriſtus pro nobis: carmen, ſcilicet gloriæ, quàm nobis acquiſivit: væ æternæ damnationis, à qua nos liberavit, & quam præparavit incredulis: In hoc libro ſunt litteræ rubricatæ ſanguine, & vulneribus ſui corporis, ut in ipſo ſemper legamus, & nunquam ejus doctrina à nobis recedat. *Ser.3. Dom. 2. Advent. Breuil. p. 2. c.9. op. Diat. tit.3. cap.1.*

36. *Liber mandatorum Dei ſcriptus intus, & foris in homine.*

Et ecce liber involutus ſcriptus intus, & foris. Si involutus, quomodo videtur, quòd ſit ſcriptus, intus, & foris: ſcriptus, ſc. intus, & foris in homine; hic eſt liber decalogi ſcriptus in corde à Deo, quia ſunt de dictamine naturæ; & foris, ſcilicet in manibus per decem digitos, ſic & in pedibus, & in quinque ſenſibus duplicatis, ut hinc addiſcamus dirigere ad Chriſtum, & ad obſervantiam mandatorum ejus opera, greſſus, & omnes actus noſtros. *Op. Diat. tit.3. c.1.*

CAP. III.

37. *Liber Sacra Scriptura tamquam panis ſuaviſſimus comedendus, & recondendus intra viſcera.*

ET dixit ad me, *Fili hominis, quodcumque inveneris comede, &c.* Vide quomodo Sacræ Scripturæ volumen proponitur tamquam panis comedendus à nobis: & meritò, nam doctrina Sacræ Scripturæ habet rationem cibi ſuaviſſimi reficientis, & nutrientis animam: At hic adnotanda ſunt verba Textus: dicit autem Deus: *quodcumque inveneris,* ſcilicet in Sacra Scriptura *comede,* quia quidquid in ea poſitum eſt à Spiritu Sancto, totum eſt ad medicamentum & nutrimentum tuum, & totius humani generis, ſive illud ſit aſperum, ſive amarum, ſive dulce: ſubdit *comede, &c. & vade, & loquere filiis Iſrael,* ideſt comede tu prius ô Prædicator

dicator intelligendo, guſtando, & retinendo, vade operando, & loquere aliis prædicando: ſed attende quod ſubdit: *Venter tuus comedet, & viſcera tua complebuntur volumine iſto*; in quibus verbis exprimit modum, quo legenda eſt, & prædicanda Sacra Scriptura; nam non ſufficit ad os extendere ipſam, ſed debet ad ventrem trajici, & ad viſcera: Per ventrem enim mens ſignatur, per viſcera ſignatur recta, & pia intentio, ſanctum deſiderium, humilis ad Deum voluntas, pia ad proximum; quæ interea debent comedere verbum Dei, ideſt pertractare, intelligere, guſtare: Qui ſic manducaverit vita vivet gratiæ, & gloriæ, & ideò rectè dicit Propheta, *Et factum eſt in ore meo*, ſcilicet animæ, *ſicut mel dulce*, ſcilicet ad ruminandum, & meditandum; Non ſic accidit multis, qui vel à tali lectione, & auditione jejuni ſunt vel ſi audiunt, vel legunt, tamen vacui recedunt, quia & ſi ipſorum venter comedit, viſcera tamen non replentur. *Op. Princip. Sacra Scriptura, in Ioan. collat.* 33. *& ſermon.* 2. *de S. Agnete.*

38. *Qui devotè audit Prædicatorem, audit in ipſo Chriſtum, è contra qui contemnit, &c.*

Domus autem Iſrael noluit audire te, quia noluit audire me; attrita enim fronte, & duro corde eſt, &c. Ecce ratio potiſſima, quare multi contemnunt verbum Dei, & concionatores, eoſque nolunt audire; hoc eſt, ait Deus, *quia nolunt audire me*, & cur hoc? quia attrito, & duro corde ſunt, & ideo in Prædicatore ab audientibus, vel Deus auditur, honoraturque, vel contemnitur. *Luc. c.* 10. *v.* 16. *& c.* 16. *in fine.*

39. *Prædicator caveat à nimio timore, & confuſione exemplo Chriſti.*

Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum, &c. Quaſi dicat, etſi auditores tui ſint impudentes, duri, obſtinati, audaces, ne timeas tu, nec ob pavorem, vel confuſionem ceſſes ipſis prædicare liberè, quia verus Prædicator exemplo Chriſti nihil habet, quin intrepidè exerceat munus ſuum. *Luc. c.* 9. *v.* 51.

40. *Idem confirmatur de conſtantia Prædicatoris, & Prælatorum.*

Vt adamantem, & ut ſilicem dedi faciem tuam, ne timeas eos, neque metuas à facie eorum, &c. Nota, quod dicit, ut adamantem, & ut ſilicem: Adamas durus eſt lapis, ſed pretioſus, & virtuoſus, ferrumque attrahit, habet etiam hanc proprietatem, quod qui percutit adamantem, propter hujus duritiam, magis percutitur ipſe, nec ſcindi poteſt, niſi ſanguine hirci: addit, & ut ſilicem, quia ſilex conculcatus non ſentit, nec læditur, vel contriſtatur, qua metaphora Spiritus Sanctus exprimit, quòd Prædicator, & Prælatus debet habere quidem conſtantiam, & fortitudinem in exercendo ſuum munus, ſed tamen debet etiam habere manſuetudinem Chriſti Jeſu, quæ eſt pretioſitas adamantis, qui ſanguine ſcinditur, & patientia ſignificata in ſilice; ſic enim attrahet etiam ferrum duriſſimo rum cordium, & ſi contigerit, quòd aliquis ei reſiſtat, ipſe patietur, & à Deo punietur. *Op. Diæt. tit.* 1. *c.* 7. *op. Eccleſ. Hierarch. p.* 2. *c.* 2.

41. *Prædicatoris præcipuum ſtudium eſſe debet, ut convertat peccatores à via ſua mala.*

Et vade ingredere ad tranſmigrationem ad filios populi tui, &c. Cur dicit ad tranſmigrationem vade, & non ad Babylonem, in qua erant captivi filii Iſraël? Ad tranſmigrationem ait, quia tota cura Chriſti eſt in hac tranſmigratione, & eadem debet eſſe Prædicatoris, ut ſcilicet peccator relinquat peccatum, & tranſmigret, & tranſeat de via mala ad Deum per pœnitentiam. *Ioan. collat.* 45.

42. *Maria Virgo gloria eſt Domini Dei, & benedicta propter gloriam, quam ipſa habet à Deo.*

Et aſſumpſit me Spiritus, & audivi poſt me vocem commotionis magnæ; Benedicta gloria Domini de loco ſuo. Nota, quòd hic ad litteram oſtenſa fuit Prophetæ tranſmigratio filiorum Iſraël in captivitatem, & conſequenter etiam remotio libertatis, & deſtructio templi Sancti, in quo gloria Domini relucebat, ſed tamen ad felicitates ſtatus gratiæ hæc verba myſticè referuntur; & ideo dicendum, quod ſit in his verbis alluſio ad Mariam Virginem, quæ melius, & verius, quàm templum Jeruſalem poteſt dici gloria Domini, quia per Mariam gloria immenſa Deo redundavit; dicitur igitur: *Benedicta hæc gloria Domini*, Sed cur benedicta? Benedicta gloria hæc Domini de loco ſuo, ſcilicet propter locum ſuum: quis locus Dei? quis locus Mariæ? locus Dei fuit uterus Mariæ, in quo Filius Dei requieſcit, locus Mariæ eſt locus gloriæ, in quo gloriam ſublimiſſimam dignitate, copioſiſſimam immenſitate, & ſtabiliſſimam perpetuitate habet: Benedicta ergo eſt Maria verè gloria Dei de loco ſuo. *Op. ſpec. B. Virg. lect.* 14.

43. *Vis boni exempli expenditur.*

Audivi poſt me vocem commotionis magnæ, &c. Ecce quomodo apparuit gloria Domini, nempè ex voce alarum percutientium ſe mutuò: quid eſt hoc? quid ſignificat hæc percuſſio mutua alarum animalium? Reſpondet Divus Gregorius, quòd iſta animalia ſunt Dei ſervi, qui ſe mutuò percutiunt alâ exercitii operum miſericordiæ, & boni exempli, & ſic ſe mutuò excitant ad volandum in altum, unde Aquila extendens alas ſuas ad volatum percutiebat alas hominis, & iſte alas Bovis, & iſte alas leonis, ſicque mutuò per bonum exemplum ſe excitabant ad opera virtutis. Vide qualis ſit vis boni exempli in ſacris congregationibus. *Opuſc. Eccleſ. Hierarch. p.* 1. *cap.* 2.

44. Status

44. *Status vitæ activæ expenditur.*

Spiritus quoque levavit me &c. Ecce quomodo Propheta à ſtatu contemplationis vocatus fuit ad ſtatum vitæ activæ, ut ſibi, & aliis proficeret, & modum proficiendi daret; ait igitur in perſona talis ſtatus *Spiritus Domini levavit me*, ſcilicet à ſtatu peccati ad ſtatum vitæ activæ; levavit me in cruce per affectum lachrymoſæ contemplationis, & aſſumpſit me per exceſſum inflammatæ dilectionis, & tunc abii amarus in indignatione ſpiritus, ideſt Dominicæ Paſſionis, cum cogito, quòd iterum in ſe ipſo cruc figo Filium Dei reiterando peccatum; & iſta ſunt exercitia præcipua vitæ activæ; ſcilicet meditatio Paſſionis Chriſti, amaritudo pœnitentiarum ſumptarum, dolor de peccatis. *Ser.4. Dom.1. Quadrag. Luc.c.1.v.*80.

45. *Dei manus protectio quàm animæ ſalubris.*

Spiritus quoque levavit me &c. manus enim Domini erat mecum confortans me, &c. Ecce quomodò illa elevatio ad cognoſcenda myſteria divina, aſſumptio ad ſtatum perfectionis fuit effectus manus Dei protegentis, & confortantis; nam per iſtam manum Deus eripit à peccato, confortat vires animæ, juſtificat, & ſublevat animam ad ſtatum cæleſtem, & ad opera meritoria. *Luc. c.1.v.*67. *& c.2. v.*40. *& c.*12. *v.*12. *& c.*13.*v.*12. *Pſal.*118.*c.*11.*v.*13.

46. *Officium ſacerdotale eſt populis doctrina Chriſti annuntiare, & prænuntiare hoſtiles inſidias auditoribus.*

Fili hominis ſpeculatorem dedi te domui Iſraël, & audies de ore meo verbum, & annuntiabis eis ex me. Ecce quale munus exequendum à ſacerdotibus, & Prædicatoribus, nempe annuntiare debent populis doctrinam Chriſti, & ut ſpeculatores prænuntiare inſidias hoſtiles Dæmonis, & tradere modum eas cavendi. *Op. Apol. Paup. reſp.*4. *c.*3. *In Ioan.c.*10.*v.*6.

47. *Quàm diſtrictè rationem reddituri ſunt Prælati, & Prædicatores de ſalute, vel damnatione ſubditorum.*

Si dicente me ad impium; morte morieris, non annunciaveris ei neque locutus fueris &c. Ecce terribiliſſima ſententia Dei contra Prælatos, & Prædicatores non exercentes munus ſuum diligenter, & non curantes avertere ſubditos à via impia, ſicuti tenentur: ipſorum enim eſt officium ſubjectorum corda diſcutere, & de ſingulorum factis rationem, & computum exigere, & ideò de factis ipſorum reddituri ſunt ſtrictiſſimam rationem; & de manu ipſorum ſanguinem, & damnationem ſubditorum Deus requiret. *Op. Eccleſ. Hier.p.* 4.*c.*3. Et hoc idem exiget Deus à Prædicatoribus. *Luc.c.*19.*v.*20. Nota, quòd ſubdit textus, quòd ſi Prælatus, & Prædicator toto conatu curabit ſalutem ſubditorum, ſed tamen ſine fructu tunc ipſe Prælatus animam ſuam liberabit ab omni periculo.

48. *Peccatum mortale oblivionem parit omnium juſtitiarum antea factarum, & in novas miſerias majores inducit.*

Si converterit ſe juſtus à juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, &c. Ecce quanta, & qualis malignitas peccati mortalis; nam dato quocumque numero operum ſanctarum, & quocumque cumulo meritorum, ſi præſumpſerit talis ad peccatum redire, recuſaveritque ad pœnitentiam progredi, omnes juſtitiæ ejus oblivioni tradentur, & in majores miſerias incidet. *Ser.*5. *de plurib. Martyr.*

49. *Peccati mortalis vincula miſeranda expenduntur.*

Ecce data ſunt ſuper te vincula, & ligabunt te in eis, & non egredieris de medio eorum. Nota, quòd hæc ligatio cōminata Prophetæ eſt ligatio ſpiritualis, linguæ, mentis, & cordis à Deo illata ob demerita ſubditorum, & auditorum; per quod exprimit Spiritus ſanctus qualitatem vinculorum, quibus per peccatum mortale conſtringitur peccator: Peccata enim ſunt vincula, quæ ligant manus, ne bona faciant; ligant pedes ideſt affectus, ne bene velint, & peccator ligatur ebrietate in capite, quæ ſenſus ligat avaritia, in manibus, quæ non permittit eas extendere; ſollicitudinibus in pedibus & ideò peccator ligatus eſt veluti mulus: ô miſera vincula fugienda. *Ioan.c.*11.*v.*44. *Luc.c.*1.*v.*20. *& Pſal.*50.

CAP. IV.

50. *Deus ſicut prædixit futuram deſtructionem Jeruſalem, ſic & ſolet prædicere deſolationes univerſales, ut homines reſipiſcant à peccatis.*

HINC præcepit Ezechieli, ut ſumeret laterem, in eoque geometricè deſcriberet ruinam civitatis, in latere crudo deſignavit fragilitatem civitatis, facilemque, qua hoſtes ipſam deſtructuri erant; iſtæ autem prænunciationes à Deo fiunt, ut homines reſipiſcant à peccatis. *Luc.c.*21.*& c.*19.

51. *Zelus qualis eſſe debeat ſalutis animarum in Prælatis, & ſacerdotibus.*

Sume tibi laterem, & pones eum coram te, & deſcribes in eo civitatem &c. Ad quid voluit Deus, ut Propheta ſumeret laterem crudum, in eoque deſcriberet civitatem, & ſartaginem ferream, ipſamque poneret inter ſe, & civitatem? quia voluit ipſi indicare peccata & iniquitates habitatorum civitatis clamantes vindictam à Deo, & ideò imminentem ruinam civitatis: ſicque ipſum excitaret ad Zelum accendendum in corde pro ſalute civitatis, ſeque exponeret velut murum ferreum inter Deum, & civitatem; quaſi ipſi diceret, *ſume tibi ſartaginem ferream*, ideſt frixorium Zeli, & compaſſionis, videns tot mala in ſubditis; prohibe, quos potes, tene, quos potes,

potes, terre quos potes, blandire quibus potes; noli quieſcere; quia nullum omnipotenti Deo ſacrificium tale eſt, quale Zelus animatum. *Ioan. c.2.v.17.*

52. *Peccata ſunt murus ferreus inter Deum, & peccatorem impediens influxus divinæ miſericordiæ.*

Sume tibi ſartaginem ferream, &c. Nota etiam, quòd Deus hoc ſigno voluit indicare, quòd peccata ſunt veluti murus ferreus inter Deum, & peccatorem, quo impediuntur influxus divinæ miſericordiæ, in peccatorem. *Pſalm.* 101. *&* 104.

53. Chriſtus ſe in cruce expoſuit, & oppoſuit Patri ſuo pro peccatis noſtris; unde hic dixit filio; *ſume tibi ſartaginem ferram,* ſcilicet expone te in cruce, & pones eam in murum ferreum inter te, & inter civitatem, &c. *Pſal.* 5.

54. *Cur pro uno peccato mortali ſacri Canones impoſuerunt ſeptennem pœnitentiam.*

Diem pro anno, diem inquam pro anno dedi tibi: Quid eſt hoc? quomodo pro anno dedit, & conceſſit diem? Nota, quod hic dat intelligere Deus, quòd dignatus eſt dare pœnitenti diem pro anno, ideſt longam pœnitentiam in brevem commutando, quia pro pœna æterna dat temporalem: item pro longa pœnitentia luenda in Purgatorio, gratam recipit, & brevem in hac vita; item pœna quæ murmuranti videtur longa, amanti eſt facilis, & brevis, ità Ugo Cardin. ſed ſi hoc, quomodo ſacri Canones aſſignant pro uno peccato mortali ſeptennem pœnitentiam in tempore hoc, quod eſt gratiæ, & remiſſionis? Reſpondetur, quia in peccantibus poſt Adventum Chriſti major eſt ingratitudo, & contemptus, & quia etiam gravius eſt peccatum, & quoniam ſol in uno die non redit in idem punctum, ſed in anno, ideo dies converſus eſt in annum: ſeptem enim dierum pœnitentia aſſignata fuerat à Deo *Num.* 12. Et quia perfectum eſt remedium in lege nova, ideo annus debuit multiplicari per ſeptenarium, propter ſeptem pronitates domandas, propter ſeptem dona Spiritus ſancti reacquirenda, propter ſeptem dotes animæ, & corporis obtinendas: Hæc autem pœnitentia non omnibus imponenda, ſed tamen inſinuanda, ut recognoſcant, quam gravis eſt culpa. *Lib.* 4. *diſt.* 20. *p.*2. *dub.*3.

55. *Impii dormiunt in latus ſiniſtrum; juſti in dextrum eorum.*

Et cum compleveris hæc dormies ſuper latus tuum dexterum ſecundò, &c. Nota quod primò præcepit Deus Prophetæ ut dormiret ſuper latus ſiniſtrum, poſteà ſuper dexterum: ſed quid myſterii in hoc? latus dexterum eſt affectus ſpiritualis; ſiniſtrum carnalis, datquè intelligere, quòd impii dormiunt in latere ſiniſtro, quia totum cor, & intentionem ſuam in terrenis collocant, ob quæ venit ira Dei ſuper eos. & hoc voluit ſignificare Judæis in dormitione Prophetæ, in latere ſiniſtro; deinde pœnitentibus voluit ſignificare, quòd ad dexteram debent ſe vertere, ſcilicet ad ſpiritualia. *Serm.*3. *Dom.* 3. *Advent. Ugo hic.*

56. *Vincula pœnitentiæ qualia aſſumenda, & quomodo.*

Ecce circumdedi te vinculis; &c. Vide, quid Deus fecit cum Ezechiele; ipſum circumdedit vinculis præcipiendo illi, ne ſe converteret à latere dextero in ſiniſtrum antequam complerentur dies obſidionis civitatis Ieruſalem; & hoc eſt, quod facit Deus cum ſuis ſervis: ipſos enim circumdat in hac vita vinculis tribulationum, & pœnitentiæ, ut ſemper permaneant in latere dextro, ſcilicet ad Deum & cæleſtia converſi, & hoc antequam compleantur dies obſeſſionis, dum durat obſeſſio ab exercitibus Mundi, diaboli, & carnis; nempè ut dolorem, & pœnitentiam cum vita compleant. *Serm.*3. *Dom.*3. *Advent.*

57. *Qualibus vinculis aureis Chriſtus ſuos ad ſe trahit, & ornat.*

Ecce circumdedi te vinculis, & non te convertes de latere in latus aliud: Nota illud verbum *circumdedi te vinculis;* non dicit ligavi, ſed circumdedi, ideſt veſtivi, circumdedi te veluti veſtibus; & qualibus? *circumdedi te,* ait, *vinculis,* vel potius veſtibus aureis; nempe vinculo charitatis, téquè divitem feci; hæc enim eſt veſtis, non pauperum, & miſerorum, ſed divitum, & regum regni cæleſtis: item vinculis, vel veſtibus obedientiæ quæ mærorem tollit, & gaudium animæ portat: vinculis item doctrinæ cæleſtis, quibus conſtringitur homo, ne in vias pravas vadat, & dirigatur in via ſalutis. *Serm.*3. *Dom.*3. *Advent.*

58. *Sobrietas quàm neceſſaria, & utilis in via ſalutis.*

Et tu ſume frumentum, & hordeum, & fabam, & lentem, &c. Ad litteram præcipit Deus Ezechieli, ut panem unum unciarum decem compoſitum ex dictis granis ſingulis diebus comederet, & aquam in modica quantitate, ut vitam degeret pœnitentis, alioſque excitaret ad pœnitentiam; per quod datur nobis intelligi, quod in Dei ſervitio ſobrietas in cibo, & potu ſervanda eſt, non ſolùm in quantitate, ſed & in qualitate ciborum, ſecundùm quam Deus nobis menſurabit virtutes, & influxus cæleſtes. *Ser.*3. *Do.*1. *poſt oct. Pent.*

59. *Impii ſe cibant ſtercore diaboli; Iuſti cibo regio cæli.*

Et dixit Dominus, ſic comedent filii Iſraël panem ſuum pollutum ſcilicet pane ſtercore operto, &c. Quomodo dicitur hic, quòd filii Iſraël comederunt panem viliſſimum opertum ſtercore, quod egreditur de homine? ſed attende, quòd hic aſſignat ſacer Textus diſcrimen ciborum impiorum, & juſtorum; cibus impiorum eſt ſtercus, quòd egreditur de homine, & fit ſtercus diaboli, hocquè

què eſt peccatum,& de omni, quod egreditur de uſura, furto,vel rapina, & de morticino, ſcilicet de peccato luxuriæ ; ô quam abominabile eſt tale ſtercus,& tamen in ipſo veluti in loco delicato deliciantur miſeri peccatores; E contrà luſti figurati in hoc Propheta tales cibos abominantur, ſed tantùm cæleſti cibo cibantur. *Ser.5. Dom.2.Advent.& ſer.2.in die ciner.& ſer.2.fer.2. Pentec. in Luc.c.15.v.16.*

60. *Deus peccatorem juſtè flagellat baculo panis.*

Et dixit ad me : Ecce ego conteram baculum panis in Ieruſalem, &c. Quid eſt contritio hæc baculi panis? ergone baculus fit ex pane? ſed eſt hæc locutio metaphorica: Panis dicitur baculus, quia eſt ſuſtentamentum hominis; Undè ſeptuaginta legunt, *ecce ego contero fulcimentum panis*: minatur igitur Deus, & per Prophetam prædicit penuriam maximam civitati Jeruſalem nobiſque dat intelligere, quod propter peccata venit ſæpè ſterilitas terræ, & penuria panis, ob quam corruit, & deficit unuſquiſque. *Ser.4. de dedicatione.& Pſal.118.c.6. v.15.* Unde rectè dicitur, quòd Deus peccatores ſæpe baculo panis conterit, & percutit, tollendo eis panem, & neceſſaria.

CAP. V.

61. *Qui vult Deo rectè ſervire radat pilos de capite ſuo.*

SUME tibi gladium acutum radentem pilos,& duces per caput tuum, & barbam tuam, &c. Cur hoc præcipit Prophetæ Deus? quid myſterii latet in hac raſura pilorum? ſed nota, quòd per pilos ſignificantur ſuperfluæ, & vitioſæ, cogitationes, & operationes; & ideò ſicut homines ob reverentiam feſti pilos corporis ſuperfluos radere ſolent, ſic vult Deus, ut gladium ſumamus mortificationis, vel confeſſionis, & radamus omnes ſuperfluitates vitioſas à corde noſtro, ut ſic puri, & pulchri præſentari coram eo mereamur. *Ser.2. in Vigilia Nativitatis & ſermon.3. in Circumciſione.*

62. *Raſura pilorum divitum, & clericorum qualiter ſit in dedecus Eccleſiæ.*

Sume tibi gladium acutum radentem pilos, &c. Nota, quod raſura barbæ in ſacra Scriptura ſumitur in malam partem communiter, eſtque id ignominioſum, ut patet in Iſaïa *c.* 7. & aliis locis; & ideò hac raſura Deus nobis oſtendit varia myſteria; nam per caput, & barbam ſignificantur divites Principes, & Apoſtoli, & Clerici præcipuè in barba, qui ſunt maximè vicini Chriſto capiti : *ſic ſer.1. in Epiph. & ſerm.1. de S.Nicol.* Iubet ergò dividi hos pilos in tres partes; & unam partem tradi igni, aliam concidi minutatim, & aliam diſpergi in ventum, datque intelligere, quòd major pars hominum divitum, & multorum Clericorum ſuas divitias, & bona temporalia tradit partem in ignem libidinis, partem in fovendo lites, & diſſenſiones,& aliam in ſuperbiam, & dignitates acquirendas. *Sic & Ugo Card.*

63. *Contemptus judiciorum, & præceptorum, maximè in Clericis, & Religioſis Dei flagella attrahit in populo Chriſtiano.*

Iſta eſt Ieruſalem, in medio gentium poſui eam, &c. & contempſit judicia mea, ut plus eſſet impia, quam gentes,&c. Ad litteram exprimit perverſitatem Iſraëlitarum, diciturquè majorem fuiſſe, quam gentium, quia contemptus præceptorum divinorum, corde, ore, & opere manifeſtatus execrabilior, quam cujuſcumque infidelis; & hinc talis contemptus excitavit iram divinam, & deſolationem totalem civitatis attraxit. *Pſalm.118.cap.4.verſ.4.* Myſticè hoc applicatur à ſacris Doctoribus Chriſtianis perverſis & maximè Religioſis, & Clericis, quorum plurimi ſunt pejores infidelibus, & ſæcularibus, & ideo mirum non eſt, ſi Deus tot flagella Eccleſiæ, & Religionibus immittit, ut ſicut ſunt aliis exemplum culpæ, ſint poſteris in exemplum pœnæ. *Op. Eccleſ.Hierarch.p.1.c.2.*

CAP. VI.

64. NOTA, quòd in hoc capite exprimit flagella atrocia immiſſa à Deo civitati Ieruſalem, & populo Iudæorum ob iniquitates, & ſcelera contrà Dei præcepta commiſſa; quæ omnia ſunt patentia; ad oſtendendum, quòd Deus propter iniquitates & ſcelera punit homines, civitates, & loca,&c.ut in ſuperioribus, & infrà ſæpè dicetur.

CAP. VII.

65. *Ex radice peccati germinatur virga flagelli.*

ET factus eſt ſermo Domini ad me dicens, finis venit, venit finis ſuper quatuor plagas terræ, &c. Nota, quòd tripliciter dicitur finis venit ob triplicem concupiſcentiam carnis, oculorum, & ſuperbiam vitæ, ex quibus deſolationes omnes oriuntur; & deinde ſubdit, quod iniquitas ſurrexit in virga impietatis, ut intelligamus, quod ex radice peccati germinatur virga illativa flagelli. *Pſalm.118. capit.5. verſ.14. & op. de ternario peccatorum.*

66. Tempus

66. Tempus in peccato amiſſum numquam poteſt recuperari. Unde hic dicitur. Qui vendit, ad id, quod vendidit, non revertetur. Cave ergo, ne mercaturam facias temporis cum diabolo. *Opuſc. Comp. Theol. lib. 3. c. 7.*

67. *Timor malus, & bonus peccatoris, & juſti, qualis.*

Et erunt in montibus, quaſi columbæ convallium omnes trepidi, unuſquiſque in iniquitate ſua, &c. Cur aſſimilat peccatores columbæ trepidæ? & ſi eſt trepidus homo in hac vita, nonne hoc eſt, quod præcipit Apoſtolus *Philip. c. 2. Cum metu, & tremore veſtram ſalutem operamini? & Proverb. c. 28. Beatus homo, qui ſemper eſt pavidus*; Sed attende, quòd eſt trepidatio bona, & mala; trepidatio bona eſt quando homo piè timet; timet quidem ne ſibi peccata priora ſint dimiſſa, timet, ne in deteriora labatur, & hic timor fons eſt veræ humilitatis, quæ cum gemitu de priſtinis ſublevat à convalle ad altum operis: Timor verò vitioſus, ſeu potiùs tepor, ſeu negligentia eſt animæ, quæ non in altum ſe elevat, ſed in convalle torporis relinquit obſequioſitatem obedientiæ, & pœnitentiæ ad poſteriora rediens. *Ser. de S. Cath.*

68. *Infelicitas avari in morte expenditur, aurum ipſius congregatum reputatur veluti ſterquilinium.*

Argentum eorum foras projicietur, &c. Hoc verificatum eſt adamuſſim in deſolatione Ieruſalem, quia aurum, & argentum habitatores non valuit liberare, ſed pro nihilo, velut ſterquilinium reputatum eſt; ſed myſticè loquitur ſacer textus de avaris, eorumque infelicitate in die furoris Domini, ſcilicet in morte, & in judicio, dicit autem, quod aurum, & argentum in ſterquilinium tunc erit, quia ſicut ſterquilinium congregatum corrumpitur, & fœtet, diſperſum verò facit agros fructificare, ſic divitiæ quamdiu ſunt congregatæ animam corrumpunt, ſed diſperſæ pauperibus ipſos nutriunt, & divitum peccata redimunt; ideò ſi non fuerint diſperſæ, tunc velut ſterquilinium reputabuntur, & foris projicientur, ſcilicet extraneis dabuntur, ipſiſque remanebit tantum quod dicitur *Eccli. c. 10.* Cum morietur homo, hæreditabit ſerpentes, & beſtias, & vermes. *Op. Diu. tit. 1. c. 6. In Thren. c. 4.*

69. *Guloſi, & crapulæ dediti æternam famem, & ſitim in alia vita patientur.*

Animam ſuam non ſaturabunt (ſcilicet in die furoris Domini, *& ventres eorum non implebuntur*, ſcilicet tunc incipient torqueri fame canina, & ſiti intenſiſſima; & cur hoc? quia ſcandalum iniquitatis eorum factum eſt; quia eorum aurum, & argentum, & ſuæ facultates occaſio fuerunt ſcandali, & incentivum cupiditatis, & carnalitatis ipſis, & aliis, cum non ad aliud vixerint, niſi ad replendum ventrem, & ſatiandum concupiſcentiam. *Pſal. 118. c. 11. v. 5.*

70. *Chriſtus ut perfectus Logicus ex præmiſſis operibus noſtris, infert in morte proportionatam concluſionem.*

Fac concluſionem: quoniam terra plena eſt judicio ſanguinum, & civitas plena iniquitate. Quam concluſionem præcipit Deus? & ex quibus præmiſſis? ecce quomodo: quia terra plena eſt judicio ſanguinum, ſcilicet plena peccatis, ſcilicet quia tota vita peccatoris fuit in peccatis; quia civitas animæ plena eſt iniquitate, hinc Chriſtus præcipitur à Patre, ut inferat concluſionem peſſimam. *Pſal. 118. c. 4. v. 16.* Chriſtus enim ex majori, ſcilicet ex propoſitione præceptorum ſuorum; ex minori, ſcilicet aſſumptione tranſgreſſionum infert concluſionem ex vita peccatorum æternam damnationem: hoc itidem dicit Prædicatori continuè; fac concluſionem, ſcilicet prædic eis æternam damnationem ex mala vita ipſorum: Et hinc ſubdit: *Tunc conturbatio ſuper conturbationem veniet, & auditus ſuper auditum*, ſcilicet in judicio ſuper conturbationem prius habitam de afflictione animæ prius cruciatæ in inferno veniet nova conturbatio, ſcilicet de afflictione reaſſumpti corporis. *Ibid. c. 5.* Et tandem terminat hoc capitulum in hæc tremenda verba; *ſecundùm viam eorum faciam eis, & ſecundùm judicia eorum judicabo eos, & ſcient quia ego Dominus*, quia ſecundùm opera noſtra bona, vel mala judicabit nos.

CAP. VIII.

71. *Hominis in ſtatu innocentiæ felicitas expenditur.*

Et factum eſt in anno ſexto, &c. in ſexto menſe, &c. & emiſſa ſimilitudo manus apprehendit me in vincinno capitis mei, & elevavit me Spiritus inter Cœlum, & terram, & adduxit me in Ieruſalem in viſione Dei, &c. Nota, quòd in hac viſione primò Prophetæ Deus oſtendit felicitatem primi hominis, qui cum creatus eſſet extra Paradiſum, Deus eum poſuit poſtmodum in Paradiſum, ut melius cognoſceret magnitudinem beneficii divini, poſuit enim ipſum veluti inter Cœlum, & terram, ſcilicet in ſtatu medio inter vallem hanc miſeriæ & cœleſtem patriam; & ideo dicitur elevatus in Ieruſalem, ubi oculo rationis videbat Deum ſine obſcuritate, cum qua nos Deum videmus, ſed miſer neſcivit permanere in tanta felicitate, quia ſe, & nos perdidit. *Ser. 4. Do. 11. poſt Pent.*

72. *Qui ad cœleſtem gloriam vult elevari poſt hanc vitam, nunc in mundo vivat inter Cœlum, & terram.*

Et elevavit me Spiritus inter terram, & Cœlum; Quomodo poterat ſubſiſtere homo medius inter Cœlũ, & terram; ſed attende, quòd dat nobis intelligere hanc ſubliſſimã veritatem, nempè qui vult poſt hanc vitam elevari in cœleſtem Ieruſalem, & inter oves Chriſti adnumerati, debet ſe remittere impulſui

impulſu Spiritus Sancti, ut inter Cœlum, & terram collocetur, ita ut neque Cœlum per præſumptionem, neque terram per deſperationem tangat; item nec Cœlum per ſuperbiam, nec terram per avaritiam, vel concupiſcentiam tangat: & tali pacto elevabitur finaliter in civitatem cœleſtem. *Ser.4. Dom.1. poſt oct. Paſcha.*

73. *Humilitas fundamentum totius ædificii ſpiritualis.*

Et dixit ad me fili hominis, fode parietem, & cum fodiſſem parietem apparuit oſtium unum. Cur volens Deus introducere Prophetam intra templum, ipſi præcepit, ut foderet parietem? cur non ipſum per portam introduxit? imò quia volebat Deus ipſum introducere in templum, voluit, ut ipſe priùs foderet parietem; ſed cur hoc? quia foſſio parietis eſt excavatio, & exercitium humilitatis, voluitque docere ipſum, quòd qui prætendit erigere fabricam vitæ ſpiritualis, & introduci ad viſionem Dei, & poſſeſſionem virtutum, debet ante omnia fodere parietem humilitatemque exercere, hæc enim eſt fundamentum neceſſarium ad vitam ſpiritualem. *In Ioan. collat.67.*

74. *Confeſſarius ut cognoſcat abominationes templi animæ pænitentis, debet priùs fodere parietem.*

Et dixit ad me, fili hominis fode parietem, & cum fodiſſem parietem apparuit oſtium unum. Ecce quomodo, & quo ordine Deus introducat Prophetam ad cognitionem abominationum, quæ erant in templo; priùs enim ei præcepit, ut foderet parietem: Hoc attendant, & audiant confeſſarii; quorum munus eſt adſpicere, & cognoſcere abominationes, & peccata pœnitentis: priùs fodiant parietem, maximè rudium, & quomodo? diligens inquiſitor, & ſubtilis inveſtigator ſapienter, & quaſi aſtutè interroget à peccatore, & maximè ſi viderit rudem neſcientem confiteri peccata ſua, quod forſitan ignorat, vel verecundè velit occultare: fodiat diligenter parietem ſcilicet ſtatum pœnitentis, & cognito crimine, varietates ejus non dubitet inveſtigare, & locum, & tempus, & cætera neceſſaria, quibus cognitis adſit benevolus paratus erigere, & ejus onus portare, ſimulque ſecundum quod erit expediens, increpare. *Op. Confeſſ. c.2. p.1.*

75 *Peccata minima quàm periculoſa, & ſedulò vitanda.*

Et introduxit me ad oſtium atrii, & vidi, & ecce foramen unum in pariete, & dixit ad me fode parietem, & cum fodiſſem apparuit oſtium unum. Nota ordinem hujus viſionis: primò enim oſtenſum fuit Prophetæ foramen, & hinc cum fodiſſet aliquantulum parietem hoc foramen factum eſt oſtium unum, ſcilicet magnum, & capax, per quod vidit maximas abominationes: quid myſterii latet in hoc facto? Hoc præcipuè ait D. Hieronymus nempe, tam in clericis, quàm in ſæcularibus, & religioſis per pauca vitia majora monſtrari, & quaſi per quædam foramina ad abominationes maximas perveniri, & ratio eſt, quia peccatum veniale de ſe minuit fervorem charitatis; laſſat potentias animæ in bonis operibus, diſponit ad mortale, & ſæpè eſt occaſio peccandi mortaliter, & ideo cave ô homo, ô religioſe à peccatis minimis; vitaſti ſaxa grandia, vide ne arenâ obruaris. *Op. Camp. Theol. lib.3. capit. 12. & 13.*

76. *Ex qualitate picturæ cognoſcitur qualitas domus: ubi de Idolis ſpiritualibus animæ.*

Ingredere, & vide abominationes peſſimas, quas iſti faciunt, &c. Nota, quòd Propheta introductus eſt in viſione in templum Dei, & primò vidit juxta portam primò Idolum Zeli, ſecundò varias imagines depictas in pariete beſtiarum quas colebant ingredientes, tertio mulieres plangentes Adonidem, quartò viginti quinque viros habentes dorſa contra templum adorantes ad ortum ſolis, & deinde concludit Deus: *Ergo, & ego faciam in furore.* Nota, quòd in iſta viſione Deus oſtendit abominationes templi ſpiritualis animæ multorum Chriſtianorum, quod variis picturis Idolorum contaminatum eſt; ut addiſceremus, quòd ſicut ex qualitate picturæ, cognoſcitur qualitas domus, & Domini in ea morantis: ſic ſuperbia pingit in templo noſtro Idolum zeli, ſcilicet ſuperbiæ prælaturas, & Dominia, famulorum obſequia, & quæque alia pompoſa: Vana gloria pingit ſibi ornatus, aliaque, unde poſſit laus hominum acquiri, aliquando etiam ſanctitates, & miracula, prophetias, & magnas devotiones, & ædificatorias, prædicationes, & ſimilia multa, ex quibus admiratio oriatur hominibus, & ſibi latena laudatio, & reverentia exhibeatur; ſic invidia fraudes, & detractiones varias, & contentiones, bella, & convitia: avarus pecunias, & diverſa ædificat, & deſtruit, & acquirit: curioſitas pulchra, & curioſa depingit: gula menſas amplas, & varios ciborum, & potuum apparatus: luxuria, quæ tibi congruunt fantaſticè depingit; hæc ſunt Idola oſtenſa Prophetæ, quæ abominationes appellavit: qui ergo bonum hoſpitem Chriſtum non vult effugare de hoſpitio cordis ſui, inimicos ejus ſecum non recipiat. *Op. de Prof. Religioſ. lib.2. c.15.* Nota etiam, quòd dicitur de ſenibus tenentibus dorſum contra templum Domini, iſtique ſunt majores, ſcilicet ſacerdotes, Prælati, & ſeniores qui ſunt omnium perverſi, impatientes, Deique contemptores. *Serm.1. Dom. 24. poſt Pentecoſt.*

77. *Acidioſi ſunt veluti mulieres plangentes mortuum.*

Et ecce ibi mulieres plangentes Adonidem, &c. Nota, quod iſtæ mulieres plangebant Adonidem mortuum, ſignificantque acedioſos, qui lugubres, & triſtes incedunt, qui demiſſo capite, & manibus vadunt, quaſi ſemper plangant mortuum, quibus omne bonum in malum vertitur. *Serm. 4. Dom.2. poſt oct. Epiph.*

78. Sacra

78. *Sacramentum Euchariſtiæ ſumentes in peccato mortali, collocant Filium Virginis Mariæ cum filio Veneris.*

Et ecce ibi mulieres plangentes Adonidem. Nota, quod hic erat filius Veneris, & circa ipſum plangebant iſtæ mulieres intra templum ſedentes: per hoc datur intelligi, quòd, qui corpus Chriſti in altari, velut carnes pecudum manducant, & involuti, & contaminati abominationibus, de quibus fas non eſt dicere, ſceleratis manibus, & pollutis labiis contingere non verentur, & oſculari Filium Dei, & Mariæ Virginis unigenitum: tales non ſunt ſacerdotes, & Chriſtiani, ſed ſacrilegi, & hæretici, & Idololatræ: Deoque abominabiles. *Op. de praparat. ad Miſſam. c.*4. Quid peius, & abominabilius, quam audere ſimul ponere Filium Virginis cum filio Veneris, ſcilicet in anima luxuriis contaminata.

CAP. IX.

79. *Viſitationes Chriſti in hac vita, & in morte expenduntur.*

ET clamavit in auribus meis voce magna dicens; appropinquaverunt viſitationes urbis, & unuſquiſque vas interfectionis habet in manu ſua.* Nota, quòd dicit viſitationes, non viſitatio: ſed quænam ſunt iſtæ viſitationes, quas Deus continuè facit reſonare in auribus noſtris? Viſitationes iſtæ ſunt illæ, quas Deus facit nobiſcum, tum in curſu hujus vitæ noſtræ, tum in morte: Viſitat enim continuè delinquentes ad corrigendum, ut legatus Provinciam; item ut medicus ægrotum ad ipſum ſanandum, & juſtificandum; ut magiſter diſcipulum ad docendum ignorantes; ut vinitor vineam ad promovendum operantes; item ut paſtor gregem ad conſervandos obedientes; item ut ſponſus ſponſam ad fœcundandum contemplantes; item, ut Rex exercitum ad adjuvandum pugnantes; item ut ſanus infirmum ad conſolandum patientes; item ut pater familias ad remunerandum operarios perſeverantes; ô quàm pius, quàm providus, quàm benefaciens eſt in nos Dominus Ieſus, qui verè viſitavit nos oriens ex alto, & hæc omnia inceſſanter reſonare facit in auribus noſtris, ut ipſum timeamus, amemus, & obediamus. *Luc. c.*1. *v.*78. Sed attende ad aliam viſitationem terribilem, quæ nobis imminet currentibus ad mortem; appropinquant, ait, ô homo viſitationes tuæ in morte; quia tunc dicetur tibi redde rationem villicationis tuæ, ſcilicet de cogitationibus, de locutionibus, & de operibus tuis; ô quàm diſtricta erit hæc viſitatio, quàm exacta examinatio *Ser.*1. *Dom.*8. *poſt Pent. & ſer.*3. *&* 4. *Dom.*22. *poſt Pent.*

80. *De porta ſuperbiæ, ſex aliæ portæ vel filiæ, vel Dæmones ducentes ad interitum oriuntur.*

Et ecce ſex viri veniebant de via portæ ſuperioris, quæ reſpicit ad Aquilonem, & uniuſcujuſque vas interitus in manu ejus. Quid eſt, quod prætendit in hoc exitu de porta ſuperiori ſex virorum? ſed attende, quòd hic deſolationem civitatis oſtendit Deus Prophetæ, hæcque deſolatio ortum trahit à porta ſuperiori, quæ eſt ſuperbia origo omnium malorum, & reſpicit ad Aquilonem, ſcilicet affert ſecum omne malum, & adverſitatem generantem iram, & turbationem; ſex viri ex illa porta pullulantes ſunt ſex portæ vel filiæ, vel partus iræ, nempe odium, lis, bellum, incendium, homicidium, & rapina, ex quibus oriuntur infinita mala, & damna in proximum. *Op. Diat. tit.*1. *c.*5.

81. *Peccatum vas, & theſaurus exterminii, & deſolationis, quod quiſque ſecum portat.*

Unuſquiſque vas interfectionis habet in manu ſua, &c. Pro intelligentia hujus mirabilis textus advertendum, quòd bis notatur vas interfectionis in manu: primò vidit Ezechiel in manu omnium à Deo viſitandorum vas interfectionis; & deinde vidit ſex viros exeuntes de porta ſuperiori, habentes ſinguli vas interitus, ſeu ſecurim in manu ſua: quid eſt hoc? ad quid, ſi unuſquiſque habebat in manu ſua vas tale, oſtenditur poſteà etiam in manu ſex virorum iſtorum? ſed attende ad myſterium: Communiter à Sanctis per iſtos ſex viros intelliguntur Angeli à Deo miſſi in Mundum ad puniendos peccatores; & ut intelligamus unde deſumenda erit, & pullulanda exterminatio peccatoris, oſtenſa eſt maxima multitudo hominum portantium unuſquiſque vas exterminationis in manu ſua, & hoc eſt peccatum, quod meritò à Sanctis Patribus appellatur dives malorum theſaurus, & à Chriſto malus theſaurus ſcilicet theſaurus plenus iræ Dei, theſaurus, in quo continentur, vel fabricantur omnia tormentorum genera; & ideo ſi Deus, vel Angeli peccatores flagellant, id faciunt ſumendo materiam è manu ipſorum, & ideo rectè dicitur in manu ſua, quia quilibet ſecum portat in opere, unde condemnabitur à judice, quia quilibet in opere ſuo malo interficietur morte æterna. *Opuſc. Diat. tit.*1. *c.*5. *Luc. c.*6. *v.*45. *Gloſſa, & Ugo hic.* & hinc dicitur ab Eccleſia, quòd Dei proprium eſt miſereri, non dicit punire; quia miſericordiæ motivum eſt ex pura Dei pietate; punitio, & illatio vindictæ ex materia peccati exiſtente in peccatore conflatur. *Sic S. Bon. lib.*1. *d.*47. *dub.*1. Vide igitur proceſſionem omnium hominum in hoc Mundo ambulantium, & habentium unuſquiſque in manu vas, & theſaurum ſuæ deſolationis.

82. *Solus Chriſtus, & Beata Virgo inter homines ſine vaſe exterminationis.*

Et uniuſcujuſque vas interitus in manu ejus: Vir quoque unus in medio eorum veſtitus erat lineis. Quis iſte vir in medio aliorum hominum veſtitus candida veſte? Hic eſt Ieſus Chriſtus, qui ſolus, ſimul cum Maria Virgine, totus veſtitus munditia

tia,& ſine vaſe interfectionis,ſc.peccato,quia peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus,ut hinc addiſcamus,quòd ſolùm mundi corde ipſum poſſunt ſequi. *Luc.c.23.v.53.*

83. *Chriſtus omnes ſcribit in libro vitæ, vel mortis ad vitam,vel ad mortem æternam.*

Vir quoque unus in medio eorum,&c.& atramentarium ſcriptoris ad renes ejus. Nota, quòd hic eſt Chriſtus, qui oſtenſus eſt Prophetæ cum atramentario ſcriptoris ad renes,ut oſtenderet, quòd omnes ſcribit in libro vitæ, vel mortis ad vitam, vel ad mortem æternam; item & omnia opera uniuſcujuſque manifeſtanda in judicio: *In Thren. c.3.Gloſſa,Ugo,& alii Expoſitores.*

84. *Signum crucis in anima ſpiritualiter imprimitur in baptiſmo.*

Et dixit Dominus ad eum; tranſi per mediam civitatem in medio Jeruſalem, & Thau ſuper frontes virorum gementium,& dolentium,&c. Nota verba; ſigna myſteria: Hic homo,cui Deus præcepit,ut ſignaret ſuper frontes virorum dolentium,&c.eſt Chriſtus, qui in Sacramento Baptiſmi imprimit ſpiritualiter ſignum crucis in anima baptizati:nota autem,quòd ſignatos dicit eſſe gementes,& dolentes,ut ſciat quiſque baptizatus,quòd debet dolere virtute hujus ſigni ſuper omnes abominationes,& gemere per compaſſionem,& imitationem Paſſionis,& mortis Chriſti: & de hoc ſigno dicitur *Pſ.85.fac mecum ſignum in bonum,*ideſt Baptiſmi Sacramentum in bonum ſalutis meæ, ut videant Dæmones in me hoc ſignum crucis Chriſti,& fugiant.& ſic conſolatus es me per infuſionẽ dulcorantis gratiæ. *Ser.1.Dom.2.poſt oct.Epiph.*

85. *Signum crucis imprimitur item in anima per Sacramentum extremæ unctionis.*

Signa Thau ſuper frontes,&c. Nota,quòd etiam hoc ſignum per Sacramentum extremæ unctionis à Chriſto imprimitur ſpiritualiter animæ, ut ad aſpectum hujus ſigni fugiant Dæmones; nec habeant vim nocendi infirmo; & hinc eſt, quod peruncto hoc oleo infirmo,ibi relinquitur Crux, ut ea viſa confortetur infirmus,& fugiant Dæmones. *Ser.in Exaltat.Sanctæ Crucis.*

86. *Signum ſolùm Crucis, & pænitentiæ, imitationiſque Crucifixi liberat à Dæmone, & ab æterna damnatione.*

Tranſite per civitatem,& percutite, &c. omnem autem, ſuper quem videritis Thau, ne occidatis, &c. Ecce quinam liberantur ab ira Dei vindicativa: nempè qui ſignati ſunt ſigno Thau, & quinam ſunt iſti felices? ſunt qui ſignantur ſigno crucis, ſcilicet pœnitentiæ,& imitationis crucis, & crucifixi. *Ser.1.in dedicat.& ſer.3. Dom.in Albis.*

87. *Signum Crucis quàm efficax contra diabolum,& omnia mala.*

Et ſigna Thau ſuper frontes virorum. Cur ſupra frontes? Nota, quod hic alluditur ad ſignum crucis, quo muniuntur Fideles invocando ſanctiſſimam Trinitatem,In nomine Patris,& Filii,& Spiritus Sancti:daturque intelligi, quod ſignum crucis eſt munimentum Chriſtianorum,quod timent Dæmones, quòd reverentur Angeli,& quo omnia mala fugantur; & hinc eſt, quod in celebratione Sacramentorum ſemper intervenit ſignum crucis, quia per ipſum fit commemoratio, & invocatio Sanctiſſimæ Trinitatis,& redemptionis. Hinc & in principio Canonis Miſſæ exponitur in miſſali ſimul cum imagine crucifixi, ad excitandum ſacerdotem ad reverentiam ipſius, & imitationem. Hinc & præcipuè in frontibus fit hoc ſignum,ne homo erubeſcat confeſſionem, & imitationem crucis,& crucifixi: Hinc in domo, in januis, in viis, in frontibus,in mente ſcribendum,& imprimendum hoc ſignum Dei vivi. *Op. de dec. præc. ſer.2.op.Expoſ.Miſſæ.c 4.Ioan.c.19. a.53. & c. 12. v.43.Luc.c.14.v.27.lib.3.d.23.a.2 q.3.ſer.1. in Invent.S.Cruc.ſer in Exalt.S.Cruc.ſer 1.de dedicat. & ſer.5 In Invent.S Cruc.in addit.*Et hinc in judicio ſolùm ſignati hoc ſigno ſalvi fient. *Luc.c.19.v.27. & c.17.v.25.& c.21.v.24.*

88. *Sanctus Pater Franciſcus ſignatus fuit à Chriſto ſigno Crucifixi,ut cæteros ſignaret, & vocaret ad ſequelam Crucifixi.*

Et ſigna Thau ſuper frontes virorum, &c. Nota, quòd hæc à Patre æterno dicta fuerunt Chriſto, ſed quandonam ſignavit hoc ſigno viros dolentes? Ecce quod hoc eſt privilegium ſoli Franciſco conceſſum,quia à Chriſto fuit obſignatus non ſolùm in fronte,ſcilicet in facie animæ ſpiritualiter, ut cæteri ſequaces Chriſti baptizati, de quibos ſuprà dictum eſt, ſed etiam in corpore,in quo recepit ſignaculum Crucifixi: & hinc præcipuum ejus munus fuit vocare homines ad fletum,ad pœnitentiam,& obſignare illos ſpiritualiter hoc ſigno mirabili crucis. *Op.legend.S.Franc.in Prol.*

89. *Benedictio ſigno crucis quid rebus benedictis ſuperaddat.*

A ſanctuario meo incipite. Cur à ſanctuario incipit inquiſitio ſignationis? Nota,quòd Chriſtus Eccleſiæ ordinavit, ut per benedictionem cum ſigno crucis res benedicerentur,ſed quid ſuperadditur iſtis rebus per benedictionem. ſuperadditur, ait S.Doctor accidens aliquod ſupernaturale, & proprietas quædam ſanctificationis, per quam elevantur ad vim,& ſtatum ſupernaturalem. *Lib.4 d.12.p.1.a.2.q.2.*

90. *A ſanctuario Dei incipiet Judicium.*

*A ſanctuario meo incipite,&c.*Sic dixit Deus deſcribens Iudicium univerſale,ſed cur à ſanctuario;à ſanctis meis legunt ſeptuaginta,dat hic intelligere,quòd omnes tam boni, quàm mali judicabuntur;ſed tamen non ita judicabuntur:ut eorum merita de novo diſcutiantur,an bona,vel mala ſint, ſed ut bonorum præeminentia omnibus manifeſtetur,& ut contra malos appareat juſta ſententia damnationis *Op.Comp Theol.l.7.c.19.A ſanctuario meo incipite.*Hic textus exponitur à ſanctis ſic: *à ſanctuario meo* ſc.ab iis,in quibus multa bona naturæ & gratiæ ut in ſanctuario repoſuerat;& ideò maximè intelliguntur Religioſi, juſti,Prælati,& inſigniores; ab iſtis incipiet diſtrictiùs Judicium Dei. *Luc.c.21.v.34.Uga hic.*

CAP.

C A P. X.

91. *Chriſtus firmamentum Eccleſiæ militantis, & triumphantis: & lapis ſapphirinus.*

ET vidi, & ecce firmamentum, quod erat ſuper caput Cherubim, quaſi lapis ſapphirus, &c. Nota, quòd Prophetæ oſtenſa fuit gloria, & majeſtas Eccleſiæ militantis, & triumphantis: & Chriſtus in medio veluti firmamentum ratione fixæ, & firmæ unionis inter humanam naturam, & divinam perſonam; & veluti lapis ſapphirus, quia ipſe eſt lapis angularis duos parietes aſſocians, ſcilicet Deum, & hominem, ideſt Angelos, & homines conjungens ſibi per fidem, & amorem, inſtaos retinens, & ab ipſorum favore, & amore non recedens: dicitur autem lapis ſapphirinus, quo color cæleſtis ſi·nificatur, ſcilicet quia fundamentum hoc præſtans Eccleſiæ non eſt terrenum, ſed cæleſte, & perpetuum. *Op. Eccl: ſ. Hier. p. 4. c. 6.*

92. *In quatuor Evangeliis tota ſacra ſcriptura continetur.*

Ingredere in medio rotarum. &c. & ecce quatuor rotæ juxta Cherubim, & aſpectus earum ſimilitudo una quatuor quaſi ſit rota in medio rota. Nota quòd per quatuor iſtas rotas ſignificantur quatuor Evangelia, & quatuor animalia, quatuor Evangeliſtæ, quæ rotæ tamen apparuerunt veluti una rota, quia unicam doctrinam de Jeſu Chriſto continent, & quia rota in medio rotæ apparuit, dat intelligere, quòd vetus Teſtamentum continetur in Evangelio, & ad hoc convertere debet Prædicator totum ſuum ſtudium, cui dicitur ingredere in medio rotarum. *Ser. 1. de ſancto Matthæo in addit.*

93. *Servi Dei habeant oculos per totum corpus.*

Et omne corpus eorum, & omnia plena erant oculis &c. Cur animalia plena oculis? nonne duo oculi ſufficiebant? quia Dei ſervi debent eſſe oculati per totum, circumſpectionis gratia, & providentiæ dono circumdati, & undique luminoſi, ut non ſolùm propria, ſed etiam aliena vigilanti ſtudio aſpiciant; & ideò facies Cherubim mutuò leguntur ſe reſpexiſſe, quia unuſquiſque alterius debet eſſe oculus, & alieno periculo, velut proprio cum diſcretionis moderamine contraire: dicitur etiam ſuprà, quòd plena erant oculis ante, & retro quia ſancti plenam circumſpectionem debent habere ante ad proficiendum in bono, rectis ad præcavendum in malo. *Op. Eccleſ. Hier. p. 1. c. 3. Luc. c. 16. v. 13. & ſer. 1. Dom. 12. poſt Pent.*

94 *Servi Dei filii ſunt dexteræ, impii ſiniſtræ.*

Cherubim autem ſtabant à dextris domus, &c. Ipſum eſt animal, quod vidi, &c. Nota quòd iſta animalia in altum elevata apparuerunt oculis Prophetæ in ſimilitudinem Cherubim, ſed poſita à dextris domus Domini; ſed cur à dextris? ut intelligas, quòd ſervi Dei ſunt filii dexteræ ad dexteram Chriſti collocandi in Judicio: ſicut è contra impii filii ſiniſtræ, ad ſiniſtram collocandi in judicio. *Op. Eccleſ. ſ. Hier. p. 1. c. 3.*

95. *Viri ſpirituales, & perfecti ex animalibus transformantur in Cherubim.*

Et elevantia Cherubim alas ſuas &c. ipſum eſt animal, &c. Vide animalia oſtenſa Prophetæ poſtea transformata in Cherubim; unde hoc prodigium? hoc eſt prodigium gratiæ Dei; nam viri Dei, & ſpirituales, ſunt quoad corpus animalia, ſed quoad ſpiritum transformantur in Cherubim, & hoc quia vident Deum per cognitionem, per conſcientiæ munditiam, & amorem, maximè in oratione, tum quia ſpeciali modo à Deo illuminantur, divina, & cæleſti ſapientia, & ideò vita ſpiritualis, & oratio fervens hominem ſeparat à brutis, ut dicebat Sanctus Joannes Chriſoſtomus, & ſociat Angelis Dei. *Op. Eccleſ. Hierarch. p. 1. c. 3.*

CAP. XI.

96. *Spiritus Domini elevat animam ad portam virtutum; ſpiritus diaboli incurvat ad portam vitiorum.*

ET elevavit me ſpiritus, & introduxit me ad portam domus Domini orientalem, quæ reſpicit ad ortum ſolis. Ecce quod Propheta ut intelligeret varia myſteria fidei elevatus eſt ad portam orientalem templi à ſpiritu Dei; ſed cur ad hanc portam orientalem? ut intelligas, quòd ſpiritus Domini elevat ad portam orientalem, non ad occidentalem deſcendere facit, porta orientalis eſt porta virtutum, quæ ſunt portæ per quas intratur in domum Domini, ſcilicet in Cœlum; ad has portas elevat animam Spiritus Domini; ſed Spiritus diaboli incurvat, & præcipitat ad portas inferni; ergo ubi eſt elevatio virtutum, ibi eſt Spiritus Domini. *Serm. 3. Dom Trin.*

97. *Timorem Dominus in nobis incutere intendit dum admonet omnia ſibi eſſe nota*, ut hic facit dicens: *ſic dicit Dominus: cogitationes cordis veſtri ego novi. ſer. 2 de S. Matthia in addit.*

98. Nota quod expoſitio *v. 19. Dabo vobis cor unum, & auferam cor carneum, &c. infra habetur ad caput 36. v. 26.*

CAP. XII.

99. *Tranſmigratio qualis bona, qualis mala.*

TU ergò fili hominis fac tibi vaſa tranſmigrationis, & tranſmigrabis per diem coram eis, &c. Notandum, quòd Deus præcipit Prophetæ, ut tranſmigret per diem; cur per diem? ſed attende, quòd omnes homines tranſmigrant, alii tamen per diem, alii per noctem; tranſmigrant per diem, qui tranſeunt de culpa ad pœnitentiam, à pœnitentia ad ſapientiam, & à ſapientia in vitam æternam; felix quidem eſt hæc tranſmigratio; per noctem tranſmigrant à culpa, in culpam, & à culpa in pœnam, & à pœna, in pœnam. *in Luc. c. 21. v.*

100. *Vita hominis in hoc Mundo nihil aliud eſt, quam tranſitus, & peregrinatio vel in bonum, vel in malum.*

Et tranſmigrabis per diem, &c. Nota, quod hæc cuilibet homini intimantur à Deo, ut quiſque ſciat, quod iſte Mundus continuè tranſit, nec unquam in eodem ſtatu permanet; vita item noſtra nihil aliud eſt, niſi tranſitus, & peregrinatio vel in bonum, vel in malum; in bonum eſt illis, qui bajulantes crucem ſuam conantur ſibi parare bonum hoſpitium in alia vita: in malum, qui tranſeuntes de vitio in vitium in domum inferni tandem perveniunt. *Pſal. 118. c. 4. v. 6. & ſer. 4. Dom. 3. Epiph. in Luc. c. 21. v.*

101. *Diabolus promittit longam vitam, & ſecuritatem ſuis, ut eos ſecuriùs perdat.*

Fili hominis quod eſt proverbium illud in vobis in terra Iſraël, dicentium, in longum differentur & peribit omnis viſio. Nota hoc verbum, proverbium eſt, irrefragabilis ſententia, per ora omnium communiter deportata: ſed quænam eſt hæc ſententia ſubdit: In longum differentur dies, & peribit omnis viſio; ideſt antequam pereat viſio Domini reſtat multum tempus, nec verificabuntur comminationes factæ à Prædicatoribus; dat hic intelligere, quod hoc eſt proverbium, quod diabolus inſinuat continuè ſuis, ſcilicet promiſſio longæ vitæ, & ſecuritatis, ut ſic decepti vitia ſectentur, & nunquam ad pœnitentiam veniant, ut eos ex improviſo tandem præcipitet. *In Luc. c. 12. v. 45.*

CAP. XIII.

102. *Hypocritæ, & pſeudo-Prophetæ rectè vulpi aſſimilantur.*

VÆ Prophetis inſipientibus, qui ſequuntur ſpiritum ſuum, & nihil vident, quaſi vulpes in deſertis, &c. Nota hanc ſimilitudinem, quàm apta ſit ad exprimendum fraudes pſeudo prophetarum, hæreticorum, & hypocritarum; ſicut enim vulpes fætet, fingit ſe mortuam, ut aves decipiat, ſic iſti impii fœtent per luxuriam fingunt ſe ſanctos & mortuos mundo, ut ſimplices facilius decipiant *Pſal. 118. c. 6. v. 6.*

103. *Prælati tenentur ſe exponere veluti murum, vel munimentum coram Deo pro defenſione ſubditorum; undè negligentibus inſonat Deus hæc graviſſima verba.*

Non aſcendiſtis ex adverſo, nempe oppoſuiſtis murum pro domo Iſraël, ut ſtaretis in prælio in die Domini: O quam terribilia ſunt iſta verba Prælatis; tenentur enim in tempore tribulationum non ſolùm ire, ſed aſcendere, ſcilicet erigere animum, ad Deumque ſe elevare in oratione, opponereque ſe per flagella, mortificationes voluntariè aſſumptas in ſeipſis, per ſacrificia Deo oblata veluti murum, iræ Dei pro ſubditis, ſicut fecit Aaron, Moyſes, & ſuper omnes Chriſtus. *In Thren. c. 1. Pſal. 79. in ſap. c. 18. op. Eccleſ. Hierarch. p. 2. c. 2. in Ioan. c. 10. v. 13.*

104 *Viſiones aliquando ſunt veræ, aliquandò fictæ, nec ſemper denuntiant ſanctitatem.*

Numquid non viſionem caſſam vidiſtis, & divinationem mendacem locuti eſtis? ergò non omni ſpiritui credendum, nam viſiones aliquando ſunt fictæ, & ab imaginatione inventæ, & ſi veræ non ſemper indicant ſanctitatem. *Op. de profect. Religioſ. lib. 2. c. 75.*

105. *Prælati regentes, & docentes ſine exemplo bonæ vitæ ædificant ſine cæmento.*

Ipſe ædificabat parietem, illi autem, ſcilicet Pſeudo prophetæ, liniebant eum abſque paleis, & temperatura, abſque firmitate legis Hebraus. Vide quale diſcrimen inter ædificium à Chriſto fabricatum, & à malis Prælatis; nam illud eſt cum temperatura, ſcilicet cum calce, & lapidibus, iſtud ſine cæmento, & lapidibus, nam in ſchola Chriſti doctrina ædificans debet firmari exemplo ſanctæ vitæ, ſic enim Chriſtus priùs fecit, poſteà docuit: Pſeudo Prælati verò docent, & ædificant ſine calce boni exempli, & hinc eorum ædificium citò corruit: ô quàm verum eſt hoc: nam boni magiſtri bonos diſcipulos facere conſueverunt; quia de correctis

exempla

eſemplaribus correcta ſcribuntur volumina, & de corruptis corrupta: ô quàm fierent in Eccleſia, & in Religionibus meliores, ſi melioris vitæ eis exempla à ſuis Doctoribus, & Prælatis proponerentur, negligentiam verò hujuſmodi ab illis, qui culpabiles ſunt diſtrictè in judicio Deus requiret. *Op. de ſex alis ſeraph. c. 6. in Thren. c. 2.*

106. *Qui ad felicitatem præſentis vitæ attendit, non ad futuram, clamat pacem, ſed non venit pax, & ædificat ſine calce.*

Dicebant pax, & non eſt pax, & ipſe ædificabat parietem, illi autem liniebant abſque paleis, & temperamento. Vide quid faciunt multi ſtulti, quorum vox continua eſt pax, ſed numquam venit pax, & ſunt illi, qui attendunt ad pacem tranſitoriam hujus vitæ, nec aſpiciunt ad futuram pœnam, vel gloriam; iſtiquè liniunt ædificium ſuum, ſcilicet palpando tantùm abſque calce emendationis, iſtique decepti citò perduntur. *Luc. c. 19. verſ. 42.*

107. *Idem etiam faciunt, qui in tempore tentationis, maximèque carnis non reſiſtunt mortificationibus, & macerationibus, ſed vivunt linientes, & foventes carnem, iſti ædificant ad ruinam Luc. c. 6. ad finem.*

108. *Prælati, & Sacerdotes mali propter avaritiam omnia prævertunt.*

Et violabant me ad populum meum propter pugillum hordei, & fragmen panis, ut interficerent animas, &c. Nota, hæc dicuntur contra Prælatos, & ſacerdotes, qui ob avaritiam, & ſpem minimi lucri temporalis deficiunt in munere ſuo non punientes indignos, & malè tractantes bonos, declinantes à rectitudine juſtitiæ. *Thren. c. 2. Pſal. 118. c. 10. v. 12. In Ioan. c. 2. v. 14. op. Eccleſ. Hier. p. 4. c. 5.*

CAP. XIV.

109. *Scandalum maximè in Prælatis quàm Deo exoſum, & pernitioſum.*

FILI hominis: *Viri iſti poſuerunt immunditias ſuas in cordibus ſuis, & ſcandalum iniquitatis ſuæ ſtatuerunt contra faciem ſuam.* Ecce præcipua una ex cauſis deſolationis Jeruſalem: nempè malitia ſacerdotum, & ſeniorum, qui non contenti propriæ internæ malitiæ, & ſuarum immunditiarum internarum, etiam ad extrà prodierunt cum ſcandalo puſillorum, & ſubditorum, & quia hoc peccatum eſt maximum, maximéque Deo exoſum, & inter cætera pernitioſum toti populo; hinc Deus præcipit Prophetæ, ut contrà hoc vitium invehat, & prædicet. *Pſal. 118. c. 7. v. 14. & c. 11. v. 5. Ego hic.*

110. *Servus Dei eſt homo homo: diaboli ſervus eſt tantum homo.*

Homo, homo de domo Iſraël qui poſuerit immunditias ſuas in corde ſuo, & ſcandalum iniquitatis ſuæ, &c. Nota hanc repetitionem homo, homo: Cur bis dicitur ad homines de domo Iſraël? Nota, quia in quolibet homine eſt duplex homo, ſcilicet interior, & exterior; ſervi autem Dei dicuntur dupliciter homo, homo; nempè quia in eo homo exterior ſervit interiori, quando ſenſibus, diſciplina, & operibus exterioribus conformatur interiori, in quo reſidet divina gratia: ſervi vero diaboli non ſunt homo, homo; ſcilicet ſunt tantùm homo exteriùs, ſed interiùs beſtiæ ſimiles diabolo. *Pſal. 118. c. 9. v. 11. & lib. 2. d. 14. p. 2. dub. 2. in Eccleſ. proœm. ſer. 2. Dom. infrà oct. Aſcenſ.*

111. *Peccare quomodo dicitur terra in Deum, & qualiter punitur.*

Fili hominis, terra cum peccaverit mihi, &c. Quomodo terra poteſt dici peccare in Deum, ſi eſt quid inſenſatum? ſed attende ad mirabilem malignitatem peccati: homo eſt, qui in Deum peccat prævaricando legem Dei, ſed peccando inficitur terra, robur ipſi aufert, & loco frumenti producit ſpinas, & ideò dicitur etiam ipſa peccare in Deum, ſcilicet quatenus ſubjacet pœnæ poſſeſſoris ipſius, & hinc oritur penuria, & fames; ô quale virus peccati! *Pſal. 118. c. 10. v. 14. & lib. 2. d. 14. p. 2. dub. 2.*

112. *Cohabitatio cum ſanctis licèt differat impiis damnationem, non tamen eos liberat, ſi non corrigantur.*

Unde hic de Iſraëlitis dicitur, *Et ſi fuerint tres viri iſti in medio ejus Noë, Daniel, & Iob; ipſi juſtitia ſua liberabunt animas ſuas, &c.* Audiant hæc Chriſtiani, qui confidentes perversè in protectione ſanctorum advocatorum, quorum cohabitationem, vel corpora, vel reliquias, vel vota, vel devotionem habent; nam ſi non corrigantur ipſi, & emendent vitam propriam, poſſunt quidem tales ſancti differre deſolationes locorum, & damnationem habitatorum, ſed non eos liberabunt. *Ser. 3. Dom. 13. Pent. op. Eccleſ. Hierarch. p. 1. c. 1.*

113. *Triplex ordo ſalvandorum in Eccleſiaſtica Hierarchia.*

Si fuerint tres viri in medio ejus: Noë, Daniel, & Iob, &c. Cur hos tres tantùm nominat, & non tot alios ſanctiſſimos viros: Tres iſtos collocat in civitate Jeruſalem, ut detur intelligi, quod Hierarchia Eccleſiaſtica conſtat tribus ordinibus cæleſtibus: nam in Noë ſignificantur Prælati: in Daniel contemplativi, & Religioſi; in Job activi: ex quibus mirabiliter elucet majeſtas Eccleſiæ. *Op. Eccleſ. Hierarch. p. 1. cap. 1. in fine in Luc. cap. 7. verſ. 16. & c. 13. verſ. 21. & cap. 17. verſ. 34.*

CAP. XV.

114. *Qui Chriſto non adhæret,ſine vita remanet.*

QUID fiet de ligno vitis ex omnibus lignis nemorum, vel ſarmentorum ut legunt ſeptuaginta, &c. Nota, quòd Propheta excidium, & perditionem populi Iſraël ſub metaphora vitis, vel palmitum à radice diſiunctorum deſcribit: per quod intelligitur, quòd cum Chriſtus ſit vitis vera, qui Chriſto non adhærent, & ab ipſo ſeparantur, etiam ſolùm apti ſunt ad ignem; de quo fusè Vide. *Ioan. cap. 15. v.1.ſeq. & col.67.ſup.c.4.*

CAP. XVI.

115. *Peccator filius diaboli ex ipſo, ut patre, & concupiſcentia ut matre prodiens.*

HÆC dicit Dominus Ieruſalem: Radix tua, & generatio tua de terra Chanaam, pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa &c. Quomodo dicitur de gente Hebræa, quòd deſcendit de gente Chanaam, cum certum ſit ipſos traxiſſe originem de Sem filio Noë, & Ægyptios de Cham, ſed hoc intelligendum quantum ad imitationem, quia imitati ſunt vitia, & Idololatrias Ægyptiorum, & gentis Cetheæ quæ gentes erant perverſiſſimæ: Myſticè dat intelligere, quòd homo Chriſtum relinquens, ad peccatum tranſiens novam peſſimam generationem accipit ex patre diabolo, & ex concupiſcentia tamquam matre, utrumque enim fuit origo omnis peccati; undè propter hoc peccator dicitur filius diaboli, ex qua filiatione ſequitur, quod dicitur hic, non eſt præciſus umbilicus, qui ſignificat luxuriam, in quam ſe immergit, & in aquis immunditiarum omnium fœdatur. *L.2. d.21.a.2.q.2.& lib.3.d.3. p.2. dub.3. & ſerm.3. de Circumc.in Luc.c.12.v.53.& Ioan.c.8.v.44.*

116. *Chriſtus ſanguine ſuo multipliciter lavat, & purgat animas.*

Et tranſivi per te, & vidi te,&c.& lavi te aquâ & mundavi ſanguinem tuum ex te, & unxi te oleo. Ecce qualis miſericordia Domini noſtri Jeſu Chriſti in peccatorem, quia videns ipſum conculcatum ſub pedibus diaboli, & immerſum in peccatis, tranſit per eum, ſcilicet inſpirationes cordi ejus immittendo, nec de hoc contentus exhibet lavacrum aquæ purificantis animam, quæ eſt ſanguinis ejus effectus; lavat enim ipſum non ſolùm in ſacramento Baptiſmi ab omni culpa, & pœna, ſed & à culpa actuali per aquam pœnitentialem per quam ipſi confert virtutem conterendi, & pœnitendi, ut peccati rubigo deſtruatur. *in Ioan.collat.59.*

117. *Qualibus veſtibus præparatur anima ad ingreſſum Paradiſi.*

Et veſtivi te diſcoloribus, & calcavi te hyacintho, & cinxi te byſſo,&c. Nota, quòd ad ſimilitudinem mulieris egregiè comptæ hic deſcribit ſacer textus pulchritudinem ornamentorum animæ pœnitentis Deo ſervientis, quibus paratur, & ornatur ad hoc, ut poſſit in Paradiſum feliciter introduci: Veſtivi te,ait Chriſtus, diſcoloribus idest virtutum varietatibus, calceavi te hyacintho, ideſt cæleſti deſiderio vel exemplo; cinxi te byſſo, ideſt continentia; indui te ſubtilibus, ideſt ſpiritualibus moribus, & ornavi te ornamento, ideſt charitate, & dedi armillas in manibus tuis, ideſt miſericordias in operibus, & torquem circà collum tuum, ideſt ſobrietatem in appetitu tuo, & dedi inaurem ſuper os tuum, ideſt diſciplinam, & cuſtodiam in verbis tuis, & circulos in auribus tuis, ideſt vires obedientiæ, & tandem coronam decoris, ideſt beatitudinem æternam in capite tuo: ecce quomodò ad hanc coronam gloriæ pervenit anima ſancta ſponſa Dei, & ſic Cœli Regina, ſi fuerit diſcoloribus veſtita: cùm ergò nullus ſine hac veſte Cœlum intrare poſſit videat quiſque quid ſibi agendum; videat & pulchritudinem animæ exiſtentis in gratia. *Ser.3. Dom.19.Pentec.& ſer.2.de S. Ant.in addit.*

118. *Felix ille Doctor, & Prædicator, qui doctrinam aliis communicat ad ſalutem: Infelix, qui ad ſui gloriam, & lucrum convertit; Ubi de educatione filiorum mala.*

Et tuliſti vaſa decoris tui; alii legunt ſcyphos tuos, de auro meo, & argento meo &c. Quænam ſunt iſta vaſa, vel ſcyphi decoris à Deo nobis traditi? ſed attende, quòd ſacerdos, & Prædicator clarus ſcientiâ, & mundus vitâ, qui oris miniſterio quaſi ſcypho mundo, auditoribus doctrinæ ſalutaris eloquium propinat, ut de vaſis contumeliæ eos faciat vaſa honoris reponenda in cæleſti menſa; ô quam felix, & beatus talis Prædicator: E contra infelix qui de tali auro, & argento facit ſibi imagines maſculinas, ſcilicet vitæ doctrina, & eloquentia ad captandum ſibi honorem, & lucrum. *Op. Eccleſ. Hier. p.4.c.5.& Ugo hic*; Undè contra iſtos hypocritas, & perverſos clamat Deus ſubdens *v. 20. Et tuliſti filios tuos, & filias tuas, quas genuiſti mihi, & immolaſti eis ad devorandum*, ſcilicet conſecrans dæmonibus, & peccatis pravo exemplo & peſſima doctrina; quod & dicitur contra impios parentes filios malo exemplo conſecrantes diabolo. *Ser. 2. Dom.13.Pent.& Ugo hic.*

119. *Euchariſtici ſacramenti ſapor cæleſtis.*

Et panem meum, quem dedi tibi, ſimilam, & oleum, & mel, &c. Nota, quòd hic ad litteram loquitur de mãna quod habebat ſaporem mellis, & olei, & ſimilæ & figurabat Euchariſticum panem, qui habet ſaporem ſimilæ, quoad corpus Chriſti, purum à furfure fomitis, & corruptionis originalis: ſaporem item olei, quoad animam ſpecioſiſſimam gratia unctam: & mellis, quoad divinitatem, ut hinc intelligamus, quòd hoc Sacramentum confert nobis ſaporem ſimilæ ſcilicet propitiationem contra culpam; item olei,

ſcilicet

ſcilicet ſuſtentationem animæ per gratiæ unctionem,& mellis ſc.participationem gloriæ:ideò potens eſt peccata conſumere , debellare aëreas poteſtates,& inferre Cœlis revertentes de terra : infelix ergo,qui in ſui perniciem tantis donis abutitur contra Deum. *Serm.4.& 6.in Cœna Dom.*

120. *Impii diaboli ſequaces ſigna proſtitutionis ſuæ interius , & exterius ædificant, eorumque domus hoſpitium fit diaboli, & taberna.*

Ad omne caput viæ ædificaſti ſignum proſtitutionis tuæ, & abominabilem feciſti decorem tuum. &c. Quodnam eſt hoc ſignum proſtitutionis ædificatum ad omne caput viæ ? Ad litteram dat intelligere Propheta , quòd Iſraëlitæ ad omne caput viæ in loco patenti poſuerant Idola,(ſicut nos ponimus cruces , vel imagines ſacras ,) ad hoc ut quilibet pro libito poſſet exire in abominationes ſuas,& ſumit metaphoram à conſuetudine , quæ in multis civitatibus ſervatur , collocandi meretrices in quodam loco infami omnibus expoſito, peculiari ſigno infami notato : Myſticè loquitur Chriſtianis Spiritus Sanctus,quorum plurimi ſigna vitiorum in capite vitæ ſuæ exponunt,& præcipuè luxurioſi : luxuria enim eſt ſignum proſtitutionis,& principium malarum viarum, ut patet in pueris,& juvenibus,qui ab hoc vitio incipiunt curſum ſuæ vitæ , & multi uſque ad finem hanc viam peſſimam calcant; benè autem dicitur ædificaſti, ſicut enim ædificando ponitur lapis ſuper lapidem, ſic luxurioſi , nunc verbis , nunc factis, nunc tactu,nunc habitu,nunc nutu ſigna ſuæ proſtitutionis multiplicant:Nota etiam,quòd dicitur, *ad omne caput viæ.&c.* Sumitque metaphoram ab uſu cauponarum , & hoſpitiorum, quibus à foris exponitur circulus tabernæ,in ſignum, quòd talis domus omnibus volentibus ingredi expoſita eſt ad comedendum,& bibendum:ſic multi Chriſtiani ſunt,quorum domus taberna eſt diaboli , & à foris ſigna proſtitutionis expoſita tenent,luxuriæ ſcilicet ſigna,vel in verbis,vel in ſignis,vel in factis,vel in pompis,vel in aliis notis diſſolutionis; quæ quidem ſunt ſigna , quòd talis domus eſt taberna diaboli,& expoſita fornicationibus, impudicitiis, aliiſque pravitatibus ; ſicuti è contra domus juſtorum ſigna continentiæ, & pœnitentiæ omnibus exponunt in ſignum, quòd ibi moratur Chriſtus,& Angeli.*Ser.2.Dom. infrà oct. Nat. & ſerm.3.in Pent.ſerm.1.in dedic. Eccl. ſap.c.2.& op. Diat.tit.1. c.2.*

121. *Dominus Deus ſtatim ac homo peccat mortaliter extendit manus ſuas ſuper ipſum,*ad auferendam gratiam , & juſtificationem , juſque ad regnum cœleſte,& ut ipſum in poteſtatem diaboli tradat, & ut puniat æternaliter. Unde cuilibet dicit : *Ecce ego extendam manum meam ſuper te, & auferam juſtificationem tuam , alii legunt, jus tuum,*ſc. quod habebat ad regnum cœleſte:*auferam legitima tua,* legunt ſeptuaginta,ideſt opera meritoria, & dabo te in animas odientium te filiarum Paleſthinarum, ſcilicet in poteſtatem diaboli per inflictionem pœnæ æternæ,vel etiam in manus detrahentium, & perſequentium ſic promerentibus culpis.*Pſ.118. c.1.v.16.& c.4.v.11.*

122. *Peccator in hac vita priùs nudatur omni bono , & in die judicii denudabuntur omnes ignominiæ , & fœditates.*

Congregabo eos ſuper te undique,& nudabo ignominiam tuam coram eis , & videbunt omnem turpitudinem tuam , &c. & denudabunt te veſtimentis tuis. &c. Ecce quod facit diabolus cum ſuis ſequacibus ; primò in hac vita eos denudat veſtimentis, ſcilicet virtutum,& gratiæ ; ut ſic nudati in judicio extremo in conſpectu omnium apparebunt omnes fœditates cordis,oris,& operis, quæ impreſſæ in pectore erunt omnibus viſibiles : ô qualis confuſio. *Ser.3.Dom.4.poſt oct. Epiph. ſer.1. de S.Barth.in addit.Luc.c.8.v.27.*

123. *Signum maximæ iræ Dei in peccatorem , quando non caſtigat temporaliter.*

Et requieſcet indignatio mea in te , & auferetur zelus meus à te , & quieſcam , nec iraſcar amplius. Nota hic, quod hæc videtur magna miſericordia Dei promittentis ſe non amplius indignaturum in Ieruſalem, ſed cur hoc ? attende ad ſequentia, *& quòd provocaſti me in omnibus his,* Sed quomodò hæc ſimul ſubſiſtunt ? tu provocaſti me tuis peccatis graviſſimis , & ideò ego non iraſcar , & quieſcam, ſcilicet à flagellis ? Sed attende ad notabile myſterium ſcitu neceſſarium : Ira Dei hic ſumitur pro ablatione divinæ caſtigationis propter obſtinationem peccantium , & dimiſſionem eorum in peccatis. Hæc enim eſt maxima,& horribilis ira Dei, quando non caſtigat temporaliter ob demerita peccantium,ut juſtè puniantur æternaliter ; ô caveat nos Deus à tali pietate apparente ; & è contra iraſcatur nobis illa ira, de qua dicebat Abacuch c. 13. *Cum iratus fueris miſericordiæ recordaberis* , Eſt enim hæc ira miſericors, & deſideranda. *Ioan. cap.3. in fine. & S. Auguſtinus,fusè.*

124. *Mala, quæ ex crapula , abundantia bonorum temporalium,& otio oriuntur, expenduntur.*

Hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ : ſuperbia, ſaturitas panis, & abundantia , & otium ipſius , & filiarum ejus, & manum egeno,& pauperi non porrigebant , & elevatæ ſunt , & fecerunt abominationes.&c. Ecce gradus, quibus Sodoma , & Ieruſalem , & plurimi homines præcipitarunt in maximas abominationes, & tandem in infernum : primo loco ponitur ſuperbia , ſcilicet oblivio ſuæ conditionis , ait Gloſſa ; deinde ſaturitas panis , nempè nimia ingurgitatio ciborum , qui nomine panis ſolent intelligi : deindè abundantia rerum temporalium , ſcilicet reſervatio divitiarum præter neceſſitatem ; & tandem otium , nam otioſitas eſt ex abundantia , & ſuperbia , & origo omnium malorum , & præcipuè crudelitas in pauperes. *Luc. c.17. v.28. Ioan. collat. 24. & opuſc. de Profeſſ. Religioſ. lib. cap.39.* Quæ omnia maximè damnificant Religiones , & Religioſos , ſuperbia contra obedientiam ; ſaturitas contra abſtinentiam,& paupertatem,& otium contra

contra caſtitatem,& crudelitas in pauperes, contra hoſpitalitatem, & miſericordiam, charitatemque,& hæc omnia deſtruunt Religionem. *Sic etiam Ugo Card.*

CAP. XVII.

125. *Charitas Aquila grandis, trahens ſub ſe omnes alias virtutes.*

AQUILA *grandis magnarum alarum longo membrorum ductu, &c.* Litteraliter alluſio fit ad Regem Nabuchodonoſor, qui rapacitate, & potentia ſua alios Reges ſibi ſubjecit, & medullam libani, ſcilicet terram Iſraël: myſticè Aquila eſt charitas habens duas alas, ſcilicet amorem in Deum, & in proximum, hæc longo ductu ſe extendit, & ſub ſe trahit, & fovet omnes alias virtutes, ipſiſque confert eſſe perfectum, & complementum, & ideò dicitur; quòd tulit medullam cedri, quia eſſe meritorium ipſis communicat. *Op.Diet.tit.5.c.2.& lib.3.d.36. quæſt.61.*

126. *Aquila magnarum alarum Chriſtus.*

Aquila grandis magnarum alarum longo tractu, &c. Nota etiam, quòd Chriſtus comparatur Aquilæ, quia ejus proprietates in ſummo ei conveniunt: nam non ſolùm eſcam ſuam,ſed & proprium corpus nobis communicat; item in Reſurrectione renovatus eſt, in Aſcenſione elevatus eſt in Cœlum, ut nos ad Cœlum volare doceret, & invitaret. *Ser.1.in Aſcenſ.*

127. *In vinea Eccleſiæ qui ad vitem Chriſtum non conjungitur ad ignem deſtinabitur.*

Facta ergo eſt vinea, & fructificavit in palmites, & emiſit propagines, Vide quomodo hæc vinea fœcunda fit propter vites emittentes palmites. & ſuam virtutem eis communicans: ut intelligas, quòd ſicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite, & ſi à vite ſeparabitur, ſtatim ad ignem deputatur, ſic Chriſtus eſt vitis formans Eccleſiam vineam à quo omnis vigor in nos venit gratiarum, quòd ſi per peccatum ſeparaveris te,ſtatim ad ignem deputaberis. *In Ioan. collat.67.*

128. *Qui in fide Chriſti,& in Chriſto ædificium ſuorum operum non fundat, cito corruit.*

Ecce vinea iſta plantata eſt, &c. ergone proſperabitur? nonne cum tetigerit eam ventus urens ſiccabitur, & areis germinis ſui areſcet? Hæc metaphoricè dicta ſunt de Rege Jeruſalem, qui confœderatus eſt cum Rege Ægypti contra præceptum Domini; & ideò ob talem confœderationem excidium, & ruinam invenit ſibi, & Regno; myſticè dat nobis intelligere, quòd omnis plantatio,quam non plantabit Chriſtus, eradicabitur, quòd omne ædificium, & fabrica, tam in vita ſpirituali, quam in temporali, quod abſque Chriſto, & cum Dei offenſa erigetur, ad modicum poterit ſubſiſtere, quia ad impetum cujuſcumque venti eradicabitur. *In ſap.c.4.* quod, & confirmat verſibus ſequentibus, & præcipuè *v.20.*dicens: Expandam rete meum ſuper eum, & comprehendetur in ſagena mea. Nota quòd dicit Deus expandam rete meum, & poſtea ſubdit quòd comprehendetur in ſagena: quia Deus impios in aſtutia ſua comprehendit,& confundit, ſic diſponente ſua rectiſſima Juſtitia, ut evenit Regi Sedechiæ. *In Thren.c.1.*

129. *Chriſtus opera ſua ordinavit ad plantandum electos in vinea cæleſti.*

In monte ſublimi Iſrael plantabo illud, & erumpet in germen,& faciet fructum, &c. Nota, quòd hæc ſunt verba Chriſti, qui in Mundum venit, omneſque ſuos labores ordinavit, ut electos ſuos palmites in monte ſublimi gloriæ plantaret,quos tamen in hac vita priùs plantat in ſpe per fidem, & ſpem,& gratiam ſuam, & in alia vita in gloria ſimul cum Angelis;& totum, & tantum hoc beneficium fructus eſt germinis Virginis Mariæ, ſcilicet Chriſti Ieſu; per quem reintegratur univerſitas Angelorum, *Op.ſpec.B.Virg.lect.18.*

130. *Cur qui ſe exaltat,à Deo humiliatur, & qui ſe humiliat exaltatur.*

Et ſcient omnia ligna regionis,quia ego Dominus humiliavi lignum ſublime, & exaltavi lignum humile. Hoc ſæpè inculcatur à Deo menti noſtræ; nempè quod,qui ſe exaltat,humiliatur, & qui ſe humiliat exaltatur, & ratio eſt, quia quantò quis magis ſe exaltat, tantò minus honorat, & recognoſcit Deum, ac per hoc tantò magis à Deo eſt averſus: è contra quantò quis ſe humiliat coram Deo, tanto magis honorat Deum, & tantò magis ad Deum eſt converſus. *Serm.4. Dom.10.poſt Pent.Luc.c.14.v.11.*

131. *Sancta Crucis ligni exaltatio expenditur.*

Et ſcient omnia ligna regionis;ego Dominus exaltavi lignum humile. O quam hoc verum: nam Chriſtus Jeſus exaltatus in Cruce,exaltavit illud lignum, quod prius erat latronum patibulum; & factum eſt regale vexillum, & tranſiit ad frontes Imperatorum; Verè autem fuit exaltatum hoc lignum humile,quia per ipſum fuit exaltatus,honoratus, & adoratus Chriſtus Jeſus per totum Mundum. Per hoc lignum diabolus devictus, & ſuffocatus eſt; Per hoc lignum peccata expiata ſunt, quia ipſa Chriſtus ſuper hoc lignum portavit, ut ſanguine ſuo expiaret; Per hoc lignum apertæ ſunt portæ Paradiſi, Eccleſia multiplicata in filiis,qui ex hac arbore nati ſunt; Per hoc lignum anima ſuſtentatur,eſt enim ſuſtentaculum,& fulcimentum noſtrum; item & omnis adverſitas dulcoratur. *Ser.in Exaltatione S.Crucis,& ſer.1. in Exalt.S.Crucis in addit.*

132. *Chriſtus in cruce extendit brachia, & totum corpus ad protegendum nos,ab æſtu ſolis, iraque Patris;* interpoſuit enim ſe, & ſuſtinuit ictum pro nobis

nobis, tanquam mater pro parvulis; & ut ſub ſuis alis omnes reciperemur, & nidificaremus; unde dicit hic, *& habitabunt ſub ea omnes volucres, & ſub umbra frondium ejus nidificabit univerſum volatile: opuſc. Comp. Theol. lib. 4. c. 15. & Vgo hic.*

CAP. XVIII.

133. *Quomodo Deus, & qua juſtitia punit peccata patrum in filios.*

QUID eſt, quòd inter vos parabolam vertitis in proverbium iſtud in terra Iſraël dicentes; Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt? Nota, hæc parabola, ſeu propoſitio per ora antiquorum impiorum verſabatur impingendo in Deum injuſtitiam, ſcilicet, quòd alius eſt qui peccat, alius eſt qui vapulat, contra hunc errorem invehit Deus, quòd omnes animæ ſuæ ſunt, & ſolùm anima, quæ peccaverit punietur, *in Op. Princip. S. Scripturæ: & in ſap. c. 4.* Nota tamen, quòd hæc quæſtio à Sanctis Patribus Hieronimo, & aliis movetur; quomodo Deus puniat filios aliquando propter peccata Patrum? cui reſpondetur communiter, quòd Deus peccata Patrum punit æternaliter, non ſolùm in Patribus, ſed etiam in filiis, quando filii imitantur peccata Patrum; Aliquando etiam punit filios temporaliter propter peccata Patrum, ut punitus eſt Cham in Chanaan filio ſuo *Gen. c. 9.* Et hoc magis eſt miſericordia, quam ira; tum ad excitandum Patrem ad pœnitentiam, videntem filium innocentem pro ſuo peccato puniri; tum ad majus bonum filii, ut tollatur ei occaſio imitandi Patrem, & peccata à ſe removeat, & per hoc etiam pateſcit Dei miſericordia differentis pœnam tantùm temporis; *Sic & Divus Hieron. Auguſt. Vgo. & alii; ſic & Sanctus Bonaventura lib. 2. d. 30. a. 1. q. 2. & d. 33. q. 1.*

134. *Ad ſalutem animæ, non corporis adſpicere debemus.*

Ecce omnes animæ meæ ſunt, ut anima Patris, ita & anima filii. Nota, quòd contra errorem ſupra poſitum illorum, qui dicebant Deum injuſtum, punientem filios ob peccata patrum; reſpondit Deus ecce omnes animæ meæ ſunt, cur ſolùm mentionem fecit de animabus, & non de corporibus? cur non dicit omnes homines ſunt mei, ſed omnes animæ? hoc eſt, ut videas, quod omnia opera Dei ad ſalutem animæ ordinantur, non corporum, & ut nos excitet ad procurandam ſalutem magis animæ, quàm corporis: nam ſi punit filios in corpore, totum ordinat, ad curationem, & munditiam animarum. *Luc. c. 11. v. 40.*

135. *Per opera miſericordiæ damnatio vitatur, ſalus acquiritur*, Unde hic dicit Deus *qui panem ſuum eſurienti dederit, & nudum operuerit veſtimento, &c. vita vivet. ſer. 1. de Sancto Martino in addit.*

136. *An tempore menſtruorum poſſit vir petere, vel reddere debitum.*

Qui ad menſtruatam non acceſſerit, vita vivet, &c. Hic textus dubium hoc excitat, an tempore menſtruorum liceat petere, vel reddere debitum? cui reſpondetur quod petenti poteſt ſine peccato reddi, ſed tamen non ſine peccato poteſt peti, & hoc eſt ob graviſſimum præjudicium reſultans proli indè naſcituræ: licèt reddens debitum non peccet. *Lib. 4. d. 32. a. 3. q. 1.*

137. *Oppreſſio proximi, quàm Deo exoſa.* Unde hic *v. 16.* dicitur, *Qui hominem non contriſtaverit, per vim nihil rapuerit, &c.* Addit & *Luc. c. 3.* dicendo militibus: *qui ſtipendiis ſuis contentus erit, hic vita vivet, &c. in Luc. c. 3. v. 14.* item qui ad uſuram non commodaverit; quia uſura jure divino eſt prohibita. *Luc. c. 6. v. 34.*

138. *Iterum expenditur propoſitio: Filius non portabit iniquitatem Patris; Vbi de peccato Adæ, & quomodo etiam filius participat fructum bonitatis Patris.*

Et dicitis, quare non portabit filius iniquitatem Patris: Hæc erat interrogatio iſtorum, cui Deus reſpondet, *quia filius judicium, & juſtitiam operatus eſt, &c.* ſcilicet quia fuit juſtus, quia benè operatus eſt, ſed hic ſuboritur dubium quomodo ergo nos omnes punimur pro tranſgreſſione Adæ? iterum quomodo videmus in Sacra Scriptura filios aliquando punitos uſque ad tertiam, & quartam generationem propter ſcelera Patrum? ſed attende, quod cum ſemper vera ſit propoſitio catholica neminem puniri æternaliter propter peccata, & culpas aliorum, ſed tantùm propter proprias; attamen hoc excipitur in perſona Adæ, & hoc triplici ratione, primò, quia Adam non erat tantùm naturæ humanæ individuum, ſed etiam totus naturæ humanæ principium; ſecundò, quia mandatum Adæ, fuit datum, non tantùm ut ſingulari perſonæ, ſed tamquam ſtipiti totius naturæ humanæ; & hoc patet, quia mandatum illud deſcendit per Adam in mulierem; tertiò, quia Adam innocentiam acceperat pro ſe, & pro tota ſua poſteritate, ideo ipſa amiſſa, amiſit etiam pro poſteris: ideò ex peccato Adæ conſecuta eſt ipſis amiſſio innocentiæ, & infectio culpabilis naturæ, & debitum pœnæ æternæ: Ad aliud dubium reſpondetur, ut ſuprà in principio capitis dictum eſt, quod pœna tranſit ad filios imitantes ſcelera parentum, vel aliquando, ut parentes puniantur amiſſione, & pœna filiorum, quæ tamen ex ordinatione divina redundat in bonum filiorum, & tali pacto ſæpe puniuntur patres in poſteris uſque ad tertiam, & quartam generationem; ſicut etiam ſæpè ex bonitate, & juſtitia Patrum redundant in filios multa bona. *Lib. 2. d. 30. a. 1. q. 2. & d. 33. a. 1. q. 1. Ioan. c. 9. v. 2.*

139. *Peccatum mortale mors eſt animæ, & qualis, & quomodo.*

Anima, quæ peccaverit ipſa morietur; Quomodo anima morietur? nonne ipſa eſt immortalis? Sed attende, quod hic loquitur de morte ſpirituali; nam ſicut in corporalibus vita conſiſtit in calore, mors enim evenit ob defectum caloris naturalis: ſic & vita ſpiritualis animæ in calore

conſiſtit, ſcilicet in charitate ad Deum, & ad proximum propter Deum; cum autem peccatum mortale deſtruat hunc calorem, hinc & tollit vitam, & per conſequens virtutis efficaciam, vel ad reſurgendum ad vitam per ſe, & ad merendum, & ſimul dimittit viam ordinatam ad ultimum finem, pervertendo ſe per viam inferni, & ob id ſimul obligat ad gehennam. *Op. de tribus ternar.* *c.1.& 4.*

140. *Quomodo anima mortua reſurgat.*

Quia filius judicium, & juſtitiam operatus eſt, omnia præcepta mea cuſtodivit, vita vivet, &c. & infrà; *In juſtitia ſua, quam operatus eſt, vivet, &c.* Hic textus excitat quæſtionem; quid eſt, quòd formaliter vitam recuperat animæ, jam per peccatum mortuæ? an ſcilicet ſit juſtitia juſtificans animam, an ſit gratia, & charitas? videtur quod ſit juſtitia, ut in ſupradicto textu patet: ſed reſpondetur, quod vita poteſt conſiderari ſecundum eſſe ſuum primum, & formale; & hæc à ſola gratia ſanctificante, & à charitate eſt; vel poteſt conſiderari prout manifeſtatur per aliquod ſignum; ſic attribuitur vivificatio pœnitentiæ, & juſtitiæ, quia in contritione præcipiuntur ſigna expulſionis peccati mortalis, & hinc poſteà ſequitur poſt contritionem, & gratiam manifeſtatio vitæ in intellectu per fidem captivantem; in affectu per charitatem vigorantem; & in effectu per juſtitiam regulantem omnia opera. *Lib.4. d.14. p. 2. dub.5. ſapiem.cap.6. Pſalm. 118. cap.8. verſ.11.*

141. *Pœnitentia vera in quocumque tempore hujus vitæ remiſſionem peccatorum obtinet.*

Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, &c. Ecce qualis eſt efficacia pœnitentiæ: dat enim hic intelligere Spiritus Sanctus, quàm magna, immò immenſa ſit Dei miſericordia in pœnitentem: nam Deus ipſam non negat peccatori redeunti ad ipſum toto corde; nec ab ipſo avertitur ob quemcumque reſpectum, unde nec criminis immenſitas, ut patet in Petro negante Chriſtum, nec vitæ enormitas, ut patet in Magdalena: nec horæ extremitas, ut patet in Latrone, excludit veniam, ſi pura fuerit voluntatis permutatio: magna quidem benignitas, quod ex toto corde pœnitentis non ſolùm non vindicat opere, neque improperat ore, imò nec recordatur corde ad odium: ô magna pœnitentiæ vis, & utilitas; ſed nota, quod dicit ab omnibus iniquitatibus ſuis; nam pœnitentia debet eſſe univerſalis omnium peccatorum. *Ser.3.Dom.3.poſt Pent.& ſer.1. in die Cinerum: in Luc.c.15.v.10.op.Comp. Theol. lib.1.c.34.& l.6.c.21.*

142. *An homo per pœnitentiam reſurgat in majori, vel minori charitate.*

Si impius egerit pœnitentiam, &c. omnium iniquitatum ejus non recordabor. Ex his verbis videtur poſſe inferri peccatorem reſurgere per pœnitentiam in eadem charitate, à qua cecidit, nec poſſe in minori: quia ſi in minori charitate reſurgat, ſequitur quòd Deus etiam poſt pœnitentiam recordetur iniquitatum ipſius? ſed reſpondetur, quòd pœnitens poteſt reſurgere & in eadem, & in majori, & in minori charitate ad proportionem diſpoſitionis, quam in pœnitentia præmiſit, & in caſu, quod ad minorem charitatem reſurgat, tunc Deus non recordatur peccatorum remiſſorum, ſed ei dat minorem gratiam non merito peccatorum, ſed quia non benè ſe præparat ad tantam gratiam; ſed tamen in quocumque gradu ſit dignus vita æterna *Lib.4.d.14. p.2.a.2.q.1.*

143. *Deus non eſt acceptator perſonarum*, ſed ſecundum merita, vel demerita cujuſque menſurat ſuum judicium; unde dicit; *Idcirco unumquemque juxta vias ſuas judicabo domus Iſraël, ait Dominus Deus: in ſap.c.6.*

144. *Ad pœnitentiam Deus nos inceſſanter invitat.*

Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas, &c. & facite vobis cor novum, &c. Hæ ſunt voces Domini Dei; qui ſua pietate inceſſanter inſonat auribus noſtris invitans ad pœnitentiam, & ſimul proponens varia motiva; nempe quia pœnitentia expiationem peccatorum meretur, & renovat animam; & liberat ab omni malo. *Serm.1. in die Cinerum: & ſerm.1. de Sancto Matthæo.*

CAP. XIX.

145. *Venatio, & præda diaboli per ſuos miniſtros in Eccleſia expenditur.*

E*T tu aſſume planctum ſuper Principes Iſraël, & dices: quare mater tua leæna inter leones cubavit, in medio leunculorum enutrivit catulos ſuos? & eduxit unum de leunculis ſuis & leo factus eſt, & didicit capere prædam, hominemque comedere.* Metaphoricè hic Propheta dat intelligere, quod civitas Jeruſalem elegit ſibi in Regem, Joachaz, qui fuit crudeliſſimus inter omnes, & multa mala patravit in civitatem, & cives ſuos: myſticè à Sanctis applicatur Eccleſiæ catholicæ, quæ mater promovet filios ad prælaturam, quorum multi crudeliſſimi ſunt rapiendo ſubſtantias ad modum militum, & peſſimorum ſæcularium: Applicari etiam poteſt ad venationem peſſimam diaboli ſignificati in leæna, qui multos ſuos ſequaces nutrit in mundo, ut ipſorum miniſterio utatur ad venandum animas bonorum; ſuntque detractores, rixoſi, blaſphemi, luxurioſi, perſecutores, quorum miniſterio, velùt dentibus capit & venatur animas, ut eas præcipitet in infernum. *Ser.3.Dom.4.poſt Pent.*

CAP. XX.

146. DEUS comminatur ſæpe peccatoribus, ut reſipiſcant à peccatis ſuis, ne cogatur eos punire; undè in his minis mirabiliter elucet divina pietas, & è contrà humana obſtinatio: hincque dicit hic; *Comminatus ſum, ut effunderem furorem meum ſuper eos:* monet igitur nos, ut vitemus furoris Dei effectus. *Pſal.* 118. *c.9.v.11.*

147. *Præcepta legis veteris dicuntur non bona in comparatione præceptorum legis Evangelicæ*; non quia non fuerint bona, ſed quia erant onerosa, & è contrà Evangelica alleviantia: ſic hic dicitur: *Dedi eis præcepta non bona, & verba, in quibus non vivent. lib.4.d.1.p.1. a.1.q.5.*

148. *Ignis luxuriæ, omnia bona, & omnes conſumit luxurioſos, Vbi de igne conflagrationis in fine Mundi.*

Ecce ego ſuccendam in te ignem, & comburam in te omne lignum viride, & aridum, non extinguetur flamma ſuccenſionis, & comburetur in ea omnis facies ab Auſtro, uſque ad Aquilonem, &c. Ad litteram hæc eſt comminatio, vel potiùs Prophetia contra populum Iſraël, maximæ tribulationis, qua Deus punivit ipſum, nempè lignum viride, ſcilicet juvenes, & aridum, ſcilicet ſenes, ſacerdotes, & Principes, & populum: myſticè per ignem intelligitur luxuria; & ideò dicit Deus, ſuccendam in te, ideſt permittam in te ſuccendi ignem luxuriæ, qui ignis omnia bona corporalia, & ſpiritualia conſumit, & occupat ferè totum genus humanum, juvenes, & ſenes, ſacerdotes, Religioſos, Principes, & populum; quia hoc vitio abſorbetur ferè totum genus humanum: ô qualis ignis verè ærugo, devaſtans omnia. *Ser.3. Dom.7. Pent.* Nota etiam, quòd poteſt applicari ad ignem inflagrationis, quo Deus in fine expurgabit Mundum à fœditate peccatorum, qua contaminata fuerunt corpora, & elementa purgabuntur; ut videas quale virus ſecum portat peccatum, quòd non ſolùm animam, ſed & corpora, & loca inficit. *Lib. 4. d.47.a.2.qu.3. Pſalm.25. & op. Diat. tit.3. cap.5. & 8.*

CAP. XXI.

149. *Scientia Chriſtianorum neceſſaria qualis; Vbi de conſideratione divinæ ſeveritatis contrà peccata poſt hanc vitam.*

ET factus eſt ſermo Domini ad me dicens: Pone faciem tuam ad Ieruſalem, & ſtilla ad ſanctuaria, & propheta contrà humum, &c. Sed quid eſt, quod præcipit Deus, ut doceat Propheta, & prophetet? reſpondetur; ut ſciat omnis caro, quia ego Dominus, ſcilicet; ut diſcant, quod ego Dominus; Hæc ſunt, quæ Prædicator debet docere, ſcilicet, quòd Dominus eſt Deus; ſed ad quid hoc? nonne omnis Chriſtianus hoc certiſſimè ſcit? ſed ad doctrinas ſcitu neceſſarias à quolibet fideli; ut ſciat ſcilicet Dei poteſtatem, Dei veritatem, Dei bonitatem, Dei voluntatem, Dei ſeveritatem; hæc ſunt à nobis frequenter ruminanda, & præcipuè hoc ultimum, ſcilicet Dei ſeveritatem in puniendo peccata: Unde ſubdit, ut ſciat omnis caro, quia ego Dominus eduxi gladium meum de vagina ſua irrevocabilem: hic gladius eſt ſententia damnationis quæ evaginat contra peccatorem, poſtquàm abuſus eſt toties divina miſericordia. *Ser 4 Dom.4.Paſcha.*

150. *Gladius iræ divinæ acutior, quando è vagina divinæ miſericordiæ eruitur.*

Ego Dominus eduxi gladium meum de vagina ſua. Quis iſte gladius Dei, & quæ vagina talis gladii? ſed attende ad myſterium mirabile; vagina eſt inſtrumentum, quo tegitur gladius, & dum in ipſa conſervatur nullam læſionem affert, ſed ſolùm quando è vagina extrahitur: Gladius igitur Dei eſt ſententia damnationis, qui dum in vagina divinæ miſericordiæ tegitur nullum damnum ingerit, ſed ſolùm quando de tali vagina educetur? Educitur autem quando completur menſura miſerendi peccatoris, & tunc fores divinæ miſericordiæ clauduntur, & gladius acutior fit, & dirè ferit peccatorem? cave ergo peccator, ne gladius de vagina ſua à divina juſtitia educatur, quia ut ſubditur infrà eſt exacutus, & limatus, ut poſſit ferire non ſolùm corpus, ſed & animam, & limitatus, ut ſit promptus non ſolùm in judicio univerſali, ſed & in morte peccatoris. *Ser.2.Dom.2.Quadrag.& ſer.4.Dom.4. poſt oct.Paſcha.*

151. *Qui viventes capiuntur manu diaboli ad culpam,* ipſi morientes capiuntur manu diaboli ad gehennam; unde hic dicit. *v.24. pro eo, quòd apparuerunt peccata veſtra.* ideſt capti à diabolo in operibus malis apparuiſtis, manu capiemini in morte à diabolo. *Ser.3.Dom.4.Pent.*

CAP. XXII.

152. *Vſura aperta, & palliata excitat furorem Dei.*

MVNERA acceperunt apud te ad effundendum ſanguinem; uſuram & ſuperabundantiam accepiſti, & avare proximos tuos calumniabaris, meique oblita es, ait Dominus Deus. Ecce una ex potiſſimis cauſis deſolationis Ieruſalem: cum enim Judæis Deus vetaſſet uſuram quamcumque, tamen publicè exercebatur, & quod eſt peſſimum, potiſſimè à ſacerdotibus, & Prælatis. licèt non apertè, ſed palliabant eam, munera accipientes, & neceſſitates pauperum in lucrum convertentes, & iſti erant nummularii, quos ejecit Chriſtus

Chriſtus è templo, & ideo ubi viget hoc peccatum, etiam abundant flagella divina. *in Ioan. c.2.v.14.*

153. ***Qui in hac vita in igne tribulationis, & pœnitentia, non purgatur, in ignem inferni æternaliter projicietur.***

Fili hominis, verſa eſt mihi in ſcoriam domus Iſraël: omnes iſti æs, & ſtannum, & ferrum, & plumbum in medio fornacis: ſcoria argenti facti ſunt. Nota, quòd de domo Iſraël, in qua debebat vigere cultus Dei, dicitur, quòd tota verſa eſt in ſcoriam: ſic & dicitur de omnibus Chriſtianis, maximè Religioſis, qui abutentes divinis auxiliis, & prævertentes ſuum proprium munus, quod eſt Deo ſerviendi toto corde, in opera mala, & mundana ipſum convertunt; de iſtis dicitur, quod verſi ſunt in ſcoriam, & ideo qui in hac vita in igne tribulationis, pœnitentiæ, operum bonorum, & amoris divini non expurgantur, in ignem æternum proijcientur æternaliter comburendi. *Serm. 3. Dom. 22. poſt Pentecoſt. Pſal.* 104.

154. ***Anima denarius in morte examinabitur, an ſit aureus, & verus, an falſus.***

Verſa eſt mihi domus Iſraël in ſcoriam. Quæ eſt hæc domus Iſraël? hæc eſt anima cujuſlibet noſtrum, quæ in morte extrahetur de marſupio corporis, & examinabitur, an ſit denarius aureus, an falſus, & æreus, vel ſtanneus, vel plumbeus, ſcilicet permixtus cum iniquitate, & peccato, & ſi talis invenietur projicietur conflandus in igne inferni: ô quot peccatoribus dicit Deus, verſa eſt mihi, &c. *Ser.3. Dom.22. Pent.*

155. *Sicut in Eccleſia ſimul ſunt boni, & mali*; ſic in die Judicii omnes ſimul congregabuntur, ut examinentur, an ſint argentum, an æs, an ſtannum, an plumbus, an ferrum: ſic dicitur hic: *Congregabo eos in medio Ieruſalem; congregatione argenti, & æris, & ſtanni, & plumbi, & ferri in medio fornacis.* Cur iſta quinque metalla hic enumerat? & quandonam fuit iſta congregatio tot metallorum differentium? ſed attende, quòd ſicut in Eccleſia ſimul ſunt commixti boni, & mali, ſic & in die judicii omnes ſimul congregabuntur à Chriſto, ut diſquirat, & examinet quis inveniatur argentum purum, quis æs, quis ſtannum, quis ferrum, quis plumbus? primi ſunt boni, qui in Cœli theſauris recondentur cum Chriſto; reliqui ſunt mali, quos infrà enumerat, ſcilicet ſacerdotes, Religioſi, Principes, & laïci, & in varios faſciculos comburendi projicientur in inferno. *Ser.2. & 3. Dom.4. poſt oct. Epiph.*

156. ***Diabolus per homines perverſos capit, & rapit plures animas Chriſto.***

Conjuratio Prophetarum &c. ſicut leo rugiens, & rapiens prædam, animas devoraverunt; opes & pretium acceperunt, viduas multiplicaverunt. Quænam conjuratio eſt hæc Prophetarum? & ad quid? ad litteram loquitur de pſeudo prophetis, qui contra prædicationes Jeremiæ, & Ezechielis populum Jeruſalem deceperunt ne eis crederent; ſed eis promittentes felicitates temporales fuerunt in cauſa totius ruinæ civitatis, & populi: myſticè hæc eſt conquæſtio Chriſti Jeſu, & Eccleſiæ, qui videntes miniſtros diaboli, & inter hos, etiam ſacerdotes, Religioſos, Clericos, & perſonas in populo conſpicuas, veluti conjuratos contra Chriſtum, inimicos juſtitiæ, & ſalutis animarum, ſunt miniſtri auxiliatores diaboli, capientes ſocios Chriſti, animaſque bonas, & juſtas eas vel calumnia, vel corporali violentia, vel malis exemplis rapiunt, tradentes in manus, & in poteſtate diaboli: ô qualis, & magna perverſitas; ô quot perverſi in Eccleſia auxiliatores diaboli inveniuntur. *Ser.3. Dom.4. poſt Pent.*

157. ***In contemnentes legem Dei, & præcipuè ſacerdotes ipſe effundit iram ſuam ad vindictam.***

Sacerdotes ejus contempſerunt legem meam, & polluerunt ſanctuaria mea, inter ſanctum, & pollutum non habuerunt diſtantiam, nec intellexerunt &c. & effudi ſuper eos indignationem meam, &c. Ecce quid eſt, quod attrahit flagella à Deo; quid eſt, quod excitat furorem Domini, nempè contemptus legis Dei, & hoc maximè in ſacerdotibus, qui relinquentes munus ſuum, miſcent ſacra profanis, & omnia ſancta confundunt, & contaminant. *Pſal.* 118. *c.2.v.*13. *& c.9.v.*14.

158. ***Prælatorum avaritia, & voracitas quam Deo exoſa, & populis damnoſa.***

Principes ejus in medio illius, quaſi lupi rapientes prædam, ad effundendum ſanguinem, & ad perdendas animas, & avarè ad ſectanda lucra. Alii legunt, *quaſi urſi*; alii, *quaſi leones*; & meritò; nam Prælati mali comparantur meritò urſis eſurientibus propter furioſum deſiderium ſanguinis, & ſubſtantiæ ſubditorum; leonibus rugientibus propter furioſam minacitatem, & ſuperbum eloquium cum ſubditis; & lupis rapientibus, propter furioſam rapacitatem rerum ſubditorum; ô quot mala ex talibus Prælatis eveniunt; quam Deo exoſi. *Pſal.*118. *c.2.v.7.*

159. ***Idem de Prælatis malis expenditur.***

Sacerdotes ejus contempſerunt legem meam &c. Principes quaſi lupi rapientes prædam &c. Ecce ad qualem miſeriam redacta fuit Jeruſalem, nam omnes à minori ad maximum in maligno poſiti erant; & quod deplorabilius eſt, majores, ſcilicet ſacerdotes, Prælati, Religioſi peiores omnibus erant; nec unus inventus eſt juſtus, qui ſe interponeret ſuis precibus, & meritis ad placandam iram Dei: ô caveat Deus tantum malum ab Eccleſia ſua; & nota, quòd rectè Prælati comparantur lupis; qui ſuo malo exemplo, & rapacitate ad peccata pertrahunt minores, & dum deberent ſe opponere oratione, ſanctitate, & operibus bonis contra iram Dei, ut mercenarii fugiunt, delinquendo in proprio munere, & ſic diabolus rapit, & diſpergit oves. *In Ioan. c.10. verſ.*18. *in Thren. c.*21.

CAP.

CAP. XXIII.

160. *Invidia mater duarum filiarum peſſimarum.*

FILI I *hominis, duæ mulieres filiæ matris unius fuerunt; & fornicatæ ſunt in Ægypto, nomina earum Oolla, & Ooliba:* Ad litteram per Oollam ſignificatur Samaria, per Oolibam Jeruſalem, quæ fuerunt filiæ matris unius, ſcilicet Saræ; hæ fornicatæ ſunt in Ægypto colentes Idola: myſticè mater una eſt invidia, quæ duas filias diabolicas genuit, ſcilicet triſtitiam in proſperis, & exultationem in adverſis proximi, quæ contrariantur ſpecialiter charitati, quæ docet flere cum flentibus, & gaudere cum gaudentibus; & dicuntur Oolla, & Ooliba quæ interpretantur tabernaculum meum, ſcilicet diaboli, quia imitantur, & cohabitant invidi cum diabolo. *Op. Diet. tit. 1. c. 4. Vide infrà ad nu. 166. expoſitionem aliam hujus textus.*

161. *Luxurioſi ſunt Aſini, & equi.*

Et inſanivit libidine, &c. quorum carnes ſunt ut carnes Aſinorum, & ſicut fluxus Equorum, fluxus eorum: Ecce quid ſunt luxurioſi, ſunt veluti Aſini, & Equi inſani diaboli & eorum carnes Aſinorum, ſcilicet inhiantes perpetuò luxuriis, & carnalitatibus. *in Ioan c. 12. v. 15.*

162. *Qui cum iniquis ad Dei offenſam colligatur amicitia*, juſto Dei judicio talis amicitia vertitur in inimicitiam, & affert interitum, & ruinam deſerentibus Deum propter tales amicitias: unde ſicut dixit Propheta civitati Jeruſalem, quæ ſe colligaverat cum Ægyptiis in malum: *Ecce ego ſuſcitabo omnes amatores contra te, quibus ſatiata eſt anima tua:* ô quam hoc eſt verum, & quotidiana experientia probatur. *in Thren. c. 1.*

163. *Diabolus ſemper armatus cum ſuis exercitibus, ſcilicet dæmonibus, & hominibus perverſis pugnat contra nos.*

Omnes Principes Principum, & nominati aſcenſores equorum inſtructi venient ſuper te, & inſtructi curru, & rota, multitudo populorum lorica, & clypeo, & galea armabuntur contrà te undique. Hoc prophetavit Ezechiel de Chaldeis, qui proceſſerunt ad devaſtandam Jeruſalem: myſticè, loquitur populo Chriſtiano, ipſumque monet, ut caveat ab inſidiis diaboli, qui ſemper circuit, ut nos devoret: dicit igitur, quòd omnes Principes Principum, ſcilicet dæmones Principes, & ſuperiores ordinis aliorum dæmonum, aſcenſores ſunt Equorum, ſcilicet perverſorum, qui verè ſunt equites diaboli ab ipſo poſſeſſi. & quos equitando ſaltare faciunt de vitio, in vitium, donec ſimul cadant totaliter in Infernum: Iſti Principes ſunt inſtructi curribus, & multitudine populorum, quibus utuntur ad præcipitandas animas; iſti currus ſunt mali ſocii ſimul in malum colligati, qui quatuor rotis, ſcilicet voluntate, operatione, conſuetudine, & obſtinatione ſunt corrupti, & ſic per iſtam multitudinem malorum diabolus facit bellum Eccleſiæ, & pugnat, & impugnat animas Chriſti; & ut ſecuriùs eos devincat, armat eos Lorica malæ conſuetudinis, clypeo obdurationis, galea præſumptionis, nempe præſumendo nimis de Dei miſericordia, vel finali pœnitentia, & ſic talibus ſociis diabolus tot animas Chriſto rapit: ô quàm verum. *Ser. 2. Dom. 3. poſt oct. Paſcha.*

164. *Diabolus fictus amicus peccatorum in vita, ſed verus inimicus, & poſteà in morte apertus.*

Ecce ego tradam te in manus eorum, quos odiſti; in manus, de quibus ſatiata eſt anima tua; & agent tecum in odiò, & tollent omnes labores tuos, & dimittent te nudam, &c. Ad litteram prædicit Judæis Propheta, quod ipſis poſteà accidit; nempè poſtquàm contraxerant fœdus cum Ægyptiis, de quorum confœderatione poſteà ſatiati amorem in odium converterunt, & ideo ab ipſis hoſtibus deſtructi ſunt: myſticè hoc dicitur peccatoribus ſtultis, qui viventes confœderati cum dæmonibus, qui ſe fingunt in hac vita amicos eis promittentes varia bona, longam vitam, finalem pœnitentiam, poſteà reducti in morte eos experiuntur crudeliſſimos hoſtes, & ideò ab ipſis dæmonibus privantur tunc omni bono. *Serm. 1. de S. Barthol. in addit.*

165. *Peccator in morte remanet nudus omnibus bonis.*

Et agent tecum in odio, ſcilicet dæmones, & tollent omnes labores tuos, & dimittent te nudam, & ignominia plenam, & revelabitur ignominia fornicationum tuarum, ſcelus tuum, & fornicationes tuæ, ô Attendant ad hæc monita ſalutaria mundani, mundo, carni & diabolo ſervientes: quaſi dicat: Ecce quomodo dæmones agent tecum in morte veluti crudeliſſimi hoſtes, nam tollent air, omnes labores tuos, ſcilicet bona tua tot laboribus congregata; & quinam iſti ſunt? tollent, (nota diviſionem, & diſtributionem, quæ in morte accidit) tres tollent hæredes, corpus vermes, & animam dæmones; ſicque privaberis omnibus bonis, pro quibus tantum laboraſti congregando temporalia, corpus paſcendo deliciis, & voluptatibus, & ſola peccata animæ, remanebunt; ſed quid hinc ſequitur? dimittent te nudam, & privatam omnibus his bonis, & ignominiâ plenam, ſcilicet remanebit anima peccatorum tegumento cooperta, quod veſtimentum ignominiam, & confuſionem intolerabilem ingeret ipſi animæ: & iterum quid ex hoc conſequitur? aget diabolus cum peccatore in odio, ſcilicet ſicut amat gluto, & vorax porcellum, quem impinguat, ut occidat, & comedat; ſic diabolus te impingnabit in his voluptatibus carnalibus, & tandem te occidet, & in igne inferni te excoquet in æternum, ut te devoret: ô qualis ſtultitia, & vecordia peccatorum. *Ser. 2. Dom. 4. poſt oct. Paſcha ſer. 1. de S. Barthol. in addit.*

166. *Calix qualis bibitur in inferno à damnatis.*

In via ſororis tuæ ambulaſti, & dabo calicem ejus in manu tua, &c. Notent hæc graviſſima, & terribiliſſima verba peccatores ſectantes diaboli ma-

chinamenta : ſed quis iſte calix, qui duabus ſororibus erit in alia vita communis ? quæ iſtæ duæ ſorores ? & qualem liquorem continebit iſte calix ? ſed attende ad perbellum myſterium alibi etiam expenſum : Calix Domini eſt Juſtitia Dei, qui habet in ſummo vinum jucunditatis, ſcilicet gloriam æternam : in medio vinum mixtum, ſcilicet ex proſperis, & adverſis hujus vitæ, & in fundo fæcem æternæ infelicitatis Inferni : Unde triplicem calicem habet Deus ; unum plenum vino mero, ſcilicet dulcedine æterna, quam ſuis ſervis poſt hanc vitam exhibet : alium pro hac vita, quem itidem exhibet bibendum ſuis ſequacibus, ſcilicet tribulationes, pœnitentias, ſed mixtas cum proſperis, & dulcedine gratiarum : & tertium impiis exhibet poſt hanc vitam ; hunc calicem ſervat Deus duabus ſororibus, ſcilicet animæ, & carni, ſeu corpori ; & dicuntur duæ ſorores, quia ſimul in utero unius matris fuerunt : anima, quæ eſt una ſoror bibet hunc calicem mœroris uſque in diem judicii : alia ſoror, ſcilicet caro poſt reſurrectionem incipiet bibere de horribili calice ſororis, & tunc infelices ſorores anima, & caro bibent uſque ad fæces æternaliter, in pœna quod ſimul perpetrarunt in culpa : bibent inquam profundum, & latum, profundum, quia numquam ceſſabunt : latum, quia abſorbebit hæc pœna totum corpus, & animam in æternum. *Ser.2.Dom.4.poſt oct.Paſcha Pſal.74. Ioan.c.* 18. *v.* 11. Nota, quòd ſacer textus ſubdit cauſam cur calix tam amarus propinatur his duabus ſororibus à Deo ; quia oblita es mei, & projeciſti me poſt corpus tuum : vel ut dicitur *Ierem. c.2.* vertiſti ad me tergum, & non faciem : ſed quinam ſunt, qui projiciunt Deum poſt corpus ſuum ? Nota, quòd quidam projiciunt Deum juxta corpus, qui ſcilicet volunt ſimul Deo ſervire, & diabolo, & claudicant in duas partes, & hoc eſt impoſſibile : alii poſt corpus projiciunt, qui omninò carnalibus inhærentes, omnia quæ Dei ſunt contemnunt. *ſic Ugo, & alii.*

CAP. XXIV.

167. *Anima luxurioſa, & impia vivens in peccato eſt olla igne plena, nec extingui poteſt ſine infuſione aquæ pœnitentiæ.*

HÆC *dicit Dominus Deus, pone ollam, & mitte in eam aquam. Væ civitati ſanguinum, ollæ cujus rubigo in ea eſt &c.* Cur ſacer textus comparat civitatem Jeruſalem ollæ ? Nota, quòd ad litteram loquitur de Jeruſalem, quæ tota in peccatis, idololatriis, & luxuriis ſubmerſa erat, eamque comparat ollæ plenæ igne diaboli ; ſuadetquè ut ſuperimponatur aqua ad extinguendum ignem ; ſcilicet aquam lachrymarum, & pœnitentiæ : myſticè exponitur infeliciſſimus ſtatus animæ in peccatis viventi, & præcipuè luxuriæ & aſſignatur remedium ; dicitur autem olla plena igne, & olla ænea, quia in ipſa æſtuat ignis, ſcilicet concupiſcentiæ reddens eam æneam, & obduratam, & nigram ; væ ait tali civitati, tali ollæ, tali animæ quia poſſeſſa eſt à diabolo, qui ignem ſemper denuò augere conatur, trahens de peccato in peccatum, ô quam miſerabilis, & infelix talis anima ; quàm inſana, nam una hora non ſinit ardere domum ſuam, & heu jam decem, vel viginti, vel triginta annis ſinit ardere igne diaboli ſeipſam : ſed ecce remedium tibi appoſitum ad extinguendum hunc ignem diabolicum ; mitte in eam aquam ; quam aquam ? illam, quâ Magdalena extinxit ſuum ignem, ſcilicet aquam lachrymarum, & pœnitentiæ, eleemoſynæ, & ſanctorum operum ; ſic enim audies hanc dulciſſimam vocem, remittuntur tibi peccata tua. *Ser.1.de S.Magd.in addit.*

168. *Qui aqua pœnitentiæ ignem peccati in hac vita non extinguit, in Inferno in maxima pœna concremabitur.*

Væ civitati ſanguinum, cujus ego grandem faciam pyram : Ecce quid comminatur Deus animæ ; in qua eſt ignis diaboli, & quæ non conatur extinguere talem ignem aquâ pœnitentiæ, bujus ego faciam grandem pyram, ait Deus, ſcilicet in Inferno in grandi concrematione damnatorum, ô quàm grandis pyra ibi ſit à juſtitia Dei, grandis inquam in pœnæ magnitudine, & grandis in pœnarum multitudine, & grandis in longitudine ipſarum. *Op.ſtc.B.Virg.lect.2.*

169 *Chriſtus ſudavit ſanguinem pro Iudaico populo, ſed ſine fructu, idem & dicendum de obſtinatis Chriſtianis.*

Multo labore ſudatum eſt, & non exivit de ea nimia rubigo ejus, neque per ignem. Deum audis Deum ſudantem, transfer mentem ad id, quod *Luc.c.22.* dicitur, quòd dum Chriſtus orabat in horto, *factus eſt ſudor ejus, ſicut ſudor ſanguinis decurrentis in terram* : cur ſudare voluit ante Paſſionem illatam à Judæis ? Hoc Chriſto evenit non tam timore patiendi, quam miſericordia populi Judaici, cui maxime compatiebatur, videns, quôd pro ſua morte perdendus erat, ſed tamen in vanum ſudavit, ideo conqueritur dicens, & non exivit ex ea rubigo. *Op.Medit.vita Chriſti c.75.& ſer.5.Dom.8.poſt Pent.Luc.c.4.v.75.Thren. c.1.* Nota etiam, quòd dicitur de pluribus obſtinatis, pro quorum converſione tot labores, & ſudores paſſus eſt, & tamen ſine fructu ob ipſorum duritiem ; *Ser.5.Dom.8.Pentecoſt.* ô quoties intonat Chriſtus auribus peccatoris, & magis intonabit in Judicio : immunditia tua execrabilis, ſcilicet eſt in cauſa, quia de te non exivit rubigo, quia mundare te volui, & non es mundata à ſordibus tuis. *in Luc.Thren.& ſer.5.ibidem.*

170. *Damnati non ſunt plangendi.*

Mortuorum luctum non facies. Cur hic vetat plangere mortuos ? nonne alibi ſuadetur *Eccl. c.22.* quia loquitur de damnatis; quid enim prodeſt lugere, quos lugendo, de morte æterna non poſſumus ſalvare, *Serm.2. Dom.15. poſt Pentecoſt.*

171. *Avaro*

171. *Avarorum pœna in hac, & alia vita expenditur.*

Ecce in die, qua tollam ab eis fortitudinem eorum, & gaudium dignitatis, & deſiderium oculorum eorum, ſuper quo requieſcunt animæ eorum, filios, & filias eorum. Nota, quòd hic loquitur de avaris, in quibus terrenum eſt deſiderium, & concupiſcentia oculorum, ideò ponunt finem lætitiæ, & ſpem dilectionis in divitiis ſuis, in quarum multitudine gloriantur, & requieſcunt, quaſi ultimo fine, ideo minatur Deus eis tollere divitias in præſenti, & nihilominus punire eos in futuro pœna infernali, eò quòd maximam injuriam ſibi intulerunt, cùm præpoſuerunt Creatori æterno, & bono incommutabili creaturam temporalem, & caducam, ô quoties Deus privat tales avaros in hac etiam vita ſuo gaudio. *Serm. 3. Dom. 2. poſt oct. Paſcha.*

CAP. XXV.

172. *Quàm periculoſa negligentia, & carnalis converſatio in viris ſpiritualibus.*

EUGE, *euge ſuper ſanctuarium meum, quia pollutum eſt, &c. Idcirco ego extendam manum meam ſuper te, & tradam te in direptionem, &c.* Nota, quòd hic vertitur ſermo ad ſanctuarium Dei, ſcilicet ad viros religioſos, & profitentes vitam ſpiritualem, contra quos dicit Deus: *extendam manum meam, &c. & faciam eam deſertam*, ſcilicet ipſos privabo juſtificatione, & ſanctitate, ob negligentiam, arrogantiam, & converſationem carnalem: Caveant ergo viri ſpirituales, ab arrogantia, negligentia, & converſatione carnali, alioquin in direptionem, & ruinam redigentur. *Pſal. 118. c. 1. v. 5.*

CAP. XXVI.

173. *Reſurrectio mortuorum prædicta à Propheta.*

COMPORTABIT *aggerem in gyro, & elevabit contra te clypeum.* Ad litteram Propheta loquitur ad Tyrum, & poſt prædictionem ſuæ deſtructionis dicit, quod denuo comportabit aggerem in gyro, ſcilicet reædificabitur, ſed myſticè loquitur cum quolibet homine, dans intelligere, quòd poſtquam in cinerem redactum fuerit corpus, tandem in die reſurrectionis comportabitur cinis in maſſam, & reſurget idem numero ad id concurrente divina omnipotentia. *Op. Compendioſum princ. ad finem.*

174. *Impiis immerſis in carnalitatibus ſupereſt mors, & judicium improviſum.*

De Tyriis, ſic Propheta Ezechiel: *in terra ſedebunt, & attoniti ſuper repentino caſu tuo admirabuntur.* Dans intelligere, quòd iſtis, quando minùs ſperabant, & quando vivebant immerſi in delitiis terrenis, eis repentina ſubverſio advenit; & hæc eſt pœna omnium qui in terra ſedent, ſcilicet obliti cœleſtium bonorum in terrenis toti affixi, & carnalitatibus immerſi: nam juſto Dei judicio iſtis ſupervenit mors, & ruina improviſa. *Luc. c. 21. v. 35.*

CAP. XXVII.

175. *Mercatura diaboli, qua totus ferè Mundus decipitur, expenditur.*

TU *ergo fili hominis aſſume ſuper Tyrum lamentum, & dices Tyro, quæ habitat in introitu maris, negotiationi populorum ad inſulas multas, &c.* Patet in his verbis, quòd ſuper Tyrum volebat Deus planctum Prophetæ, ex eo quod Tyrus erat tota immerſa negotiationibus, & fraudibus: & quia Tyrus figurat Mundum, dat hic Spiritus Sanctus intelligere ſtatum miſerabilem Mundi, & mundanorum, ex eo, quòd totus eſt immerſus in mercatura diaboli, qui pro levi pretio exigit, & extorquet pretioſiſſimas merces noſtras, ſcilicet animam, & corpus; ut eas in apotheca inferni recondat; utiturque tribus inſtitoribus fraudulentiſſimis, nempè concupiſcentia carnis, oculorum, & ſuperbia vitæ, qui figurantur in ſequentibus verbis Prophetæ; Græcia, Thubal, & Moſoch ipſi inſtitores tui: Græcia Mundi gloriam ſignificat; Thubal carnis laſciviam, Moſoch fraudulentiam, & nequitiam: prima exhibet ſuperbiam, & avaritiam; ſecunda gulam, accidiam, luxuriam; & tertia invidiam, & iram, per quas decipitur totus ferè Mundus, ſuper quem præcipit Eccleſiæ, & juſtis, ut aſſumant planctum, & orationem, & pœnitentiam. *Serm. 2. in dedicat. Luc. c. 10. v. 13.*

176. *Navis Eccleſia fide, ſpe, charitate firma eſt in Chriſto.*

O Tyre tu dixiſti: perfecti decoris egò ſum, &c. Byſſus varia de Ægypto texta eſt tibi in velum, ut poneretur in malo, &c. Nota, quod decor Tyri hic exprimitur metaphora navis perfectiſſimæ, quæ metaphora veriùs applicatur Eccleſiæ catholicæ, quæ gubernaculo fidei dirigitur, anchora ſpei ſtabilitur, & velo charitatis trahitur ad portum, per quæ adhæret malo, ideſt Chriſto, & ſic reſiſtit omnibus ventis tribulationum, & perſecutionum, & ducitur ſecuriùs ad portum ſalutis æternæ. *Ser. 3. Dom. 4. poſt Pentec.*

Digitized by Google

177. *Mercatura Chriſti, & ſequacium ejus qualis.*

Iuda. & terra Iſraël ipſi inſtitores tui in frumento primo, balſamum, & mel, & oleum, & reſinam propoſuerant in nundinis tuis. Hic Propheta loquitur civitati Tyri, & dicit, quòd inſtitores terræ Iſraël in navibus ducebant ad hanc civitatem frumentum, balſamum, &c. myſticè Tyrus eſt Mundus: Inſtitores terræ Iſraël ſunt Chriſtus, & ejus miniſtri; horum officium eſt providere in navi Eccleſiæ, totum Mundum frumento primo, ſcilicet doctrina per prædicationem, balſamo bonæ famæ, balſamum inquam non mixtum hypocriſi; item melle gratiæ, oleo operum miſericordiæ, & reſina pœnitentiæ, hæc eſt mercatura bona Chriſti, & Eccleſiæ, qua ditatur Mundus. *ſer.2.Dom.3.poſt oct.Epiph.*

178. *Eccleſiaſtica navis ſacerdotes ſunt nauta, navigantes ſunt populi.*

Nauta tui, & gubernatores tui, qui tenebant ſuppellectilem tuam, & populo tuo præerant, cadent in corde maris. Nota; quòd Eccleſiæ navis à ſacerdotibus, & Prælatis gubernatur, & ſuppellectilem habent Eccleſiæ, ſcilicet adminiſtrationem Sacramentorum; væ ergo eis, qui neglexerint proprium munus, ſi animæ ob eorum negligentiam ſubmerguntur in vitiis, & in inferno, quia & ipſi corruent in corde maris, ſcilicet inferni. *Ser.1. de rectoribus in addit.* Sed nota, quòd ſubdit hæc graviſſima verba. *Univerſi bellatores tui cum univerſa multitudine tua, quæ eſt in medio tui, cadent in corde maris in die ruina tua:* Ex quibus inferuntur ſequentia monita: Tyrus interpretatur fortitudo, & ideò myſticè diriguntur cuilibet viro forti, ſcilicet exiſtenti in gratia, quæ animæ vires fortificat; iſtique dicitur, quod in die ruinæ ſuæ, quando cadit in peccato mortali experitur totalem ruinam, nam tunc omnes bellatores, cum univerſa multitudine cum ipſo ſtatim cadunt, ſcilicet habitus gratuitos, & omnes actus meritorios perdit, & cum ipſo pereunt: ô qualis infelicitas, ô dies calamitatis, miſeriæ, dies inquam quandò cadit homo in peccato mortali. *Pſalm.118. c.6. v.4.* Et hinc Propheta concludit hoc capitulum tali pacto; Ad nihilum deducta es, & non eris uſque in perpetuum, velut legunt ſeptuaginta, uſque in ſæculum, quia talis anima amittendo Deum, & gratiam ad nihilum redigitur, nec ſine ſpeciali miſericordia Dei poteſt reædificari in priſtinum ſtatum.

CAP. XXVIII.

179. *Superbus ſe Deum contra Deum reputat.*

DIC Principi Tyri, eo quod elevatum eſt cor tuum, & dixiſti Deus ego ſum, & in cathedra Dei ſedi in corde maris, cum ſis homo, & non Deus, & dediſti cor tuum, quaſi cor Dei. Vide ad qualem ſuperbiam elevatus fuerat Princeps Tyri, exiſtimans ſe veluti Deum, & ideò à Deo præcipitatus eſt in totalem ruinam: nec hoc mirum: nam ſuperbus in cathedra peſtilentiæ ſedens in honoribus ita extollitur, ac ſi nullus ſit Deus, imò ac ſi ipſe Deus ſit: ô quot in honoribus ita ſe extollunt contra Deum, qui ſicut honore alios præcedunt, ſic & crimine, & peſtilentes toti mundo ſiunt. *Serm.1. in Cathedra in addit.* Et quia inter omnia vitia hoc ſummè Deo abominabile eſt, ideò ſubdit Deus, quia elevatum eſt cor tuum quaſi cor Dei; idcircò ecce ego adducam ſuper te alios robuſtiſſimos gentium, &c. ſcilicet in poſſeſſionem Dæmonum traditur ſuperbus, & à Deo ad nihilum redigitur. *Luc.c.14.v.11.*

180. *Suſurratio fuit cauſa præcipitii Luciferi, & omnia mala ſuſurroni affert.*

In multitudine ſapientia tua, & in negotiatione tua multiplicaſti tibi fortitudinem, & elevatum, eſt cor tuum in robore tuo; idcircò ecce adducam ſuper te alienos, &c. Nota, quod hæc à Deo dicta ſunt Lucifero, & itidem diriguntur imitatoribus diaboli, ſed quænam fuit hæc multitudo ſapientiæ, & negotiationis ſuæ, ex qua præcipitium ipſi à Deo immiſſum eſt: negotiatio hæc fuit ſuſurratio, quæ ortum habuit in Cœlo quando recuſans Deum recognoſcere, negotiatus eſt, ut alios Angelos ſecum traheret, hinc in hac negotiatione ruinam, & totale præcipitium invenit: Idem, & dicitur cuicumque ſuſurroni, qui à Deo maledictus in Eccleſiaſtico declaratur, quia ſicut hoc vitium turbavit pacem in Cœlo, ſic in terra tollit unitatem, & concordiam, & bella, & rixas movet. *Serm.1. Dom. in oct. Paſcha. Luc.cap.14. verſ.11.*

181. *Angelus, & anima rationalis eſt nummus, in quo inſculpta eſt imago Trinitatis.*

Tu ſignaculum ſimilitudinis, tu ſigillum ſimilitudinis, legit Hebræus, *plenus ſapientia, & decore perfectus*; Quid eſt ſignaculum, &c. hoc eſt Angelus, & anima rationalis, verè nummus, & ſigillum, in quo inſculpta eſt imago ſanctiſſimæ Trinitatis; hoc ſigillum examinabitur in morte an ſit deturpatum per peccatum, an perfectum. *Luc. cap. 15. v.8. & op. Compen. Theol. lib.1.c.6.*

182. *In Angelis malis remanſit ſapientia ipſis à Deo in principio indita*; Unde de Lucifero dicitur; Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientia. *Lib.2. d.3.p.2.a.2. q.1. & d.7. p.2. art.3. per totum.*

183. *An Angelus, & primus homo creati fuerint cum gratia ſanctificante.*

Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientia, & perfectus decore in deliciis Paradiſi fuiſti: omnis lapis pretioſus operimentum tuum, &c. Loquitur Propheta cum Rege Tyri, ſcilicet cum Lucifero Principe ſuperbiæ, exprimens dona, quibus à Deo cumulatus eſt, & primò deſcribit imaginem Trinitatis in eo inſculptam, ſicut & in anima rationali hominis; deindè ſapientiam, cum

qua creatus eſt, & inde ſubdit perfectus decore, ſcilicet divinæ gratiæ; ergo videtur, quòd fuerit creatus cum gratia ſanctificante, ſicut & homo; ſed reſpondetur, quòd utraque pars, ſcilicet affirmativa, & negativa eſt probabilis, ſed probabilior eſt negativa, quia ſi habuiſſet gratiam gratum facientem, cum hæc immediatè uniat cum Deo, & in Angelo nullum ſit retardativum, ſic immediatè unitus eſſet Deo, nec unquam peccaſſet: Decor autem hic de quo loquitur Propheta, eſt gratia multiplex gratis data ei, & diſpoſitiva ad gratiam gratum facientem: hoc tamen non eſt dicendum de primo homine, qui creatus eſt cum gratia gratum faciente, ut poſſet reſiſtere malo, & proficere in bonum. *Vide lib. 2. d. 4. art. 1. qu. 2. & lib. 2. d. 29. artic. 2. q. 1. & 2.*

184. *Sæpè magna gratia eſt non habere gratiam.*

Tu ſignaculum ſimilitudinis, &c. ecce ejeci te de monte ſancto meo, &c. Vide à quanta altitudine, in quantam miſeriam cecidit Lucifer, qui tot cumulatus donis à Deo, in ſuperbiam ſe erexit, & ideò in profundum miſeriæ, & damnationis cecidit, ut videas quòd in multis iſtæ gratiæ exteriores ſua culpa ſunt occaſio præſumptionis, & quòd ſæpè magna gratia Dei eſt non habere gratiam, & talia dona. *Luc. c. 10. v. 19.*

185. *Prælatus ſit ſigillum Dei.*

Tu ſignaculum, vel ſigillum ſimilitudinis, plenus ſapientia, perfectus decore. Hoc dicitur à Propheta Regi Tyri; hoc etiam dirigitur omnibus Prælatis; debent enim eſſe veluti ſigillum, & ſicut in ſigillo ſunt imago, & litteræ, ſic in Prælato debet eſſe ſancta, & exemplaris vita, & ſcientia, vel ſapientia Dei, ut poſſit alios informare, velut ſigillum informat ceram, & ideò addit plenus ſapientia, & decore, ſapientia interius, & decore exterius. *Ser. 4. Dom. 2. Quadrag. & ſer. 2. Dom. 1. poſt oct. Paſchæ.*

186. *Sanctus Pater Franciſcus fuit ſigillum Chriſti crucifixi.*

Tu ſignaculum ſimilitudinis plenus ſapientia, & perfectus decore. Quis inter homines fuit tale ſignaculum, & ſigillum niſi Sanctus Pater Franciſcus in corpore, & in anima; nam in corpore fuit ſigillum, in quo impreſſa fuit imago crucifixi cum ſuis vulneribus, in quo non eſt inventus ſimilis illi, fuit & in anima ſigillum, in quo impreſſa fuit ſapientia cœleſtis, plenus enim fuit ſapientia, & perfectus decore; nam virtute talis ſapientiæ infuſæ habuit ſapientiam ſui ſtatus, & corda aliorum cognovit, & futura præcognovit, perfectus fuit decore virtutum, & donorum cœleſtium: ô concedat nobis fratribus minoribus, ut ſuper cor, & animam imprimatur hoc ſigillum per amorem ad ipſius imitationem. *Ser. 1. & 3. de S. Franc. in addit. & ſer. Dom. 17. Pent.* Ex quibus patet, quàm meritò, locus in gloria Lucifero deſtinatus eidem Sancto Franciſco fuerit à Deo donatus.

187. *In Anima quale ſigillum imprimendum.*

Tu ſignaculum ſimilitudinis. Hoc dicitur omnibus nobis, ut curemus, quòd in ipſa imprimatur hoc ſigillum; & nota, quòd ſigillum perfectum importat imaginem, & litteras: ſic debent eſſe cum imagine Spiritus Sancti, quæ eſt charitas, litteræ ſcilicet bona opera, quia bona opera ſine hac imagine charitatis ad nihil valent. *Serm. 8. in Pent.*

188. *Anima qualiter in deliciis Paradiſi poſſit in hac vita eſſe.*

In deliciis Paradiſi Dei fuiſti. Quomodo dicitur de Lucifero, quòd fuerit in deliciis Paradiſi, ſi Paradiſi gloriæ non particeps fuit? Sed hoc dicitur; vel quia in gratia conditus fuit, vel ſaltem in ſtatu innocentiæ, cum cognitione Dei; & hinc rectè applicari poteſt animæ in gratia exiſtenti, quia gratia Paradiſus eſt Dei afferens ſecum amœnitatem, & delitias ex cognitione, & amore Dei, & ejus fruitione; ô felix anima, dum gratiam Dei in ſe continet. *Lib. 2. d. 17. dub. 2. & ſerm. 3. Dom. 4. Epiph. & op. Diat. tit. 5. c. 2. & op. ſpec. B. Virg. lect. 14. op. de 7. itin. æternit. itiner. 7. d. 3. ſermin. 4. Dom. Trinit.*

189. *Veſtis animæ pretioſa quænam, & item quænam ſordida.*

Omnis lapis pretioſus operimentum tuum; ſardius, topaſius, &c. Ecce quomodo dicitur anima exiſtens in gratia perfecta decore, quia ſcilicet induta, & ornata apparet coram Deo indumento, lapidibus pretioſis contexto, nempe virtutibus Theologalibus, & Cardinalibus, quæ repreſentantur in lapidibus pretioſis hic enumeratis: è contra ſpoliata divina gratia etiam remanet privata tali pretioſo indumento, & coöperta ſordido amictu, ob quem ejicitur à facie Dei; Unde dicitur: *Ecce ejeci te de monte Sancto meo. Pſalm. 103. ſer. 2. Dom. 2. poſt oct. Paſchæ. ſerm. 3. Dom. 19. Pent. ſer. 3. Dom. 20. Pent. ſer. 2. Dom. 2. poſt oct. Paſchæ. op. Diat. tit. 10. c. 5.*

190. *Sicut ob ſuperbiam ejectus eſt è Cœlo Lucifer; ſic & quilibet ſuperbus à Dei facie ejicitur;* Unde cuicumque ſuperbo dicitur. *Ecce ejeci te de monte ſancto meo, & perdidi te.* ô caveat; & liberet nos Deus ab hac peſte. *Serm. 4. Dom. 2. poſt Epiph. & ſer. 1. Dom. 3. Quadrag. & ſer. 2. Dom. 3. Pentec; Luc. c. 10. v. 19. & c. 14. v. 11.*

191. *Quo quis ſanctior, & donis ornatior, eo humilior, ſit ne ſit veluti, Lucifer, & deprimatur à Deo in profundum miſeriæ.*

Et elevatum eſt cor tuum in decore tuo, perdidiſti ſapientiam tuam in decore tuo, in terram projeci te, ante faciem Regum dedi te, ut cernerent te. Quomodo dicitur, quòd cor Luciferi elevatum eſt in decore ſuo? nonne & ipſe à Deo ſuper omnes Angelos elevatus fuit? nonne ſpecioſior, & donis ditior factus fuerat? ô attendant hæc illi, qui à Deo donis elevati ſunt: Lucifer quidem fuit virtutibus, & donis, & decore à Deo elevatus, ſed ipſe non attendens ad ſuam originem, qui de

nihilo factus fuerat, qui à Deo ſpeciali privilegio elevatus fuerat; aſpexit ad decorem ſuum, ad ſuam pulchritudinem, ad operimentum lapidum pretioſorum, ſcilicet donorum, quo ditatus erat, in ſuperbiam elevatus eſt; & quia ſuperbiam ſequitur humiliatio, & dejectio, ideo ſtatim ejectus eſt de ſede nobilitatis ſuæ ſolio, in locum extremæ vilitatis, & quæ fuerat inter Angelos excellentiſſimus, factus eſt inter Dæmones miſerrimus: ô quanti ſunt hodie Luciferiani, & imitatores Luciferi, filiæ ſuperbiæ, quos patienter tolerat Dominus: Tu ergo ſerve Dei erige mentem tuam ad Deum, & conſidera ipſum auctorem omnium bonorum, debeſque omnia Deo attribuere, & nihil tibi; non enim fortitudo tua, aut robur manuum tuarum fecit bona, quæ habes, quia Dominus fecit nos, & non ipſi nos; ſicque deſtrues ſuperbiam à corde tuo: quò enim quis ſanctior, eo debet eſſe humilior. *Opuſc. de Perfectione vitæ cap. 2. Luc. cap. 10. verſ. 19. & c. 14. verſ. 11.*

192. *Caveant ſervi Dei, & præcipuè ſacerdotes à negotiationibus Luciferi, ne polluant ſanctificationem ſuam: Ubi etiam de periculis mercatorum.*

In multitudine negotiationis tuæ repleta ſunt interiora tua iniquitate, & peccaſti, &c. & infrà: *in multitudine iniquitatum tuarum, & iniquitatum negotiationis tuæ polluiſti ſanctificationem tuam; contaminaſti ſancta tua, legit Hebræus, &c.* Nota quòd repetit ſacer textus negotiationem Luciferi, per quam polluit ſancta ſua, ſcilicet cor ſuum, quod priùs erat ſanctum donis gratuitis; ſed quænam eſt iſta negotiatio tam à Deo inculcata, jam ſuprà dictum eſt hanc negotiationem fuiſſe ſuſurrationem, per quam traxit alios Angelos ad rebellandum ſe Deo, negotiatio item peſſima fuit Luciferi, qua conatus eſt ſpiritualia dona, commutare in temporalia, ſcilicet ad ſui delectationem, non in honorem Dei: Hæcque myſticè diriguntur ad ſacerdotes, & Religioſos Deo ſacratos, qui dona ſpiritualia à Deo recepta, & cum ſacrorum ordinum eminentiam acceperint, Sanctæ Religionis officium in commercium terrenæ negotiationis vertunt, implicantes ſe negotiis ſæcularibus; & quia talis negotiatio eſt peſtis abominanda, ideò tali negotiatione, & peſte polluunt ſancta ſua, polluunt inquam, & vilificant ſublimitatem ſui ſtatus, Deum offendunt graviter, & ideò juſto Dei judicio ab ipſo deprimuntur, & tandem in Infernum detruduntur. *Luc. c. 19. v. 13. Ioan. collat. 13. ſer. 1 de dedicat. & ſer. 4. Dom. 2. poſt oct. Epiph.* Nota etiam, quòd hic exprimitur periculum mercatorum, qui ut plurimum replentur iniquitatibus ob negotiationes ſuas fraudulentas: *ſerm. 4. Dom. 2. poſt oct. Epiph. vix enim mercatores ſalvantur, ait S. Joan. Chryſoſt.*

193. *Peccatum excæcat, & confundit ſcientiam, & cognitionem intellectus, ut in Dæmonibus.*

Perdidiſti ſapientiam in decore tuo. Quomodo hoc dicitur de Lucifero, cum certum ſit naturalia integra remanſiſſe, & conſequenter etiam ſapientiam; ſed attende, quod dicit ſapientiam perdidiſti, ideſt non dicit ſcientiam, ſed ſapientiam, ideſt ſcientiam de Deo cum ſapore amoris in Deum: Notandum autem diligenter, quòd judicium eſt duplex; aliud cognoſcendorum, quod eſt veri ſub ratione veri, aliud agendorum, quod eſt boni ſub ratione boni; primum eſt intellectus ſpeculativi, nec ſpectat ad liberum arbitrium: ſecundum eſt intellectus practici, & eſt pars liberi arbitrii: In Angelis malis primum judicium remanſit quidem integrum quantum ad ſubſtantiam potentiæ, ſed tamen per culpam aliquo modo obnubilatum eſt, quia errant frequenter in judicando de multis, & in multis decipiuntur, maximè cum judicant de contingentibus: Aliud judicium in eis omninò eſt ſubverſum, & ob id omnino excæcati ſunt, & quantum ad affectum facti ſunt obſtinati & propter hoc dicuntur tenebrarum Principes, ex quibus infertur, quod peccati proprium eſt excæcare, & obnubilare etiam ſapientiſſimos homines, unde non eſt mirum, quod ſicut Dæmones, ſic & homines etiam docti, ſed vita peſſimi, ut plurimum errent in judicio maximè practico, obliti eorum, quæ ſunt ſuæ ſalutis, & beneficiorum Dei. *Lib. 2. d. 7. p. 1. a. 1. q. 1. & 2.* Cæcitas autem mentis maximè advenit homini ob carnis voluptates, ob ſuperbiam vanitatis, & ob infidelitatem mentis. *ſer. 5. Dom. Quinquag.*

194. *Dæmones, & iniqui imitantur bonos in perniciem ſuam, & aliorum; Ubi de Dæmonum prælatione.*

Ecce ejeci te de monte ſancto meo. De quo monte? de monte Prælationis: hinc diſquiritur an in Angelis malis ſit prælatio, ſicut in bonis: & reſpondetur, quod inter Dæmones conſervatur adhuc prælatio voluntaria, quia filii tenebrarum quodammodo conantur imitari, licet falsè, & imperfectè, filios lucis, ideò inter ſe ſervant prælationem, & ſubjectionem ad hoc, ut majorem ſtragem faciant in homines. *Lib. 2. d. 6. q. ult.* & hoc perverſi homines idem faciunt, ut majora maleficia ſecutiùs patrent. *Luc. c. 16. v. 8.*

195. *Qualem ignem ferat ſecum Diabolus.*

In multitudine iniquitatum tuarum polluiſti ſanctificationem tuam; producam ergo ignem de medio tui, qui comedat te. Nota, quòd hæc dicta ſunt à Deo Lucifero, quæ excitant quæſtionem Theologicam, an Dæmones portent ſecum ignem infernalem, & ubique crucientur; & reſpondetur, quod in hoc diverſificant Doctores; unde dicendum, quod vel Deus Dæmonibus alligavit ignem infernalem, ut ſecum illum circumferant, & perpetuo crucientur, ſicut cruciantur damnati in Inferno, vel quia ſemper ardent flamma vitiorum, ſcilicet iræ, invidiæ, ſuperbiæ,

ſupetbiæ, aliorumquè vitiorum, quibus perpetuò iorquentur; viiia enim ſunt ignis iorquens animam. *Lib.2.d.6.a.2.qu.2.*

196. *Peccatum mortale ſecum in corde peccatoris portat ignem.*

Producam ergò ignem de medio tui, qui comedat te. Nota illam noiam illaiionis, *ergò producam ignem*; ex quo anrecedente? *In multitudine iniquitatum tuarum polluiſti ſanctificaiionem tuam*; Vide quomodo Deus ex peccaio moriali eruit ignem, & ipſum producit, & collocat in corde peccaioris, ſed quis iſte ignis? ecce qualem ignem; ignem vitiorum reſidentium in corde peccaioris: ignem item vermis, & ſynderesis rodentis, & veluti conſumentis cor, unde exiſtens in peccato ſimilis eſt damnatis, qui in igne perpetuo cruciantur; ô qualis infelicitas peccatoris. *Lib.2.d.6.cit.& lib.4.d.50.p.2.a.2.& op. comp. Theol.lib.3.c.7.& Pſal.118.c.4.v.13.*

197. *Peccatum eſt nihil, & in nihil redigit peccantem.*

Nihili factus es, & non eris in perpetuum; hæc dicit Deus Lucifero, ſed qua veritate; nam etiam Lucifer remanſit in eſſe poſt peccatum, nec in nihil redactus eſt? ſed attende, quòd non loquitur de eſſe naturali, & ſimpliciter, ſed de bene eſſe; nam eſſe proprium eſt, quòd ordinem retinet, ſervatque ſuum ſtatum, cum autem peccatum mortale ſit privatio rectitudinis, & ob id nihil boni eſſe; hinc ſequitur, quòd qui à Deo per peccatum ſe ſeparat in nihil redigitur, nec enim retinet intrinſecè aliquod boni eſſe gratiæ. *in Ioan.c.1.v.3.*

198. *Sperans in Deo habitat etiam inter flagella, & malos ſecurus, quia habet Deum adjutorem, & protectorem, & conſequenter omnia bona*, nec aliquid ipſi poteſt deeſſe; ideò dicitur hic; *& habitabunt in ea ſecuri, &c. op. de ſex alis Cherubim.*

CAP. XXIX.

199. *Chriſtus abſtulit poteſtatem diabolo.*

ECCE ego ad te Pharao Rex Ægypti draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, ponam frænum in maxillis, &c. Ad litteram Propheta prædicit deſtructionem Regis, & regni Ægypti; myſticè iſte Rex, & draco eſt diabolus, contra quem prædicit Propheta, quòd Chriſtus veniet, & ponet frænum maxillis ejus, auferens ei poteſtatem, quam diram exercebat in genus humanum, ſicut per Paſſionem ſuam aliqualiter fecit, & poſt diem univerſalis Reſurrectionis perfectè faciet. *Lib.1.ſent. in prol.*

200. *Locus diaboli eſt flumen.*

Qui cubas in medio fluminum tuorum. Quænam ſunt iſta flumina, in quibus cubat diabolus? Iſta ſunt loca concupiſcentiæ, ubi eſt carnalitatum defluxus: In carnalibus ergò, & voluptuoſis habitat, & cubat libenter diabolus. *in Luc.c.11. verſ.24.*

CAP. XXX.

201. *Fidelis Deus in ſuis promiſſis.*

ET ſcient, quia ego Dominus locutus ſum. Nota, quòd hoc caput totum refertum eſt variis comminationibus flagellorum factis toti Ægypto, & in fine unicuique addit hæc verba, *& ſcient, quia ego Dominus, & hic, & ſcient quia ego Dominus locutus ſum*, ut pateat, quod Deus fideliſſimus eſt in ſuis promiſſis; & quòd potius cælum, & terra tranſibunt, non autem verba, & promiſſiones ejus, & iterum; quòd quidquid ad extrà operatur, totum ordinat, ut ipſe Deus, & Dominus Cœli, & terræ dignoſcatur, & ut omnes homines ei ſubditi perfectè ſint, & cognoſcant ſuam fidelitatem in promiſſis. *Op.ſpec.B.Virg.lect.9.*

CAP. XXXI.

202. *Altitudo alia elongat à Deo, alia approximat.*

PRO eo quòd ſublimatus eſt in altitudine, & dedit ſanitatem ſuam virentem, atque condenſam, & elevatum eſt cor ejus in altitudine ſua, &c. juxtà impietatem ejus ejeci eum, &c. Ad litteram loquitur de Rege Ægypti, qui cum haberet omnia proſpera in arrogantiam, & oſtentationem elevatus eſt, & hinc Deus ipſum humiliavit; ſed pro profectu noſtro obſervanda illa verba; ſublimatus eſt in altitudine ſua; quod altitudini ſuæ novam altitudinem adjecit: hoc dicitur, quia multiplex eſt altitudo; alia, quæ Deo placet, & appropinquare facit Deo; eſtque altitudo perfectionis, & contemplationis religioniſque, quæ altitudo acquiritur humiliatione, & depreſſione ſui; quòd ſi huic altitudini homo adjungat altitudinem arrogantiæ, oſtentationis, ſuperbiæ, & ambitionis, quia non poſſunt iſtæ altitudines ſe ſimul compati, ſic non ad Deum approximabitur, ſed deijcietur in profundam à Deo: *in Luc.c.16.v.15.* Et hinc concludit ſacer Textus. *Ecce deductus es cum lignis voluptatis ad terram ultimam*, ſcilicet ad Inferos, propter tuam ſuperbiam, Terra ultima dicitur Infernus, quia eſt locus infimus terræ. *In ſap. cap.1.*

CAP. XXXII.

203. *Retia Chriſti, & diaboli qualia.*

H*Æ C dicit Dominus Deus expandam rete meum ſuper te in multitudine populorum, & extraham te in ſagena mea.* Ad litteram hæc dicta ſunt ad Regem Pharaonem, ubi per rete intellexit Propheta exercitum Nabuchodonoſor, qui ſe extendit per totam Ægyptum, & captivavit Regem cum ſubditis; myſticè datur intelligi, quòd Deus habet ſua retia, & diabolus item ſua; retia diaboli ſunt concupiſcentia carnis, vanitas temporalis mundi, tentationes, ſuggeſtiones, & deceptiones, mulieres pravæ, quas tendit diabolus ſuper homines, ut ipſos in ſagenam ſuam concludat: Habet & Chriſtus ſua retia, ſuntque tribulationes, doctrina cæleſtis, prædicatio, bona exempla, inſpirationes, quæ ſuper homines extendit, ut ipſos in ſagenam ſuam concludat in ſalutem. *Pſal. 67. in Thren.c.1. Pſal.138. In Ioan.c. 21.v.6. ſer.3 fer.4. Pent.fer.4. Dom.11.Pent.fer.4. Dom.4.poſt Pent.*

204 *Luxuria fætor corrumpit animam & corpus.*

Et irrigabo terram fætore ſanguinis tui ſuper montes, & valles implebuntur ex te. Hoc dicit Propheta explicans effuſionem ſanguinis ex occiſione Ægyptiorum; ſed myſticè dat intelligere, quòd in Ægypto, ſcilicet in mundo fætor luxuriæ extenditur, & corruptionem ſpiritualium virium affert animæ. *Pſal.118.c 6.v.7.* Dat igitur intelligere, quòd luxuria inficit corpus, & animam luxurioſi, fætoremque ubique immittit, & ſimul enervationem, non ſolùm in corpore, ſed & in anima corruptionem virium ſpiritualium affert; ô grande malum luxuria.

205 *Sol nube tectus apparuit in Incarnatione*; undè hic ait, ſolem nube tegam; alioquin qui habitat lucem inacceſſibilem à nobis non potuiſſet videri, ideò *Verbum caro factum*, & ut carne contectum poſſimus videre gloriam ejus. *Ioan.c.1. v.14.& op.de dono ſap.c.5.*

206. *Ad obſcurationem Prælatorum nigreſcunt etiam ſubditi.*

Operiam Cælum, & nigreſcere faciam ſtellas ejus, ſolem nube tegam. Nota, quòd hic cum ſolis obnubilatione copulat etiam ſtellarum obſcurationem; & per hoc datur intelligi myſticè, quòd quando ſol obſcuratur, ſcilicet Prælatus per vitæ ſcandala, etiam ſubditi nigreſcunt per imitationem. *Op.Eccleſ.Hier.p.4.c.1.*

207. *Potentes potenter tormenta in Inferno ſuſtinebunt.*

Unde loquens de damnatis dicitur, quòd *loquentur ei potentiſſimi robuſtorum de medio inferni*; ſcilicet cum Pharaone ad Infernum damnato loquentur alii, qui in vita fuerunt potentes, ſcilicet ululabunt, plangent, & ſimul patientur, quia erunt pares in tormentis, dicuntur autem damnati Reges, & Principes etiam in Inferno exiſtentes potentiſſimi, quia potentiſſimè, & dirius ſubditis ipſi puniuntur in Inferno pro ſuis, & ſubditorum peccatis. *Sap.c.6.*

208. *Damnatio peccatorum expenditur cum Lucifero, & Dæmonibus.*

Ibi Aſſur, & omnis multitudo ejus &c. quorum data ſunt ſepulchra in noviſſimis lacus, &c. Nota, quòd hic exprimit ſacer textus damnationem Regis Aſſiriorum Ægypti, & aliorum, qui ſepulti fuerunt in Inferno, & notanter nominat Aſſur, id eſt luciferum cum ſuis ſequacibus. Pharaonem ſignificantem hæreticos, interpretatur enim denegans; item alios Principes, ſcilicet Ælam, quod interpretatur ſuperliminare, ſignificatquè luxurioſos, quorum o[illegible]n ad infernum eſt ſimplex fornicatio, poſte[illegible]nt adulteria; ſuperliminare peccatum contra naturam: Item Moſoch, quod interpretatur capiens ſignificans ſcandaloſos, verbis & factis capientes animas diabolo: Item Thubal, quod interpretatur deferens, & ſignificat Apoſtatam & malum Religioſum: Item Idumæam, quòd interpretatur ſanguineus, ſignificatquè homicidas, & cooperatores homicidii: Item Principes Aquilonis, ſcilicet omnes exiſtentes in peccato mortali, hi omnes ſepelientur cum diabolo in Inferno. *Ser.2. Dom.4.Pent.& ſer.5.Dom.ſeptuag.& ſer.1.Dom.16.Pent.*

CAP. XXXIII.

209. *Prælatis imputantur à Deo peccata ſubditorum, & quomodo: Ubi de obligatione correctionis.*

S*I ſpeculator non fuerit locutus, ut ſe cuſtodiat impius à via ſua, ipſe impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinem autem ejus de manu ſua requiram.* Nota, quòd iterum Spiritus Sanctus per Prophetam repetit obligationem, quam habent Prælati zelandi honorem Dei, & ſalutem ſubditorum, & ob id corrigendi peccata ipſorum, & ideò proponit ipſis periculum graviſſimum propriæ damnationis, ſi non arguerint, ſi non correxerint, ſi non emendaverint pro poſſe abuſus, & exceſſus ſubditorum, ex hoc, quòd omnia peccata ſubditorum, quæ poterant, & debuerant correxiſſe, & præcaviſſe, imputantur eis: ardeat igitur zelo Dei Prælatus, & caveat primò, ne malum aliquo modo faciat, vel doceat; ſecundò ne licenter, vel concedat quacumque importunitate mollitus; tertiò ne faveat, vel diligat fieri malum etiam ipſo irrequiſito, vel abſente: quartò, ne diſſimulet, vel taceat, &c. ſcilicet ne inultum eſſe patiatur malum. *Op. de ſex alis Seraphin. cap.3.*

210. *Quodcumque peccatum, & peccator in hac vita ſanabilia, & corrigibilia ſunt.*

Dic ad eos: Vivo ego dicit Dominus Deus, nolo mortem impii, ſed ut convertatur impius à via ſua, & vivat: Ex quibus dulciſſimis verbis patet, quòd quodcumquè peccatum abominabile, & quicumque peccator etiam peſſimus eſt ſanabilis, & poteſt, dum vivit in hac vita, converti ad Deum, & ideò de nemine unquàm deſperanda eſt ſalus. Addit hic Seraphicus Doctor textum Canonis Stephan. Papæ quinti 33. *qu.* 2. ubi ex hac Scriptura Pontifex infert, non eſſe licitum cuicumque privato homini aliquem etiam impiiſſimum occidere, quia Deus ipſum ſemper expectat ad pœnitentiam; & hinc Propheta concludit: *Convertimini, convertimini à viis veſtris peſſimis: & quare moriemini domus Iſraël?* quaſi di... nou dubitetis de morte, nec deſperetis de vita, quia nulla eſt vobis cauſa mortis, ſi volueritis verè converti ad Deum. *Op. Confeſſion. cap. 3. p. 16. in ſapient. c. 1. op. Comp. Theol. lib. 6. cap. 21. op. de ſex alis Cherub.* Et hinc ſubdit hæc notabilia verba *verſ. 13. & ſeq. Et ſi dixero juſto vita vivet, & confiſus in ſua juſtitia fecerit iniquitatem, omnes juſtitia ejus oblivioni tradentur, &c.* & è contra *ſi dixero impio, morte morieris, & egerit pœnitentiam à peccato ſuo, vita vivet, & non morietur.*

211. *Chriſtus veluti puer facile pœnitentia placari poteſt.*

Si dixero impio morte morieris, & egerit pœnitentiam à peccato ſuo, feceritquè juſtitiam, & judicium, &c. vita vivet, & non morietur. Ecce qualis benignitas Domini noſtri Ieſu Chriſti in peccatores: hic enim prædicat, quòd data quacumque ſententia de morte æterna inferenda peccatori cuicumque, dum in hac vita vivit, poteſt adhuc pœnitere, & pœnitendo placare Chriſtum, & revocare ſententiam ab ipſo latam; & hoc eſt, quòd toties in ſcriptura Chriſtus vocatur puer, parvulus, infans; ut intelligamus, quod ſicut ſi offendimus puerum, cito, & modico, & pomo, vel ovo ei reconciliamur, ſic & pœnitens poteſt facile puero Chriſto Ieſu pomo pœnitentiæ reconciliari. *Serm. 1. in Epiphan.*

212. *Quanti valeat apud Deum bona voluntas efficax in pœnitente.*

Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die converſus fuerit ab impietate ſua. Nota, quòd dicit impietas impii non nocebit ei, ideſt quæcumque impietas; etiam originalis; ex quo rectè inferunt Theologi, quod cum in parvulo non baptizato, non poſſit valere pro deletione culpæ originalis quæcumque voluntas aliorum, dum actu non recipit realiter baptiſmum; in adulto tamen, dum non poteſt realiter recipere baptiſmum, ei ſufficit bona voluntas efficax, ſcilicet cum dolore peccati; hæcque ei inſervit pro baptiſmo flaminis, & porta ſalutis, ut videas, quanti valeat apud Deum bona voluntas, & pœnitentia. *Lib. 4. d. 4. p. 2. q. 2.*

213. *Qualiter condonatio injuriarum ſuper alia opera bona, facit peculiari modo homines filios Dei.* Unde hic cum Deus promittat veniam petenti ſibi, nobis exemplum dat condonandi injurias petenti nobis veniam: dicit enim: *in quacumque die ingemuerit peccator, &c.* & hinc eſt, quòd condonantes proximo injurias, dicuntur ſpeciali modo filii Dei, ſcilicet per imitationem. *in Luc. c. 17. v. 4.*

214 *Felix illa dies in qua peccator converſus ad Deum ab eo veniam petit.*

In quacumque die converſus fuerit ab impietate ſua, vita vivet, &c. Nota illud verbum, *in quacumque die*; verè dies felix, & beata erit pœnitenti; quia in illa die de morte tranſit ad vitam, & recuperat omnia bona per peccatum priùs perdita; dies inquam felix, in qua ei porta miſericordiæ aperitur, & manifeſtatur divina potentia delens peccata; divina veritas, quæ promittit pœnitenti veniam; & divina bonitas, & charitas delens peccata, & tribuens gratiam, & filiationem donans Dei. *in Luc. c. 18. v. 13. ſer. 2. Dom. infrà oct. Epiph. & ſer. 5. in die Cin.*

CAP. XXXIV.

215. *Prælati, & Paſtores quæ ſua ſunt quærentes, & non quæ ſalutem afferunt ovibus fures ſunt, & latrones: Ubi de obligationibus ipſorum.*

V*Æ Paſtoribus Iſraël, qui paſcebant ſemetipſos: nonne greges paſcuntur à Paſtoribus? lac comedebatis, gregem meum non paſcebatis; quod infirmum eſt non conſolidaſtis; &c. & diſperſæ ſunt oves meæ, &c.* Hæc & alia ſimilia ſcelera Paſtorum populi Iſraël Deus prædicat: quæ ad Paſtores Eccleſiæ diriguntur, ut ſciant qualis ſit ipſorum graviſſima obligatio; & quàm diſtrictè Deus ab ipſis exiget rationem curæ ſuarum ovium: Munus autem boni Paſtoris conſiſtit in paſcendo oves per doctrinam eas inſtruendo, & in dirigendo per viam ſalutis: paſcendo item per gratiam, ſcilicet eas ad pœnitentiam reducendo, per adminiſtrationem item ſacramentorum: conſiſtit ſecundò in defendendo oves à luporum, ſcilicet dæmonum voracitate: unde Paſtor videns oves ſuas in manu diaboli debet toto conatu ipſas ab ipſo liberare: conſiſtit tertiò in cognoſcendo ſcilicet mores, vitam, inclinationeſquè ovium ſuarum: conſiſtit quartò in eas uniendo per charitatem in unum, & ſub protectione Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui eſt Paſtor omnium paſtorum, & ovium, qui ab ipſis, mediante diligentia propria Paſtorum ſibi ſubordinatorum, expectat, & exquirit fecunditatem bonorum operum, lac mundæ affectionis, caſeum bonæ operationis, & lanam honeſtæ converſationis: Væ igitur illis Paſtoribus, qui ſua, non quæ ſunt ad ſalutem ovium, quærunt, qui paſcunt ſemetipſos, & emungunt ſanguinem ovium ad ſe ipſos impinguandum; Væ, illis, qui non congregant oves in cauſam

Chriſti,ſed ipſas diſpergunt malâ vitâ, & exemplo pernicioſo, eas educendo ad viam non ſalutis,ſed perditionis,iſti enim apud Deum ſunt fures,oves Chriſto furantes, pro diabolo mactantes, eas pernitioſè docendo , & perverſè vivendo, & perdentes finaliter eas damnando , quantum in ipſis eſt. *in Luc. c.12. verſ.44. in Ioan. c.10.v.1.& ſeq.ad 15.& c.11.v.1. & collat. 49. & ſer.1.2.& 3. Dom.1.poſt oct.Paſchæ: & in Thren. c.4. Pſal.118.c.10 v.1.& ſer.de S. Petro , & ſer.2. de Prælatis in addit.*

216. *Caveat Prælatus à nimia auſteritate, impatientiaquè.*

Cum auſteritate imperabatis eis , & cum potentia &c.& diſperſæ ſunt oves meæ , eò quòd non eſſet Paſtor. Vide quid eſt , quod à ſtatu Paſtorum aufert ipſos Paſtores : *Vos Paſtores,* ait , *cum auſteritate, & cum potentia imperabatis , & diſperſi &c.eò quòd non eſſet Paſtor*; ut videas , quòd Paſtor regens ſuas oves cum nimia auſteritate ablegans à ſe miſericordiam , & pietatem , exercenſquè ſolùm poteſtatem datam , exuitur veſte Paſtoris , & potiùs lupus diſpergens gregem exiſtimandus eſt : debet igitur medium tenere inter rigorem, & remiſſionem ; & quia hoc medium difficiliter poteſt teneri , minus tamen deviabit ſi ad benignitatis partem plus declinabit , imitans in hoc Principem Paſtorum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ; nam per benignitatem ſubditis redditur magis amabilis , ob quam ei libentius obtemperant & audacius ad eum recurrunt in quibus indigent , & alacriùs imitantur : ipſa auctoritas poteſtatis facit eum ſatis timendum ſubditis , & ſi huic jungitur auſteritatis ſeveritas pavidis fit mentibus oneroſa, in quo tamen charitas ipſi erit magiſtra ; caveat item ab impatientia , quæ reddit Prælatum ſubditis contemptibilem. *Op. de ſex alis ſeraph. c.5.& 7.& op.Expoſ.Regulæ c.7.& 10.*

217. *Prælatorum pietas in infirmos corpore, & ſpiritu qualis eſſe debeat.*

Quod infirmum fuit non conſolidaſtis , & quod ægrotum non ſanaſtis, quod confractum non alligaſtis, & quod abjectum eſt non reduxiſtis , & quod perierat non quæſiſtis O verba ſtylo aureo cordi imprimenda Paſtorum : in quibus dat Spiritus Sanctus intelligere , quòd ſicut amor Dei ad zelum juſtitiæ inflammat, ſic fraterna dilectio ad pietatem eos informare debet , nam & ſi vitiis debetur virga feriens, infirmitati tamen neceſſarius eſt baculus ſuſtentans ; ſic Samaritanus cæleſtis vulneribus illius ſemivivi relicti infudit vinum zeli ferventis , & oleum pietatis mitigantis : Nota autem , quòd hic diſtinguit ſacer textus inter infirmos ſubditos , ægrotos,& confractos; quia multiplex infirmitas corporalis , & ſpiritualis eſt , quæ torquet ſubditos : ægrotatio reſpicit infirmitatem corporalem , quæ eſt triplex, ſcilicet, vel decumbere faciens graviter in lectulo, vel aggravans doloribus , non impedientibus ſurgere à lecto , & deambulare ; vel debilitate gravans , & viribus exhauriens ; hiſquè omnibus tenentur Prælati , maximè Regulares ſuccurrere ſecundum neceſſitates cujuſque : Infirmitas & confractio reſpicit infirmitates ſpirituales ſubditorum , hos omnes ſanare debet Prælatus modò compaſſione , modò ſeveritate. *Op. de ſex alis ſeraph.c.4.ubi fusè hæc materia tractatur.*

218. *Avaritia Prælatorum , & divitum iniquorum eſt mala beſtia devorans ſubditos , & bona eorum :* unde hic dicitur ; *facti ſunt greges mei in rapinam , & oves meæ in devorationem beſtiarum agri , eò quòd non eſſet Paſtor :* & infrà addit: *vos lateribus , & humeris impingebatis , & cornibus veſtris ventilabatis omnia infirma pecora, donec diſpergerentur foras*; per quæ graviſſima verba dat intelligere Deus , quòd ſicut boves pingues macilentos impellunt lateribus , humeris , & corporibus , ſic Prælati & Principes avari , & crudeles divites opprimunt pauperes , ſubditos in rebus , & perſonis eoſque duriſſime tractant, reducendo eos ad extremam miſeriam. *Ser. 2. feria 3. Paſchæ & in Thren. c.1. & Expoſ. Regulæ c.10.& ſer.1.Dom.24.Pent.*

219. *Paſtor tenetur quærere oves perditas exemplo Chriſti :* quia Chriſtus rationem ſtrictiſſimam ab eo de grege ſuo exquiret in judicio ; undè hic dicitur : *Ecce ego ipſe ſuper Paſtores exquiram gregem meum de manu eorum. Luc.c.15.v.4. & c.12. v.48.& op.de ſex alis ſeraph.c.6.& op. Quare Fratres minores prædicent.& Pſal. 118.c. 10.v.1. Ioan. c.10 v.29.*

220. *Viſitatio ovium Paſtoribus impoſita.*

Ecce ego requiram oves meas , & viſitabo eas. Vide quòd exemplo Chriſti Paſtores tenentur viſitare oves ſuas : Chriſtus enim Jeſus viſibiliter voluit viſitare ſuas diſperſas oves per devia vitiorum,& has à morſibus dæmonum ſanguine ſuo liberavit , & eorum vulnera oleo pietatis alligata , & ſanata ad ovile unitatis fidei congregare voluit , & conſolidare multiplici virtute earum debilitatem ; ſic & Prælati debent facere ; ſed ad quid hæc viſitatio eis impoſita ? hæc ordinata eſt ad corrigendum delinquentes, ad excitandum negligentes , ad promovendum operantes,ad conſervandum obedientes , ad adjuvandum pugnantes , ad conſolandum patientes. *In Luc.c.1.v.79.in Ioan.c.10.v.29. & ſerm.1. Dom.1.poſt oct.Paſchæ.*

221. *Paſtores adducere , & educere debent oves exemplo Chriſti ad paſcua uberrima.*

Et educam oves meas de populis , & paſcam eas in montibus Iſraël , & paſcuis pinguibus. Nota, quòd Chriſtus dedit exemplum ut bonus Paſtor ſuis Paſtoribus,ut ſciant , quod eorum munus eſt oves adducere ad ſtatum pœnitentiæ,deducere proficientes de virtute in virtutem ; educere de ſtatu hujus miſeriæ ad ſtatum electorum , & ad paſcua doctrinæ cæleſtis , & inducere in cœlum,ubi ſunt paſcua uberrima. *Serm.2. & 4. Dom.1 poſt oct.Paſchæ & ſer 6. Dom.1. Advent. ſer.1.in Sabbath.S.& ſer.7.Rog.in Luc.c.9.v.18.in Ioan.collat.48.Luc.c.12. verſ.32. & 37.Pſalm.93. Pſal 118.c.9.v.4.& ſer.2. in Feſto omn.ſanctor. in addit.*

222. *Sicut Eccleſia exigit unum Paſtorem, ſic qualibet Religio.*

Et ſuſcitabo ſuper eas Paſtorem unum, qui paſcat eas, &c. Nota, quòd dicit Paſtorem unum; quia nulla Reſpublica ſine uno capite, ſic nec Eccleſia, & Religio; quia omne regnum in ſe diviſum deſolabitur. *Op. Expoſ. Regulæ, cap.8. ſer.22.Hexam.*

CAP. XXXV.

223. *Qualis fueris cum Deo, talis erit tibi Deus.*

HÆC *dicit Dominus, &c. Ecce ego ad te mons Seir, & extendam manum meam ſuper te, & dabo te deſolatum, atque deſertum: Urbes tuas demoliar, &c.* Nota, quòd in hoc capitulo prædicit deſolationem futuram nationibus, quæ contra Iſraelem pugnaverunt, myſticè autem nobis hæc diriguntur, & ſingulis dicitur; *extendam manum meam ſuper te:* quam manum? dexteramne, an ſiniſtram? Regius Propheta deſiderabat, & petebat, ut Deus extenderet manum ſuam dexteram ſuper te: *Salvum fac dextera tua, & exaudi me, Pſalm. 59.* Quomodò ergo hic ad extenſionem manus ſuæ Deus conſequi facit deſolationem, *& dabo te deſolatum, atque deſertum.* Sed attende, quòd duplex manus legitur in Deo, dextera, & ſiniſtra; dextera eſt medium communicandi ſuas gratias, & dona: ſiniſtra, tribulationes, & deſolationes; dicitur igitur extendam manum meam, nec exprimit qualem manum, an dexteram, an ſiniſtram, quia attendit priùs ad extenſionem manuum noſtrarum ad ſe, ſi enim extenderimus manum dexteram ad Dominum benè faciendo, eleemoſynas largiendo, corrigendo vitam noſtram, & ipſe ad nos & ſuper nos extendet manum dexteram largiendo ſua dona, ſi ſiniſtram extenderimus, malefaciendo, Deum pro terrenis contemnendo, & ſuper nos extendet ſiniſtram nos percutiendo, & deſolando. *Serm.1. de S. Andr. in addit. & ſer.2. Dom.23. poſt Pentec. ſerm.2. in Aſcenſ. Vide infrà num. 227.*

224. *Summa infelicitas hominis eſt, quòd tradatur in manus peccati: Ubi de irreverenter recipientibus Euchariſtiam.*

Vivo ego dicit Dominus Deus, quoniam ſanguini tradam te; & ſanguis te perſequetur: quid eſt hoc, quod minatur Deus peccatori? qualis perſecutio eſt hæc ſanguinis; *Sanguis te perſequetur?* Sed attende, quòd nomine ſanguinis venit peccatum, & præcipuè luxuria: & dicitur ſanguis, quia mortem portat & occidit animam; & quia ſtatus peccatoris, malignitas, & ſervitus peccati eſt pejus omni malo, & ſummum omnium malorum, hinc etiam ſummum omnium flagellorum, quæ homini poſſit

immittere, & permittere, & quando peccatorem in manu, & ſub malignitate peccati committit; & ad hoc alludebat Chriſtus *Ioan. c.8.* dicens: *omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati:* Nota quòd dicit ſervus non hominis, ſed peccati: ô miſerabilis ſervitus ſubjici malignitati, & crudelitati peccati; ſervus enim hominis duris imperiis fatigatus, aliquando requieſcit; ſervus peccati, quo fugit ſecum trahit ſe quocumque fugerit, non fugit ſeipſam conſcientia mala, non eſt, quo eat, ſequitur ſemper, non recedit à ſe. *Ioan. c.8.v.39. ſerm.2. in Paraſc. Pſalm.127. Ubi de feritate, & crudelitate peccati in hominem.* Nota etiam; quod hic textus applicatur ab aliis Expoſitoribus contra illos Chriſtianos, maximè ſacerdotes; qui corpus, & ſanguinem Chriſti contemnunt, indignèque ſuſcipiunt; contrà quos ſanguis Chriſti clamat vindictam. *Vide op. Confeſ. c.5. in fine. op. de præpar. ad miſſ.*

225. *Religionum, & Religioſorum perſecutores à Deo ſeveriſſimè puniuntur.*

Audivi univerſa opprobria tua, quæ locutus es de montibus Iſraël dicens; deſerti nobis dati ſunt ad devorandum; & inſurrexiſtis ſuper me ore veſtro, & derogaſtis adverſum me; verba veſtra ego audivi, hæc dicit Dominus Deus, lætante univerſa terra; in ſolitudinem redigam te, &c. Notandum, quod myſticè hæc à Sanctis exponuntur de perſecutoribus; & obloquentibus contrà Religiones, & Religioſos, & Clericos, quaſi ſint deſerti, ſcilicet gens inutilis poſita ad devorandum bona temporalia, ad comedendum, & bibendum, quæ dicteria, oblocutiones, detractiones, & perſecutiones Deo valdè diſplicent, cum religiones ſint verè montes habitati à juſtis Deo ſervientibus, & ideò contra iſtos Deus minatur totalem deſolationem: ô quàm verum, nam Deus ſeveriſſimè punit tales impios, & hoc eſt, quod revelavit Chriſtus Sancto Franciſco: Benefactores tui ordinis remunerabuntur in hac, & alia vita; Malefactores punientur ſeveriſſimè in hac, & alia vita: ſunt enim oculi Chriſti, & Eccleſiæ, & ideò qui eos tangit, tangit pupillam Chriſti. *Vide libell. Apologetic. opuſc. Apol. Pauper. & Dist. tit. 7.c.5. & ſer.4. Dom.2. Quadrag.*

CAP. XXXVI.

226. *Religiones, & Religioſi ſint montes Iſrael ſibi, & aliis fructificantes.*

HÆC *dices: Montes Iſraël audite verbum Domini Dei: ramos veſtros germinetis, & fructum veſtrum afferatis populo meo Iſrael.* Nota, quòd hic non eſt ſermo ad montes materiales, ſed ſpirituales, qui

erant in terra promiſſionis : & iſti ſunt Religioſi, & Religiones, quæ in Eccleſia ſublimatæ ſunt à Chriſto, & dicuntur montes Iſraël, quod interpretatur videns Deum, quia mediante oratione, contemplatione, & divinarum laudum perſolutione continuè vident Deum, Iſtis præcipitur, ut germinent, frondeant, ramos expandant, & fructus faciant ad cibandum totum populum Iſrael; ideſt expandant ramos ad vagantis populi congregationem per divini verbi prædicationem, & bonorum operum multiplicationem : floreant per odoriferi exempli oſtenſionem, folia emittant per diſcretam, & ſanctam locutionem, vireſcant per internam devotionem, & fructus faciant per ſuæ, & proximorum ſalutis acquiſitionem; ſic enim erunt mons Dei, mons pinguis, mons in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo. *Serm.4. Dom. 2. Quadrageſ. Sapien. cap.15.*

227. *Felix ille, ſuper quem levat Dominus dexteram : Infelix, ſuper quem levat ſiniſtram.*

Ecce ego levavi manum meam, ut gentes, quæ in circuitu veſtro ſunt, ipſæ confuſionem ſuam portent. Quid eſt levare manum Dei ? levavi manum meam ? ſed attende, quòd duplex manus Chriſti, dextera, & ſiniſtra : dexteram levat, cum benedictionem dat, in Aſcenſione elevatis manibus benedixit ſuis diſcipulis : ſiniſtram levat ſuper præſcitos ad percutiendum, & quò altiùs levat, tantò fortiùs percutit : ſic & levavit manum hanc ſiniſtram in hoſtes populi ſui : caveat nos Deus à tali levatione, quæ affert ſecum præcipitium. *Ser.2. in Aſcenſ.*

228. *Viæ, & opera luxurioſorum immunda, & abominabilia coram Domino.*

Domus Iſraël habitaverunt in domo ſua, & polluerunt eam in viis ſuis, &c. De Iſraëlitis hic ad litteram conqueritur Deus, eo quod in omnia ſcelera, & maximè luxuriæ, & Idololatriæ, præcipitaverunt : myſticè de Chriſtianis, & maximè illis, qui ſunt de domo Iſraël, ſcilicet Religioſis, & Clericis loquitur, quorum multi in varia peccata, & maximè luxuriæ abſorbentur, de iſtis dicit ; quòd licèt exteriùs appareant boni, tamen quia viæ, & ſtudia, & opera eorum, licet occulta, ſunt iniqua, ideò ſunt & ipſi, & opera Deo abominabilia, velut pannus menſtruatæ ; & hinc eſt, quòd Deus effundit propter tales abominationes indignationem, & flagella ſuper eos, & ſuper populos. *Pſal. 118. c. 2. verſ. 10. ſap. c. 2.*

229. *Chriſtus de Cruce congregat ſub ſe gentes de omnibus partibus terræ, & inde omni ſtatu, & ætate.*

Et ſanctificabo nomen meum magnum, &c. Tollam vos de gentibus, & congregabo vos de univerſis terris, & adducam eos in terram veſtram. Ad litteram hæc eſt Prophetia de reductione Iudæorum captivorum in terram Iſraël ; allegoricè de reductione Iudæorum ſub vexillo crucis in fine Mundi ; moraliter dat intelligere, id, quod quotidie facit Chriſtus in Eccleſia, qui in crucem actus, & ſanctificatus per paſſionem ſuam nomine Jeſu ſtudet continuè, & inceſſanter reducere peccatores diſperſos de quatuor partibus terræ ſub ſuo vexillo ; quatuor autem partes terræ ſunt quatuor ætates terrenorum, de plaga orientali veniunt ad Chriſtum, qui in pueritia convertuntur ; de auſtrali, ſeu meridionali, qui in fervore juventutis Domino ſervire incipiunt; de occidentali, qui in ſenectute, per quam ad occaſum tendunt : de aquilonari, qui ſemper frigidi, in extrema tamen hora convertuntur, ſicut latro in Cruce ; ut videas, quòd Chriſtus è Cruce vocat omnes, & omnes ad ſe venientes recipit, de quocumque loco, ſtatu, & ætate abſque acceptione perſonarum. *Serm. 3. Dom. 4. poſt oct. Epiph.*

230. *Chriſtus ſanguine ſuo emundavit, & emundat multipliciter homines à multiplici contagione peccatorum.*

Et effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris. Qualis eſt hæc aqua tam efficax ad mundandum ab omni inquinamento ? poteſtne dari aqua, quæ ſit medicamentum univerſale omnium infirmitatum ? maximè : hæc aqua eſt ſanguis Chriſti à ſuo corpore fuſus ; dicitur aqua, quia habet vim mundandi : & ideò balneum ſanguine ſuo nobis præparavit in baptiſmo, ad purgandum homines à culpa originali : item in Sacramento pœnitentiæ, & cæteris, per quæ mundatur homo ab omni inquinamento ; ſed attende pulchrum myſterium : datur vitium unum, quod eſt omne inquinamentum, & hoc eſt vitium cupiditatis, & avaritiæ, quod eſt radix omnium aliorum ; ab hoc omni inquinamento emundat Deus per dulcorem ſpiritualis lætitiæ, & gratiæ ; ô quanta benignitas ſalvatoris noſtri. *Sermon. 2. Dom. 2. Epiph. ſermon. 1. Dom 3. Epiph. ſer. 4. & ſerm. 10. in Pentec. ſerm. 3. in dedic. Luc. c. 3. v. 3. & c. 4. v. 27. & cap. 7. v. 23. in Ioan. collat. 21. & 59.*

231. *Cor novum requiritur ad recipiendum divitias, & delitias ſpirituales, quòd maximè dicitur pro Religioſis; ubi de miſſione Spiritus Sancti in animam, maximeque in die Pentecoſtes.*

Et dabo vobis cor novum, & ſpiritum novum ponam in medio veſtri, & auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum, & ſpiritum novum ponam in medio veſtri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis, &c. Nota, quòd Deus non contentus emundatione facta per ſanguinem Chriſti ſuprà poſita ; ſubdit ſe velle, ſuis ſequacibus conferre cor novum, ablato priùs corde lapideo, quod tamen ſit cor carneum, & in hoc corde ſe velle effundere ſpiritum novum ; quid eſt hoc ? nonne ſufficiebat ſuprà dicta emundatio per baptiſmum, & pœnitentiam, gratiamque Chriſti ? quid eſt hoc cor novum, & cor carneum, & Spiritus novus ? Sed attende ad myſterium eximium : In ſuprà poſitis verbis Chriſtus promittit inſtitutionem Sacramentorum, per quæ mundatur anima, & per gratiam ſanctificatur;

tur; In his verò promittit miſſionem Spiritus Sancti, ad cujus adventum, duritics cordis tollitur; & fit carneum, intellige, non corporaliter, ſed ſpiritualiter, ſcilicet molle, tenerum, & aptum ad recipienda dona Spiritus Sancti, quod maxime verificatum in die Pentecoſtes, & continuè practicatur in Eccleſia; & ideò ex hoc adventu fit renovatio cordis, & præparatio, ad recipienda dona, & virtutes Spiritus Sancti, per quorum efficaciam Anima fit fortis ad ambulandum de virtute in virtutem per gradus perfectionis: & hoc maximè dirigitur ad illos, qui in ſtadio Religionis, & perfectionis ſe collocant; non enim ipſis ſufficit emundatio communis per Sacramenta, quia tenentur ad ulteriorem perfectionem, & ad hoc indigent corde meo novo, & Spiritu novo, continuè innovante animam. *Luc. c.5. ad finem, & c.11. v.12. & c.19. v.40. & cap.24. v.49. Ioan. c.8. in fine, & ſerm.3. de dedic. in addit. Pſal.10.*

232. ***Ad adventum Spiritus Sancti, & ad manifeſtationem amoris Chriſti in nos, alii convertunt cor carneum in lapideum, imò ferreum, alii cor lapideum in cor carneum.***

Et auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum, & dabo vobis cor novum, &c. Ecce finis exaltationis, & expoſitionis Chriſti in cruce, & miſſionis Spiritus Sancti, ſcilicet ut ab homine jam indurato auferretur cor lapideum, & liquefieret in cor carneum, & novum: & hic patet differentia inter electos, & reprobos, nam electis ſubjicientibus ſe motionibus Chriſti, & Spiritus Sancti, etiam aufertur cor priùs lapideum, & datur cor novum, & renovatum, & molle, aptum ad recipienda dona Spiritus Sancti: reprobi autem cor lapideum, & ferreum retinent in ſe ipſis: quod & verè mirum eſt, nam lapis calore ſolutus in æs vertitur, & tu ô perfide ad tantum calorem Chriſti Jeſu, & Spiritus Sancti immutabilis perſeveras, & hoc mirum, & verè mirum eſt, quòd cor carneum lapide durius, & inſenſibilius inveniatur; nonne dicit Dominus, quòd auferet à nobis cor lapideum, & dabit cor carneum? ergo ex quo lapis citiùs immutatur, quàm cor carneum, det lapideum cor, carneum auferendo, ad verecundiam noſtram dico, ô cor nequiſſimum, ô cor immaniſſimum, ô cor infideliſſimum, cur te ſic odis? cur te ſic laceras, & conſumis? cur te ſic diligentem non diligis? ô cor crudeliſſimum, cur mortem plus, quàm vitam diligis? cur te quærentem non recipis? ô lapides, & creaturæ inſenſibiles flectite væſaniam cordis mei. O dulcis Jeſu, Deus meus, refugium meum flecte cor meum, ut te ſemper diligam. *Op. ſtim. p.2. c.2.*

233. ***Beata Virgo Maria terra inculta in conceptione Verbi facta eſt hortus voluptatis.***

Dicent: terra illa inculta facta eſt ut hortus voluptatis: Ecce miraculum grande ad adventum Verbi in carnem; nam Maria Virgo terra quidem inculta, ſcilicet abſque opere humano Verbum Dei concepit, & ſic facta eſt hortus voluptatis. Vide qualem hortum voluptatis; nam ſpecioſa hujus felicis deſerti ſunt ſpecioſa germina cœleſtium deſideriorum, ſpecioſæ herbæ operum bonorum ſpecioſi flores virtutum, & donorum, ſpecioſa folia utilium verborum, & certè ſpecioſus fructus ventris ſui; qui eſt paſtus omnium juſtorum, ô verè mirabilem fructum, per quem jam fames, quàm ſitis relevatur animarum. *Op. ſpec. B. Virg. lect.18. ſerm.3. in Vig. Nat. & ſerm. 4. Dom. ſexageſ. ſermon. 2. de S. Laur. in addit.*

234. ***In horto uteri Virginalis quale granum ſeminatum, & qualis fructus productus.***

Terra illa inculta facta eſt ut hortus voluptatis, quia ego plantavi in inculta, &c. Ecce quomodo Mariæ uterus factus eſt hortus voluptatis, quia in eo plantavit Deus, ſed quid plantavit? plantavit granum, ſc. Verbum ſuum, ex quo producta fuit arbor pulcherrima, & crevit in arborem magnam, ſcilicet extendit ſe per totum mundum in fide omnium credentium; ejus rami ſunt opera Chriſti, ad quos evolant volucres Cœli, ſcilicet animæ fideles, ibique cantant Deum laudando. *Serm.2. de S. Laur. in addit.*

CAP. XXXVII.

235. ***Reſurrectio mortuorum figurata ante oculos Prophetæ.***

ET dimiſit me Dominus in medio campi, qui erat plenus oſſibus, & circumduxit me per ea in gyro, & dixit ad me fili hominis putas ne, vivent oſſa iſta, &c.* Quid myſterii latet in hac multitudine oſſium mortuorum oſtenſorum Prophetæ? & cur in gyrum circumduxit Deus ipſum per illa oſſa, volens interrogare an poſſent vivere? ſed attende, quod hic explicatur myſterium Reſurrectionis mortuorum, & ideò per talem gyrum dat intelligere, quod dato quocumque gyro carnis, & oſſium mortuorum, ſive reſolvantur in cinerem, ſive ab animalibus comedantur, ſive in ventum longe, latéque diſpergantur, Deus ipſa recolliget, & reformabit in corpus humanum, cum omnia noverit, & poſſit. *Op. Comp. princ. & ſerm.1. de S. Mathia in addit.* Unde ad præceptum Chriſti oſſa arida juſtorum pulcherrimè florebunt per gloriam Reſurrectionis, è contra mali abominabiles reſurgent pluſquam ſerpentes; ſic dicitur hic oſſa arida audite verbum Domini. *Serm.3. in Paſcha Luc. c.20. v.38.* & ſicut ad vocem Prophetæ oſſa, ad oſſa acceſſerunt, ſic erit in die Reſurrectionis. *Lib.4. d.44. p.1. a.1. q.2.*

236. *Ventus Spiritus Sancti adveniens animæ mortuæ confert ipſi vitam.*

A quatuor ventis veni Spiritus, & inſuffla ſuper interfectos iſtos & reviviſcant. A quatuor ventis, ſcilicet partibus terræ, à quibus quatuor venti principales veniunt; dat autem intelligere, quòd ſicut adveniente flatu Spiritus Dei in oſſa reſurgent in die judicii: ſic adveniens flatus Spiritus Sancti ſuper animam mortuam à peccato ſtatim reviviſcit ad vitam gratiæ *Ser.3. Dom.3. poſt oct. Paſcha. Eccleſ.c.1.*

237. *Per doctrinam evangelicam reviviſcunt mortui ſpiritualiter.*

A quatuor ventis veni Spiritus, &c. Nota etiam per quatuor ventos myſticè intelligi poſſunt quatuor Evangeliſtæ, ex quorum doctrina diffuſa ſuper mortuos peccato, reviviſcunt per converſionem ad gratiam. *Ser.1. de S. Matth. in addit.*

238. *Aperit Chriſtus captivis, & mortuis ſpiritualiter tumulos ad ipſum recurrentibus per pœnitentiam*; Unde ipſis dicit *aperiam tumulos veſtros, & educam vos in terram Iſraël*, venit enim captivos ſolvere à vinculis, & morte peccati. *Ser.10 in Rogat.*

239. *Solus Chriſtus habet claves ſepulchrorum noſtrorum, quæ in die judicii omnibus aperientur vel in bonum, vel in malum.*

Ecce ego aperiam tumulos veſtros, & deducam vos de ſepulchris veſtris, populus meus, & inducam vos in terram Iſraël, &c. & vixeritis. Nota, quòd dicit Chriſtus, ecce ego aperiam; ut ſcias, quia ſolus Chriſtus habet claves mortis, & vitæ: & ideò ſolus Chriſtus in die judicii aperiet tumulos & educet mortuos tam præſcitos, quàm prædeſtinatos: ſed iſtos introducet in gloriam Paradiſi, illos in corpore, & anima cum Dæmonibus præcipitabit in Infernum æternaliter; ergo ſi ſolus Chriſtus habet claves iſtas, ad ipſum in hac vita recurramus ut nos educat è ſepulchro peccati, & mortis ad vitam aſſumendam. *Luc.c.7. v.22. & c.21.v.27.*

240. *Fruitio Dei eſt totum bonum, & omne bonum, & radix, & fundamentum totius boni.*

Et emundabo eos, & erunt mihi populus, & ego ero eis Deus, & poſt pauca ſubdit; & fundabo eos, & multiplicabo eos, &c. Quid eſt ero eorum Deus? quænam promiſſio iſta? hæc eſt promiſſio continens omne bonum: dicit ergo; *emundabo eos*, per gratiam; *erunt mihi populus*, ſcilicet juſti erunt mihi populus meus, & ego ero illorum Deus; ſcilicet ego ero unde ſatientur, ero quæcumque ab omnibus hauſta deſiderantur, ero eis finis deſideriorum ſuorum, qui ſine fine videbitur, ſine faſtidio amabitur, ſine fatigatione laudabitur; hic munus, hic affectus, hic actus profectò erit omnia in omnibus; & fundabo eos, ſcilicet hoc erit fundamentum, quo ſuperabunt omne malum, & erigent ſe ad poſſidendum omne bonum. *Op. ſoliloq.c.4. Pſalm.118. c.10.v.8.*

241. *Pax à Chriſto cum hominibus in cruce firmata.*

Et percutiam illis fœdus pacis, pactum ſempiternum erit eis: Quandonam tale fœdus factum eſt inter Deum, & homines? hoc factum eſt quando Chriſtus crucem aſcendit: tunc enim pacem firmavit facto, & manu, ſcilicet extendendo ad nos manus, promiſſo & oris oſculo faciem ſuam, & caput inclinando, & ſanguinis Sacramento: væ igitur illis, qui pacem violant per luxuriam, avaritiam, aliaque vitia. *Ser.1. in oct. Paſcha.*

CAP. XXXVIII.

242. *Prælati, & Prædicatores, & miniſtri Eccleſiæ in functionibus publicis ſe præparent.*

PRÆPARA, & inſtrue te, & omnem multitudinem tuam, quæ coacervata eſt ad te, & eſto eis in præceptum. Ad litteram Propheta prædicens deſolationes, & tentationes, in quas inciderunt poſtea Iſraëlitæ, ex adventu in terram Iſraël exercitus Gog, & Magog, monet Prælatos, & Prophetas, ut ſe præpararent, & excitarent ſubditos ad præparandum ſe orationibus, jejuniis, & obſecrationibus ad Deum, & in hoc præcederent exemplo ipſos ſubditos; quinam autem fuerint iſti Principes Gog, & Magog, eſt maxima quæſtio inter Doctores, & etiam inter Rabinos, communiter tamen dicunt Gog eſſe Gothos ortos à Magog filio Japhet, ſicuti, & Scythas, ſcilicet populos Aquilonares, qui venerunt cum Nabuchodonoſor ad deſtruendam Jeruſalem: myſticè hæc admonitio dirigitur ad Prædicatores omnes, Prælatos, & miniſtros publicos, ut in functionibus ſuis perfectè exercendis dignam præparationem facerent, & ad ipſam excitarent alios; eſt enim neceſſaria ad hoc, ut rectè, & ritè peragantur. *Pſal.118. c.2. v.11. Vide de præparat. ad mortem Diat. tit.7.c.1. de prof. Religioſ. lib.1. c.25. op. faſcicul.c.2. op. ſoliloq.c.3. Ad gratiam lib.4. d.15.p.1.a.1.q.1. ad 1. & d.14.p.1.a.2. q.2. ad Miſſ. op. de præparat. ad Miſſ. & op. faſcic.c.7.*

243. *In judicio univerſali Chriſtus poſt ſententiam pluet ſuper damnatos ignem, & ſulphur*; ſcilicet omnem pœnam; ſic minatur hic *v.22. Ignem, & ſulphur pluam ſuper eum, & ſuper exercitum ejus, & ſuper populos multos, qui ſunt cum eo. Luc. c.17.v.30.*

CAP. XXXIX.

244. *DEI Zelus totus ordinatur ad miſericordiam præſtandam pœnitentibus, & ad gloriam nominis ſui exaltandam;* unde hic dicitur *v.25. & nunc reducam captivitatem Iacob, & miſerebor omnis domus Iſraël, & aſſumam zelum pro ſancto nomine meo,* & hinc omnia opera Dei ad ſui gloriam manifeſtandam ordinata ſunt. *Pſal.118.c.9.a.11.*

245. *Dei zelus totus eſt in congregando in Cœlis nos ad ejus viſionem percipiendam.*

Et reduxero eos, & congregavero eos de terris inimicorum ſuorum ſuper terram ſuam. Hic eſt finis omnium operum Dei ad extrà, nempè reducere homines in Cœlum ad acquirendam viſionem ſuam; & ut nos veluti Aquilæ, irreverberatis oculis videamus ſolem in rota; ſed attende, quòd duæ alæ ſunt neceſſariæ, ad hoc, ut in cæleſtem patriam evolemus, ſcilicet amor Dei, & proximi: *Serm.3. Dom.4. poſt Epiph.*

CAP. XL.

246. *TEMPLUM Ieroſolimitanum oſtenſum Ezechieli fuit figura fundationis Eccleſiæ militantis facta à Chriſto Ieſu:* unde hic dicitur in perſona Chriſti: *Adduxit me Dominus ſuper montem excelſum nimis, ſuper quem erat quaſi ædificium civitatis;* quia fundata fuit ſuper montem excelſum perfectionis Evangelicæ. *op. Apol. Paup. reſp.3.c.2.*

247. *Iuſtorum, & Prædicatorum, & Prælatorum munus eſt menſurare propria, & aliena merita, & ea ordinare ad Deum.*

Et introduxit me illuc, ſcilicet *in montem excelſum; & ecce vir, cujus ſpecies erat quaſi æris, & funiculus lineus; funiculus cæmentariorum,* legunt ſeptuaginta; *in manu ejus, & calamus menſuræ: ſtabat autem in porta.* Quodnam myſterium nobis exhibet hæc viſio habentium menſurandi, & ponderandi inſtrumenta in manu? ad quid iſta in templo ſancto Dei? ſed attende ad pulcherrimum myſterium: Chriſtus fundavit Eccleſiam in qua ſicut ipſe eſt juſtiſſimus menſurator omnium operum, donorum gratiarum, meritorum, & præmiorum, ipſa ſecundum rectitudinem æquitatis diſtribuens, ſic & in ipſa poſuit menſuratores ſimiles, nam ſacerdotibus dedit poteſtatem clavium, ſcilicet menſurandi culpam, & pœnam hominibus, & omnibus juſtis commiſit, ut in ſervitio Dei, non ſolùm propria, ſed & aliena menſurarent in orationibus, & gratiarum actionibus; & Prædicatoribus, ut ſic in conſpectu Dei comparere poſſint ſecundum ordinationem ſuæ rectiſſimæ voluntatis. *Op. Eccleſ. Hierarch.p.3.c.3.ſer.1.de SS. Petro, & Paulo & ſer.1.de S.Thom.in addit.*

248. *Chriſtus in porta ſcilicet in exitu ab hac vitâ ſtat, ut menſuret ſecundum æquam lancem ſua juſtitiæ, merita, & demerita cujuſque,* unde oſtenſus eſt Prophetæ ſtans in porta, ſcilicet in puncto exitus animæ: *Pſal.99.* Nota etiam, quod ibidem dicitur, quod hæc porta eſt Chriſtus; & dicitur porta, quia per ejus merita menſuranda ſunt noſtra, & ad Patrem per ipſum intrare debemus, nec alia porta poteſt inveniri: *ibid. & D.Hieron.in Gloſſa.*

249. *In operibus ſex dierum creationis, & in ſeptimo die Sacra ſcriptura continet in menſura, ſex cubitorum, & palmi totam vitam noſtram, quam ordinare debemus ad Deum vita activa, & contemplativa, ſcilicet operibus exterioribus, & mentalibus: ſer.16.Hexaem. & Gloſſa hic.*

250. *Per tres virtutes Theologicas, & per fidem Trinitatis ſolùm habetur ingreſſus in Cælum.*

Porro thalami porta, ad viam orientalem, tres hinc, & tres inde; menſura una trium, & menſura una frontium ex utraque parte; ſcilicet vel tres turres parvæ, vel tres menſuræ, vel tres frontes; per quæ ſignificatur, quòd nemo poteſt intrare per portam orientalem, ſcilicet ad Dei ſervitium; & inde ad Cælum, niſi per portam, ſcilicet per Chriſtum mediantibus tribus virtutibus Theologicis, vel per fidem Trinitatis. *Pſal. 103. & ſer.16.Hexam. & Gloſſa hic.*

251. *A porta aquilonari ad orientalem, & auſtralem incedant Religioſi.*

Portam verò, quæ reſpiciebat viam Aquilonis &c. Nota, quòd primò Chriſtus menſuravit portam Aquilonis, deindè orientalem, & tandem auſtralem; & per hoc datur intelligi, quòd volens Deo ſervire debet à porta Aquilonis diſcedere, ſcilicet à peccato, & deindè ad orientalem, ſcilicet viam virtutis intrare, & de virtute, in virtutem ad auſtralem; ſcilicet flam Spiritus Sancti ambulare uſque ad ſummum perfectionis: *D. Hieron. in Gloſſa. ſer.3. Dom. 19. Pent. & ſer.2. Dom. infra oct. Epiph. & ſer.2. Dom.6. Pent.*

252. *Solùm per dilectionem Dei; & proximi animæ, in tranſitu ad vitam æternam menſuratur.*

Et menſus eſt veſtibulum portæ octo cubitorum, & frontem ejus duobus cubitis. Veſtibulum eſt pars interior, ſcilicet vita æterna ſignificata in octonario numero; frons eſt vita præſens, per quam fit tranſitus ad vitam æternam, ſed tamen requiritur menſura duorum cubitorum, ſcilicet dilectionis Dei, & proximi; qui igitur comparebit coram Judice cum hac fronte duorum cubitorum ad vitam æternam recipietur. *Pſal. 106. & Gloſſa hic.*

253. *In Eccleſia Dei expoſita eſt menſa quadruplex ad nutritionem animarum.*

Quatuor menſæ, ad holocauſtum de lapidibus quadris extructæ: In templo expoſitæ erant quatuor menſæ, pro oblatione holocauſti, & in Eccleſia eſt quadruplex menſa Evangeliorum continens lapidem angularem Chriſtum, ſub cujus directione quiſque noſtrum ædificatur in lapidem vivum Eccleſiæ triumphantis, & ad quas menſas quælibet anima invenit cibum neceſſarium. *Pſal.84. Gloſſa interlin.hic.*

CAP. XLI.

254. *In ſtadio perfectionis à minimis aſcenditur ad majora, & quo major fit aſcenſus, eo latior, & facilior: Vbi de triplici vita ſpirituali.*

Et platea erat in rotundum aſcendens ſurſum per cockleam, & in cœnaculum templi deferens per gyrum in circuitu, &c. Nota verba, & ſigna myſteria ô lector: nam ex hoc capite continente tot mirabilia, quæ conſpiciebantur in templo Dei Jeroſolimitano, hoc unicum continens virtualiter cætera omnia eruitur à S. Doctore; nempè in aſcenſu à parte inferiori per mediam cochleam ad ſuperius cænaculum, vel tectum, in quo ſacerdotes ingreſſi offerebant ſua holocauſta, advertens, quod, quo altius erigebatur hæc fabrica, eo latior erat: Daturquè intelligi, quod in templo ſcilicet Eccleſiæ eſt triplex gradus, vel aſcenſus, ſcilicet per vitam purgativam incipientium; quæ à ſancto Bernardo dicitur animalis, in qua domatur ſenſus, & caro per jejunia, mortificationeſquè, ut ipſa ſubiiciatur ſpiritui, quæ vita eſt anguſta, & pœnoſa; & hinc aſcenditur per cochleam, ſcilicet per vitam illuminativam, quæ dicitur rationalis, in qua fit aſcenſus ab anima, dum ſtudet ſeipſam rationalem agnoſcere, & natam ſe ad ſe unire, & ideò ſtudet ſe purgare, & reformare in priſtinam dignitatem, & pulchritudinem, quam per peccati fœditatem amiſerat; & hinc in cænaculum ſuperius introducitur, ſcilicet in vitam ſpiritualem; ubi ſpiritus ad imaginem Dei conditus, gratiâ Spiritus ſancti adjutus ſuprà ſe aſcendit, & intendit in eum, cujus eſt imago, ut ei imprimatur, & conformetur per cognitionem intellectus, & per amoris affectum, & fruitionis jucunditatem: & hinc ſicut latius erat templum in ſuperioribus, ſic in ſtadio perfectionis, quo altius aſcenditur, eo aſcenſus eſt facilior, dulcior, & latior; nam pervenitur ad cognitionem, & fruitionem Dei unius, & trini per exercitium, ſive circuitum trium potentiarum rationis, memoriæ, & voluntatis; capit enim ratio Dei ſapientiam, memoria virtutem æternitatis Dei, & per voluntatem bonitatem Dei; ſicquè hoc habito, non eſt quod ultrà requirat, cum in cænaculum Dei, & in fruitionem, & unionem ipſius ſit introducta, & ad hoc ordinantur in Religione omnia exercitia, tam exteriora, quàm interiora. *Op.de prof.Religioſ.lib.1.c.4.*

CAP. XLII.

255. *Quo quis in Eccleſia eminentior gradu eſt, eò humilior, & auſterior debet eſſe.*

Et introduxit me in gazophylacium, &c. ad interiora reſpiciens via cubiti unius. Nota, quòd nomine gazophylacii, quod dicitur à gazis, ideſt divitiis, & philaca, ideſt cuſtodia, venit locus, ubi erat repoſitorium pecuniæ oblatæ in templo, vel pro loco, ubi habitabant Levitæ, & ſacerdotes, & ibi ſacris indumentis veſtiebantur, pro ut hic ſumitur, & dignus obſervatione eſt, quòd ingreſſus in talem cuſtodiam, vel gazophylacium, erat anguſtiſſimus, ſcilicet unius cubiti; nec id vacat maximo myſterio; cum enim locus, & ſacrarium, ubi habitabant ſacerdotes, & ſacris veſtibus induebantur, & ubi conſervabantur oblationes ſacræ templi, videtur, quòd deberet habere ſpatium nobilius, & latius, oppoſitum à Deo fuit ordinatum; tum ut innoteſceret, quod cum tale gazophylacium ſignificaret theſaurum myſteriorum legis divinæ etiam in lege ſcripta erat anguſtiſſimum etiam ipſis ſacerdotibus, quia ipſis velata erant myſteria quæ poſteà, quando velum templi ſciſſum eſt per mortem ſalvatoris, aperta fuerunt in lege Evangelica; tum etiam, ut intelligerent ſacerdotes & Prælati Eccleſiæ, quòd quo altior eſt gradus ipſorum, eò debent eſſe humiliores, & vitâ magis exemplares, & auſteriores: & hinc dictante Spiritu Sancto Papa ſe appellat ſervum ſervorum Dei. *Luc.c.21. verſ.1.in Ioan.capit.8. verſ.20.op. Expoſ. Regulæ in præfat.*

CAP. XLIII.

256. *Templi materialis, & ſpiritualis violatio, quàm Deo exoſa, & homini noxia.*

Et duxit me ad portam, quæ reſpiciebat viam orientalem &c. & introduxit me in atrium interius; & ecce repleta erat gloria Domini domus &c. Tu autem fili hominis oſtende domui Iſraël templum & confundantur ab iniquitatibus ſuis, & metiantur fabricam, & erubeſcant, &c. Cur præcipit Deus Prophetæ, ut volens reprehendere populum de ſuis ſceleribus, prius ipſi oſtendat templum & ut metiatur ipſum, & gloriam Dei refulgentem in ipſa? ſed attende ad myſterium: Templum eſt Eccleſia Dei, in qua tot ſunt lapides, quot fideles: templum eſt quilibet locus Deo ſacratus; templum item eſt cor noſtrum; hoc templum vult Deus oſtendi

oſtendi hominibus, ut videant zelum, quem habes Deus pro reverentia debita tali loco; & ut videntes homines abominationes peſſimas, quæ in templo Deo ſacrato fiunt, ſive in templo cordis Deo dicato, confundantur, & erubeſcant: ô ſi poſſet nobis oſtendi quantitas peccatorum, quæ in locis ſacris committuntur, quali confuſione, & dolore, & rubore torqueremur. *Ser.1. in Tranſlat.S.Franc.Pſalm.118.c.3.v.14.*

257. *Oratio Deo offeratur in ſummitate mentis cordis velut in Altari.*

Iſta eſt lex domus; in ſummitate montis: Cur domus, & præcipuè altare in ſummitate montis fabricata? ut videas, quòd locus altus, & eminens, & ab hominibus ſeparatus eſt aptior oblationi, & orationi, & ideò cum cor noſtrum ſit templum Deo dicatum præcipit Deus, ut aſcendamus ad ſummitatem montis, abſtrahentes nos ab omnibus terrenis, & creatis, & Deo ſoli uniamur. *in Ioan. c.4. v.23. & ſer.1. in Tranſlat. S.Franc.in addit.*

258. *Cor noſtrum Altare, ejus ſinus triplex ſit.*

Iſta autem menſura altaris in cubito, &c. in ſinu ejus erat cubitus, &c. Quid ſignificabat hic ſinus Altaris? cor noſtrum eſt hoc Altare; Deuſque exigit in ipſo triplicis generis ſinum, ſcilicet humilitatis in abſcondendo bona opera, benignitatis in refovendo proximum; & longanimitatis in conſervando bona à Deo recepta. *in Luc.c.16.v.22.*

CAP. XLIV.

259. *Mariæ virginitas perpetua oſtenſa, & prædicta à Propheta.*

E*T convertit me ad viam portæ ſanctuarii; & erat clauſa, &c. & dixit Dominus ad me; Porta hæc; clauſa erit, non aperietur, & vir non tranſibit per eam, quoniam Dominus Deus Iſraël ingreſſus eſt per eam, eritquè clauſa Principi; Princeps ipſe ſedebit in ea, ut comedat panem coram Domino; per viam portæ veſtibuli ingredietur, & per viam ejus egredietur, &c.* Notanda diligenter hæc verba, in quibus Prophetæ manifeſtè oſtenſa eſt perpetua virginitas Mariæ: in quibus obſervandum, quòd priùs dicit ipſam portam vidiſſe clauſam, & deindè ſubdit bis quòd erit in futurum clauſa, & poſteà, quòd Princeps ſedebit in ea, ut comedat panem, & quod ipſe ingredietur per veſtibulum portæ, & per idem egredietur, ut denotet, quòd Maria fuit virgo ante partum, & poſt partum, eo quod in eam intravit ſummus ſacerdos Deus benedictus, ſicut radii ſolis induunt colorem vitri, ſic Chriſtus ſumpſit carnem Virginis abſque læſione virginitatis, & ibi comedit panem, ſcilicet nutritus fuit lacte, & ſanguine Virginis Mariæ coram Patre: Undè ad gloriam ipſius virginitatis canitur iſte Rithmus: *Tu es porta, quæ clauditur* | apertionis neſcia | de qua Propheta loquitur | hominum nulli pervia | quia Dei ſapientia | ingreditur, & egreditur | ſemota violentia | per egreſſum non frangitur | Virginitas eſt janua | qua cœlis fulgens altius | Cœli non linquens ardua | Meſſias Dei Filius | conceptus eſt: exteriùs | carne tectus exigua | corpus ſumens perfectius | ex te Virgo præcipua | ſicut ſydus perluitur | infuſo ſolis lumine | ex eo lux emittitur | ſine ſyderis fragmine | ſic ſine carnis crimine | Chriſtus in te concipitur | ex te manente Virgine | ſuper naturam oritur. *Op. Laus B.Vir.ſig.18.& Pſ.71.& op.ſpec.B.Virg.lect.7.*

260. *Prædicatoribus Spiritus ſanctus proponit ſubjectum omnium concionum.*

Populum meum docebunt, ſcilicet ſacerdotes, quid ſit inter ſanctum, & pollutum, & inter mundum, & immundum oſtendent eis. Vide quid docere debent Prædicatores, & Doctores Eccleſiæ, nempè quid licitum, quid illicitum, quid virtus, quid vitium, & ut vitium vitetur oſtenſum, oſtendant contrà vitium pœnam damnationis, & ut virtus oſtenſa ametur, oſtendant gloriam retributionis, quæ promiſſa eſt tantùm virtutem ſectantibus; & hoc eſt, quod ſanctus Pater Franciſcus ſuis fratribus impoſuit; ſcilicet ut prædicent virtutem, & vitium, præmium, & pœnam: ô notent hoc Prædicatores tempus amittentes in dicteriis, & vanitatibus inutilibus. *Serm.2. Dom. 22. poſt Pentecoſt. & op. Expoſ. Regulæ cap.9. Pſal.118.c.2.v.10. in Ioan. c.3.v.12.*

261. *Quàm abhorreat Deus ſcelera in ſacerdotibus, & perſonis ſacris: Ubi de irregularitate.*

Et non appropinquabunt ad me, ut ſacerdotio fungantur mihi, neque accedent ad omne ſanctuarium meum, &c. Ecce unde oritur irregularitas, & pœna degradationis malis ſacerdotibus ab Eccleſia; licet enim peccator quantumcumque peſſimus, ſi pœnituerit à Deo denuò recipitur obliviſcens omnia ſua ſcelera; tamen talis impius miniſter quantumcumque pœnitens non ſic facilè ab Eccleſia redintegratur ad priſtinum miniſterium, & ratio diſcriminis eſt, quia ſacerdotalis dignitas non tantùm reſpicit rectitudinem voluntatis, ſed etiam dignitatem exterioris decoris, propter quam contigit hominem etiam non peccantem fieri irregularem; charitas verò reſpicit præciſè, & propriè rectitudinem voluntatis propriæ. *Lib.3.d.31.a.1.q.2.ad 2.*

CAP. XLV.

262. *Titulus crucis ſuper caput Chriſti exponditur.*

E*T ſuper Principem erunt holocauſta & ſacrificium, & libamina in ſolemnitatibus domus Iſraël, qua faciet pro peccato ſacrificium, & holocauſtum, & pacifica ad expiandum pro domo Iſraël.* Nota, quod cum in ſuperiori capite egerit de cæremoniis, quæ in templo Dei ordinatæ erant; in hoc capite tractat de diſtributione, & diviſione terræ promiſſionis, ſed in hac inſerit hoc præceptum, nempè quòd in diebus ſolemnibus ſuper caput Principis exponantur ſacrificia, & victimæ, quæ à ſacerdotibus offerendæ erant pro expiatione peccatorum, quod præceptum ad litteram non poteſt ſumi, cum oblationes fierent in Altari, non ſuper caput Principis: ergo myſticè loquitur de Chriſto, ait Gloſſa, qui in cruce expoſuit oblationem ſui pro peccatis totius mundi, & in hujus veritatis ſignum voluit ſcribi titulum ipſum declarantem Regem Regum, & Dominum totius Mundi. *Luc. c. 23. v. 38.*

CAP. XLVI.

263. *Contemplativi ſemper feſtum celebrant; activi ſemper laborant.*

P*ORTA atrii interioris, qua reſpicit ad Orientem, erit clauſa ſex diebus, in quibus opus fit, die autem Sabbathi aperietur:* Cur ſolùm in die Sabbathi aperienda hæc porta? ſed attende, quòd erat porta atrii interioris, ſignificatque ſtatum vitæ contemplativæ quæ relictis exterioribus ad interiora intrat, ideò non aperta diebus, quibus exercitium fit laboris, ſed tantùm in die feſto, quia iſte ſtatus eſt quietis, & feſti; è contra porta vitæ activæ, aperta eſt in diebus laboris, quia ipſa laborat ſemper in actibus exterioribus. *In Luc. c. 23. v. 54.*

264. *Porta pœnitentiæ aperta eſt nobis uſque ad veſperam, & tunc clauditur.*

Et intrabit Princeps per viam veſtibuli portæ de foris, & ſtabit in limine portæ, nec claudetur uſque ad veſperam, & adorabit populus terræ ad oſtium: Nota pulcherrimum myſterium: hæc porta deforis eſt porta vitæ mortalis, in qua aperta eſt porta pœnitentiæ, nec clauditur niſi ad veſperam, ſcilicet in fine; dat igitur intelligere, quod quiſque ſtat in limine portæ, ſcilicet in periculo mortis, ut excitetur ad pœnitentialia opera, ne poſtea claudatur in ſempiternum. *in Luc. c. 13. verſ. 25.*

CAP. XLVII.

265. *Qui vult particeps fieri ſanguinis, & aqua corporis Chriſti, ſtet ad dexteram ſuam, non ad ſiniſtram: Vbi de ſacramentis Eccleſia.*

E*T convertit me ad portam domus, & ecce aqua egrediebantur ad orientem redundantes à latere dextro.* Vide quomodo oſtenſa gloria templi ſancti Prophetæ vidit, quod aquæ exibant è latere dextro domus ſanctæ, & ingreſſus in illas aquas vidit ibi ligna multa, & piſces, & omnes, qui in ipſas ingrediebantur ſanitatem recipiebant, & ligna fructifera fiebant, & piſces vitam recipiebant in qua viſione mirabiles effectus ſanguinis, & aquæ, quæ exierunt è latere Chriſti dextro in cruce panduntur, quia ex his ſacramenta producta fuerunt, quæ ſunt lavacra lavantia, purgantia, & vivificantia animas; & qui priùs erant vel ligna arida, & piſces natantes in fæce peccati, fiunt fructiferi, & vita cæleſti præditi; ſed attendamus, quod qui in hos fontes vult intrare, intret ad dexteram Chriſti ſe collocando cum pœnitentibus, & juſtis, non ad ſiniſtram cum præſcitis. *Ser. 2. in cœna Domini & ſer. 4. Dom. in Albis & op. Comp. Theol. lib. 6. c. 12.*

266. *Aqua gratia, communicatur major, vel minor ſecundum proportionem diſpoſitionis.*

Et traduxit me per aquam uſquè ad talos, & menſus eſt, &c. Nota, quod introductus eſt Propheta, poſt menſurationem factam ab Angelo, primò in aquam uſque ad talos, poſtea uſque ad genua, poſteà uſque ad renes, poſteà in torrentem, quem non potuit tranſvadere; myſticè dat intelligere, quod ex fontibus Chriſti promanant aquæ, quæ ſecundum menſuram diſpoſitionis conferuntur, nempe incipientes hanc recipiunt minus profundè; proficientes profundius, & perfecti profundiſſimè, ſed tamen ſolum in Cœlo hic torrens poteſt tranſvadari. *Serm. 4. Dom. 1. poſt oct. Paſcha.*

267. *In torrentis medio collocantur piſces Chriſti: in littoribus, & paludibus piſces diaboli.*

Sic vidit Propheta piſces mortuos in littoribus, & paludibus, & vivos, & ſanos in medio torrentis; nempe piſces Chriſti, qui in torrentem ſacramentorum intrant, ſanantur, & reficiuntur, & transferuntur ad menſam gloriæ; piſces diaboli ſcilicet impii jacent mortui in littoribus cupiditatum terrenarum, & paludibus carnalitatum; & iſti aſſabuntur perpetuò ſuper prunas inferni. *Ser. 4. Dom. in Albis.*

268. *Fructus ventris Mariæ Virginis quàm copioſus, & utilis.*

Et ſuper torrentem orietur ex utraque parte omne lignum pomiferum, non deſluet folium ex eo, & non deficiet fructus ejus: Ecce quid ex torrente emiſſo ex latere, & fontibus ſalvatoris vidit gigni Propheta, nempè omne lignum pomiferum gignens fructus perpetuò vitæ, quis iſte fructus tam copioſus, niſi Dominus Jeſus Chriſtus fructus arboris pulcherrimæ, ſcilicet Beatæ Virginis torrentem ſanguinis ſui irrigans ſuper creaturas, fructus quidem non ſolùm copioſus, quia poteſt animas ſatiandas ad ſatietatem reficere, non ſolum in hoc copioſior eſt, quod poteſt univerſitati animarum ſatiandarum ſufficere, ſed etiam copioſiſſimus, quòd ſatiandis animabus, & Angelis numquam poteſt deficere: ô infinita copia, ô copia defectus neſcia; ô benedictus fructus ventris tui Beatiſſima Virgo. *Op. ſpec. B. Virginis lect. 16.*

CAP. XLVIII.

269. *Per tres portas trium perſonarum ſolum habetur ingreſſus in Cœlum.*

Et *portæ, civitatis portæ, tres:* Nota, quòd ab omnibus lateribus civitatis vidit Ezechiel tres portas, per quas habebatur ingreſſus in eam; cur tres, & non quatuor? Portæ tres ſignificabant tres perſonas ſanctiſſimæ Trinitatis: daturque intelligi, quod ſolum per fidem Trinitatis habetur ingreſſus in Cœlum: ubi anima elevatur ad videndum unitatem, veritatem, & bonitatem Trinitatis; item poteſtatem, ſapientiam, & voluntatem; item altitudinem, pulchritudinem, & dulcedinem infinitam: oro Deus meus, ut cognoſcam te, amem te, ut intrà has portas intrare poſſim, & æternaliter perfrui, & de te gaudere; quod nobis concedat omnipotens Deus Pater, Filius, & Spiritus ſanctus. *Op. Comp. Theol. lib. 1. c. 10. op. Incendium amoris in fine: op. de ſept. itin. ætern. in fine.*

Finis expoſitionis Seraphici Doctoris ſuper Ezechielem.

EXPOSITIO SERAPHICI DOCTORIS

S. BONAVENTURÆ

IN

DANIELEM PROPHETAM.

PROLOGUS.

DANIEL vixit tempore captivitatis Babylonicæ, qui & ipſe cum Rege Joachim, & populo Judæo ductus eſt in Babylonem: hic fuit eximius Propheta, nec alius Propheta tam apertè de Chriſto ſcripſit; nam & tempus notavit adventus Chriſti, & Reges per ordinem, & annos enumerat, & manifeſta ſigna; reliqua, quæ ad prolegomena hujus Prophetæ & libri ſpectant, videantur *in Gloſſa, Vgone, & cæteris expoſitoribus.*

CAPUT PRIMUM.

1. *Impii ſuaſu diaboli ſub ſpecie boni, bonum miſcent cum malo, ut decipiant animas.*

ANNO tertio regni Ioachim venit Nabuchodonoſor Rex Babylonis in Ieruſalem, & obſedit eam, & aſportavit partem vaſorum Domus Dei in terram Sennaar in domum Dei ſui; & ait Rex Aſphenez præpoſito Eunuchorum, ut introduceret de filiis Iſrael, & de ſemine regio, & tyrannorum pueros, in quibus non eſſet macula, &c. Nota, quòd ſecundum Divum Hieronymum, & Gloſſam Nabuchodonoſor ſignificat diabolum, qui ſicut ille miſcuit pueros ſanctos, cum ſuis gentiliter viventibus, ſic diabolus cum vaſis maledictis vaſa ſacra miſcet, ſcilicet doctrinam, & dogmata veritatis cum falſitate, ut faciliùs decipiat per Hæreticos, malos conſiliarios, & ſuos miniſtros ſub ſpecie veritatis, & boni. *Serm. 2. Dom. 3. poſt oct. Pentec. ſer. 1. Hexam. & op. Comp. Theol. lib. 2. c. 27. & Vgo Card. hic.*

2. *Dei curiales ſunt ſolùm pueri.*

Et ait Rex præpoſito Eunuchorum, ut introduceret pueros, &c. Vide, quòd ſicut iſte Rex pueros tantis qualitatibus præditos in curia ſua exigebat; ſic multò magis Chriſtus Jeſus in ſua curia, undè dixit. *Luc. c. 18.* Sinite parvulos venire ad me, talium eſt enim regnum Cœlorum: Exigit ergo Chriſtus in ſua curia pueros per puritatem mentis, & ſimplicitatem, per docilitatem, amicabilitatem, & tractabilitatem, & humilitatem; ideo dicit pueros, in quibus non eſſet macula, ideſt infamiæ nota; ut ſint decori formâ per honeſtam converſationem; eruditi per divinorum cognitionem; cauti ſcientiâ, ideſt cognitione humanorum, docti diſciplinâ, ſcilicet qui conſueverunt obedire mandatis ſuperiorum. *Luc. c. 18. v. 16. & 17.*

3. *Abſtinentia quanta bona animæ afferat.*

Tenta nos obſecro decem diebus, & dentur nobis legumina ad veſcendum, & aqua ad bibendum: Vide qua arte Daniel gratiam obtinuit apud Regem, &c. ut videas quanta, & qualis ſit abſtinentiæ virtus, ſummopere enim valet ad confundendum diabolum, ipſumque vincendum, & contra mundi, & carnis delicias; Deique gratiam captandam, & hinc abſtinens fit ſanior, fortior, ad ſcientiam acutior, & ad contemplanda celeſtia habilior. *Serm. 6. in die cin. ſer. 4. Dom. 1. Quadrag. op. Regula Novit. c. 6. & op. Phar. lib. 4. c. 45.*

4. *In ſua menſa Chriſtus primò apponit ſuis legumina, & aquam, deinde delicatiores cibos miniſtrat.*

Dentur nobis legumina ad veſcendum, & aqua ad bibendum. Cur Daniel ad primum ingreſſum in curiam Regis petit ſibi parari cibos groſſiores? ſed in hoc facto maximum myſterium latet: dat enim intelligere Spiritus Sanctus, quòd in ſua menſa Chriſtus primò cibos groſſiores pro ſimplicibus, ſcilicet intelligentiam myſteriorum hiſtorialem, & deinde eos aſſurgere facit ab imperfectioribus ad perfectiora; hic enim eſt mos, quem Chriſtus habet in ſuo ſervitio: *opuſc. de dono ſcientiæ cap. 4.*

5. *Tentat*

5. *Tentat Deus ſuos ad ipſos erudiendum, & ſublevandum ad altiora.*

Tenta nos obſecro, &c. Nota hoc verbum tenta nos:& quomodo? tenta nos per virtutem abſtinentiæ: ſic enim facit Deus cum ſuis; ipſoſque tentat tribulationibus, & auſteritatibus, ut ipſos erudiat,& elevet ad divina. *Sap.c.3.*

6. *Deus ſuam ſapientiam, communicat non guloſis, ſed abſtinentibus, & humilibus.* Unde cum Daniel cum ſociis in abſtinentia ſe exercuiſſet, dedit ei Deus ſapientiam,ſcientiam, & diſciplinam, quia non invenitur ſapientia in terra ſuaviter viventium. *Sap.c.6.& c.9.*

CAP. II.

7. VISIONES *imaginariæ ad præſagium futurorum conceduntur à Deo non ſolùm bonis, ſed etiam aliquando impiis.* Sic Nabuchodonoſori oſtendit quæ futura erant in ſe, & in ſuo Regno;& ideò de his, & in his non eſt,quod glorietur homo. *Op. de Profect. Religioſ.lib.2.c.75.& ſerm.3.Hexam.*

8. *A ſolo Deo omnis cognitio, & omne bonum, & tranſlatio regnorum.*

Et locutus eſt Daniel: ſit nomen Domini benedictum, quia ſapientia, & fortitudo ejus ſunt, & ipſe mutat tempora, & ætates, & transfert regna, atque conſtituit. Hoc dixit Propheta Regi, ut cognoſceret ſe à Deo ſolo exaltatum fuiſſe ad regnum, à quo ſolo poteſt fieri tranſlatio regni,& regum,ad alios reges: & ideò falsò dixit diabolus. *Hæc omnia tibi dabo, &c.* & ipſe Deus ſolus eſt, qui notitiam intellectui omnium rerum tribuit. *Luc. c.4.v.6.& c.1. v.32.& c.9. v.31.& c.7. v.39.& c.24.v.47.*

9. *Mundi vanitas in ſtatua Nabuchodonoſor figurata.*

Tu Rex videbas, & ecce ſtatua una grandis, & ſtatura ejus terribilis; hujus ſtatuæ caput,&c. Quid figurabat Deus per hanc ſtatuam terribilem? hoc oſtendit Deus, ſcilicet quòd Mundus eſt veluti ſtatua; cujus materia in ſuperiori parte erat ex auro, & argento, per quod ſignificatur opulentia, quæ gignit avaritiam: media ex ære, & ferro, per quæ ſignificatur potentia gignens pompam,& ſuperbiam: pars inferior ex luto, & re fictili per quæ ſignificatur vilitas,ſcilicet concupiſcentia carnis, & luxuriæ,& in his omnibus paraſit vanitas Mundi. *Ser.2. in Nativ. & ſerm.3. feria 2.Paſcha.*

10. *Non ſufficit benè incipere ſine perſeverantia uſque ad finem.*

Hujus ſtatuæ caput ex auro optimo, &c. Vide quomodo hæc ſtatua incipit ab auro optimo, & deſinit in lutum, & ideò tota corruit. Aurum eſt charitas, quæ eſt veluti caput noſtræ vitæ, & principium, & radix totius meriti: ſed adverte, quòd non ſufficit habere caput aureum ſine perſeverantia uſque ad finem; hæc enim ſola eſt,quæ coronatur: ô quot maximè Religioſi oſtendunt caput ex auro, ſed deſinunt paulatim in lutum terrenorum. *Ser.4.Dom.Pal. & ſer.2. Dom.2. poſt oct. Pentec.*

11. *Chriſti incarnatio,nativitas,& mirabilia prædicta à Propheta ſub metaphora lapidis conterentis ſtatuam.*

Videbas ita, donec lapis abſciſſus eſt de monte ſine manibus, & percuſſit ſtatuam in pedibus ejus: & comminuit eos,& totam ſtatuam, & lapis factus eſt mons magnus, & implevit univerſam terram. Quomodo, & qua virtute iſte parvus lapis potuit comminuere tantam molem? ſed attende ad myſterium nativitatis, & mirabilium Chriſti Jeſu, qui fuit lapis angularis Eccleſiæ: nam Chriſtus figuratus eſt in hoc lapide ob firmitatem & humilitatem ſuam, hic abſciſſus eſt de monte ſine manibus, ſcilicet de Maria Virgine conceptus ſine amplexu virili, natus eſt ſine læſione ejuſdem matris; Verè enim Maria fuit mons ſuper omnes montes frugifer, qui univerſos ditare potuit; de monte etiam dicitur abſciſſus ſine manibus, ideſt ſine amplexu maritali ut dictum eſt: item ſine manu humana, nempe ſine infectione reatus originalis; item ſine manu operationis naturalis, quia ſupernaturali modo conceptus & natus eſt; de monte item abſciſſus eſt iſte lapis, ſcilicet de Synagoga natus: mons item eſt Sacra ſcriptura, de qua, & per quam oſtenditur ejus incarnatio, nativitaſque. Iſte lapis abſciſſus comminuit ſtatuam Nabuchodonoſor, ſcilicet amorem, & vanitatem mundi ſtatim ac abſciſſus eſt, ſcilicet natus, & oſtenſus puer, quia parvulus percutit ſuperbiam; egenus natus percutit avaritiam, de Virgine natus percutit luxuriam. *Ser.2.in Nativ.ſer.3.feria 2. Paſcha. op. ſpec.B.Virg.lect.11.Op.Comp. Theol.lib.4. c.5.& 9. Pſal.26.& 29.& 68.*

12. *Chriſtus lapis angularis ſe communicans toti Mundo, bonos tegens, & malos comprimens.*

Abſciſſus eſt lapis, &c. & factus eſt mons magnus, & implevit univerſam terram. Quomodò iſte lapis crevit in montem, ita ut impleret totam terram? ſi hic eſt Chriſtus, quomodò poterat creſcere, qui erat Deus? ſed lapis parvulus fuit Chriſtus per humilitatem, ſed crevit, ſcilicet extendit gloriam Dei; & ſic ſe extendit ad univerſam Eccleſiam, quia ad ipſum, tamquàm ad centrum, & medium omnes lineæ circumferentiæ Eccleſiæ,ſcilicet omnes fideles,& operationes angulum faciunt, & uniuntur in ipſo; & per quam unionem ſtabiliuntur electi in gratia finali, & impii comminuuntur ad perditionem. *Luc.cap.20. v.17. & c.23. v.53. Ioan. c.3.v.29.*

13. *Regnum à Chriſto in Eccleſia fundatum quale.*

Et regnum quartum erit velut ferrum, quomodo ferrum comminuit, & domat omnia, ſic conteret, & comminuet omnia hæc, ſcilicet alia regna; In diebus illis ſuſcitabit Deus Cœli regnum, &c. Nota, quòd Daniel prædixit primò regnum, & Dominium Nabuchodonoſor, tamquam figura regni Romani Imperatoris dominantis orbem terrarum, & tunc venit Chriſtus portans in Eccleſia, & fundans novum regnum, ſcilicet Eccleſiam militantem, quæ duratura eſt uſque ad finem mundi, & regnum in alia vita præparavit æternum, regnum inquam ſublime majeſtate; amplum latitudine; firmum poteſtate, & æternum duratione; magnificum decore, & ordinatum regimine, quia charitate, ſcilicet lege gubernatur. *Luc.c.1.v.1.& c.3.v.1.Joan.coll.ıt.81.*

14. *Virtus fortitudinis vincit omnia.*

Et regnum quartum erit velut ferrum, comminuens, & domans omnia, &c. Nota, quòd myſticè hoc regnum quartum eſt virtus fortitudinis Cardinalis; hæc enim induit animum firmitate contra omnia adverſa; imò comparatur ferro, quod eſt indomabile, nec ab ullo alio metallo domatur, ſed omnia domat; ſic virtus fortitudinis vincit omnia adverſa, & proſpera, & quod plus eſt, ipſum regnum Cœlorum violenter rapit; ideò viri fortes mori poſſunt, vinci non poſſunt, quod manifeſtè apparet in tot Virginibus, & Martyribus, qui hac divina fortitudine vicerunt regna, reges, & Tyrannos. *Op.Diat. tit.5.c.7.*

CAP. III.

15. *Impii in altum erigunt ſuas fabricas contra Deum, in ruinam propriam.*

NABUCHODONOSOR *Rex fecit ſtatuam auream altitudinis cubitorum ſexaginta, &c.* Sed cur tantæ altitudinis fecit ille Rex ſtatuam ſuam perſonam repræſentantem? cur non ad menſuram ſtaturæ ſuæ? ſed ne miretis; hoc enim eſt proprium impiorum erigere in altum ſua ædificia contra Deum & cum ipſius injuria, & offenſa, quia ædificant in ſui excidium, quo enim altius fit ædificium, eo certior, & magis præceps, & ſubita ruina inde advenit. *Luc. c.16. v.15.*

16. *Qui adverſitates & tentationes patienter pro Chriſto tolerat fideliter: à Deo, & ipſe ſublevatur, & confortatur.*

Quod ſi non adoraveritis ſtatuam, eadem hora mittemini in fornacem ignis, &c. Vide in qualem tentationem, & periculum incidit Daniel cum ſociis, qui tentati, ut adorarent ſtatuam fortiter reſtiterunt, & ideò in fornacem ardentem projecti ſunt, ſed Deus eos refrigeravit vento Spiritus Sancti, ut videas ô homo, quòd ſi tempore tentationis, & occaſionis Deum offendendi reſiſtas, etiamſi in fornacem mitti, tibi contingat, Deus te ſervabit, & refrigerabit vento roris Spiritus Sancti, non enim patitur nos tentari ſupra id, quod poſſumus. *Sermon.3. Dom.1. Quadrag.*

17. *Impii ſunt miniſtri coadjutores diaboli ad perditionem bonorum.*

Tunc Nabuchodonoſor repletus eſt furore, & præcepit, ut ſuccenderetur fornax ſeptuplum, quam ſuccendi conſueverat, & juſſit viris exercitus ſui, ut ligatis pedibus Sidrach, &c. Iam dictum eſt Nabuchodonoſor eſſe figuram diaboli, qui fornacem accendit per ſuos miniſtros, ſcilicet per impios, qui ſunt ipſius miniſtri: fornax iſta eſt multiplex tentatio, quæ velut ignis accenditur, & proponitur multiplici modo à diabolo, & ſuis miniſtris, ut in ipſa incendantur, & conſumentur contemnentes ſtatuam auream; id eſt ſæculi vanitatem, avaritiam, & carnales delitias, tales enim diabolus impugnat vehementius, ſed quomodò reſiſtitur ab ipſis tali igni? jejunio, oratione, & contemplatione, & zelo amoris in Deum; exemplo Danielis, &c. *Sermon. 1. de S. Laurent. in addit. & locis infra ſcriptis.*

18. *Ignis Purgatorii quàm intenſus, & nulli alii igni comparandus; & quale remedium ipſum extinguendi.*

Tunc Nabuchodonoſor repletus furore præcepit, ut ſuccenderetur fornax ſeptuplum, quàm conſueverat ſuccendi. Cur ſeptuplum? ſeptuplum ſignificat univerſitatem, per quod oſtenditur, quod fornax ſuccenſa erat in ſummo gradu, & per hanc figuram ſignificabatur qualitas pœnæ Purgatorii, quod eſt fornax accenſa à juſtitia Dei ſeptuplum, ideſt univerſaliter urit acrius, quàm aliquis ignis, vel pœna aliqua præſentis vitæ, & ideò in illo igne Deus exercet furorem ſuum in culpam, & peccata commiſſa in hac vita non purgata quoad pœnam, & nota, quod dicitur ſeptuplum accenſa, cur ſeptuplum? primò reſpondetur, quòd ſeptenarius numerus ſignificat univerſalitatem, & per hoc oſtenditur, quod pœna Purgatorii excedit omnes pœnas hujus vitæ, nec ſunt comparabiles illi igni, & pœnæ Purgatorii: ſecundò quia in Eccleſia ſeptem remedia ſunt expoſita ad extinguendam, & mitigandam illam pœnam, primum eſt, quod pœnitentiæ debitæ, quas omiſerunt animæ in hac vita pro eis exſolvantur, ſecundum quod debita creditoribus perſolvantur, tertium, quod legata ab eis facta exſolvantur, quartum opera miſericordiæ pro eis exerceantur: quintum, quod pœnalitates, ut jejunia, flagellationes, genuflexiones pro eis ſuſcipiantur; ſextum quod oratio fiat pro eis, ſeptimum omnibus efficacius eſt oblatio ſacrificii Miſſæ, & ſumptio Eucharistiæ. *Ser. de mortuis in addit.*

19. *Contra*

19. *Contra inimicos Dei omnis creatura armabitur, & poſt hanc vitam magis inſurget.*

Porrò viros illos, qui miſerant Sidrach, Miſach, & Abdenago, interfecit flamma ignis. Vide miraculum grande divinæ juſtitiæ, & miſericordiæ; juſtitiæ in perſecutores Danielis, & ſociorum; miſericordiæ in hos tres innocentes: nam cum ex imperio Regis iſti tres Sancti miſſi fuerint in fornacem accenſam, ignis intactos ipſos reliquit, & perſecutores conſumpſit; ut videas, quòd elementa, & creaturæ armantur contra hoſtes Dei; ſic in morte Chriſti terra commota eſt contra perſecutores Chriſti; item aqua ut accidit Ægyptiis perſequentibus populum Dei; ignis etiam, ut patet hic, ſignificaturque triplex pœna à Deo immiſſa contra ſuos inimicos, ſcilicet temporalis in aqua; judicialis in terræ motu; & æternalis in igne; in quibus commotionibus, & pœnalitatibus innocentes illæſi tranſeunt. *Serm. 4. Dom. 3. poſt oct. Epiph.* Nec hoc mirum, quia offenſo Creatore omnes creaturæ offenduntur, & ideò contra inimicos Creatoris armantur. *Opuſc. ſoliloq. c. 1. & op. ſtim. p. 1. cap. 7.*

20. *Impii ſunt cibus diaboli, ſed eos priùs vult coctos, & aſſatos in aqua, & igne.*

Porrò viros illos, qui miſerant Sidrach, &c. interfecit flamma ignis. Cur permiſit Deus, ut iſti impii miniſtri Regis ab igne interficerentur, antequam eos ad Infernum præcipitaret? cur eos immediatè non præcipitavit in Tartara? Sed attende ad myſterium, & transfer mentem ad illum obſeſſum *Matth. c. 9.* de quo dicitur, quòd diabolus frequenter in ignem, & in aquam mittebat, ut perderet, & conclude, quod ſicut glutto, & vorax amat porcellum, ut comedat, non quidem crudum, ſed tantum coctum: ſic diabolus venatur animas, ut eas perdat in inferno, & veluti cibos ſuos comedat, & devoret, ſed priùs vult aſſatos in igne avaritiæ, vel coctos in aqua luxuriæ in hac vita, ut ſic poſtea eos devoret in ignis ardore, & in frigore aquæ in inferno: ô qualis miſeria peccatorum, ô quot, ô quot diabolus ſic aſſat, & coquit in hac vita poſtea devorandos in alia. *Sermon. 2. feria 3. Pentec.*

21. *Iuſti imputant, & recognoſcunt pro cauſa flagellorum, quibus Deus torquet loca, & homines, non ſolùm peccata aliorum, ſed magis propria.*

Benedictus es Domine Deus, &c. quia juſtus es in omnibus, quæ feciſti nobis; peccavimus enim, & iniquè egimus recedentes à te, &c. Nota hic, quòd Daniel attribuit flagella immiſſa à Dei juſtitia rectiſſima, ſuis peccatis, & ſimul etiam populi ſui; ut diſcas, quòd juſti, quando orant pro ſe ſua propria peccata pro cauſa flagellorum divinorum recognoſcunt, quando orant pro populo, in medium etiam afferunt peccata aliena; unde hoc diſcrimen eſt inter confitentem in confeſſione Peccata, quia ſola ſua propria Confeſſario revelat coram Deo; & inter deprecationem, quam fundunt juſti pro ſe, & pro populo, tunc enim in medium proferunt coram Deo, & ſua peccata, & peccata populi, ut de ipſis veniam impetrent: in confeſſione enim gerunt perſonæ privatæ vices; & in oratione gerunt vices perſonæ publicæ. *Lib 4. d. 21. p. 2. art. 1. quæſt. 3. ad primum, Luc. cap. 23. verſ. 41. Pſalm. 118. cap. 4. v. 3. & c. 9. verſ. 9.*

22. *Transgreſſor præceptorum Dei traditur in manus diaboli.*

Peccavimus, & iniquè egimus recedentes à te, &c. & præcepta tua non audivimus, &c. & tradidiſti nos in manibus inimicorum noſtrorum iniquorum, & peſſimorum, prævaricatorumque & regi injuſto, & peſſimo ultrà omnem terram. Ecce effectus tranſgreſſionis mandatorum Dei, & nota, quòd dicit Daniel, ſe, & ſuos traditos fuiſſe in manus Regis omnium hominum peſſimi: & quis hoſtis tam peſſimus ſuper omnes homines, niſi diabolus? dat igitur intelligere; quod tranſgrediendo præcepta divina, recedens à Deo juſto judicio traditur in manus, & in poſſeſſionem diaboli, & hoc juſtiſſimè; qui enim Deo non vult ſervire in lætitia cordis, ſervire diabolo cogitur in egeſtate perpeſſioneque infinitorum malorum. *Sermon. 1. de dec. præcep.*

23. *Humilitas antè oculos noſtros proponitur non ſolum ex eo, quod ſumus; ſed ex eo, quod malè fecimus contra Deum.*

Quia Domine imminuti ſumus pluſquam omnes gentes, ſumuſque humiles in univerſa terra hodie propter peccata noſtra: Hæc dicebat Daniel coram Deo: in quibus nota duo; primum imminuti ſumus; ſecundum humiles ſumus propter peccata noſtra: duoque motiva iſta nobis antè oculos mentis proponebat ad excitandam humilitatem coram Deo; primum eſt conditio, ex parte naturæ humanæ; ſecundum eſt ex parte culpæ; nam ex parte naturæ noſtræ imminutionem maximam nobiſcum portamus, nempè ratione materiæ viliſſimæ, ex qua generati ſumus; ratione cibi abominabilis, ex quo in utero ſumus nutriti; ratione veſtis, qua in hunc mundum nati ſumus; ratione curarum, & miſeriarum, quibus expoſiti ſumus in hac vita, ex parte culpæ ſubdit humiles ſumus propter peccata noſtra, quia Deum offendimus Creatorem, Redemptorem, & noſtrum Judicem, & ultorem: quid igitur ſuperbis terra, & cinis? *Serm. 4. de uno Confeſſ. & opuſc. de perfect. vitæ. cap. 2.*

24. *Purgatorii miſeriæ expenduntur.*

Et non eſt in tempore hoc nec holocauſtum, neque ſacrificium, neque oblatio, neque incenſum, neque locus primitiarum, ut poſſimus invenire miſericordiam coram te. Hæc dicebat Daniel in fornace ardenti poſitus; ſed quo veritatis fundamento? nonne poterat animo contrito ad Deum converti, & invenire miſericordiam? ergone porta miſericordiæ

diæ ipſi erat obſignata, & clauſa; ſed attende, quòd hæc dicebat, quia cum populus Iſraëliticus eſſet reductus in captivitatem Babilonicam, etiam privatus erat illis auxiliis, quibus in templo Jeruſalem erant prius ditati, nempe ſacrificiis, oblationibus; ſed tamen hæc verius dicuntur in perſona animæ exiſtentis in fornace Purgatorii, cujus deſolationes, & miſeriæ hic enodantur: Nam in Purgatorio licet illæ animæ ſint ſanctæ, ut erat Daniel, & ad Deum converti poſſint; tamen in illa fornace non eſt holocauſtum, ſacrificium, & oblatio Dominici corporis, neque incenſum meritoriæ operationis; neque ibi ſunt primitiæ eleemoſynarum, quibus ſatisfacere poſſint juſtitiæ Dei per ſeipſos; unde ſolùm per Eccleſiam & alios juvari poſſunt, cum ipſis ſit clauſa porta miſericordiæ, ſed tantùm eis oſtendit Deus indignationem, & faciem abſcondit ab eis: laboremus igitur donec dies eſt, & dum vivimus in hoc mundo, quia venit nox, in qua nemo poteſt operari. *Ser. 3. Dom. 6. poſt Pentec. Joan. 6. 8. v. 2.*

25. *Qui vult Deo placere, & ipſum placare ſerviat ipſi toto corde, non dimidiato.*

Et nunc ſequimur te in toto corde, & timemus te, & quærimus faciem tuam: ne confundas nos, ſed fac nobiſcum juxta manſuetudinem tuam, & ſecundum multitudinem miſericordiæ tuæ. Nota ordinem iſtorum verborum Danielis, quibus placare Deum intendebat: primò enim dicit, quòd in toto corde ſequebatur Deum; nota inquam illud verbum in toto corde, ut oſtendat, quod qui vult Deo perfectè ſervire, ipſumque placare, debet toto corde, non dimidiato ſequi Dominum: vult enim Deus totum cor, non dimidium, ſcilicet partem Deo, & partem diabolo ut quidam faciunt, qui bona opera facientes, ſe de illis laudari volunt, & propter ipſa extolluntur in vanitatem, & ſuperbiam. *Ser. 1. feria 3. Pent.*

26. *Ad adventum Chriſti Angeli miſſi à Patre in fornacem Mundi, excuſſa eſt flamma ignis nos comburentis.*

Angelus autem deſcendit cum Azaria, & ſociis ejus in fornacem, & excuſſit flammam ignis, & fecit medium fornacis, quaſi ventum roris flantem. Quis iſte Angelus? Angelus interpretatur nuncius: ergo hic nuncius eſt Chriſtus miſſus à Patre in Mundum; tamquam in fornacem diabolicam, in qua ardebat totum genus humanum in igne concupiſcentiæ, & peccati; venit ergo Chriſtus in hanc fornacem, ſcilicet in mundum, ut nos liberaret ab hoc igne devorante, ſicut liberavit tres pueros; & ideò miſit Spiritum Sanctum, ut per ventum roris flantem, ſcilicet per ſuam gratiam in nobis extingueret ignem concupiſcentiæ, avaritiæ, & ſuperbiæ: felix ergo qui ſe conjungit cum Chriſto, ut per gratiam Spiritus Sancti liberare poſſit ab omni malo igne. *Ser. 2. Dom. 3. Adv. & op. Eccleſ. Hierarch. p. 1. c. 1. Luc. c. 3. v. 21.*

27. *Oratio efficax extinguit impugnationem vitiorum.*

Ne ergo tradas nos in perpetuum propter peccata noſtra, &c. Hæc & alia dicebat Daniel clamans in oratione ad Deum, & qua oratione peracta Angelus Domini deſcendit in fornacem &c. & excuſſit flammam ignis &c. ut videas quàm efficax ſit oratio ad extinguendam flammam vitiorum, ad impetrandum à Deo ventum roris flantem, ſcilicet Spiritum Sanctum; & ideò de medio fornacis incenſum orationis obtulit Deo, qua ad Deum aſcendit, & totum, quod deſiderabat, & petebat obtinuit; ut pateat, quàm Deo chara ſit oratio in tribulatione fuſa. *Ser. 2. & 3. Dom. 2. Quadrag. & ſer. 3. Dom. 20. Pent. & op. Diet. tit. 2. capit. 5.*

28. *Solum pueris extinguit Deus flammam vitiorum, & concupiſcentiæ.*

Et excuſſit flammam ignis de fornace &c. Nota, quòd iſti pueri, ſimul & viri vocantur, quibus Angelus excuſſit, & extinxit flammam ignis: Viri erant ſcilicet perfecti, & perfectè converſi ad Dominum, & ideò à puritate dicuntur etiam pueri: his ſolis Deus excutit flammam vitiorum, & concupiſcentiæ, ſcilicet quibus eſt veritas mentis, oris; & operis, ſcilicet in corde ſimplicitas, in ore veritas, in opere ſinceritas & juſtitia. *Pſal. 28. Pſal. 35.*

29. *Deus extinguit flammam vitiorum ſolùm nolentibus adorare aurum, & argentum.*

Angelus, &c. & excuſſit flammam ignis, &c. Cur tantum beneficium Deus per Angelum his pueris impertivit? & quo medio? quia noluerunt iſti tres pueri adorare ſtatuam auream, & argenteam; ut diſcas, quòd flamma vitiorum à Deo extinguitur iis, qui aurum, & argentum non adorant, ſcilicet qui Deum non poſtponunt pro his caducis rebus. *Ser. 1. de S. Mich. & ſer. 2. de plurib. Confeſſ. in addit.*

30. *Protectio Angelorum in nos expenditur.*

Angelus autem Domini deſcendit cum Azaria, &c. Ut hinc videas quàm ſollieiti, quàm prompti ſint Angeli in cuſtodia noſtra; mitigant enim nobis æſtum tentationum, & in medio tribulationum liberos nos incedere faciunt. *Ser. 4. de Ang. op. Comp. Theol. lib. 2. c. 18.*

31. *Oratio Deo chara eſt multorum in unum congregatorum.*

Tunc hi tres quaſi ex uno ore laudabant, & glorificabant, & benedicebant Deum in fornace dicentes, &c. Quomodo ex uno ore, ſi erant tres, & tria ora, & tres linguæ, & tres orantes? optimè dicit, quia licet eſſent tres & tria ora, tamen per concordiam, & unitatem erant unum cor, & veluti unicum os, & unica lingua, & tali modo aſpectu tanti miraculi Deum quaſi uno ore laudabant, quæ oratio Deo ſummopere placet, & nobis valdè proficua: ſicut enim multitudine vocum unitarum ſecundùm quandam pro-

portionem,

portionem, & harmoniam dulcedo fit cantus; ſic ex multorum orantium affectione, & concordia in unum fit harmonia ſpiritualis placens ſummopere Deo altiſſimo; & ideò ubi non eſt concordia ibi nec poteſt eſſe perfecta laus divina. *Ser. 1. Hexam. & op. Diat. tit. 4. c. 1.* Et hinc in Eccleſia chorus laudantium Deum inſtitutus eſt, ut Clerici, & Religioſi ad ſimilitudinem Angelorum unitate vocum, & cordis Deum laudarent. *Ser. 1. in feſto omnium ſanctorum: in Luc. c. 15. v. 25. & Pſal. 67.*

32. *Invitantur omnes creaturæ, etiam inſenſibiles ad Deum laudandum, & quomodo.*

Benedictus es, &c. Benedicite omnia opera Domini Domino Cœli, &c. aqua, &c. Quomodo invitantur non ſolùm creaturæ rationales, ſed etiam irrationales, & inſenſibiles ad Deum laudandum? ſed attende, quod omnes creaturæ, invitantur ad Deum laudandum propter nos, nempe quia nobis porrigunt materiam, & excitant nos, ut verba Dei, vel ut liber Dei, ad Deum laudandum, & contemplandum ſuam potentiam, ſapientiam, & bonitatem, aliaque ſua attributa, relucentia in ipſarum opificio, ordine, & eſſe. *Pſalm. 148. & in Luc. cap. 18. verſ. 37. & c. 16. v. 9. & ſer. 12. Hexam. & op. Brevil. proœm. & Pſal. 27. & 103. & Pſal. 118 c. 1. v. 12. & in Luc. c. 1. v. 49. & lib. 2. d. 14. p. 1. q. 1. & ſer. 1. de B. Virg.*

33. *Beata Virgo Maria materia eſt nobis laudis divinæ.*

Benedicite aquæ omnes, quæ ſuper Cœlos ſunt, &c. Quomodo ſuper Cœlos ſunt aquæ? nonne aqua elementum eſt corruptibile? ad litteram vocantur Cœli chryſtallini nomine aquæ ob luciditatem, & diaphaneitatem: ſed myſticè nomine aquarum, vel potiùs cæli chryſtallini venit Beata Virgo Maria ob puritatem, candorem, pulchritudinem, & ideò ejus prærogativæ, nobis inſervire debent ad excitationem laudis divinæ. *Ser. 1. de B. Virg.*

34. *Jejunium, & oratio reddit homines cœleſtes, & ſimiles filio hominis.*

Ecce ego video quatuor viros ſolutos, & ambulantes in medio ignis, &c. & ſpecies quarti ſimilis filio Dei. Quomodo hic tribus his pueris additus eſt quartus ſimilis filio Dei? quis iſte quartus? hic vel Angelus miſſus à Deo, qui in nomine Chriſti filii Dei in medio fornacis apparuit, ut ſe opponeret ignitis jaculis Regis Babylonis, & ipſa deſtruxit; hic enim in animo virginali rore cæleſti & jejuniorum frigore extinguit juvenilem calorem, & humano corpori Angelorum converſationem confert: Vide qualem virtutem jejunii. *Op. Apol. paup. reſpon. 1. c. 3.*

35. *Inter quatuor præcipuos fundatores Religionum Auguſtinum, Benedictum, Dominicum, Beatus Pater ſanctus Franciſcus fuit ſpeciali modo ſimilis Chriſto: Ubi ipſius laudes recenſentur.*

Ecce vid; quatuor viros ſolutos, ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis eſt in eis, & ſpecies quarti ſimilis filio Dei. Sed quis unquàm tibi oſtendit, vel unquàm vidiſti filium Deum ut poſſes cognoſcere hunc quartum virum ſimilem filio Dei? hoc dicit, quia vidit in vultu; & in perſona ſuper vultum humanum ſplendorem radiare, & ideò filio Dei, & non hominis dicit eſſe ſimilem, ſed quia hæc contingebant in figura, rectè poteſt dici, quòd cum fornax, vel caminus myſticè ſit Religio animas probans purificans, & meliorans ad ſimilitudinem auri, & argenti: hinc quatuor viros in hac fornace intelligere poſſumus quatuor ſanctos Religionum Inſtitutores, & patronos Auguſtinum, Benedictum, Dominicum, & Franciſcum, qui fuerunt ſoluti à Mundo, & culpis, & illæſi in igne humiliationis, & pœnitentiæ, ſed ſpecies quarti ſingulariter ſimilis fuit filio Dei in conformatione ſtigmatum Jeſu Chriſti: hic enim fuit vir in virtuoſa morum converſatione; ſolutus in gratioſa peccatorum remiſſione, in igne illæſus in victorioſa tentationum evaſione, Filio Dei ſimilis fuit in miraculoſa membrorum conſignatione, ſcilicet non ſolùm ſimilis ſimilitudine univerſali, qua creatus, ut homo ſimilis Deo, ut præeſſet beſtiis terræ, quæ ipſi ſpeciali modo obtemperaverunt, ſed etiam ſimilitudine ſpeciali filio Deo per gratiam, & virtutes, præcipuè in humiliatione, paupertate, & ulterius quoad corpus in ſacris ſtigmatibus, in quo alius non eſt inventus ſimilis illi. *Ser. 1. de S. Franc. in addit.*

36. *Qui ſe ſubjicit providentiæ divinæ nullam jacturam pati poteſt.*

Statimquè egreſſi ſunt de medio ignis, &c. & nihil poteſtatis habuit in corporibus eorum ignis, &c. Vide prodigia divinæ providentiæ. quæ curam de omnibus agit, nihilque perire ſinit, cui divina potentia opitulatur, quia ſe ipſi totaliter ſubjiciens; nullam læſionem poteſt incurrere, ut patet in his tribus pueris. *In Luc. c. 21. v. 18.*

37. *Quàm mirabilis ſit Deus in omnibus ſuis operibus, ſed maximè in ſanctis ſuis.*

Signa, & mirabilia apud me fecit Deus, ait Nabuchodonoſor, ſigna ejus, quia magna, & mirabilia ejus, quia fortia, & regnum ejus ſempiternum, & poteſtas ejus in generationem, & generationem: Hæc eſt concluſio hujus tertii capitis; & hæc ſunt verba Regis Nabuchodonoſor, qui ex tanto miraculo cognovit, quod Deus eſt omnipotens, & mirabilis in ſignis, & prodigiis, & in effectibus ſuæ potentiæ, & maximè in ſanctis ſuis; verè quidem mirabilis dum ſervos ſuos exiſtentes in fornace ardenti concupiſcentiarum carnis, & cupiditatum Mundi, ipſos illæſos conſervat, præbens eis in carne præter carnem vivere; mirabilis quidem ejus potentia in omnibus operibus ſuis oſtenditur, quia lata eſt immenſitate, interminabilis æternitate, ad omnes, & ubique extendens effectus ſuæ altiſſimæ providentiæ. *in Ioan. collat. 50. & ſer. 2. de S. Nicol. in addit.*

CAP. IV.

38. *Homo arbor ſylveſtris, fit frugifera ſi inſeratur in eo virtus.*

VIDEBAM, & ecce arbor in medio terra, & altitudo ejus nimia; magna arbor, & fortis & proceritas ejus contingens Cœlum: folia ejus pulcherrima, & fructus ejus nimius, &c. Ad litteram in hac viſione explicatur ſupetbia, in quam ſe extulerat Rex Nabuchodonoſor; dejectio ipſi à Deo immiſſa, quia per ſeptem annos vixit ut beſtia inſenſata; & poſteà tradit ſacer textus converſionem ejus, & novam exaltationem ad regnum: ſed myſtice multa myſteria in hac viſione nobis oſtenduntur; & primò oſtenditur per arborem qualitas hominis, qui eſt arbor inverſa, & ſylveſtris, cui ſi inſeratur virtus, relinquit beſtias in terra, ſcilicet motus ſenſuales, & erigitur in arborem altam per juſtitiam; fortem per conſtantiam; frondoſam per eloquentiam; magnam per prudentiam, quæ dirigit omnes virtutes; diffuſam per miſericordiam; fructiferam per devotionis exuberantiam; omnes paſcuntur ex ea per fraternam ædificationem; ſubter eam beſtiæ, per ſenſuum exteriorum refrænationem; in ramis ejus volucres Cœli per motuum exteriorum moderantiam, & per contemplationem myſteriorum cæleſtium, quæ homini tribuit converſationem in Cœlis, & cum Angelis: hic homo ſi in peccatum mortale cadit, contra eum inclamat Vigil, ſcilicet Chriſtus in Evangelio, & Prædicator, ſuccidite arborem, quia omnia iſta bona perdit, & alligatus remanet vinculo peccati, & ejicitur de converſatione juſtorum. *Op. Diet. tit. 5. c. 1. & Gloſſa moralis.*

39. *Qualis arbor ſit fides.*

Et ecce arbor in medio terra, &c. Nota, quòd per iſtam arborem etiam intelligitur fides catholica quæ per prædicationem Evangelii crevit, & ſe dilatavit per totum mundum, fructificans, & creſcens in hominibus fidelibus, omnibuſque præbet cibum ſalutis, in ramis ejus habitant volucres Cæli, ideſt viri ſpirituales requieſcunt in ejus doctrina, & pennis virtutum in alta tranſcendunt. *Luc. c. 13. v. 19.*

40. *Mirabilia arboris Crucis expenduntur.*

Et ecce arbor in medio terra, &c. Nota, quòd hæc arbor myſticè eſt ſancta Crux, in qua Chriſtus pependit, & de qua canit Eccleſia, Arbor decora, & fulgida: Arbor eſt Crux, ſub qua homines, qui erant veluti beſtiæ, ſuſcitantur in virtutum converſatione, & vitæ Angelicæ, elevantur in contemplatione, & cibantur in fruitione: Arbor eſt, cujus fructus eſt pomum, ſcilicet Jeſus Chriſtus: pomum quidem rubicundum exteriùs per ſanguinis effuſionem; & candidum interius per innocentiam; alioſque fructus edidit hæc arbor, nempè pomum obedientiæ, pro pomo inobedientiæ primi hominis; pomum vitæ pro pomo mortis, & ideò ſub hac arbore quotidiè ſuſcitantur animæ: Arbor quidem elevans animam in altum, ſcilicet aſcenſu credendo, diligendo, de virtute, in virtutem proficiendo ad videndum Deum; aſcende igitur in hanc arborem ad apprehendendum fructum in ipſa pendentem, ſcilicet Chriſtum Jeſum per dilectionem: Hæc arbor vitæ eſt in medio terræ, quia operatus eſt Chriſtus ſalutem in medio terræ; vide ejus magnitudinem, quia in hac arbore vitæ eſt profunditas juſtitiæ, quæ reprobos condemnat; ſublimitas gloriæ, quæ in ſummo Cœli ſuos remunerat: latitudo charitatis, quæ peccatores conciliat: longitudo bonitatis, quæ ſuos in gratia conſervat: Vide fortitudinem, quia vicit diabolum, & peccatum, & graviſſimum pondus peccatorum totius mundi portavit: Vide pulchritudinem in foliis, floribus, & fructibus, quia ejus folia ſunt verba Chriſti in Cruce prolata, & à ſanctis in laudem ejus prædicata flores ſunt virtutes Crucifixi, ibi flos obedientiæ, flos patientiæ, flos humilitatis, flos charitatis: Vide plenitudinem fructuum ejus; nam fructus hujus arboris ſunt omnes animæ per crucem redemptæ, ſed potiſſimus omnium eſt Chriſtus Jeſus, quia ſub ipſo ſunt animalia, & in ramis volucres Cœli; animalia ſub arbore ſunt quicumque ſub Cruce vivunt in Mundo; aves in arbore ſunt quicumque per Crucem in Cœlo ſunt; quaſcumque ergo in hoc Mundo prægustationes, vel conſolationes à Crucifixo percipimus, illas quaſi animalia ſuper terram, quaſi ſub arbore colligimus: Aves quæ in ramis ſunt de fructu, ubi pulchrior, ubi dulcior fuerit, veſci poſſunt, ſic ſancti in Cælo pro labore ſuo fruuntur Crucis fructu Domino noſtro Jeſu Chriſto & quantò altius, tantò dulcius *Ser. 2. in exaltat. S. Cruc. in addit. Op. Comp. Theol. lib 4 c. 19. op ſpecul. B. V. lect. 5.*

41. *Qui benè incipit, & non perſeverat, in vanum laborat.*

Et ecce arbor magna &c. & in ramis ejus volucres Cæli, &c. Nota, quod extenſio horum ramorum ſignificat extenſionem bonorum operum benè incipientis in ſervitio Dei, ſed ſi non perſeveraverit, audiet illud terribile verbum, ſuccidite arborem, quia in vanum laborat ſine perſeverantia *Sap. c. 4. Luc. c. 3. v. 9.*

42. *Maria Virgo arbor digniſſima.*

Et ecce arbor magna in medio terra, &c. Nota, quòd iſta arbor tam excelſa fuit Beata Virgo Maria, quæ humectata humore gratiæ crevit ab inſtanti ſuæ conceptionis; ideò altiſſima fuit ſuper omnes homines, & Angelos: rami hujus arboris ſunt virtutes, & exempla, & beneficia ejus; in his ramis libenter habitant, & jubilant cæleſtes aviculæ, ideſt animæ ſanctæ: ô quàm altè hæc arbor ramos ſuos extendit, quam latè ad homines, quàm longè ad Angelos, quàm altè ad Deum: ipſa enim omnibus ſinum aperit, ut de plenitudine ejus omnes accipiant, captivus redemptionem, æger curationem, triſtis conſolationem, peccator veniam, juſtus gratiam, Angelus lætitiam, denique tota Trinitas gloriam filii perſona carni, humanæ ſubſtantiam. *Op. ſpec. B. V. l. 5. & 16*

43. *Ex.*

43. *Ex arbore Mariæ qualis fructus productus.*

Et ecce arbor magna in medio terræ: magna arbor, & fortis, & proceritas ejus contingens Cœlum, aſpectus illius erat uſque ad terminos terræ, folia ejus pulcherrima, & fructus ejus nimius, & eſca univerſorum in ea, &c. Maria Virgo verè eſt hæc arbor magna, cujus rami ſe extendunt per univerſum orbem, ut dictum eſt; altiſſima quidem dignitate, profundiſſima in medio terræ humilitate, & collocata in medio Paradiſi Eccleſiæ: cujus folia ſunt verba ſanctiſſima, flores deſideria cordis, & fructus exempla, & opera; ſed inter hos fructus, eſt & alius fructus, qui dicitur nimius, ſcilicet Chriſtus virgo de virgine, Dominus de ancilla, Deus ex homine, filius ex matre, fructus ex terra benedicta; fructus hujus arboris verè nimius eſt, ſcilicet delitioſus in odore exemplorum, delitioſior in ſpecie, & decore, candidus divinitate, rubicundus humanitate, & delitioſiſſimus ſapore; fructus item virtuoſiſſimus ad perditorum ſalutem, ad ſalvandorum multiplicationem & ad iſtorum conſervationem; fructus item copioſiſſimus, quia homines, & Angelos poteſt reficere. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 16.*

44. *Quantò quis in ſublimiori ſtatu collocatus eſt à Deo, tantò humilior debet eſſe.* Sic enim Daniel dixit Regi Nabuchodonoſor, ut cognoſcant viventes, quoniam dominator excelſus in regno hominum humilia reſpicit, & humillimum hominum conſtituit ſuper ipſum. *Op. Eccleſ. Hierarch. p. 2. c. 3.*

45. *Locuturus de rebus magnis prius tacitus ipſa intra ſe ruminet;* ſic facit Daniel, quando vocatus fuit à Rege, ut ſomnium de arbore magna interpretaretur, de quo dicitur, *quod cœpit intra ſemetipſum tacitus cogitare quaſi una hora, & cogitationes ejus conturbabant eum.* Hæc enim eſt magna prudentia prius in corde ruminare, quæ foris exhibenda ſunt; hoc & ad Prædicatores dicitur. *Luc. c. 1. v. 29.*

46. *Peccata mortalia, & præcipuè ſuperbia ejiciunt hominem à conſortio ſalvandorum.*

Hæc eſt interpretatio ſententiæ Altiſſimi, &c. ejicient te ab hominibus, & cum beſtiis, & feris erit habitatio tua, &c. O terribilis ſententia à Propheta contra Nabuchodonoſor fulminata; ſed cur hæc ejectio tam formidabilis? hæc fuit effectus ſcelerum, & præcipuè ſuperbiæ Regis: hæc ſententia continuè intimatur à Deo in hominem exiſtentem in peccato mortali, quia quodlibet peccatum mortale à Deo ſeparat hominem, & cum Dæmonibus conſtituitur ejus habitatio *Ser. 4. Dom. 2. poſt oct. Epiph. & ſer. 1. de S. Th. & ſer. 1. de S. Ant. Patav.*

47. *Eleemoſyna propter Deum facta in peccato mortali eſt diſpoſitiva de congruo ad gratiam gratum facientem.*

Sic impoſuit Daniel Regi Nabuchodonoſor, *Peccata tua eleemoſynis redime.* Sic enim intendebat, ut per eleemoſynas ſe diſponeret ad perfectam converſionem. *Lib. 4. d. 15. p. 1. q. 5. Luc. cap. 5. v. 20. & c. 11. v. 41.*

48. *Eleemoſyna eſt medium ſatisfaciendi Deo pro peccatis aptiſſimum.*

Peccata tua eleemoſynis redime. Ergo per eleemoſynam reconciliamur Deo, & redimere poſſumus peccata, ſcilicet pro eis ſatisfacere; vult enim Deus, ut qui miſericordiam ab ipſo poſtulat; & ipſe miſericordiam cum proximo faciat. *Lib. 2. d. 40. a. 2. q. 2. & lib 4. d. 15. p. 2. a. 1. q. 4. & ſerm. 1. Dom. 1. poſt oct. Pentecoſt. ſermon. 2. Dom. 10. Pentec.*

49. *Eleemoſynæ fructus expenduntur.*

Peccata tua eleemoſynis redime. Dat intelligere Propheta, quàm efficax ſit eleemoſyna coram Deo; nam per ipſam impetratur mundatio à peccatis, liberat à malo pœnæ quia eſt ſatisfactoria; item mitigat fomitis concupiſcentiam, item dat de hoſte victoriam; item dat, & auget fiduciam cum Deo, tùm in ordine ad gratiam; tum ad gloriam. *Luc. c. 11. v. 41.*

50. *Multiplex eleemoſyna ſuadetur ſpiritualis, & corporalis.*

Peccata tua eleemoſynis redime. Nota, quòd dicit eleemoſynis, non eleemoſynâ, quia multiplex eſt eleemoſyna, qua adiuvamur, ut nobis peccata dimittantur; nam eleemoſyna dicitur non ſolùm ſubventio corporalis ad relevandam indigentiam pauperum, ſed etiam omne opus miſericordiæ, ſive ſpirituale, ſive corporale impenſum proximo, ſive etiam ſibi ad ſalutem ordinatum. *Lib. 4. d. 15. p. 2. a. 1. quaſt. 4. & ibid. dub. 2. & Pſalm. 36. & 39.*

51. *Quàm Deo abominabiles, qui ſibi attribuunt dona à Deo recepta.*

Reſpondit Rex: nonne hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei. Vide quomodò iſte Rex adhuc erigitur in ſuperbiam, ſibi attribuens iſta dona à Deo recepta, & in ſua virtute, divitijs, & munitione civitatis, non in Deo confidens: Et ecce ſtatim erupit vox de Cœlo: Tibi dicitur Nabuchodonoſor Rex; regnum tuum tranſibit à te; quia Dei juſto judicio ſuperbi privantur eiſdem donis, ſicut privatus fuit iſte ſuperbiſſimus Rex. *Pſalm. 103. & Gloſſa hic.*

52. *Peccatum redigit hominem in beſtiam multiplicem, & in ſtabulo diaboli recondit.*

Nabuchodonoſor eadem horâ ex hominibus abjectus eſt, & fœnum ut bos comedit, & capilli ejus in ſimilitudinem aquilarum creverunt, & ungues ejus quaſi avium. Vide vindictam Dei ſuper hunc ſuperbum Regem, quia redactus, quoad ſimilitudinem in beſtiam multiplicem, in bovem propter ſtoliditatem, in aquilam propter voracitatem, in vulturem propter rapacitatem, &c. Ecce quid peccatori accidit; nam licet in eſſe naturæ non detur beſtia multiplex ſpecie, & una ſimul, in eſſe tamen moris datur propter multitudinem vitiorum; comparatur enim Leoni per ſuperbiam, Draconi per invi-

invidiam; cani per iram, talpæ ob avaritiam, Aſino per accidiam, Lupo per gulam, Viro per luxuriam, & à diabolo ligatus ponitur in ſuum ſtabulum ſibi ſubjectus *Op. Diat. tit.10.cap.5. op. de Prof. Religioſ. lib.2.cap. 15.ſerm. 6. Dom.infrà oct.Epiph.ſerm.1.feria 3. Paſcha. ſerm.3. Dom.11. Pentec.*

53. *Deus illuminando confert uſum rationis ſuis: diabolus aufert infatuando.*

In ipſo tempore ſenſus meus reverſus eſt ad me, & ad honorem regni mei, &c. Ecce quomodo cum in manu diaboli vixerat iſte Rex, diabolus ipſe eum infatuarat; ſic enim facit cum ſuis ſequacibus auferendo ipſi uſum rationis, ſed cum ad Deum revertuntur, etiam ipſis reſtituitur uſus rationis, & hinc iſte Rex converſus ad Deum, laudavit, & magnificavit ipſum voce, & operibus propter ſua opera tam magna, & mirabilia, ſic enim debent facere ſequaces Chriſti. *Luc.c.8. v.35.& c.1.v.46.& ſerm.4.Dom.15.poſt Pent.*

CAP. V.

54. *Convivium juſtorum, & impiorum quale, & qualis differentia inter hæc.*

BALTHASAR *Rex fecit convivium grande optimatibus ſuis mille, & unuſquiſque ſecundùm ſuam bibebat ætatem, præcepit ergo jam temulentus, ut afferrentur vaſa aurea, & argentea, quæ aſportaverat pater ejus de templo, quod fuit in Ieruſalem.* Nota ad litteram, quod Balthaſar iſte fuit nepos Nabuchodonoſor Regis, de quo ſuprà dictum eſt, fecit autem convivium hoc grande, quia audierat Jeremiam prædixiſſe, quod in ſeptuaginta annis terminaturum erat regnum Chaldæorum, & ideò credens eos pertranſiſſe, & per conſequens prophetiam Jeremiæ fuiſſe falſam, fecit tale feſtum: Tunc autem omnes Principes regni convenerant in Babylonem, ut defenderent civitatem contra Darium, & Cyrum, qui actu obſidebant eam: fecit igitur hoc convivium ad ſui oſtentationem optimatibus ſuis: at hoc notatur à Spiritu Sancto, ut pateat diſcrimen convivii juſtorum, & impiorum: nam juſti pauperibus faciunt convivium ad peccatorum remiſſionem, & divinæ gratiæ impetrationem. Impii verò imitatores Balthaſaris (qui interpretatur abſorbens divitias) ſua bona conſumunt in vitiis, maximè carnalibus, & in comeſſationibus, & ebrietatibus, & in his excitatur furor Domini contrà tales impios. *Luc.c.14.v.12.& Gloſſa hic.*

55. *Idem argumentum de convivio bonorum, & malorum, & de lectione in utroque ſacra, & prophana.*

Rex fecit convivium grande optimatibus ſuis, &c. qui bibebant vinum, & laudabant deos ſuos, in eadem hora apparuerunt digiti, &c. Vide iterum diſcrimen inter convivium impiorum, & bonorum, nam in convivio impiorum laus decantatur in honorem diaboli, nempè in comeſſationibus, & ebrietatibus miſcetur lectio prophana, ſicut dicitur de iſtis impiis, qui laudabant Deos ſuos, ſcilicet ut legit Gloſſa interlinearis inſultantes Deo vero, canentes carmina Poëtarum, omneſque Gentilium inventiones, hæc eſt lectio à diabolo propoſita ſuis. E contra Eccleſia inſtituit lectionem ſacram in menſa Religioſorum, & in conviviis piorum hominum ſuadet, ut miſceantur verba ſpiritualia, ut ſic ſimul paſcatur corpus, & Spiritus: & hinc mirum non eſt, quod in conviviis impiorum vinum conſolationum corporalium convertatur in aquam tribulationum, & miſeriarum, ut accidit iſtis potatoribus, qui in eadem nocte captivati remanſerunt in hoſtium poteſtate, è contra in conviviis ſpiritualibus aqua tribulationum vertitur in vinum conſolationum ſpiritualium. *Luc.c.14. v.12. & ſer.1. Dom.2.poſt oct.Epiph. & Gloſſa.*

56. *Prophanatio rerum ſacrarum quàm Deo exoſa.*

In eadem hora apparuerunt digiti, quaſi manus hominis ſcribentis contra candelabrum, &c. tunc facies Regis immutata eſt, &c. Nota, quod dicit in eadem hora, in qua hora? in eadem hora (reſpondet Sanctus Hieronymus, & ibidem Gloſſa) in qua divina contaminata, & vaſa Sacra converſa ſunt humanis uſibus, & prophanis, mox ſacrilegium pœna conſecuta eſt: ut videas quali reverentia loca ſacra, res Deo, & uſui ſacro dicatæ tractandæ ſunt, & quàm ſeverè Deus puniat tranſgreſſores & prophanatores ipſarum. *Ser. de dedic. ſer.1. & ſeq. de dedic. ſerm.2. de SS. Philip. & Iacob. Ioan. cap.2. verſ.14. ſeq. ſermon. 4. Dom. 9. Pentec.*

57. *Dei potentia mirificè exaltatur in dejectione ſuperborum.*

Unde loquens Daniel ſuperbo Balthaſaro proponit dejectionem factam à Deo in perſona Nabuchodonoſor patris ſui ob ſuperbiam ſuam, & idem dicit de ſuperbia ejuſdem Baltaſaris, *Tu quoque filius ejus Balthaſar non humiliaſti cor tuum, cum ſcires hæc omnia, idcircò miſſus à Deo articulus manus, quæ ſcripſit damnationem tuam. Luc. cap.1. verſ.52.*

58. *Mane, Thecel, & Phares exponitur.*

Hæc eſt ſcriptura in pariete facta à manu Domini contrà Regem Babylonis, quæ non ſolùm ad ipſum directa eſt, ſed & ad quemlibet noſtrum. *Mane* ſcilicet numeravit Deus regnum tuum, & complevit illud, quia Deus numerat omnes dies, opera, & cogitationes noſtras, & præcipuè curſum vitæ: *Thecel*, appenſus es in ſtatera, quia Deus in judicio appendit juſtiſſimè merita, & demerita, & illos, quos invenit minus habentes, damnat, & *Phares*, id eſt diviſum eſt regnum tuum, & datum eſt Medis, & Perſis: Ecce quàm funeſta diviſio regni impiorum: nam in morte res tollunt hæredes, vermes corpus, Dæmones animam, & ſic æternaliter dividuntur à Deo, & ſociantur Dæmonibus in Inferno. *Pſal.38. ſer.3. feria*

feria 2. Pent.& ſer. 1. Dom. 3. Pent. ſerm. 4. in feſta S. Laur. in addit.

59. *Gloria Mundi quàm vana, & fallax.*

Tunc jubente Rege indutus eſt Daniel purpura, & circumdata eſt torques aurea collo ejus, & prædicatum eſt de eo, quòd haberet poteſtatem tertius in regno. Ecce quali præmio donatus Daniel à Rege ob interpretationem ſcripturæ: nempè data ſunt ipſi inſignia tertiæ perſonæ in regno ſuo, ſed inter hæc adnumerata torques collo ejus impoſita; ſed attende, quod erat torques quidem, ſed aurea: per aurum ſignificatur gloria mundana, per torquem captivitas, quam fert ſecum felicitas Mundi: eſt enim vaniſſima, breviſſima, fallaciſſima: & mundanis in tanta gloria accidit quod Leoni, qui valdè glorioſus incedit, ſed dum ſuam vanam potentiam non advertit, in foveam ſæpè ruit, de qua cum exire non poſſit, ſubmittit collum catenis: ergo in felicitate mundana nullo modo eſt gloriandum. *Serm. 1. de uno S. Martyr. ſer. 1. de S. Andr.*

CAP. VI.

60. *Ab unoquoque noſtrum reddenda eſt ratio tribus Principibus à Deo ordinatis.*

CONSTITUIT Darius ſuper regnum Satrapas centum viginti, ut eſſent in toto ſuo regno; & ſuper eos Principes tres, ex quibus Daniel unus erat, ut Satrapæ illis redderent rationem, &c. Ecce quomodo iſte Rex prudenter pro recto regimine plures miniſtros elegit, ſed inter hos, tres conſtituit, ut iſtis omnes redderent rationem ſuæ adminiſtrationis: & hoc fecit ſic Deo diſponente, ut nobis inſinuaretur, quòd unuſquiſque redditurus eſt rationem tribus Principibus, nempè in hac vita Principi ſacerdotali in confeſſione: Principi univerſali in morte, & Principi infernali in extrema quadrantis exactione: ò liberet nos Deus ab hac ultima exactione. *Ser. 2. Dom. 8. Pent.*

61. *Malignitas invidorum maximè in curiis quàm inſidioſa.*

Principes, & Satrapæ quærebant occaſionem, ut invenirent Danieli: contra Danielem, legunt ſeptuaginta. Vide mores curialium, & malignorum in curiis Principum, & Prælatorum: iſti Satrapæ videntes Danielem inveniſſe ſuper omnes gratiam apud Regem, invidentes ipſius proſperitati, quærebant occaſionem inſidioſè, ut à gratia Regis caderet; hoc enim eſt proprium malignorum invidorum, qui inſidias ex quacumque re, & actione ſive bona, ſive mala tendunt proximo; ſed tamen Dei judicio juſto in inſidiis ſuis capiuntur tandem impii. *Luc. c. 6. v. 7. & Gloſſa hic: & op. Diat. tit. 1. c.* 4. & hoc eſt, quod frequenter in curiis Principum, & Magnatorum accidit malignis inſidiatoribus proximi.

62. *Horarum canonicarum ordo ab Eccleſia dictante Spiritu Sancto inſtitutus?*

Daniel tribus diei temporibus genua flectebat, & adorabat. Cur tribus temporibus in die? quia cum multa negotia regni haberet præ manibus, diſtribuerat curſum diei in tria tempora, quæ in Dei laudibus inſumebat; & hinc dictante Spiritu Sancto Eccleſia inſtituit horas canonicas, ut ſic perſonæ Deo dicatæ concentum Angelorum pro modulo ſuo imitarentur; tum ut ſtatis horis invitarentur ad Deum laudandum, & ipſi gratias agendum pro tot beneficiis, & ſeipſos excitarent ad devotionem. *Op. de ſex alis Seraph. c. 8. & Gloſſa hic.* Diſcant ex hoc exemplo Danielis in functionibus publicis occupati, & maximè Prælati, & Principes, ut aliquale tempus dictis functionibus ſurripiant ad ſe coram Deo colligendos, & occupandos in Dei ſervitio. *Vide op. de ſex alis Seraph. c. 8. & l. 4. d. 22. p. 1. dub. 5. & ſerm. 4. Dom. 9. Pentec. & Pſal. 50.*

63. *Abſentes ab Eccleſia orent converſi ad ipſam, vel ad Tabernaculum, in quo Sanctiſſimum Euchariſtiæ aſſervatur Sacramentum.*

Ingreſſus Daniel domum ſuam, & feneſtris apertis in cænaculo ſuo contra Ieruſalem tribus temporibus in die genua ſua flectebat, & adorabat Deum. Cur contra, ideſt, converſus ad Jeruſalem ſtans in Babylone ſuas orationes fundebat? reſpondet Lytanus ex 3. *Reg. cap.* 8. Filii Iſrael ducti in captivitatem orabant verſa facie contra Ieruſalem, ut ex memoria templi, ubi Deus colebatur oratio eorum eſſet magis devota, & exaudibilis: ex quo diſcamus (ait Seraphicus Doctor) quod non ſolùm pœnitentium in domo orationis exauditur oratio, ſed etiam abſentium, dummodo cor ſuum referant per conſiderationem, & devotionem ad orationes, quæ in Eccleſia fiunt, igitur cum fueritis in itinere, vel in labore: vel in juſta negotiatione, ſi ad domum orationis intereſſe non poteſtis, quaſi egreſſi ad pugnam, dirigite orationem mentis veſtræ ad domum orationis: ſic enim devotio major excitatur, ſic & oratio veſtra ſpiritualiter unitur orationibus, quæ in Eccleſia ab aliis fiunt: *ſerm. 4. de dedicat.* Monitum hoc verè ſanctum, & ſaluberrimum; & hinc magiſtri vitæ ſpiritualis conſulunt homines ſpirituales, & ad devotionem, perfectionemque tendentes, quod cum ipſi ab Eccleſia abſentes degunt, aliquando oculos, & faciem vertant ad Eccleſiam, & maximè ad Sacrum Tabernaculum, ubi aſſervatur Sanctiſſimum Chriſti corpus, & aliquam orationem, actus jaculatorios amoris, doloris, & deſiderii ad ipſum emittant; ſic enim exemplo Danielis orantis contra Ieruſalem devotionem excitabunt, & augebunt, Deoque gratiores reddentur.

64. *Cultus Dei perfectus, quam Deo charus, quam proficuus.*

Dixitque Rex Danieli: Deus tuus, quem colis ſemper, ipſe liberabit te. Vide, quod Rex infidelis videns, quòd non poterat liberare Danielem ab iſta perſecutione,& ideo ceſſit multitudini perſecutorum, ſed ad potentiam Dei vivi remittens liberationem Danielis, dixit Deus tuus, quem colis ſemper, liberabit te, confiſus tum in divina potentia tum in meritis juſti ex cultu perfecto provenientibus, & meritò; nam colis Deum quod fit adorando credendo, ſperando, amando, & orando, & ſacrificando, & ipſe à Deo colitur tamquam ager, ſcilicet ipſum purgando, exercendo, & protegendo. *Ioan. collat.* 47.

65. *Homo impius præcipuè invidus crudelior beſtiis, & feris.*

Allatuſque eſt lapis unus, & poſitus eſt ſuper os laci, quem obſignavit Rex annulo ſuo, & annulo optimatum ſuorum, ne quid fieret contra Danielem. Vide quomodo iſte Rex tradit Danielem in poteſtate Leonum crudeliſſimorum, & obſignat fores laci, ne lædatur ab hominibus quia ut ait Sanctus Hieronymus, qui de Leonibus ſecurus eſt, confidens in Dei potentia, de hominibus invidis & perſequentibus pertimeſcit, ne quid contra Danielem moliantur, & meritò nam beſtialius nihil eſt in homine rationem habente, & ratione non utente, & maxime invido, Invidia enim eſt illa fera peſſima, quæ omni bellua, & fera crudelior infinita mala in juſtos efficit; ô livoris parens, & criminis fomes, & virtutum erugo, & tinea ſanctitatis, quæ non ceſſas continuo damna ſpiritualia filiis Adam inferre, & bella concitare, inimicitias, & homicidia procreare, ut de cruore occiſorum reficiaris! *Ser. 4. Dom. 3. Pent.*

66. *Compaſſio proximi eſt vox magna ad Deum, & proximum perveniens.*

Appropinquanſque Rex lacui, Danielem voce lachrymabili inclamavit, & affatus eſt, Daniel ſerve Dei viventis, &c. Nota illud verbum inclamavit, quid eſt inclamare? hoc eſt intus clamare, ut videas, quod homo intus in corde compatiens proximo, tunc vocem grandem ad Deum, & proximum emittit, & apud Deum clamor, & verè grandis eſt. *Pſal. 118. c. 10. v. 5.*

67. *Angelica cuſtodia nobis à Deo data contra Dæmones quale beneficium.*

Deus meus miſit Angelum ſuum, & concluſit ora leonum, & non nocuerunt mihi. Nota illud verbum, Deus miſit Angelum ſuum; datque intelligere quale beneficium nobis contulerit Deus aſſignando Angelum cuſtodiæ noſtræ contra Leones inferni; quia enim non eſt poteſtas, quæ comparetur poteſtati diaboli, & cum humana fragilitas non valeat contra hos Leones continuè inhiantes ad noſtram devorationem, & deſtructionem; ideò Dei miſericordia, & pietas mittit Angelos de Cœlo, ut Dæmonum poteſtatem coerceant; ora ipſorum concludendo, ideſt impediendo, ne nobis noceant, & ſi nocent, non tantum noceant quantum appetunt. *Ser. 1. de S. Mich. lib. 2. d. 11. q. 1.*

68. *Angeli cuſtodes ſollicitiores ſunt in deffenſione tolerantium patienter tribulationes.*

Miſit Angelum ſuum, &c. quia coram eo inventa eſt juſtitia in me. Ecce unde orta eſt tam ſollicita deffenſio Angelorum ex eo quod juſtitia inventa eſt in Daniele; ſcilicet ex eo quod patienter toleravit propter Deum tantam tribulationem, & perſecutionem: Angeli enim cuſtodes in iſtos ſollicitiorem cuſtodiam exhibent. *Sermon. 4. de Angelis.*

69. *Superiores, & Prælati ſint Angeli cuſtodes defendentes ſubditos ab oppreſſionibus malorum.*

Deus meus miſit Angelum ſuum, & concluſit ora leonum & non nocuerunt, &c. Nota, quod myſticè Prælati ſunt Angeli, qui à Deo miſſi ſunt, & in ſublime collocati, ut veluti Angeli cuſtodes deffendant ab oppreſſionibus perſecutorum ſuos ſubditos. *Op. Eccleſ. Hierarch. p. 2. c. 1.*

70. *Sancti ad talem innocentiam aliquando ſublimantur ut inimicitia, & læſio creaturarum in eos non valeat.*

Et Leones non nocuerunt mihi, quia coram Deo inventa eſt juſtitia in me. Quæ juſtitia coram Deo inventa eſt in Daniele? juſtitia, ſcilicet innocentia ſimilis innocentiæ primi hominis antè peccatum: ſicut enim ſi homo non peccaſſet, ignis, vel beſtia, vel alia creatura ei non nocuiſſet: ſic multi Sancti ad tantam innocentiam rediguntur, quod creaturæ, pacem ſervent cum eis ex ſpeciali dono, ut factum eſt cum Daniele in Seraphico Franciſco, & in aliis Sanctis, ut videas quale malum eſt peccatum, & quantis bonis nos privavit. *Ser. 2. feria 3. Paſcha.*

71. *Animæ in Purgatorio à Dei juſtitia in lacum ignis, & in poteſtatem ſeptem Leonum traduntur.*

Et miſerunt Danielem in lacum Leonum, &c. & Rex præcepit educi de lacu. Nota, quod hæc eſt figura juſtitiæ vindicatricis Dei, quam exercet in juſtos decedentes ex hac vita cum reatu pœnæ luendæ pro peccatis jam quoad culpam remiſſis mediante contritione, vel confeſſione, iſtæ autem traduntur in poteſtatem ſeptem leonum, ſcilicet pœnarum intolerabilium ſeptem vitiorum capitalium; ideò pro ipſis orat Eccleſia, libera eas de ore leonis, *Serm. 3. de mortuis in addit. & ſerm. 4. in Reſurr.*

72. *Solus Chriſtus liberator hominis captivi.*

Ipſe liberator, atque ſalvator faciens ſigna, &c. qui liberavit Danielem de lacu Leonum. Nota quod hæc eſt figura deſcenſus Chriſti in limbum, & reſurrectionis ejus, nam Daniel interpretatur, judicans, & Chriſtus pro peccatis hominis judicium plenæ ſatisfactionis fecit ad Patrem in cruce, & in fine faciet judicium conſummationis: in lacum igitur inferni intravit Chriſtus, ubi

leones vitiorum morantur, & à tali lacu victor exivit, & vinctos ſecum duxit: ſed nota, quòd ſicut perſecutores Danielis in lacum miſſi ſunt, & devorati fuere à leonibus, ſic & tu ſi perſecutor, & inimicus fueris Chriſti, damnum, quod per Chriſtum leones infernales habuerunt, in te vindicabitur, ſi pœnitentiam non egeris. *Ser.4. in Paſcha; & in Ioan.collat.43.* Hoc dirigitur ſpecialiter ad eos, qui poſt Paſchalis communionem ad vomitum peccati redeunt, tunc enim eis imminet majus præcipitium.

CAP. VII.

73 *Eccleſiæ quatuor tribulationes expreſſæ, in quatuor beſtiis hujus viſionis Danielis.*

ANNO *primo Regni Balthaſaris Daniel ſomnium vidit* (ſcilicet per viſionem imaginariam indicantem futura) *op.de prof.Religioſ.lib.2.c.75. Videbam, & ecce quatuor venti Cæli pugnabant in mari magno; & quatuor beſtiæ grandes aſcendebant de mari, diverſæ inter ſe; prima quaſi leæna, & alas habebat quaſi Aquilæ, &c. & ecce beſtia alia ſimilis urſo, & tres ordines erant in ore ejus, & in dentibus ejus; & ecce alia quaſi Pardus, & alas habebat quaſi avis: & ecce quarta beſtia terribilis, &c.* Nota quod Danieli in hac viſione quatuor perſecutiones futuræ in Eccleſia oſtenſæ ſunt: prima Tyrannorum; ſecunda hæreticorum; tertia falſorum Chriſtianorum; quarta Antichriſti conflata ex tribus prædictis, & crudelior cæteris; Prima dicitur quaſi leæna, qua ſignificatur crudelitas Tyrannorum excitata à duabus aliis, cum quibus viſa eſt, ſcilicet à verſutia conſiliariorum, & à nequitia miniſtrorum: ſecunda ſimilis viſo ſignificans perfidiam hæreticorum, quæ tribus ordinibus dentium, ſcilicet potentia ſæculari, rationibus ſophyſticis, & ſcripturis malè interpretatis perſequuntur Eccleſiam: Tertia ſimilis Pardo habenti varios colores, quia ſimulati Chriſtiani variis modis Eccleſiam perſequuntur: Quarta erit tempore Antichriſti, quæ in unum congregabit omnes alias perſecutiones. *in Luc. cap.17.v.22. & ſerm.3. Dom.15. Pentecoſt. Gloſſa moralis.*

74. *Diaboli crudelitas in homines explicatur his quatuor beſtiis, & præcipuè quarta.*

Et ecce quatuor beſtiæ, &c. Nota, quod in his beſtiis innuitur crudelitas dæmonis in homines: nempe in leæna, quæ crudelior eſt leone, & præcipuè quando timet de rapina catulorum ſuorum; ſic enim diabolus, quando timet perdere aliquem per converſionem, tunc ferociſſimus eſt; dicitur habere alas quaſi Aquilæ; ob velocitatem, quam habet ad devorandum, vel tentandum; ſimilis item urſo, quia ſicut urſus debilis eſt in capite, fortis in brachiis: ſic in principio tentationis debilis eſt, ſed in progreſſu fortior, & habet tres dentium ordines; ſcilicet in carne noſtra per cogitationem; delectationem, & conſenſum; ſimilis item Pardo; quia per hypocriſias, & per varias ſimulationes tentat ſubjicere ſibi hominem; & deinde quarta cæteris crudelior; nam impingit cornibus tentando, lacerat dentibus deſperando, conculcat ſuppeditando animam per conſuetudinem malam *Ser 3. Dom.24. Pentecoſt. ſer.2. Dom.1. poſt oct. Paſcha Centil.p.1.ſ.30. ſerm.2. de dedicat. in additi.*

75. *Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium Prophetæ oſtenſum, tum ad intrà, tum ad extrà reſpectu creaturarum: ſic etiam officium Thronorum.*

Aſpiciebam donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit, &c. In hac celeberrima viſione demonſtrata fuerunt myſteria altiſſima Danieli à Deo; & primo loco fuit viſio proceſſionis divinarum perſonarum: Vidit enim antiquum dierum poſitum in medio thronorum, ideſt Angelorum, qui ſunt thronus Dei: Vidit inquam Patrem æternum, qui dicitur antiquus dierum, quia æternus; iſte antiquus ſedit, quia non ſolùm in eo eſt æternitas, ſed & immutabilitas: A facie hujus antiqui egrediebatur fluvius igneus, rapiduſque, ideſt de ſublimitate divinitatis ejus procedebat plenitudo virtutis in filium, ideo dicitur fluvius rapidus, & plenitudo amoris in Spiritum ſanctum, ideò dicitur igneus: Nota autem, quod dicitur Deus ſedere in medio thronorum, ſed tamen dum fluvius igneus, & rapidus egrediebatur à facie ejus, quia cum in prima Hierarchia Angelica ſit triplex ordo, ſcilicet Seraphim, Cherubim, & thronorum, ideo ſedes prima Dei eſt in hac prima Hierarchia, in qua viget ignis, & ſcientia divina, & terminat in ſeſſione in Thronis, quia ibi judicia ſua diſcernit, & cuncta ſubjecta diſponit; & ideo iſtæ ſedes à Beato Dioniſio dicuntur altiſſimæ, pacatæ, & deiferæ: Altiſſimæ, quia altæ per divinam auctoritatem, quia in judicio ordinantur, & juſtitiæ regulam imitantur, & ad Deum immediatius ordinantur: Pacatæ, quia ex qualitate operis deſcendit qualitas retributionis, ſcilicet ex culpa, pœna, ex juſtitia gloria: & Deiferæ, quia Deum præſentem ſuſcipiunt, & deificam poteſtatem per diverſa judicia indicant, & oſtendunt; per quæ demonſtratur, quod non ſolum antiquus dierum producit perſonas divinas, ſed & ſimul cum perſonis divinis omnia exteriora rectè ordinat, & diſponit: *Lib.1. ſent. in prol. ſer. de Angel. & lib.2. d.9. qu 4. Pſal 117. op. Eccleſ. Hierarch.p.1.c.4.op.ſtim.p.1.c.7. in Luc.c.1. v.32. & c.19.v.15.*

76. *Angeli, & ſancti in Cœlo conſtituunt coronam pulcherrimam Deo.*

Aſpiciebam donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit: veſtimentum ejus candidum quaſi nix & capilli capitis ejus, quaſi lana munda: thronus ejus flamma ignis, &c. Quid eſt hoc veſtimentum album Dei, & capillatura alba? Nota hic eſt Deus Pater, Filius, & ſpiritus S. qui in Cœlo viſus eſt à Propheta tanquam ſedens in medio Angelorum, & ſanctorum, quorum puritas compara-

comparatur nivi,& lanæ, albæ, quia ipſi faciunt coronam pulcherrimam Deo. *Op. de inviſibilit. Dei.*

77. *Religioſi ſunt throni in quibus Deus ſedet.*

Aſpiciebam, donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit, &c. Cur in thronis dicitur Deus ſedere? ſed attende, quod myſticè ſignificantur Religioſi in his thronis, qui in uno loco degentes, Deo militare ſtudent, nec per loca diſcurrunt, in quorum quietis cordibus Deus quieſcit, & dicuntur quaſi flamma ignis, quia dilectione Dei, & proximi, & deſiderio cæleſtis patriæ inflammantur. *Op. Eccleſ. Hierarch. p.1. cap.4.*

78. *Chriſtus ut Deus, & homo judicabit totum Mundum.*

Aſpiciebam, donec throni, &c. thronus ejus, flamma ignis, rotæ ejus ignis accenſus: Nota, quod Daniel vidit Chriſtum ſedentem ut Judicem univerſalem in throno igneo; per quod denotabatur, quod ut Deus abſoluta poteſtate judicaturus eſt: ut homo delegata poteſtate: dicitur autem ejus thronus flammæ ignis, quia omnes judicabit ſine exceptione perſonarum, & terribilis erit omnibus, & velut ignis ad omnes pertinget comburens malos, & inflammans bonos. *Ser.2. de dedicat. in addit. & lib.4. d.48. a.1. q.1. & ſer.8. in Pent. & ſer.2. de Aſcenſ.*

79. *Dei voluntati conformes in omnibus ſunt veluti capilli capitis Chriſto adhærentes.*

Et capilli ejus quaſi lana munda, id eſt alba, &c. Sed quodnam ornamentum eſt hoc capitis noſtri Chriſti? nonne albedo in capillis degenerat à venuſtate? ſed attende ad myſterium: lana alba ait Divus Gregorius) habet hoc, quod eſt apta recipere quemcumque alium colorem: per capillos adhærentes Chriſto intelliguntur juſti, qui diſpoſiti ſunt ad recipiendum quemcumque colorem, ſcilicet ad quemcumque eventum à Deo provenientem ſunt divinæ voluntati conformes: ſic Divus Gregorius: & hinc tanquam Deo magis propinqui, & veluti coronam Chriſto facientes pulcherrimam vocantur à Chriſto fratres, ſorores, & matres; quicumque fecerit voluntatem Patris mei, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt; & hinc petimus in oratione dominica fiat voluntas tua, ſicut in Cœlo, & in terra: id eſt ſicut in Angelis, ſic & in nobis. *Ser.3. Dom.8. Pent.*

80. *Sacra ſcriptura fluvius è corde ſanctiſſimæ Trinitatis promanat.*

Fluvius igneus, rapiduſque egrediebatur à facie ejus: Quis fluvius à facie ſanctiſſimæ Trinitatis egrediens? & quomodo dicitur igneus, & non potius aqueus ad nos pertingens? ſed attende, quod fluvius iſte à Deo ad nos deſcendit; hæc eſt Sacra ſcriptura, quæ à corde ſanctiſſimæ Trinitatis, vel à facie ejus exit ad nos: & rectè comparatur fluvio, qui dividitur in quatuor rivos, ſcilicet hiſtoriæ, Allegoriæ, Anagogiæ, & Tropologiæ: dicitur igneus propter fervores ardentiſſimarum inflammationum, quia ejus finis eſt charitas: dicitur etiam rapidus, ſeu impetuoſus, propter vigores ſubliſſimarum elevationum, quas animæ affert. *Op. Princip. Sacra Scriptura.*

81. *Numerus, diſtinctio, & miniſteria Angelorum differuntur.*

Millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia aſſiſtebant ei: Nota primò, quod in his verbis, & numerus, & diſtinctio & miniſteria Angelorum innuuntur: dicit autem millia millium, & decies centena millia: non quod tantus determinatus ſit numerus miniſtrorum Dei, ſed hunc numerum pro indeterminato ponit ſacer textus, quia humanus ſermo majorem non poteſt exprimere, quia Angeli ſunt in maximo numero nobis indeterminato licet Deo cognito: Nota ſecundò, quod cum omnibus ſpiritibus Angelicis aſſignetur miniſtratio, & aſſiſtentia Deo, ſequitur, quod Angeli non differunt ſpecie, ſed tantum numero; aliud enim diſtinctivum in Angelis non habemus ex Sacra ſcriptura, niſi penes operationes, quæ communes omnibus æqualiter aſſignantur, nempe aſſiſtentia Deo; & ideo probabilius recognoſcitur in omnibus Angelis una ſpecies ſpecialiſſima; & hoc tum ratione approximationis Deo, tum ratione unitatis, & ſimilitudinis, tum quia Angelica natura eſt caput univerſæ naturæ, ob idque ratione ſpeciei, tum quia reparatur in ſalvatione hominum ejuſdem ſpeciei: Tertiò nota, quod innuitur miniſterium & aſſiſtentia Angelorum, omnes enim ſunt adminiſtratorii ſpiritus in miniſterium noſtrum miſſi, vel mediatè, ut in inferioribus, vel immediatè, ut in ſuperioribus, qui ad inferiores Angelos mittuntur in his, quæ ſpectant ad profectum hominis. *Lib.2. d.3 p.1. a.2. q.1. & d.19. q.1. & d.10. per totam: & op. de donoſap. c.10. op. de Eccleſ. Hierarch. p.1. c.1. op. Medit. c.16. in Luc. c.1 v. 8. & ſer. de SS. Angel. & ſer.1. in feſto. omn. ſanct. in addit.*

82. *Chriſtus in judicio apparebit in aëre elevatus à terra cum electis; & praſciti cum Dæmonibus in terra erunt.*

Aſpiciebam ergo in viſione noctis. (Scilicet tempus judicii, quod erit in nocte) *& ecce cum nubibus Cœli, quaſi Filius hominis veniebat:* Hic exprimitur adventus Chriſti ad judicandum, qui veniet cum electis, qui vocantur nubes, quia ſimul cum Chriſto ſuper vallem Joſaphat comparebunt in aëre elevati à terra, tamquam viri cæleſtes; ſed mali in terra cum Dæmonibus, & meritò, quia adhæſit in terra venter eorum. *Ser.4. Dom. 1. Advent.* Et nota, quòd Propheta paulò ante dixerat ſe vidiſſe Deum cum mille millia Angelis &c. quia ad judicium cum ipſo venient Angeli, & ſancti, ut ipſis præſentibus, & teſtificantibus contra impios fiat judicium. *Ser.2. Aſcenſ. Dom. & ſer.1 de Circumc.*

83. *Cogniti*

83. *Cognitio de Deo in hac vita eſt cognitio nocturna: in alia vita eſt diurna.*

Aſpiciebam ergo in viſione noctis, &c. Cur in nocte facta eſt hæc viſio, & non in die? ut intelligamus, quod cognitio de Deo in hac vita eſt nocturna, in obſcuritate, & ænigmate: nam ſolùm in alia vita erit de die. *Ser. 1. Dom. 1. Paſcha.*

84. *Poteſtas Chriſti poteſtas æterna; Poteſtas diaboli in fine mundi terminabit.*

Et dedit ei poteſtatem, & honorem, & regnum; & omnes populi &c. ipſi ſervient, poteſtas ejus, poteſtas æterna, &c. Vide quomodo vidit Daniel poteſtatem Chriſti, quæ eſt æterna, cui ſubjacebunt omnes creaturæ, & Dæmones deperdent ſuam poteſtatem in judicio. *Luc. c. 1. v. 33. & c. 11. v. 2. Joan. c. 12. v. 14. & collat. 35. & 81.*

85. *Sancti in Cœlo non partem, ſed totum regnum Dei poſſidebunt*: ſic dicitur; *& tempus advenit, & regnum obtinebunt ſancti*; nec enim eſt timendum habere partem in Cœlo cum Filio Dei, quia habendo partem, habebunt totum, quia habebunt Deum & ob id omne bonum. *Joan. collat. 60.*

CAP. VIII.

86. *Progreſſus perſecutionum diaboli in Eccleſia à paſſione Chriſti, uſque ad tempus Antichriſti Propheta expoſitus.*

VIDI in viſione mea &c. Vidi arietem cornibus ventilantem contra Occidentem, &c. & de uno cornu egreſſum eſt cornu unum modicum, & factum eſt grande, &c. Nota, quòd hic Daniel vidit progreſſus varios poteſtatis diaboli in homines, ſignificati in ariete habente quatuor cornua &c. nam licet poteſtas ejus fuerit confracta tempore Paſſionis Chriſti; tamen proceſſu temporis in quatuor cornua progreſſum eſt cornu, ſcilicet poteſtas ejus: primum in Judæis, quod fuit modicum in principio, ſed poſteà factum eſt grande; & ideò ſecundum cornu fuit in Paganis, & Idololatris, quando Imperatores, & Principes omnes, & totus mundus perſecutus eſt Eccleſiam; tertium in hæreticis, & quartum in falſis, & malis Chriſtianis; quos Chriſtus dejecit, & dejicit in Inferno: ſed in fine Mundi tempore Antichriſti fiet maximum; tunc enim liber divinæ ſapientiæ, qui modo eſt apertus, claudetur undique, & erit omnibus obvolutus, quia prædicatio divini verbi ab impiis prohibebitur, & omnes juſti fugere compellentur, & ſe abſcondere à tam dira perſecutione. *Op. Eccleſ. Hierarch. p. 4. c. 4. & ſer. 1. in feſto omn. ſanct. in addit. & op. Comp. Theol. lib. 7. c. 8. ubi alia ſpectantia ad Antichriſtum expreſſa in hac viſione enodantur.*

CAP. IX.

87. *Oratio in jejunio, ſacco, & cinere quàm Deo placita.*

ET poſui faciem meam ad Dominum Deum meum rogare, & deprecari in jejuniis, ſacco, & cinere. & oravi Dominum, &c. Vide quomodo Propheta poſt viſionem tot imminentium malorum ad quale remedium recurrit, ſcilicet ad orationem cum jejunio, & humiliatione, in ſacco & cinere: ſciebat enim quod talis oratio efficaciſſima eſt apud Deum, tùm ad peccati expiationem, tum ad refrænationem poteſtatis diabolicæ, tùm ad attrahendum Angelos ad ſui auxilium, & ipſos congratulandum; tùm ad divinam remunerationem. *Ser. 1. in die cinerum.*

88. *Qualis fueris cum Deo, talis erit tibi Deus.*

Hinc orans ad Dominum Propheta, dicebat; *obſecro Domine, &c. cuſtodiens pactum, & miſericordiam diligentibus te, & cuſtodientibus mandata tua*: quaſi dicat; ſcio Domine Deus, quod promiſſiones tuæ ſunt infallibiles; & quod qualis eſt homo, talis es tu cum ipſo, & ideò cuſtodientibus mandata, tu ipſis te ipſum, & infinita beneficia ei confers. *Ser. 1. feria 2. Pent. & op. Eccleſ. Hierarch. p. 4. c. 6.*

89. *Propter peccata veniunt nobis adverſa.*

Peccavimus (ſic orabat Daniel) *iniquitatem fecimus, &c. Tibi Domine juſtitia, nobis autem confuſio faciei, &c.* per quæ datur nobis intelligentia, quod ſolùm propter peccata veniunt tribulationes, mortalitates, fames, & omnia mala. *Ser. 4. de dedicatione: in Eccleſ. c. 9. in Luc. cap. 17. verſ. 10.*

90. *Oratio noſtra non habet efficaciam in noſtris meritis, ſed in ſola Dei miſericordia.*

Inclina Domine aurem tuam, &c. neque enim in juſtificationibus noſtris proſternimus preces ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis: Exaudi Domine, &c. Vide in quo ſita ſit efficacia orationis noſtræ, non in meritis noſtris alioquin eſſet præſumptuoſa, ſed in pura Dei miſericordia, & hæc eſt ratio, quare ſæpè non exauditur, quia fundatur in meritis noſtris. *Pſal. 118. cap. 1. verſ. 5. & verſ. 16. & c. 10. v. 1. & 10.* Qui ergò vult in oratione conſolari, confiteatur peccata & demerita ſua toto corde; ſic enim Daniel, dum confitebatur peccata, & orabat, ecce Gabriel apparuit ipſum conſolans. *Ser. 5. in Rogat. & in Luc. c. 1. v. 19.*

91. *Angeli cuſtodes ſunt deputati ut magiſtri ad nos docendum.*

Ego veni, ut indicarem tibi, quia vir deſideriorum tu es: tu ergò animadverte ſermonem, & intellige viſionem: Nota hæc verba ſancti Angeli, ego veni, ut indicarem tibi, ut doceret te ut legunt alii; ut intelligamus quod Angelorum officium eſt illuminare, purgare, & perficere quod faciunt, non utiquè informando animas, quia hoc ſoli Deo competit, ſed exterius exercitando, & excitando, & illuminando more Doctoris optimi, & nobiliſſimi; ergo & nos vivere debemus ad modum diligentis diſcipuli, & reſpondere tot beneficiis angelicis. *Ser. 1. de Ang. op. Eccleſ. Hierarch. p. 1 c. 1.*

92. *Per orationem, & meditationem anima accenditur cæleſtibus deſideriis.*

Veni ut indicarem tibi quia vir deſideriorum tu es: Vide quod Daniel poſt orationem ferventiſſimam Deo fuſam appellatur vir deſideriorum; nam oratio, & meditatio hanc ſpecialem vim habent accendendi cor cæleſtibus deſideriis, quibus attrahitur Deus, ejuſquè divinum auxilium. *Op. Itiner. mentis in prol. & op. myſt. Theol. c. 3. p. 3. op. Diat. tit. 5 c. 2.*

93. *Prophetia aperta de tempore, & adventu Chriſti in carnem Propheta oſtenſa.*

Septuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt ſuper populum meum, ut conſummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & ungatur ſanctus ſanctorum: Nota, quod hæc eſt expreſſiſſima prophetia adventus Meſſiæ, & temporis, quo venit, nempe in fine ſeptuaginta hebdomadum annorum, quæ faciunt quadringentos nonaginta annos lunares, qui dicuntur abbreviari, quia ſunt breviores ſolari anno, quæ excurrerunt ab iſta viſione: tunc enim venit Chriſtus, & in fine hujus temporis fuit unctus ſanctus ſanctorum, & poſteà occiſus: de qua ſupputatione videatur Gloſſa ordinaria, & Lyrani; fusè enim, & doctè differunt hanc materiam; & quoad prædictionem adventus Chriſti, unctionis in ſacerdotem, diſſipationis peccati per mortem Chriſti. *Vide: Luc. c. 1 v. [illegible]. & c. 4. v. 18. & 34. & c. 9. v. 20. & 22. & c. 11. verſ. 50. & c. 18. v. 31. & c. 19. v. 14. & c. 21. v. 20. & 25. & c. 22. v. 18. & 22 & c. 23. v. 33.*

CAP. X.

94. DANIELI *revelata fuerunt myſteria cæleſtia merito abſtinentiæ, lachrymarum, & orationis;* unde dicitur hic: *Ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus, panem deſiderabilem non comedi, & caro, & vinum non introierunt in os meum, &c. in Luc. c. 7. v. 31. in Ioan. collat. 32. op. de prof. Religioſ. lib. 2. c. 48. ſer. 1. de S. Michaele in addit.*

95. *Archangelorum miniſteria ſublimia indicant ſtatum ſublimem virginum, & caſtarum animarum.*

Et levavi oculos meos, & vidi, & ecce vir unus veſtitus lineis, & renes ejus accincti auro obrizo, & corpus ejus quaſi chryſolithus, & facies, &c. Nota, quod iſte, qui apparuit Danieli fuit Michaël Archangelus, nam Angeli iſtius ordinis à Deo aſſumuntur ad nuncianda majora, & licet incorporeus apparuit tamen veſtitus lineis, cum aliis ornamentis dictis ad noſtram inſtructionem, & ad caſtitatis commendationem quia per hæc ornamenta ſignificatur ſtatus ſublimis Virginum, & continentium, qui ad hunc ordinem elevantur à Deo, deſcribitur enim veſtitus: nam veſtis linea candida, & circa renes deaurata erat, & corpus etiam gemmeum, igneum, & æneum in quo oſtenditur, quod duplex eſt continentia corporalis, & mentalis, quæ quidem cum difficultate acquiritur, difficilius retinetur, ſed difficillimè, imò impoſſibiliter uſquè in finem ſine gratia cuſtoditur; veſtis itaquè linea candida refertur ad caſtitatis honeſtatem, qua hominis animus mirabiliter decoratur, deaurata verò ad ejuſdem refertur continentiæ claritatem, & pretioſitatem, cui omnis virtus inæſtimabilis, & incomparabilis reputatur: fuit ſimilis chryſolitho lapidi, ſcilicet maris effigiem præferenti, igni, ſive fulguri, & æri candenti, ut ſignificaret omnimodam mentis puritatem, quæ acquiritur per amaritudinem contritionis ſignificatam in chryſolitho, per inflammationem dilectionis, & orationis ſignificatã in igne, & per invincibilem inſtantiam operationis ſignificatã in ære candente; & ſicut iſte Angelus cum iſtis ornamentis venit nunciare liberationẽ à captivitate Babylonica; ſic datur intelligi, quod continentia liberat à Babylonica captivitate, & libertati gloriæ filiorum Dei ſuos imitatores reſtituit, & reſtaurat, & ſedem Dei habitationi præparat: ô beatus, & quam beatus eſt qui cuſtodit veſtimenta ſua, ne nudus ambulet; undè meritò corpus ejus erat quaſi chryſolithus, qui eſt coloris marini, & habet ſcintillas aureas, per quæ ſignificatur in colore rigor diſciplinæ exterioris, & in ſcintillis aureis rectitudo intentionis, quæ debet eſſe ob zelum juſtitiæ: dicitur facies ejus velut ſpecies fulguris, quia per talem zelum terribilis fit malignis ſpiritibus: oculi ejus dicuntur, ut lampas ardens per claritatem cognitionis: & brachia ejus, & quæ deorſum uſque ad pedes quaſi ſpecies æris candentis, ſcilicet virtus ejus operativa, ut & motiva ignita fervore charitatis, & vox ſermonum ejus, ut vox multitudinis, ſcilicet per efficaciam doctrinæ. *Op. Eccleſ. Hierarch. p. 3. c. 1. op. Diat. tit. 4. c. 4. ſer. 3. in Epiph. Gloſſa mor. hic.*

96. *Ante adventum Chriſti Angeli & terribiles apparebant, poſt verò affabiles & benigni.*

Vidi autem ego Daniel ſolus viſionem: porro viri, qui erant mecum, non viderunt, ſed terror nimius irruit ſuper eos, & fugerunt in abſconditum: Cur tantus terror occupavit cor adſtantium huic viſioni? cur non potiùs conſolatio eis ſuper infuſa, cum à Daniele verificantur de potentia Angeli?

Angeli? ſed attende: hæc viſio facta eſt ante Incarnationem Verbi; tunc enim terribiles apparebant, quia nondum erant reconciliati cum homine, unde ſuperiores erant, & ut tales apparebant, & timorem incutiebant: non ſic poſt unionem verbi cum homine. *Luc. c. 1. v. 12.*

97. *Exercitium altiſſimæ contemplationis debilitat corpus, & vigorat animam.*

Ego autem relictus ſolus vidi viſionem grandem, &c. Cur ad revelationem factam myſteriorum Dei ab Angelo, Daniel perdidit vires, & non potiùs animoſior factus, & vigoroſior viribus? ut videamus quàm diſtantia ſint ſpiritualia à corporalibus, quia enim cor divini amoris gaudio, & divinæ fruitionis inflammatum deſiderio in ſe dilatatur, & extenditur, & quaſi intrà angariati pectoris ſe capere non ſufficiens, quodammodo erumpere conatur, ut flammam, quam intus patitur, foras eructet, & ardoris ſui refrigerium qualecumque inveniens evaporet. quod eum non poſſit facere, mirabiliter in ſemetipſo cruciatur, & corpus valdè ex talibus motibus debilitatur, quia virtus divinæ dulcedinis intolerabilis eſt imbecillitati terreni corporis, & hoc eſt, quod dicitur hic à Daniele, & hoc eſt, quod ſolet accidere elevatis in apicem contemplationis. *Op. de prof. Relig. lib. 2. c. 71. Luc. c. 1. v. 22.*

98. *Iuſti cadunt in faciem coram Deo, impii retrò.*

Et audiens jacebam conſternatus ſuper faciem meam, & vultus meus hærebat terræ. Cur ſuper faciem cecidit Daniel, & non potiùs ob terrorem retrorſum? ſed attende ad myſterium; Iuſtorum proprium eſt cadere ſuper faciem, hærendo terræ, cadunt autem tali modo, humiliantes ſe coram Deo in his viſibilibus, videntes, quid eos ſequatur, ut ad inviſibilia ſe erigant, & maximè cum ſupernorum mirabilium revelatione donantur, & beneficiorum ſusceptione: impii è contra cadunt retrorſum, ſcilicet in inviſibilibus, ubi non vident, quid eos ſequatur. *Luc. c. 17. v. 16.*

99. *Manus Chriſti, & Angelica tactus quam virtuoſus.*

Et ecce manus tetigit me, & erexit me ſuper genua mea, & ſuper articulos manuum mearum. Ecce qualis, & quanta virtus contactus manus ſuperioris Chriſti, & Angelorum, nam ſtatim ad tactum ipſius conſolidatæ ſunt baſes Prophetæ, hoc enim eſt proprium Chriſti per Angelos confortare ſervos ſuos, maximéque orantes, ô utinam & tangat nos tali contactu Chriſtus Ieſus, & Angelus noſter cuſtos, tunc enim poteſtimus dicere; pone me juxta te, & cuiuſvis manus pugnet contra me. *Luc. c. 5. v. 24. & c. 6. v. 8. & c. 21. v. 43.*

100. *Angeli ſancti à Deo ad nos mittuntur*, ad confortandum & adjuvandum, & ad auferendum impedimenta ad bonum: Angeli mali ad nos veniunt ad provocandum nos ad malum, & impediendum bonum: Unde Danieli dixit Angelus, *Noli metuere Daniel, &c. Luc. c. 8. v. 49. & c. 1. v. 13.*

101. *Principum cæleſtium familiaritas, & amicitia à nobis procuranda.*

Princeps autem Perſarum reſtitit mihi viginti uno diebus, & ecce Michael unus de Principibus primis venit in adjutorium meum, &c. Vide, quòd inter Angelos unus alio altior, & ideò dantur Principes in militia Angelica, & hoc exponitur in ſacra ſcriptura, ut nitamur ipſorum familiaritatem, & amicitiam captare exemplo Danielis orationibus, & ſanctis operibus *Ser. 1. Dom. 16. Pent. & ſer. 4. Dom. ſeptuag. & op. Comp. Theol. lib. 6. c. 16.*

102. *Sancti Michaelis Archangeli dignitas expenditur.*

Et ecce Michaël unus de Principibus primis venit in adjutorium meum. Vide quomodo Michaël Archangelus dicitur unus de Principibus primis, ſcilicet cæteris ſuperior, vel ſupremus, cui cuſtodia Synagogæ fuerat commiſſa, & hinc interpretatur, quis ut Deus, quia ipſe de Lucifero triumphavit, & Princeps Eccleſiæ conſtitutus, cujus eſt ipſam defendere, & patrocinari, & dicitur portare animas in Cœlum; propter quas eruendas commiſit bellum cum Dracone. duas autem ſolemnitates de ipſo celebrat Eccleſia in ſignum, quod ipſe pro nobis eſt, dum vivimus in hoc ſæculo & dum educimur de exilio. *Op. Conſil. p. 3. ſect. 18.*

103. *Sanctus Michaël venit ad noſtrum adjutorium cum exercitibus Angelicis, miſſus à Beata Virgine Maria.*

Et ecce Michael unus de Principibus venit in adjutorium meum, Sed à quonam miſſus, cum proprium ſit omnium Angelorum mitti ad miniſterium noſtrum; miſſus eſt à Deo, & etiam à Beata Virgine tamquam regina omnium Angelorum; Mariæ enim aſſiſtunt, & obtemperant omnes exercitus Angelorum; & ideò Michaël dux militiæ cœleſtis cum ipſa paret præceptis Mariæ in defendendis in corpore, & in ſuſcipiendis de corpore animabus fidelium ſpecialiter que ſibi die, ac nocte ſe commendantium: ô quàm ſollicita eſt Maria de noſtra ſalute. *Op. ſpec. B. V. lectio 3. & op. Pſalt. min. in canticum. Te Matrem Dei laudamus.*

104. *Sicut inter Angelos ſine culpa aliquando eſt diſſenſio, ſic inter juſtos, & etiam cum Deo: Ubi de cuſtodia Angelica ſuper Regna, & Provincias.*

Princeps regni Perſarum reſtitit mihi viginti uno diebus, & ecce Michaël, &c. Ecce quomodo verum eſt, quòd Regnis, & Provinciis deputatus eſt à Deo Angelus de ſuperiori ordine cuſtos: nam iſte Princeps Regni Perſarum erat Angelus, ſed quomodo Angelus alteri Angelo reſtitit? Reſtitit Angelus Angelo, ſc. Angelus deputatus cuſtodiæ Regni Perſarum, quia dum alius Angelus ferret orationē Danielis exauditā pro liberatione populi Iſraelitici, & cum ire vellet ad exequendā, vel nuntiandā talē liberationem, ille Angelus hoc neſciēs reſtitit ei, ne ſtatim liberaretur, ſed diutiùs afflictus plenius à peccatis purgaretur: ex quo infertur Sāncti, quod boni quandoque pro bono diſſentiunt

inter ſe; nam cum omnes æqualiter non agnoſcant veritatem in omnibus, contingit, quòd aliquis intelligat non fore expediens, & alius pro alia parte intelligat eſſe expediens aliquid, & dum uterque hoc, quod melius judicat, vult promovere, & quod nocivum credit, vult impedire, fit diſſenſio inter ipſos, ideſt diverſa ſenſio, vel ſenſus, non perverſa, cum uterque benè intendit; ſic inter Paulum, & Barnabam pro Ioanne diſcipulo accidit; ſic inter iſtos Angelos; & quod plus eſt, aliquando Sancti à Deo ſanctè diſſentiunt, ut cum Deus vult aliquem mori, quem Sancti vellent diutiùs vivere pro aliorum profectu, de quo multa exempla adſunt in ſcriptura *Op. Determin. circa Regulam q.* 20. Et hinc ſequitur, quòd in Daniele, ſcilicet quando patens fit voluntas Dei tunc dejiciunt vultum ſuum ad terram, & tacent, ſiſtentes in Dei voluntate præ timore, & reverentia: & ſic poſt tremorem fortiores evadunt roborati à virtute divina, & aſſiſtentia Angelica. *Luc. c. 24. v. 4. & c. 8. v. 49. & c. 1. v. 22. & cap. 6. v. 8. & c. 21. v. 44.*

CAP. XI.

105. SICUT tempore perſecutionis Judaicæ motæ ab impio Antiocho multi Iſraëlitæ fideles Deo ſteterunt, & ideò occiſi ab ipſo facti Martyres, ſic & in perſecutione Antichriſti multi Doctores, & Prædicatores reſiſtent fideliter tali perſecutioni, & ideo Martyrio coronabuntur, ſic prædixit hic Propheta, *& docti in populo docebunt plurimos, & ruent in gladio, & in flamma, & in captivitate, & in rapina dierum, Luc. cap. 21. verſ. 24. & Gloſſa.*

106. *Impii à diabolo exaltantur ſæpè ad gradus ſupremos.* Sic juſto Dei judicio permittente, ſicut & Antichriſtus exaltabit omnes ſibi obedientes; de quo dicitur hic. *Et faciet juxta voluntatem ſuam Rex, & elevabitur, &c. Luc. c. 4. v. 6. op. Comp. Theol. lib. 7. c. 8. Eccleſ. c. 10.*

CAP. XII.

107. *Angelorum, & Sancti Michaëlis protectio in nos expenditur.*

IN tempore autem illo conſurget Michaël Princeps magnus, qui ſtat pro filiis Iſraël, & veniet tempus quale non fuit, &c. & in tempore illo ſalvabitur populus, &c. Nota, quod hæc eſt prædictio prophetica, quòd Michaël cum Angelis veniet tempore Antichriſti, & occidet Antichriſtum, poſt quod omnes ad Chriſtum convertentur; Nobis autem inſinuat protectionem Sancti Michaëlis, & Angelorum in nos: in hoc autem, quòd dicit, qui ſtat pro filiis Iſraël. *Luc. cap. 2* de alio Angelo dicitur. *Ecce Angelus Domini ſtetit juxta illos:* Stant igitur & pro nobis, & juxta nos, ſcilicet cum maxima humilitate, & familiaritate, modò ut adjutores, modò ut eruditores, & illuminatores ſemper intenti ad noſtrum bonum. *Luc. c. 2. v. 9* Inſinuat autem reſurrectionem futuram poſt id tempus & bonorum, & malorum, dicens & multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere evigilabunt, ſcilicet vel in bonum, vel in malum: dicit autem multi, ideſt omnes ſecundùm phraſim Sacræ Scripturæ. *Luc. c. 20. v. 38.*

108. *Qualis differentia inter docentes proximum ſanctâ vitâ, & verbo, & inter ſolo exemplo vitæ ſanctæ, & inter curantes ſuam, & aliorum ſalutem, & curantes ſolùm ſuam: Ubi de aureola Doctorum.*

Qui docti fuerint fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Nota hunc ordinem; primò dicit, quòd docti fulgebunt ſicut ſplendor firmamenti, & qui ad juſtitiam erudiunt alios fulgebunt quaſi ſtellæ: quænam comparatio eſt hæc? ergo docti erunt fulgentiores indoctis virtuoſis, & ſanctis? nonne gloria retribuitur ſecundùm qualitatem operum, non autem ſecundùm qualitatem doctrinæ? ſed attende ad myſterium; nam primo loco ponit doctos, & cum ipſis copulat eruditionem ad juſtitiam, dans intelligere, quod qui ſunt docti pro ſe, ſcilicet ſanctitate, & juſtitia, & etiam pro aliis docendo, inſtruendo, prædicando, & convertendo animas verbo, & exemplo ad exemplum Chriſti iſti fulgebunt ſicut ſplendor firmamenti, qui verò ad juſtitiam, ſcilicet exemplo ſanctitatis ſolùm iſti fulgebunt ſicut ſtellæ; ut videas qualis differentia ſit inter eruditam ſanctitatem, & ſanctam ruſticitatem (ut loquitur Sanctus Hieronymus) nempè ſicut inter ſplendorem firmamenti, & ſtellæ unius: qui enim verbo, & exemplo non ſolùm ad propriam, ſed etiam aliorum ſalutem incumbunt; ſunt iſti magni in regno Cœlorum, & ideò etiam ditabuntur aureola Doctorum, in quo adverte, quòd qui actu non exercent hoc miniſterium prædicationis, etiamſi ſint doctiſſimi, vel Prælati, non fulgebunt tali aureola, & corona, quia datur actu docentibus, & operantibus. *Op. Eccleſ. Hierarch. p. 1. c. 2. & p. 4. c. 5. op. Diat. tit. 10. c. 2. op. Comp. Theol. lib. 7. c. 30. Luc. c. 8. v. 16. & c. 9. v. 60. & c. 10. v. 37. & c. 19. v. 17 Joan. collat. 75. ſerm. 8. Hexam. & ſer. 4. Dom. 3. poſt oct. Paſchæ, & ſer. 3. de Apoſtol. & Gloſſa hic.* Et hinc vide quàm nobile, quàm ſublime, & altum ſit miniſterium Prædicatorum, quàm Deo charum, quam fructuoſum, & quomodo excellit omnia alia officia Eccleſiæ Dei.

109. *Docet Chriſtus ſuos, ut alios ad ſalutem doceant; docet diabolus ſuos ad ruinam.*

Qui docti fuerint, fulgebunt, &c. Docti qui? & à quo? Spiritus veritatis Sanctus, qui docet omnem veritatem, hic à Chriſto mittitur ad ſuos, ut docti ab ipſo doceant alios ad ſalutem, & iſti fulgebunt in Cœlo, ut ſtellæ irradiantes in firmamento: è contra diabolus docet ſuos falſitatem, ut alios pervertant & damnent malo exemplo, & perverſitate doctrinæ, & conſiliorum, & iſti cruciabuntur

ciabuntur in inferno, & comburentur, quaſi facula ardentes. *Sermon. 4. Dom. 3. poſt oct. Paſcha.*

110. *Non ſemper prædicandum, ſed doctrina conſervanda eſt, ut exhibeatur pro loco, & tempore;* ſic impoſitum eſt à Deo Prophetæ: *Tu autem claude ſermones, & ſigna librum uſque ad tempus ſtatutum, plurimi pertranſibunt, & multiplex erit ſcientia.* Nota illud verbum uſque ad tempus ſtatutum; doctrina enim edocenda eſt pro loco, & tempore, & ſecundum captum auditorum: ſic etiam legitur de Maria Virgine, quòd conſervabat in corde omnia myſteria de Adventu Chriſti, ut poſteà loco, & tempore ſtatuto ipſa conferret cum Apoſtolis:& hinc ſubdit, quòd in Eccleſia multiplex eſt ſcientia, quia ſemper nova eruuntur, & rectè mirabilia myſteria ex Chriſti doctrina,& Sacra Scriptura. *Luc.c.2.v.51. & c.4. v.20.Eccleſ.c.12.Pſal.118.c.2.v.2.*

111. *Antichriſti perſecutionis duratio, & finis prædicta.*

Et audivi virum, qui indutus erat lineis, &c. & juravit per viventem in ſæcula ſæculorum, quia in tempus, & tempora, & dimidium temporis, & cum completa fuerit, &c. Nota, quòd iſte Angelus Danieli revelavit durationem perſecutionis Antichriſti,quæ erit in tempus,ſcilicet unius anni, & in tempora,ſcilicet duorum aliorum annorum, & in dimidium temporis, ſcilicet dimidium unius anni:verè brevior cæteris perſecutionibus Eccleſiæ, ſed omnibus gravior: poſt hanc occidetur Antichriſtus poteſtate divina, miniſterio Sancti Michaëlis,& aliorum Angelorum, & tunc totus mundus ad Chriſtum convertetur uſque ad finem mundi.*Op.Comp.Theol.lib.7.c.13.& 14.*

CAP. XIII.

112. *Infelicitas Eccleſiæ expenditur, quando in majoribus, & ſuperioribus iniquitas graſſatur.*

EGRESSA *eſt iniquitas de Babylone à ſenioribus iudicibus, qui videbantur regere populum.* Qualis iniquitas fuerit hæc, quæ egreſſa eſt à ſenioribus jam hiſtoria patet: quia enim illi duo peſſimi Judices tentaverunt Suſannam de adulterio,& quia noluit eis conſentire, ipſam ſub ſpecie juſtitiæ condemnarunt ad mortem:& ideò dicitur: *egreſſa iniquitas*; quæ in maximum ſcandalum totius populi redundavit: Et hoc eſt,quòd continuè in multis locis videtur quia ſcilicet in ſenibus, ſenioribus, Presbyteris, Prælatis,& Judicibus non eſt ſapientia: conſilium, prudentia,patientia,pudicitia,ſed deteriores,quaſi in omnibus,quàm juvenes: ô maxima infelicitas Eccleſiæ propter impietatem illorum, in quibus ſuper alios deberet elucere ſanctitas, & prudentia *Ser.1.Dom.24.Pent.ſerm 6. in Pent.ſerm.1. Dom.10.Pent.Luc.c.22.v.52.Ioan.c.8.v.8.& v.15. Thren.c.4.*

113. *Incauta cuſtodia ſenſuum, maximeque oculorum quàm noxia, & periculoſa.*

Et videbant eam, ſcilicet Suſannam pulcherrimam,& timentem Deum, ſenes quotidie, &c. Ecce unde orta eſt ruina ſpiritualis,& corporalis iſtorum ſenum, nempè ex incauta cuſtodia ſenſuum, maximeque oculorum, quia enim frequentabant domum Suſannæ, ipſamque obſervabant, & aſpiciebant aſſiduè, & cum eſſet pulcherrima exarſerunt in concupiſcentiam ejus, & hinc præcipitati ſunt in varia ſcelera, ex quibus poſteà eis ſucceſſit meritò mors violenta infamis: ô nimis verum hoc; ut patet in Eva, in Sampſone, in David, & in iſtis infamibus Senibus: nam facile mors intrat per feneſtras ſenſuum in animam: ô caveant Religioſi hæc mala,& cuſtodiant diligenter iſtas portas animæ, ſi gemmam pretioſiſſimam caſtitatis volunt conſervare. *Op. de Eccleſ.Hierarch.p.3. c.2. & opuſc. de prof.Religioſ. lib.1. c. 39. & op. de grad. virt. cap.4.*

114. *Libido affectum corrumpit, & ſauciat, & intellectum obruit & excæcat.*

Et exarſerunt in concupiſcentiam ejus,& everterunt ſenſum ſuum, & declinaverunt oculos ſuos, ut viderent Cælum, &c. Ecce quomodo continentia ſanat à vulnere concupiſcentiæ mentem; & ſpiritualem reparat in animo viſionem, ſic è contra libido ſauciat, & vulnerat affectum, & cæcitatem intellectui affert, ut patet in iſtis ſenibus, qui primum gradum fecerunt in incauta cuſtodia oculorum, deinde averterunt oculos ſuos à Cœlo, ſcilicet à Deo, vel ejus præſentia, vel conſideratione ſuæ juſtitiæ,nihil memores nec divini timoris, nec ſuæ annis jam marceſcentis ætatis, & hinc in perverſam deordinationem virium animæ præcipitati, excæcati ſunt in intellectu, & corrupti in affectu, ita illos in flagrantia tranſactæ juventutis incendia redivivæ libidinis flamma revocavit. *Opuſc. de Eccleſ. Hierarch.p.3.c.2. Ioan. collat. 45. & S. Cypr. in Gloſſa.*

115. *Peccans à ſe exit, convertens ſe ad Deum in ſe revertitur.*

Et egreſſi receſſerunt à ſe: quid eſt, *Egreſſi receſſerunt à ſe?* quomodo iſti ſenes à ſe receſſerunt? ad litteram vult dicere ſacer textus, quod cum uterque exarderet in concupiſcentia Suſannæ, ſic exardeſcentes exierunt è domo Suſannæ, & ſe mutuo ſeparaverunt, ut quiſque in domum ſuam pergeret; ſed tamen loquitur tali modo Sacra Scriptura, ut denotetur, quod peccatum hominem à ſe avertit, & in non hominem convertit, ſcilicet in beſtiam, vel potiùs in Dæmonem; ſed convertendo ſe ad Deum ad ſe redit, ut dicitur de filio prodigo,quòd in ſe reverſus ad Deum converſus eſt. *Pſal.118 c.11.v.3. & c.6.v.3. Luc.c.15.v.17.lib.2.d.24.p.2. dub.3.ſerm.3.feria 2. Paſcha.*

116. *Confeſſio ſine propoſito non amplius peccandi maledicta.*

Cumque revertiſſent venerunt in unum, & ſiſcitantes ab invicem cauſam, confeſſi ſunt concupiſcentiam ſuam, & tunc in communi ſtatuerunt tempus, quando eam poſſent invenire ſolam. Nota illud verbum, *confeſſi ſunt concupiſcentiam ſuam.* Vide quomodo mutuò iſti duo ſacerdotes, & Prælati confeſſi ſunt peccata ſua, & tamen perierunt: ergo hæc confeſſio eis non profuit? ſed attende ad qualitatem confeſſionis: confeſſi quidem ſunt peccata ſua, ſed tamen ſine contritione, & propoſito præcavendi in poſterum peccata, imò cum propoſito explendi libidinem ſuam, ideò ex tali confeſſione mortem animæ, & corporis incurrerunt. ſic ſic faciunt illi, qui ad confeſſionis Sacramentum accedunt, ſed ſine dolore, & propoſito cavendi in poſterum à peccatis nam confeſſio ſimilis maledictionem Dei attrahit. *Op. Confeſſion. c. 4. p. 3.*

117. *Suſanna exemplum trahitur ad mores.*

Ingemuit Suſanna, & ait Anguſtia ſunt mihi? ô quales anguſtiæ, anguſtioſum eſt mori, & anguſtioſum eſt dignam morte fieri: ſi enim peccaſſet, digna morte in lege Moyſis ordinata, fiebat: ſi non peccaſſet, etiam mors ab illis perverſis judicibus comminata imminebat: quid igitur agere debeo? dicebat illa pudiciſſima mulier: mors quidem corporalis, ſi peccato non conſentiebat, mors ſpiritualis animæ, ſi peccatum perpetraſſet, ſed quid fecit inter mortem, & mortem anguſtiata? ecce quid fecit; *melius eſt mihi abſque opere incidere in manus hominum, quàm peccare in conſpectu Domini, cui omnia nuda & aperta ſunt;* quia homines tantùm occidunt corpus; *ille timendus eſt, qui poteſt corpus, & animam perdere in gehennam.* & exclamavit voce magna Suſanna, exclamaverunt autem, & ſenes adverſus eam: fit clamor, & concentus luporum, & oviculæ balantis inter eos, contemnit propter Deum mortem corporis, opprobrium generis, luctum inconſolabilem amicorum, bis victrix, & in periculo ſuo toties, tam funeſte concepto, & libidinem evaſit, & mortem; ô quale ſpectaculum dignum Deo, & Angelis, & hominibus; ſic ſancti Patres in Gloſſa: ex quibus eruere debemus documenta cœleſtia: & primò quando libido in corde nutrita, eſt ærugo devaſtans omnia bona, & inducens in omnia mala. *ſer. 2. Dom. 7. poſt Pent.* Secundò, quòd peccatum mortale eſt mors amarior, & horribilior morte corporis, quia ſeparat à Deo auferens vitam veram divinam. *Ser. 2. & 3. & 4. Dom. 15. Pent. Ioan. collat. 27.* Tertio, quod confidens in Deum non confunditur, ſed triumphat de omnibus inimicis, ut experta eſt iſta ſanctiſſima mulier; & ideò quoties ô homo anxiaris inter anguſtias, & maximè in Dei obſequio ad Deum recurre, in Deo totam tuam fiduciam colloca, & ſic eris ſecurus: *Ioan. coll. 74. op. ſtim. div. amor. p. 3. c. 17.*

118 *Timor caſtus maximè in juvenibus quàm proficuus.*

Poſtquam autem ſenes locuti ſunt, erubuerunt ſervi vehementer, quia nunquam dictus fuerat ſermo hujuſcemodi de Suſanna, & facta eſt dies craſtina. Vide, quod ſervi Suſannæ, audientes exceſſum adulterii à ſenibus ipſi imputatum, erubuerunt ſed cur erubuerunt? erubuerunt de tam turpi facto: ſic enim eorum verecundia exprimitur, & hic eſt timor caſtus, & verecundus, qui eſt omnium ætatum ornatus, qui amplius in juvenili ætate eniteſcit; quid enim amabilius verècundo adoleſcente? quam pulchra hæc eſt ſplendida gemma motum in vultu adoleſcentis? quàm vera, & minime dubia bonæ nuntia ſpei, bonæ indolis index, ſoror continentiæ eſt, ſine hoc timore verecundiæ nihil rectum eſſe poteſt, nihil honeſtum: ô caveant adoleſcentes, ne ſe expolient tali ornatu quia abſcedente hoc timore, abſcedit omnis virtus, & præcipitabuntur in omnia ſcelera. *Opuſc. Diat. tit. 6. c. 1.*

119. *Admonitio ad judices datur pro cauſarum terminatione.*

Conſurgentes autem duo presbyteri in medio populi poſuerunt manus ſuas ſuper caput Suſannæ. Nota, quod iſti duo Presbyteri erant Judices, qui poſtquam fuerat Suſanna ſolemniter citata ad cõparendum, & ponentes manus ſuas ſuper caput mulieris, tali modo jurabant ipſam eſſe ream, & dignam morte. Hic autem datur admonitio Iudicibus, ut in adjudicando aliquem ad mortem, non ſint contenti depoſitione ſimpliciter duorum teſtium, ſed advertant ad conditionem ipſorũ, quantumcunque ſint ſenes, ſint homines auctoritate, & etiam ſacerdotes, examinent diligenter omnes conditiones, & alia requiſita, ne decipiantur, ut evenit in hoc caſu, in quo Iudex ſuperior, ſcilicet Daniel eos invenit falſarios, & fraudulentos. *Ioan. c. 8. v. 17. & Gloſſa moralis.* & eo maximè cum Judices ipſi vices & Iudicum, & teſtium geſſerint, quod eſt contra leges, & canones.

12. *Confidens veraciter in Deo in quacumque anguſtia, non poteſt confundi,* ut evenit Suſannæ, de qua dicitur, *quæ flens ſuſpexit ad Cœlum, erat enim cor ejus fiduciam habens in Deo:* ô magna virtus. *Luc. c. 23. v. 9. op. Comp. Theol. lib. 5. c. 21.*

121. *Clamandum eſt Deo in oratione ſemper, ſed præcipuè in neceſſitatibus majoribus.* Sic Suſanna ſẽtiens ſe injuſtè condemnatam ad mortem exclamavit voce magna, & dixit *Deus æterne, &c.* clamavit inquam ſicut mendicus clamat pro ſubventione; ſicut tribulatus pro conſolatione, & ſicut moriturus pro evaſione: clama ergo miſer peccator pro tantis neceſſitatibus ad Deum, ſed attende, quod lingua tua non ſit ſerpentis, qui ſibilare poteſt, clamare non poteſt: ſic oratio linguæ venenatæ non eſt clamor orantis, ſed ſibilus ſerpentis apud Deum; non exauditur, ſed tantum lingua ſancta. *Ser. 3. Dom. 2. quadrag.*

122. *Iuniorum conſilium aliquando obſervandum, maximè timentium Deum.*

Cumque duceretur ad mortem, ſuſcitavit Dominus Spiritum Sanctum pueri junioris, cujus nomen Daniel. Ecce qua arte mirabili Deus liberavit Suſannam à morte injuſta, quia uſus eſt Puero ad aperiendã veritatem hujus facti, & meritò, quia in pueris bonis elucet veracitas, & hinc ediſcere debemus quòd in congregationibus aliquando ſentiendum eſt conſilium à juvenibus pueris, & Deum timentibus, qui aliquando (licèt non ordinariè) ex cauſa juſta aſſumi debent ad docendum ante ætatem adultam. *Luc. c. 3. v. 23. & c. 18. v. 16.* Et hinc

hinc de Daniele dicitur; *tibi Deus dedit honorem ſenectutis*, ideſt diſcretionem, & ſapientiam, & prudentiam, quæ ſolet eſſe in ſenibus. *Sap. c. 4.*

123. *Angeli aſſiſtunt obtemperantibus, reſiſtunt inobedientibus & iniquis.*

Dixit autem Daniel, rectè mentitus es in caput tuum; ecce enim Angelus Dei accepta ſententia ab eo, ſcindet te medium. Sed quomodò Angelus accepit ſententiam à Deo; nonnè à Daniele, & à populo ſententia lata eſt contra iſtos ſenes iniquos? verum quidem eſt, ſed tamen præmittitur concurſus Angeli Dei cuſtodis Suſannæ innocentis, & populi Iſraëlitici; qui iſti quidem cuſtodiunt obtemperantes, fortiterque è contra reſiſtunt inobedientibus, & iniquis. *Ser. 4. de Ang.*

124. *Concupiſcentia carnalis intrat per oculos, & ſenſus corporis, & tunc omnia bona conſumit, & omnia mala affert.*

Et juſſit Daniel venire alium Preſbyterum, & dixit ei, ſemen Chanaam, & non Iudà, ſpecies decepit te, & concupiſcentia ſubvertit cor tuum: ſic faciebatis filiabus Iſraël, & illæ timentes loquebantur vobis: ſed filia Iuda non ſuſtinuit concupiſcentiam veſtram. Nota ordinem iſtorum verborum ſpecies decepit te: Ecce quomodò mors intravit per feneſtras ſenſuum, maximè oculorum, qui in pulchritudine delectantur, & hinc concupiſcentia intravit in cor: ô grande malum, horribilis infirmitas: quando concupiſcentia involuit cor in delectationibus interioribus, & exterioribus, & tunc homo deglutiens iſta mundi delectamenta, deglutit etiam concupiſcentiam, qua anima venenatur, ſauciatur plaga maxima, infirmitatem lethalem contrahit, & mortem animæ, affert eradicans omne bonum. *Op. de tribus ternar. pecc. c. 3. Ioan. collat. 14.*

125. *Timentes hominum minas, non Deum præcipitantur in quæcumque vitia: timentes Deum, non homines, cavent ab omni peccato.*

Sic faciebatis filiabus Iſraël, & illa timentes loquebantur vobis: ſed filia Iuda non ſuſtinuit concupiſcentiam veſtram. Ecce quale diſcrimen inter timentes homines, & non Deum, & inter timentes Deum, non homines; illi enim ob timorem, & minas ſe involuunt in omni ſpurcitia: iſti cavent ab omni culpa *Pſal. 118. c. 5. v. 15.* & hinc illi à Deo condemnantur, iſti proteguntur ſicut evenit in hoc facto tam mirabili, in quo apparet Dei juſtitia, miſericordia, & providentia. *Luc. c. 23. v. 9. Ioan. c. 8. v. 8.*

CAP. XIV.

126. IN hoc capitulo ultimo narratur quomodo Daniel detegit Regi fraudes ſacerdotum Bel, qui de nocte ſurripiebant cibaria & victimas ipſi Idolo de die oblatas, & ſic detecta falſitate, Daniel Bel, & templum deſtruxit; ſicut & Draconem, quem illi cæci pro Deo colebant: & hinc Rex, ne ipſe occideretur à plebe commota contra eum, permiſit, ut mitteretur denuò in lacum leonum, in quo per ſex dies moratus eſt & ab Angelo per Abacuh fuit ſuſtentatus: ſic enim dixit Angelus Abacuc. *Fer prandium quod habes in Babylonem Danieli, qui eſt in lacu leonum;* in quo apparet divina providentia in ſuos ſervos. *Op. Medit. c. 17. Luc. c. 4. v. 11.*

127. *Panis ſacræ ſcripturæ intridi debet in alueolo cordis, & ſumi ab anima.*

Abacuc coxerat pulmentum, & intriverat panes in alveolo, & ibat in campum, ut ferret meſſoribus &c. & apprehendit eum Angelus, & portavit eum in Babilonem ſuprà lacum, &c. Nota quòd iſte lacus eſt Mundus, in quo ſunt ſeptem leones, ſcilicet Dæmones cum ſeptem vitiis capitalibus; qui ergo in hoc mundo eſt, in lacu leonum eſt; & ideò qui vult liberari à leonibus infernalibus debet intridere panem doctrinæ ſacræ ſcripturæ in alveolo cordis, ſcilicet adire ad audiendum verbum Dei ab eo, cui onus incumbit intridere hunc panem, & ipſum recipere in corde libenter, & devotè, ſicque, & reficietur, & liberabitur à morſu leonum: undè peſſimum ſignum eſt illius, cui talis panis abominabilis eſt. *Ser. 3 Dom. 4. Quadrag.*

128. *Suadentur fideles ad tranſmittendum panem Euchariſticum in lacum Purgatorii, ad reficiendum animas ibi purgantes: Ubi de effectibus Euchariſtiæ ad ſolamen mortuorum, & vivorum.*

Fer Danieli qui eſt in lacu leonum prandium, quod habes, &c. Nota, quòd hæc ab Angelis continuè cuicumque noſtrum reſonant auribus noſtris; nam per lacum leonum ſignificatur Purgatorium, in quo per ſeptem leones ſignificatur ſævitia pœnarum, quas animæ ibi patiuntur, torquenturque ſpecialiter fame vehementiſſima, ſcilicet deſiderio refectionis menſæ cæleſtis, nec poſſunt ex ſe hoc obtinere, unde dicitur cuicumque fideli: *fer prandium, quod habes*, ſcilicet panem corporis Chriſti offer ad Altare Dei, ipſumque ſume in te, offer inquam Deo, ut per miniſterium Angelicum pervenias, quoad effectus ad illum lacum, nempè ad illas animas reficiendum, & liberandum à tantis pœnis, ſicque cum Eccleſia orabis dicens, *libera eas de ore leonis:* Tria autem notantur in hoc myſterio Paſſionis Chriſti memorativa, cujus paſſione animæ purgantur à culpa, & pœna, ſcilicet in pœnalitate paſſionum attritus eſt Chriſtus in alveo Crucis; item Angelicæ curæ diligentia quia ductu Angelico panis iſte perlatus eſt; Unde Eccleſia in Canone dicit: *Iube hac perferri per manus ſancti Angeli tui:* Innuitur etiam ferocitas, & ſævitia pœnarum, in leonibus, qui erant in lacu, ut dictum eſt; & non ſolum ad refectionem animarum Purgatorii iſte panis ordinatus eſt, ſed etiam ad refectionem viventium in lacu hujus Mundi; nam per ipſum non ſolùm reficitur anima refectione cæleſti, ſed & liberatur ab inſidiis Diaboli, & ab incurſu, & præcipitio vitiorum, & peccatorum, & ſecurè anima verſus patriam cæleſtem ſe dirigit; & tandem ejus efficacia pervenit ad illam menſam cæleſtem, ad quam tandem dignetur Dominus Jeſus per ſuam miſericordiam nos perducere.

Explicit Expoſitio Seraphici Doctoris Sancti Bonaventuræ in Danielem.

EXPOSITIO SERAPHICI DOCTORIS
S. BONAVENTURÆ
IN
OSEAM PROPHETAM.
PROLOGUS.

NOTA quod Oſeas fuit de tribu Iſachar: gerit autem figuram Chriſti Jeſu, qui ex fornicatione gentium accepit in corpore ſuo Eccleſiam, Reliqua, quæ ad prolegomena ſpectant videantur D. Hieron. Cornel. aliique expoſitores.

CAPUT PRIMUM.

1. *Præceptum à Deo factum Prophetæ Oſeæ de ſumendo in uxorem fornicariam, expenditur.*

Vade, ſume tibi uxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum. Quomodo Deus præcepit Oſeæ, ut cum fornicaria commiſceatur, cum hoc vetitum eſſet in lege? ſed attende, quòd aliqui ſunt actus, qui intrinſecè involvunt deordinationem animæ ad Deum; ut idololatrare; & iſti ſunt prohibiti, quia mali, nec unquam poſſunt eſſe ordinati: alii, qui non involvunt eſſentialem deordinationem, niſi ratione præcepti; & cum præceptum ſit ſuperius, & potentius, ideo ſunt mali, quia prohibiti; & in iſtis Deus diſpenſare poteſt, ſicut diſpenſavit in hoc caſu; & cum Judæis aſportantibus vaſa Ægyptiorum. *L. 4. d. 31. a. 2. q. 1.* Nota autem, quòd non per hoc Deus diſpenſavit in hoc, quod cognoſceret fornicariam ex libidine, & prout dicit actum libidinoſum, in hoc enim eſt malum; & hoc nunquam Deus diſpenſavit; ſed præcepit, ut affectu maritali eam agnoſceret. *L. 1. d. 47. a. 1. q. 4.*

2. *Duplex figura, & myſterium expenditur in hoc conjugio Oſeæ.*

Sume tibi uxorem fornicationum, &c. Cur Deus voluit, ut iſte Propheta ſumeret fornicariam, quaſi vellet canonizare fornicationem? ſed attende, quòd duplex myſterium in hoc facto continetur. Aliud eſt præfiguratio adventus Chriſti, & vocationis gentilitatis, quæ erat fornicaria, quam accepit in ſponſam, ut dictum eſt ſupra: Aliud eſt in malum: nempe præfiguratio earum, quæ his ultimis temporibus contingere debebant: nempe præcipitium tot fidelium, qui in fornicationem labendi erant, quaſi Deus permitteret ipſam, quod eſt falſiſſimum: & ideo ei præcepit, ut imponeret uxori nomen Jezraël, quod interpretatur viſitatio, quia ſuper tales viſitabit Dominus viſitatione terribili in judicio. *Ser. 1. Dom. 24. Pentec.*

3. *Ubi viget concordia, ibi unum eſt cor, & omne bonum; quia ibi Deus habitat.*

Et congregabuntur filii Iuda, & filii Iſraël pariter, & ponent ſibimet caput unum, & aſcendent de terra: quia magnus dies Iezraël. Nota, quod ad litteram hæc eſt prædictio de converſione Judæorum in fine Mundi, qui concordes erunt in fide; & Chriſtum ut caput recognoſcent, & tunc aſcendent ad cognitionem myſteriorum cæleſtium: erit illis illud tempus magnus dies, ſcilicet maximæ claritatis, & virtutis, qua ſe præparabunt ad viſitationem generalem. Myſticè dat intelligere, quod ubi viget concordia, ibi unum caput, & unum cor omnium regit illos; iſtique per adventum Spiritus ſancti aſcendunt de terrenis ad cæleſtia, & magnus dies oritur illis, id eſt illuminationis animæ. *Op. Eccleſ. Hierar. p. 4. c. 4. & Ugo hic.*

CAP. II.

4. *Vocatio gentium, & reprobatio Judæorum oſtenſa, & prædicta Prophetæ.*

DICITE *fratribus veſtris; populus meus, & ſorori veſtræ miſericordiam conſecuta. Iudicate Matrem, judicate, quod ipſa non uxor mea; & ego non vir ejus: auferat fornicationes ſuas, &c.* Hic prædicit Propheta vocationem gentilitatis, quæ facta eſt populus Chriſti, & deſponſata à Chriſto:

Chriſto: item, & reprobatio ſynagogæ, quæ prius erat Deo deſponſata; ſed à Deo reprobata fuit; quia Deum ſuum ſponſum dereliquit. *in Luc.c.20.v.16.& l.4.d.35.a.1.q.4.*

5. *Deſponſatio, & repudium ſpirituale animæ cum Chriſto expenditur.*

Dicite fratribus veſtris, populus meus, &c. non uxor mea.&c. Ecce quid facit gratia Dei in anima: nam illa anima, quæ diabolum, & peccatum relinquit, aſſumitur à Chriſto in ſponſam; in quo elucet mirabiliter maxima filii Dei dignatio, in aſſumendo animam vilem, ignominioſam, & peccatricem, eamque ſanctificando, ut ſit ſua ſponſa. Et è contra; repudium quod ſequitur, quando anima Chriſtum derelinquit; tunc enim non amplius vocatur uxor, & ſponſa filii Dei; quia Chriſtus juſtè repudiat illam: Unde hæc repudiatio major eſt, quàm illa, quæ inter fornicatiam, & virum ſuum intervenit; nam in hac aufertur cohabitatio tantùm; ſed in ſeparatione animæ à Deo concurrit impoſſibilitas unionis cum Chriſto, dum manet anima in tali ſtatu peccati: unde ſubdit: auferat fornicationes, &c. *in Ioan. collat.11.& l.4. d.35. a.1. qu.4.*

6. *Peccatori ambulanti poſt unitates, & quærenti delitias carnales Deus ſæpè immittit tribulationes, & ſpinas, ut ipſum revocet à via mala.*

Quia dixit: vadam poſt amatores meos, qui dant panes mihi, & aquas meas, &c. propter hoc ego ſepiam viam tuam ſpinis, &c. Ecce pium certamen inter animam peccatricem, & Chriſtum: peccator enim per vias vanitatis ambulat, & ad voluptates carnales captandas totum ſe diffundit: ſed quid facit Deus miſericors? ſepit vias ſuas ſpinis tribulationum, & afflictionum; ut à ſe per delectationes averſos ad ſe revocet per tribulationes; ut fecit miſericorditer cum filio prodigo, qui in prædam famis, & ægeſtatis datus, ad Deum reverſus eſt per pœnitentiam: unde qui propter luxuriam receſſit, propter inediam rediit. *in Luc. cap. 15. verſ.16.& cap.11. verſ.8. in Ioan. cap. 16. in fin.* Et hinc in perſona talis peccatoris afflicti dicitur: vadam, & revertar ad virum meum priorem, quia bene erat mihi tunc magis, quam nunc: ſicque ſæpè evenit, ut quo major peccator prius eſſet, eo ſanctior poſtea fit. *In Thren.c.1.*

7. *In via Mundi, & carnis, non delectatio, ſed tribulatio, & afflictio occurrit.*

Dixit: vadam poſt amatores meos, qui dant mihi panes, &c. Ecce quid dicit impius, qui à Deo recedit, & in regionem peccati intrat, ut voluptates, & delectationes carnales captet: ſed tamen ſubdit Deus: ſepiam viam tuam ſpinis: ſcilicet ſemper decipitur, & deceptum ſe invenit; quia loco voluptatum incidit in ſpinas, & afflictiones: nam cum omnia ſint vanitas, non poſſunt reficere, ſed tantum affligere. *In Luc. c.15. verſ.16 aliiſque locis cit.*

8. *Deus nobis diſpenſat temporalia bona, ut proſint ad ſalutem; & ideo ſæpè ea aufert malè utentibus.*

Et hæc neſcivit; quia ego dedi eis frumentum, & vinum, &c. quæ fecerunt Baal: idcirco convertar, & ſumam frumentum meum, &c. Vide, & audi ô homo, quæ hic intonat populo Iſraelitico, & tibi diriguntur; dans Deus intelligere, quòd bona temporalia, & divitiæ à Deo dantur nobis, ut ipſis non fruamur, ſed utamur ad ſalutem animæ acquirendam: Cum autem multi utantur ipſis ad Dei offenſam, & in ipſis collocent ſuam fruitionem, & beatitudinem; idcirco ſæpe à Deo privantur tales divites divitiis ſuis. *in Luc.c.16.v.1. in ſap.cap.14.* Hinc ediſcamus, quod quando permittit Deus bella, direptiones, tempeſtates, & alia mala, nobis auferentia hæc bona: tunc Deus per ipſa ſumit frumentum, vinum, argentum ſuum, &c. Et hinc ſubdit: ceſſare faciam omne gaudium ejus, ſolemnitatem, &c. *In Luc.c.23.v.53.*

9. *Dei miſericordia immenſa elucet in vocando peccatorem exiſtentem in profundo miſeriarum.*

Et viſitabo ſuper eam dies Baalim, quibus accendebat incenſum, &c. & ibat poſt amatores ſuos & mei obliviſcebatur. Ecce quid proponit Deus: nempe viſitationem generalem omnium operationum populi ſui; & hanc inſinuat eo tempore, quo immerſus magis in ſceleribus cujuſcumque generis involutus invenitur viſitabo, ait Deus: ſed quid facies Domine Deus poſt peractam viſitationem? quando invenies animas involutas in omnibus ſceleribus? quando invenies ferè omnes à te abalienatos, & traditos voluntariè in poſſeſſionem dæmonum? qualibus ſagittis ipſos feries? quas pœnas ipſis infliges? O mira Dei miſericordia! ecce quid ſubjungit *propter hoc*: nota propter hoc: *ecce ego lactabo eam, ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor ejus: ſcilicet quia vidi animam involutam in omni ſpurcitiâ, & miſeria; ideo commotus ad miſerationem, ipſam vocabo ad me.* Vide qualem punitionem, imo qualem charitatem Dei noſtri, quæ verè infinita elucet; dum nos in peccatis obvolutos expectat ad pœnitentiam, vocans nos ad ſe, & dans nobis tempus ad pœnitendum: unde apparet, quod mirabiliter certant ad invicem Dei miſericordia, & humana malitia. *Serm.2. & 3. Dom.7. Pentec. op.ſtim. div.amor. p.2. c.6. & 8. Ecce ego lactabo eam: ducam eam in ſolitudinem; & loquar ad cor ejus.* O verba dulciſſima, & mellea: *lactabo eam*, blandiar illi, legit Gloſſa: alliciam eam verbis, & inſpirationibus ſuavibus: ducam, traham illam ad me, ad locum orationis, & pœnitentiæ: loquar ad cor ejus, & quid? loquar ad cor, ſicut locutus ſum Adam, in funiculis Adæ: & dicam, anima ubi es? revertere ad me, ad tuum Patrem dulciſſimum. O ineffabilis pietas Dei noſtri, exclamat Bernardus ſanctus: Nota hæc pro oratione publica.

10. *Solitudo quàm apta locutionibus divinis.*

Ecce ego lactabo eam, ducam eam in ſolitudinem; & loquar ad cor ejus. Et quali lacte lactabit animam, & in quam ſolitudinem ducet tali lactatione? quid eſt, quod loquitur, & promittit Deus? Vide quid facit piiſſimus Deus cum ſuis ſervis: primò eos lactat attrahendo conſolationibus Spiritus Sancti: ſecundò eos ducit in ſolitudinem; ſcilicet eos ſeparando à tumultu peccatorum, à ſtrepitu mundi: ducam ait animam in ſuæ ſecretum mentis, ad interiora cordis; & loquar ad cor ejus: quid? per allocutionem dilecti ad dilectam, ſponſi ad ſponſam, amici ad amicum, ſalvatoris ad animam. O dulcis allocutio; ſed paucis valde conceſſa, paucis valde experta: quia non poſſunt duo contraria ſimul convenire, ſpiritualia, & carnalia. *Ser.* 2. *Dom.* 6. *Pentec. ſer.* 1. *de Evangeliſtis. ſer.* 2. *Dom.* 1. *quadrag. Op. de* 7. *itiner. ætern. itin.* 2. *d.* 4. Hinc invitatur anima præcipuè religioſa ad intrandum hunc deſertum, ideſt ad ſolitudinem per ſeparationem à ſtrepitu mundi, & ad commorandum in interiori animæ: ſic enim divinas allocutiones facilius, & ſecurius percipiet, & ad perfectionem aſcendet. *Luc. c.* 9. *v.* 10. *c.* 3. *verſ.* 2. *c.* 4. *v.* 1. *& c.* 22. *verſ.* 39.

11. *Deſponſatio animæ cum Chriſto, & cum diabolo expenditur.*

Et ſponſabo te mihi in ſempiternum, & ſponſabo te mihi in juſtitia, & in judicio, & in miſericordia, & miſerationibus, & ſponſabo te mihi in fide, & ſcies quia ego Dominus. Nota, quòd hic ter promittit Chriſtus deſponſationem cum anima, & Eccleſiâ. Cur ter, & non una vice tantum? & quid eſt hæc deſponſatio? & quando fit? Ter dicit ſponſabo, ut notat S. Doctor, propter fidem Trinitatis; & quia trina eſt deſponſatio perfecta animæ cum Chriſto; ſcilicet corde, ore, & opere. Hæc deſponſatio eſt quidem mirabilis per fidem, & puritatem, & juſtitiam, amorem, operaque bona: quia homines quidem de virgine non Virginem faciunt: Chriſtus vero è contra, de meretrice facit Virginem, ipſam ad innocentiam reintegrando. O qualis eſt iſte ſponſus, ſponſus nobiliſſimus, ditiſſimus, ſpecioſiſſimus, honoratiſſimus; ſponſus quidem diligendus. Ergo, anima curre ad hunc ſponſum, uni te cum ipſo: ipſum ama, ipſi flagra, ipſi inhia, quo jucundaris nihil invenies quo lætius, quo melius, quo diuturnius: ſed quidam tamen ſponſo iſto contempto, ad deſponſationem cum diabolo currunt, qui ipſos nunc adducit in mundo cum gaudio; ſed poſtea in infernum præcipitantur. *Ser.* 1. *Dom.* 19. *Pentec. ſer.* 1. *Dom.* 1. *poſt oct. Pentec.*

12. *Deſponſatio Chriſti cum Eccleſia in incarnatione publicata in die Epiphaniæ.*

Et ſponſabo te mihi, &c. Attende ad ea, quæ ſupra præceperat Deus Oſeæ, ut ſumeret fornicariam: Ecce ad quid alludebat illa deſponſatio? nempe ad deſponſationem Chriſti cum fornicaria; ſcilicet cum Eccleſiâ, quæ prius fornicaria ibat poſt amatores multos; ideſt obſequens diabolo, mundo & carni: Et ecce Chriſtus ſibi hanc ſponſam, ſanguine ſuo mundatam deſponſavit: deſponſavit quidem ipſam in incarnatione, in utero B. Virginis: ſed in die Epiphaniæ expoſuit, & publicavit hanc deſponſationem, quando intravit in Jordanem, inſtituens baptiſmum, lavit ejus crimina; & per baptiſma ordinavit, ut quælibet anima ſibi deſponſaretur. *Op. medit. c.* 16. *Ioan. collat.* 11.

13. *Deſponſatio animæ fit in baptiſmate cum Chriſto.*

Sponſabo te mihi in fide, &c. Nota in fide: quia cum hæc in baptiſmate infundatur, tunc anima deponſatur à Chriſto Domino: tunc enim juſtitia; ſcilicet aggregatum omnium virtutum infunditur: & ideo primò affert in medium deſponſationem per juſtitiam dicens: *ſponſabo te mihi in juſtitiâ, & in judicio, & in miſericordia, & in miſerationibus, ſponſabo te mihi in fide, &c.* dans intelligere quod in baptiſmate infunditur juſtitia, & judicium reſpectu ipſius animæ, & miſericordia in affectu, & miſeratio in effectu reſpectu proximi; & fides reſpectu Dei: Ideo Eccleſia, celebrans hanc deſponſationem per baptiſmum, cantat in die Epiphaniæ: *hodie cæleſti ſponſo juncta eſt Eccleſia, quoniam in Iordane lavit Chriſtus ejus crimina. op. medit. c.* 16. *Pſal.* 118. *c.* 9. *v.* 10. *Op. ſpecul. B. Virg. lect.* 10. Meritò igitur conjunctio animæ cum Chriſto, vocatur deſponſatio, quæ fit in thalamo conſcientiæ ob indiviſam unionem, ob affectuoſam dilectionem, ob fœcundam generationem, ob communem omnium poſſeſſionem: hæc enim interveniunt inter ſponſam, & ſponſum, quibus communis, & una eſt hæreditas, una domus, una menſa, una caro, omnia communia, nihil proprium. O grandis dignatio, grandis amor filii Dei. *Ioan. collat.* 11. *ſer.* 1. *Dom.* 19. *Pentec.*

14. *Fides eſt annulus, quo ſponſa Chriſti ornatur.*

Sponſabo te mihi in fide. Cur in fide, & non potius in gratia? Hoc dicit, quia ſicut in ſubharratione ſponſæ annulus in digito ponitur ad ornationem ipſius; ſic fides ornat rationem, quæ per digitum intelligitur, quia diſcernit; & ſic à Deo ſpiritualiter deſponſatur hoc annulo, qui eſt argenteus, eo quod fides inſtar argenti lucet per veram cognitionem Dei, & reſonat per perfectam confeſſionem. *Op. Diæt. tit.* 5. *c.* 3.

15. *Deſponſatio Dei cum Maria Virgine expenditur.*

Et ſponſabo te mihi in ſempiternum; & ſponſabo te mihi in juſtitiâ, & judicio, & miſericordiâ, & in miſerationibus, & ſponſabo te mihi in fide; & ſcies quia ego Dominus. Si hoc dictum eſt à Deo animæ, & Eccleſiæ ſibi deſponſatæ: magis tamen hæc verba à Spiritu Sancto diriguntur Mariæ Virgini, deſponſatæ cum Deo Patre, Filio, & Spiritu

Spiritu Sancto. *Sponſabo te mihi in juſtitia, & judicio, & in miſericordia, & in miſerationibus, & in fide, dicit Dominus.* Nam Maria ſponſa pulcherrima, fuit ſponſa Dei in juſtitiâ vitæ, & in judicio conſcientiæ reſpectu Dei: pulcherrima ſponſa in miſericordia in affectu, & in miſerationibus in effectu reſpectu proximi, pulcherrima ſponſa in fide, reſpectu Dei; quoniam credidit omnia credenda ſupra ſe, & omnia perficienda in ſe: pulcherrima item ſponſa in converſatione & allocutione; & ideo Deus ſibi ſuas divitias fecit communes: dicat igitur Angelus Mariæ: gratia plena, Dominus tecum, ſicut ſponſus cum ſponſa dulciſſima. *Op. ſpecul. B.Virg. lec.*10.

16. *Deſponſatio iterum Chriſti cum Eccleſiâ, & anima expenditur.*

Et ſponſabo te mihi in ſempiternum; ſponſabo te mihi in juſtitia, &c. in fide, &c. Nota, quòd in his verbis ſignificat quàm commendabiles, & honorabiles ſint nuptiæ inter Chriſtum, & Eccleſiam: primò quia ſponſus eſt filius Dei, ob idque ditiſſimus, quia ipſum Pater conſtituit hæredem univerſorum, ait Apoſtolus *Heb.* 1. Item ſpecioſiſſimus, quia eſt ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ Patris: item fortiſſimus; quia omnia portat, & fovet verbo virtutis ſuæ: item honoratiſſimus; quia ſedet ad dexteram majeſtatis Patris; commendabiles item ſunt iſtæ nuptiæ propter ſponſæ pulchritudinem; quia tota eſt pulchra in viſceribus, & in membris, ſic facta ex conjunctione ſponſi. Commendabiles item propter filiorum multitudinem, & propter convivium in ipſa præparatum: quia per has nuptias dedit requiem univerſis Provinciis: ſcilicet in Provincia Cœli propter reintegrationem ſedium: Mundi propter liberationem à concuſſione, & vexatione: Inferni, & Purgatorii propter liberationem animarum in Limbo, & Purgatorio exiſtentium: item commendabiles propter dona, quæ in iis dantur; ſcilicet dona Spiritus Sancti. *Serm.*1. *Dom.*19. *Pentec.*

17. *Semen Dei Qualiter, & quo ordine jacitur in agro animæ.*

Et ſeminabo eam mihi in terra, & miſerebor ejus qua fuit abſque miſericordia. Ecce quid fecit Chriſtus poſt deſponſationem cum Eccleſia: *Miſerebor ejus, ait ipſe.* Tunc autem miſeretur animæ peccanti, quando extirpat ex ea omnes ſpinas vitiorum, ut ſeminet in ea, velut in terra electa, ſemen verbi Dei, pullulantis in germen gratiæ, atque creſcentis in meſſem gloriæ *Ser. in Dom. quinquag.* Hoc fecit Chriſtus in vocatione gentilitatis; de qua concludit: *& dicam non populo meo: Populus meus es tu: & ipſe dicet Deus meus es tu. Thren. c.*20. *v.*16.

CAP. III.

18. *Angeli an fuerint creati cum gratiâ ſanctificante.*

DILIGIT *Dominus filios Iſrael; & ipſi diligunt vinacia uvarum.* Quia Gloſſa, & D. Hieronym. applicant hæc Dæmonibus, qui creati ſunt in magna pinguedine Spiritus Sancti: ſed per ſuperbiam areſacti, converſi ſunt in vinacia uvarum; ſcilicet, projecti velut vinacia inutilia in abiſſum. Hinc movent SS.DD. quæſtionem, an Angeli creati fuerint in gratia ſanctificante: in qua probabiliter multi ſuſtinent affirmativam: ſed probabilius tamen eſt dicere oppoſitum. Cum enim natura angelica ſine retardatione feratur ſtatim in id, quod appetit, ſi habuiſſent gratiam ſanctificantem, in ipſam firmiter adhæſiſſent: & ad id de pinguedine ſpirituali, in qua creati ſunt, reſpondetur: id debere intelligi de naturalibus, & donis gratiæ antecedentis, quæ ſunt præparatoria ad gratiam: cum quibus donis tamen Dæmones non ſunt converſi ad Deum ſuper omnia diligendum, ſicuti poterant; ſed converſi ad ſe ipſos per ſuperbiam in vinacia inutilia transformati ſunt. *L.*2. *d.*4. *a.*1. *q.*1.

19. *Stultitia hominis relinquentis Deum pro temporalibus expenditur.*

Diligit Dominus filios Iſrael, ipſi verò diligunt vinacia uvarum. Quid eſt diligere vinacia uvarum, quæ ſunt pelliculæ uvæ inutiles non nutrientes nec reficientes? Vinacia iſta ſunt bona temporalia, quæ omnia uana ſunt, & inutilia. Homo verò ſtultus relinquit, & deſerit Deum pro iſtis vinaciis quod verè eſt maxima ſtultitia, & deceptio; quod expreſſit rectè Chriſtus in illâ cœna, ad quam multos vocavit; ipſi verò noluerunt ire ad tantam cœnam præponentes villam, juga boum, & carnalitates tot bonis. *Ser.*1. *Dom.*2. *poſt oct. Pentec.*

CAP. IV.

20. *Propter peccata maximè veniunt deſolationes temporales.*

AUDITE *verbum Domini filii Iſrael, & non eſt veritas, & non eſt miſericordia, & non eſt ſcientia Dei in terra. Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt, & ſanguis ſanguinem tetigit, propter hoc lugebit terra, &c.* Nota, quòd per hæc verba *Sanguis Sanguinem tetigit*; ſignificatur peccatum additum peccato, & multiplicatum; ob quam multiplicationem, Deus minatur deſolationes; ſed qualia ſunt iſta peccata? *Sanguis Sanguinem tetigit*? Peccatum, inquam oris, unde dicit, non eſt veritas: operis, unde dicit, non eſt

miſericordia: cordis, unde dicit, non eſt ſcientia Dei: ſed maledictum ad detrahendum, & diffamandum proximum: mendacium ad decipiendum: & homicidium ad nocendum in perſonam, & furtum in res: & adulterium in uxorem inundaverunt ad inſtar fluminis, ripas exceſſerunt: quia hodie plurimi nec Deum timent, nec homines reverentur, ſed ſanguis ſanguinem tangit; quia peccata peccatoris addunt multipliciter, abundanter, & frequenter. Sed ecce effectus tot ſcelerum: propter hoc lugebit terra: id eſt inculta, & deſolata ad modum lugentis manebit: & iſtæ deſolationes tranſient in habitatores, & poſſeſſores terræ: ideo dicit: & infirmabitur, qui habitat in ea. Unde propter peccata tam multiplicata veniunt deſolationes terrarum, aliaque flagella. *Pſalm. 8. & Pſal. 30. in ſap c. 14. & ſer. 3. Dom. 5. Pentec. & ſer. 4. Dom. 11. Pentec. & Ugo Card.*

21. *Scientia Sanctorum qualis, & quàm neceſſaria ad ſalutem, maximèque in Prælatis.*

Conticuit Populus meus, eo quod non habuerit ſcientiam: quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi, & oblita es legis Dei tui, obliviſcar filiorum tuorum & ego. Quæ eſt hæc ſcientia, ob quam conticuit, vel ut legit Hebræus, ſucciſus eſt, & reciſus à Deo, derelictuſque? ergone ſolùm ſapientes, & docti poſſunt ſalutem adipiſci? Sed attende ad id, quod dixit Zacharias de præcurſore Chriſti, quod venit, ut traderet ſcientiam ſalutis. Hæc eſt ſcientia donum Spiritus Sancti, quæ intellectum illuminat ad credendum ea, quæ docet, & inflāmat, & dirigit affectum, & voluntatem ad agendum ea, quæ requirit, & exigit fides: & hæc eſt ſcientia Sanctorum, quæ docet non doctrinam Platonis, non verſutias Ariſtotelis incurſare, non ſemper diſcere, & numquam ad veritatis ſcientiam pervenire: ſed docet à malo declinare, & bonum ſectari, & benè vivere; quæ ſcientia, cum ſit omnibus neceſſaria, maximè tamen Prælatis; quorum munus eſt non ſolùm ſcientiâ hac ſanctorum paſcere ſeipſos, ſed & ſubditos. Meritò ergo conqueritur Deus de Populo Chriſtiano, quòd non habeat ſcientiam; eo quia abjecta vera ſapientia, tam clerus, quàm Populus, mundanis delitiis, & inutilibus curioſitatibus ſe immergit: Et quod multò magis eſt dolendum, & cordis lachrymis inceſſabiliter lamentandum, quod multi religioſi, multi etiam viri famoſi reputati, & Prælati, veluti quondam populus Iſraëliticus, relicto recto cultu Creatoris ſui, manufactis Idolis ſervierunt; ſic relicta vera ſapientia, qua Deus ſolus perfectè interius colitur, & à ſolis amantibus adoratur, divitiis, ſcientiis vanis, fabricationibus multiplicium argumentorum inventitiis, quaſi quibuſdam Idolis, miſerabiliter mentem impleverunt, in quibus ſic abſorbentur, diabolo inſtigante, & ſic mens ipſorum in iſtis totaliter poſſidetur, ut vera ſapientia locum in eis non inveniat, nec remanet ſpiraculum, quo ſuum Creatorem anima per flammigeras amoris affectiones contingat. O malum, & verè grande. *Op. de dono ſcien. c. 1. medit. c. 48. Theol. myſt. prolo. Pſal. 58. & 118 c. 3. v. 13. Luc. c. 1. v 77. c. 12. v. 42. Ioa. coll. 90. ſap. c. 15.*

22. *Gloria mundana, vana, & ignominioſa: gloria Spiritualis vera, & honorabilis, & deſiderabilis.*

Secundum multitudinem eorum, ſic peccaverunt, gloriam eorum in ignominiam commutabo. Vide quid eſt, quòd conſequitur ad multiplicationem peccatorum per quæ ſe immergunt homines in vanitates & in gloriam mundanam, gloriantes ſe in alta potentia, in profunda ſapientia, in rerum opulentia, & in exteriori apparentia; ad quæ quatuor capita veluti in gloria quadrigarum ſuarum, reducitur omnis gloria mundana. Sed iſti valdè decipiuntur; quia hæc gloria, non ſolùm vana eſt, ſed in ignominiam commutatur à Deo, & ubi homines cæci credunt invenire delectationem, & honorem præcipitant ſe, vel præcipitantur à Deo in ignominiam, & confuſionem. Non ſic eſt gloria ſpiritualis, quæ conſiſtit in mentis puritate, & in cognoſcendo propriam vilitatem; & ideo talis vilitas, & abjectio à Deo commutatur in veram gloriam, & honorem. *Ser. 1. de uno S. Mart. Ser. 1. de S. Cathar. in addit. Luc. c. 4. v. 6. & c. 20. v. 46.*

23. *Sacerdotes mali comedunt peccata populi in ipſius excidium: Sancti in Salutem.*

Peccata populi mei comedent, & ad iniquitatem eorum ſublevabunt animas eorum. Et erit ſicut populus, ſic Sacerdos. Quæ comeſtio eſt hæc peccatorum? quomodo comedi poſſunt peccata? Sed attende, quòd hoc poteſt ſumi in malum, & in bonum: In malum hic ſumitur ad litteram: dat enim intelligere impietatem malorum Sacerdotum, & ruinam, quam in populos inferunt. Peccata populi comedunt, qui minuunt falsò peccata populorum, vel ut munera, & oblationes ipſorum recipiant, deficiunt in munere ſuo, eos non corrigendo, ſed potius palpando & adulando, eos relinquentes in ſuo peſſimo ſtatu: imo ſuis malis exemplis eis ſcalam faciendo ad majora ſcelera, & ſublevando eos ad majorem iniquitatem: & hinc ex tali mala vita ſequitur, quod ſicut populus, ſic Sacerdos, vel potius è contra, ſicut ſacerdos, ſic populus: ex quo univerſali defectu Parochorum notat S. Doctor, quod Spiritus Sanctus miſit in auxilium Eccleſiæ religioſos mendicantes, & eos ſummus Pontifex miſit ad curam animarum per prædicationes, & confeſſiones, aliaſque functiones ſacras, ut iſti ſupplerent defectus Parochorum, & ſacerdotum. In bonum autem comedunt peccata populorum, ſcilicet ſanctis exemplis, orationibus, ſacrificiis, prædicationibus; auferunt ab agro Eccleſiæ, & populorum tot peccata, quæ graſſabantur per univerſam Eccleſiam. Et hoc eſt, quod dicebat Seraphicus P. S. Franciſcus ſuis fratribus nempè nos eſſe à Chriſto miſſos, ut viventes eleemoſynis corporalibus ab ipſis oblatis, nos comederemus ipſorum peccata. *L. 4. d. 17. p. 3. q. 2. op. de paup. Chriſti. q. 1. v. 2. & quare frat. mino' prædicent. & Apolog. paup. reſp. 4 c. 3.* Hoc notent, & confundātur Filii Seraphici P. Franciſci, non ſe conformantes ſuæ profeſſioni, otioſè, & inutiliter in religione vitam degentes; orationem, & vitam ſpiritualem deſerentes, & non curantes ſalutem animarum; pro

qua

qua maximè inſtitutus eſt ordo Seraphicus: iſti enim, (ſi tamen adeſſent) ſunt fures eleemoſynarum apud Deum, ex quibus vivunt.

24. *Panis diaboli, ideſt peccati non ſatiat, ſed magis irritat famem cordis, & aufert uſum rationis.*

Et comedent, & non ſaturabuntur: fornicati ſunt, & non ceſſaverunt: quoniam Dominum dereliquerunt in non cuſtodiendo. Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor. Cur comedendo non ſaturabuntur? quia panem diaboli comedunt: quia dereliquerunt Deum, ut liberius poſſent capere delectationes, & ſe implere divitiis, & bonis hujus mundi: & ob iſta bona, renuntiant pretioſa quæque, ſcilicet vitam æternam, gratiam, virtutes, & Deum pro iſtis viliſſimis ad refocillandam animam voluptatibus carnalibus, quam talibus ſatiare non poſſunt, ſed potius accendunt eſurientis voluntatem: & quod peius eſt, talis panis aufert uſum rationis, maximèque luxuria & crapula *Thren. c. 1. op. Diat. tit. 1. c. 8. & Comp. Theol. l. 3. c. 21. Ioan. collat. 12. Pſal. 118. c. 3. v. 11.*

25. *Spiritus fornicationis ad omnia ſcelera impellit.*

Populus meus in ligno ſuo interrogavit, ſcilicet idolatrando, & baculus ejus annuntiavit: ideſt interrogando Idolu, an eſſet melius colere Deum, an Idola: quibus, recto Dei permittente judicio, reſponſum eſt iniquè: & hinc ſubdit cauſam: Spiritus enim fornicationum decepit eos, & fornicati ſunt à Deo. Quis Spiritus fornicationum eſt iſte? cur non dicitur Spiritus malus, nequam? Nota, quòd ſeptem Spiritus aſſignantur in *Luc. c. 11.* nequiores diabolo: ſeptem Spiritus nequiores ſe; ſcilicet ſuperbiæ, avaritiæ, &c. Sed tamen nequiſſimus omnium eſt Spiritus luxuriæ, qui intrans, & poſſidens cor ipſum ad omnia alia ſcelera inducit: & tali Spiritu poſſeſſi Iſraëlitæ, ſe præcipitaverunt in idololatriam. Caveamus igitur ab iſtis ſpiritibus, & præcipuè à Spiritu fornicationis. *Op. de 7. itin. æternit. itiner. 4. d. 3 ſer. 3. Dom. 3. quadrag.*

26. *Ira Dei miſericors, & ira Dei terribilis qualis.*

Non viſitabo ſuper filias veſtras, cum fuerint fornicatæ, & ſuper ſponſas veſtras, cum adulteraverint. Sed quænam comminatio eſt iſta? ergo Deus eis condonare prætendebat tot ſcelera, dum viſitare nolle ea dicebat? Sed attende, quòd viſitatio hæc Dei importat iræ ejus oſtenſionem. Sed multiplex eſt ira Dei: alia deſiderabilis, alia vitanda, & terribilis; ira Dei deſiderabilis eſt quando flagellat in hac vita peccatorem, ut reſipiſcat, & convertatur, & talis ira eſt effectus divinæ miſericordiæ. Ira verò Dei terribilis eſt ablatio divinæ caſtigationis propter obſtinationem peccatorum, & dimiſſio eorum in peccato: & hæc eſt maxima ira Dei, ad quam conſequitur æterna damnatio. O caveat Deus nos à tali abyſſo *Ioan. c. 3. in fin.* Sed quid ſequitur ex hac privatione viſitationis divinæ? audi quid: *Sicut vacca laſciviens, declinavit Iſrael:* ſcilicet relicti à Deo fuerunt in ſua libertate, & peſſimo ſtatu in quo ſicut vacca laſciviens, relinquendo diſciplinam Dei, in omnia ſcelera ſe præcipitavit. *Pſal. 128. c. 2. v. 5.*

27. *Diabolus, Mundus, & caro concordes ſunt in ſuſpendendo peccatorem.*

Ligavit eum Spiritus in alis ſuis: & confundentur à ſacrificiis ſuis. Quænam ligatio eſt iſta in alis Spiritus? & cujus Spiritus diabolicus, an Angelicus? Sed attende ad exitum vitæ peccantium, hic expreſſum: dicit, quod Spiritus ligavit eum in alis ſuis. Ubi tria hic innuuntur; primò ligatio, 2. præparatio funis, 3. ſuſpenſio; & ſic tres inimicos proponit hominis, & ſunt Spiritus maledicti, ſcilicet Spiritus mundi, qui mundana offerens, præparat homini funem, ut ligetur: quia omnia iſta temporalia ſunt funes, & laquei animæ: ad hæc concurrit Spiritus diabolicus carnis, qui his funibus ligat animam, quaſi bovem ductum ad victimam: ad hæc ſupervenit diabolus, qui ligatum ſuſpendit peccatorem in alis ſuis, quaſi in patibulo: ſuſpendit inquam, ita ut non poſſit volare cognitione, & affectu ad Deum, ipſum excæcando, & in obſtinationem firmando: & ſic in ſacrificiis ſuis malè oblatis, finaliter confunditur. O caveat peccator ab hoc triplici Spiritu, ne à diabolo ſuſpendatur ut latro. *Thren. c. 1. prope finem.*

CAP. V.

28. *Væ Sacerdotibus, & Prælatis laqueos, & retia ſcandali, & fraudulentiæ tendentibus ſubditis ad ruinam.*

AUDITE hoc ſacerdotes, quia vobis judicium eſt, quoniam laqueus facti eſtis ſpeculationi, & rete expanſum ſuper Thabor; & victimas declinaſtis in profundum; & ego eruditor omnium eorum. Ad litteram hæc diriguntur ad Sacerdotes & Prælatos populi Iſraël, qui ſicut Iſraëlitæ ſolebant in monte Thabor aucupes retibus, & laqueis capere aves: ſic laqueos ſcandalorum & retia perverſæ doctrinæ tendebant ſuis ſubditis; & ſic victimas, quas Deo debebant afferre, diabolo offerebant. Hicque reprehenduntur ſacerdotes, & Prælati, qui cum ſint expoſiti in Eccleſia, ut exemplo, & verbo reducerent animas ad Deum, malo exemplo, veluti laqueis, eos conſtringunt, & retia perverſæ doctrinæ tendendo, eos ad perditionem conducunt. *Væ vobis*, ait Dominus, *quia vobis judicium eſt*; quia à Deo vindicabitur veſtrum ſcelus, & Dei furori ſubjiciemini. *Ioan. c. 21. v. 6. Ugo hic.*

29. *Multi quærunt Chriſtum, ſed quærendo ipſum perdunt, & non inveniunt.*

In gregibus ſuis, & in armentis ſuis vadent ad quærendum Dominum, & non invenient, ablatus eſt ab eis. Cur non invenient? nonne dixit Chriſtus: *Omnis qui quærit invenit?* Sed attende ad modum, quo iſti quærunt Deum: ſcilicet non propter Deum, *Sed in gregibus. & armentis ſuis.* Quid eſt hoc? *in gregibus, & armentis ſuis*; ideſt in rerum temporalium affluentia, non in cordi-

bus ſuis. Dat igitur hic intelligere, quod multi quærunt Deum, ſed ipſum non inveniunt; quia ipſum quærunt non debito modo; quia volunt ſimul Deo, & diabolo, & mundo, & carni ſervire: vel non ubi oportet, quia ipſum quærunt in exterioribus; ſcilicet in ſacrificiis, & oblationibus exterioribus, non in cordibus, ſua Deo offerentes; ſed cor ſibi, & ſuis malis affectionibus, retinentes, ut Cain vel non in tempore debito, ſcilicet ſolum quando ab hoſtibus preſſi, ad Deum recurrunt, non corde puro, ſed ſerâ, & fictâ mori pœnitentiâ. Iſti omnes quærunt quidem Chriſtum; ſed quærendo ipſum non inveniunt, vel perdunt. *In Ioan.c.7.v.34. In Luc. c.11. v.10.c.13. v.23. & op. de præparat. ad miſſam c.8.* Nota etiam, quòd ſecundum alios B. D. multi quærunt Chriſtum in fine vitæ in gregibus, & armentis; ſcilicet in victimis, ſibi pro ſuffragio animæ legantes ſacrificia, eleemoſinaſque; ſed quia id puro timore pœnæ diſponunt, Chriſtum non inveniunt.

30. *Cor ſuum affligens terrenis ipſum ſtercore cooperit & fœtore.*

Calumniam patiens eſt Ephraim, fractus judicio, Ephraim in deſolationem fractus eſt in diebus correptionis. Legunt 70. & textus hebræus: oppreſſus eſt Ephraim, fractus duro judicio. Et cur tanta oppreſſio, & deſolatio? quoniam cœpit abire poſt ſordes. Quid eſt abire poſt ſordes? ideſt quærere ſordes & ſtercora? quænam ſunt iſta ſtercora? ſtercora iſta, & egeſtiones terræ ſunt bona temporalia, & terrena qui ergo perdit animam ſuam in his ſtercoribus, ipſam talibus ſordibus cooperit, & opprimit; & ideo vitam ſpiritualem perdit, Væ igitur amatoribus Mundi. *Thren.c.1.*

CAP. VI.

31. *Quem per devia evagari facit delectatio reducit ad Chriſtum tribulatio.*

IN tribulatione ſua mane conſurgent ad me: venite, & revertamur ad Dominum. Nota, quòd dicit de iſtis perditis, ipſos conſurrecturos ad Dominum in tribulatione ſua; & optimè; quia quoties ad temporalia adipiſcenda vagatur homo, toties à ſeipſo recedit, & ſe elongat à Deo; quia delectationes terrenæ elongant à Deo; ſed poſtea per tribulationes ſæpe ad Deum revertitur. *Luc. capit. 11. verſ.8.*

32. *Ad Chriſtum ut ad medicum, & magiſtrum invitatur anima.*

In tribulatione ſua mane conſurgent ad me: venite, & revertamur ad Dominum. Ecce quid facit tribulatio: nempe veluti cogit hominem relinquere devia, & terrena, & reverti ad quærendum Chriſtum: Sic dicunt: *venite, & revertamur ad Dominum.* Sed ad quid? quia ipſe cœpit nos, ſcilicet laqueis tribulationum: & ſanabit nos, percutiet, & curabit nos: quaſi dicant: Deus ut magiſter nos virga diſciplinæ erudivit, ut medicus nos ſanabit. Ad Chriſtum igitur, ut ad magiſtrum ire debemus: ipſe enim continuè clamat: venite filii audite me timorem Domini docebo vos. *Pſal. 33.* & ut ad medicum curantem omnes noſtras infirmitates: ait enim: venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, ſcilicet infirmitatibus ſpiritualibus, & ego reficiam vos. *Matth. c.11.* Amor igitur veritatis intelligendæ & ſanitatis obtinendæ, debet nos attrahere ad Chriſtum. *Luc.c.6.v.19.& c.9. v.11.& c.11.v.8.*

33. *Chriſti reſurrectio, noſtra vivificatio eſt. Ubi de prodigiis reſurrectionis Chriſti.*

Vivificavit nos poſt duos dies; in die tertia ſuſcitabit nos, & vivemus in conſpectu ejus. Ecce prophetia apertiſſima de reſurrectione Chriſti, & effectibus reſurrectionis, vivificabit nos poſt duos dies. Prima dies erit paſſionis, ſecunda ſepulturæ ejus, & tertia eſt reſurrectionis ipſius Chriſti: per quam nos vivificabit, & dabit vitam omnibus mortuis. In quibus verbis miracula reſurrectionis innuuntur: ſi enim ſuſcitabit nos: ergo per ſuam, & eandem virtutem, qua ipſe reſurrexit abſque alterius auxilio: & ut hæc reſuſcitatio ſua eſſet exemplar noſtræ reſurrectionis: ad hoc enim reſurrexit, ut nos ejus membra de noſtra reſurrectione certificaret; alioquin monſtruoſa res eſſet, ſi caput ſine membris reſurgeret. *Luc.c.9.v.22.c.13.v.33. c.18. v.33. & c.20. v.38.& ſer.1. de reſur. Ioan. cap.2. verſ.19.*

34. *Tempus gratiæ eſt tempus vivificationis noſtræ.*

Vivificabit nos poſt duos dies; in die tertia ſuſcitabit nos. Cur in die tertia, & non in prima, & ſecunda? Nonne ſemper Deus paratus eſt vivificare ad ſe revertentes? Sed attende, quod ad tria tempora alludit: primum eſt tempus ante legem; ſcilicet naturæ legis: ſecundum tempus legis ſcriptæ, & tertium eſt tempus gratiæ. In hoc tempore, & in ordine ad hoc tempus, ſemper vivificatæ fuerunt animæ in meritis Chriſti. *In Ioan. c.2. v.2.* Sed cur appellantur prima duo tempora dies, & non potius noctes? cum vivificatio, & illuminatio reſerventur ad tertiam diem? appellantur dies per ordinem ad tertiam diem, in qua Sol Chriſtus incarnandus, oſtenſus fuit, ut illuminaret, & vivificaret nos in animâ. *Ioan.c.11.v.5. Pſalm.118.cap.10. v.5. & c.11. verſ.25.*

35. *Ad cognitionem fidei, debent ſequi opera.*

Sciemus, ſequemurque, ut cognoſcamus Dominum. Nota hunc ordinem: *ſciemus*, & poſtea ſequemur, ut *cognoſcamus Dominum.* Si præſupponitur cognitio Chriſti per fidem; ad quid ſubdit: ſequemur, ut cognoſcamus? ſed attende ad mirabiles effectus noſtræ fidei: ſciemus (aiunt,)

ſcilicet

ſcilicet per fidem; ſed quia fides non tantùm illuminat intellectum, ſed etiam movet affectum ad opera. Ideo ut perfecta ſit fides, requiritur ſequela, ut habeatur cognitio practica Chriſti. Dicitquè ſequemur, non alienis pedibus, vel labore, ſed propriis, ut ardorem mentis oſtenderent: exigit enim fides opera proportionata. Dicit igitur textus: vivemus in conſpectu ejus: ſciemus, ſequemurquè, ut cognoſcamus Dominum: & quid eſt, vivendo ſcire, ſciendo ſequi, ſequendo cognoſcere? niſi vitæ fontem ſcire, ſciendo ſitire, ſitiendo haurire, totumque eſt à virtute perfectæ fidei. *Pſal.* 118. *c.*11. *v.*14. *& in Luc.c.*9. *v.*19.

36. *Adventus filii Dei in Mundum effectus expenduntur.*

Quaſi diluculum præparatus eſt egreſſus ejus; & veniet quaſi imber nobis temporaneus, & ſerotinus terra. Hic eſt ſermo de adventu Chriſti in Mundum, qui venit quaſi diluculum; ſcilicet veluti ſol apparuit de utero Mariæ Virginis; ad cujus egreſſum apparuit etiam imber gratiæ multiplicis nos irrigans: gratia ſcilicet temporanea, & præveniens, & ſerotina, ſcilicet ſubſequens, illiſquè apparuit, qui quaſi temporanei citò; & quaſi ſerotini, ideſt ſerò, & tardè convertuntur; ut irrigati, germen ſanctorum operum producerent. *Ser.*1. *in Nativ.*

37. *Maria Virgo aurora, rore totum Mundum perfundens.*

Quaſi diluculum præparatus eſt egreſſus ejus, &c. Nota, quòd ſicut hæc myſticè dicuntur de Chriſto; ſic & de Maria Virgine; quia in Mundum apparuit quaſi aurora matutina lucidiſſima ſine peccato, & plena gratiâ multiplici ex toto, conſurgens ad cæleſtia: quia in ipſa nihil inclinativum ad malum; ad cujus aſpectum apparuit imber benedictionis, & gratiæ ſuper totum Mundum, & ſuper corda credentium: & ideo qui talibus benedictionibus repleri deſiderat, ad Mariam accedat. *Op. Eccleſ. Hier. p.*4. *c.*7.

38. *Eleemoſyna irrigat, & fructificare facit terram ſpiritualiter, & temporaliter.*

Et veniet quaſi imber temporaneus, & ſerotinus terra. Ad litteram loquitur de adventu Chriſti in Mundum, ut dictum eſt: ex quo conſequitur irrigatio per gratiam animarum noſtrarum. Sed attende, quòd ſicut talis irrigatio erit veluti eleemoſyna à Deo, ad nos proveniens; ſic etiam inſtituit, ut eleemoſyna in Eccleſiâ eſſet veluti nubes immittens imbrem ad irrigandam terram eleemoſynarii, ſpiritualiter primò per multiplicem gratiam, quam meretur eleemoſyna, & etiam temporaliter: ejus enim virtus eſt multiplex ad fructificandum, & ad fruendum, & ad multiplicandum bona terræ. *in Ecclen. c.*11. Et hinc ad gloriam eleemoſynæ ſubditur: miſericordia veſtra, quaſi nubes matutina, & quaſi ros pertranſiens: quia eleemoſyna integra, & perfecta hos fructus antedictos producit. *In Luc. c.*10. *v.*35.

39. *Verbo ſuo Deus occidit in nobis peccata, & inimicos Dei: & hoc maxime prædicatione fratrum minorum.*

Propter hoc dolavi in Prophetis, occidi eos in verbis oris mei: & judicia tua, quaſi lux, egredientur. Ad litteram vult dicere ſacer textus, quòd flagella, quæ immittit Deus in Populum Iſraël, à prophetis, & ſacerdotibus incæperunt; ut eis pateſieret, ſicut lux ſolis, rigor ſuorum judiciorum. Myſticè dat nobis intelligere, quod ad adventum Chriſti, ejuſquè prædicationem, ipſius judicia, & ſecreta cæleſtia pateſacta ſunt ſicut lux ſolis; & ideò mediante prædicatione verbi Dei, occidit, ſcilicet abſtulit è medio inimicos ſuos, occidendo in peccatoribus ſcelera, & iniquitates. *Pſal.* 118. *c.*2. *v.*14. *& c.*11. *v.*15 *ſer.*3. *de S. Franc. in addit.* Et hos effectus prædicationis verbo, & exemplo maximè Chriſtus producit mediantibus fratribus minoribus, miſſis ad hunc finem à Chriſto in Eccleſia, *ibidem.*

40. *Miſericordia in miſeros, quale ſacrificium.*

Quia miſericordiam volui, & non ſacrificium: & ſcientiam Dei pluſquam holocauſta. Ecce quid eſt, quod reddit ſacrificia & oblationes noſtras Deo placitas, & charas; miſericordia ſcilicet in miſeros, & pauperes, & cognitio practica de Deo. Hæc exigit Deus à nobis omnibus; ſed præcipuè à ſacerdotibus. Nota autem, quod per hoc nomen miſericordiæ intelligit, & exigit Deus in nobis, & in noſtris oblationibus, compunctionem cordis, charitatem in corde, & compaſſionem in opere erga proximum: ſine iſtis oblationibus, noſtræ non erunt Deo acceptæ. *Ser.*1. *de S. Matth. in addit. in Luc. c.*10. *v.*32. *& c.*11. *v.*42.

41. *Sacerdotes cupidi, interfectores ſubditorum.*

Galaad civitas operantium Idolum, ſupplantata ſanguine. Et quaſi facies virorum latronum, particeps ſacerdotum in via interficientium pergentes de Sichem. Ad litteram, pergentes ad Hieruſalem tranſibant per Galaad, & Sichem, ubi ſculptores idolorum inſidias tranſeuntibus ponebant. Myſticè loquitur de ſacerdotibus cupidis, & avaritiæ deditis: iſti enim inſidias ſubditis, ponunt, ut ſua auferant, & malo exemplo ſuo animas occidunt, & perdunt: & de iſtis conqueritur Chriſtus. *Op. Eccleſ. Hier. p.*4. *c.*5. *Pſal.* 118. *c.*7. *verſ.*7.

42. *Secundum opera, & labores tuos, talis erit meſſis, quam in morte, & in alia vita colliges:* & ideo dicitur cuique noſtrorum: *Iuda pone meſſem tibi, cum convertero captivitatem populi mei. In Ioan. c.*4. *v.*36.

CAP.

CAP. VII.

43. *Chriſtus medicus infirmitatum animæ: ad cujus medicinæ expoſitionem alii ſanantur, alii infirmantur.*

CUM ſanare vellem, revelata eſt iniquitas Ephraim, & malitia Samariæ quia operati ſunt mendacium. Ecce quòd Chriſtus medicus veniens ſanare ægrotos ſpiritualiter, conqueritur, quòd multi ad aſpectum medicinæ expoſitæ vulnerantur, & infirmantur; & dum unum ſanat, alii infirmantur; ut evenit in Phariſæis, qui ingratiſſimi tot miraculis, & beneficiis Chriſti, videntes Magdalenam ægram ſanari à Chriſto malè judicantes de medico, & de ægrota, dum illa ſanabatur, ipſi ægroti facti ſunt: cave igitur à judicio temerario & ab ingratitudine. *in Luc.c.2 v.35.& c.7. in fine.*

44. *Per Prælatorum malam vitam diabolus furatur animas, & mactat, & perdit: unde conqueritur de ipſis Deus: & fur ingreſſus eſt; ſcilicet Prælatus latenter; & poſtea apertè ſpolians latrunculus foris. Ioan.c.10.v.2.*

45. *Luxuria eſt clibanus igne infernali accenſus, torquens inceſſanter luxurioſum.*

Omnes adulterantes, quaſi clibanus ſuccenſus à coquente. Vide quàm pulchrâ metaphorâ Spiritus Sanctus explicat infelicitates luxurioſorum, qui nomine adulterantium veniunt: ait enim quod ſunt veluti clibanus ſuccenſus à coquente; ſcilicet à Diabolo, qui veluti cocus igne infernali in clibano luxuriæ torquet luxurioſos. *Luc. c.4. v.39. ſer.1. Dom.12. Pent. ſer.6. in Epiphan.* Ex quibus patet, quòd diabolus immittendo malas cogitationes, & affectiones, eaſque excitando, & incendendo, veluti Cocus, hominem vexat, & torquet. *l.2.d.8.p.2.a.1.qu.5.*

46. *Hypocriſis, & falſa perverſorum doctrina fermentat, & corrumpit omne bonum.*

Quievit paululum civitas à commiſſione fermenti, donec fermentaretur totum. Vide quid eſt, quod aufert animæ quietem, & gratiam Dei; nempe quando ſupervenit fermentum hypocriſis, vel perverſæ doctrinæ mundanæ: iſtæ enim advenientes animæ totum bonum fermentant & corrumpunt, auferuntquè quietem ſpiritualem. *Ser.19. Hexam. in Luc.c.12.v.1.*

47. *Diabolus introducens vitia in animam paulatim præcipue avaritiam, omne bonum, & vires ſpirituales aufert;* Et ſic veluti inſenſibiliter hominem uſque ad ſenectam in vitiis conducit; quod maxime verificatur de avaris; quia licet cætera vitia ſeneſcant in ſenibus, tamen avaritia juveneſcit. *In Luc.c.13.v.11.*

48. *Peccatum excæcat mentem, tollitque uſum rationis.*

Et factus eſt Ephraim quaſi columba ſeducta, non habens cor. Quomodo inveniri poteſt Columba viva ſine corde? ſed attende, quod dicitur hoc de Columba ſeducta ab accipitre, & doloſè abſtracta ab aliarum columbarum ſocietate: quia enim columbæ habent naturalem ſagacitatem, qua affugiunt perſecutionem accipitris; ſeparata columba à cæteris, dicitur ſeducta, remanens ſine corde, & providentiâ. Myſticè dat intelligere ſtatum infelicem animæ, quæ ab accipitre inferni ſeducta, & tracta per vias perditionis, amittit lumen & uſum rationis; & in poteſtatem diaboli rapitur. *Serm. de S. Catharin. Virg.* Nota etiam, quod hoc dicitur de ſubdito; cujus cor, ideſt Prælatus malè vivit, ſeductus à diabolo, quia in periculum damnationis continuè verſatur. *In Thren.c.1.ad finem.*

49. *Summa infelicitas hominis eſt à Deo recedere.*

Væ eis, quoniam receſſerunt à me: vaſtabuntur, quia prævaricati ſunt in me: & ego redemi eos, & ipſi locuti ſunt contra me mendacia. Vide quomodo iſti Iſraëlitæ, quibus Deus ſua auxilia obtulerat, non ſolùm non uſi ſunt benè talibus donis, ſed potius ad iniquitatem majorem ipſa verterunt, recedentes à Deo; non attendentes ad maxima beneficia eis collata: Et quia à Deo elongatio eſt ſumma omnium calamitatum, ideo de ipſis, & de omnibus imitatoribus ſuis dicit ſacer textus: Væ eis, quoniam receſſerunt à me; ideo vaſtabuntur. *in Luc.c.7. ad finem & c.8. v.13. & S.Hieron. hic.*

CAP. VIII.

50. *Felix Prælatus à Deo ad Prælaturam vocatus. Infelix qui à Deo non vocatur: & magis infelices ſubditi, quibus præficitur.*

IPSI regnaverunt, & non ex me: Principes extiterunt, & non cognovi, &c. Quomodo hoc verè poteſt dici à Deo, cum, ut ait Apoſt. ad Rom. c.13. non ſit poteſtas, niſi à Deo? ſed attende, quod alii præſunt populis ex juſtitia, ſcilicet à Deo vocati, alii ex aſtutia, alii ex violentia: prima poteſtas eſt à Deo, & reſpectu præſidentis, & reſpectu ſubditorum; quia & poteſtas eſt à Deo, & modus ad ipſam perveniendi eſt ex Deo quando verò quis præeſt vel ex aſtutia, vel ex violentia, tunc illa poteſtas eſt à Deo permiſſivè, non verò approbante modum, & tunc etiam à Deo ordinatur ad bonum ſubditorum, vel ut exerceantur ad virtutem, & mali coërceantur: Qui autem primo modo intrant, felices ſunt, quia habent Deum adjutorem, & directorem. Secundi infelices, quia Deum ultorem habent. *L.2.d.44.a.2.q.1. & 2. in Luc. c.12. v.42. in Ioan. c.10.v.6.c.15.v.8.& c.19. v.11. in Eccleſ.c.10 ſer.2. de S S. Confeſſ.*

51. Sint

51. *Sine concurſu ſuæ voluntatis, non poteſt ſanguine Chriſti emundari homo.*

Iratus eſt furor meus in eis: Uſquequo non poterunt emundari? quia ex Iſraël, & ipſe eſt: artifex fecit illum &c. Dat hic intelligere Deus, quòd cum ipſe Deus Iſraëlitas ſæpe vocaverit ad pœnitentiam, eiſquè obtulerit ſuam gratiam, tamen voluntariè noluerunt converti; & ideo ſine voluntatis concurſu, non potuerunt emundari à ſuis fœditatibus: Ut videas, quod ſine concurſu tuæ voluntatis paſſio, & ſanguis Chriſti tibi non eſt efficax. *Luc. c.4.v.27. Ugo hic.*

52. *Avarorum tela aranearum expenduntur.*

In aranearum telis erit vitulus Samariæ; quia ventum ſeminabunt, & turbinem metent. Quid eſt hoc, quòd intendit Propheta? quomodo vitulus poteſt capi in telis aranearum? & quid eſt ſeminare ventum, & turbinem metere? ſed attende ad metaphoram: Vitulus aureus ſamariæ, quæ tota dedita erat avaritiæ, eſt amor pecuniæ, & terrenarum rerum; quia aurum eſt idolum avarorum. Tela araneæ eſt inſtabilitas rerum temporalium: talis enim tela multo labore texitur, facile deſtruitur: ſic temporalia! Unde avari ſunt araneæ diaboli: Ad modum enim aranearum, quando telam temporalium componunt, ſe eviſcerant interiùs: & ſic ſicut aranea laborat ad ventum, & fruſtra, ſic avari componendo telas temporalium, ventum cupiditatis per uſuras, rapinas, & illicita lucra ſeminant, & poſtea turbinem æternæ damnationis metent. *Ser. 3. Dom. ſexageſ.*

53. *Clerici, & Religioſi, degenerantes à profeſſione ſua, vas immundum, & abominabile fiunt. Ubi de abominatione Judæorum apud omnes nationes.*

Devoratus eſt Iſraël: nunc factus eſt in nationibus quaſi vas immundum. Ecce Propheta (ait S. Hieron.) de ſtatu Judæorum poſt adventum Chriſti; qui apud omnes nationes reputantur tamquam vas immundum, & abominabile: myſticè loquitur de Religioſis, & clericis, qui dum incumbunt propriæ profeſſioni, relucent, & in honore habentur apud omnes: deficientes à propria profeſſione, redduntur abominabiliores ipſis ſæcularibus apud omnes. Caveant igitur, ne lucernam ſuam ſub vaſe immundo ponant, ut dicebat Chriſtus Jeſus: ſcilicet illuminationem, & ſublimitatem ſui ſtatus deturpent immunditiis, & carnalitatibus, ne à Deo & ab hominibus projiciantur. *Luc. c.8.v.16. Thren. c.4.*

54. *Multiplicatio miniſtrorum, & ſacrificiorum in Eccleſia propter finem terrenum, Deo non placet.*

Hoſtias offerent, immolabunt carnes, & comedent, & Dominus non ſuſcipiet eas. Cur hoc? Cur Deus non ſuſcipiet has victimas, & ſacrificia in ſui honorem oblata? ſacer textus præmittit cauſam, dicens: quia factæ ſunt eis aræ in delictum: ideſt quia multiplicatio iſta eſt non propter ſpiritum, ſed propter carnem: quia multi ſunt, qui quærunt Ieſum non propter Ieſum, ſed ut benè ſit eis ſecundum tempus: contra quos ipſe dicebat: Amen dico vobis, quæritis me, ſcilicet non ex recta fide, ſed quia vidiſtis ſigna, ſed ut multiplicentur vobis panes, & bona temporalia. O faciat Deus, ut hæc nunc non verificentur in Dei Eccleſia. *Ioan. c.6.v.26.*

55. *Pœnitentia vera, Deo oblivionem peccatorum inducit: pœnitentia falſa recordationem.*

Nunc recordabitur iniquitatis eorum, & viſitabit peccata eorum. Nota, quòd hoc modo loquendi, Deus dat intelligere diſcrimen inter veram, & falſam pœnitentiam: nam per veram pœnitentiam tollitur è mente Dei recordatio peccatorum; quia pœnitentia vera ea deſtruit: per falſam non ſolùm oblivio ipſorum non inducitur, imò magis Deus irritatur; & ob id attrahuntur flagella è manibus ſuis. *Ser. 1. in die cinerum & Ugo hic.*

56. *Oblivionem Dei maximè inducit avaritia, & infidelitas.*

Et oblitus eſt Iſraël factoris ſui, & ædificavit delubra. Cur & quomodo populus electus Dei oblitus eſt ipſius Dei? Hoc fuit ob peccatum avaritiæ, & infidelitatis: illa enim eſt in Chriſtianis idolorum ſervitus, iſta in infidelibus. *Pſal. 118. c.9.v.13. & c.10.v.9.*

CAP. IX.

57. *Deum deſerens, feſtum non poteſt habere, & celebrare.*

NOLI lætari Iſraël, noli exultare ſicut populi, & cur hoc? quia fornicatus es à Deo tuo. Quid facietis in die ſolemni, in die feſtivitatis Domini? ecce enim profecti ſunt à vaſtitate. Nota, quòd ad literam prædicit Propheta deſtructionem Templi Hieroſolimitani, & hoc ob fornicationes, quibus Deum Iſraëlitæ dereliquerunt: & hinc dicit, quod omnis occaſio eis auferetur lætandi, & celebrandi feſta ſolita in Templo; & tranſmigrare in Ægyptum cogentur ob deſolationes hoſtium. Myſticè dat intelligere, quòd homo Deum deſerens ob temporalia, deſeritur etiam à vera lætitia, nec umquam feſtum, & quietem poterit habere; ſed tantum agitationes, ſollicitudines, & flagella experietur. *Thren. cap. 1.*

58. *Omnis peccator ſtultus eſt.*

Scito te Iſraël ſtultum Prophetam, inſanum virum ſpiritualem propter multitudinem iniquitatis tuæ, & amentiæ: ſpeculator Ephraim &c. inſania in domo Dei ejus. Nota, quòd hic vocat Deus ſtultos Prophetas, & ſacerdotes populi Iſraël; & deinde docet amentiam tranſiiſſe ad ipſos ſubditos & Populos, eo quod in Templo Dei inſania, & ſtultitia ſolùm viget: ſed cur appellat eos ſtultos, cum uſum rationis non perdiderint? ſed

attende,quòd loquitur de iis, qui propter temporalia tenunciaot cæleſt bus, & æternis bonis:hæc enim eſt maxima ſtultitia, quæ quando viget in ſacerdotibus inbiantibus ad terrena, etiam occupat ſubditos. Nonne maxima ſtultitia eſt hæc,pro aliquo bono temporali velle in inferno æternal iter cremaai? Et hoc eſt malum,quod in Mundo graſſatur; quia ſtultorum infinitus eſt numerus. *Ser.4.Dom.2.Pentec.ſer.5. in Pentec. op. Phar.l.3.c.30.ſap.c.14.*

59. *Via ſanctorum ſtultitia à Mundanis putatur.*

Scito te Iſraël ſtultum Prophetam, & inſanum virum ſpiritualem. Quomodo Propheta, & vir ſpiritui deditus, & rebus cæleſtibus incumbens, dicitur ſtultus,& inſenſatus? Hoc dicitur ſecundum falſum judicium mundanorum, qui ſapientiam Chriſti vocant ſtultitiam Verè quidem vir ſpiritualis ſtultus eſt in temporalibus, quia ipſa rejicit, & abominatur ob ſpiritualia, ſed coram Deo verè ſapiens, & amicus, & honoratus eſt. *in ſap.c.3.*

60. *Chriſtus venit quærere animas perditas.*

Quaſi uvas perditas in deſerto inveni Iſraël. O quàm verum eſt hoc! Chriſtus enim venit in deſertum hujus Mundi quærere animas perditas, quas in cruce invenit. *in Luc.c.15.v.4.*

61. *Amor in amante imprimit qualitates bonas,vel malas objecti amati.*

Ipſi autem intraverunt ad Beelphegor, & abalienati ſunt in confuſione, & facti ſunt abominabiles ſicut ea quæ dilexerunt. Notat hic Propheta impietatem Iſraëlitarum, qui cultum Deo ſoli debitum præſtiterunt Idolis gentium; & hinc alienati à Deo, in confuſionem prolapſi ſunt: & ſubdit, quod facti abominabiles ſicut ea, quæ dilexerunt. Sed quomodo hoc poteſt dici verè de iſtis, nempe quod abominabiles redditi ſunt ſicut Idola ab ipſis venerata, & dilecta? Hoc eſt quia amor applicat amantem cum amato, & ideo quale eſt objectum amatum, tales ſunt qualitates,quas contrahit anima amans: & hinc eſt, quòd anima terrenis applicata maculatur, & inficitur: & hoc eſt, quod dicebat Auguſtinus: ſi Cœlum amas, Cœlum es;ſi Deum amas, Deus es, ſcilicet per participationem: ſi terram amas, terra es: ſi turpia, & ſordida ſordidus,& turpis efficeris. *Op.de tribus ternar.c.7. Pſal.118.c.6.v.3.ſer.3.de plurib.Mart.in addit.*

62. *Gloria de nativitate, & nobilitate mundana quàm vana.*

Ephraim quaſi avis evolavit, gloria eorum à partu,& ab utero.& à conceptu. Vide quomodo Deus conqueritur de iſtis ventoſis Iſraëlitis,qui eorum gloriam recognoſcebant, & collocabant in nobilitate mundana, & nativitate ſua, ex divitibus Patribus: Ecce quod iſta gloria eſt fugax,& volatilis, & vana, ait ſacer textus; eo quia omnes æqualiter ab uno Deo ſumus: ab uno homine deſcendimus;uno modo concipimur,ſimili modo naſcimur,& conſimili modo morimur:ergo ſumma nobilitas hominum reducitur ad famam, & opinionem exteriorem: Vide quàm vana! Ille prius vilis, & pauper erat,poſtea fit dives,& divites relinquit filios;filios nunquam divitis militis, vel docti:Ergone, ex eo quod eoſem cinxit, factus eſt nobilis? Et quid ex hoc, vel ex doctrina additum eſt ei? concluſio ergo eſt, quod talis gloria mundana vilis eſt,fragilis,caduca,& falſa; imo miſera, & ignominioſa, abſque ſoliditate virtutis *Ser.1.de uno Mart.*

63 *Diabolus per opulentiam, & proſperitates venatur filios Eccleſiæ ad mortem.*

Ephraim ut Tyrus fundata erat in pulchritudine; & educet ad interfectorem filios ſuos. Nota, quòd Ephraim interpretatur frugifer; & ſignificat Prælatum, vel Eccleſiaſticum, vel religioſum, vel fidelem, qui cum eſſet fundatus prius in pulchritudine, quaſi Tyrus pulcherrima, & ditiſſima civitas: ſcilicet fundatus ſuper Chriſtum, fidei morum, & virtutum venuſtate decorus: Ecce quod diabolus ipſum per proſperitatem, & divitias ſibi oblatas; venatur, & ad interfectionem conducit, & trahit. O quot prius ſpirituales, & ſancti per proſperitates, & bona temporalia ad totalem ruinam perveniunt.*In Thr.c.1.*

64. *Prædicatoris in concionando ariditas immittitur à Deo,quando poſtponit ſpiritualia temporalibus.*

Da eis Domine: eis ſcilicet qui licet filii Eccleſiæ,ſe immergunt in temporalibus,ut dictum eſt.Quid dabis eis? da eis vulvam ſine liberis,& ubera arentia. Nota, quòd hac metaphorâ dat Spiritus ſanctus intelligere, quòd Eccleſiaſticis, & prædicatoribus immerſis in temporalibus, Deus aufert gratiam, & fructum doctrinæ ſacræ, ingenium ſterile, & ariditatem devotionis, & locutionis,quod nimis verum eſt. *in Luc.c.6.v.31.*

65. *Defectus, & peſſimi effectus ex privatione charitatis expenduntur.*

Percuſſus eſt Ephraim, ſcilicet plaga peccati mortalis, radix eorum exſiccata eſt: fructum nequaquam facient. Quod & ſi genuerint, interficiam amantiſſima uteri eorum, abjiciet què eos Dominus Deus, quia non audierunt eum, & erunt vagi in nationibus. Nota, hæc ad literam verificantur de Judæis, qui Deum, & charitatem Dei perdiderunt; ideo opera bona eorum ad nihilum pro alia vita inſerviunt. Myſticè loquitur de exiſtente in peccato mortali, qui cum radicem exſiccatam meriti perdiderit, quæ eſt charitas, forma, & vita animæ, & operum bonorum; non poteſt gignere filios, ideſt opera bona; & ſi hæc gignit, tamen ob defectum humoris charitatis, ſtatim moriuntur, ac producuntur; ſunt enim opera mortua,& à Deo abjiciuntur. *in Luc.c.8.v.13.*

CAP.

CAP. X.

66. *Prælatus bonus vitis frondoſa, gignens fructus adæquatos bonos: malus frondoſus tantùm ſine fructibus.*

VITIS *frondoſa Iſrael, fructus adæquatus eſt ei: ſecundùm multitudinem fructus ſui, multiplicavit altaria; juxta ubertatem terræ ſuæ exuberavit ſimulachris, diviſum eſt cor eorum.* Nota, quòd ad litteram hac metaphora vitis, ſacer textus dat intelligere, quod prius Populus Iſrael fuerat vitis frondoſa in primis Sanctis Patribus, exuberans fructibus bonis, & operibus Sanctis; ſed poſtea reddita fuit] in poſteris frondoſa tantùm: ſcilicet abundans filiis apparentiæ ſanctitatis, ſed ſine fructibus bonis; quia diviſum eſt cor eorum à Deo. Myſticè loquitur de Prælatis bonis, & malis: boni enim habent exterius in converſatione apparentiam ſanctitatis, & interius veras virtutes, quibus exeunt in opera ſancta. Mali autem abundant verbis, & apparentia exteriori tantùm, ſed ſine fructu; quia toti immerſi ſunt in temporalibus. O quot prælatis poteſt verè dici: vitis frondoſa Eccleſiæ, ſed exuberans ſimulachris. *Luc. cap. 13. v. 11. ſerm. 2. de Rectoribus in addit.*

67. *Diviſio interioris cordis quàm Deo exoſa.*

Diviſum eſt cor eorum; nunc interibunt. Ecce, quòd ſicut ex diviſione cordis materialis ſtatim ſequitur mors, ſic ex diviſione ſpirituali, hæcque fit quando ſibi homo præfigere intendit diverſos fines principales: impoſſibile enim eſt poſſe ſimul Deo ſervire, & diabolo, & carni. *L. 2. d. 38. a. 2. q. 3. ſap. c. 4.*

68. *Vbi deeſt concordia, & unitas, ibi viget mors, & ruina ſpiritualis.*

Diviſum eſt cor eorum, nunc interibunt. Ecce unde oritur mors, & ruina ſpiritualis in Eccleſia, & Congregationibus; nempe ex diviſione, & diſcordia. Cum enim unio, & unitas ſit fons totius boni, hinc ſequitur, quòd ubi deeſt, & viget diſcordia, ibi omnia mala pullulant. *Op. Eccleſ. Hier. p. 4. cap 4. In Luc. cap. 11. v. 17. Ioan. c. 7. verſ. 44.*

69. *Iactantia, & ambitio in ſpumam redigitur.*

Tranſire fecit ſamaria regem ſuum, quaſi ſpumam ſuper faciem aquæ. Vide quomodò jactantia, & ambitio ad nihilum redigit ſuperbum, & veluti in ſpumam reſolvitur, & talis eſt altitudo mundana. *Sap. c. 5. & ſer. 1. de uno Mart.*

70. *Religioſi opera conventualia communia, non ex conſuetudine, ſed ex cordis devotione aſſumant.*

Ephraim vitula docta diligere trituram, & egò tranſivi ſuper pulchritudinem colli ejus. Ad quid comparat ſacer textus iſtos Iſraelitas vitulæ doctæ in diligendo trituram? eſt ne hoc in bonum, an in malum? Sed quia hæc eſt reprehenſio, quam contra Iſraëlitas facit Spiritus Sanctus, in malum ſumitur: datque intelligere ad litteram, quod veluti vitula aſſueta trituræ, facile ad ipſam revertitur: ſic iſti impii, licet aliquando ob flagella reſipiſcerent ab idolorùm cultura, tamen ſæpe ſæpius ad ipſam revertebantur. Myſticè loquitur contra illos religioſos, qui ad opera communia religionis ſe applicant; ſed tamen id plus faciunt ex ſola conſuetudine, quàm ex animi devotione; & ideo in tot exercitiis Deus eos pertranſit abſque eo, quod in fervore Spiritus radicentur. Ne igitur, ô Religioſe, ſis vitula Ephraim, cura ut in actibus communibus religionis ſit ſpecialis affectio fervoris. *Op. ſpec. diſcipl. p. 1. c. 22.*

71. *Meſſis multa parata ſeminanti, & colenti terram cordis ſui diligenter: Vbi de confeſſione, & vita activa.*

Arabit Iudas, confringet ſibi ſulcos Iacob, ſeminate vobis in veritate juſtitiam, & metite in ore miſericordiæ; innovate vobis novale: tempus autem requirendi Dominum, quicum venerit, docebit vos juſtitiam. Nota, quòd in his graviſſimis verbis Spiritus Sanctus invitat nos ad excolendam terram animæ, & in ipſa ſeminandum bonum ſemen, ut meſſis multa nobis paretur. Iudas confitens interpretatur; dicitque arabit Judas; quia per confeſſionem aratur anima vomere ipſius confeſſionis; & aperitur terra cordis: confringitur duritia ejus contritione; & inde ſeminatur juſtitia; nempe exercetur anima in vita activa mortificatione, prædicatione, & aliis operibus ſanctis: & hinc meſſis maxima paratur in contemplatione, & in Cœlo. *Ser. 2. Dom. ſexag. ſer. 5. in rogat. ſer. 2. Dom. 1. Adv. Luc. c. 9. v. 61. cap. 17. verſ. 7.*

72. *Impii arant peſſimè terram cordis, & ſeminant injuſtitiam, colliguntque iniquitatem:* unde ipſis dicitur hic: *Araſtis impietatem, iniquitatem meſſuiſtis, comediſtis frugem mendacii. ſer. 2. Dom. ſexag.*

73. *Qui in tempore opportuno quærit Deum ipſum inveniet.*

Tempus autem requirendi Dominum, cum venerit, qui docebit vos juſtitiam. Ecce quomodò hic ſuadet nos ad requirendum Dominum in tempore opportuno: hoc autem eſt cum venerit, qui doceat nos juſtitiam: nempe qui nos vocet ad pœnitentiam: & cum tempus hujus vitæ ſit hujuſmodi, in quo ſemper invitamur, ideo quæramus Deum in hoc tempore opportuno, ut ipſum invenire poſſimus. *Luc. c. 4. v. 42. c. 6. v. 6. & c. 10. v. 24. & 29.*

CAP. XI.

74. TRANSITUS *Iſraelitarum in Ægyptum, & ex Ægypto in terram promiſſionis fuit figura tranſitus Chriſti ex Iudæa in Ægyptum, & iterum ex Ægypto in Iudæam.* Unde de utroque hic dicitur. *Puer Iſrael, & dilexi eum: & ex Ægypto vocavi filium meum. Luc.c.2.v.54.*

75. *Pueros vult Chriſtus ſuos ſequaces; taleſque diligit, & trahit ad ſe ex Ægypto. Puer Iſrael, & dilexi eum.* Scilicet ſequaces mei, ait Chriſtus, ſunt pueri per ſimplicitatem, & puritatem; hos diligit, & ad ſe trahit. *Luc.c.9.verſ.47.c.10.v.47.& c.18. verſ.16.*

76. *Multiplici funiculo trahit nos Deus.*

In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis. Quinam ſunt iſti funiculi, quibus trahit nos Chriſtus. Sed transfer ad 2. *Gen.* ubi videbis Deum quærentem Adam abſconditum in Paradiſo, & vocantem ipſum ad pœnitentiam. *Adam ubi es?* Unde ſicut vinculis charitatis, ſimulque tribulationis attraxit Adam ad ſe; ſic & multiplici vinculo charitatis trahit inceſſanter nos, ut ſicut naves trahuntur vinculis ad portum, ſic & Chriſtus trahit his vinculis ad portum ſalutis. *Ser.2.in Pentec.fer.2.fer.4.Pentec.& fer.3. Dom.3. Adv.Ioan.c.12.v.33.op.de 7.itiner.ætern.itin.4.d.7.* Vide quales funiculi ſunt iſti: nam ſicut trahere potuerunt de Cœlis in terram Deum, ipſumque, veluti ligatum vinculis humanitatis Adæ docere ad Crucem; ſic & iſtis ipſe Deus nos de terra ad Cœlum trahere conatur. *Luc.c.12.v.50.& in Ecclen.v.4.* Et hinc talibus vinculis, infunditur amor, & incutitur timor filialis in tali modo attractis; licet enim per flagella attrahat, tamen quia ſunt vincula charitatis, hinc ad timorem, non ſervilem, ſed filialem excitat: ſic ſubdit ſacer textus: poſt Dominum ambulabunt, quaſi Leo rugiet; & formidabunt, ſcilicet timore filiali, filii maris, quaſi attracti talibus retibus de mari hujus ſæculi ad Cœlum. *Pſal.28. Pſal.118. c.11.v.1.* ſubdit poſtea textus: *& avolabunt quaſi avis ex Ægypto, & quaſi Columba de terra Aſſyriorum; & collocabo eos in domibus ſuis, dicit Dominus.* Ecce quid operantur iſta vincula amoris: avolare facient animas, veluti columbas ad feneſtras, vel domos ſuas; ſcilicet ad cuſtodiam ſuorum ſenſuum, ad examinationem ſuorum operum, & ad mandatorum legalium executionem. O quis mihi dabit pennas ſicut Columbæ, ut ad iſtam domum volem. *Sermon. de S.Cathar.*

77. *Alii circumveniunt in negotiatione Deum in bonum, alii in malum.*

Circumdedit me in negotiatione ſua Ephraim, & in dolo domus Iſrael. Quid eſt hoc? ergone poteſt deludi Deus per negotiationem? Sed attende, quòd ad litteram loquitur de Iſraelitis, qui dolo, & mendacio & idololatria deluſerunt Deum: ſed myſticè poteſt ſumi in bonum, & in malum. In bonum dicitur quis circumdare, & veluti deludere Deum, impropriè tamen loquendo, dum negotiatione eleemoſynæ, & erogatione miſericordiæ proximo, pro calice aquæ frigidæ, recipit torrentem voluptatis æternæ, renovatque veteres merces in novas, & viles in pretioſas. In malum verò circumvenit, qui promittit, & non ſoluit, promittit bonum, & ſoluit malum; & pro parva voluptate vendit æternas merces. *Op. Diat.ſalut.tit.7.c.4.& tit.1.c.2.*

CAP. XII.

78. *Superbi cibus eſt ventus, & mendacium.*

EPHRAIM *paſcit ventum, & ſequitur æſtum: tota die mendacium, & vaſtitatem multiplicat.* Ad litteram docet deceptionem Ephraim, dum pro auxilio recurrebat modo ad Ægyptios, modò ad Aſſirios, & ſic ſtrages multiplicabat. Myſticè loquitur de ſuperbis, quorum cibus eſt veluti lupi, qui, ut dicitur, uno menſe vivit de vento: ſic lupus ſuperbus in curſu ſuæ vitæ paſcitur ſolo vento, & ſic ſequendo æſtum, ſemper famelicus, & ſitibundus remanet. *Op.Diat.tit.1.c.3. Luc.c.5.v.27.*

79. *Lucta cum Chriſto qualiter facienda.*

In fortitudine ſua directus eſt cum Angelo, & invaluit ad Angelum, & confortatus eſt. Nota, quòd ad litteram alludit Propheta ad luctam, quam fecit Jacob cum Angelo, de qua ſermo eſt *in Gen.c.25.* ſed quia ex ſeptuaginta legitur: directus eſt cum Angelo, prævaluit Deo, myſticè proponit nobis luctam faciendam cum Angelo magni conſilii: ſcilicet cum Chriſto: Hoc autem fit ab homine inſiſtendo deſideriis, & exercitiis ſpiritualibus ad virtutes, & devotionem ſe diſponendo; per quod flendo, rogando, orando benedictionem gratiæ obtinere poſſit; quam non ſolùm boni, ſignificati in Jacob, ſed & mali, ſignificati in Eſau, deflendo obtinent: ſicque poteſt vinci Deus. *Ser.1.Dom.9.Pentec.*

80. *Contemplativus dum pro Chriſto ad exteriora convertitur, interius roboratur, & reficitur.*

In fortitudine ſua directus eſt cum Angelo, & invaluit ad Angelum, & confortatus eſt. Vide quomodo iſte Patriarcha, quo fortior, & validior fuit lucta cum Angelo, eo dulcius, & validius interius confortatus eſt. Sic enim contemplativi Deum amantes, licet ad opera exteriora ſæpe exeant, quia pro Chriſto laborant quo actius exterius pro amore Chriſti laborant, & pugnant, eo dulcius, & validius intus confortantur, & reficiuntur. *Op.Eccleſ.Hier.p.1.c.1.*

18. Conver

81. *Converſio perfecta ad Deum exigit exercitium bonorum operum; & perfectam fiduciam in Deo:* dicente Spiritu Sancto.

Et tu ad Deum tuum converteris: miſericordiam, & judicium cuſtodi. Scilicet (ut ait Gloſſa) miſericordiam ad proximum, judicium ad te, diſcernendo inter bonum, & malum, & bonis operibus intendendo; & ſpera in Deo tuo ſemper: ideſt inceſſanter habe ſpem in Deo tuo in omnibus eventibus tuis. *Pſalm.* 118. *cap.* 8. *verſ.* 5. *& Gloſſa.*

82. *Qui calumnias proximo intentat, negotiator, & Cananeus peſſimus, inimicuſque Chriſti eſt.*

Chanaan in manu ejus ſtatera doloſa, calumniam dilexit. Ad litteram vocat ſacer textus Iſraëlitas Cananeos, quia intendebant doloſitatibus, & negotiationibus, & potentia ad oppreſſionem aliorum. Myſticè ſic appellantur ſemen Canaan, & Cananei illi qui dolo, & potentia, & negotiationibus quærunt opprimere proximum; & ideo ſummè Deo exoſi. *Pſalm.* 118. *c.* 9. *verſ.* 6. *c.* 11. *v.* 3.

83. *Diverſimodè in veteri teſtamento præfiguratus eſt Chriſtus.* Unde hic dicit: *Ego locutus ſum per Prophetas; & ego viſionem multiplicavi; & in manu prophetarum aſſimilatus ſum:* Scilicet præfiguratus in verbis, in promiſſis, & operibus, in veteri teſtamento oſtenſis. *Pſal.* 72.

84. *Quam Deo diſpliceant illi, qui tribulationes ab ipſo immiſſas patienter non tolerant.*

Ad iracundiam me provocavit Ephraim in amaritudinibus ſuis, & ſanguis ejus ſuper eum veniet, &c. Vide quomodo Deo diſpliceant illi, qui à Deo ipſo tribulantur, amaritudines non tolerant patienter: unde dicens; *& ſanguis ejus ſuper eum veniet,* dat intelligere, quod tribulationes, quæ immiſſæ ſunt à Deo ad profectum animæ in ipſius damnum convertuntur. *In Thren. c.* 1.

CAP. XIII.

85. *Ieſus ſua dona ſpeciali modo communicat in deſerto, & ſolitudine.*

EGO *cognovi te in deſerto, in terra ſolitudinis.* Quomodo in terra ſolitudinis tantùm dicitur Deus cognoviſſe Iſraelem? ſed attende, quod dum alludit ad dona Iſraeli conceſſa, dum morabatur in deſerto, dat intelligere, quod ſecedentibus ad deſertum ideſt ad loca aſpera & in ſolitudine morantibus & converſationem hominum fugientibus, Deus communicat ſua dona, & gratias, eiſque revelat ſua ſecreta. *Luc. c.* 3. *v.* 2.

86. *Ex carnalium adimpletione, animæ ingeritur oblivio Dei.*

Iuxta paſcua ſua adimpleti ſunt, & ſaturati ſunt; & elevaverunt cor ſuum, & obliti ſunt mei. Ecce quid accidit Iſraëlitis, qui repleti eſcis carnalibus, Deum dereliquerunt, obliti ſuorum præceptorum. Idem & accidit iis, qui carnalibus voluptatibus ſe applicant, ipſiſque replentur, elevantes ſe contra Deum. *Pſal.* 118. *c.* 2. *v.* 4. *c.* 9. *v.* 11. *& in ſap. c.* 19.

87. *Comminationes Iudicis ſupremi in peccatores fictè pœnitentes expenduntur.*

Ego ero eis quaſi leæna, ſicut pardus in via Aſſyriorum, occurram eis quaſi urſa raptis catulis, & diſrumpam interiora jecoris eorum. Nota, quòd hìc comminatur Deus peccatoribus effectus iræ ſuæ: dans intelligere (ait S. Hier.) quòd Deus, qui de ſe mitiſſimus eſt, convertet miſericordiam in iram contra peccatores. Dicit autem ſicut Leæna, quæ eſt animal unicolor: & ſicut Pardus, qui eſt animal diſcolor: quia in illa ſignificatur falſa pœnitentia patentium peccatorum; in iſto hypocritarum: In Urſa, quæ eſt crudeliſſima, quando rapti ſunt ei catuli, vel cum indiget cibo; per quæ ſignificatur ſævitia Chriſti Judicis in judicio contra peccatores, inventos in peccato mortali in termino viæ hujus vitæ. *Pſal.* 118. *c.* 9. *v.* 11. *c.* 1. *v.* 15. *S. Hiero. hic.*

88. *Perditio, & damnatio eſt ex libera voluntate hominis. Salus ex Dei auxiliis, ſimul cum cooperatione noſtra.*

Perditio tua Iſrael: tantummodo in me auxilium tuum. Quid eſt perditio tua? ad quid alluditur? tua, ideſt ex te, tuiſque peccatis, & demeritis tibi obvenit. Perditio inquam tua Iſraël: ideſt calamitates, miſeriæ, flagella, damnatioque ex tua voluntate: & tuo libero arbitrio ſic volente. Ex tuis peccatis voluntariè commiſſis. Subdit: auxilium tuum tantummodo ex me: ſcilicet, quia ex me (ait Dominus) tibi omne auxilium venit: ex me, qui ſum paratus tibi auxiliari. *In Ioan. cap.* 10. *verſ.* 28. *cap.* 15. *verſ.* 8. *In ſap. c.* 1.

Hinc explicatur à D. D. per partes & parallela hæc graviſſima ſententia.

Captivitas tua Iſrael ex te: redemptio tua ex me.

Interitus tuus ex te: ſalus tua ex me.

Mors tua ex te: vita tua ex me.

Malum tuum ex te: bonum tuum ex me.

Reprobatio tua ex te: prædeſtinatio tua ex me, qui ſemper ad oſtium cordis ſto, & miſericorditer pulſo.

Derelictio tua ex te: vocatio tua ex me.

Damnatio tua ex te: ſalvatio tua ex me.

Nota etiam, quod alii D. D. ſic exponunt hanc ſententiam. Perditio tua ex te: quia tantummodo auxilium tuum ex me: ſcilicet; quia tuam ſpem ſolùm collocaſti in meis auxiliis, & gratia, abſque eo, quod cooperari ipſis velis:

quia exigitur à Deo cooperatio etiam noſtra. *Luc.c.4.op.comp.Theol l.6.c.32.*

89. *Sæpe Deus iratus in Populos, eis tribuit Principes malos.*

Ubi eſt rex tuus? dabo tibi regem in furore meo. O quàm verum eſt hoc; ut expertus eſt Populus Iſraël; qui ad ipſius punitionem dedit ei Saul: Sæpe enim Deus tribuit principes malos populis in furore: ſcilicet ad torquendum ipſos, ſic exigentibus ipſorum peccatis. *l.2. d. 44. a.2. qu.1. Ioan. cap.10. verſ.6. & D. Greg. l.25. mor. c.14.* Et hinc Iudæi, quia noluerunt recipere Chriſtum veracem; ideo eis mittet Antichriſtum mendacem.

90. *Quomodo Chriſtus dicitur momordiſſe infernum, & occidiſſe mortem.*

De manu mortis liberabo eos; & de morte redimam eos: ero mors tua, ô mors, morſus tuus ero inferne. Quomodo dicitur, quòd Chriſtus liberavit nos de morte, cum quotidie videatur oppoſitum? quomodo item mors mori potuit? & qualis fuit morſus à Chriſto datus inferno? Sed attende ad mirabilia Chriſti adventus in Mundum; qui ut nos liberaret à morte peccati originalis, & cujuſcumque labis mortalis, mortem occidit. Sed quomodo? Chriſtus humanam naturam mortalem aſſumpſit, & quia mors in humana natura exiſtens, non potuit in perſonam, quæ ſemper viva fuit; ideo mortua eſt mors in vita, & per Chriſti mortem abſorpta eſt mors in victoria; & devictus princeps mortis; ac per hoc homo à morte, & causâ mortis per meritum mortis Chriſti, tamquam per medium efficaciſſimum liberatus. *Op. Brevil. p.4. c.9. & in Pater noſter. & ſerm. 2. in Nativit.* Dicitur etiam: Chriſtus momordiſſe infernum; quia in inferno partem abſtulit & partem reliquit: reliquit inimicos ab ipſo Chriſto ſejunctos: & Sanctos abſtulit; ideo non occidit funditus infernum, ſed momordit. *l.3.d.22.a.1.q 5. Ioan.collat.50.& 54. Pſal.118.v.112. Pſal.134. op. Comp. Theol.l.4.c.22.*

91. *Proprium eſt diaboli, & inferni diviſionem inter fratres ponere.*

Quia ipſe inter fratres dividet, adducet urentem ventum Dominus de deſerto aſcendentem. Ecce quid facit infernus, & diabolus, ejus enim proprium eſt diviſionem, & diſcordiam ponere inter fratres: ſicut proprium eſt Chriſti unire, & congregare in unum. *Luc. c.12. verſ.13.* Et hinc ſubdit: *adducet ventum urentem:* quia diſcordia eſt ventus urens, & conſumens omnia bona; & omnia mala inducens. *Luc. c.11. v.14. ſer.1. de Apoſtol.*

92. *Mors, & infernus dividet corpus ab anima, & bonos à malis.*

Ipſe dividet inter fratres, &c. ſcilicet mors, & infernus: quia iſta dividunt corpus ab anima, & ſalvandos à præſcitis. *Serm. 2. Dom. 21. poſt Pentec.*

93. *Chriſti proprium eſt diripere à diabolo theſaurum animarum ſalvandarum, & ad hoc ordinantur omnia ejus opera:* Unde hoc caput ſic concluditur: *& diripiet theſaurum omnis vaſis deſiderabilis. Luc.c.11.v.13.*

CAP. XIV.

94. *Ad perfectam converſionem requiritur confeſſio peccatorum perfecta.*

PEREAT *Samaria &c. convertere Iſraël ad Dominum Deum tuum, quoniam corruiſti in iniquitate tua: tollite vobiſcum verba, & convertimini ad &c.* Nota, quod primo loco Propheta contra Samariam exit in comminationes, deinde vertitur ad Iſrael, ſuadens ipſi perfectam converſionem ad Deum: & ut ſciat qualiter facienda ſit iſta converſio, ſubdit: tollite vobiſcum verba; quæ verba tollenda, & portanda? verba ſcilicet confeſſionis integræ: hæc enim exigitur in perfecta converſione, nam peccatum proditum, citò curatur: crimen verò tacendo, ampliatur. Exi igitur per converſionem de cloaca diaboli, in quam peccando corruiſti. *Ser.4.Ciner.* Applica huic textui, quod dicitur Lucæ *c.1.* de filio prodigo: & ſurgens venit ad Patrem: ſurgens de profundo cloacæ diaboli, venit ad Patrem per confeſſionem. *Luc.c.15. hic.* Nota ſecundò ſuper hunc textum, quòd dum dicit pœnitens Deo: *reddemus vitulos labiorum noſtrorum.* Alluſio fit ad confeſſionem vocalem peccatorum, & ad perſolutionem laudum Dei; per quam melius, & gratius ſacrificium Deo offertur, quàm per oblationem vitulorum & victimarum legis veteris. *Pſal. 28. & S. Ambroſ. Epiſ. 28. ad Theodoſium.* Nota etiam tertiò, quod in his verbis datur intelligi efficacia pœnitentiæ veræ, per quam anima extenditur ad purgationem ſui, ad honorandum Deum, & ad benefaciendum proximo. Dicitur enim convertimini: ideſt intra vos; ſcilicet de ſiniſtra vitiorum ad dexteram virtutum. Subdit: ad Dominum: ſcilicet ut Deo ſubjiciamini, & ſatisfaciatis, & ſubdens: & dicite ei, omnem aufer iniquitatem, quoad proximum: quia perfecta converſio ordinat hominem ad Deum, ad ſeipſum, & ad proximum. *Pſal.118.c.2.v.6.*

95. *Dilectionis divinæ in nos exceſſus expenduntur: ubi de inſtitutione Euchariſtiæ.*

Sanabo contritiones eorum: diligam eos ſpontaneè; quia averſus eſt furor meus ab eis: (& poſt pauca) vivent tritico, & germinabunt quaſi vinea: memoriale ejus ſicut vinum libani. O quàm verum eſt

eſt hoc: dilexit enim nos Deus, & diligit ſpontaneè; ideſt ſine noſtris meritis, ſed gratuitè, & ex mera liberalitate. Vide qualem dilectionem: nam nobis paravit cibum, & potum in ſacramento Euchariſtiæ; ut in ipſo haberemus perpetuum memoriale ſuæ dilectionis, & charitatis; & ut per ipſum nos ſanaret, & inebriaret in ſui amorem, & dilectionem. *Ioan. c. 15. v. 10. & collat. 17. & ſer. 4. in cœna, ſer. 2 fer. 2. Pentec.*

96. ***Divinæ gratiæ ros qualiter fœcundet animam.***

Ero quaſi ros, Iſrael germinabit ſicut lilium, & erumpet radix ejus, ut libani, ibunt rami ejus, & erit quaſi oliva gloria ejus. Proſequitur Propheta effectus divinæ dilectionis, dicens in perſona Dei: *ero quaſi ros*; per rorem autem intelligitur vel ipſe Chriſtus, qui deſcendit ut ros in uterum Virginis; vel ejus divina gratia, & doctrina Sacra, qua irroratur anima, & fœcundatur bonis operibus; ſicque germinat ſicut lilium candore caſtitatis, odoreque Sanctæ converſationis, & virtutum. *Ioan. collat. 67. ſer. 2. de Annunc. B. Virg. in addit. ſer. 2. Nat.*

97. ***Chriſtus fructus uteri mentis paternæ, & uteri virginalis Mariæ.***

Ex me fructus tuus inventus eſt. Quis iſte fructus Dei? Nota, qu d hic eſt Chriſtus, qui natus ex Patre ab æterno, factus eſt in utero B. Virginis, fructus nobiliſſimus. Dicit igitur Pater ad Mariam, ad Eccleſiam, ad animam: Ex me fructus tuus inventus eſt: tuus ô Maria ad hunc fructum producendum electa: tuus ô anima, ad hunc fructum diligendum illecta: Tuus ô Eccleſia, ad hunc fructum percipiendum collecta: tuus inquam tuus: tuus certè corporaliter per aſſumptam naturam: tuus ſpiritualiter per gratiam: tuus ſacramentaliter per Euchariſtiam; tuus æternaliter per gloriam. Ex me tamen (ait Deus) tuus eſt, quia ex meo utero genitus. *Op. ſpecul. B. Virg. lec. 16. Et hic explicit expoſitio S. Bonav. ſuper Oſeam ad Laudem Dei; & B. Virginis Mariæ.*

EXPO

EXPOSITIO SERAPHICI DOCTORIS

S. BONAVENTURÆ

IN

JOEL PROPHETAM.

PROLOGUS.

SANCTUS Joël floruit in diebus Oziæ, Joathan, Achaz, & Ezechiæ regum Juda: & in diebus Jeroboam filii Joas regis Iſraël; & Prophetavit eodem ferè tempore, quo Oſeas. Materia hujus prophetiæ fuit prædictio vindictæ & captivitatis Babilonicæ; alluſioque inſinuata ad judicium extremum, in quo reprobi gehennæ, & probi Cœlo adjudicabuntur à Chriſto Judice.

CAPUT PRIMUM.

1. *Propter peccata veniunt flagella famis, penuriæ, & beſtiarum nocentium: ideo contra ipſa fiat recurſus ad orationem, tamquam remedium efficaciſſimum.*

A*UDITE hoc ſenes, auribus percipite omnes habitatores terræ, &c. reſiduum erucæ comedit locuſta, reſiduum locuſtæ comedit bruchus; & reſiduum bruchi comedit rubigo.* Nota, quòd hic ad litteram Propheta quatuor plagas recenſet, & comminatur: primò erucam, quæ eſt vermis naſcens poſt pluviam, arrodens olera, arborumquè folia exitiali morſu: ſecundò locuſtam, quæ erucam acrimonia, volatu, & numero ſuperat: tertiò Bruchum, eſtquè parva locuſta, vel alia ſpecies vermis corrodentis plantas, & herbas: quartò eſt rubigo, eſtque alia ſpecies locuſtæ acrius depaſcentis ſata. Datque Propheta intelligere, quòd propter peccata immundantia in Populo Iſraël Deus immiſſurus erat varias calamitates in Populum; propter peccata, inquam, ſignificata in his quatuor animalibus: nempè in erucâ terram raptante, ſignificatur libido: In locuſta in altum evolante ſuperbia, & vana gloria: In brucho, cujus corpus totum pœnè in ventrem colligitur, vitium gulæ: In rubigine incendente quicquid tangit, ita & impatientia: ideo dicitur, quod reſiduum erucæ comedit locuſta: reſiduum erucæ eſt caſtitas, quæ deſtruitur per ſuperbiam: & reſiduum locuſtæ comedit bruchus: ſcilicet humilitas deſtruitur ebrietate, & crapula: & reſiduum bruchi comedit rubigo: ſcilicet ſobrietas deſtruitur per impatientiam. Ita quod unum vitium alteri ſuccedit. Idem & dicendum de avaritia, quæ omnia bona diſſipat, veluti rubigo. Sic communiter ſacri Expoſitores. Hinc Spiritus ſanctus omnia hæc mala proponit, ut ad remedium oppoſitum in 3. *reg. c.* 8. recurramus: ubi dicitur, quod ſi fames orta fuerit in terra, aut peſtilentia, aut corruptus aër, aut locuſta, aut rubigo, & afflixerint populum qui confugerit ad Deum, & oraverit in loco ſancto, Deus exaudiet: ideſt ſi calamitates temporales afflixerint populos, & ſi vitia inundaverint ſpiritualiter in animas, confugere debent ad orationem, ut ab ipſis liberentur. *Ser.4.de Dedicat.ſer.3.Dom.7. Pentec.*

2. *Chriſtus multipliciter excitat dormientes, & ebrios à ſomno peccati, & ebrietate ſuperbiæ.*

Expergiſcimini ebrii, & flete, & ululate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine; quoniam periit ab ore veſtro. Ecce quod Chriſtus totus eſt in excitando dormientes in peccatis, & ebrios ebrietate ſuperbiæ. Et ſicut dormiens ſolet excitari infuſa vigoratione, & ſonoro clamore, & luminis ſubitatione, & ejuſdem impulſione: ſic Chriſtus excitat infuſione gratiæ pœnitentialis clamore ſuæ doctrinæ, luminis illuſtratione; & impulſione caſtigationis paternæ: & qui non excitantur prædictis modis, ſimiles ſunt letargicis, qui dormiendo moriuntur. *In Ioan. coll.51. op. Diat. titul.7. cap.1. ſerm.2. Dom.1. poſt oct. Epiphan.*

3. Ebrietas

3. *Ebrietas ſpiritualis, & corporalis vitioſa quam Deo exoſa & homini noxia.*

Expergiſcimini ebrii, & flete, &c. omnes qui bibitis vinum in dulcedine. Nota, quòd hic damnat Deus ebrietatem corporalem, & ſpiritualem: ſicut enim illa rationem perturbat, memoriam enervat; oblivionem inducit, & multa alia mala infert; ſic & iſta cauſata à perturbatione paſſionum, rectum judicium aufert, ſopit, excæcat, & in infinita mala præcipitat. Expergiſcimini igitur ebrii, & flete, ut remiſſionem veſtrorum delictorum accipere mereamini, ait Deus cavete à vino voluptatum carnalium, mentem dementante. *Ioan. c.2. v. 10. & collat. 52. Op. Diet. Tit.7.c.1.*

4. *Diabolus qualiter vineam Eccleſiæ reddere conatur deſertam & ficus ipſius decorticare; & reddere ipſas foliis onuſtas abſque fructu.*

Poſuit vineam meam in deſertum (ſcilicet diabolus) & ficum meam decorticavit: nudans ſpoliavit eam & projecit: albi facti ſunt rami ejus. Vide quid conatur facere Diabolus in vinea à Chriſto plantata: nempe fideles reddere onuſtos foliis, abſque fructu: & hoc facit auferendo ab eis omnes pietatis fructus, & efficaciam ſacramentorum, ait S. Greg. & ſic anima propter negligentiam recuſans pœnitentiam: foliis, ſcilicet verbis abundans ad ſui excuſationem fit maledictione Dei digna. *Luc. c.13. verſ.6.*

5. *Infelicitas Eccleſiæ ob vanitatem, & vanam ſollicitudinem miniſtrorum Eccleſiæ expenditur.*

Periit ſacrificium, & libatio de domo Domini: luxerunt ſacerdotes miniſtri Domini &c. Ad litteram deſcribit Propheta calamitates populi Iſraëlitici, ob captivitatem Babilonicam; quia tunc ceſſaverunt in templo ſacrificia; & ſacerdotes miniſtri Domini luxerunt, deficientibus oblationibus. Myſticè deſcribit miſeriam, in quam poteſt cadere Eccleſia; quando ſacerdotes, & miniſtri ejuſdem Eccleſiæ fiunt lugentes, & gementes, non pro peccatis, ſed præ magnitudine curarum, & inquietatione divitiarum, quæ ſunt ſpinæ pungentes, & ad gemitum provocantes: tunc enim pereunt ſacrificia, ritus, ceremoniæ ſacræ; & infinita mala in populo prodeunt. *In Thren.c.1.*

6. *Jejunium qualiter ſanctificandum.*

Sanctificate jejunium, &c. Quomodo ſanctificatur jejunium? nonne ex ſe eſt opus ſanctum? eſt quidem opus ſanctum: tamen ſanctâ induſtriâ ſanctiſſimum debet à nobis reddi: nempe jejunandum eſt, non ſolùm pro peccatorum expiatione, & Dei honore; ſed etiam condiendo ipſum oratione, eleemoſynis, & ſanctis operibus: & hoc eſt optimum, Deoquè charissimum. *Op.Diet.tit.2.c.6.*

7. *Unicuiquè eſt gemendum; quia unicuique prope eſt dies judicii, & vindicta dominica*

Ah, ah, ah, diei: quia prope eſt dies Domini: & quaſi vaſtitas à potente veniet. Vide quomodò ad litteram Propheta, prævidens prope futuram captivitatem populi plangit. Myſticè invitat nos ad conſiderationem futuri judicii, & imminentis vindictæ, quæ unicuique ſuperventura eſt à Deo juſtiſſimo Judice dicit autem ter ah, ah, ah, diei; id eſt væ diei; væ triplex peccatori imminet, quia peccando offendit tres perſonas divinas, & quia corde, ore, & opere peccat & ideo terribilis erit Deus judex peccatori; ſi non gemit, & pœnitentiam veram aſſumit. *Ser.5. Dom.1. Adv. Pſal.118.c.10.v.7.*

8. *Infelicitas peccatoris computreſcentis in ſentina diaboli expenditur.*

Computreſcent jumenta in ſtercore. Vide peccator in quales miſerias te præcipitat peccatum & nota, quòd hic conqueritur Propheta ſuper computreſcentiam jumentorum: & quænam ſunt iſta jumenta, niſi peccatores? qui veluti jumenta, rationali relicta natura, fiunt ſimiles jumentis, & beſtiis, ſe voluntariè volutantes in ſtercore, & fœtore libidinum, voluptatum, & omnium abominationum, in ipſis per conſuetudinem computreſcunt: ita quod difficillima redditur eorum liberatio; eo quod non curant extrahi, & liberari de cloacâ, & ſentinâ hac putrida diaboli curent ergo extrahi in die præſentis vitæ, ne nox futuræ mortis eos inveniat. *Ser.4. Dom. 3. Adv. Ser.1 fer.3. Paſcha ſer.2. de B.Virg. ſer.4. de S. Ioan. Bapt. in addit. ſer.2. de aſſump. B. Virg. in addit. ſer.1. de S. Matth in addit. Op. Diet. tit.1.c.9. Luc. c.13 v.8. Pſal.65. & 142. Ioan. collat.55.*

9. *Paſtores ſeipſos, & non ſubditos paſcentes, ingemiſcere faciunt eos.*

Quid ingemuit animal? mugierunt greges armenti? quia non eſt paſcua in eis; ſed & greges pecorum diſperierunt. Vide quid conſequitur ex negligentiâ Prælatorum: ſupra enim Propheta invitavit eos, ut vocarent cætum, & populos congregarent ad verbum Dei audiendum, ad frequentiam ſacramentorum, ad orationes publicas: hic autem notat, quòd greges ingemiſcunt præ fame: & hoc eſt, quia totum eorum ſtudium eſt ut ſeipſos, non gregem paſcant; quia in ſollicitudinibus terrenis vivunt implicati. O qualis infelicitas talium ovium. *Ioan. collat.92.*

10. *Stulti ſunt velut jumenta, qui pro temporalibus, non pro æternis ſunt ſolliciti.*

Quid ingemuit animal? mugierunt greges armenti? Nota, quod myſticè, ait Rupertus Abbas conqueritur Propheta de iis, qui veluti jumenta ingemiſcere neſciunt, niſi pro penuriâ cibi, & temporalium, nullum habentes dolorem de peccatis: dicuntur autem veluti jumenta; quia verè ſtulti ſunt, qui pro temporalibus, non pro æternis ſunt ſolliciti, corporis utilitatem, non animæ curantes. *Ser.1. Dom.2. Pentec.*

11. *Ignis infernalis comedit, & diſſipat omnia ſpecioſa hujus vitæ.*

Ad te Domine clamabo: quia ignis comedit ſpecioſa deſerti & flamma combuſſit omnia ligna regionis. Quis eſt iſte ignis devorans omnia ſpecioſa deſerti, ſcilicet hujus Mundi: nempe nobilitatem, potentiam, gloriam, juventutem, pulchritudinem hujus mundi. O quot potentes, nobiles, glorioſos, juvenes, & pulchras mulieres, & viros jam comedit ignis inferni per duo, vel per tria, & tot millia annorum! & non ſolùm tales, imo omnia ligna regionis; ideſt quoſlibet alios peccatores: ideo clamandum eſt in oratione; nam tua res agitur paries cum proximus ardet, jam enim proximus paries tuus ardet; ſcilicet maritus, uxor, vel frater, vel pater, vel alius tuus proximus per annum, per decem, vel per plures annos arſit in inferno; nonne times? nonne clamas? & fortè pro eiſdem cauſis, in quibus tu involutus es. Peccator clama, & aquam lachrymarum funde, ut ignem & gehennæ & culpæ tibi extinguas. *ſer.1. Dom.1. quadrag* Ab aliis expoſitoribus hic textus ſic expenditur: ignis ſcilicet luxuriæ, & gulæ ſpecioſa clauſtralium devorat: flamma ſuperbiæ, & cupiditatis ligna regionis; ideſt clericos ſæculares ſuccendit, ſed beſtiæ agri, ſcilicet ſimplices laici ad Deum ſuſpiciunt rorem miſericordiæ expectantes & rorum ad mentem. *S.Doct.infra citat.*

12. *Peccatum mortale & præcipuè luxuria ignis eſt omnia bona devorans.*

Quia ignis comedit ſpecioſa deſerti. Quis ignis? Hic eſt omne peccatum mortale, & præcipuè luxuria: omne enim peccatum mortale bona omnia meritoria conſumit; quia eſt veluti excommunicatio ſeparans à Deo, & privans animam dono gratiæ juſtificantis, & mortem ipſi inducens; hocque facit præcipuè luxuria in ordine ad corpus, & animam. *Pſal.8.ſer.3. Dom.7.Pent. Pſal.118.c.6.v.5. Centil.p.2. ſec.2.op.de trib. tern. c.4.Diet.sis.1.c.9.*

13. *Oratio ſit refugium animæ in arefactione, & ſiccitate ſpiritualis dulcedinis.*

Ad te Domine clamabo &c. quia exſiccati ſunt fontes aquarum, &c. Audiat hoc vir ſpiritualis, ut ſciat, quod quando ei clauſum eſt Cœlum, & ſubtrahitur internæ gratiæ beneficium, debet confugere ad orationem, ut Deus pluere faciat aquam compunctionis, & compaſſionis, & fæcunda fiat. *Ser.4.in Dedicat.*

CAP. II.

14. *Judicium extremum, & deformitas peccati ſit frequens materia Prædicatoris.*

CANITE tuba in ſion &c. quia venit dies Domini; quia prope eſt, &c. à facie ejus cruciabuntur Populi, omnes vultus redigentur in ollam, Chaldæus legit: nigreſcent quaſi olla. Ad litteram deſcribit Propheta imminens excidium Jeroſolymæ per Chaldæos, & ruinam habitatorum. Myſticè deſcribit judicium univerſale, ejuſquè terribilitatem judicii particularis futuri in die mortis. Et inter calamitates talis temporis, ſubdit quod vultus peccatorum nigreſcent quaſi ollæ; per quod datur intelligi deformitas animæ quam per peccatum contrahit: ſicut enim lumine, & igne extincto in carbone, ſola remanet terreſtris nigredo: & ſicut olla tota per ignem, & fumum nigra efficitur; ſic anima extincto lumine divinæ gratiæ, tota deformis, & nigra remanet: quæ deformitas maximum terrorem, & nimiam afflictionem ipſi in judicio cauſabit. Cave ergo peccator, ne fias veluti olla inferni. *In Thren.c.4.*

15. *Perfectæ converſionis initium, progreſſus, & complementum expenditur: ejuſque motiva panduntur.*

Nunc ergo dicit Dominus: convertimini ad me in toto corde veſtro, &c. Quid eſt in toto corde? attende ad myſterium: nulli dubium eſt, quin cor ſit calidum, & caliditatis principium: unde totum cor dicitur, magnus fervor: ergo magnum fervorem exigit converſio quam peccatori Deus ſuadet, & ad quam nos invitat: & ideo in hoc verbo involuitur initium, progreſſus, & finis converſionis: initium eſt reverſio à malo; progreſſus eſt converſio, bonum amplectendo & complementum eſt propoſitum confitendi: ſubdit infra *n. 13. quia benignus eſt Deus, & miſericors, & patiens & multæ miſericordiæ & præſtabilis ſuper malitiâ.* Ecce quali motivo excitat Deus peccatorem ad pœnitentiam; ſcilicet quia benignus eſt, attrahendo peccatorem ad ſe: miſericors; ideſt dulciter peccatorem ſuſcipiendo; patiens expectando peccatorem ad pœnitentiam; & lentè ad vindictam accurrens; & multæ miſericordiæ, omnia remittendo, & multiplicem miſericordiam exhibendo, & multiplicem numerum peccatorum ad ſe attrahendo: & præſtabilis ſuper malitiâ; ſcilicet minimè puniendo: & quia ſemper præſto eſt veniam poſtulanti concedere: Unde Peccator, ſi ſupra modum peccaſti, non deſperes, quia Chriſtus ſupra modum doluit, & paſſus eſt, & multipliciter revocat. *Pſal.118.c.10.v.1. In Thren.prol ſer.5.cit.cr. ſap.c.15.Vgo Card.hic.*

16. *Chriſtus medicus qualem diætam peccatoribus infirmis ordinet: ubi de efficacia jejunii, & lachrymarum. Diabolus è contra talem diætam ſuis prohibet: licet aliqualem concedat ad ſui ipſorum damnationem.*

Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, & fletu, & planctu. Cur ad converſionem copulat jejunium, & planctum? ut videas quale diſcrimen inter ſequaces Chriſti, & diaboli: nam Chriſtus velut bonus medicus videns peccatores infirmos in animâ, & febre mortali oppreſſos, ut ipſos liberet, imponit diætam ipſis in converſione, & liberatione à tanto morbo præcipiens eis jejunium in pane, & aquâ: quia eis prohibet, ut febricitantibus vinum; & aſſignans panem

nem ; ſcilicet abſtinentiam per jejunium, & aquam contritionis, & lachrymarum. Diabolus è contra ſuis diætam talem prohibet, concedens eis omnia deſiderabilia, & delectabilia, ut eos in ſtatum deſperatum inducat. *Op. Diæt. tit. 2. c. 4. & 6.* Et hinc eſt, quod Eccleſia in principio quadrageſimæ legit hunc textum in miſſa, ut pateat, quam deſiderabilis ſit converſio, & qualiter facienda: ideſt cum jejunio, & fletu, & quod jejunium Deo placitum exigit converſionem, quia parum eſt abſtinere à cibis, ſi non abſtineas à vitiis, qui enim à cibis abſtinent, & non à vitiis, ſunt ſimiles dæmonibus, quibus eſca non eſt, & nequitia ſemper eſt. *Ser. 6. in die Ciner. & ſer. 4. Dom. 1. quadrag.* Nota etiam, quod diabolus diætam aliquam ſuis ordinat, ſcilicet ſuggerendo aliquod minus bonum ; ſed retinens eos in ſtatu, & mala conſuetudine peccati ; ut vanè confidentes in illo parvo bono facto in peccato mortali, eos in æternam damnationem finaliter inducat. *Sic S. Bonavent. & Vgo Card.*

17. *Impedientia converſionem perfectam quænam.*

Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, & fletu, &c. & ſcindite corda, &c. In his verbis innuuntur impedientia converſionem perfectam ; quæ ſunt pudor, timor, ſpes, & deſperatio: pudor confeſſionis, timor ſatisfactionis, ſpes vana futuræ converſionis, & deſperatio remiſſionis. Qui enim toto corde convertitur ad Deum, iſta omnia excludit, & evadit. *Ser. 3. & 4. & 5. in die ciner. & in Luc. c. 7. v. 32.*

18. *Contritio eſt emplaſtrum, & medicamentum cordis.*

Et ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra, & convertimini ad Deum, &c. Quid eſt ſcindere corda? & quo inſtrumento ſcindendum cor? ſcindite, ait; ideſt per confeſſionem aperite apoſtema cordis, & medicamentum contritionis, quæ eſt emplaſtrum animæ, cordi applicate, non homini exteriori tantùm, non more Judæorum, qui in aliquo ſcelere magno ſcindebant veſtimenta, eratque mera ceremonia exterior, hærens tantùm in veſte, & ut plurimum non ex corde promanans : ideo dicit : ſcindite corda veſtra, quia emplaſtrum, & medicamentum ponitur ſuper locum doloris ; ſicut collyrium ponitur ſuper oculum, & non in calcaneo : & quia peccatum eſt morbus animæ, & cordis, ipſum debet præcipuè ſentire contritionem peccati ; eſtque contra illos, quorum pœnitentia eſt in vultu, non in ſpiritu. Cum Hypochrates noſter medicus Chriſtus animarum noſtrarum doceat pœnitentem faciem lavare, veſtes componere, caput ungere, & cor pungere, ut *in Matth. c. 5. op. Diæt. ſal. tit. 2. c. 2.*

19. *Pœnitentia exterior ſine ſciſſione, & pœnitentiâ cordis, nihil valet.*

Scindite corda veſtra. & non veſtimenta veſtra. Cum per veſtimenta intelligat Spiritus ſanctus pœnitentiam exteriorem, videtur, quod Deus à nobis non exigat hanc exteriorem ; & tamen aliis in locis ipſam ſuadet ; ut patet in Ninivitis. Sed attende, quòd dicit prius : ſcindite corda veſtra ; quia pœnitentia interior eſt prima, quæ ad actus exteriores debet præcedere : rejicit ergo Deus pœnitentiam exteriorem hypochrytarum, quæ eſt tantum ſignum exterius abſque interiore : & exigit primò interiorem ; & ad hanc conſequitur exteriorem : unde addit convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, & fletu. *L. 4. d. 15. p. 2. a. 1. q. 2. ad 1.*

20. *Compunctionis cordis effectus expenduntur : ubi de contritione, confeſſione, & ſatisfactione.*

Scindite corda veſtra. Quid eſt ſcindere cor? & quomodo ſcinditur? Nota, quòd contritio hic ſuadetur : dicitur autem contritio ; quia eſt dolor peccata in corde conterens, & ipſum cor compungens, & ſcindens, & confeſſionem excitans, per quam vulnus peccati aperitur ; & ſatisfactionem ſuadens : compunctio autem turbat & ſcindit, confeſſio accuſat, ſatisfactio confortat: compunctio morbi occaſionem inveſtigat : confeſſio manifeſtat, & ſatisfactio curat : compunctio mala enumerat, confeſſio condemnat, & ſatisfactio emendat : compunctio apoſtema pungit, confeſſio ſaniem exprimit, ſatisfactio cataplaſma apponit : compunctio vulnus invenit, confeſſio aperit, ſatisfactio ſanitati reſtituit: compunctio autem eſt cordis contritio, ſed quæ alligat contrita animæ amaritudo, & quæ miræ dulcedinis ſuavitatem generat. *Op. de ſex alis Cherub. l. 4. d. 15. p. 1. dub. 3.*

21. *Ad remiſſionem totius culpæ non ſemper imò rarò conſequitur remiſſio pœnæ tota.*

Quis ſcit, ſi convertatur, & ignoſcat : & relinquat poſt ſe benedictionem, ſacrificium, & libamen Domino Deo noſtro. Quid eſt, quod prædicat Propheta revocans in dubium remiſſionem peccati à Deo toties promiſſam verè pœnitentibus? ſed attende, quòd SS. Doctores exponunt hunc textum duobus modis. Primò, quia nemo ſcit, an ſua pœnitentia ſit vera ; & an ſit dignus odio, vel amore ; ideo ſemper vivere debemus cum timore : ſecundò, quia etiam ſi remittatur culpa, tamen non ſemper, imo rarò remittitur tota pœna, niſi ſit culpæ proportionata : hinc ſubdit : ſacrificium, & libamen Domino : ideſt, ut Dominus ignoſcat pœnam etiam, offeramus Deo ſacrificia, opera pœnitentialia uſquè ad mortem. *L. 4. d. 20. p. 1. qu. 1. ad 2. & d. 15. p. 1. a. 1. q. 2. & p. 2. a. 1. q. 4. ad ult. & Vgo cum DD.*

22. *Intra Eccleſiam ſunt tantùm concordes, diſcordes extra.*

Vocate cœtum, congregate Populum, ſanctificate Eccleſiam, coadunate ſenes, &c. Vide quomodo iterum præcipit Deus ſacerdotibus, & Prælatis, ut toto conatu, & ſtudio omnes homines intra Eccleſiam congregent in unum ; ut intelligamus, quòd ſolùm vivere dicuntur, qui concordiam ſervant, unitatem, & pacem : & ideo diſcordes ſunt veluti receſi à corpore Eccleſiæ, & extra ipſam rejecti. *Ser. 1. Hexam. & Pſal. 101.*

23. *Eccleſia quomodo dicitur ſanctificari à nobis, & prophanari.*

Sanctificate Eccleſiam. Quid eſt ſanctificate Eccleſiam? Reſpond. D. Hieronym. ut nullus ſit in ea, niſi ſanctus, ne modicum fermentum totam maſſam corrumpat: & meritò, nam ingreſſus in Eccleſiam fit ut Deum laudemus, ut orationi incumbamus, ut reficiamur divinis ſacramentis, & inſtruamur doctrinâ ſacrâ. Væ igitur iis, qui in Eccleſia prophanas actiones, & negotia ſæcularia tractant, iſti enim non ſanctificant, ſed prophanant Eccleſiam, maledictionibus divinis ſe ſubjicientes. *Pſal. 117. In Luc. c.18.v.10.c.19.v.46.in Ioan. c.2. verſ.15. & collat.14.*

24. *Fœtor animæ exiſtentis in peccato mortali, & maximè luxuriæ expenditur, & ſuperbiæ.*

Et aſcendet fœtor ejus, & aſcendet putredo ejus; quia ſuperbè egit. Ad litteram loquitur hic de Aſſyriis occiſis à Judæis, quorum corpora putrefacta, fœtorem immitentia incinerata ſunt. Myſticè loquitur de anima exiſtente in peccato mortali: & præcipuè de immerſis in peccato luxuriæ; quia ejus fœtor aſcendit uſque ad Cœlum, Deo, & Angelis fœtens, cum ſit putrefacta putrefactione ſpirituali. Tolerabilius enim canis putrefactus, fœtet hominibus, quàm anima peccatrix Deo: quàm infeliciùs iſta Deo, quàm hominibus ille; ideo non hominum, ſed opprobrium hominum peccator, & pejor cadavere; & ſicut eructant præcordia fœtentium, ſic cor ſuperborum; alios etiam ſuo fœtore gravans, & inficiens: quod tamen magis verificatur de luxurioſis, qui & anima, & corpore fœtent, & in ſtercore Luxuriæ computreſcunt. *In Ioan. collat.53.*

25. *Per Mariam Virginem relevata eſt inedia, & fames omnium hominum.*

Nolite timere animalia regionis: quia germinaverunt ſpecioſa deſerti, & lignum attulit fructum ſuum. Quænam ſunt iſta ſpecioſa deſerti, quæ in deſerto inculto germinaverunt? nonne potius ea deſerto germinant ſpinæ, & vepres? ſed attende admirabilem providentiam Dei noſtri, qui videns homines morti peccati ſubjectos, ob defectum cibi, mannæque cæleſtis commorantes in deſerto hujus Mundi: Ecce, quod ſicut Judæis in deſerto providit manna cæleſte; ſic & omnibus hominibus providit cibum cæleſtem: quia fecit, quòd ex Maria Virgine (quæ meritò dicitur deſertum, ſcilicet terra inculta, abſque opere humano) germinarent ſpecioſa germina cæleſtium deſideriorum, ſpecioſæ herbæ operum bonorum, ſpecioſi flores virtutum, & donorum, ſpecioſa folia utilium verborum, & ſpecioſiſſimus fructus ventris ſui; qui eſt paſtus omnium juſtorum, & per quæ relevata eſt fames, & ſitis animarum. O beatum deſertum, & beatum lignum Maria Virgo, quæ nobis tot bona germinavit. Nolite igitur timere, ait ſacer textus, animalia regionis: vos homines, qui prius vivebatis ut animalia irrationalia, ſumite iſtum fructum, vobis per Mariam præparatum, & vivetis: ſcilicet ut homines rationales, & Angeli. *Op.ſpecul.B.Virg.lect.18.*

26. *Chriſtus ſe igne amoris diſtillavit, & cibum Euchariſtiæ frumentum electorum præparavit.*

Filii Sion exultate (ideſt Eccleſiæ filii) *& lætamini in Domino Deo veſtro; quia dedit vobis doctorem juſtitiæ, & deſcendere faciet ad vos imbrem matutinum, & ſerotinum, ſicut in principio; & implebuntur areæ frumento, & redundabunt torcularia vino, & oleo.* Vide quid conſequitur ad expoſitionem fructus ventris Mariæ Virginis, de qua dictum eſt ſupra: nempè apparitio Doctoris juſtitiæ, facientis pluere imbrem, & ditantis aream Eccleſiæ frumento. Quis iſte Doctor juſtitiæ? & quomodò ipſo comparente, advenit imber matutinus, & ſerotinus, & abundantia frumenti, vini, & olei? ſed attende ad perbellum myſterium. Hic Doctor juſtitiæ eſt Chriſtus Jeſus, natus ex Maria Virgine: & ut pateat qualis fuerit principalis effectus adventus ipſius Chriſti in Mundum, declaratur Doctor juſtitiæ: ubi ex hebræo legitur: ſtillator juſtitiæ: & ubi dicitur; deſcendere faciet vobis, &c. ſeptuaginta legunt: quoniam dedit vobis eſcas; unde hic patet, quod ſit alluſio ad inſtitutionem Euchariſtiæ; & exprimitur amoris vis, reſidens in pectore Chriſti: qui voluit igne Spiritus ſancti in clibano amoris veluti diſtillare ſe ipſum; & in cruce per ornamenta ſeipſum liquefacere; ut nobis Euchariſtiam in eſcam præpararet, & tanto cibo repleret Eccleſiam: ſic ex ſacris expoſitoribus ad ſenſum Seraphici Doct. qui ſubdit: vide qualem dignationem Chriſti Jeſu, qui ſeipſum in cibum, & potum noſtrum præparavit, in quo eſt vita, & mortalitas, humanitas, & divinitas, caro, ſanguis, & anima, dans nobis vitam. *L.4. d.10.per totam.* Addit autem, quòd Chriſtus dedit nobis imbrem, &c. ſcilicet ex nube Euchariſtica. *In Luc.c.9.v.33.*

27. *Doctrina Chriſti imber, pluviaquè cæleſtis: ejuſque fructus quales.*

Quia dedit vobis Doctorem juſtitiæ. Ecce, quòd Chriſtus apparuit in Mundo ut Doctor; & ut talis deſcendere fecit per totum mundum imbrem matutinum, ideſt veterem legem implevit, & explanavit, & ſerotinum; ſcilicet evangelicam: talique doctrina irrigavit totum Mundum, ex quo impleta eſt area Eccleſiæ, frumento, & vino, & oleo; ſcilicet fidelibus credentibus gratiâ, & doctrinâ, doniſque cæleſtibus præditis. Audi qualis ſit iſte imber: aqua quam ego do, fiet in eam recipiente fons aquæ ſalientis in vitam æternam. *Ioan.c.4.* nam doctrina Chriſti ſpiritum noſtrum erigit ſurſum, ad æternitatem Dei ſalire facit, ſitimque temporalium extinguit, & ſpiritum itinerantem in hac vitâ reformat, & perficit, & in vitam æternam, & ad poſſeſſionem Dei introducit. *in Ioan. collat.57. Pſal.80.op.de 7.itiner.æntern.itin.2.d.7.* Et hinc ſubdit ſacer textus: *& comedetis veſcentes, & ſaturabimini, & laudabitis nomen Domini:* quaſi dicat: ille vobis dedit eſcam, eamquè talem, tamquè copioſam, ut vos abunde ſaturaret, forteſquè, vegetos, & alacres efficeret, voſquè ad laudandum

Digitized by Google

dum Deum inceſſanter provocaret. *Sic ex Gloſſa, & Pſal. 118. c. 11. v. 15.*

28. *Quale augmentum fidei ad adventum Chriſti, & Spiritus ſancti Eccleſiæ advenit.*

Et erit poſt hæc: effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri, & filiæ veſtræ, & ſenes veſtri, &c. Hæc eſt prophetia de fide prædicata per totum mundum poſt adventum, & aſſenſionem Chriſti, & Spiritus ſancti in Eccleſiam in die Pentecoſtes: datquè intelligere profectum fidei factum poſt hæc myſteria; non quoad credenda; quia multiplicatio credendorum non poteſt accipere augmentum, ſed quoad implicitorum explanationem, & quoad luminum plenitudinem: quia enim per adventum Spiritus ſancti major ſpiritus effuſio facta eſt, etiam & major mentis illuminatio; quia jam veritas eſt exhibita per Chriſtum, jam amplius gratia Spiritus ſancti diffuſa eſt in ſacramentis novæ legis propter Chriſti meritum, & pretium jam ſolutum: ideo nunc fides apertiùs prædicatur, & docetur, & probatur, & defenditur per evidentiam diſcipulorum Chriſti, & ejus ſequacium documenta. *L. 3. d. 25. a. 2. q. 1. & 2. in Luc. cap. 2. verſ. 38. & in Ioan. capite 7. verſ. 38.*

29. *Spiritus ſanctus non eſt acceptator perſonarum in diffuſione ſuæ gratiæ ſanctificantis: non tamen quoad prædicationem æqualiter ſe habet ad viros, & ad mulieres.*

Effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri, & filiæ veſtræ, &c. Ergone æqualiter ſe habet ad viros, & mulieres? & quia prophetare eſt docere; ergo hoc munus datum eſt æqualiter filiis & filiabus, viris, & Mulieribus; cum mulieri prohibitum ſit docere à Paulo Apoſtolo 1. *Thim. c. 2.* ſed attende ad myſterium. Effundam, ait Chriſtus, ſpiritum meum ſuper omnem carnem: hic loquitur de effuſione intrinſeca gratiæ ſanctificantis, in qua Spiritus ſanctus non eſt acceptator perſonarum, ſed omnibus ſe æqualiter diffundit ſecundùm diſpoſitionem proportionatam, & quoad prophetandum, etiam Mulieribus hoc donum communicavit: ſed quoad docendum, obſerva, quid dicitur *Luc. c. 2.* de Simeone ſene; quòd reſponſum apertum acceperat à Spiritu ſancto, & de Anna propheti ſſa dicitur: & hæc ipsâ horâ ſuperveniens, confitebatur Domino: ubi vides, quòd Simeonis teſtificatio explicitè deſcribitur, & per modum prædicationis: Annæ verò implicitè, & per modum confeſſionis: quia docere in Eccleſiâ non eſt mulierum, ſed virorum: unde licet prophetiæ donum à ſpiritu ſancto collatum fuerit mulieribus, non tamen officium Apoſtolorum, Doctorum, & prædicatorum. *In Luc. c. 2. v. 38.*

30. *Signa adventus, mortis Chriſti, & judicii extremi prædicta à Propheta.*

Et dabo prodigia in cælo, & in terra; ſanguinem, & ignem, & vaporem fumi: ſol convertetur in tenebras & luna in ſanguinem, antequam veniat dies Domini. Nota illud verbum, *antequam veniat dies Domini.* De qua die hic loquitur SS. Doctores in Gloſſa exponunt de die multiplici Chriſti: ſcilicet nativitatis, mortis, reſurrectionis Chriſti; item & de die Pentecoſtes, quando Spiritus ſanctus in igne, & linguis igneis inſedit Apoſtolis: ſic D. Hieron. & meritò; nam ad hæc omnia myſteria præceſſerunt varia prodigia: ſed tamen genuinè dicendum eſt hic agi de ſignis, & prodigiis, quæ præibunt diem judicii extremi: hic enim erit magnus; & horribilis; inter quæ maxima apparebunt in ſole, & Luna, de quibus dicitur: ſol convertetur in tenebras, & luna in ſanguinem: ſcilicet obſcurabuntur: ut ſicut hæc luminaria fuerunt in principio Mundi poſita in ſigna per ſui lucem; ſic in fine temporum in ſigna erunt finis per lucis occultationem; & hoc ad majorem terrorem. *In Luc. cap. 21. verſ. 25.*

31. *Deus omnibus ſe communem exhibet ipſum invocantibus.*

Et erit quicumque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit. Vide, quòd Deus omnibus ſe communem exhibet, ipſum invocantibus vero, & puro corde: & meritò; nam invocatio nominis ſui Deo ſummè grata eſt, pro eo, quod invocans fatetur ſuam miſeriam, & Dei gloriam, & omnipotentiam. *In Luc. c. 8. verſ. 16. & SS. expoſitores comm. &c.*

CAP. III.

32. *Iudicium univerſale in valle Ioſaphat prædictum à Propheta.*

Quia ecce in diebus illis, & in tempore illo cum convertero captivitatem Iuda, & Ieruſalem, congregabo omnes gentes, & deducam eos in vallem Ioſaphat, & diſceptabo cum eis, &c. Hic Propheta proſequitur tractationem judicii univerſalis: & in perſona Chriſti dicit, quòd judicium hoc fiet poſt converſionem omnium Judæorum in valle Joſaphat, quæ vallis dicitur judicii; Joſaphat enim interpretatur judicium & meritò in hac valle futurum eſt judicium univerſale, quia eſt veluti medius locus terræ: & ſicut Chriſtus ibi operatus eſt ſalutem omnium hominum, ideo congruum eſt etiam, ut præmia tribuat ſuis fidelibus ſequacibus, & pœnam ingratis: tùm etiam, quia vallis Joſaphat propè eſt monti oliveti, inter ipſum, & Calvariæ locum; & ideo in monte oliveti ſignificatur miſericordia, & Joſaphat ſignificat judicium, ſeu juſtitiam: per hæc ſignificatur juſtitia, & miſericordia, quæ exercebuntur à Chriſto judice. In hac valle ergo, & locis contiguis congregabit omnes homines, quorum electi erunt cum Chriſto in aëre, & re-

probi in terr a ; & ibi judicabit orbem terrarum. Op.Comp.Theol.l.7.c.17.Luc.17.v.21.

33. *Cur boni in aëre cum Chriſto erunt in judicio, & reprobi in terra.*

Congregabo omnes gentes , & deducam eas in vallem Ioſaphat. Nota , quòd omnes congregabuntur in hac valle : ſed cum hoc diſcrimine ; quod Chriſtus non deſcendet in ipſam vallem, quia non poſſet videri ab omnibus; ſed in aërem huic valli , & Monti oliveti incumbentem , & vicinum : & cum ipſo in aëre erunt boni , & in terra mali.& meritò, nam mali in terra adhæſerunt in vitâ ſuâ, boni verò verſus Cœlum , & ad Deum direxerunt corda:ergo aſcendamus de valle vitiorum , ne ibi remaneamus in valle cum damnandis : nunc in terrâ Chriſtum ſequamur corde , ut tunc in animâ Chriſtum ſequamur , & corpore : & ſi adhuc tenemur infirmitate corporis in terra,ſequamur tamen Chriſtum paſſibus amoris. *Ser.4.Dom.2.Adv.*

34. *Chriſtus Jeſus cum ſacris ſtigmatibus, & inſignibus paſſionis diſceptabit in judicio cum reprobis.*

Deducam eas in vallem Ioſaphat , & diſceptabo cum eis ibi ſuper populo meo. O quàm terribilis erit hæc diſceptatio : nam Chriſtus Ieſus in aëre ſuper vallem Ioſaphat apparebit cum ſacris ſtigmatibus , & inſignibus paſſionis ſuæ : ſcilicet cum Cruce , clavis &c. cum quibus diſceptabit , & arguet ingratitudinem reproborum, eoſquè ad æterna ſupplicia damnabit. *Op. Comp. Theol.l.7. cap.18.*

35. *Mercatura ſpiritualis reproborum cum diabolo expenditur.*

Et poſuerunt puerum in proſtibulo ; & puellam vendiderunt pro vino , ut biberent. Ad litteram invehitur Deus in impios ſe immergentes in peccatis luxuriæ , maximèque contra naturam ; ſunt enim Deo ſummè abominabilia.Sed myſticè conqueritur de illis , qui mercaturam ſpiritualem exercent cum mercatore inferni : iſte enim proviliſſimo pretio emit animas ab ipſis ; nempè pro luxuria, voluptate tranſitoria, & temporalibus : unde hic : puellam ideſt animam vendiderunt pro vino ; ſcilicet carnalis voluptatis. O quàm glorioſum eſt , quod amittitur, quàm grave , quòd mercatur ; quàm vile , quod appetitur quàm infelix commercium fæda voluptate mercari ſempiternum ardorem ; & tamen tabernacula Eccleſiæ abundant talibus prædonibus.*ſer.9. in rogat.*

36. *Qualis fueris cum Deo , & cum proximo ; talis erit tibi Deus.*

Quid mihi, & vobis Tyrus , & ſidon , & omnis terminus Paleſtinorum ? numquid ultionem vos reddetis mihi ? & ſi ulciſcimini vos contra me , citò velociter reddam vobis ſuper caput veſtrum. Ad litteram loquitur Deus cum hoſtibus perſequentibus populum Iſraël , in qua perſecutione profitetur Deus , quod contra ſe tales perſecutiones moventur, cum ſint contra populum ſuum ; & id comminatur ſe vindicaturum citò : Per, quæ dat nobis intelligere , quòd qualis erit homo cum Deo & proximo talis erit ei Deus. *Luc. c.6.v.38.*

37. *Ad bellum vult Chriſtus paratos ſuos ſequaces.*

Concidite aratra veſtra in gladios , & ligones veſtros in lanceas : infirmus dicat , quia fortis ego ſum. Ad litteram Deus præmonet Iſraelitas , ut ſe præparent ad præliandum contra hoſtes , & ſe muniant armis,ſed myſticè invitat ſuos ad ſe accingendum ad præliandum pro veritate fidei , & contra hoſtes animæ , & ſibi ipſis provideant armis neceſſariis ; ſcilicet mortificationem carnis arripiant , in quo munere neminem vult excuſatum. *Luc.c.22.v.36.* Addunt hic alii expoſitores quid ſunt aratra , niſi membra mortificata ! quæ in gladios concidunt , quando ſe opponunt hoſtibus pro veritate fidei : & tunc ligones in lanceas conciduntur , quando perceptioni Dei verbi , adduntur varia genera mortificationis. *Ita Ugo Vic.*

38. *Chriſtus in extremo tempore ſua terribili voce evocabit omnes gentes , & citabit eas ad ſuum tribunal :* unde Propheta in perſona Chriſti dicit : *conſurgant & aſcendant in vallem Ioſaphat :* ideſt gentes ubilibet mortuæ, & ſepultæ , à mortuis, & è ſepulchro reſurgant , pergantque in vallem Joſaphat.*Luc.c.20.v.38.*

39 *Judicium univerſale fiet , quando ad ſummum pervenerit malitia hominum : ad quod concurrent tamquam executores Angeli, & executores ſancti.*

Ibi ſedebo ideſt in vallem vel ſuper vallem Ioſaphat , ut judicem omnes gentes in circuitu : mittite falces , quoniam maturata eſt meſſis : venite & deſcendite, quia plenum eſt torcular , exuberant torcularia , quia multiplicata eſt malitia populorum. Populi , populi in valle conciſionis : ſol , & luna obtenebrati ſunt &c. & Dominus de ſion rugiet. In his verbis , quæ non indigent explicatione, patenter deſcribit judicium univerſale , quòd ſuper vallem Joſaphat à Chriſto fiet ; & tunc quando in ſummo perveniet malitia hominum, & quantum ad inferiùs , ſcilicet ad demeritum multorum ſuppliciorum;& quantum ad ſuperius, ad demeritum ſcilicet multorum præmiorum; & quantum ad exterius,ſcilicet ad multorum ſcâdalum proximorum. Unde dicit:quoniam maturavit meſſis; ſcilicet completus eſt numerus electorum,& completa eſt malitia malorum, ut Matth. c.13.dicitur:meſſis cõſummatio eſt ſæculi,& plenum eſt torcular &c.hinc dicitur Angelis,& ſanctis : mittite falces &c.& conculcate iniquos &c. quia prope eſt dies Domini; ideſt judicii tempus: & tunc ad aſpectum Crucis apparentis in Cœlo, ſtellæ perdent lumen ſuum ; & movebuntur Cœli , & terra : & Chriſtus , ut leo ſpirans iram, rugiet , ultimam ſententiam condemnantem ſpirans. *Pſal. 118. c.5. v.5. & ſacri Expoſitores communiter.*

40. *Effectus*

40. *Effectus incarnationis dominicæ pro hac, & futurâ vita prædicti à Propheta.*

Et ſcietis, quia ego Dominus Deus veſter, habitans in Sion in monte ſancto meo, & erit Ieruſalem ſancta, & alieni non tranſibunt per eam amplius; & erit in die illa ſtillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte, & ſuper omnes rivos, &c. Nota, quòd in his verbis prædicuntur à Propheta effectus dominicæ incarnationis, qui apparebunt multipliciter in Eccleſiâ ad profectum bonorum, ſed completè experientur ab electis poſt diem judicii: ſicut enim per adventum Chriſti in carnem in Eccleſiâ effuſa eſt plenitudo gratiarum Spiritus Sancti, inſtitutio ſacramentorum & emundatio peccatorum, & ipſa Eccleſia facta eſt velut Paradiſus Domini; ita poſt diem judicii, & reproborum condemnationem iſta omnia plenè, & perfectè conſumabuntur in cœleſti Jeruſalem: ibi enim primò Beati ſcient, ſentient, videbunt, & guſtabunt Deum ibi habitantem, & in eis per gratiam, & gloriam, eiſquè oſtendentem, & communicantem ſuas opes, & fælicitatem magnificentiamque: Secundò quia illa cæleſtis Ieruſalem erit ſancta abſque rugâ, & maculâ: Tertiò in ea ſtillabunt montes dulcedinem: ideſt Beatis erit vita jucundiſſima, omnibus bonis, & deliciis affluens & per omnes rivos Iuda ibunt aquæ: ideſt omnes potentiæ, omnes vires, omnes ſenſus, omnia ora, omnes linguæ ſanctorum Deo confitentium, & laudantium manabunt, ſcilicet perennibus aquis laudis, gratiarum actionis, & jubili, æque ac voluptatum bonorum omnium. *Op. Comp. Theol. l. 4. c. 5. in Luc. c. 3. v. 17. c. 9. v. 29. or. de do io ſ. p. c. 9. uſq. ad. 1 & D. ſt ſie, 10. c. 4. &c. Gloſſa. Ugo. alii q. Expoſit.*

41. *Status contemplativorum felicitas expenditur: eorumquè obligationes quales.*

In illa die ſtillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte; & ſuper omnes rivos Iuda ibunt aqua. Inter effectus adventus Chriſti in carnem, unus ex præcipuis eſt hæc ſtillatio dulcedinis ſuper montes: ſuntque contemplativi, qui à Chriſto dicuntur in montem liberalis communicantiæ, ſive communicabilis influentiæ propter charitativam diffuſionem gratuitæ prædicationis: tantæ enim communicationis, & diffuſionis ſunt montes, ut omnia quæcumque recipiunt, ſtatim diffundunt, & quaſi ſe exonerantes ad plana tranſmittunt: Ideò contemplativi dicuntur ſtillare dulcedinem piæ compaſſionis ad ſubveniendum afflictis; & colles fluere lac piæ prædicationis ad nutriendum debiles; & tunc ſuper rivos, ſcilicet lachrymarum Iuda, ideſt pœnitentium (Iuda enim interpretatur confitens) ibunt aquæ, ſcilicet gratiarum ad multiplicandum opera juſtitiæ, & pietatis: hæcque maximè competunt religioſis. *Serm. 4. Dom. 2. quadrageſim. Luc. capit. 9. verſ. 18.*

Et hic explicit poſtilla Seraphici Doctoris S. Bonaventuræ ſuper Joël ad gloriam Dei &c.

EXPO

EXPOSITIO SERAPHICI DOCTORIS
S. BONAVENTURÆ
IN
AMOS PROPHETAM.

PROLOGUS.

AMOS fuit Paſtor ovium de oppido Thecue, imperitus quidem ſermone ſed non ſapientiâ divinâ. Prædixit autem populo Judæorum captivitatem Aſſyriacam, & Babilonicam: Incuſat Iſraelis ſcelera, ac nominatim immiſericordiam in fratres egenos: & tandem prædicit Meſſiam venturum, & allaturum omnem felicitatem Mundo.

CAPUT PRIMUM.

1. *Deus infirma mundi eligit, ut confundat fortia, & vanitatem Mundi.*

VERBA *Amos, qui fuit in Paſtoribus Thecue: quæ vidit ſuper Iſrael in diebus Oſiæ & Ieroboam, &c.* Mirum verè videtur, quod inter paſtores viliſſimos, Deus elegerit Amos, elevando ipſum, & cooptando in numero Prophetarum. Cur igitur hunc Paſtorem, & armentarium, & non potius ſacerdotes, & Doctores? ſed attende, quod Chriſtus in fundatione Eccleſiæ idem voluit facere, eligendo ad Apoſtolatum non ſapientes, & potentes hujus ſæculi, ſed homines infimæ plebis, & idiotas, ut confunderet ſapientiam, & vanitatem mundi, & ne ipſorum dotibus adſcriberentur opera, quæ facienda erant, ſed ſibi hæc reſervavit: idemmet fecit in Amos, ut magis ejus divina potentia, ſapientia, & prudentia eluceret. *Op.medit. c.19.*

2. *Deus promptus eſt omnibus, & quocumque tempore veniam peccatoribus dare, exceptis finaliter impœnitentibus.*

Super tribus ſceleribus Damaſci, & ſuper quatuor non convertam eum: eo quod non trituraverint in plauſtris Galaad, & mittam ignem in domum, &c. Diſquirunt hic Sacri D.D. quid ſibi vult, ly, ſuper tribus ſceleribus, & ſuper quatuor? Aliqui dicunt; quòd cum ter, & quatuor componant numerum ſeptenarium, qui eſt univerſitatis, ſignificatur congeries multorum ſcelerum. Alii per tria ſcelera intelligunt idololatriam, inceſtum, & homicidium. Alii rapinam, mulctam, & gladium; & addendo quartum ſcelus, ſignificatur multiplicatio cæterorum ſcelerum: & per hoc ait S. Hierony. dat Deus intelligere, quòd cum idem Deus ipſos expectaſſet ad pœnitentiam; ipſique loco pœnitentiæ, multiplicaverunt ſcelera; ideo voluit mutare ſententiam, & plagis corripere delinquentes. Tropologicè autem ſignificatur triplex gradus iniquitatis: ſcilicet, primum ſcelus eſt conſenſus malus: ſecundum eſt perpetratio: & tertium eſt conſuetudo in malo: & quartum eſt impœnitentia, & permanentia in peccato finali, ſuper quam peccator non convertitur: ideo ipſis impœnitentibus non remanet locus ſalutis. *L.4.d.14.p.2.dub.11. ſer.3. ciner.* Nota etiam, quòd ut hic proximè dictum eſt; quod per hæc quatuor ſcelera intelliguntur perſecutiones Iſraëlitis allatæ ab hoſtibus Dei; & præcipuè quarta, in qua dicitur: eo quod trituraverint in plauſtris ferreis Galaad: per quam metaphoram ſignificatur ſævitia, & crudelitas maxima, quâ ipſi hoſtes tractaverunt Populum Dei; & hinc infertur, quod crudelitas, quæ in proximum exercetur, Deo ſummè exoſa; ob quam Deus par pari infert, & tales iniquos juſtè ſeveriſſimè punit. *Sic S.Hieron. & SS.DD. communiter.*

3. *Quàm Deo ſit exoſum inſpirationes ſuas contemnere, & propoſitum bonum ſtrangulare.*

Super tribus ſceleribus Ammon, & ſuper quartum non convertam eum: eo quod diſſecuerit prægnantes Galaad, ad dilatandam terminum ſuum. Syrus, & Arabicus legit, ventres prægnantium ſerris ferreis. Ad litteram deſcribit crudelitatem, & avaritiam Ammonitarum occidentium Iſraelitas, non parcentium ætati, vel ſexui, vel etiam prægnantibus, ut dilatarent imperium ſuum. Myſticè per diſſecantes

cantes prægnantes intelliguntur illi, qui inſpirationes à Deo immiſſas, vel contemnunt, vel ipſas audientes, & gignentes propoſitum bonum, ſtrangulant; & ideo væ iſtis prægnantibus, ait Chriſtus, ſcilicet animabus,quæ bonum propoſitum à Deo habent,ſed non perveniunt uſque ad partum. *Luc.c.21.v.23.* Nota pro coronide hujus capitis, quod hic, & in ſequenti capite per ſeptem nationes enumeratas, quæ perſecutæ ſunt Iudam, ſignificantur ſeptem vitia capitalia. Per Damaſcum, quod interpretatur ſanguinem potans, ſignificatur vitium gulæ: Per Gazam avaritiam: Per Accaron ira, Per Tyrum ſuperbia: Per Ammon libido: Per Moab invidia: Per Iſraël accidia: in quibus vitiis ſe volutantes homines quadrupliciter: ſcilicet per peccatum voluntatis, operationis,conſuetudinis, & gloriationis,ut ſupra ex S. Doctore dictum eſt, diſperdentur à Deo in die judicii. *Sic communiter ſacri Expoſitores.*

CAP. II.

4. *Quale incendium,afferat peccatum mortale animæ:ubi de lacerantibus famam mortuorum.*

SUPER *tribus ſceleribus Moab, & ſuper quartum non convertam eum; eo quod incenderit oſſa regum Idumeæ uſque in cinerem; & mittam ignem in Moab.* Ad litteram hic invehitur Deus contra Moabitas, qui nec mortuis parcentes exhumarunt corpora regum defunctorum,eaque in ignem injecerunt,& ad cinerem redegerunt: ſic enim honorem debitum mortuis abſtulerunt: quod ſcelus Deo valdè diſplicet; & maximè quando eorum famæ detrahitur,ad modum canum oſſa mortuorum devorantium, & ſi tam Deo diſplicet malè tractare mortuos infideles? quid faciet, obſecro,contra perſecutores mortuorum fidelium? væ væ iſtis crudelibus; nam Deus contra ipſos iniquos fulminat flagella in hac,& in alia vitâ.Myſticè autem exponitur tali pacto,ut ſuprà etiam innuimus. Primum ſcelus eſt malus conſenſus: ſecundum eſt actus: tertium conſuetudo: quartum, impœnitentia; ſuper quam peccator non convertitur; quia tali flagello percutitur ipſe peccator, ut moriens obliviſcatur ſui,qui dum viveret oblitus eſt Dei. Addit verò textus, eo quod incenderit oſſa regu Idumeæ uſque in cinerem: & mittam ignem in Moab, rex eſt Spiritus, qui regere debet corpus: oſſa ſunt virtutes,quibus anima ſuſtentatur,ſicut corpus oſſibus:oſſa ergo regis incenduntur, dum virtutes animæ, flamma vitiorum deſtruuntur: de quibus. *Pſ.l. 73. incenderunt igni ſanctuarium tuum.* Audi igitur, & vide ſtultiſſime homo: domum tuam ardentem in unâ horâ non permitteres, & extinguere curares toto conatu; animam verò ardentem extinguere differs per multos annos: Væ ergo talibus incendiariis, & incenſis, quia in eos mittet Deus ignem æternum. *Ser.3.in die ciner.*

5. *Superbia, & oppreſſio pauperum à ſuperbis illata, quam Deo exoſa.*

Super tribus ſceleribus Iſraël, &c. pro eo quod vendiderint pro argento juſtum, & pauperem pro calceamentis; qui conterunt ſuper pulverem terræ capita pauperum,& viam humilium declinant. Loquitur hic Propheta ad litteram de pluribus ſceleribus, & inter hæc de omnium maximo à Iudæis commiſſo, contra juſtos, & pauperes injuſtè ab Iſraëlitis venditos,& oppreſſos: & quia inter hos juſtos, & pauperes valde excelluit Chriſtus,quem Prophetæ habent pro ſcopo? unde non ſolùm Propheta taxat ſcelera ſui ſæculi; ſed prædicit futura tempora adventus Chriſti, quem vendiderunt triginta argenteis: nobiſque dat moraliter intelligere diſcrimen inter humiles, & ſuperbos; quod illi fugiunt honores, quos ſuperbi ſitiunt; & capita pauperum ſuper pulverem terræ conterunt,eos perſequentes,& ad nihilum pro poſſe redigentes,ſicuti ventus diſſipat pulverem: viaſque humilium declinant, quoniam de ſublimi graviùs ruituri feſtinant, quod peccatum graviſſimum eſt, Deoque exoſum; & attrahens ſæviſſima flagella à Domino. *Pſ.l.118.c.3.v.1. & ſacri expoſitores communiter.*

6. *Flagellis, & minis impios in hac vitâ Deus terret, ne eos puniat æternaliter in inferno, ubi de maxima patientia Dei in expectando peccatorem ad pœnitentiam.*

Ecce ego ſtridebo ſubter vos,ſicut ſtridet plauſtrum onuſtum fœno. Nota hanc metaphoram,qua Deus ſimilitudine plauſtri onerati fœno ſtridentis utitur: datque intelligere primò maximam patientiam,& veluti quandam violentiam, quam oſtendit ſe experiri in peccata impiorum toleranda: ſecundò quomodo flagella, & minas in eos immittit, ut per ipſa excitati, & ſentientes ſe gravatos, ad pœnitentiam reducantur. *Pſalm: 28. S. Greg. l. 32. mor. cap.6. S. Hieronym. alliique SS. Patres.*

CAP. III.

7. *Dei paterna providentia in ſuos expenditur multipliciter.*

AUDITE *verbum Domini ſuper vos filii Iſrael: ſuper omnem cognationem, quam eduxi de terra Ægypti dicens: tantummodo vos cognovi ex omnibus cognationibus terræ:idcirco viſitabo ſuper vos omnes iniquitates veſtras.* Nota illud verbum. *Audite filii Iſrael*, loquens ad ſuos veluti Pater ad filios. Nota iterum effectus amoris hujus paterni ad filios in illo verbo: *viſitabo vos*, promittens viſitationem peculiarem ſuper Populum ſuum electum, qualis eſt hæc viſitatio? *viſitabo*,ait, *ſuper vos omnes iniquitates veſtras:* ideſt ſuper vos immittam flagella pro remedio veſtrarum iniquitatum, ut reſipiſcatis à viâ malâ. Ecce quod Deus,veluti pater providus in ſuos electos immittit ſua flagella ut eos

amoveat ab iniquitatibus; vel ut eos ægrotantes, tali cauterio curet,& ſanet: quia ſignum patens divinæ dilectionis eſt, quando nos in hac vitâ flagellat *In Thren. c.3.* Et hinc ſequitur textus: *Numquid ambulabunt duo pariter, niſi convenerit eis?* Quaſi dicat: ego non ambulabo vobiſcum, niſi mecum conveneritis; monita iſta, viſitationes, & inſpirationes meas recipiendo. Subdit: *Numquid rugiet leo in ſaltu, niſi habuerit prædam?* quaſi dicat: ſicut Leo rugit dum habet prædam; ſic ego vobis minas dirigo, ut vos ad me,& ad mei obſequium capiam. *Pſal.*18. *& 90.* ſubdit item *v.7. quia non facit Dominus Deus verbum, niſi revelaverit ſecretum ſuum ad ſervos ſuos Prophetas, &c.* & poſt pauca: *Dominus Deus locutus eſt, quis non prophetabit?* Per quæ dat intelligere Dominus Deus, quod vocationes ſuæ ſemper in promptu ſunt; & quas facit per ſervos ſuos, per flagella, per inſpirationes, ut tandem reſipiſcant à malo: in quo ſe oſtendit patrem benigniſſimum. *Luc.c.1.v.67 & 70.c.7.v.16.& c.9. v.8.* Ex quibus omnibus patet, quod Deus quando flagellat ſuos amicos in hac vitâ, tunc verè Patrem benigniſſimum ſe oſtendit.

8. *Prælati effæminati, & negligentes, avarique Deo exoſi, & ſæviſſimè puniti.*

Auditum facite in ædibus Azoti, & in ædibus terræ Ægypti, & dicite: congregamini ſuper montes Samariæ, & videte inſanias multas in medio ejus, & calumniam patientes in penetralibus ejus. Ad litteram invitat Dominus Iſraelitas, & præcipuè Prælatos, ut attendant ad flagella à Deo immiſſa in Azotios, & Ægyptios, & videant, ſciantque, quod pari modo ipſos flagellabit, ſi non reſipiſcant à ſuis erroribus, ut alienis plagis diſcant Dei diſciplinam. Et Myſticè loquitur de malis prælatis, ſignificatis in montibus Samariæ, quæ interpretatur cuſtodia; qui veluti effeminati, & negligentes in ſuo munere, voluptatibus ſe immergentes, opprimunt ſubditos, & innocentes ob avaritiam, theſaurizantes iniquitates: *& propter hoc*, ait Dominus, *tribulabitur qui hæc fecerit. Pſal.*118.*c.9.v.6.c.5.v.14.Luc.c.19.v.44. c.5. v.25. Ioan.coll.25.Pſal.*118.*c.3.v.7.* Et hinc ſubdit *v.12. eruentur filii Iſrael, qui habitant in ſamaria*, (ſcilicet *Prælati*, ut dictum eſt) *in plaga lectuli, & in grabato Damaſci:* Damaſcus interpretatur bibens ſanguinem, ſignificatque animam involutam in voluptatibus: iſtique à Deo ſeveriſſimè punientur. Sed ut pateant damna publica ex malâ Prælatorum vitâ promanantia, infra Propheta ſubdit: *amputabuntur cornua altaris, & cadent in terra.* Quid eſt hoc? quæ amputatio, & deſtructio cornuum altaris hic comminata eſt? amputabuntur cornua altaris, ait, ſcilicet crucifixi cultura in diabolicam transformatur ob nequitiam Prælatorum, & abuſionem ſacrorum munerum. O quot mala ex Prælatorum malitiâ *Pſal.*118.*c.3.v. 7. in Ioan.coll.25.*

CAP. IV.

9. *Deus in Chriſto, & per Chriſtum in tota Sacra Scriptura juſtis promittit gratiam, & gloriam; & impiis minatur pœnam, & gehennam.*

AUDITE *verbum hoc vaccæ pingues, quæ eſtis in monte ſamariæ, &c. juravit Dominus Deus in ſancto ſuo: quia ecce dies venient ſuper eos, & levabunt vos in contis, & reliquias veſtras in ollis ferventibus.* [illegible] quod loquitur metaphoricè Propheta ad vaccas pingues; ſcilicet ad effeminatos, laſcivos, & imprudentes, impioſque, & dicit eis, quod *Deus juravit in ſancto ſuo:* ſcilicet in Chriſto, & per Chriſtum, qui eſt Sanctus Dei,& Sanctus Sanctorum. Quid juravit? juravit, ideſt notum fecit per totam ſcripturam, pœnam paratam impiis, & per conſequens gratiam,& gloriam bonis, juravit, ideſt promittit, ait Gloſſa, quod illi, in quibus inſidet & dominatur per gratiam, fulgebunt ſicut ſol in regno ſuo. *Iuravit in ſancto ſuo*, quod omnes impios ſæviſſime damnabit in oſſa inferni: & hoc eſt totum, quod reſonat ubique in Sacra ſcriptura: ſcilicet pœna,& gloria, illa malis, iſta bonis parata. *Ser.1.Dom.Trinit.*

10. *Pluvia temporanea, & ſpiritualis quibuſnam à Deo immittatur, & quibuſnam auferatur.*

Ego quoque à vobis prohibui imbrem, cum adhuc tres menſes ſupereſſent uſque ad meſſem, & plui ſuper unam civitatem, & non ſuper alteram. Ad litteram loquitur de pluvia temporanea. Myſticè de ſpirituali pluvia gratiæ: datque intelligere, quod ſæpe Deus prohibet propter peccata pluviam, & immittit ſiccitates, & penuriam: itemque retinet influxum ſuarum gratiarum, ut pateat, quod talibus temporibus ad Deum eſt recurrendum jejuniis, precibus,& pœnitentialibus operibus. Sic & prædicabat Seraphicus P. S. Franciſcus Populis. *Pſ.67.& in legenda S.Fran.c.8.*

11. *Peccati fætor ubique diffunditur, etiam ad nares peccantium.*

Miſi in vos mortem in viâ Ægypti, &c.& aſcendere feci putredinem caſtrorum veſtrorum in nares veſtras,& non rediſtis ad me, dicit Dominus. Ad litteram dicit Propheta Deum puniſſe Iſraelitas mortalitate tanta,& tali, quod cadaverum putrefactorum fætor ubique diffundebatur; & tamen duri, & obſtinati remanſerunt in iniquitatibus ſuis: & ideo eos ferè totaliter ſubvertit variis cladibus, & captivitatibus. Myſticè loquitur de fætore peccati. Cum enim putrefactam animam reddat, & abſorptam in peccatis, & maximè publicis, tunc fætor ſcandali, & veneni ſpiritualis virus ubique diffunditur, non ſolùm perveniens ad nares Dei,& Angelorum, ſed & ad proximos, imò ad ipſos peccantes, eorumque nares percutit; quia ipſi ſordeſcunt in iniquitate ſua,& ſæpe in

in ſe ipſis manifeſto tædio, afflictione, & inquietudine afficiuntur. O quale virus peſtilens peccati. *Ioan. collat. 53. S. Hier. Ugo, & alii.*

12\. *In adventu, Eccleſia Sancta cum Chriſto invitat, media prædicatione, fideles, ut ſe præparent in occurſum Dei naſcituri.*

Quapropter hæc faciam tibi Iſrael: poſtquam hæc fecero tibi (ſcilicet poſt tot flagella, poſt prædicationem prophetarum, poſt tota auxilia) *præparare in occurſum Dei tui Iſrael, quia ecce formans montes, & creans ventum, & annuntians homini eloquium ſuum, faciens matutinam nebulam, & gradiens ſuper excelſa terræ: Dominus Deus exercituum nomen ejus.* Nota, quod ad litteram promittit Propheta adventum meſſiæ in mundum: poſt hæc ait: præparare in occurſum Domini Dei tui. Et hoc eſt, quod facit Eccleſia toto tempore adventus; annunciat enim eloquium Dei per prædicationem, ut fideles ſuos invitet ad occurrendum Chriſto naſcituro, & ad ſuſcipiendum ipſius eloquia; documenta, & exempla. Unde ex Hebræo legunt expoſitores: *Annuncians homini eloquium ſuum*, Scilicet in homines Chriſtum ſuum. Et Chaldæus legit: *præpara te, ut ſuſcipias doctrinam ejus* (ſcilicet, *ut exponunt S. Hieron. Ugo Liran. alii. & S. Bonav.*) præpara te, ut Deum carnem factum in aſſumptâ humanitate venientem, toto mentis affectu excipias *Pſal. 118. c. 11. v. 9.* Et hoc eſt, quod toto tempore Adventus intonat Eccleſia ſuis fidelibus: *parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus*, & alibi, *adorna thalamum tuum, occurrens Deo tuo.*

CAP. V.

13\. *Sinagogæ excidium à Propheta prædicitur.*

AUDITE *verbum iſtud, quod ego levo ſuper vos planctum: Domus Iſrael cecidit, & non adjiciet, ut reſurgat.* Vide, quod Propheta cum lachrymis hic prædicit manifeſtè ruinam populi Judaici; nam poſt cladem Romanam, numquam ad ſuum priſtinum ſtatum rediit, nec reditura eſt uſque ad finem mundi. *In Thren. cap. 1.*

14\. *Quid per pœnitentiam poſt peccatum recuperet Peccator, expenditur.*

Domus Iſrael cecidit, & non adjiciet, ut reſurgat. Virgo Iſrael projecta eſt in terram ſuam, & non eſt qui ſuſcitet eam. Ex his verbis videtur, quod peccator non poſſit amplius per pœnitentiam reaſſumere, quod perdidit; & tamen in oppoſitum in Eccleſiâ docetur. Sed attende, quod eſt loqui de peccatore pœnitente in ſtatu viæ, & in ſtatu gloriæ: in ſtatu viæ, & gloriæ poteſt conſiderari dignitas ſtatus, & puritas quoad dignitatem, quæ importat quandam gloriam accidentalem: v. g. virginitatis, & innocentiæ, certum eſt hanc per quamcumque pœnitentiam non poſſe recuperari; licèt quoad puritatem & mundationem à maculâ, & reatu pœnæ, & quoad gloriam eſſentialem poſſit recuperari; & tali pacto ſolvitur hoc dubium: *L. 3. d. 31. a. 1. q. 2. & l. 4. d. 15. p. 2. dub. 10.*

15\. *Anima eſt civitas Sancta militibus ſtrenuis repleta, quando virtutibus eſt ornata.*

Urbs de qua egrediebantur mille, relinquentur in ea centum, & de qua egrediebantur centum, relinquentur in ea decem. Hic ad litteram exprimit miſeriam, in quam populus Iſrael redigendus erat ex obſidione, & deprædatione hoſtium. Myſticè hæc eſt anima, quæ dum virtutibus eſt ornata, emittit opera quaſi milites mille; ſcilicet pugnantia cum diabolo, Mundo, & carne: ſed ſi per peccatum virtutes deperdit, tunc ad ſtatum miſerabilem pervenit oppreſſa ab hoſtibus: de hac civitate. *Vide op. de dono conſil. c. 5. & ſer. de S. Agatha Virg. & Mart.*

16\. *Chriſtus medicus quærendus eſt ab ægrotis.*

Quærite me, & vivetis dicit Dominus. Nota illud verbum, *vivetis*, ut det intelligere, quòd hæc verba diriguntur ad mortuos, vel ægrotos infirmitate mortali, ut recurrant ad medicum vitæ, ſcilicet Chriſtum. Sed quomodo quærendus? quærendus eſt per pœnitentiam; quærite ipſum tali medio, & vivetis, non corpore tantum ſed ſpiritualiter anima. *Ser. 3. Dom. 14. Pentec.*

17\. *Quærendus eſt Deus, ut extinguat in nobis ignem concupiſcentiæ.*

Quærite Dominum, & vivetis, ne forte comburatur ut ignis domus Ioſeph. Proſequitur Propheta, ſuadens nos, ut inceſſanter Deum quæramus; & hoc non ſolùm ut vivamus ſpiritualiter: ſed ut ipſe inventus, extinguat ignem concupiſcentiæ, & tentationum, quem inceſſanter diabolus conatur in nobis accendere, noſque comburere. *Ser. 6. Dom. infra octav. Epiphan.* Ut videas; quòd hic ignis omne bonum extinguit in nos, dum conſenſum ei præbemus.

18\. *Væ qui convertunt judicium, & juſtitiam in amaritudinem peccati: ubi de judicibus malis.*

Quærite Dominum, & vivete; qui convertitis judicium in abſynthium. Quid eſt convertere judicium in abſynthium, & amaritudinem? Ille propriè convertit in amaritudinem judicium, qui relinquendo virtutem, ad vitium ſe convertit; ſicque dulcedinem apprehenſam in vitio, convertit in amaritudinem ſupplicii: unde poſt hanc vitam ipſi non remanet niſi amaritudo. *Pſal. 118. c. 10. v. 10.* Vel ſecundùm alios expoſitores: convertit judicium in abſynthium, qui perversè judicando, innocentes condemnando, & nocentes abſolvendo, conſolationem, quam expectabant innocentes ex judicio, in amaritudinem, & injuſtitiam converſam inveniunt. *Sic Liran. Rupert. & Ugo. D. autem Hieronym. dicit*, quod qui convertit virtutem in vitium, juſtam, & ſanctam vitam in peccati amaritudinem, convertere dicitur judi-

cium in abſynthium, quaſi tali amaritudine potando Deum: peccata enim ſunt amaritudines, quæ ad iram excitant Deum. Unde dicitur, *Oſeæ c. 12. ad iracundiam provocavit me Ephraim in amaritudinibus ſuis.* Alii dicunt, quod quis dicitur convertere judicium in abſynthium, qui legem Dei, quæ de ſe ſuavis eſt, per pravas conſuetudines abominatur, tamquam amaram. Alii dicunt, quod convertit ille judicium in abſynthium, ſcilicet divinam miſericordiam, quæ eſt de ſe dulciſſima, in amaritudinem, & ſupplicium.

19. *Iuſti diligunt corripientem: impii, & reprobi oderunt corripientem verbis, & factis.*

Odio habuerunt corripientem in portâ; & loquentem perfectè abominati ſunt. Ecce in qualem perverſitatem cecidit populus judaicus, ob quam ſeveriſſimè punitus eſt à Deo, & reprobatus: quia enim ut ſuperbi abominati ſunt prophetas, & tandem Chriſtum eorum vitia corripientes; ideo à Deo reprobati ſunt, & puniti. Hoc enim eſt diſcrimen inter juſtum, & reprobum, quod ille diligit, & ſuſtinet patienter corripientem; iſte abominatur, & invehitur contra corripientem, & juſtum diſſimilem ſibi in vitâ: & ideo contra prælatos, & corripientes murmurat, & ipſos perſequitur. *Op. de Eccleſ. Hierar. p. 3. c. 1. Luc. c. 3. v. 20. & c. 4. v. 28. & c. 11. in finem. c. 13. v. 34. c. 19. v. 47. & c. 20. v. 19. Ioan. c. 15. v. 21. Pſal. 118. c. 11. v. 3.*

20. *Qui ædificant domum cum offenſa Dei, & proximi, quærunt ruinam ſibi ipſis: & in aliorum utilitatem ædificant.*

Idcirco pro eo, quod diripiebatis pauperem, & prædam electam tollebatis ab eo: domos quadro lapide ædificabitis, & non habitabitis in eis: vineas plantabitis amantiſſimas, non bibetis vinum. O audiant hanc ſententiam terribilem Dei divites oppreſſores pauperum; quam primò fulminavit Deus contra Prælatos, & divites Hebræos, qui diſpendio pauperum ædificabant domos pulchras, dilatabant agros, plantabant vineas; & tandem fulminat contra ipſorum imitatores; nam juſto Dei judicio, ſic fabricando, & excitando iram Dei contra ſe, ædificant ſibi ipſis excidium, & ruinam, & in aliorum utilitatem, & voluptatem laborant. O nimis hoc verum, & continuâ experientiâ notum. *Luc. c. 17. v. 28. ſer. 1. Dom. 24. Pent.*

21. *Tota ſacra ſcriptura reſonat ubique, & omnibus hominibus id, quod eſt de dictamine legis naturalis: ſcilicet odium mali, & dilectio boni: odite malum,* ait Propheta hic *v. 15. & diligite bonum; & conſtituite in portâ judicium; id eſt in initio operum veſtrorum, ſi forte miſereatur Deus exercituum reliquiis Iſrael. Pſal. 118. c. 7. v. 8* Nota autem, quod dicit, *in portâ*, alludens ad morem antiquorum Principum, & judicum, qui erigebant tribunal in portis civitatum: & hoc, ait S. Greg. ne litigantes extranei in civitatem intrarent; & ne lites, & jurgia in civitate ſeminarent.

22. *Oratio cum præſumptione facta Deo exoſa.*

Væ deſiderantibus diem Domini. Sic dicebat propheta contra Iſraelitas, qui deridebant prophetias, & comminationes de futuro exitio populi, & videntes non advenire, dicebant: *ubi eſt dies Domini, & vindictæ, quam toties inclamant Prophetæ?* Sed tamen eis repentinus ſupervenit interitus, ſic permittente juſto Dei judicio. Myſticè loquitur de malè orantibus, & in oratione exprimentibus ſuas petitiones, & deſideria: nam in oratione tria debemus petere: ſcilicet bona corporis, bona animæ & bona æterna: ſed ſæpe tria vitia in his petitionibus ſubrepunt; in prima petitione ſuperfluitas ſæpè deſideratur: in ſecunda impuritas. in tertia elatio: ſæpe enim quærimus temporalia ad voluptatem, virtutem ad oſtentationem, vitam æternam, non in humilitate, ſed in meritorum præſumptione, væ igitur talibus deſiderantibus diem Domini. *Pſal. 139.*

23. *Anguſtiæ mortis expenduntur.*

Væ deſiderantibus diem Domini, &c. Scilicet viventibus ac ſi deſiderarent diem mortis, ac ſi eſſent ſecuri dum in vitiis vitam degunt, dies enim iſte eſt dies mortis. Sed cur væ? ſubdit Propheta. *Quomodo ſi fugiat vir à facie Leonis, & occurrat ei urſus, & ingrediatur domum ejus, & innitatur manu ſuper parietem, & mordeat eum coluber.* Ecce quales miſeriæ hominis tempore mortis. Leo enim eſt Chriſtus Iudex: Urſus eſt diabolus; coluber eſt conſcientia, per quæ arctatur homo in morte. *Ser. 2. Dom. 9. Pentec.* quaſi dicat: væ peccatori redacto ad extremum vitæ: nam ſi oculos ad cœlum elevat, videt ſibi præſentem Chriſtum iratum, & in furorem veluti Leonem verſum; ſi circum ſe revoluit oculos, ecce legiones Dæmonum ipſum obſidentium, & inhiantium ad rapiendam animam: ſi intra ſe cogitationem convertit, ei occurrit coluber, ſcilicet conſcientia, veluti coluber ipſum torquens ob bona omiſſa, ob mala commiſſa; & non poterit avolare de anguſtiâ ſuâ, ait Iſaias Propheta; quia talis dies erit dies tenebrarum, erit eis tenebræ, & non lux, & caligo, & non ſplendor. *in Luc. c. 19. v. 15.* S. Doctor etiam aliam expoſitionem hic affert. *Qui innititur manu ſuper parietem, mordet eum coluber:* Ille eſt, qui manu innititur ſuper parietem, qui ſenſibus corporis ſe ſubjicit, & temporalibus; nam iſte incidit in colubrum, id eſt in vanas diaboli tentationes, & deceptiones. *Ser. 2. de rectorib. in addit.*

24 *Feſtivitatum inobſervantia, & laudum divinarum confuſa, & indevota perſolutio, quàm Deo exoſa.*

Odi, & projeci feſtivitates veſtras, &c. aufer à me tumultum, &c. Hæc verba diriguntur à Propheta ad Iſraelitas, eo quod ipſi quidem offerebant Deo ſuas victimas in diebus feſtis, concurrentes ad templum Domini, & confidentes in his ſacrificiis, & perſolutione laudum divinarum: ſed quia ſe ipſos non offerebant Deo, ſed diabolo, perſeverantes in iniquitatibus; ideo ait Deus, *odi feſtivitates veſtras, &c. & rejeci cumulum carminum*

num

num veſtrorum. O utinam hæc magis non verificentur de populo Chriſtiano: nam multi ad Eccleſiam quidem conveniunt, ſed tamen peccando, plus offerunt diabolo, quam Deo; ideo iſtis dicit Deus: *Odi, & projeci feſtivitates veſtras, abſque eo, quod capiam odorem cætuum veſtrorum:* quia offerunt quidem ſua ſacrificia ſed ſine devotione, & innocentiâ cordis. Videtis, ergo quàm ingrata ſunt opera veſtra bona, quamdiu eſt prava vita veſtra. Si ergo in feſtivitatibus datis vos Deo, cor autem diabolo, nolite præſumere. *Serm.2.Dom.5. Pent.ſer.de uno S.Mart. in addit.*

15. *Idem argumentum contra cantores, & malè perſolventes laudes divinas.*

Subdit ſacer textus: *Aufer à me tumultum carminum tuorum: & cantica lyræ tuæ non audiam.* Hoc audiant, & videant cantores, & Choriſtæ chriſtiani malè, & indevotè, & confusè perſolventes laudes divinas. Duo autem hic præcipuè notanda, ſcilicet, *tumultus carminum, & cantica Lyræ*; per quæ ſignificatur primò indevotio cantantium divinas laudes tumultuosè, præcipitanter, & nimis feſtinanter canendo laudes divinas præmordendo, & cum altero choro commiſcendo, & confundendo ex feſtinatione verſus ſuam partem. Item id faciendo cum inquietudine in motu membrorum, v.g. capitis in circumagendo, ſive oculorum in circumſpiciendo per chorum, vel alibi, ſive manuum infricando, vel volvēdo curioſa librorum folia, vel litteras legendo, vel aliud ſuperfluè faciendo; ſive pedum in diſcurrendo huc, illucque per chorum, vel ob frivolas occaſiones exeundo: Item cum diſſolutione in verbo, vel in riſu, vel in cantu; ut ſi quis punctos in nota nunc diminuens, nunc pro libito addens, muliebriter frangat, aut in falſetum extollat, vel altiori cæteris cantu cantando: Item ex tumultu in choro per vocis ſuſurrium, per importunitatem ſpuendi, vel excreandi, vel per impetuoſam elevationem, vel depoſitionem ſedilium, cæteraque peragendo cum defformitate: nam pulchra valdè uniformitas eſt in congregatione, & conventu fratrum, & pſallentium, ubi debent & mores, & animi convenire: nam unanimes uniformitas in pſallentium conventu decet, quæ in moribus plurimum unitivè uniformes ordinat; & decorat: & hinc ſubdit ſecundum ſacer textus. *Cantica Lyræ tuæ non audiam.* Cum enim modulatio, & cantus convenientiſſimè ſit in Eccleſiâ introductus; ut per oblectamenta aurium infirmior animus in affectum pietatis aſſurgat, ut dicebat S. Auguſt. contra hoc faciunt, qui totam pſallendi devotionem collocant in voce canorâ, in ſubtilitate modulandi, in agilitate tonos minuendi, &c. dum inſtar avium minutiunt, ut curioſorum aures titillent, ad ſe rapiant, & ab oratione avocent. Et hinc ſubdit S. Auguſti. cum mihi accidit, ut me amplius cantus, quam res, quæ canitur moveat, pœnaliter me peccare confiteor, & tunc mallem non audire cantum: O quàm multi ſunt, qui ſonant voce, & corde muti ſunt? & quàm multi ſunt, qui tacent labiis, & clamant affectu; quia ad cor hominis adres Dei, ſicut aures corporales ad os hominis, ſic cor hominis ad aures Dei dirigi habentes: & multi in magnis clamoribus non exaudiuntur; & è contra, multi clauſo ore exaudiuntur. O avertat Deus ab Eccleſiâ teterrimum abuſum iſtorum Judæorum. *Vid.S.Bonav op. ſpec.diſc. p.1. cap.14. ſeq.& de inſtit. Novit.p.1. c.33. & reg. novit.c.1. & D.Aug.l.10. confeſſ.c.32. & in Pſal.30. & 42. & 119. & S.Ber. ſerm.7. in cant. & de modo bene vivendi ad ſororem. c.52.* Nota autem, quòd ad rem ſubditur: *& revelabitur quaſi aqua judicium, & juſtitia, quaſi torrens fortis:* qui textus explicatur in bonum, & in malum pſallentium: dicit autem, quod, *revelabitur quaſi aqua judicium, & juſtitia quaſi torrens fortis.* Scilicet quia ex debita, & devota perſolutione laudum divinarum, judicium Dei iſtis profluet, & juſtitia quaſi aqua, & torrens fortis ad abluendam, & purgandam animam ab omnibus inquinamentis; quia plurima bona ſpiritualia ex hoc animæ proveniunt. In malum etiam ſumitur iſte textus pro indevotis, quia perfluit judicium; & juſtitia Dei vindicans in ipſorum damnationem, revelanda ad ipſorum interitum in generali judicio. *Pſalm. 118. c.3. verſ.11. & cap.9. verſ.14.*

CAP. VI.

16. *Vitia divitum ordinaria expenduntur.*

V*Æ qui opulenti eſtis in Sion, &c. optimatæ capita populorum ingredientes pompaticè domum Iſrael; &c. qui ſeparati eſtis in diem malum, &c qui dormitis in lectis, &c. Qui comeditis agnum de grege; &c.* Hic deſcribit Propheta vitia ordinaria divitum impiorum, ob quæ poſtea prædicit eis captivitatem futuram, ſubdens: quapropter nunc migrabunt in capite transmigrantium, &c. Dat igitur intelligere, quod mali divites, Principes, & optimates, ut plurimum ſordeſcunt in maximis vitiis; ſed præcipuè in laſciviis, dormientes in lecto negligentiæ, & torporis, in crapula, & ebrietate, in avaritiâ, & oppreſſione pauperum, in ſuperbiâ, & ambitione: & hoc provenit, quia concipiunt ſibi in animo ſecuritatem vanam. promittendo ſibi longam vitam per præſumptionem: & hinc inopinato ſæpè repentino interitu moriuntur juſto Dei judicio id permittente; quia ſolium ipſorum eſt ſolium iniquitatis, ex hoc; quod ſenſualitas præeſt rationi. *In Luc.c.12. v.19. c.1. v 7.ſerm.3. Dom.18.Pent ſer.3.de uno Confeſſ.in fin.ſer.2.in decoll.S.Joa.in addit.op.Diat.tit.1.c.8.Pſ.118.c.5.v.5. ſap.c.2.ſer.1.Dom.24.Pent.*

17. *Diverſa ſors bonorum, & malorum in morte expenditur.*

Si reliqui fuerint decem viri in domo una: & ipſi morientur: & tollet eum propinquus ſuus, & comburet eum, ut efferat oſſa, & comburet eum, &c. Ad litteram deſcribit Propheta infelicitatem Iſraelitarum in captivitate poſitorum, & mortalitatem eis obventuram. Myſticè per

 decem

decem viros intelliguntur boni, & mali, & diverſa ſors ipſorum in morte obventura: nam boni, ob bonum uſum gratiæ ipſis à Deo collatæ habebunt in promptu bonum Angelum, cujus miniſterio oſſa, & cineres in reſurrectione colligentur, & efferentur de domo ſepulchri: item propinquus amicus bonorum eſt Chriſtus, cujus auctoritate, & poteſtate reſurgent & ad Cœlum avolabunt. Malorum autem propinquus eſt diabolus, qui eos tollit ad comburendum in inferno ex Chriſti imperio. *Ser. 1. Dom. 15. Pentecoſt.*

28. *Inter petras prædicator non jacit ſemen verbi Dei.*

Numquid currere queunt in petris equi? Nota, quod hic myſticè loquitur de prædicatoribus dicens, quòd non valent currere in petris. Sed quid hoc ſignificat? per petras ſignificantur corda dura, & obſtinata in peccatis: inter has petras non valebunt currere, & fructificare; ideo ubi non eſt humor divinæ gratiæ, ibi non jaciendum eſt ſemen divini verbi. *In Luc. cap. 8. verſ. 6.*

29. *Chriſtus Jeſus fructus ventris Mariæ mel eſt juſtis: fel & amaritudo impiis.*

Convertiſtis in amaritudinem judicium, & fructum juſtitiæ in abſynthium. Quid eſt, & qualis hæc converſio judicii in amaritudinem, & juſtitiæ in abſynthium? Nota, quod dicit: convertiſtis; quia hæc converſio fit ab ipſis impiis: fructus autem juſtitiæ eſt ipſe Chriſtus, fructus ventris Mariæ, qui licet de ſe ſit optimus, & dulciſſimus, tamen per impietatem, & malignitatem peccatoris, ipſi non eſt ſuavis, & dulcis, ſed amariſſimus redditur; ſicut juſtis bonus, & ſuavis eſt, & dulciſſimus; quia qualis eris tu Deo, talis erit tibi Deus. *Op. ſpec. B. Virg. lec. 16. & 18. & ſer. 1. Dom. infra oct. Nativ.*

30. *Judex injuſtus mel juſtitiæ in fel, & abſynthium in ſui, & aliorum perniciem convertit:* unde hic dicitur: *convertiſtis in amaritudinem judicium, & fructum juſtitiæ in abſynthium. ſerm. 5. de pluri. Mart.*

CAP. VII.

31. ORATIO *facta à juſtis pro ſuo proximo Deo valdè chara:* Quod patet ex oratione facta à Prophetâ pro populo Iſraëlitico: ſic enim dicit: *& factum eſt, cum conſummaſſet* (ſcilicet locuſta) *comedere herbam terræ, dixi: Domine Deus propitius eſto obſecro, &c. miſertus eſt Dominus ſuper hoc;* ex quo patet quòd Deus exaudivit orationem ſui ſervi factam ex charitate. *Ser. 1. Dom. 10. Pentec.*

32. *Sicut in hac vitâ Deus invitat homines ad ignem ſui amoris, ſic in die judicii trahet malos ad ignem inferni.*

Hæc oſtendit mihi Dominus Deus: & ecce vocabat judicium ad ignem Dominus Deus, & devoravit abyſſum multam, & comedit ſimul partem. Quid eſt hæc vocatio Dei ad ignem: ad quem ignem? ad illum ignem inceſſanter vocat Chriſtus, quem ipſe portavit in Mundum volens, ut ardeat, & per ipſum omnem iniquitatem devoret, & poſt ignem peccati devorantem omnia bona poſtea in judicio ingratos trahat, & condemnet ad ignem infernalem. *Pſal. 118. c. 3. verſ. 12. & S. Gregor. in moral. 33. c. 6.*

33. *Menſurâ meritorum, & peccatorum completâ, Deus infligit vel pœnam, vel præmium.*

Quid tu vides Amos? & dixi: Trullam cæmentarii & dixit Dominus: ecce ego ponam trullam in medio populi mei Iſraël. Per trullam ſignificatur, ſecundùm aliquos, inſtrumentum, quo calce murus illinitur, & tali metaphorâ ideo ſignificatur Deum hùc uſque curam pervigilem habuiſſe ſuper Iſraëlem, ſed tunc offenſum, ipſum deſerere velle. Probabilius verò ſumitur pro trullâ perpendiculum plumbeum, quo utuntur fabri lapidarii, ut fabrica recta ſit, æqualis, & commenſa: & per hoc datur intelligi Deum vel per ſe, vel per Angelos merita ſingulorum, vel demerita ſub certo pondere, ac menſurâ expendere, & tunc vel præmium, vel pœnam inferre: hic autem oſtendit peccata populi Judaici ad ſummum perveniſſe; & ideo ipſi aliud non remanebat, niſi deſolatio. *Op. Eccleſ. Hier. p. 3. c. 3. ad finem.* Ex quo vides, quòd datur apud Deum certa menſura peccatorum, & bonorum meritorum, quâ completâ, ſtatim Deus infert mortem, & exinde pœnam, vel præmium.

34. *Pauperes non otiosè vivant, ſed de ſuis laboribus ſibi pro poſſe provideant; & excolentes vineam Domini, contenti ſint victu neceſſario.*

Non ſum propheta, & non ſum filius prophetæ; ſed armentarius ego ſum, vellicans ſycomoros. Vide hic primò humilitatem hujus ſancti viri, qui non prophetam ſe appellat; ſcilicet de genere prophetarum; ſed ſe pauperem paſtorem, & ruſticum demonſtrat. Secundò in his verbis dat intelligere, quòd ipſe non prophetabat ſpe lucri, & panis; ſed vili labore contentus victitabat: ut diſcant pauperes otium fugere, & laboribus ſecundùm ſtatum ſuum propriis victum ſibi parare debere, inſtruit etiam laborantes in Eccleſiâ Dei, non avaritiam, & divitias quærere, ſed victui neceſſariis eſſe contentos. *In Luc. c. 6. v. 1. & alii expoſit.*

35 *Fœmina peccatrix publica totam civitatem inficit.*

Hæc dicit Dominus: uxor tua in civitate fornicabitur. Hæc prædixit Propheta Regi Amaſiæ: quia enim ob quæſtum, & lucra populum ob fornicationem ſpiritualem, ſcilicet ad idololatriam

triam impulit, ideo juſto Dei judicio, reductus eſt in captivitatem, & ejus uxor facta eſt publica meretrix; ut videas, quod qualis es cum Deo, talis erit tibi Deus. Nota autem, quod dicit: *uxor tua in civitate fornicabitur*; quia infamis meretrix ſcandalum eſt, & ruina integræ civitatis: ſic etiam dicitur de Mariâ Magdalena, quòd erat in Civitate peccatrix. *Luc. c. 7. v. 37. & D. Hieron.*

CAP. VIII.

36. *Mors eſt uncinus, quæ ramos, & poma; ideſt omnia hominis bona attrahit, ut à Deo carpantur, & ſuis locis ſingula collocentur: ubi de comparatione vitæ humanæ, & bonorum temporalium cum pomis.*

Q*UID tu vides Amos? & dixi: uncinum pomorum, & dixit Dominus ad me: venit finis ſuper populum meum.* Ad litteram per hanc metaphoram dat Propheta intelligere, quòd populus Iſraël ad complementum menſuræ iniquitatum pervenerat, in quo Deus motus eſt ad deſolationem ultimatam ipſius populi. Myſticè per uncinum pomorum ſignificatur mors, quæ veluti uncinus, ramos, & poma, id eſt omnes hominis dotes, virtutes, & vitia, quamvis recondita attrahit, ut à Deo carpantur, & ſuis locis ſingula collocentur; ſic ſacri expoſitores. *Vide S. Bon. ſer. 1. Dom. 18. & ſer. 2. 3. & 4. Dom. 22. poſt Pentec.* Nota autem, quòd copulat uncinum cum pomis: uncinum pomorum: quia per poma intelligitur vita præſens, & bonum omne temporale: per uncinum mors: quia vita iſta temporalis immixta eſt cum morte, & omnia tranſitoria ſunt caduca, & corruptioni ſubjecta. *Ioan. colla 73. & 74. ſer. 2. Dom. infra oct. nativit. & ſer. 1. Dom. infra oct. Epiph. & in Ecclen. proœm.*

37. *Judæis quomodo occidit ſol in meridie: & peccatoribus continuè occidit talis ſol.*

Et erit in die illa: occidet ſol in meridie; & tenebreſcere faciam terram in die luminis. Quomodo. & quando occidit ſol in meridie? ſed attende primò, quòd Judæis ad litteram in ſomma proſperitate exiſtentibus accidit calamitas, & captivitas. Secundò, quando Chriſtus in cruce mortuus eſt. Tertiò animæ exiſtenti in gratiâ, & à Deo per peccatum recedenti occidit ſol, Chriſtus Jeſus, qui ab ipſa recedit; & relinquit ipſam involutam in tenebris. Quartò, quando Prælati, qui debent eſſe luminoſi, tenebroſi fiunt per malam vitam: tunc ſubditis occidit ſol in meridie, & ipſi tenebroſi fiunt: item occidit ſol in meridie, quando advenit mors improviſa homini; quando ſcilicet putabat ſe diutius victurum, & plura diſponere. *S. Bon. ſer. 13. Hexam. Op. Eccleſ. Hier. p. 4. c. 3. Luc. c. 4. v. 40. In Ecclen. c. 12. & ſer. 2. de purificat. B. Virg. in addit.*

38. *Ex Chriſti præſentiâ omnis conſolatio venit: ex ipſius abſentiâ omnis deſolatio.*

Et convertam feſtivitates veſtras in luctum &c. & noviſſima ejus &c. Ad litteram verificata ſunt in populo Judaico, qui ad omnes iſtas miſerias redactus eſt in captivitate babilonica &c. ſed myſticè hæc verificantur de anima, cui ob peccatum mortale occidit ſol, ſcilicet Chriſtus: ſicut enim ex ejus præſentia venit animæ omnis conſolatio, & bonum, ſic ex ejus abſentia omne malum, & deſolatio. *Luc. cap. 5. verſ. 35. & ſer. 2. d. Virg. in addit.*

39. *Maximum Dei flagellum eſt privatio Prædicatoris, & prædicationis.*

Mittam famem in terram &c. Ecce quale flagellum minatur Deus Populo Iſraelis: nempe non ſolùm captivitatem futuram; ſed ad majorem pœnam prædicit privationem Prophetarum, & prædicatorum, à quibus audire poſſint verbum Dei, & ſic ſatiare animæ famem, & ſitim: & hoc Dei judicio, quia & ipſi contempſerunt Prophetas, eoſque perſecuti ſunt: ut videas quale flagellum horribile eſt, quod Populi famem, & ſitim habeant audiendi verbum Dei, & tamen non adſit qui frangat eis panem, & aquam talem propinet. Et hinc dicebat. *S. Greg. l. 30. mor. c. 35. ſæpe doctoris verbum pro gratiâ tribuitur auditoris; & ſæpe propter culpam auditoris ſubtrahitur ſermo doctori. Luc. c. 13. v. 14. & In Ioan. collat. 38.*

40. *Ex defectu prædicationis verbi Dei virtutes, maximeque pudicitia perit.*

In die illa deficient virgines pulchræ, & adoleſcentes in ſiti. Ecce effectus deficientiæ prædicationis verbi Dei: deficient virgines; ſcilicet in eis excitabitur ſitis voluptatum carnalium; & abjicient ſpem virginalis pudicitiæ. *Pſal. 118. c. 6. v. 1.* Addit hic S. Hieron. Ex hoc intelligimus, quod quando doctrina non fuerit in Eccleſiâ tunc perit pudicitia, caſtitas moritur, & abſcedunt omnes virtutes: ô infelix Eccleſia, Populus, & anima, carens prædicatione verbi Dei. Addit poſtea ſacer textus, quòd: *deficient virgines, & adoleſcentes &c. cadent, & non reſurgent ultra*; ut videas, quod amiſſa dignitate virginitatis, impoſſibile eſt ipſam eandem recuperari. *l. 4. d. 15 p. 2. dub. 10.*

CAP. IX.

41. *Avaritia omnia pervertit, & infinita mala cauſat.*

V*IDI Dominum ſtantem ſuper Altare &c. percute cardinem &c.* In hoc textu innuuntur innumera mala ab avaritiâ cauſata: dicit enim, quòd avaritia exiſtens in capite omnium; eſt cauſa, quod cardines, & ſuperliminaria templi commoveantur, quod explicatur multipliciter: & primò pro capite omnium intelligun-

tur

tur Prælati, & majores, qui cum ſe immergunt in luto avaritiæ, in cauſa ſunt ruinæ ſubditorum, & prophanationis rerum ſpiritualium: ſecundò avaritia in capite, ſignificat, quòd avarus pervertit omnem ordinem naturæ: hæc enim nobis dedit terram ad conculcandum, & caput erectum ad Cœlum ad contemplandum cæleſtia; & avarus ſuper caput ponit terram, & terrena; & ſub pedibus cæleſtia, & animam propriam; ergo avarus contra naturam peccat. O vanitas vanitatum, ô perverſio naturarum, ô confuſio humana. Et hinc mirum non eſt, quòd Deus ob peccatum tot flagella immittat. *Ser.2. in converſ. S. Pauli. Ser.1. de Apoſt. ſerm.1. de SS.Innoc. in addit.*

42. *Propter peccata punienda, Deus immittit ſerpentes, & vermes nobis nocentes.*

Et mandabo ſerpenti, & mordebit eos Hoc prædicit Propheta, ut Iſraëlitæ, & nos cum ipſis intelligeremus, quòd ſi aliquando ſerpentes infeſtant populos, & vermes ſegetes, hoc eſt ut percipiamus Dei poteſtatem, & quàm exoſum ſit ipſi peccatum. *Pſal.118.r.1.v.4.*

43 *Memoria, & meditatio paſſionis Chriſti confert victoriam inimicorum, & ad gloriam diſponit.*

Qui ædificat in cælo aſcenſionem ſuam, & faſciculum ſuum ſuper terram fundavit. Quis eſt iſte faſciculus ſuper terram à Deo fundatus? ſed attende ad myſterium: nam in iſtis verbis docet qualiter Chriſtus ad ſui gloriam, & exaltationem aſcenderit: nempe primò fundando in terrâ faſciculum, ſcilicet paſſionis ſuæ: ſic enim oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam: & propter ſuam paſſionem, Deus exaltavit eum: docetque nos, quòd per memoriam, & meditationem, imitationemque ſuæ paſſionis, tranſibimus cum ipſo Chriſto ad triumphandum de inimicis, & promerendam, & acquirendam gloriam. *Pſal.118.r.10.v.8. Vide quæ dicuntur à S. Doct. in op. paſſio Chriſti collecta ad modum faſciculorum per totum.* Nota etiam, quòd Chaldæus legit *& faſciculum ſuum ſuper terram fundavit*, legit inquam: *& Eccleſiam ſuam in terra decoravit*; unde pro faſciculo intelligitur etiam Eccleſia, & congregatio fidelium, quos faſciculo legis, & providentiæ ſuæ fortiter colligatos, in terra fundavit, & formavit. *ſic Dion. Cart. Vgo. &c.* Alii per faſciculum intelligunt ſanctos, & electos colligatos vinculo charitatis in terra, & prædeſtinationis in mente Dei. *Sic S. Hieron.*

44. *Omnipotentia Dei relucet maximè in eo, quod ex mari elevat aquas per vaporum exhalationem, &* eas effundit per reſolutionem in terrâ, ipſam fœcundando: unde in tempore ſiccitatis, ad ipſum recurrendum eſt: dicit autem hic Propheta: *qui vocat aquas maris, & effundit eas ſuper faciem terræ, Dominus nomen ejus*: ſcilicet quia ipſe eſt Dominus, Cœli, & terræ. *Pſal.118.r.1.v.12.*

45. *Deus ſuos electos concutit, & cribrat tribulatione, ut eos expurget ab omni ſcoria. Diabolus è contra idem facit ut eos inficiat.*

Concutiam in omnibus gentibus domum Iſraël, ſicut concutitur triticum in cribro, & non cadet lapillus ſuper terram. Nota pulchram metaphoram, qua exprimitur finis Dei, quando tribulationes immittit hominibus: nihil enim aliud intendit, niſi ut eos expurget à pulvere vitiorum; & ſicut in cribro pulvis cadit, & granum, ac lapilli ſolidi; id eſt grani duri ad inſtar lapidis, remanent ita & juſti purgantur a Deo concuſſionibus, ut purgati collocentur in Cœlo: E contra qui ſunt pulvis, & ſtercus, ad terram projiciuntur, & à diabolo concutiuntur ad ipſorum damnationem. *In Luc.c.22.v.31.*

46. *Fundatio Eccleſiæ & Chriſti reſurrectio prædicta a Prophetâ.*

In die illa ſuſcitabo tabernaculum David, quod cecidit, & reædificabo aperturas murorum ejus; & ea quæ corruerant inſtaurabo. Nota, quod hic apertè prædixit Propheta adventum Chriſti in carne, *ut etiam notavit S. Jacobus Act.c.15.v.16.* fundationem Eccleſiæ catholicæ, & reſurrectionem corporis Chriſti à Judæis per varias rupturas, & vulnera occiſi. Tunc enim inſtaurare cœpit Eccleſiam multitudine gentium, in Chriſtum credentium. *Op.Comp.Theol.l.4 c.23. & communiter cæteri expoſitores.* Subdit poſtea ſacer textus felicitatem Eccleſiæ, dicens: ecce dies veniunt & comprehendet arator meſſorem, & calcator uvæ mittentem ſemen: & ſtillabunt montes dulcedinem, & omnes colles culti erunt; dans per hoc intelligere miniſteria Apoſtolorum, & aliorum miniſtrorum Eccleſiæ continua: influxus cæleſtes ſuper converſos ad fidem, ſubdit: & plantabo eos ſuper humum: ſcilicet quia Eccleſia erit hortus, & Paradiſus Domini, conſitus, & repletus arboribus fructiferis, ſcilicet ſanctis. *Sic SS. Expoſitores.*

Explicit poſtilla S. Bonav. ſuper Amos ad gloriam Dei omnipotentis.

EXPO

EXPOSITIO SERAPHICI DOCTORIS
S. BONAVENTURÆ
IN
ABDIAM PROPHETAM.

PROLOGUS.

PRIMO Nota, quòd Abdias ſecundùm veriorem opinionem fuit coævus Oſeæ, Joëlis, Amos, & Micheæ Prophetarum, & ſub tempore Jeremiæ, prophetavit. Interpretatur autem Abdias ſervus Dei, ideo figurat Chriſtum, qui formam ſervi induit. Omnium prophetarum eſt breviſſimus numero verborum, ſed gratiâ myſteriorum æqualis. Litteraliter propheriam ſuam adverſus Idumæam dirigit. Allegoricè contra Mundum: tropologicè contra carnem ſtylum ſuum acuit: ſalvatoris typum gerens, ipſius adventum ſubtiliter introducit, per quem mundus deſtruitur, per quem caro atteritur, & per quem libertas redditur. *Sic Vgo de S. Vict. & S. Hieron.*

CAPUT UNICUM.

1. *Chriſtus, & ejus miniſtri, veluti legati à Deo miſſi ad convertendum homines ad fidem, & ad pænitentiam; & ad excitandum eos ad bellum.*

HÆC *dicit Dominus Deus ad Edom: auditum audivimus à Domino, & legatum ad gentes miſit: ſurgite, & conſurgamus adverſus eum ad prælium.* Ad litteram deſcribit propheta miſſionem factam à Deo Regis Nabuchodonoſor contra Idumæos, ut ipſos captivaret, & debellaret. Sed myſticè Chriſtus eſt iſte legatus miſſus à Patre in Mundum; ut ipſe primò per ſe & poſtea per ſuos miniſtros tamquam legatos ſecundarios, debellaret Mundum, carnem, & diabolum, ſignificatos in Edom, & homines converteret ad fidem, & ad pœnitentiam, & excitaret ad bellandum contra iſtos hoſtes: ut videas quo honore recipiendus, & audiendus eſt Prædicator, & Prælatus ad te à Deo miſſus, ut mediator ſit cum ipſo Deo ad reconciliationem, & amicitiam renovandam. *In Luc. c. 1. v. 79. & in Ioan. collat. 3.*

2. *Deus ſuperbos deprimit & humiles exaltat.*

Superbia cordis tui extulit habitantem in petrarum ſciſſuris, & exaltantem ſolium ſuum &c. ſi exaltatus fueris ut aquila &c. Hæc dixit Propheta in perſona Dei ad Idumæos, qui habitantes in montibus, & inter petrarum ſciſſuras, cum eſſent numero pauci, agreſtes, & inopes, ſe extulerunt in ſuperbiam putantes ſe invictos, & inſuperabiles: Ideo Deus tales ſuperbos, & ipſorum ſuperbiam compreſſit, permittens eos duci in captivitatem Babiloniorum quæ verba diriguntur magis ad nos, ut apprehendamus, quòd Deus deprimit ſuperbos, diligit autem & exaltat humiles. *Luc. c. 9. v. 38. c. 10. v. 15. c. 14. v. 11. c. 18. v. 14. Op. medit. cap. 35. & Eccleſ. Hier. p. 4. cap. 4. ſer. 2. de S. Ant. ſer. 2. de S. Ioan. Evang.*

3. Chriſtus ſe humiliavit ſuper omnes homines; ut perderet, & dejiceret ſapientiam mundi, quæ eſt diabolica, terrena, nefaria, & animalis: ſic dicitur hic à Prophetâ: *Numquid non in die illa, dicit Dominus, perdam ſapientes de Idumea, & prudentiam de monte Eſau?* & optimè, nam ſapientes, & prudentes ſecundùm carnem ſunt ſequaces Eſau, non Jacob, ſcilicet Chriſti. *Op. medit. c. 35. ſer. 2. Hexam.*

4. *Qualis fueris cum proximo, talis erit tibi Deus.*

Hoc expreſsè docet ſacer textus dicens: *quoniam juxta eſt dies Domini ſuper omnes gentes: ſicut feciſti, fiet tibi: retributionem tuam convertet in caput tuum:* nempe quia Idumæi perſecuti ſunt populum Dei, ideo Deus immiſit in eos regem Babiloniæ ut ipſos diſperderet. Cave igitur ne proximum tuum lædas; quia Deus tibi eaſdem vices reddet, & pœnam talionis ſolves.

5. Chriſtus ad ſalutem mundi ſalvator venit, & alios ſalvatores, ſcilicet Apoſtolos, & miniſtros, ut mundum converterent ad fidem, & ſalvarent homines miſit: unde dicit hic v. 21. *Et aſcendent ſalvatores in montem ſion; ſcilicet in Eccleſiam, judicare montem Eſau, & erit Domino regnum.*

EXPOSITIO SERAPHICI DOCTORIS
S. BONAVENTURÆ
IN
JONAM PROPHETAM.
PROLOGUS.

PRIMO Nota, quòd Jonas fuit Propheta Sanctus; & prophetavit tempore ſupradictorum Prophetarum: fuitque miſſus ad gentes, atque à cete abſorptus, & tertio die reſtitutus: expreſſus fuit typus Chriſti, gentes vocantis, patientis, & reſurgentis, ut patet *Matth.c.12.*

CAPUT PRIMUM.

1. *Deus in ſuis operibus ſe oſtendit Deum' non ſolùm Populi Chriſtiani, ſed & omnium gentium perditarum; eorumque curam, & providentiam habere.*

ET *factum eſt verbum Domini ad Ionam. &c. ſurge, & vade in Ninive Civitatem grandem, & prædica in ea: quia aſcendit malitia ejus coram me.* Ex hac diſpoſitione Domini patet quòd non ſit Judæorum Deus tantùm, ſed & gentium; non tantùm Chriſtianorum, ſed & omnium infidelium; & quòd non ſit perſonarum reſpectus apud ipſum: dicens autem: *Surge, & vade*, notat celeritatem, quam prophetæ præcepit, nolens mortem peccatoris; ſed cupiens ſalutem peccatorum. *Sic Gloſſa.*

2. *Quò major eſt miſeria hominis peccatoris, eò apparet glorioſior Dei pietas & promptior.*

Et prædica in ea: quia aſcendit malitia ejus coram me. Sed quale motivum eſt hoc? ergo, quia malitia Ninivitarum aſcenderat ad ſummum, ideo Deus ipſis providit remedium, & medium exhibet, ut eripiantur à tali profunditate? Sed hoc non eſt mirum: hoc enim eſt proprium divinæ pietatis, quæ magis extollitur, & copioſior apparet, quò profundior eſt miſeria, in quam lapſus eſt homo peccando: ideo quia malitia Ninivæ aſcendit ad aures Dei; malitia inquam involuens omnia ſcelerum genera; hinc ad miſericordiam motus Deus, miſit Prophetam ad prædicandam pœnitentiam, & ad evocandum illos peccatores ad ſalutem. O magna ô ineffabilis pietas Dei noſtri. Et hinc inferunt Theologi, quòd remedium redemptionis tunc ſolùm allatum eſt à Verbo, quando infirmitas hominis redacta erat ad extremam indigentiam: in his caſibus enim vult, ut à nobis agnoſcatur noſtra impotentia; miſeria, indigentia, & ignorantia, & divina pietas ſuccurrens. *l.3.d.1. dub.1.& a.2.q.4.op.Comp.Theol.l.4 c.5.& Brevil. p.4.c.4.*

3. *Peccata ſunt voces inſonantes, & invocantes in auribus Dei vindictam.*

Aſcendit malitia ejus coram me. Quid eſt aſcendit coram me? quomodo malitia aſcendit coram Deo? Sed nota, quòd hic eſt modus uſitatus S. Scripturæ deſcribentis aliquod graviſſimum ſcelus hominis; ſicut & legitur, *Gen.c.18. clamor ſodomorum, &c. & Gen c.7. Vox ſanguinis, &c.* Per quod datur intelligi, quòd talia, tantaque crimina patraverant Ninivitæ, ut uſque ad Cœlum ipſorum magnitudo pervenerit: & ideo peccata noſtra ad aures Dei inſonant, veluti voces horribiles, ac vindictam invocant adverſus nos. *Pſal.140.*

4. *Qui vult evadere iram Dei, non in Tharſis fugiat, ſed ad deſertum pœnitentiæ.*

Et ſurrexit Ionas, ut fugeret in Tharſis à facie Domini. Cur in Tharſis fugit Propheta? & quomodo prætendit fugere à facie Dei, cum ſit ubique? Nota, ad litteram, ut dicit Gloſſa; quòd fugit Propheta, ſciens quidem Deum eſſe ubique; ſed tamen nolebat relinquere Judæam, quia ſciebat ibi ſolùm manifeſtum eſſe: fugere autem voluit, tum quia timuit æſtimandum eſſe mendacem ſciens, quòd Deus, quando punire vult, non præſignificat ultionem, & cum ipſam præoſtendit, tunc invitat ad pœnitentiam, timuit item, quòd ſi illi Gentiles ad pœnitentiam converterentur, tunc Deus deſerturus eſſet Judæam. Myſticè autem dat nobis intelligere, quòd volens quis fugere iram à Deo comminatam, debet fugere, non in Tharſis: Tharſis enim interpretatur exploratio gaudii: id eſt non debet ad locum gaudii, & lætitiæ ſed ad deſertum pœnitentiæ ſecedere, per quam ſolam evitatur rigor ultionis divinæ. *Luc.c.3.v.7.*

5. *Fugiens à facie Domini , in pericula graviſſima incidit.*

Dominus autem miſit ventum magnum in mare, & facta eſt tempeſtas in mari, & navis periclitabatur conteri. Vide , quod cum prius eſſet in mari tranquillitas magna , ſtatim ac recipitur in navi fugiens à Deo , & inobediens , ſurgit tempeſtas periculoſiſſima : ut intelligamus, quod qui ſe ſeparat à Deo , qui à Deo fugit , ſtatim in pericula cadit : ergo Deum non deſeramus, ſi nolumus periclitare. *Luc. c.8. v.23.*

6. *Peccatum primo in triſtitiam, deinde in ſomnolentiam inducit.*

Et Ionas deſcendit ad interiora navis, & dormiebat ſopore gravi : &c. Cur Jonas in interiora navis ſtatim deſcendit ? & quomodo ſtatim occupatus eſt à ſomnolentiâ? Sed attende ad myſterium: deſcendit iſte ad interiora navis ex magnâ triſtitiâ, & mœſtitiâ afflictus ; & hinc præ triſtitiâ in ſomnolentiam incidit. Vide igitur ex hoc , quàm ſit verum axioma Theologorum, quòd peccatum ſui eſt pœna , & quod pœnam ſibi inſeparabiliter conjunctam habet : Unde primò in triſtitiam cor attrahit peccantis: hinc mirum non eſt, ſi ſæpe aſpectum aliorum, imò & ſui ipſius fugiat, ne pateat cauſa tempeſtatis cordis; latebras quærens, nec valens ferre aculeos ſuarum cogitationum : & hinc poſtea ſequitur ſomnolentia in peccato verè periculoſiſſima, niſi adſit Deus excitans ad vigiliam, & ad pœnitentiam. O infelix fuga, & ſomnum periculoſiſſimum peccatoris. *Luc. c.22. v.46. & Gloſſa, & l.2. d.5. a.2. q.2. & d.35. a.1. q.2. & l.4. d.46. a.2. q.4. ad 1.*

7. *Vita iſta temporalis navis ſubjecta tempeſtatibus.*

Et facta eſt tempeſtas magna in mari , & navis periclitabatur conteri. Vide quàm periculoſum eſt ſe ſubmittere navi exiſtenti in mari : nam hæc navis eſt vita præſens , verè navis magna portans fluctuationes ; procellis , & tempeſtatibus ſubjacens, cavens naufragium , ſuſpirans in portum. O quàm miſera navis eſt, & maximè ſi ſine Deo ductore eſt. *In Ioan. c.6. v.21.*

8. *Dormitio in peccato quam periculoſa.*

Quid tu ſopore deprimeris? ſurge, & invoca Deum tuum. Ex hac dormitione Jonæ, diſcere debemus quàm periculoſa ſit dormitio in peccato; nam propter dormitionem invenimus Jonam periclitatum in mari ; Tobiam excæcatum *cap.* 2. Siſaram *Iudic. c.4.* & Isboſeth jugulatos *2. Reg c.4.* Ex quibus intelligere debemus, quòd dormientes in peccatis, tempeſtate tribulationis periclitantur temporaliter. Surge ergo peccator, ne in hæc pericula incidas : ſurge, & invoca Deum tuum : ſurge, & recurre ad orationem. *Sermon. 5. Dom. 1. Adven.*

9. *Oratio , & clamor ad Deum eſt unicum remedium in tempore tribulationum.*

Et timuerunt nautæ , & clamaverunt viri ad Deum ſuum , &c. Vide quàm ſit verum proverbium commune. *Qui neſcit orare , aſcendat mare.* Vide etiam quomodo iſti gentiles ducti ſolo lumine naturali, in periculis tantis exiſtentes, ad divinam providentiam confugerunt; & Jonæ præceperunt , ut ad orationem ad Deum confugeret: & per hæc nobis à Deo inſinuatur exiſtentibus in mari fluctuabundo hujus mundi , & tot periculis expoſitis quòd potiſſimum, & ſecurum remedium eſt ad orationem recurrere; Deumque in oratione invocare, & ad ipſum corde, ore, & opere clamare : & quia ſemper vivimus inter pericula , ideo ſemper orandum, ac ſi continuè ſubmergi timeremus, dicendo : *Domine ſalva nos perimus. Serm. 2. Dom. 2. quadrag.*

10. *Deo valde placet, ut homo recurrat ad proximum pro auxilio impetrando , & maximè, ut orationibus adjuvetur.*

Surge, & invoca Deum tuum. Nota , quòd iſti nautæ non ſunt contenti in tanta tempeſtate clamare per ſeipſos ad Deum ; ſed etiam recurrunt ad Jonam , ut & ipſe pro iis oret ; & clamet ad Deum : nam naturale eſt homini in tribulatione poſito magis in aliorum orationibus & ſuffragiis, quàm in propriis confidere : & hoc Deo valdè eſt charum , per hoc enim exercetur charitas, humilitaſque. *l.1. d.1. dub.9.*

11. *Peccatum, & maximè inobedientia, cauſa omnium malorum, & ideo projicienda in mari pœnitentiæ.*

Tollite me; & projicite me in mare, &c. Vide in quot pericula , & afflictiones iſti nautæ inciderunt, & quomodo non potuerunt ab ipſis eripi, niſi poſtquam projectus eſt Jonas in mare : ut videamus quale malum ſit inobedientia; & quomodo ex inobedientiâ totus mundus cecidit ab innocentia in tot mala, ſic & in Jona evenit: quia hæc eſt origo omnium malorum, & peccatorum. *Ser. 3. Dom. 3. poſt oct. Epipha.* Nota etiam cum Gloſſa, quòd numquam ceſſavit tempeſtas, niſi poſt exonerationem navis , & poſtquam projectus eſt Ionas à Deo fugiens in mari: ut videas , quod ſi vis eripi à tempeſtatibus te torquentibus , prius exonerare debes navem conſcientiæ tuæ , & projicere peccatum in mare pœnitentiæ : eſt enim onus graviſſimum peccatum , & cauſa omnium malorum. *L.4. d.44. p.2. art.1. quæſt.2. ad 1. Luc. c.7. verſ. 23. ſap. cap. 1. in fine. ſermon. 2. fer. 3. Paſchæ.*

12. *Iuſti ne lex Dei præjudicium patiatur , etiam contra ſeipſos ſententiam ferunt* ; ut patet in Jonâ, qui videns propter inobedientiam cauſam tanti mali, contra ſeipſum dedit ſententiam, dicens: *tollite me, & mittite in mare, & ceſſabit mare.* Et hæc ſententia eſt ſecundùm lumen legis naturalis: licet prima facie videatur oppoſitum ; quare ſic poteſt argui : quod tibi vis , alteri feceris : quod

tibi non vis, alteri non feceris,: ſi hoc eſt verum, ergo ſequitur,tu non vis ſuſpendi, ergo latronem non debes ſuſpendere, ergo malè contra ſe Jonas tulit ſententiam: ſed negatur antecedens & conſequentia: nam pro bono publico, debet quis ſe ſubjicere pœnæ · unde qui Deum diligit, qui zelum Dei,ejuſque legis habet,etiam contra ſe ſententiam fert,ut fecit Jonas,*Ser.5.Hexam.* Ex quibus patet, *ait S.Hieron.* Magnanima charitas Jonæ,& pœnitentia,qua,ut Deo offenſo ſatisfaciat, ipſe ſolus perire cupit.

13. *Chriſtus figuratus in Ionâ voluntariè ſe præcipitari fecit pro ſalute aliorum.*

Mittite me in mare,& ceſſabit, &c. Nota,quòd hæc fuit expreſſa figura Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui in mari hujus Mundi ſe præcipitari fecit, & abſorberi à Cete, ſcilicet à morte voluit, ut nos, qui continuè vivimus in periculo totalis ſubmerſionis, ab ipſa liberaremur. *Sermon.3. Dom.9. poſt Paſcha.ſerm.1. in cœna Dom. ſerm.2. Paraſc.*

CAP. II.

14. *Chriſtus in ventre ceti continente Jonam figuratus.*

ET præparavit Dominus piſcem grandem, ut deglutiret Ionam? & erat Ionas in ventre piſcis tribus diebus, & tribus noctibus. Ecce Satelles vindictæ divinæ æquè ac clementiæ præſto adfuit juxta navim; ſic ordinante Deo, nempè piſcis grandis, qui Ionam exciperet, & devoraret, ut vindex, & ſervaret, ut cuſtos. Qui piſcis, Cete fuit: Jonas autem figura fuit Jeſu Chriſti Domini noſtri, qui in afflictionibus noſtris, peccatis debitis, & morte fuit abſorptus, & devoratus, & in ventre ſepulchri abſconditus per triduum; & inde reſurgens, gentibus pœnitentiam, & ſalutis evangelium prædicavit per Apoſtolos; & tunc tentationes diaboli, & procellæ voluptatum maris, ideſt ſæculi hujus, proſtratæ ſunt: pax, & tranquillitas corporibus, & animis fidelibus reddita eſt. *Sic S. Bonav.locis ſupra citat.& ſer.3. in Paſcha,& Theophil. aliique Patres.*

15. *Oratio in tempore tribulationis eſt optimus nuncius ad obtinendum remedium, redditque quemcumque locum, etiam fætidum, & impurum domum ſanctam Dei.*

Oravit Ionas ad Dominum Deum de ventre piſcis. Vide effectus mirabiles orationis, in cujus virtute tot prodigia in hoc facto operata ſunt à Deo. Notant autem hic Sacri expoſitores plura miracula hinc facta: Et primò, quòd venter piſcis calidiſſimus Jonam non conſumpſit, nec in chilum convertit: Secundò, quòd Jonas ibidem vivere, & reſpirare, ac frigidum aërem attrahere potuerit: Tertiò, quòd odor ventris Ceti olidiſſimus, & intolerabilis Jonam non exanimaverit, imò potiùs ipſum commodè tulerit: Quartò, quòd in hoc anguſtiſſimo carcere,& animæ,& mentis compos fuerit, ſpirituque Dei afflatus,inſigne, & pium carmen Deo cecinerit; & ob id etiam figura Ieſu Chriſti,qui in ventre Matris, negotium ſalutis noſtræ egerit. *Sic S. Hieron.aliique DD.* Hic autem præcipuè diſcere debemus, quòd oratio ad Deum eſt optimus & ſecurus nuncius pro obtinendo remedio in tribulationis tempore: & quòd quemcumque locum,etiam fœtidiſſimum, & per ſe impurum, in domum venerabilem conſtituat. *Luc.c.14. verſ.11. cap.18. v.10.Ioan.c.4.n.23.Pſal.118.c.4.v.6. S.Hier.S.Gregor.Nyſſen.aliique S.S.Patres.*

16. *Alii clamant de profundo in bonum, alii in malum ad Dominum.*

Clamavi de tribulatione mea ad Dominum: ideſt de profundo ventre Ceti, &c. Nota illud verbum, *de tribulatione*, ſcilicet de profundo maris, & ventris piſcis: per quod denotatur multiplex clamor peccatorum de profundo maris; in bonum, & in malum: In malum clamant malè peccatores perſeverantes in peccatis;quia peccatum eſt clamor invocans à Deo vindictam: clamant & damnati de profundo inferni, ſed ſine fructu,& remedio:clamant & peccatores de profundo peccati ad Deum, ut liberentur de tantâ miſeriâ, clama ergo, ô Peccator de tanto profundo,ſcilicet de ventre diaboli,& de ſtatu infernali, orando,pœnitendoque,qui tanto tempore clamaſti malè vivendo, ut exaudiat te, infernum obſerando,*Ser.2.& 3.Dom.2.quadrag.Luc.c.14.v.32. Pſal.*118.*c.*2.*v.*10. Clamet peccator,*ait S.Greg.in Pſal.pœnit.6.* quem à Deo recedentem cupiditatum tempeſtas contrivit, quem malignus beſtia abſorbuit, quem præſentis ſæculi fluctus involuit, cognoſcat ſe eſſe in profundo, ut ad Deum ſua perveniat oratio.

17. *Chriſtus in incarnatione projectus eſt in profundum maris, & fluminis, ſcilicet humilitatis, & charitatis.*

Projeciſti me in profundum in corde maris, & flumen circumdedit me. Nota ad litteram, quòd cum Jonas projectus fuerit in mare, dicit, quòd flumen circumdedit eum; ſcilicet in fluctus maris, qui veluti flumen circumdederunt eum. Myſticè Jonas eſt Chriſtus, ut jam dictum eſt, qui in incarnatione poterat dicere Patri: projeciſti me in profundum in corde maris, & flumen circumdedit me: ſed quomodo copulat cor, & profundum maris cum curſu fluminis: Item, & aquam amaram maris cum aqua dulci fluminis? non enim ſe ſimul compatiuntur: flumen enim intrans in mare, non decurrit in medio, ſed ibi ſuam dulcedinem convertit in amaritudinem? ſed attende ad utrumque. In corde, & profundo maris projectus eſt Chriſtus,quia ejus humiliatio, & paſſio mari comparatur,propter amaritudinem;& flumini

flumini propter charitatis dulcedinem : quia dulciſſimum cor Jeſu Chriſti, tantâ circa nos afficiebatur teneritudine amoris, ut non videretur ei grave pro nobis ſuſtinere extremum, & acerbiſſimum genus mortis : & hinc ſua paſſione nos redemit, & ſua charitate, donis, & virtutibus, & præceptis informavit. *In lib. 1. ſent. in prol.*

18. *Iuſti de corde maris cum Chriſto eripiuntur : mali ſuffocantur, id eſt in inferno.*

Projeciſti me in profundum maris, &c. Nota, quod ut dictum eſt, hoc verificatum eſt de Chriſto, qui in corde maris, ſcilicet in inferno deſcendit, & ex ipſo aſcendit ad Cœlum, ducens ſecum electos, & ſanctos; non verò damnatos, qui cum in terra viverent, terræ amatores, & terram glutientes per avaritiam, tandem in corde terræ, id eſt in inferno, qui eſt in medio terræ, glutiuntur, & in ventre Ceti abſorbentur. *Ser. 3. in Paſcha.*

19. *Ionas figura eſt juſtorum, qui in mari hujus vitæ anguſtiis circundati ſunt.*

Circumdederunt me aquæ uſque ad animam, abyſſus vallavit me, pelagus operuit caput meum. Jonas figura fuit juſtorum, qui enavigantes hanc tempeſtuoſam vitam, veluti mare, circumquaque circundati ſunt aquis miſeriarum, tribulationum, & tentationum : ſed tamen, auxiliante Deo, in navi pœnitentiæ liberi à morte ſervantur. *ſer. 3. Dom. 9. Pentec.* & nota, quod per aquas vagas ſignificantur cogitationes vanæ : per abyſſum obſcuram, cogitationes impuræ : & tunc animam aqua circundat, cum vanæ cogitationes inundant : tunc abyſſus vallat cum impura cogitatio, ſe admiſcens, cogitantem titillat : ſed Juſtus ab his liberatur, perſiſtens in navi pœnitentiæ, *ibid. & Pſal. 118. ſ. 6. v. 8.*

20. *Reſurrectio Chriſti prænunciata in liberatione Jonæ è ventre ceti : item & figura fuit reſurrectionis ſpiritualis peccatoris.*

Et dixit Dominus piſci; id eſt præcepit, &c. & evomuit Ionam in aridam. Ecce aliud prodigium grande; nam Deus fecit, ut Jonas ita gravaret, impediretque reſpirationem piſcis, ut coëgerit evomere, & projicere Jonam in terram : Et hoc fuit figura reſurrectionis Chriſti, & conſequenter omnium hominum : nam Chriſtus poſt triduum in aridam, ſcilicet in ſoliditatem immortalitatis, ſuſcitatus eſt, & relicto mari mortalis vitæ, & fluctuantis ſæculi, de ventre inferni exivit. Fuit item figura reſurrectionis ſpiritualis peccatoris, quando de naufragio peccati, venit ad aridam ſalutis. *Ser. 2. Dom. infra oct. Nativit. Op. Comp. Theol. l. 4. cap. 23. in Luc. cap. 11. v. 29. in Ioan. c. 2. verſ. 22.*

CAP. III.

21. *Sicut Ionas ad Niniven, ſic Chriſtus ad Mundum miſſus eſt prædicare pœnitentiam.*

ET factum eſt verbum Domini ad Ionam ſecundò, dicens : ſurge, & vade, &c. Ad litteram Jonas, projectus ab ore ceti ad terram; & hoc vel in locum vicinum civitati Ninive, ut volunt plures Doctores; vel prope Ieruſalem, ut alii ſentiunt, denuo præceptum habuit à Deo adeundi ad prædicandam pœnitentiam civitati ſupradictæ : per quod patet, quod prædicatione nunquam deſtitutus eſt Mundus; eſt enim opus ſumme charum Deo, & utilius, ſublimiuſque cæteris operibus pietatis, etiam ipſa oratione; ideo ipſis anteponenda. *In Luc. c. 9. v. 60. op. Diet. ſal. in prol. & apol. paup. reſp. 4. cap. 1. & quare fratres min. prædicent. & in legenda S. Fran. c. 12.* Hinc eſt, quod prædicationem ordinavit Jonæ ad convertendam Niniven, ut eſſet figura Jeſu Chriſti, qui venit ad Niniven hujus Mundi, ut ipſam per ſe ipſum in hac vitâ mortali exerceret; & poſt reſurrectionem per Apoſtolos, alioſque Miniſtros ſuos. *Ser. 3. in Paſcha. op. legenda S. Fran. c. 12.*

22. *Prædicatio Ionæ : adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur, expenditur, & ad mores trahitur : ubi de jejunio quadrageſimali.*

Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur : Nota, quod hæc eſt ſumma prædicationis Jonæ à Deo inſtitutæ : hicque ſeptuaginta legunt : adhuc tres dies, & Ninive ſubvertetur : ſuper quam proponuntur à SS. DD. varia dubia : & primò, cum tres dies exigerentur ad peragrandam totam civitatem, tam grandem, quomodo dicitur : *& cœpit Ionas introire in Civitatem itinere diei unius, & clamavit, & dixit : adhuc quadraginta dies, &c.* ſecundò, ſi noſter textus dicit : *adhuc quadraginta dies*, quomodo ſeptuaginta vertunt, *tres dies*, cum maximum ſit diſcrimen inter hos numeros? Tertiò, cur quadraginta dies, & non quinquaginta? ſed ad primum reſpondetur, quòd Civitas tam grandis erat, quòd per ſe exigebat iter trium dierum; ſed Jonas in prima die unam partem civitatis peragravit, prædicando, & intimando excidium civitatis: & cum maximum timorem invexerit in auditoribus, ſtatim hæc intimatio ſe extendit per reliquas partes civitatis, *ſic S. Hieron.* ad ſecundum reſpondet S. Auguſt. quod uterque textus perſiſtit : nam intimatio facta à Jona, fuit quadraginta dierum; ſed tamen pœnitentia completa eſt in triduo; & hoc ad indicandum myſterium de Chriſto, qui in die tertio reſurrexit, & poſt reſurrectionem, quadraginta dies manſit cum diſcipulis uſque ad aſcenſionem; ut pateret myſterium, nempe quod idem Chriſtus & per quadraginta dies, ac per tres dies pœnitentiales invenitur. *Vid. S. Au-*

Digitized by Google

guſt.l.18.de civit.c.44. Unde tertiò reſpondetur, quòd numerus ternarius ſignificat tres partes pœnitentiæ, & ſimiliter quadragenarius eſt numerus pœnitentialis, ſignificans obſervantiam decem mandatorum Dei, & decimam temporis, quæ Deo ſacranda à nobis eſt: de quo diſſerit fusè *S. Aug.l.2.de doct.chriſt.c.16.* Et hinc Eccleſia quadrageſimæ jejunium, & pœnitentiam inſtituit, ad conſequendam veniam peccatorum, ad gratiam acquirendam, ad obtinendam victoriam de inimicis, & ad promerendam gloriam. *Ser.4.Dom.1.quadrag.* Et hinc S. Gregor. ad reprimendam peſtem, quæ Romæ graſſabatur, ſupplicationem inſtituit 40. dierum: ſic & S. Petrus Martyr incipiebat ſuam prædicationem his verbis: *adhuc 40. dies & Ninive ſubvertetur*, ut diſcant prædicatores, qualiter excitare debeant comminationibus populos ad pœnitentiam exemplo Chriſti. *Luc.c. 10. v.7. c.13.v.33. Ioan.cap.5. verſ.9.*

23. *Qualiter verificata fuerit prædictio Ionæ Prophetæ: ubi de mutatione ſententiæ divinæ, & pœnitentia Dei.*

Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur. Si hæc prædictio fuit abſoluta, & facta nomine Dei, quomodo ſubſiſtit immutabilitas Dei cum hac mutatione, cum verè Ninive non fuerit ſubverſa? ſed attende, quòd hæc prophetia fuit comminatoria, & conditionata; nempè niſi pœnitentiam egeris: & quia pœnituit, ideo ſuſpenſionem impetravit: tunc enim non cadit mutatio in Deo, ejuſque conſilio, ſed in ſententiâ; ſcilicet in ipſa re, circa quam directa eſt prophetia, quæ reſpectum habuit conditionatum ad ipſam civitatem: unde in tali ſenſu aliquando dicitur de Deo, quòd Deus pœnituit. *Op. comp. Theol.l.1.c.19.Pſal.135.* Imò verificata eſt myſticè ipſa prophetia, ut notat S. Gaudentius *trac.3. ad Neophitas*, quia everſa eſt iniquitas civitatis per pœnitentiam: ſubverſa eſt in malo, & converſa in bonum, & in aliam tranſmutata eſt. *Ser.4. Dom.1.quadrag.*

24. *Quàm efficax ſit apud Deum pœnitentia exterior, copulata cum interiore, ſignificata in triduo prædicationis Ionæ, & pœnitentia Ninivitarum.*

Et crediderunt viri Ninivitæ in Dominum; & prædicaverunt jejunium, & veſtiti ſunt ſaccis à majore, uſque ad minorem, &c. Vide quam efficax apud Deum ſit pœnitentia prompta: Hanc prius interius arripuerunt Ninivitæ, & exterius, ſimul: hicque tria notantur, in quibus exprimitur virtus pœnitentiæ, & perfectio: ſcilicet cilicium, cinis, & ſeſſio cum jejunio: per cilicium exterius ſignificatur dolor interior ex conſideratione divinæ offenſæ: per cinerem, qui præfert mortis imaginem, timor ex conſideratione vindictæ: & per ſeſſionem pudor ex conſideratione culpæ, ſive vilitatis ſuæ: & in ſaccis, quibus veſtiti fuerunt, ſignificatur pœnitentia exterior, indicans interiorem; & ſic Deus placatus eſt. Nota etiam quòd totum hoc negotium in triduo peractum eſt, ut denotetur perfecta ipſorum pœnitentia: nam in prima die ſignificatur compunctio cordis: in ſecunda confeſſio peccatorum: & in tertia ſatisfactio, ad quam bona cogitatio, bona locutio, & ſancta operatio conſecuta eſt. Et hinc ſubditur, quòd *Deus vidit opera eorum, quia converſi ſunt de viâ ſuâ malâ, & miſertus eſt ſuper malitiam*, ideſt afflictionem quam locutus fuerat, ut faceret eis, & non fecit, revocando ſcilicet ſententiam punitionis, & excidii latam in eos. *Ser.4. Dom.1.quadrag. ſer.2. Dom.2.quadrag. Luc. c.10.v.13.c.13.v.33.*

25. *Idem argumentum de efficaciâ veræ pœnitentiæ.*

Et prædicaverunt jejunium, & veſtiti ſunt ſaccis &c. Ecce quàm Deo placita ſit pœnitentia perfecta, & quàm efficax ad placandum Deum, ſicut evenit iſtis pœnitentibus. Et per hoc patet nobis, quòd licèt ex timore inducti fuerint Ninivitæ ad pœnitentiam, tamen quia hic timor ipſos excitavit ad perfectam pœnitentiam interiorem, & exteriorem, ideo timor fuit ſanctus, & placitus Deo. Dicitur autem, quòd rex, ut ſuos ad imitationem excitaret, abjecit veſtimentum ſuum, & poſtea indutus eſt ſacco, & ſedit in cinere, ut intelligamus, quòd hæc tria ſunt pœnitenti neceſſaria, ſcilicet ſeſſio in cinere; id eſt humiliatio quæ inducitur per memoriam mortis, abjectio veſtimenti, veteris converſationis, & ſaccus pœnitentiæ, ideſt jejunium corporale, & ſpirituale. Iſtaque ſunt arma pœnitentium, quibus induti, occurrunt iræ, & furori divino, & Dei placationem conſequuntur. *Ser.3.in die ciner.* Abjice ergo, ô peccator veſtimentum leprâ peccati infectum, ſcilicet malam converſationem, ſi non vis, in igne inferni projici, & indue te ſacco pœnitentiæ, ut tibi remittantur peccata. *Ser.2.de S.Iacob.in addit.* Notant etiam alii expoſitores, quòd rex clamavit fortiter: ſcilicet alta voce miſericordia, miſericordia; miſerere noſtri Deus ſecundùm magnam miſericordiam tuam: ita clamabant homines: jumenta verò præ fame boabant, mugiebant, reſonabant quiſque ſua voce in Cælum: hæcque communis hominum, & jumentorum comploratio Dei iram inflexit: *Sic Corn. à lapide hic citans ad hunc ſenſum S. Baſilium:* ut videas, quòd non eſt novum in Eccleſiâ, quod prædicatores excitent auditores, & reges, & Principes ad invocandam miſericordiam Dei alta voce. Hoc & notent Prædicatores pro oratione quadraginta horarum.

CAP. IV.

26. *Servi Dei caveant à zelo indiſcreto.*

ET afflictus eſt Ionas afflictione magna, & iratus eſt; & oravit ad Dominum: obſecro Domine, &c. Unde orta eſt hæc ira in Propheta? orta eſt ex hoc quod vidit Deum pepercisse Ninive: non enim videns poſt quadraginta dies ipſam civitatem ſubverſam, ob id vanum, & irritum quod prædixerat, & timens ſe irridendum, & habendum falſum Prophetam,

ram, nimio zelo motus, coquerebatur cum Deo, dicens: *Scio quia tu Deus clemens, & miſericors es, patiens, & multa miſericordia, & ignoſcens ſuper malitiâ*: & ideo metuebat etiam prius; quod Deus ignoſciturus eſſet iniquitatibus Ninivitarum, de quo zelo reprehenſus eſt valde à Deo ſuper quod diſquirunt DD. an verè Jonas peccaverit hoc zelo indiſcreto; & conveniunt ipſum peccaſſe venialiter: quia licet optaret rem juſtam; nempe: quod Deus Ninivitas puniret, licet pœniteret, ſicut Judex latronem ob furta ſuſpendit, eſto eum pœniteat; ideo juſtè à Deo reprehenſus eſt. Ut hinc videas quàm perverſus ſit zelus indiſcretus; & quàm Deo diſpliceat; de quo vide *Op. Phar. l. 3. c. 35. & Apolog. pauper. c. 52. & de ſex alis Seraph. c. 3. & l. 3. d. 15. a. 2. qu. 3.*

17. *Juſti optant mortem, ne videant tot mala graſſari in mundo*; unde dicunt cum Iona. *Melius eſt mihi mori quàm vivere. In Ecclen. c. 4.*

18. *Mundi felicitates in hederâ Jonæ figuratâ.*

Et preparavit Dominus Deus hederam, & aſcendit ſuper caput Ionæ, ut eſſet umbra ſuper caput ejus, & protegeret eum, &c. Nota, quòd ad litteram voluit Deus hoc facto oſtendere Ionæ ſuum errorem, & quomodo clementior ſit ipſe Deus quocumque homine quantumcumque ſancto; & quanta curâ, & ſolicitudine procurat ſalutem ſuorum, & oſtendere ſuam miſericordiam in parcendo peccatoribus, & remittendo peccata: & ideo rectè arguit Prophetam tali pacto ad hominem: ſi enim ipſe ſentit afflictionem propter hederam arefactam, ſuper quam nullum jus habebat, quantò magis Deus procurare debebat ſalutem hominum, quos creaverat: oſtendit item hac hederâ fugacitatem bonorum temporalium, & gaudii humani, quæ ſicut hæc hedera non valuit perdurare, niſi per modicum tempus, ſic & ipſa tranſitoria ſunt vaniſſima; tranſeuntque in momento de qua materia vide. *Sermon. 1. de S. Andrea.*

Et hic explicit poſtilla S. Bonav. in Ionam.

EXPOSITIO SERAPHICI DOCTORIS
S. BONAVENTURÆ
IN
MICHEAM PROPHETAM.
PROLOGUS.

MICHEAS Propheta vixit tempore Joathan, & Achaz Regem, fuitque de vico. qui appellabatur Moraſti. Argumentum ſuæ prophetiæ, & prædicationis eſt taxare idololatriam tribuum Iſraël, eorumque vitia; ob quæ prædixit excidium Samariæ per Aſſirios, & Hieroſolimæ per Chaldeos futurum: & deinde prænunciavit liberationem populi Judaici; & per hoc, adventum Meſſiæ, ejuſque Nativitatem, & Eccleſiæ fundationem.

CAPUT PRIMUM.

1. *Deus cum iram, & furorem in homines exercet, dicitur egredi de loco ſuo.*

VERBUM Domini, quod factum eſt ad Micheam, &c. audite populi omnes, & attendat terra, &c. quia ecce Dominus egredietur de loco ſuo, & deſcendet &c. Quomodo dicitur, quòd, *Deus egredietur de loco ſuo?* nonne eſt ubique, nec poteſt contineri in loco peculiari, nec exire ab eo? ſed attende, quòd hic loquitur per figuram Anthropopathos: cum enim dicitur Deus egredi, & deſcendere, &c. eſt idem ac oſtendere ſuam potentiam. Hoc autem dicitur contra peccatores peſſimos; contra quos minatur vindictam, excidium, & flagella, per quæ dicitur egredi de loco ſuo; quia ejus proprium eſt miſereri, non punire: dicitur autem in puniendo exire de loco ſuo; quia ad opus ſeveritatis, præſupponitur noſtra iniquitas: ad opus miſericordiæ ſolùm ejus benignitas. *L.4. d.47. dub.1. in ſap. c.12.*

CAP. II.

2. *Ex orationis omiſſione quanta mala ſequantur.*

VÆ qui cogitatis inutile, & operamini malum in cubilibus veſtris: in luce matutina faciunt illud, quoniam contra Deum eſt manus eorum. Nota quod ſeptuaginta legunt: *facti ſunt cogitantes labores, & operantes mala in cubilibus ſuis; & ſimul cum die conſumabant ea, quia non levaverunt ad Dominum manus ſuas.* In quibus verbis deſcribit malas cogitationes, & peſſima opera facta ab Iſraëlitis, & aſſignat cauſam, dicens: *quia contra Deum eſt manus eorum:* ideſt quia non levaverunt manus ſuas ad Dominum. Quod malum eſt hoc; non levare manus ſuas ad Deum? At levare manus ad Deum eſt orare corde, ore, & opere ad Deum. Ecce quanta eſt vis orationis; & quale malum eſt ipſius omiſſio: ex hoc enim oriuntur omnia mala, & peccata, maximè in religioſis: unde ſi quæras unde provenit ſtrages, & ruina ſpiritualis religionum, & religioſorum, tibi reſpondet Propheta: quia non levaverunt manus ſuas, orando ad Deum, quia neglexerunt orationem. *Op. ſpecul. diſcipl. l.2. c.2. & regula Novit. c.2, & de perfec. vita c.5. & de prof. relig. l.2. c.51. ſeq. ad finem.*

3. *Qui ex alienâ ſubſtantiâ multiplicat ſuas res, quærit ipſarum excidium, & incidit in ruinam: Et qualis eris cum proximo, talis erit tibi Deus.*

Et concupierunt agros, & violenter tulerunt, & rapuerunt domos, & calumniabantur virum, & domum ejus, virum & hæreditatem ejus &c. Nota verba, ſigna myſteria ¦ Nota inquam quomodo ad culpam, & qualitatem culpæ ſequitur proportionata pœna: quia enim Iſraelitæ primò in mente concupierunt res alienas, deinde de facto eas proximo. & ſubditis, pauperibuſque rapuerunt, ædificantes ſuper ruinam proximi ſuas divitias, altitudinem, & magnitudinem potentiæ ſuæ. Hinc ecce Deus ſtatim mente concepit ſuam ipſorum ſtragem (*ego cogito*, ait, *ſuper familiam iſtam malum*) & hinc eorum totale exterminium: quia iſti tales maledicti ſunt à Deo, & in deſolationem ruunt, ſic permittente divinâ juſtitiâ *Ser. 1. Dom. 24. Pentec.*

4. *Deus*

4. *Deus vindicator eſt injuriarum, quæ fiunt in juſtos patienter eas tolerantes.*

Et è contrario populus meus in adverſarium conſurrexit: deſuper tunica pallium ſuſtuliſtis, &c. Nota rapinas iterum, & oppreſſiones potentum in pauperes; & transfer mentem ad id, quod dixit Chriſtus *Luc.c.6. & ab eo, qui aufert tibi veſtimentum, etiam tunicam noli prohibere*; in quibus verbis ſuis præcipit patientiam, & prohibet vindictam: & quantùm ad manum, & quantùm ad ſignum; & quantùm ad animum: relinquens eam Domino; nam Deus eſt ſeveriſſimus vindicator injuriarum; quas potentes faciunt in ſervos Dei, patienter tolerantes, ut evenit iſtis impiis Iſraelitis, juſto Dei permittente judicio. *Luc.c.6.v. 29 & ſer.2. de S.Barth. in add.*

5. *Chriſtus prius aſcendit in Crucem poſteà in Cœlum, nobis pandens iter ad imitandum.*

Aſcendet pandens iter ante eos; divident, & tranſibunt portam, & ingredientur per eam: & tranſibit rex eorum coram eis, & Dominus in capite eorum. Propheta poſt prædictionem captivitatis populi Iſraelitici, prædicit liberationem è captivitate; & quòd ipſius rex, ſcilicet Zorobabel; prius liberandus erat, & ipſi poſt eum. Myſticè loquitur de Chriſti adventu, dicens, quòd ipſe priùs aſcenſurus erat, primò in Crucem poſteà poſt reſurrectionem in Cœlum, ut nobis panderet iter, & poſt ipſum primò per imitationem ſuorum laborum, pœnarum, & exemplorum, poſtea per glorificationem omnes ejus imitatores aſcenſuri erant in Cœlum ab ipſo apertum: *Luc.c.8.v.15. Ioan. cap.14. verſ.2. & l.4.d.10.p.2. dub.2.* Et ſicut prædixerat Propheta, ita factum eſt, quando Chriſtus aſcendit ad Cœlum, ſecum ducens illam nobilem multitudinem, iter pandens antè eos. Vide igitur, ô anima, quomodo Dominus glorioſus, candidus, & rubicundus, ſplendens, & gaudioſus præcedebat eos, viam eis oſtendens; & ipſi cantantes, & jubilantes læriſſimi ſequebantur eum, dicentes: *Cantemus Domino; qui aſcendit ſuper occaſum, Dominus nomen eſt illi aſcendens in altum, proſperum iter faciens nobis, perducens nos in refrigerium. Op.medit.c.97.*

CAP. III.

6. *Avari præcipuequè Principes cupidi, pellem pauperibus diripiunt: Miſericordes propriam ipſis exhibent, ut eorum nuditatem contegant.*

AUDITE principes Iacob, & duces domus Iſraël: numquid non veſtrum eſt ſcire judicium, &c. Ad litteram Propheta invehitur in Principes populi Iſraël: Sed myſticè loquitur omnibus cupidis paſtoribus; quorum cura eſt extrahere pellem, & carnem ſuorum ſubditorum, eos expilando, eorum bona diripiendo; & nimiis tributis; & oneribus quaſi

ſanguiſugæ exſugendo; & eos ad maciem, & paupertatem redigendo, ut ſeipſos contegant, & ditentur ex ſubſtantiis pauperum: *Væ*, ait Propheta, *iſtis*: nam, *clamabunt ad Dominum, & non exaudiet eos, & abſcondet faciem ſuam ab eis in tempore illo*: ideſt ſubtrahet auxilium ſuum, eos derelinquendo. E contra; miſericordes propriam pellem, & carnem ſibi ipſis auferunt, ut contegant pauperes: ſcilicet ſtudent aſſiſtere laborantibus, opem ferre miſeris, alere egenos, veſtire nudos; ut fecit S.Martinus, qui ſe nudato, dimiſit partem ſuæ clamidis pauperi indigenti. *Ser. de S.Martino.*

7. *Clamans in tempore neceſſitatis ex purò timorè, non exaudietur; ex amore exaudietur.*

Clamabunt, & non exaudiam. Quomodo dicit Deus: *& non exaudiam*, clamantes ad ſe? *clamabunt*, ait, Iniqui neceſſitate compulſi & puro timore pœnæ; *ideo non exaudiam*; quia talis clamor non meretur exaudiri: ſed benè qui ad Deum confugiunt ex amore divinæ miſericordiæ, & confidentes in Dei ope: iſti verè exaudiuntur. *l.4.d.10.p.2.dub.2.*

8. *Prælati & ſacerdotes cupidi benigni ſunt in eos, qui eis munera offerunt; hoſtes in eos, qui nulla ſibi largiuntur.*

Hæc dicit Dominus ſuper Prophetas, qui ſeducunt populum meum: qui mordent dentibus ſuis, & prædicant pacem: & ſi quis non dederit in ore eorum quippiam, ſanctificant ſuper eum prælium. Chaldæus legit: *qui offert eis convivium carnis, pacem vaticinantur; & qui nihil eis offert, contra hunc excitant, & inſtruunt bellum.* Hæc dicuntur contra Prælatos, & ſacerdotes facientes Eccleſiam ſpeluncam latronum; nempe contra eos, qui frendent, & minantur triſtia quæque iis; qui nulla ſibi largiuntur munera: iis verò qui ea largiuntur prædicant pacem, & omnia proſpera: illis ſuſcitantes lites, & bella, eoſque perſequentes: iſtis verò ſe oſtendunt mites, & benevolos. O veri latrones, & Eccleſiam Dei diſſipantes, qui à Deo tandem confunduntur. *In Luc.c.19. v.46.* Notent hæc ſuperiores munera diligentes, & cupientes, & videant in qualia pericula incidunt.

9. *Prælati, & Prædicatores repleti Spiritu ſancto, fortitudine, judicio, & virtute Dei ſunt induti: repleti ſpiritu diaboli carent omnibus bonis.*

Verumtamen ego repletus ſum fortitudine ſpiritus Domini, judicio, & virtute, ut annunciem Iacob ſcelus ſuum, & Iſraël peccatum ſuum. Vide quomodo Propheta ſe opponit pſeudo prophetis adulantibus, & palpantibus vitia, & vitioſos, ut intelligamus diſcrimen inter Prælatum, & prædicatorem repletum ſpiritu Dei, & ſpiritu diaboli: nam repletus Spiritu ſancto, etiam præditus eſt fortitudine; ſcilicet reſiſtendi in tentatione; & judicio corrigendi in prælatione, & prædicatione, & virtute perſiſtendi in bona converſatione: hæc tria enim confert Spiritus ſanctus bonis prælatis, & prædicatoribus. Per fortitudinem enim nec blanditiis,

nec muneribus capitur, nec minis, aut pœnis cedit; ſed liberè, & conſtanter carpit ſcelera, etiam potentum, eiſque Dei iram, & vindictam intentat: per judicium diſcernit vera à falſis, & ſolùm vera, & certa prædicat, ſecundùmque peccatorum qualitatem eis prædicat: per virtutem autem robur animi oſtendit, cui nullus reſiſtere poteſt. E contra, repletus ſpiritu maligno, præ timiditate placentia ſolùm prædicat, timens divitum, & potentum offenſam, & præ cupiditate ob munera iiſdem proſpera vaticinatur: item cum mendacio, & adulatione loquitur: item præ puſillanimitate munus ſuum malè exercet. *Ser. 3. fer. 3. Pentec.*

10. *Qui ſanguine alieno ædificat, ædificium ad ruinam erigit.*

Audite hoc Principes, & Iudices &c. qui ædificatis ſion in ſanguinibus, & Ieruſalem in iniquitate. Quis eſt iſte, qui ædificat ſion in ſanguinibus? quomodo unquam ſanguine concreta fuit calx? ſed attende, quòd hæc eſt locutio metaphorica, qua reprehenduntur Principes, Judices, ſacerdotes, Prædicatores, & omnes, qui per judicium perverſum, per cædes, bella injuſta, uſuras, rapinam, ſimoniam, & oppreſſionem aliorum adaugent divitias, ædificant palatia, & domos pulchras cæde innocentium, & rapinis pauperum: qui beneficia Eccleſiaſtica conſanguineis indignis conferunt. Ecce quòd, *causâ veſtri (ait Propheta) ſion quaſi ager arabitur, & Ieruſalem erit quaſi acervus lapidum,* quia talia ædificia citò corruunt, nec poſſunt ſubſiſtere, quia ſunt ædificata cum Dei, & proximi offensâ. *Luc. c. 9. v. 3. c. 19. v. 45. c. 21. v. 22. ſer. 6. op. de dec. præcep. & l. 4. d. 25. a. 1. qu. 4. & ſer. 1. de Eccleſiaſt. in addit.*

CAP. IV.

11. *Felicitates Eccleſiæ ex adventu Meſſiæ prædictæ à Prophetâ.*

ET *erit in noviſſimo dierum mons domus Domini præparatus in vertice montium.* Quæ & ſequentia verba ſunt eadem et Iſaiæ c. 2. in quibus exprimit felicitates Eccleſiæ ſignificatas per montem ædificatum in vertice montium, ſcilicet fundatum in Chriſto, & in plenitudine gratiarum, & meritorum ſanctorum; in qua fundatione ſecuta eſt vocatio Judæorum, gentium, & congregatio ipſorum in unum ovile, quod ſignificatur per illa verba, *& fluent ad eum populi, & dicent: venite aſcendamus ad Chriſtum, & docebit nos de viis ejus:* quia intrantes in Eccleſiam à Chriſto doctore illuminantur interiùs, & exteriùs per inſpirationes, legem, præcepta, & prædicationem verbi Dei. *Pſal. 118. c. 1. v. 12. & c. 10. verſ. 16.* Reliquas expoſitiones varias ſuper hunc textum, vide in Iſaiam c. 2.

12. *Chriſtus venit annunciare pacem, ſuoſque ſequaces in pace conſtituere.*

Et concident gladios in vomeres, & haſtas ſuas in ligones, &c. Ecce fructus adventus Chriſti in carnem: quia venit tollere diſſidia, & bella, ordinavitque, ut ſui ſequaces arma bellica deponerent; imò mutarent in inſtrumenta pacis, puta in aratra, & ligones, quibus in pace colitur terra. Et hinc eſt, quod Chriſtus natus eſt tempore pacis univerſalis: ex quo patet, quàm deteſtetur diſſidia, bella & diſcordias. *Luc. c. 2. v. 3. In Eccl. c. 3.*

13. *Timor Dei hominem humilians, eſt prima lectio Chriſti.*

Et tu turris gregis, nebuloſa filia ſion uſque ad te veniet: & veniet poteſtas prima regnum filiæ Ieruſalem. Ad litteram alludit Propheta ad quandam Turrim, quæ erat prope Bethleem in campo, ubi oves ſuas paſcebant paſtores, quibus apparuerunt Angeli in nativitate Chriſti, eratque locus, in quo paſtores reducebantur tempore pluviæ: & ob id ſignificat timorem Dei, qui eſt prima turris, & virtus, redigens hominem ad ſe humiliandum coram Deo: humilitas enim eſt prima lectio, quam docuit Chriſtus in adventu ſuo. *Luc. c. 14. v. 28.*

14. *Quales actus juſtitiæ ab unoquoque noſtrum exigat Deus.*

Dole, & ſatage filia ſion, quaſi parturiens: quia nunc egredieris de civitate, & venies uſque ad Babilonem: ibi liberaberis. Nota, quòd ad litteram prædicit Ieroſolimitanis captivitatem futuram; ob idque ſuadet eis, ut doleant, & gemitum emittant ad modum parturientis; quia verè rapientur extra civitatem veluti profugi, & captivi, ſed poſtea liberabuntur: & ob id tandem gaudebunt. Myſticè loquitur animæ propter peccatum ab Eccleſiâ pulſæ, & inimico, & ultori contraditæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus fiat: ſuadetque, ut doleat, & ingemiſcat de peccatis ſuis ad modum parturientis, quæ poſtquam ingemuit, lætatur ſe peperiſſe; ſic poſt dolorem ſequitur lætitia de remiſſione peccati. *Sic D. Hieron. & S. Cirill.* & per hoc ſuadet animæ, ut exerceat actus juſtitiæ per dolorem, & pœnitentiam in ſeipſam aſſumptam; & ut Deo ſatisfactio debita fiat: hoc enim eſt, quod præcipuè intendere debet pœnitens. *Op. de grad. virt. c. 11.*

CAP. V.

15. *Chriſti nativitatis in Bethleem myſteria varia enodantur.*

ET *tu Bethleem Ephrata parvulus; ideſt viculus parvulus, & obſcurus, in millibus Iuda: Ex te mihi egredietur qui ſit dominator in Iſraël; & egreſſus ejus ab initio à diebus æternitatis.* Ad litteram nota, quòd in antecedente primo verſu præmittit hæc verba: *nunc vaſtaberis filia latronis.* loquens ad Ieruſalem, quam appellat filiam latronis; eo quod occiderit, & lapidaverit prophetas, & noviſſimè Chriſtum: unde dicitur: *& in virga percutiens maxillam judicis Iſraël;* ideſt Chriſti. *In Luc. c. 22. v. 64.* Poſtea ſubdit; *& tu Bethleem, &c.* prædicens nativitatem Chriſti in viculo obſcuro Bethleem: ex quo eruuntur multa myſteria pulcherrima: & primò notatur, quòd appellatur Ephrata, quod interpretatur furor: ut intelligamus, quòd in domo furoris natus

natus eſt Chriſtus, ut non amplius domus furoris, ſed domus panis appelletur; quia per Chriſti nativitatem, panis, & omnis refectio parata eſt nobis. *Sic S. Ambroſ. enar. 1. in Micheam tom. 2.* Secundò nota, quòd Chriſtus alibi natus eſt: ſcilicet in Bethlehem, alibi conceptus; ſcilicet in Nazareth, & alibi educatus, ſcilicet in Ægypto, in Galilæa, in Nazaret, & in Ieruſalem; & hoc ut lateret myſterium incarnationis Herodem, & alios impios: doctis verò id erat notum. *In Ioan. c. 1. v. 46. in Ioan. c. 7. v. 41.* Tertiò nota, quòd Chriſtus, formam ſervi ſuſcipiens, Bethlehem prælegit nativitati, Ieruſolymam paſſioni, quia elegit humilitatem, & paupertatem, ut confutaret ſuperbiam, & vanitatem mundi. *Sic S. Leo ſer. 1. Epiph.* quartò nota, quòd nec in Bethlehem natus eſt, quæ diſtabat à Nazareth 30. Leucis gallicis, & ab Ieroſalem duabus leucis: ſed in quodam ſpecu, & ſpelunca ſita extra, & prope civitatem, quæ pro ſtabulo pecorum inſerviebat, ut veluti ruſticanus puer haberetur: & ut eo quaſi ſuo cive gratulari ſibi poſſint ruſtici: & ideo voluit primò à paſtoribus, & ruſticis hominibus agnoſci, & viſitari: Ex quo vide iterum quanta fuerit humilitas, & paupertas Chriſti Ieſu: ſed ut agnoſcatur Deus, & Redemptor, ſubdit Propheta: *Ex te egredietur Dominator in Iſrael; & egreſſus ejus ab initio à diebus æternitatis ejus. Ioan. c. 1. v. 49. c. 12. v. 34. c. 14. v. 4. & c. 16. v. 27. Luc. c. 20. v. 44.*

15. *Bethlehem eſt Eccleſia, in qua expoſitus eſt panis vitæ in præſepio Altaris.*

Et tu Bethlehem parvulus es, ſcilicet viculus; *in millibus Iuda:* ſcilicet nobilior omnibus aliis locis; & hoc quia fuit locus nativitatis Chriſti. Sed cur hunc locum magis adlegit Chriſtus? quia Bethlehem interpretatur domus panis: & ideo figurabat Eccleſiam, in qua eſt expoſitus panis eucharistiæ, veluti poſitus in præſepio Altaris: & ideo repræſentat Chriſtum, qui mundi eſt panis, & manna de Cœlo deſcendens; per quem Eccleſia facta eſt totius orbis horreum, quia ab ea totus orbis panem, non ſeptem annorum, ut Ægyptii à Ioſeph. Gen. c. 41. ſed vitæ æternæ qui eſt Chriſtus Ieſus accepit. *Ser. 6. in Nativit. Luc. c. 2. v. 7.*

16. *Converſio hominum, eorumque ſalvatio ex adventu Chriſti prædicta.*

Tu Bethlehem terra Iuda, &c. ex te egredietur, qui ſit dominator, &c. Reliquiæ fratrum ejus convertentur ad filios Iſrael. Cur convertit ad Chriſtum appellantur reliquiæ? & quomodo dicitur, quòd convertentur ad filios Iſrael, & non potius ad Chriſtum? ſed nota, quòd reliquiæ dicuntur, quæ ſuperfluunt comedentibus, & ſignificantur per reliquias, qui à diabolo non ſunt devorati: ideſt quia major pars Iudæorum devorata eſt à diabolo per incredulitatem; pauci ex eis, ſcilicet Apoſtoli, & Diſcipuli converſi ſunt ad Chriſtum; & inter veros filios Iſrael, ſcilicet Angelos Deum videntes adnumerantur, ut in Cœlo cum eis conjungerentur, & per eos angelicæ ruinæ repararentur. *Ser. 1 in Nativit. & Pſal. 67.*

17. *Chriſtus parvulus, ut leo triumphavit de diabolo per ſuos Apoſtolos.*

Et erunt reliquiæ Iacob in medio populorum multorum, &c. & quaſi leo in jumentis ſilvarum, &c. Nota, quòd Chriſtus parvulus natus in Bethlehem exponitur velut leo fortis; quia triumphavit de diabolo, non ſolùm per ſeipſum, ſed per ſuos miniſtros ad fidem converſos, mediante prædicatione verbi Dei, quâ velut rore cœleſti fœcundaverint Eccleſiam. *Pſal. 90. op. Eccleſ. Hier. p. 4. c. 5.*

CAP. VI.

18. *Chriſtus invehit in ingratos, quod magis in judicio faciet.*

AUDITE, quæ Dominus loquitur, ait Propheta, *ſurge, contende judicio, &c.* Ecce quòd Deus cum peccatoribus, veluti litem, & contentionem movet; & ideo ſubdit: *Popule meus quid feci tibi, aut quid moleſtus fui, reſponde mihi: quia eduxi te de terra Ægypti, &c.* Hæc ſunt verba Domini, quibus veluti litem inſtituit cum Iſraelitis, ut eos confundat propter ingratitudinem ipſorum. Et idem ſæpe repetit nobiſcum Dominus Ieſus, proponens ex una parte infinita beneficia nobis ab ipſo collata, ut magis appareat, noſtra ingratitudo, & confundamur. *Op. ſolil. c. 1. & Pſal. 24.*

19. *Quid eſt, quod à nobis Deus petit, & exigit: nempe facere judicium? diligere miſericordiam, & ſollicitum ambulare cum Deo.*

Quid dignum offeram Domino? Hæc verba ſunt populi, qui ad prædicationem prophetæ excitatus, exquirebat quid poſſet Deo offerre, ut ipſum placare poſſet: proponebat autem genuflexiones coram Deo, oblationes vitulorum, arietum, & aliorum holocauſtorum: vel etiam ſacrificium propriorum filiorum, exemplo Abraham, credens quòd talibus hoſtiis poſſet Deo plenè ſatisfacere; & hoc eſt, quod à quolibet noſtrum debet fieri, & exquiri, ut Deo gratum ſacrificium offeramus: *Luc. c. 8. v. 47. c. 14. v. 31. & ſer. 2. in invent. S. Crucis in addit.* Sed tamen Propheta apertè docuit hæc omnia non ſufficere; ſed aliud principalius Deum à peccatoribus exigere, dicens: Indicabo tibi, ô homo quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te: Utique facere judicium, & diligere miſericordiam, & ſollicitum ambulare cum Deo tuo. O utinam imprimantur ſtilo ferreo hæc verba in corde cujuſlibet noſtrum: continent enim ſummam totius noſtræ perfectionis, quam à nobis exigit Deus: *Facere judicium, diligere miſericordiam, & ſollicitum ambulare cum Deo:* hæc tria ſunt tota noſtra perfectio: facere judicium de ſeipſo: diligere miſericordiam in proximo: & ſollicitum ambulare coram Deo. Vide quale judicium: judicium rectum facit Judex, qui furem, & latronem ſuſpendit; ſic peccator ſeipſum tamquam furem, & animæ ſuæ jugulatorem ſuſpendere debet

in cruce pœnitentiæ: Cum ergo ſis latro animæ tuæ; & latro multarum animarum per te pereuntium, oportet, ut ſpiritualiter malo capite puniaris, & addere opera miſericordiæ in proximum, & tandem omnia opera tua cautè, & ſollicitè fac, ut Deo placeas *Ser.1. Dom.12. Pent. ſer. de S.Martino & ſer.in decollat.S.Ioan. Bap. in addit.* Et hinc propheta correxit errorem Iudæorum, qui toti inſiſtebant in obſervantiâ præceptorum ceremonialium, & contemnebant moralia, & judicial a: hæc autem exigit à nobis obſervanda principaliter Deus, per quæ exercetur in ratione Prudentia, in iraſcibili odium vitiorum, & in concupiſcibili deſiderium virtutum, quod facit ſollicitum ambulare cum Deo, eſtque effectus potiſſimus charitatis. *Luc.c.11.v.41. c.13.v.21.c.14.v.19.* Ex quibus patet, quòd Dei ſervitium non conſiſtit in genuflexionibus, & aliis actibus exterioribus præcisè; nam etiam diabolus & impii id poſſunt facere: tales autem ſunt qui crucifixo flectunt genu, & tamen non relinqunt peccata; ipſumque blaſphemant.*Ser.2. de invent.S.Crucis in addit.*

20. *Quomodo debeat homo ad perfectionem tendere.*

Indicabo tibi ô homo quid ſit bonum, & quid Deus à te requirat, &c. Ecce in quo conſiſtit totum negotium perfectionis, quam exigit Deus præcipuè à religioſis: *facere judicium* quoad opera præcepta: *facere miſericordiam*, quoad voluntaria, & ſupererogationis, *& ſollicitudinem*, in his exercere, ſicque rectificabitur ſtimulus conſcientiæ per ſtrenuitatem contra negligentiam, per ſeveritatem contra concupiſcentiam, & per benignitatem contra nequitiam: his tribus habitis fit conſcientia bona, munda, & recta: nam ſtrenuitas negligentiam excludit, & viam ſternit ad faciendum omnia opera bona ſequentia vigilanter, confidenter, & eleganter, & cum amore perfecto. *Op. Incend. amoris, c.1. Luc. cap.11. verſ.41.*

21. *Sollicitudo in Dei ſervitio qualis, & qualiter habenda.*

Et ſollicitum ambulare cum Deo tuo. Sed quid eſt ſollicitum ambulare cum Deo? & quomodo excitanda eſt hæc ſollicitudo iam neceſſaria? At attende ad varias tranſlationes, ſeptuaginta legunt: *ut paratus ſis ambulare cum Deo: vel poſt Deum*, ut legit Syrus, Chald. *ut ſis humilis ad ambulandum cum Deo*: Tigurina: *& ſubmiſſum ambulare cum Deo.* Ex quibus patet, quòd ſollicitudo hæc, denotat demiſſionem, modeſtiam, humiliationem animi ſolliciti, qui ex humiliatione, & ſollicitudine ſe curvat, contrahit, involvit, & quaſi abſcondit: & promptitudinem ad omnem voluntatem Dei cum timore, & humilitate continet. Igitur ad hanc ſollicitudinem excitandam requiritur conſideratio divinæ majeſtatis, ſublimis, & tremendæ: item peccatorum noſtrorum præteritorum, & periculorum, in quibus verſamur; & quòd omne bonum noſtrum à Deo pendet: & hinc timendo humiliamur, & charitate, & amore accenſi excitamur ad ſemper ambulandum de virtute in virtutem. *L.3.d.14.p.2.a.2.q.2.op.Incend. amor. c.1. & SS. P.P.commun.&c.*

22. *Sollicitudo in operibus bonis, quanti apud Deum valeat, & quàm neceſſaria.*

Et ſollicitum ambulare cum Deo. Nota, quòd copulat ſollicitudinem ſimul, & ambulare cum Deo; quia non ſufficit benè operari, niſi ſuperaddatur ſollicitudo; ſcilicet ſtrenuitas, & practica executio intentionis, procedentis ex charitate, & amore in Deum; non ſolùm Deo placendi; ſed ipſum opus cum omnibus requiſitis ad ſui perfectionem faciendam: & de hoc loquens Chriſtus Matth. c.6. dixit: *Si oculus tuus fuerit ſimplex*: ſcilicet intentio ardens, *totum corpus tuum lucidum erit*: id eſt ſi intentio tua erit pura, & munda, etiam omnia hinc ſequentia, & modum quo agenda ſunt, perficies, & erunt Deo lucida chara, & grata: mens enim tantò altius inter tentationum fluctus in altum attollitur, quantò ſollicitiùs ab hujus ſæculi cogitatione vacuatur: & ideo homo juſtus quantò monti vicinior efficitur, tantò timidior ſimplex, ſollicitior, & velocior fieri debet; ſicut petra quo magis ad centrum approximatur, eò velocior eſt ejus motus: unde licet talis ſollicitudo ex charitate, & amore in Deum proveniat, ei tamen copulatur ſemper timor, ſcilicet filialis, qui ex conſideratione ſuæ parvitatis, & divinæ majeſtatis, reddit animam humilem, & elongat ipſam à tumore ſuperbiæ; qui timor, & amor ſecundùm gradus augmenti, etiam ipſe creſcit, & ſimul impellit ad ſollicitudinem exercendam in operibus virtuoſis. *L.3. d.34.p.2. a.2. q.2. op. de ſex alis Cherub. & Phar. l.4.c.38.*

23. *Dei præſentiæ exercitium ſuadetur.*

Et ſollicitum ambulare cum Deo. Legit Syrus, *ut ſis paratus ad eundum poſt Deum tuum.* In quibus verbis dat intelligere, quòd ſollicitudo ſervorum Dei tota eſt in exercitio divinæ præſentiæ: qui enim ad perfectionem vult toto conatu tendere, debet ſemper habere mentem ad Deum ſuſpenſam, orando, cogitando, recordando, meditando, legendo, attendendo, ac bona contemplando: unde hæc ſollicitudo facit, ut cum ſervus Dei, vel ad modicum ipſius Dei non meminit, contremiſcit, & dolet, quaſi graviter offenderit, tanti amici defraudatus intuitu, qui noſtri numquam obliviſcitur: cum ſumma beatitudo, & glor ia conſiſtat in jugi viſione Dei, & ideo hujuſmodi beatitudinis imitatio quædam, eſt jugis memoria Dei: iſta eſt meritum, ſed illa præmium: quamdiu illum videre non poſſumus præſentes, ſaltem abſentes memoremur ejus: tantò enim quiſque lætius, & plenius eum videbit in patriâ, quantò frequentius, & devotius ejus meminerit in hoc exilio: ſollicitudo hæc ſancta, facit, quòd non tantùm in oti o, ſed etiam in occupatione ejus eſſe debemus memores, imitatione ſanctorum Angelorum, qui miſſi in miniſterium noſtrum, ſic exteriora diſponunt, ut tamen ab intimis numquam recedant. O felix qui armatus tali ſollicitudine, cum Deo ambulat. *Op. de profec. religioſ.l.2.c.20.*

24. *Qui*

24. *Qui in domo ſua accumulat divitias cum injuſtitiâ, replet ipſam igne devorante.*

Vox Domini ad civitatem, &c. Audite tribus, &c. adhuc ignis in domo impii; theſauri iniquitatis, & menſura minor ira plena. Proſequitur Propheta ſuam prædicationem ad impios viros tribuum Iſrael, dicens, quod in domo ipſorum manet ignis omnia devorans: & qualis eſt iſte ignis? ignis ſunt theſauri iniquitatis, & menſura doloſa: ſed quomodo theſauri, & menſura poſſunt appellari nomine ignis? optimè, ait; quia ſunt fructus ignis cupiditatis, & avaritiæ: datque intelligere, quòd qui ex alienis ſubſtantiis injuſtè coacervant theſauros; & in negotiationibus adhibent menſuras, & ſtateras doloſas, proximum defraudando: ignem etiam in ſuis domibus præparant non ſolùm pro aliâ vitâ ad comburendum in inferno, ſed ſæpe etiam pro hac vitâ; quia tales res incendunt, & devorant domos, & poſſeſſiones, & poſſeſſores, eos ſubjicientes patentibus flagellis divinæ iræ: quia theſaurum pecuniarum aggregantes, ſimul theſaurum iræ pariter cumulant: & hinc ſubdit Deus: *numquid juſtificabo ſtateram impiam, & ſacculi*, ideſt ſacculi, *pondera doloſa? in quibus divites ejus repleti ſunt iniquitate; &c. ſermon. 3. Dom. 1. poſt oct. Pentec.*

25. *Mala voluntas eſt theſaurus omnium malorum, ignem infernalem continens, & omnia devorans.*

Ignis in domo impii, & theſauri iniquitatis. Nota, quòd copulat cum theſauro ignem: quis iſte theſaurus? ſed transfer mentem ad illud *Lucæ cap. 6. malus homo de malo theſauro profert mala:* ibique loquitur de malâ voluntate, & malâ conſcientiâ, & appellatur theſaurus malus, quia; *de corde malo exeunt* (vide quales merces) *malæ cogitationes, adulteria, fornicationes, homicidia, furta, avaritia, nequitia, dolus, impudicitia*, aliaque omnia mala, quæ velut ignis infernalis, omnia bona devorant, & commaculant totum hominem, ejuſque opera. O grande malum mala voluntas. *Luc. c. 6. v. 45.*

26. *Malorum ſocietas ignis devorans omnia bona.*

Ignis in domo impii, theſauri iniquitatis. Quis ignis? bonuſne, an malus? ſed attende ad Petrum ſe calefacientem in domo principis ſacerdotum, & circumſedentibus ad ignem impiis, ubi quod intus in domo maligna ſynodus gerebat, hoc, ignis inter frigora noctis foris accenſus, typicè demonſtrabat: datque intelligere, quòd malorum ſocietas eſt ignis devorans omnia bona, & theſaurum iniquitatum congerens. *Luc. c. 22. v. 55.*

27. *Mali, & impii in domo conſcientia locum dant diabolo incendiario, comburente omnia bona.*

Ignis in domo impii. Quis iſte ignis? quæ domus? domus hæc eſt cor, & conſcientia malorum, qui intus introducunt, & locum dant diabolo, qui cum ſecum ferat ignem infernalem, incendiarius eſt, etiamque ignem vitiorum accendit: hæcque per flatum tentationum ardere facit, ut omnia bona devoret: qui ergo hunc ignem extinguere cupit quærat fontem miſericordiæ Chriſtum, ut in ipſo mundetur, & irrigetur. *Ser. 6. Dom. inf. oct. Epiph.*

28. *Ante adventum Chriſti totus Mundus igne infernali ardebat.*

Unde hic dicitur: *ignis in domo impii*, ſcilicet in Mundo: & quia genus humanum erat cæcum, nec exire poterat, oſtium ignorans, ideo venit Chriſtus, oſtium oſtendens, cæcum educens, & totus intentus, ut hunc ignem extingueret: ad ipſum ergo recurrat homo, ut ignem peccati extinguat, & à tanto periculo eripiatur. *Serm. 4. in Nativit.*

29. *Humiliationis motiva in medio noſtri reſident: ubi de miſeriis ex parte naturæ humanæ, & culpæ.*

Et humiliatio tua in medio tui. Quomodo ad impios iſtos dicit, quòd humiliatio eſt in medio ipſorum, &c. ſi repleti erant peccatis, quomodo intra ſe continebant humiliationem? ſed attende ad myſterium. Dat intelligere, quòd motiva humiliationis reſident intra noſipſos. Vide quàm verum hoc: conſidera ô homo unde venis, ubi ſis, quo vadis: conſidera inquam unde venis; ſcilicet de qua materiâ generatus ſis, de quo abominabili cibo nutritus in ventre matris, cum quali veſte ſis natus, quibus curis expoſitus, & ad qualem miſeriam ſis venturus. In ſordibus generamur: in tenebris confovemur: matres noſtras plurimum oneramus; in doloribus parturimur, & in noſtro exitu, ventres more viperæo laceramus: nudi naſcimur, membris omnibus impotentes; mundo exponimur, & à ploratu vitam incipimus, & cum ploratu vitam finimus: unde ergo corpus hominis gloriatur, cum ſit ſaccus ſtercorum, cibus vermium, & materia pulverum fœtidorum? O mira vanitas, ô mira fatuitas cordis noſtri? cujus elationem non valet perfectè dirimere, nec cervicoſos poteſt domare tanta humilitatis materia, quin adhuc ſuperbiat vilis cinis: & ſi hoc ex parte naturæ, quid ex parte culpæ, ſi divinas offenſiones volumus attendere? Vide qualia motiva humiliationis ex hac parte; nam anima ex conjunctione corporis contrahit peccati originalis inquinationem, peccati pronitatem, benè operandi difficultatem, continuam impugnationem, curarum ſollicitudinem, paſſionum multiplicitatem, gloriæ retardationem. O quàm verum hoc, quam verè, quod in medio noſtri eſt humiliationis materia. *Sermon. 4. de uno Confeſſ. op. de gradib. virtut. c. 3. & Comp. Theolog. l. 2. c. 40.*

30. *Qui proximo ſuo damnum infert; & ipſe in ſuis rebus damnum patitur.*

Tu ſeminabis, & non metes: tu calcabis olivam, & non ungeris oleo: & muſtum, & non bibes vinum. Hoc dixit Propheta, prænuncians hæc mala populo Iſraelitico: ſed cum ſeminando, & laborando iſte populus non erat meriturus, & col-

lectuius fructus ? quia, ut dictum eſt: *ignis in domo impii, & theſauri iniquitatis, &c.* Quia juſto Dei judicio, proximos ſuos fraudavit labore proprio, ita & ſuo fraudatus fuit: Unde Stobæus, *Serm. 9. Invitus evomet opes injuſtè partas:* Hæc enim ſtomachum; ideſt conſcientiam ejus ita onerant, ut eas evomere cogatur: Et ideo verum eſt, quod ſupra diximus, quod ignem devorantem ſuas opes per injuſtitias parat. *Serm. 3. Dom. 1. poſt oct. Pent.*

CAP. VII.

31. *Diabolus vindemiator animarum: Chriſtus collector racemorum.*

VÆ *mihi quia factus ſum, ſicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ, &c.* In his verbis Chriſtus conqueritur, & deplorat raritatem proborum virorum; & quia ardet in ejus corde charitas in nos, hanc æſtimat ſuam miſeriam: & meritò, nam verè ferè totus mundus in maligno poſitus eſt, & ferè omnes ſequuntur vitia diabolo obedientes: pauci, imò pauciſſimi Chriſto obſequentur: & hoc exprimit rectè hac metaphorâ vindemiæ; dicens, quod in campo hujus mundi, diabolus uvas omnes colligit, habens plena torcularia uvis; & vino; ſcilicet animabus; quarum opera ſunt ipſi obſequentia: ſibi verò aſcribit racemationem, utpote, qui paucos à diabolo relictos, quia ejus oculos, manuſque fugerunt, colligat: maxima enim pars hominum diabolo, & vitiis ſervit, ejuſque fit eſca, & præda: unde ab eo præmetur, & calcabitur in torculari inferni: exigua verò cedit Chriſto; quia multi ſunt vocati, pauci electi. *Luc. c. 8. v. 8. c. 13. v. 23. c. 21. v. 16. ſer. 1. de S. Barth. op. Cen il. p. 3. ſec. 37. in fin. c. 14.* Nota autem, quòd dicit Chriſtus, quòd *ficus præcoquas deſideravit anima ejus, &c.* & iſti ſunt primi ficus fructuum, ſecundis dulciores: ſignificantque primos Patres & Patriarchas primitivæ Eccleſiæ: & ideo Chriſtus optat illa prima ſæcula, in quibus major pars Chriſtianorum ſaluti propriæ incumbebant: ſed tamen ſubdit: *Periit Sanctus, & rectus:* quia pauci toto corde Deo obſequuntur. *ibidem.*

32. *Chriſto magis diſplicent peccata Chriſtianorum; quàm infidelium.*

Omnes in ſanguine inſidiantur: vir fratrem ſuum ad mortem venatur. Vide quomodo hic Chriſtus magis conqueritur de perſecutione, & vitiis chriſtianorum, quàm cæterorum hominum: illi enim ſunt fratres Chriſti: & ſi durum eſt tradi ab amico, duriſſimum eſt tradi à fratre proprio: unde *in Pſal. 54.* dicit Chriſtus: *ſi inimicus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem utique: tu verò homo unanimis, &c. Luc. c. 21. v. 16.*

33. *Amicitia mundana cavenda.*

Nolite credere amico, & nolite confidere in duce. Quomodo Propheta ſuadet non eſſe credendum amico? ſi amicus eſt, ergo omnia bona, & mala communia habet? nonne hoc eſt inter pretioſiora hujus mundi cuſtodiendum? Sed attende, & diſtingue inter amicos: amici enim aliqui ſunt, licet pauciſſimi, qui verè amici ſunt, inter quos eſt communis benevolentia, charitas, & conſenſus; & tali amicitiâ in hac vitâ nihil dulcius, ſuavius, & fructuoſius eſſe poteſt: & de hac non loquitur Propheta, ſed de illa, quæ ſuo ævo vigebat: ſcilicet de amicitia ficta; qua plenus eſt Mundus: loquitur igitur de amicis reſpicientibus ſolùm ad proprium cõmodum, & utilitatem, qui dicuntur amici ad menſam, cave igitur à talibus amicis, nec illis credas, nec te, tuaque confidas: & talis amicus eſt Mundus, qui in faciem, tempore proſperitatis, blanditur, ſed deſerit in tempore adverſitatis. Addit textus: *ab ea, quæ dormit tecum cuſtodi clauſtra oris tui:* ſcilicet ab uxore cuſtodi clauſtra oris tui; ideſt noli fidere tua ſecreta: quæ verba poſſunt intelligi ad litteram de uxore; quia mulier naturâ ſuâ eſt inconſtans, & loquax, & difficile ſecreta ſervat: poſſunt intelligi de ſenſualitate carnis, dans intelligere, quòd ſicut Mundus eſt amicus fallax, ſic multò magis caro, cui non debes teipſum fidere, ſed tantùm Deo benedicto; quia ſicut Mundus decipit, ſic & caro inficit, Chriſtus autem reficit. *Ser. 17. Hexam. Pſal. 117. Ioan. c. 2. ad finem. c. 7. v. 5. & ſerm. 10. de Apoſtol.*

34. *Flagella divina amplecti libenter debemus, ut debita peccatis noſtris.*

Iram Domini portabo, quia peccavi ei. Ecce qualis humiliatio in nobis exigitur, dum à Domino flagellamur: dicere enim debemus Deo: *iram Domini portabo, quia peccavi ei:* Nam peccatum nobis infert pœnam damni, & ſenſus, & omnia alia mala. *Pſal. 118. c. 1. v. 11. op. de prof. relig. l. 2. c. 32.* Et hinc veri pœnitentes hæc verba debent dicere cum à Deo morbo, paupertate, perſecutione, aliiſque ærumnis, ac præſertim tentatione illius concupiſcentiæ, cui olim conſenſerunt, recurrente, affliguntur: *Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei;* tollam nolens grabatum meum, in quo volens jacui, & ambulabo: Sic S. Maria Ægiptiaca, quando tentabatur libidine, dicebat: ſic ſancti viri, cum affliguntur, dicunt mea culpa, hæc meæ culpæ juſta eſt pœna.

35. *Non ſufficit bonum inchoare ſine perſeverantiâ uſque ad finem.*

Donec cauſam meam judicet, &c. Nota ordinem horum verborum in perſonâ juſti, primò proponit tolerantiam in recipiendo patienter flagella Dei tamquam debita peccatis: ſed hoc non ſufficit; non enim ſatis eſt inchoare bonam, & ſanctam vitam ſine perſeverantiâ: ideo addit: *donec cauſam meam judicet:* ideſt hoc faciam ſemper uſque ad mortem; & ſic mediante perſeverantia, educet me in lucem, & videbo juſtitiam ejus. *Ser. 5. de pluri. Mart.*

36. *Propter*

36. *Propter peccata ſæpe aufertur cognitio legis, & veritatis.*

In die illa longe fiet lex. Nota, ad litteram Propheta prædicit Iſraelitis ſuam liberationem, & reædificationem futuram murorum civitatis Ieruſalem, & liberationem à lege, vel tributo Chaldæorum. Sed myſticè loquitur ad chriſtianos, qui poſt Chriſti adventum, in quo eſt tempus ædificationis Eccleſiæ, à multis elongatur. lex divina propter ipſorum peccata. quibus immittitur excæcatio, & aufertur agnitio legis, & obſervantiarum. Peccatum enim tollit exercitium virtutis, & excæcationem cauſat menti. *Pſ.* 118 *c.* 101 *v.* 11. Et hinc nobis fit hæc comminatio, ut peccata à nobis elongemus. *ibid. c.* 9. *v.* 14.

37. *Prædicatores contemnentes terrena, & perſecutiones, timorem incutiunt hoſtibus Dei.*

Lingent pulverem ſicut ſerpentes, &c. Ad litteram prædicit triumphum, quem poſtea Iudæi victores reportaverunt de hoſtibus ſuis, qui ad conſpectum eorum, expaveſcebant, & ab eis fugiebant, ſicut ſerpentes lingunt terram, & timore perculſi ad ſuas cavernas fugiunt. Myſticè loquitur de Miniſtris, & prædicatoribus Chriſti, qui terrena, & perſecutiones ſerpentum, ſcilicet hoſtium Chriſti contemnentes, & ſtrenuè exercentes ſuum munus, timorem incutiunt ſuiſmet perſecutoribus, aſſiſtente eis Chriſto Ieſu. *Luc. cap.* 10. *verſ.* 11.

38. *Chriſtus venit, ut converſorum peccata demergeret in mare ſui ſanguinis, eaque aboleret: & incredulos in mare inferni.*

Quis Deus ſimilis tui, qui aufers iniquitatem, &c. Ecce fructus adventus Chriſti in carnem, qui converſos ad fidem purgavit, projiciens peccata eorum in mare ſanguinis ſui, & ſacramentorum; in quo oſtendit maximè potentiam ſuam, ſicut & in damnatione ipſorum, quos projicit in mare inferni. Utinam, & nos projiciamur in mare ſui ſanguinis, & Sacramentorum ut abluti, & purificati ab omni macula, tandem ad Cœlum perveniamus. *In Luc. c.* 8. *v.* 33. *& Gloſſa hic.*

Et hic explicit poſtilla S. Bonavent. in Micheam.

EXPO

EXPOSITIO SERAPHICI DOCTORIS
S. BONAVENTURÆ
IN
NAHUM PROPHETAM.

PROLOGUS.

NOTA, quod poſt centum annos poſt prædicationem Jonæ, civitati Ninive prædicavit Nahum, eique prædixit totale exterminium; pro eo quod rediit ad ſcelera, & iniquitates priores. Et hinc tropologicè hæc prophetia alludit ad conſummationem mundi futuram, & ad judicium univerſale: in quo mali punientur, & juſti glorificabuntur.

CAPUT PRIMUM.

1. *Flagella à Deo immiſſa ſunt liber, in quo myſteria divina addiſcuntur.*

ONUS *Ninive, liber viſionis Nahum.* Quomodo onus, id eſt calamitas prædicta à Prophetâ, appellatur liber viſionis? ſed rectè dicitur liber: quia flagella à Deo nobis immiſſa, ſunt liber, in quo veluti in ſchola Chriſti addiſcimus diſciplinam Dei: Per viam enim tribulationis venit Dominus ad animam, ut ipſam refrigeret contra æſtum tribulationis, & ad ipſam illuminandam, accendendamque in amore ſuo: ſic vero Deus Pater adoptatum filium tradit ipſum Chriſto in diſcipulum, ut illuminetur, & inſtruatur contemnere terrena, & appetere cœleſtia. *Ser. 4. Dom. 4. Adv. & ſer. 3. Dom. 1. Quadrag.*

2. *In carne aſſumpta Verbum onus, & pœnitentiam pro peccatis noſtris aſſumpſit, & ipſam expoſuit librum nos illuminantem.*

Onus Ninive. Liber viſionis Nahum. Vide quomodo copulat onus cum libro: onus ſcilicet prophetiam oneroſam, & calamitoſam: unde Chaldæus legit: *onus calicis maledictionis*: & ſeptuaginta legunt: *onus lemma, vel aſſumptio*; ideſt onus aſſumptum; & hoc eſt caro à Verbo aſſumpta, ut ait Theophil. ut in ipſa & per ipſam condemnaret peccatum; & ut eſſet nobis liber; quia venit lux ad illuminandum omnem hominem. O quanta myſteria continet hic liber. *Op. Brev. p. 4. c. 1. & in Ioan. collat. 4.*

3. *Deus æmulator boni in juſtis; & ultor mali in malos.*

Deus æmulator, & ulciſcens Dominus, &c. Nota, quod unâ vice appellat Propheta Deum æmulatorem, & ter ultorem: Cur hoc? Æmulator autem dicitur Zelotes; ideſt vehementer amator, & ardens ſuorum, & ultor hoſtium: Unde dat intelligere, quod maximum zelum habet ad tuendum ſuos, ſcilicet juſtos, & ad puniendum malos: illis ſe habet ut Pater, iſtis ut ſeveriſſimus judex. *Ser. 1. Dom. Trinit. op. Brevil. p. 1. c. 9.*

4. *Dei patientia in peccatorem expectando expenditur.*

Dominus patiens, &c. Hic Propheta proponit primo loco patientiam infinitam Dei: ſecundo loco fortitudinem: quia potentia, & virtus ejus per patientiam oſtenditur: & tertio loco dicit Mundans, ſcilicet quantum eſt ex ſe, expectando ut mundet: ſed tamen per hanc expectationem non juſtificat, niſi ipſe homo cooperetur: ſic Sacri Expoſitores. Dicitur autem patiens, & fortis: tum quia malis multa bona præſtat: tum quia peccantes Deus expectat; tum quia ſi eos punit, punit conſolatoriè, & remediabiliter: ſed tamen ipſos non reddens juſtos, ſi in obſtinatione manent: & ideo quo indulgentior eſt expectatio, eo incurabilior eſt pervicacia. *L. 2. d. 36. a. 2. q. 1. ad 1. Pſal. 2. & in Luc. c. 20. n. 9. & ſer. 3. Dom. 6. poſt Pent. & ſer. 1. Dom. 2. Advent.*

5. *In omnibus ſuis diſpoſitionibus ad extra, ſuum dominium Deus intendit demonſtrare: ubi de ſignis, & portentis futuris in judicio.*

Dominus patiens, & magnus fortitudine, &c. In his verbis Propheta intendit demonſtrare Deum dominum omnipotentem omnium rerum, eò quod

quod omnes ejus viæ ſunt in tempeſtate ; & turbine,&c. ideſt ad manum haber ventos, montes, mare flumina, grandines, fulmina, quæ quaſi milites Dei ad ejus nutum excubant, & in hoſtes inſiliunt : ſic dicebat *Pſal*.148. *Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus* : & hoc oſtendet maximè ante judicium, qua die armabit creaturam ad ultionem inimicorum, *ſap.c*.5. Nam in prima die ſe eriget mare ſuper montes : in ſecundâ in tantum deſcendet, ut vix videri poſſit, ut hic dicitur : increpans mare, & exſiccans illud, &c. in tertiâ, belluæ marinæ, aſcendentes ſuper mare, dabunt rugitus uſque ad Cœlum : in quartâ, ardebit aqua : in quintâ, arbores & herbæ dabunt rorem ſanguineum : in ſextâ, ruent ædificia : in ſeptimâ, petræ collidentur ad invicem:in octavâ, erit generalis terræ motus : in nonâ adæquabitur terra:in decimâ, exibunt homines de cavernis ſuis, & ibunt velut amentes.& præ ſtupore non poterunt ſibi mutuò loqui : in undecimâ, aperientur ſepulchra, & ſtabunt oſſa ſuper ea : in duodecimâ, ſtellæ cadent de cœlo : in tertia decima, morientur homines, & cum mortuis reſurgent : in quarta decima, ardebit Cœlum, & terra ; id eſt ſuperficies terræ, & aëris : in quintadecimâ fiet Cœlum novum, & terra nova, & reſurgent homines, & fiet judicium : Hæc omnia innuit Propheta : unde concludit : *ante faciem indignationis ejus quis ſtabit ? In Luc.c*.8.*v*.24. *& c*.21. *v*.27. *& S.Hieron*.

6. *Solus Deus bonus, à quo omnis bonitas redundat : & præcipuè talis eſt in tribulatione juſtorum.*

Bonus Dominus, & confortans in die tribulationis.&c. Nota priora verba : *Bonus Dominus* ; verè bonus,imò ſolus bonus, à quo per participationem omnis bonitas deſcendit in creaturam, & ideo finis omnis boni eſt ; & per Spiritum ſanctum ejus bonitas manat in hominem : Hoc verum eſt, ſed tamen maximè bonum ſe oſtendit homo in tribulatione pro Chriſto tolerata, & ab ipſo illata : unde meliùs eſt tribulari cum Chriſto, quàm ſine ipſo regnare,epulare, & gaudere; quia cum tribulato eſt Deus. *In Luc.c*.18.*verſ*.19. *Pſal*.118.*c*.5.*v*.4.*op.Phar.l*.4.*c*.48.

7. *Deus non punit bis in idipſum : & quomodo non conſurget duplex tribulatio:ubi de pœnitentiâ, & pœnâ peccatorum.*

Quid cogitatis contra Dominum ? conſummationem ipſe faciet:non conſurget duplex tribulatio. Ad litteram hæc verba diriguntur ad Aſſyrios, qui intendebant denuo captivare Iſraëlitas q.d. quid vos cogitatis Domino vlciſcenti reſiſtere ? qui vos conſumet, & diſperdet Deus : ſecundò non permittet, ut ultra patiantur Judæi. Myſticè tamen dat intelligere nobis, quòd licèt Deus permittat duplicem ultionem peccatorum in animam,& corpus,per calorem, & frigus,& in præſenti, & ſi eſt impœnitens homo etiam in futuro : tamen quantùm ad proportionem ad meritum, non conſurget duplex tribulatio,quia ſemper Deus punit citra condignum, tum etiam quando peccata ſunt dimiſſa, quantùm ad culpam, & pœnam ; tunc non poſſunt redire etiam per ſubſequentem culpam, quia Deus non punit bis in id ipſum. *L*.4. *d*.15. *p*.1. *dub*.1. *& d*.22. *a*.1. *qu*.2.

8. *Guloſorum convivia Deo exoſa.*

Quia ſicut ſpinæ ſe invicem complectuntur, ſic convivium eorum pariter, &c. Cur convivantes guloſos comparat propheta ſpinis inter ſe colligatis ? ſed obſerva myſterium : primò quia ſicut ſpinæ inter ſe colligantur ad durius pungendum, & lacerandum ; ſic convivones, & combibones inter ſe ad menſam copulantur, ad diſſidia, & detractiones emittendas, & ad feriendum proximum : ſecundò, quia ſicut ſpinæ inter ſe colligatæ exſiccatæ, ſolùm ad ignem ſunt aptæ, ſic Deus iſtos guloſos quaſi in faſciculo ſtringit, & colligat, & ignem eis ſubjicit. *In Luc. cap*.6. *verſ*.11.

9. *Superbia aufert uſum rationis, & evaneſcere facit hominem.*

Ex te exibit cogitans contra Dominum malitiam mente : pertractans cogitationem. Nota quòd hic propheta loquitur cum Ninive de Sennacherib ſuo rege, dicens, quod propter ſuperbiam, quâ erexit ſe contra populum Dei, exiit extra ſe quaſi mente captus,& confuſus remanſit à Deo : ſic dat intelligere, quòd ſuperbia aufert uſum rationis, & evaneſcere facit ſuperbum erigentem ſe contra Deum : & dum malè dominus aliorum vult eſſe, confuſus remanet ſervus vitiorum, & aliorum. *In Luc.c*.14.*v*.18.

10. *Evangelii prædicatio quanta bona attulit.*

Ecce ſuper montes pedes evangelizantis, & annuntiantis pacem : Nota, quòd ad litteram prædicit Propheta gaudium Iſraëlitarum ob mortem Sennacherib, & liberationem à captivitate, dicens, quod ſtatim Ezechias hoc evangelium,ideſt bonum nuntium,præcurſores miſit ad montes & ad omnes partes Judeæ, ut omnes gauderent, & gratias Deo agerent : ſed myſticè alluſio fit ad prædicationem Evangelii, factam per Chriſtum,& Apoſtolos ſignificatos per pedes per totum orbem diſcurrentes ; propter quod ſubdit unicuique noſtrum : *Celebra Iuda feſtivitates tuas, & redde vota tua*,ſcilicet age Deo gratias ob hoc immenſum bonum in hymnis, Pſalmis, & canticis ſpiritualibus. Prædicatio enim Evangelii eſt unum ex potiſſimis mediis, & remediis ſpiritualibus ad reddendam efficacem pro nobis Chriſti Paſſionem, & Redemptionem. *in Luc. c*.4.*verſ*.18. *in Ioan. collat*.36. *in Thren. cap*. 1. *& Gloſſa,&c.*

11. *Qualiter celebranda ſunt feſta Eccleſiæ, & qualis fructus ex tali celebratione.*

Celebra feſtivitates tuas, & redde vota tua : Ad litteram, quia per obſidionem factam civitati Ieruſalem per Sennacherib, intermiſſæ fuerunt feſtivitates, aliaque ſacrificia : hinc ipſo occiſo dicitur populo : *celebra feſtivitates tuas,&c.*myſticè dat nobis intelligere qualiter dies feſtos Eccleſiæ ſolemnizare debemus, & quales fructus

expectare poſſimus ex tali celebratione : celebra ait, feſtivitates tuas ô homo, & redde Deo vota tua : nempe celebra feſtivitates, quas Deo promiſiſti ; celebra non feſta ſatanica, vel mundana, in quibus vacatur operibus peccatorum, & commeſſationibus, & luxuriis, voluptatibusque carnis ; ſed feſtivitates, in quibus quieſcendo ab operibus ſervilibus, & peccatis, vota Deo ſolvantur, ſed indulgetur divino cultui, & laudibus ; & ad hoc ut rectè celebrentur aſcende ad templum materiale, ut Deum ores ubi veri Dei aut præcepta inſinuantur, aut miracula, & verba Dei narrantur, aut dona cæleſtia laudantur aut beneficia poſtulantur ; & ſi non potes, aſcende ad templum ſpirituale cordis tui, & ibi redde Deo vota tua : Et quid ex hoc ſequetur? *quia non adjiciet ultra, ut pertranſeat in te Belial*, ideſt diabolus in te amplius poteſtatem non habebit. *Ioan. collat. 36. & S. Aug. Cyrill. & Theophil.*

CAP. II.

12. *Peccata ſpiritualia magis quam corporalia diſſipant bona naturæ & gratiæ.*

QUIA reddidit Dominus ſuperbiam Iacob, ſicut ſuperbiam Iſraël, quia vaſtatores diſſipaverant eos, & propagines eorum corruperunt. Nota, quòd dicit cum ſuperbia veniunt vaſtatores ; quinam ſunt iſti vaſtatores corrumpentes peccata, ſcilicet ſpiritualia, nempè ſuperbia, inanis gloria, & invidia; iſta enim & ſimilia magis vaſtant omnia bona tum naturæ, tum gratiæ, quàm corporalia. *Luc.c.15.v.13.*

13. *Affectiones, & actus voluntatis ignita Dei amore diſſipant omnia diabolica tela, & attrahunt divinam gratiam.* Undè contra inſultus Aſſiriorum hic Propheta opponit clypeum ignitum fortium virorum exercitus ſcilicet Chriſti, nempè ſervorum ſuorum, qui talibus armis ſe defendunt ab hoſte infernali.*Pſal.118.c.9.v.12.*

14 *Juſti oſculantur virgam, qua Deus eos nunc percutit, ut ipſam poſtea Deus projiciat in ignem, eoſque conſoletur.*

Afflixi te & non ultra affligam, & nunc conteram virgam de dorſo tuo. Ecce quid facit Dominus Deus cum ſuis filiis, poſtquam eos flagellavit per Tyrannos, & perſecutores, nempè ſicut bona mater, quæ poſtea projicit in ignem virgam, qua filium percuſſit : ſic facit Deus cum juſtis, qui virgam oſculati ſunt, & patienter ſuſtinuerunt perſecutiones : nam eos conſolatur in Cœlo, & virgam in ignem projicit. *Ser.1. S. Petri ad vinc. in addit.*

15. *Paſſio Chriſti Jeſu, expoſitio ipſius vulnerum, & horum fructus expenduntur.*

Portæ fluviorum apertæ ſunt : templum uſque ad ſolum diruitum, & miles captivus adductus eſt, & ancillæ ejus minabantur gementes ut columbæ. Nota ad litteram exponit Propheta obſidionem, & capturam & deſolationem Ninive : ſed myſticè loquitur de Chriſto, cujus templum, ideſt corpus ad ſolum dirutum eſt in Paſſione, quia à capite, uſque ad pedes laceratum eſt, & attritum, & mortuum : In cujus Paſſione ipſe captus eſt ut miles, qui Gigantem gladio invaſit, ſcilicet Crucis baculo, ſicque captus fuit, colaphizatus, humiliatus, flagellatus, & crucifixus, & tunc portæ fluviorum apertæ ſunt, ſcilicet vulnera corporis ejus aperta, tamquam portæ cæleſtes, è quibus non ſolum ſanguis, & aqua, ſed gratiarum plenitudo profluxit ; ad quarum aperitionem ancillæ gementes, ut columbæ minantur ſcilicet animæ Chriſto compatientes, minantur, imò volant ad ipſa, ut ibi nidificent : quibus ſic ſtantibus intonat Eccleſia continuè ſuis fidelibus ; Portæ fluviorum apertæ ſunt, ô vos omnes ſitientes venite ad fontes ſalvatoris. *Ser. 4. in Paraſ. ſer.4.in Paſcha.*

16. *Portæ corporis apertæ introducunt in animam mortem.*

Portæ corporis apertæ : templum ad ſolum dirutum, & miles captivus. Nota, quòd myſticè iſtæ portæ ſunt ſenſus corporis, qui ſi liberè aperti tenentur, introducunt mortem in animam, quæ aſcendit per has feneſtras, & templum ad ſolum diruitur, ſcilicet cordis templum inficitur, & deſolatur.*In Thren.c.1.*

17. *Qui in hac vita gemere, & gemendo nidificare non vult in vulneribus ſalvatoris ; poſt hanc vitam gemet ut captivus cum Dæmonibus.*

Minabantur gementes ut columbæ, murmurantes in cordibus ſuis. Ecce quid accidit impiis Ninivitis, qui nolentes converti ad Dominum prædicatione hujus Prophetæ, nec pœnitendo gemere ad Deum vera contritione ; ſicuti fecerant eorum Majores voce Jonæ : captivi facti poſtea gemebant murmurantes ſine remedio : Daique Deus intelligere per hoc, quòd qui in hac vita renuit obedire vocibus Dei vocantis per ſe, & per ſuos miniſtros ad ſe, & veluti columba gemens vera pœnitentia non vult recurrere ad nidificandum in vulneribus ſalvatoris, in alia vita gemet æternaliter cum Dæmonibus ſine remedio. *Ser.de Sancta Catharina.*

18. *Servi Dei non ſolùm gemunt pro peccatis propriis, ſed & pro alienis ; maximè videntes proximum in neceſſitate ſpirituali poſitum.*

Miles captivus adductus eſt, & ancillæ ejus minabantur gementes ut columbæ. Quænam ſunt iſtæ ancillæ gementes poſt militem captivum? Ad litteram, ancillæ videntes Dominos ſuos captivos in Ninive ibant gementes, & plorantes præ compaſſione

compaſſione : myſticè miles captivus eſt homo peccator in laqueis tentationum factus captivus diaboli, hanc miſeriam videntes ſervi Dei gemunt, plorant & orant, non ſolum pro ſe, ſed & pro miſeria proximorum. *Luc.c.2.verſ.24.c.6. verſ.48.*

19. *Mors & Iudex ſupremus nemini parcit, nec reſpicit ad divitias, vel alias quaſcumque dotes, ſed bonos à malis ſeparat.*

Diripite aurum, diripite argentum, &c. Ad litteram deſcribit Propheta direptionem, & deſtructionem factam civitatis Ninive à Chaldæis; depopulationem, & expoliationem omnium divitiarum, metumque Ninivitarum cor occupantem, & pallorem & nigredinem facierum ob deſtitutionem influentem cordis : ſed myſticè alluditur ad ſtatum miſerabilem hominis exiſtentis in periculo, vel articulo mortis, cui aurum, vel argentum, vel divitiæ, vel opes, vel quodcumque aliud refugium externum non ſuffragatur, ſed totum cor, & corpus, & anima pavida, miſera, tremebunda ſunt, nemini parcens: unde de iſto peccatoris ſtatu ſubdit Propheta: Vaſtatores diſſipaverunt eos, propagines corrumpunt; Vaſtatores iſti ſunt dæmones, qui tres propagines animæ, ſcilicet potentias, & vites corrumpunt, & vaſtant. *In Thren.c.4.Pſ.118. c.4.v.5.ſer.1.feria 3. Paſcha; & ſer.2. de Rectorib. in addit.*

CAP. III.

20. *Sanguis peccatorum clamat vindictam; ſanguis Chriſti miſericordiam.*

VÆ civitas ſanguinum univerſa mendacii, dilaceratione plena, non recedet à te rapina, vox flagelli, & vox rotæ & equi frementis, &c. & micantis gladii: Nota, quod Ninive appellatur à Propheta civitas ſanguinum; cur hoc? quia plena, & abſorpta tota in peccatis, quæ in Scriptura ſacra nomine ſanguinis veniunt, & ideo iſta peccata emittebant voces flagelli, & vindictæ ad Deum, quia ſic, ſic eſt, peccata noſtra clamant vindictam ad Deum, plusquam vox Abel occiſi à fratre; ſicut è contra ſanguis Chriſti clamat miſericordiam. *Ser.3.Dom.15. Pentec.*

21. *Qui in hac vita non revelat Chriſto, & Confeſſario pudenda ſua, revelabuntur à Chriſto toti Mundo in judicio.*

Ecce ego ad te dicit Dominus exercituum, & revelabo pudenda tua in facie tua, &c. Nota ordinem verborum; prius dicit Deus revelabo pudenda tua in facie tua; ſed quæ pœna eſt hæc revelare pudenda in facie ipſius peccatoris? poſtea addit, *& ponam te in exemplum*; quomodò in exemplum ponetur, & in contumeliam, ſi ſoli ſibi erunt nota pudenda? ſed attende ad ſecretum mirabile: proponit duplicem revelationem pudendorum, alteram faciendam ſecretò in facie ſolius peccatoris, & confeſſarii; qui ſic revelaverit peccata ſua, aufugiet; & liberabitur à contumelia, & ignominia publica in die judicii; quod ſi hanc revelationem ob erubeſcentiam effugies omnia pudenda tua, & peccata ſive pauca, ſive magna coram omnibus hominibus, & Angelis revelabuntur, cum ineffabili tua ignominia, & pœna. *Ser.4. Ciner, & ſer.2. Dom.22. Pent: & ſer.1. de S. Bartholom. in addit. & Comp. Theol.lib.3.c.7.& lib.7.c.17.* Addunt hic ad rem pulcherrimam expenſionem ſacri Doctores; nempè quod magna Dei gratia eſt, cum peccatori revelat, redditque ei manifeſtam ſuam turpitudinem, ac ſordes voluptatis illicitæ, eſt enim hoc maximum excitamentum ad cognitionem ſui miſerrimi ſtatus, & ad reſipiſcendum à priſtina vita, quod manifeſtatur exemplo meretricis; ſicut enim exterius, & publicè nihil meretrice videtur ſpecioſius, & elegantius, ſic interius, & domi & in corpore nihil putidius, ſordidius, vilius, miſerius, pauperius adeo; ut ſæpe adoleſcentes, qui in illas ita pompoſas rapiuntur, viſis earum internis ſordibus nauſeant, & eas abominentur: Tale eſt peccatum, & peccatrix anima: puta eſt quaſi ornata meretrix, & ſepulchrum dealbatum, exterius nitens, interius putens, & fœtens; exterius Venus, interius Anus; exterius formoſa ut Lais, interius deformis ut Thais; publicè ſplendidior Cyro, domi pauperior Iro, vix habens panem atrum, quem manducat: ô nimis verum: & hoc etiam ad mentem, licet non ad verbum Seraphici Doctoris. *Ser.3.Dom.6. Pentec. & ſer.4. Dom. Palm. & ſer.2.feria 2. Paſchæ: in Luc.c.9. v 44.* & hinc eſt, quod corpora luxurioſorum ſunt ut plurimum fœtentia, & male olentia.

22. *Deus homines affligit, ut ſint in exemplum cæteris proficiendo.*

Afficiam te contumeliis, & ponam te in exemplum. Vide ad quid Deus affligit homines ſive bonos, ſive malos; ut ſint in exemplum cæteris: *In Ioan.collat.61.* nempè ſi vides proximum tuum afflictum non proficere, deficere, ut ei compatiaris, ut pro ipſo ores: ut tibi proponas fugam impænitentiæ, & multo magis ſi vides proximum tuum in tribulatione proficere.

23. *Mundi contemptus ſuadetur.*

Oſtendam gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam, & projiciam ſuper te abominationes, omnis, qui viderit te, reſiliet à te, &c. Hic ſacer textus exprimit miſerias, in quas poſteà cecidit Ninive, & propter quas omnes gaviſi ſunt, quia omnibus erat inviſa: myſticè loquitur Spiritus ſanctus de miſeriis, & vanitatibus Mundi, quas ſuis ſequacibus revelavit, & continuè revelat, ut ab omnibus deſpiciatur; unde felix eſt ille, qui contemnit Ninivem Mundi cum ſuis vanitatibus; cognitio enim vanitatis rerum ſæculi hujus, cum omnia tranſeant, & mutabilitati ſubjaceant, & plena periculis ſint, excitat animam ad ipſum contemptum. *Op. de contemptu ſæculi.*

24. *Hypocritarum apparentia damnatur.*

Plures feciſti, quam ſtellæ Cœli ſint, negotiationes tuas: Loquitur hic Propheta ad civitatem Niniven, ſcilicet ad mundanos; & dicit, quod ejus negotiationes ſunt plures, quam Cœli ſtellæ; ſed quomodò hoc verum? quare negotiationes ejus comparat ſtellis Cœli? ſed attende, quod loquitur de negotiationibus iniquis hypocritarum qui ſunt ſequaces vanitatum Mundi: iſti enim in ſe ipſis ſpeciem Cœli mentiuntur ſe habere, & plura bona, quam habeant, fingere non verentur, quia tales ſtellæ non ſunt ſtellæ veræ, cum non ſint fixæ in corpore Cœli, & ideo ſemper pereunt, & cadunt in fine, ſicut quaſdam flammolas ſtellis ſimiles de Cælo in noctibus cadere ſæpius eſt videre; ſic hypocritarum opera, quamvis ad tempus inter juſtorum merita lucere videantur, in fine tamen, quia à fructu vacua ſunt, funditus annullantur. *Op. de Eccleſ. Hierarch. p. 4. c. 4.*

25. *Dormitatio Prælatorum cauſa eſt ruinæ populorum.*

Dormitaverunt Paſtores tui, &c. Ecce cauſa ruinæ civitatis Ninive, nempè dormitatio Principum, & negligentia in congregando ſubditos, & excitando eos ad bellum: & hinc dat intelligere, quod dormitatio Prælatorum cauſa eſt ruinæ ſubditorum, nempe quando negligunt ſuos ſubditos viſitare, & ſuis exemplis laudabilibus ad ſimilia invitare; quandò eos ſacris eloquiis, quaſi ſacris alimentis vegetare recuſant: quando in vitiis illaqueati vivunt, relinquentes ſubditos perire: ô infelix ſtatus ſimilium ſubditorum. *Pſal. 118. c. 2. v. 12.*

Explicit poſtilla Seraphici Doctoris ſuper Nahum.

EXPOSITIO SERAPHICI DOCTORIS S. BONAVENTURÆ IN HABACUC PROPHETAM.

PROLOGUS.

HABACUC Judæus Propheta vixit, & prophetavit ante Sophoniam; & Jeremiam paulò poſt Nahum; prædixitque excidium Babylonis, & Chaldæorum, & liberationem populi Judaici à captivitate; & hinc aſſurgit ad Chriſtum Redemptorem, eique c. 3. carmen inſigne pangit, quo ejus Natalem, vitam, paſſionem, reſurrectionem, ſecundum Adventum ad Judicium graphicè depingit, & celebrat: fuitque vir ſanctiſſimus.

CAPUT PRIMUM.

1. *Servi Dei inſtruuntur in reſiſtendi modo tentationibus impatientiæ, quando vident ſe non exauditos in ſuis orationibus à Deo.*

VSQUE QUO *Domine clamabo, & non exaudies, vociferabor vim patiens, & non ſalvabis?* Hæc dicebat Propheta clamans coram Deo ex eo quod poſt inſtantem orationem Deo fuſam pro populo ſuo, non videbat apparere aliquod remedium tot malis, & peccatis, & flagellis, ſtragibuſque, quæ graſſabantur; & hoc eſt quod, quilibet juſtus debet facere, ſi aliquando Deus ſurdum ſe oſtendit ſuis precibus, tunc enim conſurgit tentatio impatientiæ contra Deum, quare tam durus, & immiſericors ſit tribulato, tam parcus in dando egeno gratiam; & tam anxiè petenti, & tam importunè pulſanti: tunc autem Dei ſervus patienter tolerare & humiliter expectare debet; & non ceſſare ab oratione & cum fiducia dicere; *uſquequo Domine clamabo, & non exaudies:* cavens diligentiſſimè ne deſiſtat à pulſando auribus Dei, nec animum veluti laſſum remittat à ſollicitudine quærendi à Deo remedium; vim faciens ſibi tam corpori, quàm animæ; & quia multi in hoc deficiunt relinquentes ſtudium orationis, & ſe diſtrahentes ad jocos, & ad alias exteriores occupationes, ideo hæc tentatio valdè periculoſa eſt; & indiget maxima cautela; & perſeverantia in ſtudio orationis. *Op. de prof. Religioſ. lib. 2. c. 2. & 71. & 72.*

2. *Providentia Dei in permittendo; quod impius prævaleat in juſtum; & juſtus torqueatur ſine culpa, expenditur.*

Quare oſtendiſti mihi iniquitatem, & laborem; videre prædam, & injuſtitiam contra me, &c. quia impius prævalet adverſus juſtum, propterea egreditur judicium perverſum: Ecce cauſæ clamoris, & anxietatis Prophetæ, quia enim videbat leges Dei conculcatas, Judices, & Prælatos injuſtos injuſtè condemnantes juſtum, & abſolventes reum; impium prævalere in juſtum; & ſine cauſa ipſum torquere, ideo ad Deum clamabat, & conquerebatur; Hoc autem excitat apud Theologos quæſtionem celebrem, an poſſit pœna eſſe in aliquo, & ipſe puniri ſine culpa præcedente: cui reſpondetur, quod abſolutè loquendo non poteſt eſſe pœna ſine præcedente culpâ, ut eſt culpa Adæ; ex qua orta eſt omnis pœna: ſed tamen in juſtis, & innocentibus datur pœna, quæ ordinata ad prius peccatum; quòd ampliùs non eſt præſens, ſed remiſſum quoad culpam, ordinari etiam poteſt, & verè ordinatur à Deo ad poſterius, ſcilicet ad bonum, quod indè elicitur, tale enim malum pœnæ recompenſatur per majus bonum, quod inde elicitur, ut patet in juſtis, & innocentibus, qui Deo permittente torquentur perſecutionibus, & calamitatibus. *Lib. 2. d. 36. a. 2. q. 2. in ſap. c. 2.*

3. *Judices iniqui lacerant legem Dei per injuſtitias:* unde dicitur à Propheta: *propter hoc lacerata eſt lex, & egreditur judicium perverſum:* dum enim abſolvunt reos, puniunt innocentes; tunc legem divinam lacerant, & conculcant: *Serm. 1. de S. Matthia. ſerm. de S. Luca ſer. 9. de Apoſt.* Nota autem, quod dicit: *factum eſt judicium, & contradictio potentior;* quia quando potentia, & non

atio, lexque dominatur totumregnum, & reſpublica ſubvertitur. *Sap.c.2.*

4. *Providentia Dei iterum expenditur in præverſione ordinis ab ipſo ſtatuti.*

Quare impius prævalet adverſus juſtum, propterea egreditur judicium perverſum. Vide iterum quomodo Propheta videns tam magnam inordinationem legum in mundo conqueritur, & hoc eſt, quod valdè torquet multos admirantes judicia Dei, quibus pios opprimi, & impios proſperari permittit; quæ perſcrutatio eſt valdè periculoſa, quia inducere poteſt dubitationem de Dei providentia; undè cum Propheta querimoniam ſuam explicaſſet, poſtea à Deo reſponſum accepit, & illuminatus fuit, quod Deus rectè omnia ordinat, ad majorem profectum flagellati, vel ad ſui gloriam. *Lib.4.d.15.p.1.dub.1.& 4.ſap. c.2.& Eccleſ.c.8.* Hic autem Sancti Doctores varias cauſas ex Sacra ſcriptura ultrà ſecretas, quas in mente reſervat ſibi Deus, aſſignant, ob quas permittit in pios injurias, & ſcelera: prima eſt, ut oſtendat ſuam longanimitatem, impaſſibilitatem, & celſitudinem, ſcilicet ſe in his ſceleribus non tangi, non pungi, non affligi, non turbari, ſed in ſereniſſima gloria longè ſuper jura, & injurias mortalium eminere; ſic Sanctus Anſelmus, *lib.* cur Deus homo: & Philo. *lib.* 1. de Monarchia. Secunda eſt, ut piis det materiam patientiæ, conſtantiæ, & virtutis, ſic ſanctus Bonaventura cit. Tertia, quia Deus impios longa, & divina patientia ad pœnitentiam expectat, ideoque eos caſtigat remorſu conſcientiæ, quæ non pauca ſcelerum pœna eſt. Quarta, ut oſtendat omnes hujus mundi opes, pompas, proſperitates, velut res parvi momenti eſſe contemnendas, ideò eas ſæpè dat Deus ſuis hoſtibus, negat verò ſuis amicis: ſic ſanctus Auguſtinus. *In c.27. Matth. Pſal.36.* Quinta, ut permittat impios ſuæ libertati, oſtendatque quanta ſit vis concupiſcentiæ ex lapſu Adæ contractæ, & ut agnoſcant ſuam inſipientiam mortales, & gratiam Chriſti efflagitent: ſic Sanctus Athanaſius ſerm. de Paſſione Domini: Sexta, ut oſtendat tempus præſens eſſe operandi benè, vel malè, merendi, vel demerendi, ſequens verò judicii, præmiorum, & pœnarum, quo omnia judicia perverſa hominum reformabit, corriget, & æquitati reſtituet; ſic Sanctus Auguſtinus *in Pſ.7. & S. Greg. lib. 5. Moral. hæc omnia tradit ſparſim S. Bonav.*

5. *Diaboli poteſtas eſt maxima, cui nullus homo ſine peculiari Dei auxilio reſiſtere valet:* Unde hic dicitur in perſona Chaldeæ gentis: *Horribilis, & terribilis eſt, &c. lib.2.d.28.a.2.qu.2.* Nota etiam, quòd hanc poteſtatem exercet maximè morte inſtante: unde ſubdit volabit quaſi Aquila feſtinans ad comedendum; omnes ad prædam venient: Nota, quòd dicit ſicut Aquila, quia ſicut Aquilæ circa cadaver fœtidum congregantur, ſic Dæmones circa peccatorem feſtinanter conveniunt morientem, unde abſque Dei auxilio evadere non poteſt, neque fugiendo, neque defendendo ſe, nec reſiſtendo. *Serm.3. Dom.14. Pentec. in Luc.c.11.v.21.*

6. *Caveat homo, præcipueque Religioſus, & ſuper omnes Confeſſarius ab aſpectu faciei mulieris, dum proſtrata antè eum confitetur peccata ſua:* de qua dicitur hic; *facies ejus ventus urens,* ſcilicet ingerens ignem concupiſcentiæ in cor ejus. *Op. Confeſſion.c.1.p.3.v.lib.4.d.33.dub.3.& ſer.2.de invent. S.Cruc.& op.de Profect. Religioſ. lib.1. c.ult. lib.2. c.5. op.Regula Novit. c.11. & op. de modo confit. cap.14.*

7. *Qui Dæmones admittit perſuaſores, ipſos in morte, & in Inferno habebit irriſores.*

Et ipſe (ſcilicet Nabuchodonoſor Rex Chaldæorum) *de Regibus triumphabit, & Tyranni ridiculi ejus erunt.* Nota, quòd hic Propheta loquens de Nabuchodonoſor prædicit victorias, quas reportaturus erat, & de facto reportavit de multis Regibus, & Principibus, quos fecit ſibi ſubjectos, ſcilicet Moriones, Equiſones, imò ſcabellum pedum ſuorum eos irridendo, & conculcando: myſticè autem iſte Rex eſt diabolus, qui circuit continuè quærens quos devoret, tentet, & ad malum ſuadeat, eis pollicendo multa bona, ſed poſteà, quando eos ad præcipitium ruere fecit, irridet veluti ſuos captivos: undè ſuis perſuaſionibus, qui in vita conſentit, diabolum irriſorem habebit in morte; imò etiam in curſu vitæ mortalis irridet ſibi conſentientes, ut eos in deſperationem inducat. *Serm.5. Dom.1. Advent. vid. lib.2.d.21.dub.3.& lib.3. d.19. a.1. quæſt. 3. Luc. c.4.v.11.*

8. *Orationis modus Deo fundendæ in tempore tentationum diaboli, & perſecutionum Tyrannorum, & hoſtium maximè tempore belli traditur.*

Numquid non tu à principio Dominus Deus meus Sancte meus, & non moriemur, &c. Nota ad litteram, quod Propheta poſt prædictionem ſtragis futuræ per Nabuchodonoſor in populo Dei, ſe ad Deum convertit in his verbis, in quibus continetur ſumma orationis efficaciſſimæ: dicit enim; *Numquid non tu à principio Dominus Deus meus*; recognoſcens primo loco Deum æternum, & principium, & cauſam omnis creaturæ, ejuſque perfectum dominium in omnes; ſubdit: *Sancte meus*: recognoſcens Deum fontem ſanctitatis, & ideò ſupplicans pro populo, qui ipſum ſanctis ritibus, & operibus colebat, petit, ut iram ſuam convertat in Chaldæos impios, & Idololatras: ſubdit: & non moriemur: ut oſtendat ſuam orationem perfecta fiducia ornatam impetraturam, quod petebat: ſubdit: Domine in judicium poſuiſti: recognoſcens, quod Deus, permittit tentationes diaboli in nos, perſecutiones hoſtium potentum, ut nos tentet, & corrigat, & ad meliorem frugem inducat: & ſubdens mundi ſunt oculi tui, ne videant malum, intendit petere à Deo ne magis ſit propitius Chaldæis Idololatris, & maximis peccatoribus, quàm populo ſuo ſibi ſervienti. *Vid. in Ioan. collat. 1. Luc. c.11. v.21. S.Hieron. aliique Patres.*

9. Dê

9. *Dei ſanctitas expenditur, ejuſque odium ad peccatum.*

Domine Deus meus, ſancte meus, &c. Nota, quod Propheta in hac oratione ad Deum fuſa pro populo appellat ipſum Dominum Deum, & Sanctum (Sancte meus) & deinde dicit, quod mundi ſunt oculi Dei ita, ut non poſſint aſpicere, & videre peccatum; quomodo hoc vere poteſt dici? nonne ipſe novit abſcondita omnia cordis & bona, & mala? ſed attende, quod duplex eſt cognitio divina, alia pura, alia approbationis, & hac ſecunda non cognoſcit malum, quia ipſum non approbat, quia eſt purus, ſanctus, & fons omnis ſanctitatis: hæc autem conſiſtit in conformitate cum lege æterna, quæ eſt in mente Dei; ob idque eſſentialiter identificata cum Deo; & hinc oritur, quòd tam ferventer diligit & exigit ſanctitatem in nobis, & odit ſuper omnia peccatum, quia ſolum eſt oppoſitum ipſi Deo, ob idque ſolùm malum propter quod etiam ex conſequenti odit peccatorem; ideo non eſt mirum, quod propter odium ad peccatum rejiciat à ſe creaturam, eamque finaliter deputat ad incendia æterna. *Lib.1.d.39.a.1.q.2.ſerm.2. Hexam. op.de Proſ. Religioſ.lib.2.c.22. Ioan. c.2. in fine. Luc. capit. 13. verſ.26.*

10. *Mare mundus eſt, in quo piſces grandes devorant minores.*

Facies homines quaſi piſces maris, & quaſi reptile non habens principem. Cur aſſimilat homines piſcibus maris? quænam proportio eſt inter ipſos? Sed attende, quod hæc comparatio eſt optima, nam hic mundus eſt veluti mare tempeſtuoſum, in quo ſunt homines, qui velut piſces enatant aquam maris hujus, & ſicut in mari piſces grandes devorant minores, ita in hoc mundo potentes iniqui ſua potentia & malitia juſtos, & pauperes circumdant, cruciant, & devorant, unde verum eſt adagium commune homo homini lupus; & hoc maximè facit diabolus. *Ser.1.in Rogat. Luc. cap.5.v.7.*

11. *Mare eſt mundus, in quo Chriſtus per ſe, & ſuos piſcatores piſcatur animas, & ſequentes ſe: & diabolus è converſo idem facit.*

Facies homines quaſi piſces maris, &c. Nota hanc elegantem metaphoram, qua Spiritus Sanctus edocet qualis ſit induſtria Chriſti Jeſu in piſcando animas per ſe, & ſuos miniſtros piſcatores; & qualis è contra induſtria diaboli in trahendo homines in mare Inferni; habet enim Chriſtus ſuos piſcatores, ſcilicet Apoſtolos, & miniſtros; habet & diabolus ſuos, qui hamo ſub eſca terrenæ delectationis tegit hamum æternæ damnationis, & ſic captivat homines, & trahit in rete æternæ damnationis: ô quàm verum hoc; ô quam verum eſt quod deplorat Iſaias *c.5.* captivus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam, & nobiles ejus mierierunt fame, & multitudo ejus ſiti exaruit, propterea dilatavit Infernus animam ſuam: Piſcatores autem diaboli ſunt viri ſeductores, & mulieres malæ, conſiliarii perverſi, qui verbis, factis, muneribus, conſiliis & malis exemplis trahunt animas à dextera Chriſti, ad ſiniſtram diaboli *Luc. c.5. v.7. & ſer.4. de Nativ. & ſer.2 feria 4. Pent. Ioan. c.12. v.35. & c.21. v.8. Ecclen.c.6. & 9.*

12. *Perfectiores, & Religioſi Deo dicati capti à diabolo ſunt ejus cibus electus.*

Propterea immolabit ſagenæ ſuæ, quia in ipſis incraſſata eſt pars ejus, & cibus ejus electus. Nota, quòd Propheta in perſona Nabuchodonoſor introducit, vel potiùs proſequitur metaphoram de captura piſcium in ſua ſagena, & rete, & dicit, quòd in ipſa continetur cibus ejus electus. Quis iſte cibus electus? ſed quia hic per Nabuchodonoſor intelligitur diabolus, & datur intelligi, quod cum omnes peccatores ſint cibus diaboli, quos ipſe trajicit in ventrem Inferni, inter iſtos tamen continetur cibus charus, & electus, ſuntque viri ſpirituales; Deoque ſervientes, quando eos decipit, & captivat, tuncque magnum feſtum facit, tunc tripudiat, quaſi nihil alios æſtimans. *Op. medit.c.36.*

13. *Luxuria ſagena diaboli, in qua ad ſe trahit omnes ferè homines.*

Propter hoc expandit ſagenam ſuam, & ſemper interficere gentes non parcet. Nota, quòd diabolus inter ſua retia, ſagenam habet, eſtquo rete maximum in quo capiuntur omnes piſces, tam grandes quam pauci. & hæc ſagena èſt luxuria, quam extendit per mare hujus mundi, & devorare conatur omnes cujuſcumque conditionis, quòd nimis verum eſt, qu a hoc vitio ferè totum mundum, & majorem hominum partem inficit, involuit, & capit. *Op.Diet.tit.1.c.9.*

CAP. II.

14. *Qualis cuſtodia habenda ab homine, ut in judicio Deo reſpondere poſſit.*

SUPER *cuſtodiam meam, ſtabò, &c.* Ecce quali ſollicitudine vivit juſtus ſuper ſe ipſum, & ſuper opera ſua, ut poſſit in judicio divinò audire, quæ ipſi objiciantur, & eis reſpondere per opera bona: judicium enim exactum, quod unicuique noſtrum fieri debet, eſt objectum univerſale operum omnium juſtorum. *Sap.c.6.*

15. *Prælati, & Religioſi quali cuſtodia vivere debeant.*

Super cuſtodiam meam ſtabo, &c. Quid eſt hoc quod dicit Propheta? eratne poſitus ad cuſtodiam alicujus arcis, vel caſtri? maximè: & loquitur ut Prælatus, & Religioſus; & metaphora deſumpta eſt à militibus, & vigilibus, qui in ſtatione excubant, ut partem munitionis, vel mœnium ſibi commiſſam, vigilanter, & attente cuſtodiant; & hinc alludit primò ad cuſtodiam, quam

quam cum omni diligentia habet anima juſti per erectam affectionis, & intentionis elevationem ad cœleſtia, & ad fixam, ac immobilem æternorum contemplationem, ut diligenter audiant, quid loquatur eis Deus ad cor, & quomodo vocibus, & inſpirationibus divinis reſpondeant: ſecundò ad cuſtodiam, quam habere debent Prælati, & ſuperiores ad ſtatum, gradus, & officia, in quibus poſiti ſunt; ibi enim Deus ipſis loquitur, ibi operatur, extrà ipſa ſilet, & quieſcit: caveant ergo Prælati, & Religioſi ne vagentur extra ſtatum, & profeſſionem ſuam, ut poſſint audire voces Dei, eiſque reſpondere: *Sap. c.6. & op. Eccleſ. Hierarch.p.1. cap. 2.*

16. *Titulus crucis Chriſti prævisſus à Propheta, ejuſque myſteria enodantur.*

Et reſpondit mihi Dominus, & dixit ſcribe viſum, & explana eum ſuper tabulas, ut percurrat, qui legerit eum. Quid eſt, quod indicatum fuit Prophetæ, ut viſum ſcriberet ſuper tabulas? ſed transfer mentem ad titulum poſitum ſuper caput Chriſti in cruce: oſtendit enim Prophetæ Deus Adventum Meſſiæ, ejuſque mortem in cruce, & vidit tabulam, ſeu titulum, & ea, quæ ſcribenda erant in plenitudine ſæculorum, ſubdens: *quia adhuc viſus procul, & apparebit in finem, & non mentietur, & veniens veniet, &c.* Tunc enim mos erat ſcribere in tabella lignea ſcripturas, & characteres: Vidit igitur titulum Chriſti crucis inſcriptum litteris Hebræis, Græcis, & latinis, Jeſus Nazarenus Rex Judæorum, ut omne regnum mundi, omnis ſapientia mundana, omnia divinæ legis Sacramenta teſtarentur, quod Jeſus eſt Imperator credentium, & confitentium, & quòd per crucem non perdidit, ſed corroboravit imperium. *Luc. capit. 23. verſ. 38.*

17. *Spei longanimitas quàm Deo chara, & nobis proficua.*

Si moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit. Audi quomodò Deus excitat Prophetam ad ſpei longanimitatem circa Adventum Meſſiæ, quem antiquis Patribus, & Prophetis promiſit, ne diffiderent videntes excurrere longum tempus in ordine ad executionem promiſſionis: tali enim pacto probat Deus rectitudinem animæ per ſpem, & fiduciam in Dei promiſſis, quia ex qualitate ipſius etiam præmia rependit, quia per ipſam exercetur patientia, fiducia, humilitas, & quælibet alia virtus. *Luc. c.1. v.26. & c.12. v.36. Pſalm. 50. & 79. & 118. v.128. & cap.1. v.2. & op. Compen. Theol. lib.4. cap.6.*

18. *Adventus Chriſti multiplex expenditur.*

Quia veniens veniet & non tardabit. Quis veniens veniet? ſi venit, quomodo veniet? ſed attende, quòd tali modo loquendi ſcriptura promittit Adventum Chriſti in mundum, ut detur intelligi infallibilitas ipſius Adventus: geminatur autem iſte Adventus quadrupliciter, ſcilicet Adventus Chriſti in mundo viſibiliter per Incarnationem; item ſacramentaliter in Euchariſtia per tranſubſtantiationem: ſecundo geminatur Adventus Chriſti in cor hominis vel per regenerationem baptiſmalem, vel per pœnitentialem: tertiò geminatur Adventus Chriſti ad judicium, ſcilicet vel particulare, vel generale: quartò geminatur Adventus Chriſti ad limbum ad liberandum animas juſtas, & in Cœlum in die Aſcenſionis. *Sermon. 2. Dom. 4. Adventus.*

19. *Fidei, & incredulitatis effectus oppoſiti expenduntur.*

Ecce qui incredulus eſt, non erit recta anima ejus in ſemet ipſo, juſtus autem in fide ſua vivet, &c. Nota, quòd poſt promiſſionem factam de Adventu Chriſti, ſacer textus proponit effectus incredulitatis, & è contrà fidei: & primò dicit, quòd rectitudo animæ non poteſt ſtare cum incredulitate; exigit enim fidem, & credulitatem divinis promiſſis; dicens, quòd fides eſt vita animæ, & meritò, nam fides eſt ſubſtantia totius ædificii ſpiritualis, & fundamentum, ſuper quod erigitur quælibet alia virtus, & ſine quo nulla virtus poteſt ſubſiſtere. *Lib.4. d.14. p.2. dub.5. ſerm. 3. Dom.23. Pentec. Pſalm.118. c.5. verſ.13. op. expoſ. Miſſæ c. 4. In Ioan. cap.8. v.20. & c.11. v. 24. & cap.12. v 3. Luc. cap. 1. v.17.* Nota autem, quòd hic loquitur de fide, ſcilicet de fidelitate, quæ coincidit cum fiducia, & ſpe; hæc enim manſuetudinem, fortitudinem, & conſtantiam ingerit animæ in omnibus tribulationibus. *ibid.*

20. *Superbia, & avaritia inebriat hominem comparaturque etiam Inferno, & morti: idem & de avaritia dicitur.*

Quomodo vinum potantem decipit, &c. Nota, quòd hic ad litteram loquitur Propheta de Nabuchodonoſor, & myſticè de ſuperbo; nomine autem ſuperbi hic intelligit omnem cupiditate flagrantem; undè & venit etiam avarus, imò magis hæc de avaro verificantur, nam tam ſuperbia, quàm avaritia reddunt hominem ebrium, aufert enim uſum rationis, & inducit inſaniam ſpiritualem; comparatur item morti, & inferno, quia numquam ſatiatur, & quo magis ei indulgetur, eo magis cupiditas creſcit in immenſum. *Op. Diæt. tit.1. c.6. Ioan. collat.12. Pſalm.17. & 118. c.7. v.13. in Ecclen. c.5.*

21. *Multiplicans opes terrenas, multiplicat non ſua, quæ non poſſunt diu perſiſtere: multiplicans bona ſpiritualia multiplicat ſua in æternum duratura.*

Væ ei, qui multiplicat non ſua, uſquequo & aggravat contra ſe lutum. Nota, quòd dicit multiplicat non ſua? quæ iſta ſunt? non ſua, ſcilicet terrena bona, & opes terrenæ: ſed cur non dicuntur ſua, ſcilicet poſſeſſoris, & habentis eorum proprietatem? non ſua: non noſtra ſunt iſta terrena, quia nobiſcum non veniunt, nec nobiſcum recedunt; terreni tamen homines ipſa reputant ſua, ſed decipiuntur; dici-

tùt autem væ iis, quia ad ipſorum multiplicationem neceſſe eſt ſequi inopiam, & ad conſolationem ſequi deſolationem; & hinc ſequitur, quod tales ſtulti aggravant contrà ſe lutum, ſcilicet ſe onerantes auro, & argento, ſe onerant luto; nihil enim aliud aurum, & argentum, niſi lutum, quia onerant animam, inquinant manus, & cor. *Luc. c.6.v.14. ſup. cap.7. ſerm.2. de S. Andr.* Hinc ex oppoſito fœlix eſt qui multiplicat ſua, ſcilicet bona opera, & merita; hæc enim ſunt ſua, & ſecum in æternum duratura.

22. *Qui multiplicat ſuam ſubſtantiam temporalem ex alienis rebus, quærit ruinam ſpiritualem, & temporalem.*

Væ ei qui multiplicat non ſua: uſquequo & aggravat contra ſe lutum. Nota, quòd hæc præcipuè dicuntur de raptore, uſurario, & cæteris impiis, qui auferunt proximo ſubſtantias temporales injuſtè, & eas in domo ſua congregant, væ iſtis æternum, & temporale; quia ſi auferunt aliis, ab eis auferetur totum, & ruinam totalem invenient; væ inquam, quia contra ſe aggravant lutum, quod eos ſuffocabit. *Sermon.2. Dom. 24. Pentec.* & hinc ſacer textus ſubdit hæc clariſſima ad hanc rem verba: Quia tu ſpoliaſti gentes multas (loquitur ad Nabuchodonoſor ad litteram, ſed myſticè ad raptores, & deprædatores opum alienorum) ideò ſpoliabunt te omnes, qui reliqui fuerint de populis: væ qui congregat avaritiam malam domui ſuæ, ideſt propter avaritiam, & cupiditatem, ut ſit in excelſo nidus ejus, & liberari ſe putat de manu mali: hæc ſunt clariſſima contra erigentes domos, & opes congregantes cæde innocentum, & oppreſſione pauperum: quibus *væ* remanet æternum, & temporale. *v.8. & 9. vide etiam quæ ſequuntur, v.10.11.*

23. *Non ſolùm in judicio clamabunt creaturæ, ſed continuè in mundo clamant contra Dei inimicos.*

Quia lapis de pariete clamabit, & lignum, quod inter juncturas ædificiorum eſt reſpondebit. Quomodo lapis poteſt clamare, & loqui, cum ſit ſine ſenſu, & voce? ſed hoc eſt adagium commune uſitatum contra aliquod crimen, & flagitium grande; quò dicitur, quod parietes, & lapides ipſi clamant contra impium; dat autem Spiritus Sanctus intelligere, quòd contra cupidos, avaros, ſuperbos, raptores, ſcandaloſos clamabunt, & inſurgent omnes creaturæ pugnantes contra præſcitos, non ſolùm in judicio extremo, ſed etiam in hac vita; quid enim aliud ſunt, niſi voces horribiles tot ſtrages, tot bella, incendia, oppreſſiones, & aliæ calamitates, niſi voces clamantes contra impios. *Ioan. cap. 5. ad finem.*

24. *Ædificium civitatis impiorum expenditur.*

Væ qui ædificant civitatem in ſanguinibus, & præparant urbem in iniquitate ſua. Quomodo in ſanguinibus, poteſt fundari civitatis ædificium? ſed eſt metaphorica locutio, deſcribit enim nomine ſanguinis, & iniquitatis ædificium, quod ſibi fabricant impii: Alii enim ædificant in ſanguine luxuriæ ſuam civitatem, & habitationem, ſcilicet animam reddunt porcorum ſtabulum fœtidiſſimum: Alii per ſuperbiam erigunt ſibi palatia; alii de ſpolio, de uſura, furto, & rapina; ſed væ eis dicit Dominus: nam ut etiam dixit Gentilis Poëta Ovidius; Non habet eventus ſordida præda bonos. *Sermon.2. in dedicat.*

25. *Qui ſine Deo laborat, ſine fructu laborat.*

Laborabunt populi in multo igne, & gentes in vacuum, & deficient. Vide effectus ſeparantis ſe à Deo, & laborantis cum Dei offenſa, ut fecerunt iſti hoſtes populi Dei; laboraverunt quidem, ſed in multo igne, & defecerunt; quia quâ ſine Deo ædificat, & laborat, in vanum laborat, quia hæc quatuor mala conſequuntur, ſcilicet perſonæ infelicitas, ſpei vacuitas, laboris infructuoſitas, operis inutilitas. *Sapien. capit. 3. & Pſal. 126.*

26 *Chriſtus ſuo igne è Cælo allato incendit inutilia opera mundanorum, & cognoſcere fecit gloriam Domini contra gloriam mundanam.*

Laborabunt populi in multo igne, & gentes in vacuum, & deficient, &c. Vide quomodo Christus ſe oppoſuit induſtriis vaniſſimis hominum, qui igne concupiſcentiæ accenſi vanè, & fruſtratoriè laborabant. Venit enim in terram ferens ignem Spiritus Sancti, quo replevit Eccleſiam, & Apoſtolos, ut per ipſum mundum illuminarent, & ad bona opera, & ad amicitiam Dei redigerent homines, ut per eos gloria Domini cognoſcatur. *Ser.3. fer.2. Pent.*

27. *Quale vinum propinat diabolus ſuis amicis: ubi de ſcandaloſorum fraudulentia.*

Væ qui potum dat amico ſuo, mittens fel ſuum, &c. Hic ad litteram exprimit fraudulentiam Nabuchodonoſor etiam cum amicis præſtitam, qui omnes ſub ſpecie amicitiæ peſſimè tractabat, & tandem eos omnibus bonis expoliabat: ſed tamen hac metaphora apertè demonſtratur fraudulentia diaboli, exhibet enim ſuis amicis vinum voluptatis momentaneæ, ſed admixtum felle, & veneno mortifero draconum, & aſpidum, & tali pacto inebriat animam, ut ipſam veſtibus virtutum ſpoliet, & aſpiciat, & derideat nuditatem ejus; cave ergo à tali vino venenoſo ne in morte inveniatis denudatus veſtibus. *Ser.4. Dom.8. Pent. & ſer.1. de S. Barthol. in addit. & ſer.1. de uno Mart. in addit.*

28. *Dei immenſitas, & infinitas, quæ eſt in omnibus præſens intimè ineffabilis, & incomprehenſibilis, &c.*

Dominus in templo ſuo: ſileat à facie ejus univerſa terra. Quomodò dicitur in templo ſuo, ſi eſt ubiq; è? dicitur in templo ſuo, vel in ſeipſo immenſus, vel in omnibus creaturis veluti in templo intimè præſens, & influens; ideò quia immenſus, ideò ſileat univerſa terra à facie ejus, ut pote quia incomprehenſibilis. *lib. 2.d. 8.p.2. a.1.qu.1.*

CAP. III.

29. *Oratio Habacuc pro ignorantiis.*

NOTA, quòd Propheta in hoc tertio capite carmen canit Deo, & ipſi affigitur hic titulus pro ignorantiis, ſcilicet pro peccatis populi (omnis enim peccans eſt ignorans) & Deum deprecatur, ne propter iſtas ignorantias differat liberationem populi ſui à captivitate ſibi oſtenſam, & quia hæc præfigurabat opes Redemptionis Dominicæ, ideò orat ut veniat ad exequendum opus redemptionis à Deo promiſſum: ſic communiter Doctores.

30. *Incarnationis, & nativitatis myſterium ſicut extra ſe rapuit præ admiratione Prophetam, ſic & alios Sanctos.*

Domine audivi auditionem tuam, & timui: Domine opus tuum, in medio annorum vivifica illud, in medio annorum notum facies. Addunt hic ſeptuaginta conſideravi opera tua, & expavi: in medio duorum animalium cognoſceris, cum advenerit tempus demonſtraberis: ſubdit vivifica illud, in textu originali, legitur in medio duarum vitarum cognoſceris: Ex quibus ſancti Patres docent, quòd ad litteram Propheta expavit ad notitiam habitam de futura captivitate populi Iſraël, & prævidens futuram liberationem, oravit Deum, ut verificaretur tempore præfixo, & promiſſo, ſcilicet poſt ſeptuaginta annos: myſticè ad opus Incarnationis alludit, & videns Deum incarnandum, præ ſui novitate, tantæque majeſtatis exinanitione, non tantùm ſtuporem, ſed & ſacrum quemdam pavorem, horroremque ex ſui reverentia ſenſit in ſe incuti, & meritò, nam etiam omnes ſancti ad contemplationem tanti myſterii, quaſi extra ſe rapti, & attoniti expaverunt, & obſtupuerunt: unde admiratus eſt Propheta ſpecialiter de novitate partus ex Virgine Matre, & propter defectum operimenti, quia ut pannoſus pauper in mundum apparuit, & propter defectum lectuli, quia in præſepio in medio duorum animalium poſitus eſt, quia Domino totius mundi non fuit locus in diverſorio. *Luc.c.2.v.7.in Ecclen.c.7. Vide ad hoc S.Bernard.ſer.3.& 4.in Vig.Nativ.*

31. *Chriſtus medium tenet, ut ad medium ducat ſuos ſequaces.*

In medio annorum notum facies: ſeptuaginta legunt: *in medio duorum animalium &c.* Cur diſcrepant ad invicem textus vulgatus, & ſeptuaginta Interpretum? quod eſt in medio annorum, & in medio duorum animalium? Reſpondent variè Doctores huic dubio: In medio annorum dicunt aliqui, ideſt illorum calamitoſorum temporum, in quibus Chaldea vaſtanda erat, & ideò erat Propheta, ut tunc populus ſuus liberetur: Alii in medio ideſt in optimo, & in fine captivitatis ſeptuaginta annorum, & alludendo ad opus Incarnationis, dat intelligere, quòd futura erat in tempore majoris neceſſitatis mundi, in qua peccatum, & concupiſcentia creverant ad ſummum, & tunc Chriſtus, ut bonus medicus adhibere venit curationem, & ut optimum annum nobis conſtitueret tempus, ſcilicet Jubilæi; & hinc naſcens in medio animalium in præſepio voluit collocari, ut oſtenderet mundo humilitatem, paupertatem, pœnitentiam, auſteritatem vitæ, contemptum opum, deliciarum, & commodorum mundi: ſic Sanctus Bernardus *ſer. 3.& 6.* de Nativitate: Voluit autem in medio poni, quia Chriſtus medium amat, & ſemper tenuit, quia ipſe eſt veritas, & ſemper in rectitudine: In medio namque fuit animalium, ut doceret nos imitari ſuam paupertatem: In medio Doctorum, *Luc.c.2.* ut doceret nos appetere ſuam ſapientiam, & veritatem: In medio item ſuorum diſcipulorum ipſis loquendo. *Ioan.c.1.* ut doceret nos ſuam humilitatem. In medio item congregatorum in nomine ſuo. *Matth.c. 8.* ut doceret nos imitari ſuam charitatem: In medio item diſcipulorum annuntiando pacem. *Matth.c.20.* ut doceret nos imitari ſuam largitatem, & pacificam converſationem. In medio latronum. *Matth.c. 25.* docens nos imitari ſuæ patientiæ longanimitatem: In medio item etiā judicandorum. *Matth.c.25.* ut doceret nos imitari ſuam juſtitiam, & veritatem; ad imitationem ergo illius in medio ſemper ſimus, ideſt in virtute teneamus medium, ſi non volumus perdere medium. *Ioan.c.19.v.18.*

32. *Maxima ira Dei eſt contra nos non iraſci in hac vita.*

Cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis. Cur in ira miſericordiam Dei collocat, cum ſint duæ paſſiones contrariæ ſe ſe invicem excludentes; ſed attende ad myſterium, ut addiſcamus quod maxima miſericordia Dei in nos eſt, quando iraſcitur nobiſcum, & nos in hac vita punit ut à mala reſipiſcamus: è contra maxima ira eſt Dei, cum non iraſcitur, & quando nos non punit in hac vita, reſervans punitionem in altera, quem enim diligit Deus corripit. *Ioan. c. 3. in fine ſap. c.16.& op.Eccleſ.Hier.p.4.c.6.*

33. *Incarnatio in utero Beatæ Virginis opus Spiritus ſancti in Auſtro ſignificati.*

Deus ab Auſtro veniet, & ſanctus de monte Pharan: & ſanctus de monte umbroſo, legunt ſeptuaginta: Ad litteram alludit Propheta ad adventum Cyri, & Darii, qui à parte Auſtrali venerunt ad devaſtandam Babylonem, & ad liberandum

randum populum Iſraël: myſticè alludit ad opus incarnationis, & dicitur Verbum veniſſe ab Auſtro, Auſter eſt pars meridionalis, & calida, ſignificatque Spiritum ſanctum, cujus virtute venit in carnem Verbum, & incarnatum eſt in utero umbroſo Mariæ, & natus eſt in tempore umbroſo, ſcilicet in media nocte, dum medium ſilentium tenerent omnia: venit igitur plenus charitate Spiritus ſancti, ut totum mundum igniret, deſtruendo peccatum, & accendendo hunc ignem in pectoribus noſtris; & ideo ſubdit; operuit Cœlos gloria ejus: & laudis ejus plena eſt terra ob mirabilia quæ fecit. *Ser.7.Dom.1. Adv: ſer.2.Dom.3.Adv.& Pſal.118.c.4.v.16.*

34. *In cruce Chriſtus abſcondit fortitudinem ſuam.*

Cornua in manibus ejus, ibi abſcondita eſt fortitudo ejus; Quomodo dicitur, quòd Verbum incarnatum tulit, vel portavit cornua in manibus? ſed hæc cornua ſignificant, & brachia crucis, & ejus potentiam, datque intelligere, quòd Chriſtus in cruce pendens abſcondit fortitudinem ſuæ virtutis ſub pallio infirmitatis & hoc fuit maximum prodigium, quo Chriſtus in ſua infirmitate vicit contrariam diaboli, & mortis poteſtatem, per quod poſteà manifeſtavit ſuam virtutem. *Lib.1.ſent.in prolog.* unde ſubdit antè faciem ejus ibit mors, ſcilicet ſubjugata, & diabolus ante pedes ejus, imò ſub pedibus ejus. *In Luc.c.4.v.36.*

35. *Aſpectus Chriſti virtus in nos expenditur.*

Aſpexit, & diſſolvit gentes, & contriti ſunt colles ſæculi: Ecce virtus aſpectus Dei; dicitur autem aſpicere Deus, cum noſtrum aſpectum imperfectum perficit nos illuminans; veniens ergò in carnem aſpexit gentes; faciens nos peccata noſtra recognoſcere, & recognoſcentes reſpicere, & reſpicientes gemere, & conterere, & diſſolvere. *Pſal.118.c.9.v.4.& op.de inviſibil.Dei.*

36. *Alii incurvati ſunt in bonum, alii in malum ab itineribus æternitatis Dei, quæ ad ſeptem capita reducuntur.*

Incurvati ſunt colles mundi ab itineribus æternitatis ejus: Quid eſt, quod dicit Propheta? quomodò incurvati colles ab itineribus æternitatis Dei? quomodò obliquati à viis rectis? ſed attende ad metaphoram: Hæc incurvatio eſt collium mundi ſcilicet ſapientum, quæ à ſanctis Doctoribus ſumitur & in bonum, & in malum: in malum incurvant ſe, qui à via recta Dei æterni declinant ad ſapientiam mundanam, & quantò plus per hanc viam vadunt, tantò plus à via recta elongantur, & ſtultiores fiunt in temporalibus evaneſcentes: Alii verò in bonum incurvati ſunt, ideſt humiliati coram Deo ab itineribus æternitatis Dei, quia eorum ſpiritus creatus eſt ad imaginem, & ſimilitudinem Dei, ob idque ſuperior tempori, & capax quoad ſubſtantiam, & operationes participationis æternitatis: hinc relinquens ſapientiam mundanam ſe collocat in itineribus æternitatis, quæ ad ſeptem capita reducuntur: Primum autem iter eſt æternorum recta intentio animæ, per quam ſeipſam, & omnes ſuas operationes reducit in unum æternum: Secundum eſt æternorum ſtudioſa meditatio; Tertium eſt æternorum limpida contemplatio: Quartum eſt æternorum charitativa affectio: Quintum eſt æternorum occulta revelatio; Sextum eſt æternorum experimentalis præguſtatio; Septimum eſt æternorum meritoria, & deiformis operatio, & unio. *Op.de ſept. itinerib. æternit.in proœm. de ſeptem, & per totum.*

37. *Qui pro terrenis laborant relinquentes cæleſtia, & ipſorum corpora, & mentes, pelles, & tentoria dæmonum ſunt.*

Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ: turbabuntur pelles terræ Madian: Ad litteram alludit ad deſolationem Æthiopum, & aliorum hoſtium propter iniquitates, & perſecutiones motas contrà populum Iſraël: myſticè loquitur de iis, qui veluti pellis, & ſuperficies terræ, ipſi terræ, & terrenis rebus adhærent; ſuntque cupidi, & avari laborantes in terrenis, & relinquentes cæleſtia; iſtique fiunt tentoria, & habitatio dæmonum, eorumque pelles, ſcilicet corpora, & mentes involvunt dæmones in eis habitantes: *Pſal.48.& Vgo Card.hic.*

38. *Deſcenſus Verbi in carnem, & omnia ejus opera in ſalutem bonis, impiis in damnationem ſunt.*

Qui aſcendis ſuper equos, & quadriga tua ſalvatio: Quomodo Deus aſcendit ſuper equos, qui ubiquè eſt per eſſentiam, qui nulli motui ſubjacet? & quænam ſunt ejus quadrigæ? ſed hæc metaphora dat intelligere ſacer textus finem, & effectus Adventus Chriſti in carnem, quæ dicitur equus Verbi, quia in ipſa deſcendit, vel aſcendit; aſcendit inquam, ut malos puniat; & pios, & bonos ſalvet; unde additur, & quadrigæ tuæ ſalvatio. *in ſap.c.19.& ſer.7. in Pentecoſt. & ſer.3.feria 2.Paſcha.*

39. *Ad adventum Chriſti in mundum abyſſus, ſcilicet peccatores maximi converſi ſunt ad fidem, & quomodo.*

Dedit abyſſus vocem ſuam; altitudo manus ſuas levavit: Proſequitur Propheta explicationem effectuum Adventus Chriſti in carnem; tunc enim abyſſus dedit vocem ſuam, ſcilicet peccatores impiiſſimi converſi ſunt ad fidem. *In Luc.c.17.v.13.* Nota hic, quòd per abyſſum intelligitur maximus peccator in abyſſum ſuæ miſeriæ per humilitatem collocatus, qui è tali profundo emittit voces ad Dei aures pervenientes, quibus per amaritudinem compunctionis petit ſanitatem, & remiſſionem: unde humilitas & compunctio impetrant à Deo veniam quorumcumque peccatorum. *In Luc.ibid.*

40. *Ad Chriſti aſcenſum ordinata eſt Eccleſia, & Principes ſæculares confuſi per Apoſtolorum prodigia, & Prædicationem.*

Sol, & Luna ſteterunt in habitaculo ſuo, &c. ſanctus Auguſtinus, & ſanctus Bonaventura legunt; *Sol elevatus eſt, & Luna ſtetit in ordine ſuo; &c.* Quibus

Quibus verbis ad litteram alluſio fit ad miraculum factum tempore Joſüe, & myſticè ad Chriſtum quando aſcendit ad Cœlos : tunc enim fundata eſt, & ordinata Eccleſia in terra, quam Apoſtoli, & miniſtri Evangelici gubernaverunt, & converſis ad fidem repleverunt & hoc perfecerunt ſagittando peccatores ſagitta verbi Dei, & haſta fulgurante miraculorum confundendo incredulos. *Ser. 13. Hexam. & in Luc. c. 24. prope finem; & op. Eccleſ. Hierarch. p. 4. c. 2. & ſer. 2. de ſanctis Philipp. & Iacob. in addit.*

41. *Egreſſio ad extra Dei in ſalutem hominum multiplex expenditur.*

Egreſſus es in ſalutem populi tui, in ſalutem cum Chriſto. Ad litteram loquitur de liberatione facta populi Iſraël cum Moyſe ex Ægypto, & Cyri qui triumphans de Rege Babylonis liberavit populum Hebræum: ſed ut alluſio fieret ad Chriſti egreſſum in carnem in ſalutem hominum, legitur ex Hebræo, egreſſus ut ſalvares populum per Jeſum Chriſtum tuum: undè falſa, & doloſa eſt editio Symmachi, & Theodotionis legentium egreſſus es ad liberandum populum tuum ad liberandum Chriſtum tuum; quia cum eſſent Hæretici Ebioniſtæ negabāt Chriſtum eſſe Deum, ſed malè, & doloſe. quia egredi in ſalutem populi cum Chriſto, eſt ſalvare populum per Chriſtum; ſed quænam egreſſio eſt iſta? nonnè Deus eſt ubique, nec eſt capax ingreſſus, & egreſſus? ſed attende ad myſterium: egreſſus iſte non eſt aliud niſi manifeſtatio Chriſti exterior in carne, & in effectibus ad extra productis: ſed quomodo dicitur egreſſus, & manifeſtatus in ſalutem? Nota, quòd in hoc egreſſu multiplici oſtenditur calor infinitus divinæ charitatis, videlicet in Incarnatione, in corporis ſui traditione, in Paſſione, & in Spiritus Sancti effuſione; egreſſus enim eſt ad clarificandam divinam majeſtatem, ad irrigandam humanam ariditatem, ad expugnandam diabolicam poteſtatem, & ad reparandam Angelicam ſocietatem. *Ser. 3. in Vigil. Nativ. & ſer. 1. in Nativ. Luc. c. 15. v. 28.*

42. *Caput iniquorum diabolus percuſſus à ligno crucis.*

Percuſſiſti caput de domo impii, denudaſti fundamentum ejus uſque ad collum; maledixiſti ſceptris ejus. Quomodo Chriſtus caput de domo impii percuſſit, & quo inſtrumento? Nota, quòd caput iniquorum eſt diabolus regnans in eorum domo: vide ergo deformitatem peccatoris habentis caput non lupi, ſed Dæmonis: & quia regnabat ut caput in mundo, ideò egreſſus eſt Filius Dei ad bellandum contra ipſum, & hoc caput percuſſit ligno crucis, ut ipſum Chriſtum haberemus pro capite; hæcque exterminatio juſta fuit, quia diabolus perſuadendo ſuis infernalibus membris venientibus ut turbo ad diſpergendum innocentem, ut crucifigerent eum; ideo juſtum fuit, ut ipſe diabolus caput infernalis domus percuteretur, & poteſtate, & dominio proprii ſervi denudaretur, & privaretur. *Ser. 3. Dom. infrà oct. Nativ. ſer. 1. in. Nativ. & ſer. 1. in Paſcha, & ſer. 2. in decollat. S. Ioan. Bapt. in addit.*

43. *Viam planam præparavit Chriſtus ſuis Prædicatoribus ad tranſeundum faciliter per lutum hujus mundi.*

Viam feciſti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum. Nota ad litteram alludit ad tranſitum factum per mare rubrum ab Hebræis: myſtice ad aliud miraculum patratum à Chriſto, dum prædicatione ſua paravit viam in luto aquarum multarum in hoc mari mundi, ſcilicet prædicando peccatoribus maximis involutis in luto concupiſcentiæ, & rerum terrenarum. *Pſal. 39. ſap. c. 19. Ioan. c. 9. v. 7.*

44. *Iudicii univerſalis memoria contremiſcere facit audientem, & meditantem:* Sic dicit Sanctus Propheta; *Audivi & conturbatus eſt venter meus, à voce contremuerunt labia mea, ingrediatur putredo in oſſibus meis, &c.* Scilicet quælibet tribulatio, dummodo requiem obtineat in die tribulationis, &c. verba enim Dei increpatoria, & comminatoria habent hanc vim in corde ea recipientis. *Luc. c. 1 v. 29.* Et hinc ſequitur; *Ficus enim non florebit*, ſcilicet concupiſcentia propter hoc non producet germen ſuum in me; quia meditatiò Judicii extremi efficaciſſimam vim habet reprimendi concupiſcentias carnales. *Ioan. c. 1. prope finem.*

45. *In ſolo Deo gaudium.*

Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo Deus Dominus ſpes mea, &c. Vide quomodo Propheta poſtquam timore, & pavore percuſſus fuerat ex recordatione Judicii univerſalis, animum gaudentem, & lætitiâ affluentem expertus eſt confugiens ad Deum, dicens: Ego autem gaudebo in Domino; nota quòd dicit in Domino, non in creaturis; non in rebus terrenis, non in voluptatibus carnalibus, & mundanis, ſed in Deo, quia ſciebat, quòd anima in ſolo Deo verum gaudium invenit, nam gaudium eſt diffuſio animi, & hæc ſolum eſt in id, quod majus eſt, nam in id, quod minus eſt invenitur reſtrictio, & anguſtia: ſolus autem Deus major eſt anima, & ſolus Deus ipſam poteſt replere. *Ioan. collat. 19. & 32. & 73.*

46. *Nominis Ieſus efficacia expenditur.*

Et exultabo in Deo Ieſu meo: Vide quomodo nomini Domini addit nomen Dei Jeſus, ut ipſo nomine invocato anima plenè gauderet, exultaret, tripudiaret, & caneret: & meritò, nam hoc nomen Jeſus eſt à Prophetis prophetatum, ab Angelis expenſum, à Deo impoſitum: nomen eſt virtuoſum ſuperans hoſtes, congregans cives, reparans vires, & revocans mentes: nomen eſt gratioſum, quia in ipſo habemus fidei fundamentum, ſpei firmamentum, charitatis augmentum, juſtitiæ complementum: nomen gaudioſum, quia jubilus eſt in corde, melos in aure, mel in ore, ſplendor in mente: nomen delitioſum, quod paſcit cogitatum, lenit prolatum, ungit invocatum, reficit ſcriptum, inſtruit factum: nomen glorioſum eſt, quia dedit cæcis viſum, ſurdis auditum, ſermonem mutis, vitam mortuis, greſſum claudis: ô nomen benedictum, quod oſtendit tantum virtutum effectum: ô anima, ut poſſis dicere cum Propheta, & exultabo

in

in Deo Jeſu meo, ſive ſcribas, ſive legas, ſive doceas, ſive aliud quodcumque opus facias, nihil tibi ſapiat, nihil tibi placeat, niſi Jeſus: ô verbum dulce: Et exultabo in Deo Jeſu meo, quaſi dicat, habeat ſibi Jeſus in hoc nomine, quod ſit Filius Dei, ſplendor gloriæ, imago ſubſtantiæ, Verbum Patris, virtus omnipotentis, hæres univerſorum, Rex Regum, & Dominus Dominorum, hæc omnia habeat ſibi: Ego autem exultabo in Deo Jeſu meo; ut ſit mihi Jeſus ſalvator in hujus vitæ incolatu, & miſeria: ut ſalvet me à mundi vanitate, quæ me impugnat, à dæmonis falſitate, quæ me infeſtat, à carnali fragilitate, quæ me cruciat; ad ſolum Jeſum clamabo, & dicam: ô Jeſu Salvator Mundi ſalva me: ſalva nos, qui per crucem, & ſanguinem redemiſti nos: ſalva inquam dulciſſime ſalvator, confortando debilem, conſolando flebilem, adjuvando fragilem, conſolidando inſtabilem. *Op. de quinque feſtivit. pueri Ieſu: tertia ſolemn.* ſic enim ſubdit Propheta, Deus Dominus fortitudo mea erit, & ponet pedes meos, quaſi cervorum, ut ſcilicet impigrè, & alacriter, & ſine fatigatione curram, non ſolùm in hac infirmâ vitâ miſerabili, ſed ſuper excelſa, & difficilia quæque, idque me non gementem, vel dolentem; ſed in pſalmis canentem in jubilo, & gratiarum actione, ſuper omnia excelſa inquam deducet me victorem in pſalmis canentem, deducet me cuſtodiendo, erudiendo, & eripiendo ſuper excelſa mundi lætabundum. *In Pſal.* 118. *c.3.v.3.& Gloſſa.*

47. Diſcamus igitur quomodo Prophetæ, & ſancti omnes ſuas virtutes, vires, victorias, & triumphos acceptos referunt Deo, & Chriſto: & hinc nos Deo Jeſu Chriſto debere gratiarum actionem infinitam, ſcilicet infinito tempore in futurum, infinito affectu, & ſignificatione gratitudinis, infinita cum animi demiſſione, infinita mentis devotione, infinito ſpiritus jubilo, ut cum Propheta perpetuo ei jubilemus; Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Domino Jeſu meo, quod nobis concedat Deus omnipotens.

Explicit poſtilla Sancti Bonaventuræ, in Habacuc Prophetam.

EXPOSITIO SERAPHICI DOCTORIS
S. BONAVENTURÆ
IN
SOPHONIAM PROPHETAM.
PROLOGUS.

NOTA, quod Sophonias (quod interpretatur ſpeculator Domini) fuit de tribu Simeon, & prophetavit tempore Joſiæ Regis Juda verè piiſſimi, & tempore Jeremiæ: & ſecundum vim nominis ex alta divinæ revelationis ſpecula eminùs ſpeculatur diem excidii urbis Jeruſalem, & allegoricè orbis univerſi: undè inclamat diem illam fore tribulationis, & anguſtiæ, ut ejus terrore, & horrore omnes impellat ad pœnitentiam.

CAPUT PRIMUM.

1. *Strages futura ſub diem judicii in toto mundo expenditur.*

VERBUM *Domini*, &c. *Congregans congregabo omnia à facie terræ, dicit Dominus*, &c. Nota ad litteram prædicit hic ſtragem futuram urbis Jeruſalem, ſed myſticè ſub diem Judicii univerſalis: tunc enim Deus congregabit omnia à facie terræ, ideſt ut legunt ſeptuaginta defectione deficiet homo, & jumentum: conſumet omnia mixta, & conſumendo ea reducet in ſuum principium; hæc autem omnia advertit Spiritus Sanctus, ut unuſquiſque caveat à præcipitio, quod comminatur Deus in negligentes, & curet obſervare diligenter præcepta Dei. *Luc. c. 6. in fine.*

2. *Deus quantum deteſtetur prætendentes Deo ſimul ſervire, & mundo, diaboloque.*

Et extendam manum meam ſuper Judam, &c. & diſperdam de loco hoc reliquias Baal, &c. Ad litteram Propheta taxat Judæos, qui cum Deo vero, colebant Deos gentium vicinarum, & ob id eis minatur, & prædicit totalem ruinam; quæ omnia nimis graſſantur inter plurimos Chriſtianos, qui duobus Dominis prætendunt ſervire, quod eſt impoſſibile, ſcilicet ventri, gulæ, avaritiæ, & cæteris vitiis, & ſimul Spiritui, & Deo, id enim eſt impoſſibile, quia ſunt inter ſe diviſi, & contrarii: nam ſervitium Dei conſiſtit in exercitio virtutum, & ſervitium diaboli in exercitio vitiorum, & ideò contra iſtos extendit Deus manum ſuam, ſcilicet flagellum, & ad ruinam totalem eos præcipitat: audiant hoc ſervi Dei, & ſacerdotes, ut tantum malum evitent. *Luc. c. 16. v. 13. & 14. op. de inviſibil. Dei*, &c. Et hinc ſubdit: *viſitabo ſuper eos, qui induti ſunt veſte peregrina.*

3. *Chriſtus à Patre nobis præparatus in hoſtiam ſalutarem, per quam ſanctificat omnes vocatos ad ſe.*

Silete à facie Domini, quia juxta eſt dies Domini, quia præparavit Dominus hoſtiam ſuam, ſanctificavit vocatos ſuos. Nota, quòd ad litteram prædicit ſtragem futuram, per quam juſtitiæ Dei Deus faciet ſacrificium, vocatque executores talis juſtitiæ vocatos ſanctificatos, quia ſunt miniſtri juſtitiæ ejus, etiamſi ſint impii: myſticè, ait Sanctus Hieronymus, alludit ad primum Adventum Chriſti, tunc enim ſilebunt Judæi, ait Propheta, & auferetur ſceptrum de Jacob, & privabuntur Judæi omnibus ſacrificiis: Chriſtus autem vocatur hoſtia, ſcilicet acceptabilis immolanda in cruce, & in Altari; in quo offertur ut hoſtia ad reconciliationem noſtram; & hinc ſanctificati, & vocati Apoſtoli, & alii ad fidem Chriſtianam *Op. Comp. Theol. lib. 6. c. 12. & S. Hieron. & Ugo hic.*

4. *Veſtium luxus, & novitas in Chriſtianis, maximè in perſonis Deo dicatis, quàm ipſi exoſa.*

Et viſitabo ſuper omnes, qui induti ſunt veſte peregrina. Quænam eſt hæc veſtis peregrina, ſuper quam Deus viſitabit: Nota, quòd veſtis peregrina eſt illa, quæ indecens proprio ſtatui; unde indecens eſt Chriſtianis veſtium mollities, faſtus, levitas, & novitas; & hoc præcipuè in Clericis, Deoque dicatis. *Luc. c. 16. v. 19. & c. 20. v. 45. Vide op. Phar. lib. 4. c. 13. & lib. 1. c. 32.*

5. Veſtiu

5. *Veſtis nuptialis Deo chara: & veſtis extranea Deo exoſa qualis.*

Et viſitabo ſuper omnes, qui induti ſunt veſte peregrına. Nota, etiam, quod tropologicè duplex veſtis datur, alia domeſtica, Deoque chara; alia peregrina Deo exoſa; prima eſt nuptialis, nempè ſancta vita, & varietate virtutum ornata; ſecunda eſt veſtis ſordida, ſanguinolenta vitiorum; ô quàm ſordida veſtis eſt peccatum reddens animam ſordidam, & deformem ad ſimilitudinem diaboli. *Sermon.* 3. *Dom.* 19. *Pentecoſt. ſermon.* 2. *Dom.* 2. *poſt oct. Paſcha.*

6. *Peccator eſt pila Dæmonum, maximéque luxurioſus.*

Vlulate habitatores Pila: Cur appellat Jeroſolimitanos habitatores pilæ? quia erant omnes diabolo obſequentes: Peccator enim eſt veluti pila diaboli, quia ipſum præcipitat de peccato in peccatum, quouſque ruere eum faciat in profundum inferni, ſicut vas, quod tantum de loco voluitur in locum, donec labatur in puteum, & hoc præcipuè verificatur de luxurioſis. *Ser.* 2. *Dom.* 3. *Quadrag.*

7. *Examen exactiſſimum ſuper omnia opera noſtra à Chriſto faciendum in judicio expenditur.*

Scrutabor Ieruſalem in lucernis, & viſitabo ſuper viros defixos in facibus ſuis. Nota ordinem verborum, in quibus exponitur ſcrutatio diligentiſſima à Judice ſupremo facienda in Jeruſalem, & poſteà ſuper omnes viros defixos, ſcilicet coagulatos in fæcibus ſuis: cur hic proponit primò viſitationem Jeruſalem? nonne ſufficiebat dicere, quod Chriſtus viſitabit ſuper omnium iniquitates & opera? ſed attende, quod hoc ordine procedit Deus, ut pateat quàm diſtrictum futurum eſt examen in die judicii ſuper omnes: nam per Ieruſalem intelligit omnes illos, qui in hac vita apparebant ſancti, nam non ſolùm ſuper malos, & manifeſtè impios erit ejus viſitatio exactiſſima, ſed & ſuper bonos, unde dicit, quod ſcrutabitur eos in lucernis, ſcilicet inveſtigabuntur ibi, & quidquid in eis occultum fuerit in lucem veniet: Et hinc arguit Sanctus Bernardus. *Serm.* 55. *in Cant.* Quid tutum erit in Babylone, ſi in Jeruſalem manet ſcrutinium? Lucernæ, autem iſtæ, ſunt ipſa Dei mens, intellectus, & ſcientia infinita: ſunt Angeli, & Dæmones velut accuſatores; item ipſa conſcientia peccatoris, lex, & Verbum Dei, ſol, & luna, & ſtellæ veluti teſtimonia irrefragabilia; item & humanitas Chriſti, & omnia Paſſionis ſuæ inſignia, Vide ergo qualis rubor, confuſio, anguſtia in tempore illo. *Op. faſcicul. c.* 4. *In Thren. capit.* 3.

8. *Proprium munus Prædicatorum eſt judicium conſtituere univerſale in mentibus auditorum, ne in judicio à Chriſto faciendo perire habeant.*

Scrutabor Ieruſalem in lucernis, & viſitabo ſuper viros defixos in facibus. Nota, quòd non ſolùm alluſio fit ad tempus judicii univerſalis in ſecundo Adventu Chriſti, ſed & ad aliud judicium à Chriſto ordinatum in primo Adventu; Nota autem, quod dicit hanc inveſtigationem faciendam eſſe in lucernis; quænam lucernæ ſunt iſtæ? lucernæ Dei ſunt lex divina, verba Sacræ ſcripturæ, & Evangelii, ut videas, quòd ſicut Chriſtus venit ad perſcrutandum corda hominum tam bonorum, quàm malorum mediante ſua prædicatione, ſic inſtituit ſimile judicium à ſuis Prædicatoribus faciendum, & ſcrutinium exactum reprehendendo vitia, & ſuadendo virtutem, ut in judicio univerſali homines non ſint ſubjecti diſtrictioni exactiſſimæ æterni Judicis. *Luc.c.*15.*v.*8.

9. *Dies, & tempus judicii particularis & univerſalis proponitur meditandum.*

Iuxta eſt dies Domini magnus, juxta eſt & velox nimis, vox diei Domini amara, &c. Nota, quòd iſtæ ſunt voces, quas Deus per Prophetam intonat continuè auribus noſtris quibus memoriam nobis mortis, judicii particularis, & univerſalis ingerere prætendit, & ut cum fructu talem memoriam exercere valeamus deſcribit calamitatem, & anguſtiam illius temporis, & judicii dicens: Iuxta eſt dies Domini, nempè etiam ſi videatur diſtans valdè judicium univerſale, tamen propè eſt dies judicii particularis; velut dicit Sanctus Hieronymus, & Remig. dicitur propè dies judicii tum propter æternitatem, cui nihil eſt longum, tum ob pœnæ magnitudinem, quia patienti nunquam longè videtur ſupplicium inferendum in morte, cui eſt propè & velox nimis: ſecundò dicitur dies amara, quia ejus memoria amariſſima eſt; unde Sanctus Hieronymus dicebat; ſive bibo; ſive comedo, ſive dormio; ſemper tuba illa inſonat auribus meis, ſurgite mortui, & venite ad judicium, & ideò dicitur Dies tubæ, & clangoris, &c. tertiò Dies væ, quia in illa Deus omnem ſuam iram per tot millia annorum collectam, totam ſimul uno impetu, quaſi torrens effundet in impios: quartò erit dies tribulationis, in qua tribulam omnium afflictionum Deus aget ſuper impios; quintò dies anguſtiæ, quia ab omni parte arctabuntur peccatores: ſurſum enim videbunt Deum iratum, ſpirantem fumos; deorſum flammas gehennæ ſibi paratas, retrò voluptates elapſas jam ſe deſerere, & cruciare; ad latera Angelos ſe relinquentes, & Dæmones ſe invadentes; ante videbunt æternitatem interminam, eamque miſerrimam: ſextò dies calamitatis, quia undique pœnæ, quaſi hoſtes in eos irruent: ſeptimò dies neceſſitatis, ut vertunt ſeptuaginta, quia neceſſariam, & inevitabilem ſententiam, & condemnationem ſubibunt; à qua nec homines, nec Angeli,

Angeli, nec Beata Virgo eos vellet, vel poterit liberare: octavò dies perditionis, quia & famam, & vitam, & lætitiam, & animam, & omne bonum perdent in æternum: nonò dies tumultus, & commotionis, ut vertit Chaldæus, quia in tanto, & pœnè infinito numero damnatorum, turbaque condenſata, & conſtipata, tam in valle Joſaphat, quàm in gehenna horrendus erit ſtrepitus, clamor, & ejulatus, horrenda convicia, maledictiones, & blaſphemiæ, qui bus damnati ſociis, parentibus, Dæmonibus, Angelis, Deoque maledicunt: ringent enim contra ſe invicem quaſi canes ex ſummo dolore, & deſperatione: decimò erit dies tenebrarum, quia ibunt in tenebras exteriores, ubi nunquam videbunt ſolem, lunam, vel ullum lumen: undecimò erit dies turbinis, quia quaſi mentis impotes vertigine agentur, & ignis ſtridens, quaſi turbo aget eos in gyrum, rapietque ad tartara: duodecimò erit dies tubæ, & ut vertit Pagninus tarantaræ, quia tuba proclamante educentur coram toto mundo ad locum ſupplicii, & prælii, quo eos Deus proffligabit: decimo tertiò erit dies jubilationis, ut vertit Chaldæus, quia Sancti jubilabunt ipſiſque damnatis inſultabunt, hæc ad litteram patent in verbis Prophetæ: ô quam diſtricta dies impiis, & plena anguſtiæ, & calamitatis; hæc omnia conſidera frequenter ô peccator, & in æternum non peccabis. *Serm. 5. Dom. 1. Advent. ſerm. 2. Paſchæ, ſerm. 3. Dom. 20. Pentec. Sap. cap. 6. Ecclen. cap. 7. & c. 11. Pſalm. 118. cap. 10. verſ. 13. Luc. cap. 12. verſ. 46. & S. Hieron. & Ugo aliique Doctores: Vide S. Bonav. op. Phar. lib. 3. cap 43. op. faſcicul. cap. 2. ſequ ſerm. 2. Dom. 2. Paſchæ. ſerm. 2. & 3. Dom. 9. Pentec. ſerm. 2. Dom. 4. Adv. ſer. 3. feria 3. Paſchæ. ſerm. 2. feria 2. Pentec. ſerm. 3. feria 3. Pentecoſt. ſermon. 1. & 2. Dom. 8. Pentecoſt.*

CAP. II.

10. *Congregationis, vel Eccleſiæ tranſitus de bono in malum ob diſſolutiones, & relaxationes expenditur.*

CONVENITE, congregamini gens non amabilis, &c. quia Gaza deſtructa erit, &c. & ponet Deus ſpecioſam in ſolitudinem, & in invium, & quaſi deſertum, &c. Nota ad litteram, quòd Propheta deſcribit deſolationem futuram Ninive, & totius Aſſyriæ; ſed myſticè deplorat miſeriam Eccleſiæ, vel congregationis alicujus, quæ per obſervantiam priùs erat ſedes Angelorum, & Dei, ob prævaricationes fit cubile Dæmonum, de quo ſtatu miſerabili, *Vide in Thren. c. 1. & 4.*

11. *Procraſtinans pœnitentiam dicens cras cras eſt corvus Eccleſiam deturpans.*

Vox cantantis in feneſtra, corvus in ſuperliminari, quoniam attenuabo robur ejus. Nota, quòd inter miſerias civitatis Ninive ponit Propheta, quod ipſa cum eſſet habitatio priùs hominum, & Principum, poſtea jam deſolata, & deſtructa fiet habitatio Leonum, & in feneſtris cantabunt corvi cras, cras: myſticè loquitur de Chriſtianis ad pœnitentiam vocatis, qui differunt pœnitentiam de die in diem dicentes cras, cras, quod eſt vox corvina, iiſque clauditur feneſtra, & oſtium in die qua non ſperant, & hora, quam neſciunt, & remanebunt cum voce corvina. *Serm. 5. in die cinerum; & in ſap. c. 17. & ſermon. de S. Catharina.*

12. *Peccatoris anima eſt civitas habitata à diabolo; & beſtiis infernalibus.*

Hæc eſt civitas glorioſa habitans in confidentia, &c. Quomodo facta eſt in deſertum cubile beſtiæ. Nota, quòd myſticè loquitur de anima, quæ priùs exiſtens in gratia erat glorioſa habitatio Dei, & Angelorum, ſed proh dolor! peccans mortaliter convertitur in deſertum omni bono ſpoliata, & reddita habitatio Dæmonum, & beſtiarum, ſcilicet ſuperbiæ, invidiæ: ô miſeria deploranda. *Pſal. 88. fer. 1. 2. & 3. Dom. 3. Quadrageſ. op. Diat. tit. 10. c. 5. & op. de prof. religioſ. lib. 2. c. 15. & ſerm. 6. Dom. infrà oct. Epiph.*

CAP. III.

13. *Principum, & Iudicum nimia ſeveritas, & crudelitas cauſa ruinæ populorum.*

VÆ provocatrix, & redempta civitas, columba, &c. Principes ejus in medio ejus quaſi leones rugientes, &c. Nota ordinem horum verborum; primò enim deſcribit potentiam, & malitiam civitatis; & ut ſciatur, unde potiſſimum hæc orta ſit, notat, quòd Principes ejus erant veluti leones, & lupi, & Prophetæ veſani, & infideles; ut videas, quòd Principum, ſacerdotumque malitia redundat in totam civitatem; quando ſcilicet ſunt veluti leones crudeles, & lupi rapaces, & voraces. *Pſal. 118. c. 2. v. 7. & 13. ſer. de S. Cathar. Ioan. c. 10. v. 8.*

14. *Ignis Spiritus Sancti vis in anima quanta: ubi de adventu ipſius in Apoſtolos.*

Expecta me dicit Dominus; in die reſurrectionis meæ in futurum, quia judicium meum, ut congregem gentes, &c. in igne enim zeli mei devorabitur omnis terra. Nota hic Prophetam alludere ad adventum Chriſti in carnem, ad ipſiuſque reſurrectionem; poſtquam miſſurus erat Spiritum Sanctum in Apoſtolos, & in Eccleſiam, & ut cognoſcantur effectus talis miſſionis, dicit; in igne zeli mei devorabitur omnis terra, ſcilicet quidquid imperfectionis, & infirmitatis in eis fuit, totum conſumptum eſt: hic enim eſt effectus adventus Spiritus Sancti in animam, ſcilicet devorare totam terram, ſcilicet affectiones omnes terrenas, &

inflammare

inflammare in Dei amorem. *Dion. Eccleſ. Hierarch. p.4.c.2. Luc.c.3.v.16.& c.12.v.49. & c.24. v.32. Sap.c.2.*

15. *Quale beneficium eſt, quod Chriſtus ſtat in medio, & medium ſemper amat.*

Lauda filia Sion, jubila Iſrael, lætare & exulta in omni corde filia Ieruſalem. Lauda, ſcilicet ô Eccleſia, ô Anima Deum tuum, jubila, & lætare, &c. & cur exigit à nobis hanc exultationem, & laudem; ſubdit. *Rex Iſrael Dominus in medio tui, non timebis malum ultra.* Ergone tanta lætitia, quia Dominus in medio noſtri? nonne eſt ubique, & in medio, & in lateribus? ſed attende ad myſterium, loquitur de Chriſto, qui ſemper amat medium, ſcilicet ut doceat communicabilitatem ſuæ juſtitiæ, æquitatis, & liberalitatis omnibus; ab eo enim, qui eſt in medio ad omnes circumferentias eſt æqualis appropinquatio abſque declinatione recta ſituatio, & omnibus liberalis communicatio ſine acceptione perſonarum, & hæc debet eſſe noſtra conſolatio, & lætitia. *Ioan. c.20.v.20.*

16. *Quod in Dei obſequium non ordinatur, inter nugas à Deo adnumeratur.*

Nugas, qui à lege receſſerant, congregabo, quia ex te erant, ut non ultrà habeat ſuper eis opprobrium. Ad litteram reprehendit ſacer textus Iudæos, qui à lege receſſerant Dei ob nugas, & nugacitates, ſcilicet ob nugacia bona terræ; ideò & ipſi inter nugas, ideſt inter abjectiſſimos omnium nationum ſunt, hos omnes in fine congregabit ad fidem Chriſtus Ieſus; moraliter verò dat nobis intelligere, quòd omne, quod in Dei obſequium non impenditur, totum inter nugas, & vanitates à Deo reputatur; tum etiam, ut doceat nos fugere nugacitates, quæ maximè Chriſtianos, & Religioſos dedecent. *Sap.c.1.& opuſc. Phar.lib.3.c.3.*

Et hic explicit poſtilla S. Bonavent. ſuper Sophoniam.

EXPOSITIO SERAPHICI DOCTORIS
S. BONAVENTURÆ
IN
AGGÆUM PROPHETAM.

PROLOGUS.

DECIMUS inter Prophetas Minores ponitur Aggæus, qui poſt liberationem populi Judaici è captivitate prophetavit: Aggæus autem interpretatur feſtum celebrans, ſecundum nomen feſtivè prophetavit ſuper redditum è captivitate, & reædificationem templi, & ſuper Adventum Meſſiæ, cujus ipſe fuit figura.

CAPUT PRIMUM.

1. *Quanti facere nos vult Deus ſua verba, inſpirationes, & monita.*

IN anno ſecundo Darii Regis, in menſe ſexto, in die una menſis factum eſt verbum Domini in manu Aggæi Prophetæ. Nota, quòd non ſine myſterio Propheta advertit, & notat annum, menſem, & diem, quo Verbum Dei excepit, ut ſcilicet diſcamus quanti Dei verba, inſpirationes, & monita interna, externaquè facere debeamus, quibus nos ad fabricam ſublimiorem templi ſpiritualis in anima noſtra excitat, & impellit, adeò ut diem, & horam, qua illa nobis ſuggeruntur ſtudioſi annotare par ſit; ut multi ſanctorum id fecerunt memores Deum exacturum à nobis accuratam eorum rationem in hora mortis, & in die judicii: Addit verò Verbum Dei factum in manu Aggæi quia non tantùm viri juſti audiunt auribus Verbum Dei, ſed & opere, & vitæ ſanctitate implent; ſic ſacri Expoſitores. *Vide Ioan. c.5. v.38. & c.18. v.8. & c.8. v.51. & ſer. 1. feria 2. Pent. ſer. 1. in ſexag. Pſal. 118. c.2. v.1.*

2. *Templi, & Eccleſiarum ædificatio, cura & nitor quàm Deo chara.*

Numquid tempus eſt vobis, ut habitetis in domibus laqueatis, & domus mea deſerta? Nota, quòd hic conqueritur Propheta cum Judæis, qui toto ſtudio ædificabant ſibi domos pulchras, templum autem erat deſertum; eos reprehendens, quòd majorem curam adhiberent in propriis ædificiis, & poſtponerent, & relinquerent ædificium templi Dei. dans nobis intelligere, quod potiſſima cura fidelium debet eſſe circa cultum Dei, quàm circa commoditates temporales, & quia multi in hoc deficiunt, hinc Deus eos punit in ipſis temporalibus, ſic Sanctus Hieronymus: Templa autem ſunt ædificanda pro audienda prædicatione verbi Dei, pro fundenda oratione, pro celebratione miſſarum, & oblatione ſacrificiorum, & adminiſtratione Sacramentorum, & laudatione divina; & quia Deus maximè attendit orationi factæ in Eccleſia, hinc patet quam prompti, & ſeduli debeant eſſe fideles in ædificandis templis ſuper omnia alia. *Ser. 1. & 4. de dedicat.* Patet etiam myſticè qualiter ædificium ſpirituale animæ exercitio virtutum faciendum eſt, pro cujus fundamento collocandus eſt Chriſtus, ideò hæc fabrica incipienda eſt ſurſum à Cœlo. *lib. 4. d. 22. a. 3. qu. 1.*

3. *Sacrorum templorum everſores, & prophanatores à Deo ſeverè puniuntur.*

Et domus mea deſerta. Cur deſerta? quia à prophanis templum everſum, & deſtructum fuerat & ideò à Deo ſeverè puniti; ut hinc addiſcamus quàm Deo ſint exoſi everſores, & prophanatores ſacrorum templorum, & ob id ſeverè Dei flagellis ſubjiciuntur. *Ser. 3. feria 2. Paſcha.* & de hac veritate plenæ ſunt hiſtoriæ, tam prophanæ, quam ſacræ, ut experti ſunt Valens Arianus, Conſtantinus Copronymus, & noviſſimè Henricus octavus Angliæ Rex: hinc etiam patet, quàm errent illi, maximè Prælati Eccleſiaſtici, qui domos proprias magnificè conſtruunt, & domum Dei veluti deſertam relinquunt: ô quot, quot inveniuntur tales incurioſi & oblivioſi.

4. *Alii ſeminant ad juſtitiam, alii ad injuſtitiam: Vbi de malis Religioſis.*

Seminaſtis multum, & intuliſtis parum. Cur hoc? Ad litteram Propheta aſſignat cauſam, quare

ſeminantes multum, inferunt parum fructum: nempè quia dereliquerunt Deum, & tempit ædificium, & cultum noo curarunt incumbeotes locris temporalibus, quia juſto Dei judicio ubi ſeminatur frumentum, naſcuntor ſpinæ, ut ibi puoiatur homo, in quo peccavit: ſed myſticè dat nobis intelligere, qood qui ſeminant ad injuſtitiam, etiam defraudati colligunt ſpinas accumulantes peccata peccatis; & è cootrà qui ſeminaot ad juſtitiam, ſcilicet booa opera multum fructum colligunt: *Op. meditat. c. 48. & lib. 2. d. 14. p. 2. dub. 2. ſer. 2. Dom. ſexageſ.* Notent hocoperarii, mercenarii, mercatores, nimitum ſuos labores, operas, & mercimonia, quibus noctu, diuquè ſe ſe fatigant, io caſſum cadere ob neglectum cultum Dei, & gratiam, ſic enim oleum, operamque perdunt: quare ſi ea utilia velint, ſi lucrum, & divitias iodè cupiant, & captare deſiderant, Deum colant, & invocent; *quærite primùm regnum Dei*, clamat Chriſtus, *& hæc omnia adjicientur vobis: Matth. c. 6.* Nota etiam, quòd iſta dicuntur Religioſis malis, qui intraodo Religiooem ſeminaverunt multum emitteotes tria vota regularia, & Deo promittentes vitæ ſanctitatem, ſed ſuam profeſſionem deſerentes tanquam peſſimi ſæculares inter ipſos vitam degunt. *Ser. 1. Dom. 24. Pent.*

5. Cor hominis rebus creatis non poteſt repleri, undè comparatur ſacco pertuſo.

Qui mercedes congregavit, miſit eas in ſacculum pertuſum: Quis iſte ſacculus pertuſus? hic eſt cor hominis avari, mundani, & voluptatibus carnis dediti; cujus concupiſcentia oculorum dicit affer, affer divitias: coocupiſcentia carnis dicit affer delicias: illa non ceſſat congregare, iſta non ceſſat effundere; uodè cum cor ſit inſatiabile rebus terrenis, dicitur ſaccus pertuſus, qoia nunquam poteſt impleri. *Op. Diat. tit. 3. c. 8. & tit. 1. c. 8. & op. Comp. Theol. lib. 5. cap. 119.*

6. Iudæi, quia ruperunt ſaccum humanitatis Chriſti, ideò non fructum, ſed pœnam ex hoc reportaverunt.

Qui mercedes congregavit, miſit eas in ſacculum pertuſum: Nota etiam, quòd hæc prophetia fuit de Adventu Chriſti in carnem, qui ſacculum à Iudæis accepit humanitatis, in quo divinitatem abſcondit, & quia ipſi perforaverunt ejus corpus, hinc nihil boni, eis remanſit, ſed tantùm ruina. *Ser. 6. Dom. 1. Adv.*

7. *Vſura damnatur.*

Reſpexiſtis ad amplius, & ecce factum eſt minus: Quid eſt reſpicere ad amplius, niſi mutuare pecuniam, & expectare fructum ex ea, & hoc, quia indebitum eſt, & prohibitum, ideo dicitur factum eſt minus, ſcilicet ubi ſperaſtis vos habituros fructum multum, & ecce Deum offendiſtis, & juſto Dei judicio ruinam iovenitis. *in Luc. c. 6. v. 34.*

CAP. II.

8. Verbum Dei devotè auditum educit de ſtatu peccati, deducit per ſtatum pœnitentiæ, & reducit ad ſtatum juſtitiæ.

VERBUM, quod pepigi vobiſcum, cum egrederemini de terra Ægypti: & ſpiritus meus erit in medio veſtrum; nolite timere: Nota conjunctionem verbi Dei Iſraelitis expreſſi, cum egreſſu Ægypti, & Spiritus ſancti adventus in medio eorum; datque intelligere, quòd Verbum Dei devotè auditum habet vim educendi animam de Ægypto peccati; & deducendi per deſertum pœnitentiæ, & tandem reducendi ad ſtatum juſtitiæ, in quo reſidet Spiritus ſanctus. *Pſal. 118. c. 2. v. 9.*

9. Ex Chriſti adventu in mundum, & ad judicium variæ commotiones in bonum, & in malum, expenduntur.

Adhuc unum modicum eſt, & ego commovebo Cœlum, & terram, & mare, & aridam, & omnes gentes, &c. Nota, quod hic prædicit Propheta adventum Chriſti tum in carnem, tum ad judicium univerſale; datque intelligere multiplicem commotionem ſecuturam io mundo ex hoc adventu tum in bonum, tum in malum, tum ad exultationem, tum ad pœnitentiam, tum ad malum amplexandum contrà ipſum; & magis poſteà adveniente ad judicium commotio fiet in omnibus creaturis, & tunc veniet deſideratus cunctis gentibus ad glorificandum corpora beatorum. *Ser. 1. Dom. 2. Adventus in Luc. c. 19. v. 38. & c. 23. v. 5.*

10. *Chriſtus qualiter dicitur deſideratus, vel deſiderium, ut legit Hebræus, cunctis gentibus.*

Veniet deſideratus cunctis gentibus: Vide in quibuſnam conſiſtit commotio ſuprà prædicta omnium creaturarum; Et commovebo Cœlum, & terram &c. quia Chriſtus promiſſus mundo dicitur deſideratus cunctis gentibus, vel, ut legit Hebræus, *deſiderium*: avidè enim, & cum ſinceritate cordis deſiderabant ſancti Patres Filium Dei incarnari, eo quod erant in ipſo tria, quæ omne deſiderium replent, ſcilicet delectatio viſus ad intuendum; decoratio ſubjecti in ejus poſſeſſione; & dulcoratio guſtus in fruitione: primum eſt ex ſpecioſitate Chriſti ob immunitatem ab omni peccato, ob id ſpeculum eſt ſine macula, Deus majeſtatis, ſpecioſior ſole, in quem deſiderant Angeli proſpicere: ſecundum eſt ex pretioſitate illuminantis gratiæ devorantis ſubjectum in poſſeſſione; undè illa ſancta anima dicebat: *ſub umbra illius, quem deſideraveram, ſedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo, Cant. c. 2.* nempè ſub umbra refrigerantis gratiæ, & illius, ſcilicet Chriſti, quem deſiderabam per exceſſum inflammatæ dilectionis, ſedi per mentis quietatio-

Digitized by Google

nem, & fructus ejus dulcis gutturi meo propter deguſtationem ſapientiæ; & cum ad hoc requiratur purgatio à peccato, reſolutio in aquam devotionis, & abſtractio à mundanis anima ſe totaliter recolligens ad interiora, immediate recipit ſtillicidium divinæ influentiæ, & deguſtat dulcorem æternæ ſuavitatis: tertium ſcilicet dulcoratio, & fruitio eſt ex oblectabilitate ſapientialis demulcentiæ, quia Chriſtus in iſto adventu meruit cunctis gentibus gratificationem adoptionis, tollendo originalem culpam, apertionem cæleſtis januæ propter judicialis vindictæ relaxationem, & ſublimitatem finalis gloriæ, amovendo miſeriam totalem: Ergo meritò dicitur deſideratus cunctis gentibus. *Serm. 2. Dom. 1. Advent.*

11. *Chriſti Aduentus dignatio expenditur.*

Veniet deſideratus cunctis gentibus. Nota, quòd dicit veniet: non dicit, mittet, ſcribet, ſed veniet perſonaliter; per quod innuitur benignitas venientis: ſed cur venit Filius Dei? venit ex nimia benignitate, & benignitatem prætendens: venit inquam tamquam mediator gratioſiſſimus ad exhibenda remedia pacis, & reconciliationis, quia ipſe eſt pax noſtra, qui univit humanitatem, & divinitatem ſimul, evangelizando pacem Dei cum homine: venit & ſicut Doctor veraciſſimus ad danda documenta pietatis, & juſtitiæ: venit ut Rex humillimus ad demonſtranda exempla humilitatis & paupertatis; undè *Zac.c.9.* dicitur: *Ecce Rex tuus venit tibi juſtus, & ſalvator, pauper & aſcendens ſuper Aſinam*; quia venit, ut deſtrueret ſuperbiam primi hominis, ideò noluit venire faſtoſus, & ſuperbus in curribus & equis faleratis, ſed humilis, & manſuetus, ut hominem terrenum revocaret ab amore terrenorum, & ad amorem Dei revocaret; noluit venire pompoſus in divitiis, ſed pauper, & egenus, ut ſic per ſuam humilitatem deſtructa omni ſuperbia, & per ſuam paupertatem omni malitia, cognoſcatur, quia ipſe eſt verus ſalvator: Erubeſce ergo ô homo eſſe membrum ſuperbum, cum tuum caput ſit humile. *Serm.* 2. *Dom.1.Adv.Pſal.118.c.1.v.21.*

12. *Chriſtus iterum deſiderabilis oſtenditur.*

Veniet deſideratus cunctis gentibus. Quomodo deſideratus, & quarè? ſed pete à Magdalena amore ejus ſuccenſa, & reſpondebit: Deſiderabilis ab omni gente, in omni neceſſitate, in omni proſperitate, in omni adverſitate, ex omni parte, eo quod ipſe eſt deſiderabilis viſui ut ſit homini delectatio in videndo; ſi enim tam deſiderabile eſt omne pulchrum creatum, quantò magis dans pulchritudinem creatis rebus; deſiderabilis item auditui, ut ſit delectatio in auditu; ſi enim tantum delectat auditum cantus avium, ſonus inſtrumentorum, vox hominum, quid putas divinam ſapientiam conclamantem audire? ô quàm dulcia faucibus animæ eloquia divini ſponſi? deſiderabilis item ſenſui, ſive guſtui, ut ſit homini delectatio in guſtu, quia in hoc eſt complementum, & perfectio omnis boni; ſi ergo tam delectant iſta dulcia corporalia, quid faciet deguſtatio animæ dulcedinis ſpiritualis, & amplexus ſponſi cæleſtis? & ecce poteſt dicere anima ſponſo unita; & fructus ejus dulcis gutturi meo. *ſer.*1.de Sancta Magdalena. *Luc.c.* 10.*v.*24. *Ioan.c.*3.*v.*21.*& c.*8.*v.*27.

13. *Cor mundum mundat omnia opera; cor infectum inficit ea: ubi de mala ſumptione Euchariſtia.*

Si tulerit homo carnem ſanctificatam in ora veſtimenti ſui, & tetigerit de ſummitate ejus panem, &c. numquid ſanctificabitur? non ſi tetigerit pollutus in anima ex omnibus his, numquid contaminabitur? contaminabitur. Nota illud verbum *pollutus in anima*, ſcilicet in corde: Ex quibus infertur rectè; quòd cum cor ſit creatione primum animæ principale domicilium, influentia maximum, & motu continuum, ideò eſt omnis motus, & vitæ principium, quia nec os aperimus, nec aliquid aliud agimus, niſi hoc ex corde operemur; impoſſibile enim aliquid eſſe in opere, vel in ore, niſi prius fuerit in corde, vel quale eſt verbum cordis, tale eſt oris, & operis; hinc ſequitur, quòd quale eſt cor, tales ſunt omnes alii actus noſtri: ergo ſi quis pollutus erit in corde, & egerit opera bona, etiam hæc opera erunt polluta; unde eſt mirabile, & deteſtabile, quod toto poſſe ſic homines laborant à turpibus lavare corpora, mundare à vermibus capita, à noxiis inteſtina, à ſordibus veſtimenta, quærunt in lectis munda linteamina; munda fercula, munda vina, & munda valdè mancipia, & non curant, ſi immunda habeant corda; quid ſtultius? quid deteſtabilius? quid inordinatius? vis habere omnia munda, & animam Cœlo nobiliorem, non curas eſſe immundam? Ex quibus patet, quod multi ſunt veluti ſepulchra exteriùs dealbata, incumbendo ſacris actionibus, ſumptioni ſacramentorum, & carnium ſanctarum Chriſti, ſed interiùs ſunt omni ſpurcitia plena, ſcilicet cadaveribus mortuorum. *Ser.4.de Apoſtol.& ſer.1.de uno Mart.*

14. *Væ iis, qui ex flagellis divinis non meliorantur, ut grandine, penuria, & ſimilibus.*

Percuſſi vos vento urente, & arugine, &c. Vide & audi querimoniam Dei cum populo Iſraël, qui cum ipſum percuſſiſſet, & flagellaſſet vento urente, & arugine, eſtque quando ſeges ex nimio humore palleſcit, marceſcit, tabeſcitque vertens grana in cinerem, & grandine; & tamen ex his flagellis à Deo immiſſis non ſunt converſi ad Deum & meritò conqueritur, quia cum immittit Deus flagella homini, tunc intendit ad ſe veluti funiculis trahere hominem. *Ser.2.feria 4.Pentec.* Ex his patet, quòd manet diſſimilitudo paſſorum ſub ſimilitudine paſſionum, quia ſicut igne aurum rutilat, & palea fumat, & ſub eadem tribula paleæ comminuuntur, & frumenta purgantur, ſic una, & eadem vis irruens, bonos probat, purificat & eliquat; malos damnat, vaſtat & exterminat; quæ omnia facit non varia actio, ſed diverſa cauſati diſpoſitio; nec pœna, ſed cauſa facit Martyrum. *Ser.2.de S.Andr.*

15. Mundi

15. *Mundi regnorum imbecillitas, & divini regni ſtabilitas expenditur.*

Et ſubvertam ſolium regnorum, & conteram fortitudinem regni gentium: Ecce quàm debilia ſunt regna mundi, quia poteſtati divinæ ſubiecta: ſunt enim infima ordine, quia ſunt de hoc mundo; ſunt & imbecillia; brevia durabilitate: è contra Chriſti regnum amplum latitudine, firmum poteſtate, perpetuum æternitate, magnificum decore, & jucundum delectabilitate. *In Ioan. collat.* 8.

16. *Electio Petri Apoſtoli in Prælatum ſupremum totius Eccleſiæ, prædicta: ubi de electione aliorum Prælatorum.*

Ego aſſumam te Zorobabel fili Salathiel ſerve meus, dicit Dominus, & ponam te quaſi ſignaculum, quia te elegi. Nota hæc ſunt verba Chriſti directa ad ſanctum Petrum Apoſtolum; Zorobabel enim fuit Princeps in Iudæa, & interpretatur Princeps tranſlationis, & ſignificat primò Petrum aſſumptum in Prælatum totius Eccleſiæ, & in Petro cæteros Prælatos aſſumptos ad ſtatum prælationis, & ad præſidentiam virtualis protectionis in regimine Eccleſiæ: hunc enim eripuit Dominus de jugo poteſtatis diabolicæ, & tranſtulit in regnum filii dilectionis ſuæ; dicitur autem huic, aſſumam te, ſcilicet per gratiam benignæ adoptionis, ſerve meus per reverentiam dominicæ ſubjectionis, & ponam te quaſi ſignaculum certificativum doctrinæ, ad faciendum fidem, per motivum in pugna ad præliandum contrà hoſtem; & directivum in via ad dirigendum in gloriam cæleſtem; & propter hoc elegi te ad Cathedram Apoſtolicæ Prælationis. *Ser. 4. Dom. 2. Quadrag.* ex quibus patet quinam ſunt vocati à Chriſto ad prælaturam, & ad quid: primò enim ſupponitur in eis gratia adoptionis; ſcilicet bonitas vitæ, & humilis ſubjectio ad Deum: ſecundo debent eſſe ſignaculum; quia debent fidem, & fidei myſteria docere, præliare pro ſubditis contra diabolum, & eos dirigere in viam ſalutis. *ibid.*

Explicit poſtilla Sancti Bonaventuræ, in Aggæum Prophetam.

EXPOSITIO SERAPHICI DOCTORIS
S. BONAVENTURÆ
IN
ZACHARIAM PROPHETAM.
PROLOGUS.

NOTA, quod Zacharias fuit Propheta coævus Aggæo; interpretatur autem memoria Dei, quia omnium mirabilium, quæ Deus per alios Prophetas ſparſim prædixerat, in hoc uno ſibi, quaſi memoriam facit: fuit è tribu Levi, Sacerdos, Doctor, & Propheta: ejus intentum fuit urgere populum ad reædificandam Ieruſalem, & Templum; item hortari eundem, ne Idola, & vitia majorum imitaretur, item prædicit futuros ſucceſſus, & eventus varios Judæis obventuros uſque ad Chriſtum, quem etiam promittit, ejuſque vitam, & myſteria manifeſtè pandit, ut potiùs hiſtoricus, & Evangeliſta videatur, quàm Propheta.

CAPUT PRIMUM.

1. *Quàm Deo diſpliceat mala cura Prælatorum in ſubditos.*

IRATUS *eſt Dominus ſuper Patres veſtros iracundia:* Cur contrà Patres Deus oſtenditur tam iratus? ſuper Patres, ideſt Prælatos, qui debent eſſe Patres & verbo, & exemplo; contrà illos igitur Prælatos loquitur Propheta, qui non ſolum Patres ſe non oſtendunt in ſubditos, velut in filios; qui pro ſubditis non fundunt orationes, & lachrymas, nec vigilias, nec ſubſidia viduis, & pauperibus unde vivant porrigunt, imò manutenent uſurarios, eis præſtantes adjutorium, auxilium, & favorem, ideo melius dici poſſunt raptores, quàm Patres; ô quanta mala pariunt in Eccleſia mali Prælati. *Ser. 1. Dom. 24. Pent.*

2. *Ordo converſionis noſtræ expenditur.*

Et dices ad eos, convertimini ad me, ait Dominus exercituum, & convertar ad vos, dicit Dominus exercituum: Quomodo Deus intimat nobis converſionem noſtram ad ipſum, ut ipſe poſteà ad nos convertatur? eſtnè initium ſalutis noſtræ ex puris viribus noſtris, quod eſt dogma Pelagianum? ſed attende, quòd dum dicit, convertimini ad me, offert, & exhibet vocando gratiam aliquam gratis datam, per quam excitetur peccator, excitatuſque aliqualiter ad ipſum convertatur, ut converſus per gratiam gratum facientem, à Deo acceptetur; & hinc dicitur Deum converti ad ipſum; & hinc ſancti Patres recognoſcunt hunc ordinem in juſtificatione peccatoris: primum eſt, invitatio Dei, & vocatio; ſecundum, aſſentiri vocationi; tertium, adjutorium Dei; & quartum permanentia: primum eſt inſpirationis Dei; ſecùndum, libertatis arbitrii; tertium, eſt muneris divini, nempe ut adipiſcamur gratiam juſtificantem; quartum eſt muneris divini, & noſtræ, cooperationis, ſcilicet perſeverantia: *lib. 2. d. 28. a. 2. q. 1. ad* 1. Dicit igitur convertimini ad me, quia exigit à nobis pœnitentiam, ut ordinatè conferat indulgentiam. *in Luc. c. 1. v. 16. & c. 7. v. 44. & Pſal. 118. c. 7. v. 5.*

3. *Chriſtus quomodo apparuit inter myrtheta, & Beata item Virgo Maria.*

Vidi per noctem, & ecce vir aſcendens ſuper equum rufum, & ipſe ſtabat inter myrtheta, quæ erant in profundo, &c. Nota, quod hic vir aſcendens ſuper equum rufum eſt Verbum divinum, quod intrans in uterum Beatæ Virginis aſcendit equum humanitatis, ſtans inter myrtheta, ſcilicet in medio Angelorum, & ſanctorum; ſic Abbas Cellenſis, aliique Patres: ſignificatur etiam Beata Virgo Maria; & myrtheta ſignificant Angelos, qui in medio habent Virginem tamquam ſuam Reginam, ſub cujus patrocinio, alis, & præceptis ſtant; ſic alii Expoſitores, & conformiter ſenſui ſancti Bonaventuræ. *in op. Pſalt. B. Virgin.*

4. *Angelorum protectio in homines coram Deo expenditur.*

Et reſpondit Angelus, & dixit Domine exercituum uſquequo tu non miſereberis Ieruſalem, &c. Vide quomodo Deus motus eſt ad liberandum

Iſraëlitas à captivitate ex precibus Angeli, ut addiſcamus, quòd ſæpè ad preces Angelorum Deus nobis gratiam, & indulgentiam confert, ne igitur obduremus corda noſtra ad divinas inſpirationes, ne Angelorum patrocinio fruſtremur: *Ser. de S. Mich. ſer. 1. de Angel.*

5. *Idem argumentum de Angelorum protectione; ubi etiam de quatuor Evangeliſtis.*

Et reſpondit Angelus, &c. & dixit ad me Angelus, &c. & oſtendit mihi Dominus quatuor fabros. Nota, quòd ex toto iſto capite manifeſtè infertur, quanta, & qualis ſit cuſtodia, cura, & ſollicitudo, & quales ſint effectus protectionis Angelicæ; oſtenſi enim ſunt Angeli ſub metaphora quatuor fabrorum, qui miſſi fuerant à Deo ad deſtruendas technas hoſtium, & ad reædificandum, quod hoſtes deſtruxerant; unde hæc protectio Angelica reducitur ad hæc potiſſima capita: primum eſt remotio impedimentorum boni, occaſionum, & actionum peccati, ſecundum eſt tentationes mitigare: tertium contra hoſtes viſibiles adjuvare, & ideò ſub figura fabrorum oſtenſi ſunt quatuor Angeli, qui venerunt deſtruere quatuor cornua, ſcilicet quatuor imperia, quæ vexabant Iſraelitas: quartum eſt orationes noſtras, & eleemoſynas Deo præſentare, & pro nobis orare: quintum eſt viam oſtendere bonam: ſextum nos docere, & illuminare mentem purgando phantaſiam, & diſponendo intellectum ad recipiendas inſpirationes divinas: ſeptimum nos conſolari in tribulationibus: octavum de peccatis increpare. *Op. Comp. Theol. lib. 2. c. 18.* Nota etiam, quòd per iſtos quatuor fabros poſſunt intelligi quatuor Evangeliſtæ, per quos Chriſtus fabricavit hanc magnam domum Eccleſiæ, ſcilicet ipſam inſtituendo per doctrinam eorum in fide, & Sacramentis. *Ser. 1. de S. Matth. in addit.*

6. Idem argumentum de protectione Angelorum in nos proponitur; de quo *Vide Comp. Theol. loco cit. & ſer. de Ang. in communi, &c.*

CAP. II.

7. *Deus omnia ponderat in juſtitia, numero, & æquitate ut nos cum ipſo noſtra metiamur.*

VNDE debemus ad hanc ſæpè levare oculos mentis, ut noſtra opera cum ipſa metiri poſſimus; undè vidit Propheta Deum habentem in manu menſuram menſoriam. *Ioan. coll. 46.*

8. *Qui habet Deum in ſe, ſecurus eſt ab omni malo, & veluti in gloria manet.* Sic enim dixit Deus civitati Jeruſalem; *Ego ero ei murus ignis in circuitu, & in gloria ero in medio ejus. Ego venio, & habitabo in medio tui ait Dominus. Quis igitur poterit reſiſtere? Ioan. c. 20. v. 20. ſerm. 1. fer. 3. Paſcha.*

9. *Licet aliquando ſervis Dei fugere perſecutiones, quando adeſt periculum periclitandi in rebus ſpiritualibus, vel ob majus bonum ad gloriam Dei reſpiciens:* unde hic dicitur, *ô fugite de terra Babylonis, dicit Dominus*, quod maximè tempore Antichriſti faciendum eſt. *Luc. c. 21. v. 21.*

10. *Mundi contemptus, & fuga ſuadetur.*

O fugite de terra Aquilonis. Ideſt de Babylone: Nota, quòd hæc verba auribus noſtris continuè intonat Dominus intendens ſuadere contemptum, & fugam mundi ſignificati in civitate Babylonis, quæ interpretatur confuſio; ex quo nomine inveniuntur rationes, ob quas fugiendus eſt: Confuſio enim in mundo graſſatur, tum ob labores, quibus fatigantur mundani; tum ob vanitatem rerum temporalium, quæ in momento tranſeunt; tum ob fugacitatem gloriæ mundanæ, tum ob pericula, in quibus continuè immerguntur mundani; tum ob occultum vulnus peccati, quod infligunt bona mundana ſuis amatoribus: ô igitur fugite de terra Babylonis; & convolate ad urbes refugii, ad pœnitentiam, ad Eccleſiam, ad Religionem *Op. de contemptu ſæculi, & ſer. 7. in Pent. & ſer. 1. in Dom. 13. Pent. & ſer. 2. in ded. & op. ſolil. c. 2.*

CAP. III.

11. *Alii ſtant coram Angelo Cuſtode, alii retro.*

ET oſtendit mihi Dominus Ieſum ſacerdotem magnum ſtantem coram Angelo Domini. Nota ad litteram iſte Ieſus erat Pontifex ſummus Synagogæ, & Angelus Michaël, quia hic eſt tutor, & cuſtos peculiaris Eccleſiæ & ſummi Pontificis: ſed moraliter attendenda ſunt illa verba ſtantem coram Angelo Domini; ut videas, quòd alii ſtant coram, alii retrò Angelis Dei; coram Angelis ſtant, qui ad omne bonum incitantibus ſtant, ut eis acquieſcant: qui autem ipſis non obtemperant, ſe collocant retrò, ipſos privantes gaudio magno; væ tibi quicumque es, qui tuis operibus malis minuis Sanctos Angelos tanto gaudio; Nota etiam, quod dicit ſtantem coram Angelo, ut intelligamus, nos non debere facere coram ipſis, quod coram hominibus non auderemus. *Ser. 1. Dom. 10. Pent.*

12. *Homo, quò juſtior, & ſanctior, eo acriùs à diabolo impugnatur; & tunc Deus, & Angeli ipſi magis aſſiſtunt.*

Et Sathan ſtabat à dextris ejus, ut adverſaretur ei. Quomodo & cur ad dexteram, & non ad ſiniſtram; quæ eſt locus proprius diaboli? à dextris ſunt ſpiritualia, à ſiniſtris ſunt temporalia: à dexteris Sanctorum ſtat diabolus, ut eos fortius tentet in ſpiritualibus. & quò ſanctiores ſunt, eò acrius eos impugnare conatur, ſed tamen Deus non permittit eos tentari ſuprà id, quod poſſunt, ſed in majori neceſſitate, & per ſe, & per Angelos ipſos adjuvari, ut libenter ſtare poſſint ad reſiſtendum diabolo *Ser. 1. Dom. 10. Pent. Luc. cap. 22. v. 32.*

13. Qui

13. *Qui Deum à ſe, abedsendo diabolo, ejicis, ponit ad dexteram Sathanam, & ad ſiniſtram Chriſtum.*

Et Sathan ſtabat à dextris ejus Quomodo hoc verum poteſt eſſe? nonne horrendum eſt audire, quod Chriſtus figuratus in hoc Pontifice haberet locum ad ſiniſtram, & diabolus ad dexteram? ſic, ſiceſt, & ſic facit homo, quando pulſanti Chriſto non aperitur cor, ſed diabolo datur locus poſtponendo ſpiritualia pro temporalibus; ſic de Filio prodigo dicitur, quod adhæſit uni civium, &c. ſcilicet diabolo, qui concupiſcentiis terrenis, merito pravitatis ſuæ præpoſitus, princeps mundi vocatur, ipſique diabolo ipſe peccator adhæret, quia diabolus non habet poſſe, niſi quantum peccator ei dat ex mera voluntate. *Luc. c.15.v.15.& Tertull.*

14. *Peccator ponit ad dexteram diabolum, dans ei poſſe in ſe operari.*

Et Sathan ſtabat à dextris ejus. Nota, quòd per dexteram intelligitur vigor major, & vis operandi: cur igitur diabolus ponitur ad dexteram, & Jeſus ad ſiniſtram, quaſi plus poſſit diabolus, quàm Chriſtus? hoc dicitur quia totum provenit ex malitia hominis: Chriſtus Jeſus quidem omnia poteſt, ſed quia contemperat ſuam virtutem cum noſtra cooperatione, ideò quia homo rejicit ex malitia Chriſtum ſuſcipit diabolum, & ex conſequenti arma, & vires ipſi præbet, ut poſſit exercere ſuam tyrannidem in ipſum peccatorem, hinc dicitur poſitus veluti ad dexteram. *Luc.c.15.v.15.lib.3.d.20.dub.1.lib.2.d.6.dub.3. op. de Profect.Religioſ.lib.1.c.2.*

15. *Chriſtus elegit in hac vita veſtes pauperes, ut pretioſis indueretur in alia: ubi de cultu vano veſtium.*

Et Ieſus indutus erat veſtibus ſordidis. Cur talibus veſtibus? & non potius pretioſis ſummo Pontifici proportionatis? ſed transfer mentem ad illud *Lucæ c.2.& pannis eum involuit*, ſcilicet non una veſte, ſed multis ut pannoſus pauper; ut videas, quòd Ieſus cum altercabatur cum diabolo, & hic ei adverſabatur, ſordidis voluit indui veſtibus, ſcilicet carne noſtra ſordida, & veſtibus propriis pauperis, & inopis; at ubi exaltatum eſt caput noſtrum ſuper inimicos noſtros, mutavit veſtem, decorem induit: melior ſiquidem eſt in conflictu lorica ferrea, quàm ſtola linea, licet illa ſit oneri, iſta honori, & in hoc reprehenditur cultus veſtium pretioſarum. *Luc.c.2.v.7.* Vide ergo, quòd Ieſus in hac vita mortali elegit ſibi veſtes ſordidas, ſcilicet carne humana ſordidiore præ carne aliorum animalium, ærumnioſiore, ac mille morbis, fœcibus, & putoribus obnoxia: Vide, quod Ieſus vitam duxit in paupertate, ſudore, & miſeria, & hoc maximè oſtendit in paſſione, dum ſordidatum ſe oſtendit noſtris peccatis, cum livore, ſanguine, ſanie, ſputis, phlegmatibus, & vulneribus, &c. *Sic S.Hier.& S.Amb.Pſ.118.& S.Bon.in ſer.in Paraſc.*

16. *Increpatione obtunditur loquacitas, & audacia diaboli.* Unde dicit Dominus ad Sathan, *Increpet Dominus in te Sathan, & increpet in te Dominus, &c. Luc.c.4.v.36.& c.9.v.43.*

17. *Licet Angeli ad diverſa, & contraria opera ſint miſſi, tamen in ſolum Deum ſunt ſemper toti converſi, ſic activi.*

Ecce abſtuli à te iniquitatem tuam, & indui te mutatoriis.&c.& poſuerunt Cydarim mundam ſuper caput ejus, & induerunt eum veſtibus. Quid ſignificat hæc variatio veſtium in Angelorum manibus, & ſummi Pontificis? ad quid à Deo ordinata? ſed attende ad myſterium; dat per hoc nobis intelligere Deus, quòd ſicut Angeli miſſi ad varia, & contraria officia non tamen in ſe contrariis affectionibus, & motibus afficiuntur, ſed ad Deum ſolum habent directam mentem; ſic & activi, licèt ad diverſa opera ſint applicati, tamen quoad intentionem ſunt in Deum ſolùm ordinati. *Op. Eccleſ.Hierarch. p.3.c.3.*

18. *Septem dona Spiritus Sancti in Chriſto perfectiſſimè fuerunt infuſa, & permanenter; ubi etiam de ſeptem Sacramentis.*

Ecce ego adducam ſervum meum orientem; quia ecce lapis, & ſuper ipſum ſeptem oculi ſunt. Nota, quòd hic loquitur de Chriſto ſub nomine orientis, ſcilicet ſolis, quia lucem, & lætitiam attulit mundo: item ſub nomine unius lapidis, quia fuit fundamentum Eccleſiæ, qui conjunxit humanitatem, & divinitatem ſimul; in hoc lapide vidit Propheta ſeptem oculos ſculptos, per quos ſignificantur ſeptem dona Spiritus Sancti, quæ infuſa fuere in ipſo perfectiſſimè, ut ad nos ipſa eadem communicaret: dicuntur autem oculi alludens ad occellos, quibus Phrigiones veſtes decorant eas ornantes: ſic Chriſtus quaſi ſeptem oculis cælatus, & ornatus donis, & virtutibus in mundo apparuit. *Ioan.c.1.v.32.& c.3.v.34.& c.6.v.6.* Nota etiam, quòd per ſeptem oculos intelliguntur ſeptem Sacramenta Eccleſiæ, quibus Chriſtus ornavit ipſam Eccleſiam, & ditavit fideles, & reſpicit ipſos influxu ſuæ gratiæ. *Op. Compen. Theol.lib.6.c.5.* Poſſunt etiam intelligi ſeptem illuſtrationes, quas Chriſtus, ut medium Eccleſiæ immittit in nos: eſt enim medium metaphyſicum in æterna generatione, per quod omnia entia in unum ens per eſſentiam reducuntur; medium naturæ phiſicum in Incarnatione, quia ſe ipſum veluti ſolem, & cor mundi conſtituit, ut mediator ad immittendum omnes influxus in nos: medium mathematicum diſtantiæ in Paſſione, ut per ipſum metiremur nos metipſos: medium doctrinæ, & logicum in reſurrectione docens nos ex ſui imitatione inferre concluſiones ſanctarum operationum: medium modeſtiæ morale, & ethicum in Aſcenſione, ut nos doceret aſcendere de virtute in virtutem uſque ad Cœlum: medium juſtitiæ, ſeu legale in judicio, docens nos exercere juſtitiam, & cæteras virtutes Cardinales: medium concordiæ in ſempiterna beatificatione, quod eſt totius Theologiæ, quæ de ſalute animæ agit, inchoans in fide, & promovetur in virtutibus, & conſūmatur in dotibus gloriæ: & iſta media ſunt ſeptem oculi ſuper lapidem unum Chriſtum fundati, & cælati, ut hinc ediſcamus, à Chriſto ſculpere in nobis imaginem elegantiſſimam operum, & virtutum Chriſti Jeſu. *Ser.1.Hexam.per totum.*

CAP.

CAP. IV.

19. *Chriſtus eſt candelabrum Eccleſiæ extendens ad omnes ſeptem lucernas, ſcilicet ſeptem Sacramenta, gratias, & virtutes.*

VIDI, *& ecce candelabrum aureum totum, & lampas ejus ſuper caput ipſius, & ſeptem lucernæ ejus ſuper illud, & ſeptem infuſoria, &c.* Nota, quòd ad Chriſtum dirigitur hæc viſio, nam in candelabro aureo intelligitur Chriſtus Ieſus, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, immittitque ſeptem lucernas, quæ ſunt ejus dona, & virtutes, & ſeptem Sacramenta Eccleſiæ ad omnes ſanctos, & fideles. *Ioan.c.3.v.34. Luc.c.11.v.33.op.Comp.Theol.lib.6.c.5.*

20. *Ex quantitate charitatis, qua quis operatur, & non ex multiplicatione operum datur præmium.* Unde ſi duo ex æquali gratia inæqualiter operantur, tamen in mercede gloriæ æqualiter præmiabuntur, loquendo de præmio eſſentiali, non de accidentali; undè hic dicitur, quòd Deus exæquabit gratiam gratiæ. *Lib.2.d.40.a.2.q.3.*

21. *Sancti Apoſtoli aſſiſtentes erunt Chriſto Iudici in condemnatione impiorum, & conglorificatione bonorum;* unde dicitur hic, *hi ſunt duæ olivæ, &c. & duo filii olei, qui aſſiſtunt dominatori univerſæ terræ: ſer.de SS.Sim.& Iud.de SS.Philip.& Iac.in addit.*

CAP. V.

22. *Verbum Dei prædicatum, aliis eſt benedictio, aliis maledictio.*

ET *levavi oculos meos, & vidi, & ecce volumen volans; & dixit ad me quid tu vides? & dixi, hæc eſt maledictio, quæ egreditur ſuper faciem omnis terræ, quia omnis fur, ſicut ibi ſcriptum eſt, judicabitur, & omnis jurans, ex hoc ſimiliter judicabitur.* Quomodo volumen iſtud volans in altum dicitur maledictio deſcendens infrà ad terram? & quodnam volumen eſt hoc? Sanctus Gregorius Papa reſpondet, quòd eſt volumen Sacræ Scripturæ, & continens Dei Verbum, ſed quomodo ſimul volat in altum, & deſcendere facit maledictionem ad terram? quia Sacra Scriptura, & Dei Verbum volat, ideſt volare, & elevare facit animam ipſum ſuſcipientem in Deum, ob idque benedictionem Dei affert: malis autem ipſum parvipendentibus, & contemnentibus eſt maledictio, affertque maledictionem Dei: meritò autem hoc dicitur, quia Verbum Dei eſt verbum ſalutis Spiritus, & vita animæ recipienti, ſicut par eſt, illud; contemnens autem ipſum à Deo maledicitur: *Pſalm.118. c.2. v.5.& c.6.v.1.& 2. ſerm 4.de una S.Virg. ſerm.3. Dom.3. poſt oct.Epiph.*

23. *Menſura peccatorum quàm terribilis, & horribilis.*

Leva oculos, & vide, quid eſt hoc, quod egreditur; & ait hæc eſt amphora egrediens, & dixit, hæc eſt oculus eorum in univerſa terra, &c. hæc eſt impietas, &c. Nota ad litteram, hæc amphora erat menſura communis Hebræorum, capiens tres modios frumenti, &c. ſignificabat menſuram peccatorum impletam fuiſſe à Iudæis, ſecundùm quam puniti fuerunt acerimè à Deo; nominat autem furta, & perjuria; per furta omnem fraudem contra proximum, & per perjurium omnem injuriam contra Deum patratam intelligit; & hinc ſubdit appellans ipſam oculum Dei, ſcilicet Dei pervigilem providentiam, ſecundùm quam ordinatè gubernat omnia, & immittit flagella loco, temporeque congruo; myſticè datur nobis intelligi, quod regnis, & perſonis datur menſura peculiaris peccatorum, qua impleta, Deus infallibiliter, & horribiliter immittit flagella gravia; ſic de Hebræis dixit Chriſtus, quòd impleverunt menſuram patrum ſuorum, *Matth. c.23.* his ſic ſtantibus, quot ſunt, quorum patres fuerunt peſſimi, & quorum menſuram implent filii imitatores ipſorum; hanc menſuram attendit Deus in puniendo, vel damnando homines: cave ergo ô peccator, ne addendo peccata peccatis impleas menſuram temporis, & damnationis tuæ: *Serm.3.Dom.1.poſt oct.Pent.*

24. *Peccati onus graviſſimum, & plumbeum.*

Et ecce talentum plumbi portabatur, & ecce mulier una ſedens in medio amphoræ, &c. Nota, quòd ut dictum eſt in amphora ſignificatur menſura peccati, in muliere impietas, & peccatum, quia peccati, & concupiſcentiæ mater fuit mulier; in plumbo onus graviſſimum peccati, unde iniquitas ſedens in plumbo oſtendit nobis, quod peccatum mortale eſt oneroſiſſimum, & ponderoſiſſimum, trahens ad inferius, uſque ad infernum. *Thren.c.4. & lib.4.d.44.p.2.a.1.q.2 ad 1.*

25. *In ore, & lingua diabolus concludit omnia mala.*

Hæc eſt impietas, &c. & projecit eam in medio amphoræ, & miſit maſſam plumbeam in os ejus, ſcilicet mulieris, ut legit Vatabl. & Theodor. *& maſſa illa concluſit, & obſtruxit impietatem in ore mulieris.* Quid eſt hoc? quid ſignificat hæc obſtructio in ore? ſed myſticè dat nobis intelligere, quod ad complendam menſuram peccatorum, ad omnem iniquitatem diſſeminandam, ſufficit os, & lingua mala, ideoque rectè dicitur à Sancto Iacobo: *Univerſitas iniquitatis*, quia ex ore omnia peccata pullulant. *Op.Diat.ſu.3.c.7.*

26. *Iuſti habent alas Aquilæ, impii alas milui.*

Et ecce duæ mulieres egredientes, & ſpiritus in alis earum, & habebant alas, quaſi alas milui, & levaverunt amphoram inter Cœlum, & terram, &c. ut ædificetur ei domus in ſennaar. Nota, quòd Propheta proſequitur curſum impietatis ad implendam menſuram peccatorum; & notat quòd à duabus

mulieribus habentibus alas milui,& Spiritum diaboli in alis, elevata eſt amphora inter Cœlum, & terram,& deinde delata in campum ſennaar ut ibi ædificetur domus; daturque myſticè intelligi per iſtas mulieres animas raptorum, avarorum, pauperum oppreſſorum, & luxurioſorum, & impiorum habere alas milui, non Aquilæ, iſtæ enim ſunt propriæ juſtorum in altum de virtute, in virtutem aſcendentium, ſed milui, qui ad ſennaar, ſcilicet ad corpora fœtida, & res terrenas volant,& tandem ad domum inferni deſcendunt ala ſcilicet cupiditatis, & ala malignitatis, *Op. de Eccleſ. Hierarch.p.3.c.3.*

CAP. VI.

27. *Chriſtus Evangelium ſuum per totum orbem miſit ſuos miniſtros prædicare.*

Et converſus ſum, & levavi oculos meos, & vidi; & ecce quatuor quadrigæ egredientes de medio duorum montium, &c.& dixit ite perambulate terram, &c. Nota ad litteram per quatuor quadrigas intelligit Propheta quatuor monarchias, quæ ſubjugarunt orbem, ſcilicet Chaldæorum, Perſarum, Græcorum, & Romanorum; myſticè ſunt quatuor Evangelia, quæ juſſit Dominus Apoſtolis, & ſuis miniſtris, ut ipſa deferrent; & prædicarent per totum orbem ſubigendo ipſum ad legem ſuam: *in Luc.c.4. in fine.* Alii Sancti Doctores dicunt, quod quatuor quadrigæ ſunt quadruplices præcones Evangelii, nam equi rufi ſunt Apoſtoli,& martyres, qui ſuo ſanguine obſignarunt; equi nigri Prophetæ, & Doctores, qui profunda, & quaſi in antris abdita Dei myſteria ingreſſi, ibique quaſi attracti eadem in mundo prædicaverunt, ſed atrè, & obſcurè, & quaſi per ſpeculum, & in ænigmate; equi jugales albi Virgines, virginitate quaſi liliis candidi: equi varii, & fortes Confeſſores variis Dei donis illuſtres: hi omnes quaſi quadrigæ Dei actæ, & impulſæ vento, impetuque Spiritus Sancti cunctas gentes ſubjugarunt Chriſto: hæc omnia compendioſè innuit Sanctus Bonaventura. *Op.Eccleſ.Hier.p.4.c.2. & ſeq. & ſer.1. & 2.de temp.*

28. *Equi Chriſti de virtute in virtutem gradatim aſcendunt ad Cælum: Equi diaboli de vitio in vitium præcipitanter ſaltant in infernum.*

Equi robuſtiſſimi exierunt, & quærebant ire, & diſcurrere per omnem terram. Nota, quod, ut jam ſuprà dictum eſt, iſti equi Chriſti ſunt miniſtri Evangelii, & Sancti, ſuper quos inſedit, & requieſcit ipſe Chriſtus; ſuntque fideles, ſcilicet in bellando contra hoſtes, fortes in ſuſtinendo patienter tribulationes; veloces quia procedunt de virtute in virtutem, deſideriis, & actibus verſus patriam cœleſtem; è contra equi diaboli ſunt, ſuper quos conſedit diabolus, eoſque de vitio, in vitium præcipitat, donec ſaltent in profundum pœnarum demerſi. *Ser.3.Dom.Palm.*

29. *Corona Chriſti qualis, & quàm multiplex expenditur.*

Et ſumes aurum, & argentum, & facies coronas, & pones in capite Ieſu filii Ioſedech ſacerdotis magni. Nota ad litteram hic Prophetam loqui de corona, quæ imponebatur capiti ſummi Sacerdotis, eratque una corona, ſed aliis minoribus cincta, qua ſignificabatur dignitas Regia, & Pontificalis: ſic & ſummus Eccleſiæ Pontifex habet triplicatam coronam; quia repreſentat Chriſtum ſponſum Eccleſiæ victricis, triumphantis, & regnantis totius orbis Dominum, eminentiamque ipſius ſuper omnia regna, & multiplicium virtutum, quæ fuerunt in Chriſto; Chriſtus autem coronatus fuit corona multiplici, ſcilicet corona paupertatis,& miſeriæ; corona item ſpinea in Paſſione;& gloriæ in Cœlo, qui tamen ſuis ſequacibus, & fideliter pugnantibus paravit coronam auream, & argenteam gloriæ in Cœlo. *ſer.2.in Vigil.Nativit.& ſer.1.Dom. Palm. & ſer.1. Dom.ſeptuag.& ſer.2.de Evangel. & ſer.3. Dom.1. quadrag.& ſer.3. de pluribus Martyr.*

30. *Chriſtus venit in mundum ſol oriens ipſum illuminans.*

Ecce vir oriens nomen ejus, & ſubter eum orietur, & ædificabit templum Domino. Hæc fuit manifeſta Prophetia de Chriſto: nam hoc nomen oriens non propriè competit Sacerdoti Hebræorum, ſed propriè Chriſto ſoli, qui ortus eſt in mundo, ut ſol illuminans ipſum,& crevit in Eccleſia ipſam fundans,& illuminans per univerſum orbem; addit autem,& ſubter eum orietur (ait Gloſſa) ſcilicet ſubter humanitatem orietur divinitas, & ſubter divinitatem humanitas, quia homo, & Deus, *Sap.c.16.Luc.c.1.v.78 Ioan.c.1.v.29.*

31. *Chriſti miniſtri, & dominantes in Eccleſia ſint imitatores ipſius, ut poſſint coronari in Cælo.*

Et ipſe ſedebit, & dominabitur ſuper ſolio ſuo, & erit conſilium pacis inter eos; & erunt corona in templo memoriale Domini. Nota ad litteram hic prædicit poteſtatem, quam exercet Chriſtus in Eccleſia uſque ad conſummationem ſæculi, in qua plures coronas poſuit, ſcilicet Epiſcopos, Doctores, ſacerdotes, qui ſint ipſius imitatores; ſcilicet qui dominentur populo, non ut ſuperbiant, ſed ut formam gregis ex animo ſe oſtendant, & verbo, & exemplo promoveant ſubditos, & ſubjectos ſe oſtendant ſummo Pontifici Chriſti Vicario; & iſtæ ſunt coronæ à Chriſto ſuis miniſtris præparatæ,& exhibitæ;& nota, quòd non ſine myſterio exprimit nomina Helem, Tobiæ,& Idaiæ,& Hen, qui fuerunt ſanctiſſimi viri; nam Helem interpretatur veſtibulum, ſcilicet ipſis, datur corona cœleſtis intrantibus in Cœlum: Tobias interpretatur ductus ad locum, ſignificatque Martyres: Idaia interpretatur amabilis Domino, & competit Virginibus: & Hen interpretatur Eccleſiæ oculus, & competit corona Doctoribus, qui ſunt oculus Eccleſiæ *Op.Eccleſ.Hierarch.p.2. c.1. & ſerm. de S.Paulo ſeorſim in addit.*

CAP. VII.

32. *Quàm decipiantur qui non per ſe ipſos ſed per alios quærunt Deum placare.*

ET miſerunt ad domum Dei ſaraſar, & Rogom-melech. & viri qui erant cum eo, ſcilicet ſacerdotes ad deprecandam faciem Domini: Ecce ignavia iſtorum Judæorum, qui cum eſſent flagellis divinis onerati, ipſi miſerunt ad domum Dei in Bethel hos duos, ut orationem funderent pro eis; ſed cur non itis vos ipſi? ſed hoc non eſt mirum, id enim proprium eſt impiorum, qui per ſeipſos nolunt quærere faciem Dei, nec oneribus pœnitentiæ ſe ſubjicere, ſed callidè alios mittunt, orationibus, & pœnitentiis aliorum ſe commendantes, confidunt vanè poſſe obtinere ſalutem. *Pſal.* 118. *cap.* 41 *verſ.* 10.

33. *Pœnitentia ſit ſimul cum exultatione cordis, & ad voluntatem Dei adimplendam.*

Numquid flendum eſt mihi in quinto menſe, &c. Nota, quòd Judæi cum eſſent in captivitate Babylonica per ſeptuaginta annos, quotannis indixerant fletum, & jejunium in menſe Julio, & cum viderent templum rurſus reædificari, & creſcentem fabricam, quærebant à ſummo ſacerdote an deberent proſequi jejunium, & fletum, quibus reſpondit Deus, quod prius ſibi jejunaverunt; & fleverunt ſed non ad gloriam Dei, & ut Dei voluntatem adimplerent, & ſe ipſos, & ſuas paſſiones vitioſas mortificarent, undè dixit illis; numquid jejunium jejunaſtis mihi: & per hoc datur diſcrimen inter mortificationes ſumptas pro utilitate, vel damnis temporalibus, & pro Chriſto; nam illæ ſunt ſine exultatione cordis, iſtæ ſunt cum exultatione cordis, & lætitia interna; ideo ab iſtis numquam ceſſandum in hac vita. *Ser.* 3. *in dedic.*

34. *Epulatio, & abſtinentia qualis virtuoſa, & qualis vitioſa, Deo exoſa:*

Cum jejunaretis, & plangeretis, numquid jejunium jejunaſtis mihi? & cum comediſtis, & bibiſtis, numquid vobis comediſtis, & vobis metipſis bibiſtis? Ex hac reſponſione data Judæis proponentibus jejunia, & lachrymas fuſas per ſpatium ſeptuaginta annorum à Propheta, patet, quòd non omne opus bonum de ſe, Deo eſt acceptum, dicit enim ipſis, quòd ipſi jejunaverunt corporaliter, lachrymas fuderunt inceſſanter, ſed ſibi metipſis non Deo, ſed tantùm coacti vel à paupertate, vel à captivitate, & ſine jejunio ſpirituali à peccatis, hinc ſibi, non Deo, placuerunt; ſubdit item, & ſi comediſtis, & epulati eſtis, vobis comediſtis, non ob ſublevandam inopiam indigentium vocando pauperes ad veſtra convivia, hinc etiam nec Deo placuiſtis, nec miſeriam veſtram relevaſtis; nec indulgentiam peccatorum obtinuiſtis. Per hoc dat nobis intelligere, qualis abſtinentia, & epulatio Deo placet, & qualis non; nam jejunantes corporaliter ſine abſtinentia à peccatis; vel ob vanam gloriam; vel ob avaritiam; vel per tempus abſtinent à cibo, ut magis poſteà ventrem repleant; vel quærunt in jejunio cibos delicatiores, & appetitui ſuaviores comedant, vel excedenter replendo ventrem; iſti omnes defraudant Deum, imo ſeipſos, quia tale jejunium Deo non eſt acceptum, ſed tantum illud, quod aſſumitur pro ſatisfactione peccatorum, pro Dei honore, & cum exercitio orationis eleemoſynæ & miſericordiæ in pauperes, quod eſt, quod infrà dixit Deus *v.* 9. *& ſeq.* Idem & dicendum eſt de conviviis, & epulatione; nam convivia, quæ gignuntur ex laſcivia, fiunt cum vanitate, & ſuperfluitatibus ad pompam, & gulam explendam, iſta Deo ſunt exoſa: illa verò quæ fiunt ad ſublevandam miſeriam pauperum, vel ad fovendam charitatem; iſta ſunt laudabilia; & hinc patet, quod non ſufficit rectum facere; niſi etiam fiat rectè. *Op. Diat. tit.* 3. *c.* 2. *& in Luc. c.* 16. *v.* 19.

35. *Iudicium cum miſericordia exigit à nobis Deus.*

Iudicium verum judicate; & miſericordiam, & miſerationes facite unuſquiſque cum fratre ſuo: Nota ô homo quid eſt, quod à nobis exigit Deus judicium ſcilicet, & miſericordiam, &c. judicium ait reſpectu ſui, & Dei, ejuſque mandatorum; miſericordiam reſpectu proximi, quæ omnia involvit præceptum charitatis; quæ eſt complementum omnium operum noſtrorum. *In Luc. c.* 11. *v.* 42.

36. *Verbum Dei, ut producat fructum, requiris humorem gratiæ.*

Cor ſuum poſuerunt, ut adamantem; ne audirent legem, & verba quæ miſit Dominus: O quot Chriſtiani ſunt, de quibus verba hæc verificantur, qui nullum fructum reportant ex auditione legis Dei; nam ut dixit Chriſtus *Luc. c.* 8. ſemen, quod cadit ſuprà petram vel non naſcitur, vel ſi naſcitur, non fovetur ob defectum humoris: ſic verbum Dei cadens in cor durum, humore gratiæ carens ſtatim ac cadit, vel naſcitur, moritur; quia parum habet alimenti. *In Luc. c.* 8. *v.* 6.

CAP. VIII.

37. *In fundatione Eccleſiæ quale bellum, & qualis pax à Chriſto mundo immiſſa.*

ANTE dies illos merces hominum non erat; neque introeunti, neque exeunti erat pax præ tribulatione; & dimiſi omnes homines unumquemque contrà proximum ſuum. Nota, quòd ad litteram deſcribit bella, & lites, & vexationes quibus ante reædificationem templi, vel ſub reædificatione vexabatur populus Dei: myſticè innuit bella, & lites, quæ poſt baptiſma Paſſionis, poſt prædicationem Chriſti & Apoſtolorum in fundatione Eccleſiæ, inſurre-

xerunt in orbe, quia unaquæque domus habebat fideles, & infideles, his contrà fidem, illis pro fide pugnantibus, bellum enim maximum inſurrexit inter ſenſualitatem, & rationem, inter Chriſtum, & diabolum; ſed quia bellum ſanctorum erat fructus pacis ſempiternæ, hinc ſanctè pugnabant pro fide, & honore Chriſti. *in Luc. c. 12. v. 53.* Nota autem quòd ſimilis perturbatio erit ſub tempore judicii. *In Luc. c. 21. v. 11.*

38. *Ubi non eſt cultus Dei, & obſervantia ipſius legis, ibi nulla eſt fælicitas, ſed totum eſt confuſio, ubi de benedictione, quæ contrà maledictionem peccati affert pænitentia.*

Si quidem ante dies illos merces hominum non erat, &c. neque pax &c. nunc autem non juxta dies priores ego faciam, ſed ſemen pacis erit &c. Ante dies illos non erat merces, & pax; quinam iſti dies? Ante ædificationem templi, antequam cultus Dei exerceretur in Jeruſalem, omnia erant confuſa, omnes homines ſine pace, omnes dimiſit Deus in bello; ut videas, quòd ubi non eſt cultus Dei, nec ibi ullum bonum, vel pax, vel quies, nec fælicitas locorum, vel reipublicæ; Ubi enim non eſt pax, ibi nec eſt laus Dei, & ubi non eſt pax, nec eſt obſervantia legis divinæ; è contra ubi eſt obſervantia cultus Dei, ibi eſt pax, & recta laus Dei. *Ser. 1. Hexam.* Nota etiam, quòd dicit Deus *v. 13. ſicut eratis maledictio in gentibus, ſic eritis benedictio*, per quod dat intelligere, quòd ſicut peccatum eſt maledictio reddens animam deſertum, & infernum diaboli; ſic pœnitentia de ſentina diaboli facit animam benedictam, & Paradiſum Dei. *Ser. 1. de Confeſſ. in addit.*

39. *Prælati ſint Cœli roridi, non aridi, ut vinea Eccleſiæ producat abundanter fructus.*

Vinea dabit fructum ſuum, & terra germen ſuum & Cœli dabunt rorem ſuum. Nota, quòd hæc promiſſio abundantiæ fructuum concludit in roratione Cœlorum; quid eſt hoc? dat nobis intelligere quòd ſi Cœli erunt roriflui, ideſt Prælati pleni ſapientia cæleſti, & virtutibus, doctrinâque ſacrâ; tunc vinea ſubditorum erit fœcunda, & fructifera; è contra ſi erunt aridi, & duri, vinea, terraquè erit arida, & ſylveſtris, replebiturquè ſpinis vitiorum; quales Prælati, tales ſubditi; ô nimis verum. *Op. Eccleſ. Hier. p. 4. c. 3.*

40. *Jejunium quatuor temporum cur inſtitutum ab Eccleſia & quid cum tali jejunio requirat Deus à nobis.*

Hæc dicit Dominus exercituum, Jejunium quarti, & jejunium quinti, & jejunium ſeptimi, & jejunium decimi erit domui Iuda in gaudium, & lætitiam, & in ſolemnitates præclaras: veritatem tantum & pacem diligite. Nota ad litteram, quòd Judæi juſſu Dei inter alia jejunia quatuor obſervabant, in quatuor anni temporibus, ob varia beneficia à Deo accepta, de quibus agunt Interpretes, & Lyranus: Et Eccleſia eadem, licet diverſo modo, & diverſis diebus, ſed in quatuor temporibus anni deſumpſit, & ordinavit, poſt quæ ſequuntur variæ ſolemnitates: quæ inſtitutio facta eſt, tum ut gratiam ageremus pro frugibus & natis, & naſcendis: tum propter ordinationes faciendas miniſtrorum Eccleſiæ, tum ut partem in quolibet anni tempore Deo, & pœnitentiæ dicaremus: de quo vide ſanctum Leonem *ſer. 9. de Iejunio &c.* his ſtantibus, quomodo poſtea ſubdit Deus *veritatem tantum, & pacem diligite.* Si hoc ad quid præcipit jejunia hæc? ſed attende quòd exigit quidem jejunium, ſed veritatem, & pacem ſimul; veritatem cum Deo; pacem cum proximo, nempè jejunium ſimul ſpirituale per abſtinentiam à peccatis, & comite miſericordia in proximum. *Pſal. 118. c. 8. v. 1. ſer. 6. in die cinerum ſer. de S. Martino & op. Phar. lib. 4. cap. 45.*

41. *Peregrinatio ſpiritualis, & corporalis ſuadetur.*

Et vadant habitatores unus ad alterum dicentes: eamus, & deprecemur faciem Domini &c. & venient populi multi, & gentes robuſtæ ad quærendum Dominum in Jeruſalem, & deprecandam faciem Domini, &c. Nota, quòd hæc eſt prædictio converſionis ad fidem populorum turmatim ſe invicem cohortantium ad conveniendum ad Eccleſiam, ad deprecandam faciem Domini. *Pſal. 118. c. 4. v. 10.* Adducit alii Doctores, quòd eſt prædictio peregrinationis ſpiritualis & corporalis fidelium, quia enim ſumus omnes peregrini, ideò invitamur ad velociter peragendum iter, ut pervenire poſſimus ad hoſpitium cæleſte. *Pſal. 118. c. 4. v. 6. & ſer. 2. Dom. 3. poſt oct. Epiph.* Item & peregrinatio prædicitur ad loca ſacra, ſicut quotidiè videntur pagi, & oppida, & populi integri ſe ſe invicem cohortari, & turmatim properare ad viſenda loca devotionis, ut quotidiè patet in itinere ædis Lauretanæ Beatæ Virginis, ad quærendam, & deprecandam faciem Domini, & B. Virg. aliorumquè Sanctorum.

CAP. IX.

42. *Evangelium, evangelicaque doctrina, onus eſt leve bonis, grave malis.*

ONUS *verbi Domini in terra Hadrach; & Damaſci requiei ejus, quia Domini eſt oculus hominis, & omnium tribuum Iſraël &c.* Quodnam eſt hoc onus verbi Domini, de quo hic Propheta? & quare Verbum Dei dicitur onus? ſed jam alias dictum eſt, cur onus dicitur verbum Domini in Nahum in principio: hic autem Propheta minatur ad litteram excidium futurum Tyriis, Syriis, & Philiſtæis, quod ſecutum eſt partim per Alexandrum magnum, partim per Machabeos; myſticè verò alludit (*ait ſanctus Hieronimus*) ad excidium Idololatriæ, factum per Evangelii prædicationem ab Apoſtolis; dicitur autem Evangelium onus, ſcilicet grave Idololatris, & leve fidelibus; fuit enim hæc nunciatio Evangelii gravis, & moleſta mundo

do gentili antè converſionem, repugnanti uſque ad mortem, & martyrium multorum miniſtrorum Chriſti; fuit etiam gravis quodammodo ipſis converſis, quia nuntiabat mortificationem paſſionum, refrænationem cupiditatum, abſtinentiam, condonationem injuriarum, amorem inimicorum, contemptum mundi, quæ omnia per gratiam Chriſti facta ſunt levia juſtis; *Sic S. Hieronymus*: Quare cum Evangelium inviter ad jugum Chriſti ſumendum, meritò dicitur *leve, & ſuave*; tum quia eſt jugum amoris, qui ſua dignitate, & jucunda allicientia, ſic ligat interiùs voluntatem, ut nihil pœnæ ſentiat, qui cervicem ſuam ſuppoſuerit ad ipſum jugum ſuaviſſimum ſuſtinendum; dicitur enim, *leve*, quia ab inferioribus mentem allevians, & ipſum ad ſuperiora ſuprà ſe ipſum ſtatuendo levigans eſt: ſuave etiam, quia ipſum ſuſtinens vivet vita Angelorum, non hominum: *op. myſtic. Theol. c.2.p.2. & ſer.2. de ſanctis Philippo, & Iacobo.* Nota autem, quòd ſubdit Propheta: *onus, &c.* quia Domini eſt oculus hominis, & omnium tribuum Iſraël; quia Chriſtus eſt oculus activus, & paſſivus; activus, quia reſpicit, & curat ſalutem totius mundi per Evangelii prædicationem: Paſſivus, quia in eum, ut in ſalvatorem reſpiciunt oculi omnium hominum, ſperantium ab eo gratiam; omneque bonum: & hinc Evangelium dicitur bona nuntiatio, quia totum refert, & demonſtrat Chriſtum, ut mediatorem, Prædicatorem, reparatorem, & triumphatorem, ideò ut apothecam omnium bonorum: *In Luc. in proœm. in Ioan. in Prologo.*

43. *Sapientia Chriſti vera ſapientia, ſapientia mundi vera ſtultitia.*

Aſſumpſerunt quippè ſibi ſapientiam valdè; ſcilicet Tyrii, Syrii, aliique gentiles: Qualem ſapientiam aſſumpſerunt? ſapientiam nempe Evangelicam: Ecce cauſa ſimulque modus, quo Chriſtus munitiones gentium malas deſtruxit, ſcilicet per prædicationem Evangelii ſapientiæquè ſuæ cæleſtis: & in hoc divina ſapientia magna apparuit, quando per ſimplices viros, per illiteratos, per homines ignaros, & omni prorsùs ſcientia deſtitutos, omnem ſapientiam mundi convicit, & ſtultam, & cæcam eſſe oſtendit: perdidit ergò Chriſtus per Evangelium ſapientiam ſapientum, & deſtruxit omnem fortitudinem gentilium, in qua, ſcilicet in ſapientia mundana confidebant. *Ser.2. de S. Matthia Op. Eccleſ. Hier. p.1. c.3. Luc. c.8. v.52. op. medit. c.19. & Gloſſa.*

44. *Eccleſia à Chriſto munita cuſtodia, & præſidio ſanctorum Angelorum.*

Et circumdabo domum meam ex his, qui militant mihi euntes, & revertentes: Ad litteram loquitur de templo Ieroſolimitano, cui cuſtodiæ, Deus poſuit Machabæos euntes ad expugnandum inimicos, & revertentes ad ipſius cuſtodiam: ſed melius accipitur de templo ſanctæ Eccleſiæ univerſalis, & particularium Eccleſiarum Deo dicatarum; ad quarum cuſtodiam ad litteram Deus providit Imperatores, & Principes, ſed verè ipſarum cuſtodiæ deputavit, & deputat ſuos milites Angelos excubias ſedulas facientes, & ipſi Eccleſiæ, & in ea orantibus, & Deum laudantibus. Iſti igitur milites poſiti ſunt ſuper muros Ieruſalem, ſcilicet Eccleſiæ, ad cuſtodiam ipſius: ſunt euntes, & revertentes; euntes ſcilicet in Cœlum, ut orationes noſtras Deo præſentent; & redeuntes ad ipſos oratores in Eccleſia, ut eos ad ſimilia moveant, & confortent; unde Angeli aſſiſtunt vigilantibus in Eccleſia, orantibus devotè, obedientibus, & laborantibus in continua devotione. *Ser.1. de dedicat. & ſer. de Angelis in communi; & ſer.4. de Angelis; & ſer.1. de S. Michaële in addit.*

45. *Chriſti triumphus in die Palmarum expenditur.*

Exulta ſatis filia Sion, jubila filia Ieruſalem: ecce Rex tuus veniet tibi juſtus & ſalvator, &c. Nota, quod certum eſt, & de fide hanc eſſe prophetiam manifeſtam de Chriſti ingreſſu in Ieruſalem in die Palmarum; voluit enim ingredi ſedens ſuper aſinam & pullum cum triumpho, & acclamatione turbarum, & puerorum, ut tali facto exhiberet Iudæis pompam adventus ſui mixtam cum manſuetudine, & humilitate, ut noſcerent regnum ſuum, & dominium Meſſiæ fore ſpirituale, non temporale; ſicquè de facto rideret, & ridendam proponeret mundi gloriam, quæ deriſura erat quinta die, in qua ab iiſdem fuit turpiter crucifixus: ſpiritualiter autem hæc diriguntur ad animam, ut addiſceret humilitatem imitandam ſalvatoris: dicit autem exulta ſatis ideſt valdè filia ſion, & Ieruſalem, ſcilicet anima filia Eccleſiæ; egredere obviam Chriſto non ſolum paſſibus corporis, ſed etiam cum affectionibus mentis, cum exultatione cordis, cum jubilo oris, cum proſtratione propriæ veſtis, per mortificationem laſciviæ carnis, cum ramis olivarum in ſignum victoriæ; & honoris, eo quòd Chriſtus Rex noſter per ſuam humilitatem devicto ſuperbo diabolo, & ejus exercitu in pelago maris inferni ſubmerſo populum ſuum liberavit ſanguine ſuo: & propter hoc venit hodie Chriſtus non faſtuoſus in carnibus, & equis phaleratis, ſed manſuetus, & aſcendens ſuper aſinam contemptibilitatis; non pompoſus in divitiis, & gemmis pretioſis, & ſalvator ipſe pauper, ut ſic per humilitatem ſuam diſperderet quadrigam faſtuoſitatis, & equum ſuperbiæ pompoſitatis, & diſperderet arcum diabolicæ fraudis, ut per ſuam paupertatem loqueretur pacem gentibus, eos ab amore mundi revocando, ad amorem, & laudem Dei attrahendo. *Serm. 1. in Dom. Palm. in Thren.*

46. *Adventus Chriſti in carnem toti mundo exultationem attulit.*

Unde dicitur *Exulta ſatis*; ſcilicet *valdè filia ſion, ecce Rex tuus venit tibi juſtus, & ſalvator: juſtus*, ut ſatisfaciat pro peccatis hominum juſtitiæ Dei de toto rigore: *ſalvator*, ut ſalvum faciat populum ſuum. *In Luc. c.1. v.44. op. meditat. vitæ cap.2. Luc. c.2. verſ.12. & cap.19. verſ.35. ſeq. in Ioan. collat. 84.*

47. *Chriſtus venit Rex vocaturus populum gentilem, & Judaicum.*

Sedens ſuper aſinam, & ſuper pullum aſinæ. Cur priùs ſuper aſinam, poſtea ſuper pullum? Aſina figurabat populum Judaicum: pullus populum gentilem: Venit ergo Chriſtus Rex vocaturus omnes gentes; ſed primò ſedit ſuper aſinam ſcilicet in Judæa, poſtea ſuper pullum &c. ſed relicta ſynagoga, vocavit gentiles, poſtea in fine mundi vocaturus Judæos. *Luc.c.19.v.46. Ioan. c.12.v.14.*

48. *Qui vult Chriſtum recipere ſit Aſinus ipſius non diaboli.*

Et ſedit ſuper Aſinam. Nota, quòd myſticè per aſinam intelligitur homo, qui onus pœnitentiæ portat libenter, & iſte faciliter recipit Chriſtum: qui verò hoc onus, & Chriſtum projicit fit aſinus diaboli, graviſſimum onus peccati recipiens. *Ser.3.Dom.Palm.*

49. *Chriſti ſanguis cur dicitur teſtamenti, & qualem efficaciam habeat adverſus peccatum.*

Tu verò in ſanguine teſtamenti tui eduxiſti vinctos de lacu, in quo non eſt aqua. Hic certum eſt Prophetam loqui de Chriſto, ejuſquè ſanguine, qui merito appellatur ſanguis novi, & æterni teſtamenti, quia per ipſum, & in ipſo fecit fœdus, & teſtamentum noſtræ liberationis: ad hoc enim effudit ſanguinem, ut ſanciret fœdus inter ipſum, & nos: Virtute igitur hujus ſanguinis eduxit vinctos de lacu, in quo non 'eſt aqua, ideſt ullum refrigerium ad extinguendam ſitim, & ardorem pœnæ: ſed quos vinctos? vinctos primò, ſcilicet viventes in peccato, qui non poterant liberari ſine tali ſanguine: ſecundò & magis propriè exiſtentes ſanctos in Limbo, eos liberando à captivitatis pœna: Ecce qualis virtus efficaciſſima ſanguinis Chriſti, per quem liberamur à culpa, & à multiplici pœna, & educimur in refrigerium. *Ser.1. Dom. Palm.& ſer.3.in Nativ.& op.Expoſ.Miſſæ c.4. Luc.c.1.v.72.& c.4. v.19.& op.lignum vitæ Thren.c.3. ſap.c.8.& ſer.1. de S.Petro ad vinc.in addit.lib.3.d.19.qu.3.& d.22. qu.5.*

50. *Euchariſtia frumentum, & vinum bonum, pulchrum germinans virgines: ubi de effectibus mirabilibus ipſius.*

Quid bonum ejus eſt, & quid pulchrum ejus, niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines. Nota, quòd hic Propheta apertiſſimè alludit ad inſtitutionem ſacramenti Euchariſtiæ, ejuſquè effectus; dicitur autem bonum, quia bonitatem nobis ſummam Chriſti communicat; dicitur pulchrum, quia confert nobis Filium Dei, qui eſt ipſa pulchritudo Patris: dicitur frumentum electorum, quia propter electos eſt præparatum; & vinum germinans virgines, quia mundat cor, & carnem, & caſtitatem ingerit. *Ioan. c.2.v.10.c.12.v.13.& coll.13.& communiter. SS.Patres.* Ex quibus Doctores ſancti cum Seraphico inferunt hæc ſequentia myſteria notabilia de Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento: primò, quòd Euchariſtia dicitur frumentum pulchrum, & pulchritudo, quia ſcilicet Chriſtum nobis exhibet, qui eſt Verbum, Imago, & pulchritudo Patris, quà Deus eſt, & quà homo ſpecioſus forma præ filiis hominum: ſecundò cauſalitate, & effectu, eſt enim frumentum electorum, & vinum germinans virgines, ſcilicet cauſat in nobis ſpiritus, & animæ juventutem florentem, dum facit eam robuſtam, floridam, agilem, & alacrem ad omne bonum, item puram, & virgineam: tertiò ſacramento, quia ſpecies illæ repræſentant nobis Chriſtum in cruce immolatum, puta corpus à ſanguine ſeparatum, quaſi occiſum, & mortuum, & ob id immolationem pulcherrimam, præſtantiſſimam, Deo digniſſimam, & gratiſſimam, quia per ipſam omnis honor peccato violatus, & ablatus, ipſi eſt reſtitutus, & conſequenter peracta noſtra reconciliatio, & redemptio: Hinc dicebat Sanctus Auguſtinus in *Pſal.44.* Chriſtus eſt pulcher in Cœlo, pulcher in terra, pulcher in utero pulcher in manibus parentum, pulcher in miraculis, pulcher in flagellis, pulcher invitans ad vitam, pulcher non curans mortem, pulcher deponens animam, pulcher recipiens, pulcher in ligno, pulcher in ſepulchro: Inferunt etiam Theologi, quòd inſtitutionis hujus ſacramenti, maxime in Miſſa, intentio eſt quadruplex: prima eſt, ut Deo honor infinitus exhiberetur, & violatus reſarciretur: ſecunda, ut Deo gratiæ infinitæ redderentur pro omnibus beneficiis mundo, & hominibus collatis: tertia, ut Deo ſatisfactio de toto rigore exhiberetur pro peccatis hominum; quarta, ut per ipſum ſacramentum mereremur omnia bona, & gratias nobis neceſſarias; eſt enim ſacrificium hoc valoris infiniti ex parte Chriſti oblati, & offerentis: quartò convivio eſt pulcher, quia in Euchariſtia Deus nobiſcum convivatur, ac perinde apponit eſcam, non humanam, non Angelicam, ſed divinam, ideoquè pulcherrimam, & magnificentiſſimam; quintò, quia nihil pulchrius, utiliuſque dare potuit Deus; nam ibi eſt viva repræſentatio crucifixionis, & mortis Chriſti: omnia vetera miracula ſuperat: eſt objectum, circà quod exercemus omnes virtutes: pharmacum eſt immortalitatis: eſt ignis amoris divini accendens in nobis ardorem charitatis: hæc omnia ſparſim S. Bonaventura. *Lib.4. d.8. p.1. dub.2. & d.10. & 11. in Luc.c.15.v.23. in Ioan. c.6. v.32. ſeq. & collat.32.ad 34. Comp. Theol.lib.6.c.13. & 14. in Pſal.80.ſer.5.& 6. in Cœna Domini: op. Brevil. p.6.c.9.op.Præpar.ad miſſ.c.6.*

CAP. X.

51. *Oratio fundenda, & gratia, tum ſpirituales, tum temporales à Deo petenda tempore neceſſitatis: Ubi de pluvia ſpirituali, & temporali ad irrigandam ſiccitatem animæ & terræ.*

PETITE *à Domino pluviam in tempore ſerotino, & Dominus faciet nives, & pluviam imbris dabit eis, ſingulis herbam in agro:* Vide quod Deus vult quidem conferre beneficia, ſed prius

prius vult à nobis rogari; *Petite pluviam*, ait, *in tempore ſerotino*, ideſt tempore meſſis imminentis,& opportuno; & quid conſequitur ad hanc petitionem? *Dominus dabit nivem, & pluviam*; cur nivem, ſi pluvia tantùm petitur? Nivem non materialem, ſed nubes, & coruſcationes, ut legitur ex textu Hebræo, & inde pluviam; vel dabit pluſquam petitur, non ſolùm aquam, ſed nivem etiam, nivem ad extinguendas malas herbas, & pluviam ad fœcundandam terram, ut gignere poſſit, & fovere ſegetes uſque ad maturitatem, myſticè exigit, ut ad ipſam in oratione recurramus pro impetranda nive, & aqua, nive ſcilicet ad extinguendas malas herbas concupiſcentiæ, & peccata per veniam, & aqua gratiæ fœcundante terram animæ: vult ergò Deus nobis elargiri gratias, ſed mediante oratione devota, & humili ad ipſum porrecta; & hoc maximè faciendum in tempore ſiccitatis ſpiritualis animæ, in quâ ſæpè miſerabiliter jacet; in quo patet ſocordia multorum Chriſtianorum, qui magis intenti ad temporalia ad Deum confugere conantur, quando ariditas terræ, minatur ſegetum exterminium, & patiuntur ſiccitatem gratiæ, viginti, vel triginta annis, & tamen pluviam gratiæ, vel lachrymarum non petunt. *in Luc. c. 11. v. 9. & ſer. 3. in Rogat.*

52. *Conſolationes diaboli vana & falſa: Dei vera, & ſtabiles.*

Quia ſimulachra locuta ſunt inutile, & divini viderunt mendacium, & ſomniatores locuti ſunt fruſtrà, vanè conſolabantur; idcirco abducti ſunt quaſi grex, &c. Ecce cauſa quare impii vivunt in ariditate, quia non à Deo, ſed à diabolo, & à ſuis miniſtris quærunt conſolationes, quæ vanæ ſunt, & falſæ, & deceptoriæ, quæ in deſolationem, & deſperationem inducunt, non ſic quæ à Deo deſcendunt. *Pſal. 118. ſ. 3. v. 12. in Luc. c. 6. verſ. 24.*

53. *Chriſtus providit Eccleſiam ſuam equis aptis ad bellum.*

Super Paſtores iratus eſt furor meus, & ſuper hircos viſitabo, &c. Ecce viſitatio facta à Chriſto ſuper Paſtores, & gregem Judaicum & quid conſequitur? Viſitavit Dominus exercituum gregem ſuum, & poſuit eos quaſi equum gloriæ, ſuæ in bello: Vide quid fecit Chriſtus, nam ex Judæis elegit Apoſtolos, & miniſtros, eoſque veluti glorioſos equos in bellis Dei poſuit: Nota hanc metaphoram pulchram; nam perfectus quilibet eſt equus, ſuper quem Chriſtus ſedet, fidelis quidem equus propter audaciam in bellis contrà diabolum, mundum, & carnem; & propter fortitudinem in ſuſtinendis tribulationibus, & propter velocitatem in deſideriis, & obedientiæ actibus, quibus ad patriam currunt. *Serm. 3. Dom. Palm. & op. Eccleſ. Hierarch. p. 3. cap. 3. in fine.*

54 *Prælati ſunt Angulus, vel Angeli, paxillus arcus, murus, & turris Eccleſiæ, ex quibus bonum, & malum totum dependet.*

Ex ipſo Angulus, alii legunt *Angelus, ex ipſo paxillus, ex ipſo arcus prælii, ex ipſo egredietur omnis exactor ſimul, & erunt quaſi fortes conculcantes lutum viarum in prælio, & bellabunt, quia Dominus cum eis, &c.* Nota, quòd hic deſcribit per totum caput ſtabilimentum Eccleſiæ, & conſolationem populorum ex eo quòd Deus providit Eccleſiæ Prælatos tales, qui ſint & Angulus, & Angeli, & turres, & muri, & arcus, ſcilicet fundamentum, ſtabilimentum, & præliatores ſuſtinentes bellum pro ipſius defenſione, & meritò hoc dicit, quia verè Prælati ſunt, vel debent eſſe turres, murus & defenſio populorum, & Eccleſiæ, ex quibus totum bonum, & malum dependet. *in Thren. c. 2. & in Pſal. 107. & ſerm. 1. & 4. Dom. 2. Quadrageſim. Vide op. Eccleſ. Hierar. p. 2. cap. 2. & 3.*

CAP. XI.

55. *Juſti paſcunt cum fructu ſpiritum bonis ſpiritualibus: Mundani corpus, & ſenſualitatem temporalibus cum afflictione, & anxietate.*

HÆC *dicit Dominus Deus paſce pecora occiſionis: quæ qui poſſederant occidebant & non dolebant, &c.* Ad literam præcipit Deus Prophetæ, ut paſcat Iſraëlitas, qui à propriis paſtoribus propter lucra, & bona temporalia deſerti fuerant: ſed myſticè dat nobis intelligere diſcrimen inter bona ſpiritualia & temporalia, & inter ſectantes, & inhiantes ad ipſa: nam mundani paſcunt pecora ſcilicet ſuas pecorinas, & beſtiales paſſiones rebus temporalibus, & bonis mundi, & quia iſta non poſſunt capi ſimul à pluribus, ideò cauſa ſunt rixæ contentionum, & occiſionum, & ob id dicunt, quòd iſta pecora occidunt poſſeſſores: non ſic evenit in bonis ſpiritualibus in quibus ex alterius abundantia nullus patitur detrimentum, & ideò quietem, conſolationemque cauſant ipſorum poſſeſſoribus; dicit igitur Deus paſce pecora tua, ſcilicet tua deſideria non bonis terrenis ſed ſpiritualibus, ne ab eis occidaris. *Op. de Prof. Religioſ. lib. 2. c. 37.*

56. *Cæcitas Prælatorum cupidorum expenditur.*

Dicentes Benedictus Dominus, divites facti ſumus; & paſtores eorum non parcebant eis. Nota hæc dici à Deo de pluribus paſtoribus cæcis; qui ex incuria regiminis, & cupiditate temporalium expleta, ex expilatione, & expoliatione ſubditorum divites ſe factos videntes dicunt; *Benedictus Deus, divites facti ſumus &c.* quaſi Deus ſuæ ipſorum cupiditati concurrerit; & hæc eſt ignavia, & cæcitas multorum Prælatorum, qui incuriosè, & negligenter ſe gerentes in cura paſtorali, & cupiditati indulgentes, non percipiunt quam Deo exoſi: Et hæc eſt vana ſecuritas divitum, & cupidorum, qui non attendentes proprii ſtatus periculis, ſe præcipitant ob deſiderium bonorum temporalium in negligentiam ſui muneris, in laſciviam, & alias iniquitates, propter

quas

quas divino judicio, & vindictæ ſubiiciuntur. *in Luc.c.12.v.19.*

57. *Prælatus, & Princeps ſibi provideat duas virgas, amoris, ſcilicet, & rigoris.*

Et aſſumpſi mihi duas virgas, unam vocavi decorem, & alteram funiculum & pavi gregem. Ecce quid docet ſummus Paſtor aſſumens perſonam Rectorum, Prælatorum, & Principum; aſſumpſi mihi, ait Chriſtus, duas virgas, ſub quarum directione poſſem paſcere gregem; altera virga dicitur decor, & altera funiculus: quid eſt hoc? quid ſignificatur per has duas virgas? ſed attende, quod Decor in Hebræo idem eſt ac jucunditas, gratia, amabilitas, & ſuavitas: funiculus idem ac funis & rigor; datque intelligere, quod verus Paſtor volens regere ad imitationem ſummi Paſtoris Ieſu Chriſti debet medicus ſtare inter benignitatem, & rigorem, ne nimis ſeverus, ne nimis lenis, & benignus ſit; ſed attende, quod primò loco proponit virgam decoris, & benignitatis, per hoc docemur, quod cum non ſemper poſſit medium inter hæc duo extrema teneri, minus deviabit, ſi ad benignitatis partem plus declinabit; ſic enim fecit Dominus Ieſus Chriſtus, qui in omnibus ſemper ſe amabilem, tractabilem, & benignum ſe oſtendit, & rarius rigidum, & ſeverum, ut homines facilius traheret ad ſe, & ad ſui amorem *Op. de ſex alis Seraph.c.7.*

58. *Chriſti venditio facta à Iuda prædicta à Propheta, & qualis ſit ab impiis.*

Et dixit ad eos: ſi bonum eſt in oculis veſtris, afferte mercedem meam, & ſi non quieſcite, & appenderunt mercedem meam triginta argenteos, & dixit Dominus ad me, proijce illos ad ſtatuarium: Hæc eſt Prophetia manifeſta de venditione Chriſti facta à Iuda, qui vendidit Chriſtum triginta argenteis Iudæis, quos poſteà projecit in gazophilatio, &c. myſticè autem ſignificatur impietas Chriſtianorum, qui Chriſto renuntiant propter lucrum temporale etiam minimum: *in Luc. cap.22.verſ.5.in op.faſciculus mirrhæ: ſer.2. S. Marci in addit. de hac mercatura diabolica vide in Luc. cap. 16. verſ.10. & cap.19. verſ.13. & in Thren. c.1.verſ.1. & 11. & ſer.1. Rogat. & ſerm.4. Dom.6. Pentecoſt. & ſer.2.dedicat. & ſer.1. de ſancto Andrea: & ſer.2. Converſ. S. Pauli: & ſer.1. de S.Barth. & ſer.2.de S.Nicol.*

59. *Paſtor nomine, Idolum re, incuſatur.*

Ecce ego ſuſcitabo Paſtorem in terra, qui derelicta non videbit, diſperſum non quæret, & contritum non ſanabit. & id, quod ſtat non enutriet, & carnes pinguium comedet, & ungulas eorum diſſolvet, ô Paſtor, & Idolum, derelinquens gregem, gladius ſuper brachium ejus, & ſuper oculum dextrum. Cur hic appellat Paſtorem Idolum? ſi Idolum nihil eſt, & Paſtor verè eſt aliquid? ſed meritò vocatur Idolum ille Paſtor, qui ut ſupra dixerat, derelicta non viſitat, ſcilicet errantes non quærit exemplo Chriſti reducere ad caulam ipſius, qui diſperſum non quærit, diſperſum ideſt excuſſum, vel ablactatum, ut legitur ex Hebræo, non quærit, & curat, contritum, ſcilicet ſaucium non curat, & id, quod ſtat, ſcilicet ovem, quæ præ laſſitudine loco moveri non poteſt, non ſuſtentat, nec portat propriis humeris, & non enutrit: & ungulas eorum diſſolvet, ideſt ut Vatablus legit, confringet, & lædet verberando, & crudeliter ſæviendo, ut incedere nequeant: ô Paſtor ait Spiritus ſanctus, & Idolum: Paſtor nomine, Idolum re, qui nec Deum times, & diligis, nec paſcis oves: Idolum, inquam, ſcilicet larva Paſtoris, quia tua tantùm commoda aucuparis, oves verò non paſcis, non curas, deſeris, & permittis lupis: *in Luc. c.2. v.8. & c.8. v.34. in Ioan. c.21. verſ.17. in Ecclen. cap.10.*

60. *Paſtores iniquos Deus ſevere punit non ſolùm in altâ, ſed & in hac vitâ, præcipuéque in diſſipando eorum prava conſilia, & potentiam.*

Gladius ſuper brachium ejus, & ſuper oculum dextrum ejus (ſcilicet Paſtoris Idoli) brachium ejus ariditate ſiccabitur, & oculus ejus dexter tenebreſcens obſcurabitur: Ecce quid minatur Deus Paſtori, qui eſt Idolum, ſcilicet impio, & ſua potentia utenti in damnum ſubditorum, & ſua ſapientia in perverſum conſilium: Gladius iræ divinæ cadet ſuper ejus brachium dextrum, & oculum dextrum: quid eſt hoc? quale ſupplicium eſt hoc? oſtendit in his verbis, quod per quæ peccat Prælatus, per hæc & punietur, nempè quia ſua poteſtate uſus eſt malè, ſua prudentia, & intentione ad ruinam ſubditorum, hinc Deus ſiccabit ariditate ſuum brachium dextrum, ſcilicet auferet ei poteſtatem, ne poſſit exire in bonum opus, ſed de malo in pejus ruat; item & oculum dextrum ipſi erat, vel obſcurabitur, & lumine privabitur, & ſiniſter relinquetur, ſcilicet non ad meritum gloriæ, ſed ad demeritum gehennæ, erunt ſua opera, & in poteſtatem diaboli tradetur, ſicque Deus diſſipabit ipſius conſilia; ô nimis hoc verum, & quotidie in praxim videtur in tot impiis judicibus. *In Luc. cap.6.verſ.6. & 8. & ſerm. 3. in vigilia Nativitatis.*

61. *Signum maximum iræ divinæ, quando alicui impio eruitur oculus dexter.*

Et oculus ejus dexter tenebreſcens obſcurabitur. Cur oculus dexter, & non ſiniſter? quia per oculum dextrum ſignificatur intentio ſancta ordinata in Deum, & bona cæleſtia: per ſiniſtrum intentio mala ordinata ad mundana: maximum ergò flagellum iræ divinæ eſt, quando Deus permittit in homine depravationem intentionis, & oblivionem bonorum cæleſtis patriæ, ex quâ totus immergitur in terrenis voluptatibus, ô caveat nos Deus à tali flagello. *Sermon. 3. in Vigil. Nativit.*

CAP. XII.

62. *Chriſtus in fundatione Eccleſiæ bellum intimavit contra mundum; & Apoſtolos deſtinavit tamquam incendiarios, ut ipſum incenderent.*

ECCE *ego ponam Ieruſalem lapidem oneris cunctis populis, &c. & ponam duces Iuda ſicut caminum ignis in fano, & devorabunt ad dexteram, & ad ſiniſtram omnes populos in circuitu &c.* Nota hic prædicere Prophetam ædificationem Eccleſiæ à Chriſto factam; & ſubdit inter alia myſteria, quòd Chriſtus congregaturus eſt duces Juda, ſanctos Apoſtolos, & alios miniſtros, eoſquè conſtituet veluti incendiarios & faces ardentes, ut contra mundum, carnem, & diabolum bellum intiment, & faciant, & mundum totum, & omnia mundana igni tradant, & conſumant, ſcilicet omnia vitia, quæ ſunt ædificia mundi, & diaboli, & aras porcorum voluptuoſorum crement: & hoc maximè fecerunt poſt Adventum Spiritus ſancti cujus igne accenſi, & incenſi ad dexteram, & ſiniſtram proceſſerunt, ut omnia tali igne incenderent, præcipuè corda hominum: ô utinam Deus nobis donet ſaltem unam favillam talis ignis, & omnia vitioſa in nobis concremet. *Ser.3. feriæ 2. Pent. op. Eccleſ. Hier. p.4.c.2.*

63. *A Deo non ſolùm eſt effectio, ſed & conſervatio omnium creaturarum, & conſummatio item omnis fælicitatis noſtræ: Vbi de præſervatione ſacrorum templorum ab incendiis, & bellis, &c.*

Et ſalvabit Dominus tabernacula, ſicut in principio, ut non magnificè glorietur domus David, &c. Proſequitur Propheta prædicens magnificentiam operum Chriſti poſt fundationem Eccleſiæ ex hoc, quòd promittit Deus non ſolum ſe præſervaturum Eccleſiam intactam uſque ad conſummationem ſæculi ſed & omnium tabernaculorum Juda, ſcilicet peculiarium Eccleſiarum, quas præſervabit ab excidio, tempore tribulationum, bellorum, devaſtationum inimicorum; quod & ſæpè evenit in talibus occaſionibus: ſic ſacri Expoſitores: Nota autem, quòd dicit, *ſalvabit Dominus, &c.* ſicut à principio, ideſt ſicut eſt principium conſervativum, & conſummativum, &c. *Ioan. collat.1.*

64. *Virtute ignis Spiritus Sancti omnes etiam inermes, & debiles, & fæminæ validi fiunt ad bellum.*

In die illa proteget Dominus habitatores Ieruſalem, & erit, qui offenderit ex eis in die illa, quaſi David. & domus David quaſi Dei, ſicut Angelus Domini in conſpectu eorum. Ecce effectus ignis Spiritus Sancti à Chriſto, & ſuis miniſtris diſſeminati per mundum. nam per adventum Spiritus ſancti omnes & fortes, & imbecilles, & fœminæ, & puellæ facti ſunt fortiſſimi ad bellum gerendum contra diabolum, Principes; & totum mundum; hoc patet in Sancta Agnete, Cecilia &c. & in tot aliis ſanctis. *Ser.1. de S. Agnete & ſer. 10. in Pent. & communiter ſacri Expoſitores.* Et hoc maximè ſuccedit mediante lege divina, & verbo Dei, undè ſubdit: *in die illa quæram conterere omnes gentes quæ veniunt contra Ieruſalem*, ſcilicet tentationes, & dæmones mediante igne Spiritus Sancti, & perquiſitione legis divinæ. *Pſal.118. c.7.v.4.*

65. *Commiſeratio, & compaſſio circa Chriſti Ieſu Paſſionem ſuadetur.*

Et effundam ſuper domum David; & ſuper habitatores Ieruſalem ſpiritum gratiæ & precum; & aſpicient ad eum, quem confixerunt; & plangent ſuper eum &c. & dolebunt ſuper eum; &c. Nota, quòd de more aſſurgit hic Propheta ad Chriſtum, promittens, quòd in Jeruſalem; ſcilicet in Eccleſiam, & fideles effundet ſpiritum gratiæ Spiritus Sancti; & precum, & deprecationum; & hoc quia aſpicient fideles ad Chriſtum, & compaſſione, & dolore, & pietate afficientur in crucifixum; ut videas quàm Deo ſit chara compaſſio, quæ oritur ex affectu piiſſimo in Chriſtum patientem crucifixum. *Luc.c.23. v.25.& 28. Ioan.c.19.v.36. op. lignum vitæ op. expoſ. miſſæ c.4. ad finem.*

66. *Chriſti Paſſionis memoria, & meditatio quales fructus germinet in anima.*

Et effundam &c. & aſpicient ad eum, quem confixerunt, &c. Nota, quòd talis effuſio gratiarum, orationiſquè copulatur cum aſpectu, ſcilicet meditatione crucifixi; ut videas, quòd jugis meditatio vitæ, & Paſſionis Jeſu Chriſti ſuper omnia mentem ſtabilit contra vana, & caduca: fortificat contra tribulationes, & adverſa, illuminat, & dirigit animam circa gerenda, ut nec hoſtes, nec vitia irruere, vel fallere poſſint, & hoc eſt, quia perfectio omnium virtutum ibi reperitur; De hac materia Vide *Op. meditat. vitæ Chriſti in proœm. & c.99. op. de perfect. vitæ c.6. op. faſciculariùs c.8. op ſtim. p.1.c.1. & ſeq. per totum op. Alphab. Religioſ. op. Comp. Theol. lib.4.c.19. & ſeq.*

CAP. XIII.

67. *Chriſtus Ieſus fons eſt factus multiplex ad noſtram utilitatem.*

IN *illa die* (ſcilicet ut ſupra dictum eſt, cum videbitur Chriſtus in cruce confixus) *erit fons patens domui David, & habitantibus Ieruſalem in ablutionem peccatoris, & menſtruatæ.* Hic Propheta alludit ad Chriſtum in cruce expoſitum, qui ſeipſum expoſuit fontem, & in corpore hujus fontis aperuit portas, ſcilicet vulnera, ut ex ipſo multiplex aqua exiret ad noſtram utilitatem; fons inquam miſericordiæ, ut nos lavaret à perverſo opere, & menſtruatam mentem dilueret ab immunda cogitatione; & ideò ex

ex vulneribus ſui corporis aquam emittit divinæ gratiæ purificantis, & refrigerantis; aquam ſapientiæ clarificantis, aquam ſupernæ conſolationis reficientis, & aquam æternæ gloriæ ſatiantis, & qui biberit ex hac aquâ, non ſitiet in æternum. *Ioan.collat.*21.*&* 46.*Pſal.*141.

68. *Chriſti corpus fons emittens multos rivos ſanguinis ad noſtram ſalutem.*

Erit in die illa fons patens domui David, &c. Hic fons eſt Chriſti corpus, ex quo multi rivi ſanguinis prodierunt, ſcilicet in Circumciſione, in ſanguineo ſudore, in flagellatione, in coronatione ſpinea corona, in lachrymatione, quæ fuit originaliter ſanguis, & in cruce, maximè in apertitione lateris, ut per primum doceamur peccata abjicere: per ſecundum mentis anguſtias, pro ſalute noſtra tenere; per tertium animam virtutibus ornare; per quartum carnem domare; per quintum membra noſtra mandatis Dei ligare, per ſextum vulneratum cor habere Dei amore: Iſtas igitur vulnerum portas exponit benignus dux, ut ſui milites vultum, & oculos in ſua ſuſtollant vulnera, ut ipſorum animus ex hoc erigatur, & exemplo ſui reddantur ad tolerandum fortiores, ut & lancea ſubtilis meditationis, & contemplationis ſui cordis latitudinem aperiat, ut ibi exeat ſanguis compunctionis, & aqua lachrymationis pro peccatis propriis & alienis. *Ioan.c.*19.*v.*34.*& op.Comp.Theol.lib.*4.*c.*19.

69. *Baptiſmus, & alia ſacramenta de fonte lateris Chriſti fluxerunt.*

In illa die erit fons patens domui David, &c. Nota, quòd ex hoc fonte corporis Chriſti in cruce aperti fluxerunt tamquam flumina Sacramenta Eccleſiæ, quorum primum eſt Baptiſmus inſtitutus ad ablutionem peccatorum, quoad culpam, & pœnam, & ex reliquis, ut & ablutionem peccatorum, & refectionem divinæ gratiæ exhaurire poſſimus. *Luc.c.*3. *v.*4.*& lib.* 2. *d.*18. *a.*1. *qu.*1.*lib.*3.*d.*40.*dub.*3.*lib.*1.*in prol.lib.*4.*in prol.d.*4. *p.*2.*a.*1. *quæſt.*3. *dub.*18. *p.*1.*dub.*4. *ſerm.*1. *Dom.*3. *Advent.*

70. *Chriſtus eſt fons emittens pro nobis multiplicem fructum.*

In illa die erit fons patens, &c. Scilicet Chriſtus, qui veluti fons Paradiſi, aſcendit de terra, ideſt de Beata Virgine, emittens quatuor humores, ſcilicet lachrymarum flumen, ſudoris ſanguinei, ſanguinis per vulnera, & aquæ ex latere & per iſtos fontes emittit omnem virtutem, gratiam, & ſcientiam, & gloriam, & per quos extinguitur omnis ardor vitiorum. *Ser.* 3.*in Nativ. ſer.*3.*in ſexag.ſer.*6.*Dom.infrà oct.Epiph.ſer.*2.*Hex. & op.de ſeptem itin.ætern.itin.*7.*d.*7.

71. *De Chriſto fonte alii fontes, ſcilicet vulnera aperti ſunt ad noſtrum ſolamen.*

In illa die erit fons patens domui David. Hic eſt Chriſtus, qui aperuit ſua vulnera tamquam fontes, ex quibus apotheca omnium aromatum & medicamentorum eruitur theſaurus omnium gratiarum, & per quos intratur in templum gloriæ. *Vide op. ſtim.p.*1.*c.*1. *ſer.*4. *in Paſcha ſer.*3. *Dom* 4. *Quadrag.ſer.*4.*in oct.Paſcha.op.de perfect. vitæ c.*6. *Pſal.*141.

72. *Per Chriſtum ejicitur ſpiritus immundus ab homine, & quomodo, & cur diabolus dicitur immundus.*

Diſperdam nomina Idolorum, &c. & pſeudoprophetas, & ſpiritum immundum de terra. Nota effectus Paſſionis Chriſti, nam per ipſius virtutem diſperſa ſunt Idola, & eorum nomina ex tot partibus mundi; & inter fideles aufertur etiam virtute paſſionis Chriſti, & ejicitur ſpiritus immundus, ſcilicet diabolus, qui dicitur ſpiritus immundus, quia immunda loca quærit habitare, & quia ſemper immunditias in corde noſtro ſuggerere conatur: ejicitur autem à Chriſto, ſed mediante cooperatione noſtra, ſcilicet per fidem, & pœnitentiam, quæ ad hoc, ut liberetur à Dæmonis habitatione neceſſaria eſt. *Luc.c.*4.*v.*33. *& c.*6.*v.*18.*& c.*8.*v.*33.*& c* 11.*v.*24.

73. *Chriſti ſequaces à propriis parentibus in mortem propter fidem Chriſti traditi, diſcant, quòd propter fidem Chriſti ſervandam, non debent, nec ſuis filiis, vel parentibus parere:* Unde dicitur hic: *Et erit, cum prophetaverit quiſpiam ultra, dicent ei pater ejus, & mater ejus, qui genuerunt eum, non vives &c. & configent eum pater ejus, & mater ejus, &c.* O nimis verum hoc, quod prædictum eſt à Propheta: nam ſequaces Chriſti etiam à propriis fratribus, cognatis, amicis, imò à propriis parentibus in mortem traditi ſunt, quod aggravavit ſummopere ipſorum tormenta. *Luc.c.*21. *v.*6. Ex hoc textu eruitur, quòd ubi agitur de conſervanda fide Chriſti, nemini, nec etiam fratribus, & parentibus eſt patendum, & pertinacibus mors etiam inferenda.

74. *Otium à ſervis Dei quàm ſollicitè vitandum: Ubi de exemplo agricultura Adæ.*

Sed dicet: non ſum Propheta; homo agricola ego ſum; quoniam Adam exemplum meum ab adoleſcentia mea. Nota, quòd ex hoc textu videtur poſſe elici, quòd omnis homo, & maximè religioſus teneatur ex præcepto divino ad opera manualia, & maximè agriculturæ exercenda: nec defuerunt Hæretici, qui hoc aſſererent; attamen ex hoc textu tantùm elicitur, quòd Adæ dictum eſt *in ſudore vultus tui comedes*, non ex præcepto juris, ſed in pœnam perpetratæ culpæ; ob quam condemnatus fuit omnis homo, & obligatus ad vitandam otioſitatem, & ob id ad opera ſecundùm ſtatum propria, vel ad opera manualia, ſi non habet undè aliundè vivat, vel ad civilia ſpectantia ad bonum regimen reipublicæ, & domus vel ad ſpiritualia, ſi vocatus eſt ad ſtatum ſpiritualem Eccleſiæ: hinc igitur primò addiſcimus quanti agricultura in principio mundi æſtimata fuerat ab omnibus, nam primus Agricola fuit Adam, & deindè tot alii Patriarchæ; ſecondò, quòd otioſitatem à nobis excutere prætendit Deus cum ſit origo omnium vitiorum. *Op.de paup.Chriſti qu.*2.*Luc.c.*15.*v.*25.

75. *Exemplum quale exhibendum à Prælatis: Vbi de exemplo Chriſti.*

Quoniam Adam exèmplum meum ab adoleſcentia mea. Ecce quomodo ſervus Dei ſibi præfigit exemplum imitandum Adæ: & quia Adam alius eſt primus noſter protoparens; & ſecundus, ſcilicet Chriſtus Jeſus; hinc ad imitationem noſtram uterquè proponitur quale exemplum debeat exhiberi à Prælatis; in primo utique quale malum redundet in ſubditos ex ipſorum mala vita, ſicut Adam excidii cauſa totius generis humani; in ſecundo quale exemplum debeant dare ſubditis & formam operandi, quia eorum vita, & converſatio forma eſt, & reformatio vitæ ſubditorum, quod maximè convenit Religioſis, qui ad vitam, & opera ſecundi Adam maximè debent inſpicere, ut per imitationem ipſius configurentur capiti, hinc enim dixit ipſe, exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. *Ioan.c.13.v.15.& collat.61.op. Eccleſ. Hier. p.1.c.2.*

76. *Myſteria vulnerum Chriſti expenduntur.*

Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum? & dices; his plagatus ſum in domo eorum, qui diligebant me; In domo dilecti legunt ſeptuaginta; *Inter amicos meos* legit Syrus: In quibus verbis certum eſt, & de fide hic loqui Prophetam de Chriſto plagato in manibus, ſub quarum plagarum nomine à pari veniunt plagæ pedum & lateris; & meritò hæc proponit admirabundus; hoc enim eſt prodigium novum, & à ſæculis inauditum, quòd Deus apparuerit plagatus in cruce; undè omnes creaturæ velut admirantes, & obſtupeſcentes videntur clamare, *quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum, pedum & pectoris?* ſic & Seraphicus Pater Sanctus Franciſcus, cum cæteris ſanctis inceſſanter incenſi divino amore, & admiratione in exceſſum rapti inclamabant, *quid ſunt plagæ iſtæ ô dulcis Ieſu, &c.* quibus vocibus è cruce reſpondet, *his plagatus ſum in domo eorum, qui diligebant me*, ideſt Iudæorum, qui mei valdè dilecti ſuper omnes nationes, qui inter alios verum Deum colebant, & cultores Dei ſe profitebantur, quod eſt id, quod auxit dolorem Chriſto. Ad hæc vulnera, ad has plagas invitatur anima, ut in ipſas intret, ibi moretur, ibi dormiat, ibi requieſcat. *Op. ſtim. diu. amor. p.1. c.1. ſeq. per totum Luc.c.22.v 22.& c.23.v.33.*

77. *Paſſio Chriſti decreta à Patre ex amore ob ſalutem hominum, & executa à Judæis ex odio in ipſorum perditionem.*

Framea ſuſcitare ſuper Paſtorem meum, & ſuper virum cohærentem mihi dicit Dominus exercituum, percute Paſtorem & diſpergentur oves. Nota, quòd hæc ſunt verba Patris, quibus reſpondet interrogationi ſupra factæ, *quid ſunt plagæ iſtæ &c.* quæ ſic leguntur à Chaldæo, *denudare ô gladie*; à ſeptuaginta, *conſurge ô gladie*: Ubi notant Doctores hic poni imperativum pro futuro: ſignificant enim decretum Patris pro morte futura Chriſti ex prævisa, & permiſſa à ſe Judæorum malitia: notant etiam hic ſumi framæam, ſeu gladium pro quocumque inſtrumento, quo vul-

neratum fuit corpus Chriſti, ſcilicet pro clavis lancea, flagellis, & ſpinis, & hinc addit ſuper virum, ſcilicet humanitatem mihi cohærentem & unitam, vel etiam intelligi poſſunt ſequaces Chriſti pro viro cohærente ſibi, qui fuerunt Apoſtoli, & diſcipuli; daturque intelligi, quòd licèt malitia Judæorum effectivè vulneravit corpus Chriſti, tamen ad hoc concurrit decretum Patris, ut percuteretur Paſtor, & aperiretur fons ille, qui in nos ſcaturiret aquas ſalutis, & ut Paſtor ſanguine ſuo oves vagas, & infectas, ſauciataſque inveniret, & ſanaret; illiſquè vitam æternam procuraret: Vide ergò quomodò mors, & Paſſio Chriſti ex multiplici voluntate promanavit, nam fuit traditus à Patre ex dilectione & amore; à Juda, & Judæis ex odio, & cupiditate, ſicquè totus mundus in Chriſtum irruit, & perduxit ad amariſſimum ſupplicium; vide quale; quia in hoc ſupplicio habuit denudationem, & extenſionem membrorum dolens in omni parte ſui ſine ulla miſeratione; clavorum perforationes in pedibus, & manibus patiens in omni hora ſine requietione, & tamquam carnifex ſui ipſius ſi parcebat pedibus, cruciabat manus, & ſi parcebat manibus cruciabat pedes, undè quia maxima erat ibi collectio nervorum, ideò maxima erat afflictio pœnarum, & quia maxima in collectione nervorum vigebat vivacitas, maxima ſentiebatur pœnalitas, cujus acerbitatis, & pœnalitatis immenſitate celeriter anima fuit diviſa à carne, ideò ſubdit Propheta, *percutiam Paſtorem &c.* Ex quibus patet, quòd Paſſio Chriſti aliis fuit in ruinam, aliis in ſalutem. *Luc.c.22. v.22. ſer.1. Dom. Quinquag. & ſer.1. Dom. infra oct. Nativ. & ſacri Expoſitores communiter.*

78. *Ad percuſſionem Paſtoris Chriſti Ieſu, diſperſæ ſunt oves ſcilicet diſcipuli relicto ipſo fugerunt: Ioan.c.16.in fine.* Per hoc patet, quòd dum ſubditi vident Paſtorem diſperſum, puſillanimem, & timidum, & ipſi de facili perterrentur, & diſperduntur. *Op. Eccleſ. Hier. p.2.c.2.*

CAP. XIV.

79. *Poſt Chriſti Aſcenſionem perſecutiones Eccleſiæ prædictæ à Propheta, indeque dies judicii.*

ECCE *venient dies Domini, & dividentur ſpolia tua in medio tui, &c.* Nota, quòd in hoc ultimo capite Propheta deſcribit perſecutiones futuras contra Eccleſiam, & indè Adventum Chriſti ad judicium cum ſanctis, & electis, maximamquè confuſionem obventuram reprobis, maximè ex aſpectu Chriſti, & cicatricum ejus, de quibus omnibus loquitur ſacer textus. *Luc.c.17.v.22. & Expoſit.*

80. *Chriſtus in judicio ab omnibus bonis, & malis videbitur ſed differenti modo*

Et hæc erit plaga, qua percutiet Dominus omnes gentes, quæ pugnaverunt adverſus Ieruſalem: tabeſcet

beſcet caro &c. oculi ejus contabeſcent in foraminibus ejus, & lingua eorum contabeſcet in ore ſuo. Ad litteram dat intelligere flagella à Deo immiſſa contra perſecutores Jeruſalem, ut patet in Antiocho, tum adverſus Eccleſiam, ut patet in pluribus Imperatoribus, qui perſecuti ſunt Dei Eccleſiam, & innuit anagogicè ad id, quòd eveniet in die judicii, quando ipſe Chriſtus apparebit judicaturus omnes gentes; tunc enim videbunt eum, & boni, & mali; boni ad conſolationem, ſed mali ad confuſionem, & præcipuè ipſorum oculi contabeſcent in foraminibus ſuis, ad aſpectum vulnerum Chriſti, crucis, & inſtrumentorum, & ipſis erit ex tali aſpectu intolerabilis confuſio. *Ser.4.Dom.2.Adv.*

81. *Ruina ſpiritualis malorum ex adventu Chriſti in bonum, & in malum deſcribitur.*

Et erit ruina equi, & muli, & cameli, & aſini, & omnium jumentorum, quæ fuerunt in caſtris illis, ſicut ruina hæc. Nota ad litteram deſcribit cædes, & ruinam hoſtium populi Iſraël, qui perſecuti ſunt ipſos: myſticè ruinam totalem omnis potentatus, & poteſtatis malorum in die Judicii, tunc enim erit deſolatio univerſalis in toto mundo. *Luc.c.6.in fine.* Sanctus Hieronymus verò docet hic alludi ad converſionem futuram per prædicationem Evangelii; nam per equos intelligit luxurioſos, & arrogantes; per mulos intelligit doloſos, & phantaſticos, per camelos divites, per aſinos ſtolidos, horum enim avaritia luxuria, arrogantia, dolus, accidia &c. corruerunt, cum in baptiſmo, vel pœnitentia ad prædicationem Evangelii induerunt caſtitatem, charitatem, humilitatem, & fervorem Chriſti; & hæc eſt ruina ſancta; ô utinam, & nobis talem ruinam inferat Chriſtus Jeſus, cui honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Explicit poſtilla S. Bonavent. in Zachariam Prophetam.

Digitized by Google

EXPOSITIO SERAPHICI DOCTORIS
S. BONAVENTURÆ
IN
MALACHIAM PROPHETAM.
PROLOGUS.

MALACHIAS non idem, quod Eſdras, ut malè opinati ſunt aliqui Rabini, ſed Propheta fuit ultimus, & Chriſto vicinior, è Tribu Zabulon, & in ſua prædicatione Judæos arguit ingratitudinis; ſacerdotes negligentiæ, & impietatis in Deum, prædicit deſtructionem Synagogæ, fundationem Eccleſiæ, inſtitutionem Euchariſtici ſacrificii, Adventum præcurſoris Joannis Baptiſtæ, & tandem diem judicii, & Adventum Eliæ in mundum tamquam prænuncii prodromi; ideò ejus Prophetia ſententiis brevis eſt, ſed fœcunda myſteriis præſertim futuris in novo Teſtamento: de ipſo, ejuſque ſanctitate agunt ſanctus Hieronymus; ſanctus Epiphanius, aliique ſancti Doctores.

CAPUT PRIMUM.

1. *Dei dilectio in omnes quomodo ſit communis, & ſpecialis: Ubi de prædeſtinatione, & reprobatione.*

DILEXI vos, dicit Dominus, & dixiſtis, in quo dilexiſti nos? nonne frater erat Eſaü Jacob, & dilexi Jacob, Eſaü autem odio habui, & poſui montes ejus in ſolitudinem, &c. Nota, quod ex hoc textu Theologi proponunt illam celebrem quæſtionem, *an Deus prædeſtinet ex præviſis meritis, & reprobet ex præviſis demeritis, an non:* ſed tamen hic non loquitur ad litteram de prædeſtinatione ad gloriam ſed ad temporale regnum, & dominium, & ideò proponit in his verbis effectus dilectionis ſuæ, & beneficia Jacobæis præſtita temporaliter, ut magis eos arguat de ſua in Deum ingratitudine, ſic communiter ſancti Expoſitores: Attamen hinc inferunt Theologi allegoricè, quod loquendo de beneficiis temporalibus, Deus omnes creaturas diligit dilectione naturali, communicando eis effectus ſuæ dilectionis proportionatos unicuique; loquendo verò de dilectione ſpeciali & gratuita non omnes æqualiter diligit, ſed ſpeciali modo diligit bonos, ut Jacob, & ipſius imitatores, non verò malos, ut Eſaü, ſed potius eos odit. *Lib. 3. d. 32. a. 1. q. 2.* Et ad aliam quæſtionem, utrum dilectio gratuita Jacob, & reprobatio Eſaü, habuerit aliquam rationem meritoriam in iſtis, & in Deo aliquam cauſam motivam? Reſpondetur, quod loquendo de reprobatione, certum eſt, quòd in reprobato adeſt ſemper cauſa demeritoria, nomquam enim Deus reprobavit, vel reprobat aliquem niſi præcedente culpa, & demerito: loquendo verò de prædeſtinatione, hæc poteſt ſumi in ordine ad gratiam, & ad gloriam; in ordine ad gratiam juſtificantem in gratificato, ſemper ſupponi debet aliqua ratio congruitatis, cur huic det ſuam gratiam, & alii nequaquam: In ordine ad gloriam pariter debet ſupponi præviſio divina meriti præcedentis, & procedentis originaliter à divina motione, & gratia & conſenſu liberi arbitrii: *Lib. 1. d. 41. a. 1. q. 1. & 2.*

2. *Qui ſine Deo, vel contrà Dei voluntatem ædificat, ad ruinam erigit ædificium.*

Quod ſi dixerit Idumæa; deſtructi ſumus, ſed revertentes ædificabimus, &c. Iſti ædificabunt, & ego deſtruam, &c. Vide quomodo Deus ſe opponit iſtis ædificantibus deſtruendo, quod ædificabant, & cur hoc? quia ædificabant cum Dei offenſa, contrà Dei voluntatem, & ſimul excitando divinam iram; & hinc patet diſcrimen ædificii, quod ſubjacet iræ Dei, & permanentis; nam qui ædificat ponendo in altum fundamentum, ſcilicet in Deo, & ejus mandatorum obſervantia, ædificat ad æternitatem, taliſque eſt fabrica ſpiritualis ædificii: qui verò in imo, ſcilicet in temporalibus, & in Dei offenſa, hic ædificat ad ruinam, unde verificatur id, quod dicitur. *Pſal. 126. Niſi Dominus ædificaverit domum, &c. in Pſal. 126. & lib. 3. d. 27. a. 2. q. 1. ad ult. & l. 4. d. 23. a. 3. q. 1.*

3. *Deus Patrem, & Dominum ſe nobis oſtendit, ut ipſi ſerviamus cum timore filiali, ut ſervi fideles, & non mercenarii cum timore ſervili, & ut filii amantes ipſum honoremus.*

Filius honorat Patrem, & ſervus Dominum ſuum; ſi ergò Pater ego ſum, ubi eſt honor meus? & ſi Dominus ego ſum, ubi eſt timor meus? Vide quomodò Deus ſe nobis exhibet Patrem, & Dominum, prætendens à nobis, ut ipſum fiducialiter, ut filii legitimi cum fiducia amemus, & honoremus ejus Majeſtatem, undè præcipit, ut nos veluti filii veri ipſum appellemus Patrem, dicendo in oratione Dominica, *Pater noſter, qui es in Cœlis:* Pater noſter ſcilicet generaliter per creationem, & appoſitam imaginem, & ſpecialiter per adoptionem, & per appoſitam gratiæ ſimilitudinem, ut detur petenti cuilibet fiducia ad talem Patrem recurrendi, ipſumque ut Patrem honorandi, & ipſi obediendi, item ſe nominat Dominum, ſed ſimul Patrem, ut ipſum veluti ſervi filialiter honoremus, ipſi obediamus, timoremque exerceamus in ejus ſervitio; per quod notatur ingratitudo hominis talem Patrem inhonorantis, & Dominum offendentis; exigit igitur à nobis amorem, & timorem, ſed tamen filialem, non ſervilem: *Op. in Pater: & in Luc.c.1.v.68.& c.11.v.2.& c.15.v.19.& ſer.5. de una Virg.& op.de grad.virtut.c.11.& Pſal.118. c.7.v.11.& c.10.v.10.*

4. *Ad ſacerdotes convertitur ſermo Propheta: ubi de ipſorum gradu ſublimiſſimo, & obligatione.*

Ad vos ô ſacerdotes, qui deſpicitis nomen meum, & dixiſtis, in quo deſpeximus? offertis ſuper Altare meum panem pollutum, &c. Nota, quòd poſtquam Deus ſe Patrem, & Dominum appellavit, vertit ſermonem ad ſacerdotes impios, ut addiſcant primò, quòd ipſi præ laicis ſunt ſpeciali modo filii Dei, & ſervi ipſius, dicuntur autem ſpeciali modo filii Dei, quia Deo dicati, & conſecrati ſunt & ideò ſunt propriè de familia crucifixi, & ideo ſancti, & impolluti debent eſſe, præſtantes ſpecialiſſimo modo Deo amorem, & timorem, quia ſunt vocati in ſortem, & hæreditatem Chriſti; de quo *Vide lib.4.d.37.a.3.q.1.& Pſ.118. c.3.v.1.& op.Eccleſ.Hierarch.p.2. c.1.& ſer.1. in feſt.omn.ſanctor.* Et hinc antiquitus ungebantur in mollicula auriculæ, & in pollice manus, & pedis ad indicandum, quod illi, qui Deo ſerviunt debent in omnibus ſenſibus eſſe uncti unctione Spiritus ſancti, & ideo modò unguntur chriſmate, ut appareat in eis mirabilis ſanctitas, honeſtas, & puritas: illi autem, qui curioſi in omnibus factis ſuis, platearii, fabulatores, portant arma ad nocendum, ſicut prædones, incontinentes, ſimoniaci, & iniquiores laicis, potiùs ſacerdotes Bel dicendi ſunt, quàm Chriſti, & contrà iſtos fulminat Propheta iſta verba, *ad vos ô ſacerdotes, &c. ſer.1.Dom.24. Pentec.*

5. *Euchariſtia; condigna ſumptio expenditur, ejuſque effectus peſſimi enarrantur.*

Offertis ſuper altare meum panem pollutum: Si hic myſticè loquitur de pane Euchariſtico, quomodo dicitur panis pollutus, etiamſi offeratur ab indigno indignè? nonne ſemper eſt panis cæleſtis in ſe? tum etiam, quia ſacrificium oblatum etiam à malo ſacerdote habet ſuam efficaciam ex opere operato? cur igitur dicitur panis pollutus? ſed reſpondetur, quod panis Euchariſticus dicitur pollutus non ſecundùm ſe, ſed prout ſumitur à polluto, & immundo, & animam habente fœdam, & peccato mortali obnoxiam, & hoc quia fonti puritatis injùriam facit, & in locum immundum ſacramentum collocat; undè bonis, & juſtis eſt vita, impiis mors & venenum. *Lib.4.d.9.a.2.per totum ſer. 2. a. 6.in Cœna Dom.Brevil.p.6.c.9.*

6. *Sacros ordines ſuſcipiens non intuitu Religionis, ſed lucri temporalis notatur.*

Quis eſt in vobis, qui claudat oſtia, & incendat altare meum gratuitò? non eſt mihi voluntas in vobis, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra. Nota quòd ad litteram reprehendit Deus eos, qui non vocati à Deo, ſed ſe ipſis ingerunt in ſacris miniſteriis, quærentes quæ ſua ſunt, non quæ Ieſu Chriſti, & paſcentes ſe ipſos, non oves Chriſti, ſcitote ait Deus, quod non eſt mihi voluntas in vobis, ideſt nec mihi accepti eſtis, nec ſacrificia veſtra ſuſcipiam. *In Luc.c.12.v.42. Vide op.de præpar.ad miſſ.c.4.*

7. *Ex oblatione Euchariſtia, & ſanctitate offerentium magnificatur nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti mirabiliter.*

A ſolis ortu, uſquè ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum eſt nomen meum, &c. Nota ad litteram Prophetam prædicere in perſona Dei, quòd ipſius cultus poſt Adventum Chriſti in carnem, non intrà anguſtias Iudeæ, arctandus erat, ſed extendendus erat per totum orbem, & ubiquè ipſius nomen magnificandum erat, & hoc præcipuè per oblationem ſacrificii Euchariſtici, ex quo addita ſanctitate offerentium maxima gloria ipſius nomini ubiquè diffundenda erat: ſic ſacri Expoſitores: meritòquè hæc dicuntur de hoc auguſtiſſimo ſacramento, maximè enim exprimit divinam pietatem, charitatem, & beneplacitum, eſtque ſacramentum ſacramentorum, & omnium conſummativum; undè verè patet, quòd loca, in quibus deeſt hæc oblatio, carent omni bono, & omni oblatione, & qui rarò, vel numquam ad hoc ſacramentum ſuſcipiendum recipit, maledictus eſt à Deo, imò vivit ſine Deo, & omni bono. *in Luc.c.11. v.2. in Ioan. c.6. v. 32. ſeq. lib.4. d.10. a.1. q.1. ad arg.d.7. dub.3. & d.8. p.1. q.1. dub.2. & a.1.qu.1.ad 2.op.Comp. Theol.lib.6. c.13. & ſer.5.in Cœna Domini, & ſer. 1. de plur. Mart. in addit.* Nota etiam quod dicit in omni loco offertur, ſcilicet non ſolùm à ſacerdotibus, ſed etiam à circumſtantibus, ſacrificium Miſſæ. *Ser.1. de plur.Martyr.in addit.*

8.*Exigit*

8. Exigit Deus à nobis oblationem maſculam, ne incurramus ejus maledictionem.

Maledictus doloſus, qui in grege ſuo maſculum habet, & votum faciens immolat debile Domino. Ecce quomodo Deus ſuam maledictionem fulminat contrà habentem maſculum in grege & tamen debile, vel fœmininum Deo offert, quis eſt iſte? quis hic maſculus? maſculus eſt potior pars, & melior; debilis eſt deterior: maledictus igitur, qui Deo offert deteriora, & ſibi meliora retinet, qui cor ſuum ſibi retinet, & ſua Deo offert, qui non rectè dividit, ut Cain, quia tales oblationes Deus rejicit, ut maledictas. *Ser 2. Dom. 5. Pent. & ſer. 1. de plur. Mart. in addit.* Nota igitur, quod vota noſtra, maximè Religioſorum debent eſſe maſcula, & Deo deberet offerri integra, & illibata, nempè illibata caſtitas, perfecta paupertas, obedientia virilis, & maſcula: hoc enim exigit divinæ majeſtatis reverentia debita, & hinc ſubdit Deus, *nomen meum horribile,* ſcilicet iſtis doloſis horribile, & terribile, & bonis, & fidelibus reverendum, dulce, & amabile. *Pſal. 118. c. 4. v. 7.*

CAP. II.

9. Malorum ſacerdotum benedictiones Deo exoſa.

ET nunc ad vos mandatum hoc ò ſacerdotes, ſi nolueritis audire, & nolueritis ponere ſuper cor, ut detis honorē nomini meo, mittam in vos egeſtatem, & maledicam benedictionibus veſtris, &c. ſeptuaginta legunt, *diſpergam ſuper vultum veſtrum ventriculum:* Ad litteram Deus promittit, & prænuntiat ſacerdotibus Judæorum ignominiam, in quam propter ſua ſcelera incurrere debebant apud Deum, & homines: myſtice loquitur ad ſacerdotes Evangelicos, ut ſciant, quod ſi malè egerint, ſi vitam ſcandaloſam duxerint, ſi in iniquitatibus ſordeſcant eorum benedictiones rejicientur à Deo in ſtercus maledictionis, & diſperget in vultum eorum ventriculum fœtidum, ſcilicet apud homines reddentur exoſi, & abominabiles, veluti excommunicati, eorumque benedictiones, ut maledictiones reputabuntur; audiant hæc, & contremiſcant ſacerdotes ait Gloſſa, nam eorum benedictiones erunt à Deo maledictæ; hoc intellige de iis, quæ pendent à ſanctitate ipſorum, & ex opere operantis, non de illis ſacramentis, quæ ſemper valida ſunt ex opere operato *Om ſentent. ſententiarum lib 4. d. 19. Gloſſa hic*: Diſcant ſacerdotes, & omnes fideles, quòd eorum munus eſt habere in corde intentionem glorificandi nomen Domini, abſquè eo quod immiſceant intentiones pravas, & vitioſas. *Lib. 3. d. 31. a. 1. q. 2. ad 2. & locis infra cit.*

10. Idem argumentum de Sacerdotibus bonis, & malis.

Et nunc ad vos ò Sacerdotes, &c. ſi nolueritis, &c. Hæc verba clariſſimè exprimunt diſcrimen inter bonos, & malos Sacerdotes, nam boni hoc ſolùm intendunt, ut dent gloriam, & honorem nomini Dei; & ideò in ſacerdote requiritur rectificatio voluntatis, & dignitas exterioris ordinis, & ob id juſtus debet eſſe coram Deo, & hominibus, & hinc debet dominari propriæ voluntati, fugere vanitates ſæculi, & totus in Deum ferri; & è contrà ſacerdos malus omnia, imò totam Eccleſiam pervertit, non enim ſacerdos dicitur ſanctus ob oblationem corporis Chriſti, & exercitium miniſteriorum ſacrorum, ſed ob ſanctitatem propriam *Lib. 3. d. 31. cit. & op. de Eccleſ. Hierarch. p. 2. c. 1. & lib. 4. d. 24. a. 1. qu. 2. ad ult. & in Luc. c. 1. v. 6. & c. 17. v. 14. & c. 10. v. 1. & ſer. 1. in feſt. omn. ſanct.* Confirmant hanc veritatem verba, quæ ſubjungit Deus loquens de bonis ſacerdotibus in perſona Levi; *& ſcietis, quia miſi ad vos mandatum iſtud, ut eſſet pactum meum cum Levi, pactum ſcilicet vitæ, & pacis, & timorem dedi ei, &c.* ſcilicet timorem fidelem, quo malum vitabat, & bonum amplexabatur. *Pſal. 118. c. 7. v. 11.*

11. Sacerdos exemplo Chriſti doceat verbo, & exemplo ſubditos.

Lex veritatis fuit in ore ejus, & iniquitas non eſt inventa in labiis ejus, in pace, & æquitate ambulavit mecum, & multos avertit ab iniquitate. Sic fecit Levi (ait Propheta, & multò magis Chriſtus in Levi figuratus, qui ut exemplar ſe proponeret ſacerdotibus docuit veritatem ſine errore, & verbo, & exemplo erudivit omnes credentes, undè bonus ſacerdos primò præmittit exemplarem vitam; deindè documenta ſalutaria, quibus homines infallibiliter trahit ad Deum. *Ser. 1. Dom. 21. poſt Pentec. & ſer. 2. de SS. Doctor. in addit. & in Luc. c. 7. in fine.*

12. Idem argumentum de Sacerdotibus.

Labia enim ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum eſt. Nota illud verbum, *cuſtodient,* ſcilicet primò in ſe ipſis cuſtodiunt ſcientiam, & legem Dei, ipſam obſervantes, & vitam ſanctam ducentes, poſteà alios docentes; undè & parati debent eſſe; non ſolùm Eccleſiaſtica ſacramenta miniſtrare, ſed & difficultates occurrentes ſubditis explanare. *in Luc c. 10. v. 31. & c. 12. v. 42. & c. 14. v. 1. & c. 15. v. 16. & c. 17. v. 24. & c. 17. & c. 24. v. 3. & ſer. 3. Dom. Palm.*

13. Sacerdotes ſunt Angeli Cuſtodes viſibiles deputati à Deo ad regimen hominum.

Angelus enim Domini exercituum eſt: Quomodò de homine dicitur, quòd ſit Angelus? ſed attende ad ſcalam, quam vidit Jacob; *in Gen. c. 28.* in qua Angeli aſcendebant, & deſcendebant; qui erant ipſi viſibiles, per quos ſignificatur, quòd Deus deputavit pro cuſtodia, & regimine hominum non ſolùm Angelos inviſibiles

les,ſed & viſibiles, ſcilicet ſacerdotes, ut ſacramenta conferrent ipſis, & abdita Sacræ ſcripturæ eis panderent tamquam boni nuncii. debent iſti Angeli; ſcilicet Angelica vita præditi aſcendere ſcilicet ad ſublimitatem gradus, & ſimul ad contemplationem, & amorem divinitatis, & deſcendere per ſcalam humilitatis ad docendum populos. *Ser.3. Dom. Palm. & ſer.1. de Rectoribus in addit. & in Ioan. c.2. in fine, & collat.10.*

14. *Sacerdotes mali quàm Deo exoſi, & populis pernicioſi.*

Cum igitur ſuprà expreſſerit munus ſacerdotum: eccè quod de multis ſubdit Deus: *Vos autem receſſiſtis à via, & ſcandalizaſtis plurimos in lege, irritum fecistis pactum Levi; propter quod dedi vos contemptibiles & humiles omnibus populis:* Vide quàm meritò Deus conqueritur de multis ſacerdotibus, qui non ſolùm non ſe oſtendunt Angelos pacis, ſed dæmones, & miniſtros diaboli, qui ſcandalizantes mundum, multorum ruinam ſpiritualem pariunt: cum autem hoc peccatum ſit grave in omnibus maxime tamen in his, quorum vita trahitur in exemplum, ſicut ſunt Prælati, Clerici, Religioſi, & ſacerdotes, qui irritum reddunt pactum Dei, & ideo juſto Dei judicio contemptibiles redduntur omnibus. *in Luc.c.17.v.2 in ſap.c.6.*

15. *Unuſquiſque ſit Angelus cuſtos animæ propriæ.*

Cuſtodite ergo ſpiritum veſtrum, & uxorem adoleſcentiæ tuæ noli deſpicere. Nota, quòd per ſpiritum intelligit ſacer textus animam propriam (licet ad litteram poſſit intelligi de uxore propria, à viro diligenda, & cuſtodienda) anima autem dicitur uxor adoleſcentiæ, quia ſemper copulatur noſtro ſpiritui, & carni; hæc cuſtodienda, ne à lege ſpiritus recedat, ne Deum relinquat pro temporalibus, ſed Deo ſemper unita vivat, & ipſum magnificet toto corde, & ſollicitudine. *In Luc.c.1.v.47. & Gloſſa.*

CAP. III.

16. *Sanctus Ioannes Baptiſta Angelus miſſus ad præparandam viam Domini.*

ECCE *ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam, & ſtatim veniet ad templum dominator, quem vos quæritis, & Angelus Teſtamenti, quem vos vultis:* Certum eſt, & de fide quod hic alluſio fit ad Joannem Baptiſtam qui miſſus fuit veluti Angelus, ideſt nuncius ad præparandum corda hominum, ut dignè reciperetur Chriſtus naſciturus; dicitur igitur Angelus non natura, ſed miniſterio, & vita, qui enim regnum Cœlorum, & divina documenta, ac ejus voluntatem vita, & doctrina nunciant, Angeli ſunt; miſſus ergo eſt ut legatus antè ſummum Pontificem; ut vox ante Verbum; ut lucerna antè ſolem; & ſicut Angelus antè Deum, ad prædicandum, baptizandum, teſtificandum, & demonſtrandum Filium Dei, ſcilicet ejus divinitatem, & humanitatem, & ideo meritò alibi dicitur, magnus, ſcilicet in innocentiſſima puritate; in urgentiſſima auſteritate, & in altiſſima charitate. *In Ioan. c.1 v.6. & collat.5. & 10. & ſer.2. & 3. de S.Ioan. Bapt. in addit. in Luc. c.1. verſ.17. & 76. & c. 3. v. 3. & cap.7. verſ.27.*

17. *Sanctus Pater Franciſcus Angelus miſſus in mundum, ut præpararet corda ad pænitentiam, & antè diem judicii mittendus cum Elia, & Enoch ad præparationem judicii extremi.*

Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam ante faciem meam, &c. Nota etiam, quod myſticè hæc poſſunt dici de Sancto Patre Franciſco, qui verè fuit Angelus non natura, ſed innocentia, & puritate, & officio, qui à Chriſto fuit miſſus, ut homines ad pœnitentiam revocaret, & ut præpararent corda ad Adventum ſpiritualem Chriſti in ſuis cordibus, & ideò Angelus verè pacis dici poteſt, quia ſecundùm imitatoriam ſimilitudinem præcurſoris deſtinatus à Deo, ut viam parans in deſerto altiſſimæ paupertatis tàm exemplo, quàm verbo pœnitentiam prædicaret, undè primùm ſupernæ gratiæ donis fuit præventus, de hinc virtutis invictæ adauctus meritis; prophetali quoquè repletus ſpiritu, necnon & Angelico deputatus officio, incendioque Seraphico totus ignitus, & ut vir Seraphicus curru igneo ſurſum vectus, rationabiliter comprobatur veniſſe in ſpiritu, & virtute Eliæ, & Joannis Baptiſtæ. *Op. Leg. S.Franc. in prol. & ſer.3. de S.Ant. in addit.* Nota etiam, quod In conformitatibus Barthol. Piſanus affert revelationem factam ab Angelo, quod ſanctus Pater Franciſcus eſt Angelus, de quo eſt hic ſermo, qui cum Elia, & Enoch antè tempus Iudicii reſurget, & veniet cum ſacris ſtigmatibus cum multis ex ſuis Fratribus ad prædicandam pœnitentiam, & præparandum corda hominum ad Adventum ſupremi Judicis Chriſti Ieſu, & ut ſe opponat ſimul ſtragibus Antichriſti.

18. *Prædicator, & Doctor verbi Dei eſt Angelus præcurſor Adventus Dei in animam: & quæ via Domino præparanda.*

Ecce ego mittam Angelum meum, qui præparabit viam antè faciem meam: Nota, hæc ſunt verba Chriſti Ieſu, qui ut magnus Dominus, & Princeps Regum terræ, volens venire ad corda noſtra mittit antè ſe præcurſores, ut præparent viam ſuam; & iſti ſunt Angeli, ſcilicet Doctores, & Prædicatores, & Religioſi, qui ut Angeli annuntient documenta divina, & verbo, & exemplo vitæ Angelicæ debent præparare viam Domini; ſed quæ eſt hæc via, quæ præparanda eſt? Via hæc eſt cognitionis in fide, & affectionis in charitate. *In Luc c.1.v.76. & c.9. v.52. & in Ioan. collat.10. & ſer.1. de S.Luca in addit.*

19. *Qualis*

19. *Qualis præparatio facienda ad Adventum Chriſti.*

Qui præparabit viam ante faciem meam. Qualis erit hæc præparatio? præparatio hæc debet fieri ad Adventum Chriſti ad modum viæ materialis: primò per ſordium amotionem, ſecundò per veſtium proſtrationem; tertiò per florum ſuper poſitionem, ſic via ſpiritualis benè præparatur per immunditiæ & fœditatis expulſionem in completa confeſſione peccatorum; ſecundò per laſciviæ carnalis proſtrationem in diſcreta & debita caſtigatione pœnitentiali; tertiò per floridæ caſtitatis ſupererogationem, in pura mentis, & corporis conſervatione *Ser. 1. Dom. 4. Advent. Luc. cap. 1. verſ. 76.*

20. *Chriſti Adventus multiplex expenditur ad templum ſuum.*

Et ſtatim veniet ad templum ſuum dominator, quem vos quæritis, & Angelus Teſtamenti quem vos vultis. Nota hic ad litteram loquitur Propheta de Adventu Meſſiæ, quem antiqui vehementer deſiderabant, ut per ipſum à culpa, & miſeria ſolverentur, cujus Adventus *Abac. c. 2.* per geminatam dictionem expreſſit dicens, *veniens veniet*, ut intelligamus multiplicem Adventum Chriſti celebrari ab Eccleſia; primus autem fuit in ventre virginali per incarnationem, tamquam in proprio templo ſibi ſoli conſecrato; ſecundus in cor humanum, & hic conſequitur per regenerationem baptiſmalem, & per converſionem pœnitentialem; tertius in manu ſacerdotali per conſecrationem ſacramentalem; & quartus erit in judicio univerſali: Eccleſia tamen tempore Adventus ſolemnizat ſpecialiter tres Adventus Chriſti, nempè primum futurum; ſecundum in mente; tertium in carne. *Luc. c. 19. v. 38. ſer. 2. Dom. 4. Advent.*

21. *Solum in templo decenti venit, & recipitur Chriſtus.*

Et ſtatim veniet ad templum ſuum dominator, quem vos quæritis, & Angelus Teſtamenti, quem vos vultis. Cur in templum ſolùm ſe venturum Chriſtus promittit? cur non etiam in domo, in agro, vel alio loco? ſed attende, quòd ſolùm in templo vult recipi Chriſtus, & idcò templum ſolùm eſt præparandum, & ibi ipſum ad exemplum Simeonis recipere in ulnas, & cum laudis divinæ perſolutione: Templum autem eſt cor noſtrum, & anima, in qua vult recipi Chriſtus, ideò debet exornari, veſtiri, donis repleri & ſtatim veniet: Nota autem, quòd in ſcriptura invenitur in templo recepto infantulus quadraginta dierum, juvenculus duodecim annorum, & adultus triginta annorum, ut intelligamus, quod in templo animæ incipientis recipitur infantulus ſcilicet tractabilis; & pro modico placabilis; item in templo animæ proficientis recipitur, ut ipſam faciat creſcere notitia, & gratia; item in templo animæ perfectæ adultus recipitur in cujus intellectu, & affectu magnus eſt, *Luc. c. 2. v. 27. ſer 3. in feſt. purificat. in addit.*

22. *Miracula, & prodigia Adventus Chriſti in carnem, in mentem, in morte, & in judicio extremo expendantur.*

Quis poterit excogitare diem Adventus ejus? & quis ſtabit ad videndum eum? ipſe enim quaſi ignis conflatus, & quaſi herba fullonum, & ſedebit conflans, & emundans argentum, &c. Poſtquam Propheta promiſerat Adventum Chriſti in mundum dicens *ſtatim veniet ad templum ſuum*, ut etiam innoteſcere faciat mirabilia miracula, & prodigia, quæ copulabuntur cum iſto Adventu, ſubdit *quis poterit excogitare diem Adventus ejus; Adventus*, ſcilicet in carnem per incarnationem, quis cogitare poterit plenitudinem ſuæ humilitatis, benignitatis, & charitatis? diem item Adventus in corde, quis cogitare poterit promptitudinem ad juſtificandum? diem item Adventus ejus in morte, quis cogitare poterit ejus incertitudinem, vel certitudinem? diem item judicii finalis, quis poterit cogitare magnitudinem, & poteſtatem Judicis? quaſi dicat Veniet carne indutus, & magis benignitate, humilitate, & charitate, & gratia, ad largiendam veniam peccatorum, ad recipiendum in amicos omnes peccatores, ad ſalvandum, & juſtificandum: Veniet item in cor præparatum promptiſſimus ad habitandum; veniet item in morte, vel in prima, vel in ſecunda, vel in tertia, vel in quarta vigilia; ideò cum ſit talis hora incerta vigilandum eſt perpetuò, ne imparatos nos inveniat; Veniet item in judicio Iudex, imò tamquam fulgur terribilis, oſtendens ſuam magnitudinem, & poteſtatem infinitam. *Ser. 4. Dom. 1. Adv. Luc. c. 3. v. 17. & c. 14. v. 31. & c. 19. v. 38.*

23. *Iudicii extremi terribilitas expenditur.*

Quis poterit cogitare diem Adventus ejus? ſcilicet ad judicium; *ipſe enim quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum, &c.* Nota, quòd in his, & ſequentibus verbis innuit, & oſtendit terribilitatem, & ſeveritatem inexplicabilem Iudicis ſupremi, & judicii finalis: Tanta enim erit Chriſti poteſtas, & ſeveritas, quòd ſicut ignis in conflatorio totum metallum penetrat, nec eſt aliquid, quod non attingat; & ſicut cardo, quæ eſt herba fullonis totum & omnem pannum, & quantumcumque modicum in panno attingit, nec aliquid intactum relinquit; ſic in illo judicio, nihil erit ab homine cogitatum, vel dictum, vel factum, quòd non fiat omnibus manifeſtum, & non ſit ſufficienter punitum; Et tunc Chriſtus exprobrabit impios, in faciem ipſis objiciens ſuum primum Adventum, quandò venit portans ignem è Cœlo charitatis ſuæ, ut ipſos emundaret; ſic ipſis dicet: Ego propter vos factus ſum homo, propter vos alligatus, deluſus, cæſus, crucifixus; ubi tantarum mearum injuriarum fructus? Ecce ſanguis meus, quem pro vobis dedi? ubi eſt ſervitus veſtra, quam pro pretio ſanguinis mihi dediſtis? Ego ſuper gloriam meam vos habui, cum eſſem Deus & vos me omnibus rebus viliorem feciſtis, & viliſſima terræ ampliùs dilexiſtis, quàm me; quid miſeri ad hoc poterunt reſpondere, quid dicere? ô quis poterit cogitare diem Adventus ejus? quis ſeveritatem? quis inflexibi-

lnatem? quis poteſtatem .*Op. Diet.tit.9.c.1.ſer.1. de Evangel. & Luc.c.3. verſ. 17.& cap.19.v.38.& c.15.v.31.*

24. *Ignis conflagrationis ſub diem judicii purgabit juſtos, & torquebit impios: Ubi de igne Purgatorii, & de igne tribulationum hujus vitæ.*

Ipſe quaſi ignis conflans &c. & colabit eos quaſi aurum, & quaſi argentum. Nota, quòd loquens Propheta de Adventu Chriſti ad judicium dicit, quòd colabit filios Levi quaſi aurum,&c.quid eſt hoc? quis iſte ignis conflatorius? ſed transfer mentem ad id, quod dicitur *Pſal.96.Ignis ante ipſum præcedet*, daturquè intelligi, quòd ante Adventum Judicis immittet ignem conflagrationis per univerſum mundum ad purgationem electorum, ut totaliter mundati ſiſtantur in conſpectu Judicis, & ſimul inflammabit in circuitu inimicos, & reprobos, ut ante judicium incipiant pœnam ignis infernalis: undè iſte ignis erit bonis bonus, & proficuus, malis malus, & acerbus: ſic etiam idem facit cum ſuis amicis nunc in Purgatorio exiſtentibus, & etiam in hac vita mortali per ignem tribulationum, illos enim per ignem colat, & purgat ab omni ſcoria peccati, iſtos emundat à culpa vel commiſſa, vel præſervat à committendis, & eos purificat, ut veluti igniti Seraphim ipſi ſerviant in toto corde. *Ser.2. Dom.2.poſt.Epiph.& lib.4.d.47.qu.ult.& op.Eccleſ. Hier.p.1.c.2.*

25. *Qui igne cæleſti incenditur Domino omnia ſua rectè offert; qui igne diabolico diabolo, mundo & carni ſe, & ſua offert.*

Et erunt Domino offerentes ſacrificia in juſtitia; & placebit Domino ſacrificium Iuda, &c. Vide quales effectus ignis à Chriſto è Cœlo allati, ignem enim venit mittere in terram, & in animam; veniens fert ſecum ignem, quo peccata purgat, animamque veluti ſeraphim incendit in Dei amore; & tunc virtute talis ignis Domino offert ſacrificia in juſtitia, grataque, & placita, ſcilicet quidquid boni facit amore Dei, Deo offert dignas oblationes: è contra qui igne diabolico incenditur hic non Chriſto, ſed diabolo offert ſeipſum & ſua; & ſi Deo aliquid, id eſt viliſſimum, diabolo autem offert pretioſa quæque. *Op. Eccleſ.Hier.p.1.c.2.& ſer.2.Dom.5.Pent.*

26. *Non ſolùm creaturæ omnes, ſed & ipſe Chriſtus erit non ſolum Judex, ſed & teſtis irrefragabilis contra reprobos in die judicii.*

Et accedam ad vos in judicio, & ero teſtis velox maleficis, & adulteris & perjuris &c. Quomodo dicit Chriſtus, quòd erit teſtis contra impios ſi ei omne judicium dedit Pater? quomodò ſimul Iudex, & teſtis, ſi hoc vetant leges? hoc vetant leges Imperatorum, ſed in foro Dei non ſic; datquè hic intelligere ſeveritatem in reprobos futuram in die judicii: nam teſtis erit ipſemet Iudex, & ſi ſic, ergo multo magis contra reprobos teſtes erunt omnes creaturæ; accuſabantur enim à ſacris ſcripturis, quibus non crediderunt; à propria conſcientia, contra quam operantur; à pœnitentibus, à juſtis, ab Angelis, & contra ipſos ſtabunt Cœlum, terra, aqua, ſol, luna, dies & noctes, & totus mundus, qui pugnabit pro creatore contra inſenſatos; cum tot teſtibus ergo ſtabit, & iis ſe Chriſtus judex, & ſimul teſtis cum ſacris ſtigmatibus, imò & ipſa peccata, & opera mala reproborum teſtimonium perhibebunt contra præcitos, quid igitur reſpondebunt? qualis confuſio erit in die illa. *Ser.1. & 2.in Dom.infrà oct. Aſcenſ.& Ioan.c.5.in fine & Pſal.118.c.8.v.10.& ſer.4.Dom.2.Adv.*

27. *Dei immutabilitas expenditur ad conſolationem bonorum, & terrorem malorum.*

Ego Dominus, & non mutor, & vos filii Iacob non eſtis conſumpti revertimini ad me, & ego revertar ad vos. Nota ordinem horum verborum; primò ſe Dominum appellat idest Deum; quid ſibi vult hoc nomen? ego Dominus, ſcilicet ipſe Dominus ſimplex eſt natura, neque aliud ipſe, & aliud quod habet, ſed ipſum eſt quod habet, & quod eſt, ideò bene dicit & non mutor, quia in eo nullum accidens advenire poteſt, & non mutatur nec loco, nec tempore, nec affectu quia in natura ejus ira, furor, pœnitentia, oblivio, recordatio & alia his ſimilia ei non poſſunt ineſſe: & hinc ex hac immutabilitate ingeritur conſolatio maxima bonis, & terror malis, quod enim bonis vult, vult immutabiliter ipſis ſic ſtantibus, idem & de malis; & dum addit revertimini ad me, & ego revertar ad vos dat intelligere, quòd licèt non mutetur conſilium Dei, mutatur tamen ſententia ordinata ad nos; undè immutabiliter expectat peccatorem ad pœnitentiam, ut mutetur ejus ſententia, volens tamen immutabiliter iniquos punire: *Op. de incomprehenſibil. Dei.Op.Comp. Theol.lib.1.c.19.op.de Eccleſ. Hier. p.4.c.6.ad finem & in Pſal.5.*

28. *Deus rogat peccatorem, ut ad pœnitentiam ſe convertat.*

Revertimini ad me, & ego revertar ad vos dicit Dominus exercituum. Vide magnam clementiam Dei, & quale deſiderium foveat in pectore, ut ad pœnitentiam attrahat peccatores quantumcumque maximos; nam petit, rogat, requirit, ut ad ipſum revertamur, dum in viis perditionis ab ipſo receſſeramus; undè licèt longè ſit à Deo peccator, tamen Deus ipſum reſpicit per gratiam prævenientem, & vocantem, ut obediendo vocationi ipſum poſſit amplecti per juſtificantem: venite igitur peccatores, & revertimini ad Deum, quia ipſe vos toto deſiderio cordis expectat, ſicut Pater filium prodigum. *Luc.c.15.*

29. *Impii quotidie ſuis peccatis, & crudelitate in pauperes Chriſtum crucifigunt: Ubi de penſione Deo debita pro divitiis collatis, quæ eſt eleemoſyna pauperum.*

Si affligit homo Deum, quia vos configitis me? Nota, quòd Deus inceſſanter conqueritur his verbis cum impiis ipſum configentibus, & crucifigentibus more Judæorum; ſed quomodo Deus poteſt crucifigi; Ecce quomodo; crucifigitur Chriſtus à peccato

peccatoribus ſuis iniquitatibus, quia peccatis ſuis quantum eſt in ſe mortem inferunt in Chriſtum; crucifigitur item in fidelibus, & præcipuè in pauperibus; unde ſicut Saulo dixit, *Saule quid me perſequeris*, ſic & impiis vos me configitis in decimis, & in primitiis, ſcilicet in eleemoſynis debitis Deo, & pauperibus: Et hinc notanda ſunt verba ſequentia textus: *Et in penuria vos maledicti eſtis, & me vos configitis* ſcillicet in pauperibus, &c. quaſi dicat (ait Gloſſa) in pœnam talis immiſericordiæ, Deus immittet ſterilitatem terræ naſcentium, ut intelligamos, quòd ſi aliquando fames, & egeſtas omnium rerum opprimit mundum, hoc ex irâ Dei ſciamus deſcendere, qui in pauperibus ſi eleemoſynas non accipiat, ſe privari affirmat ſua poſſeſſione. *Ser.4.Dom.2. Adv.& in Luc.c.23. v.33.& Gloſſa.*

30. *Fructus ſpirituales ex Chriſto enaſcentes præſervantur à corruptione: fructus enaſcentes ex diabolo ſubjecti vermibus, & corruptioni.*

Et increpabo pro vobis devorantem, & corrumpet fructum terra veſtra, nec erit ſterilis vinea in agro dicit Dominus exercituum: Nota, quòd hæc verba dulciſſima Chriſti connexionem habent cum ſuprà traditis, *revertimini ad me, & ego revertar ad vos*, dans intelligere fructum hujus reverſionis, quaſi dicat ſi pœnitentiam egeritis, ſi præcepta mea obſervaveritis, ego veſtros fructus, ſcilicet opera veſtra, & vos ipſos defendam à verme infernali, & à corruptione, & ſicut ego non mutor, ſic vos immutabiliter præſervabo, & conſervabo vos intactos, integros, & ſanctos; ſi è contra terra cordis veſtri gignet fructus peccati, ecce vermis infernalis ipſos diſſipabit, & corrompet, & cadent in morte, & tandem in ignem Inferni vos ipſi projiciemini. *Ser.2.in Converſ.S.Pauli in addit.*

31 *Impii ſolùm ad remunerationem temporalem reſpiciunt: Iuſti ad æternam.*

Et dixiſtis; vanus eſt qui ſervit Deo: Hæc eſt blaſphemia atrox eorum, qui Dei providentiam negant, vel ſaltem oculum habent tantùm ad remunerationem temporalem, quia exiſtimant omnem ſuum laborem vanum, dum in hac vita temporaliter non præmiantur, ſed juſti ſcientes, quod beati ſunt pauperes, & afflicti pro Chriſto æternam vitam expectant in alia, non attendentes ad hæc tranſitoria. *In Ecclen. c.1. & Vgo, & Gloſſa, &c.*

CAP. IV.

32. *Omnes peccatores ſuperbi, & ad æternam confuſionem in inferno deſtinati à Deo.*

ECCE dies veniet ſuccenſa quaſi caminus: & erunt omnes ſuperbi, & omnes facientes impietatem ſtipula, & inflammabit eos dies veniens, quæ non derelinquet eis radicem, & germen. Nota, quòd in hoc ultimo capite Propheta proponit pœnam malis præparatam, & præmium bonis; & primo loco notat, quod omnes peccatores tanquam ſuperbi in die judicii à Deo confundentur ſicuti in hac vita per patientiam juſtorum tolerantium ipſorum malitias, & perſecutiones fuerunt confuſi & tandem in illa die calamitatis, miſeriæ, & ignis projicientur in caminum ignis torquendi per totam æternitatem. *Pſal.118.c.5.v.14.*

33. *Chriſtus ſol intravit in uterum Virginis, & inde exivit oriens timentibus eum.*

Et orietur vobis timentibus nomen meum ſol juſtitia, & ſanitas in pennis ejus: Hic clariſſimè Propheta prædicit incarnationem Verbi ſub metaphora ſolis, qui in utero Virginis ortus, & conceptus eſt, & ibi latuit novem menſibus, & inde exivit oriens ut ſol timentibus Deum, hujus ſolis calor eſt amor, qui impulit ipſum ad incarnandum, & ad exponendum ſe in Nativitate mundo, afferens calorem, & lucem veritatis per fidem; & ſanitatem infirmitatibus noſtris. *Ser.3.in Vigil.Nativ.& ſer.5. in Nativ. & ſerm.3. Dom.2 poſt oct.Epiph.& ſer.2.de uno Doct.& ſer.2. in Annunt.B.Virg.in addit.& ſer.17.Hexam. & in Ecclen.c.11 & in ſeq. c.5. & in Luc. c.1. v.78 & c.2.v.40.& in Ioan.c.8 ad finem & lib.2.d.26. a.1. qu.2. & op. Comp. Theol.lib.7. c.28.* ubi notat; quod in Cœlo corpus Chriſti erit veluti ſol lucidiſſimus in comparatione ſtellarum.

34. *Chriſtus ſol fons lucis dicitur, quaſi Sol juſtitiæ, omnibus emittens influentiam lucis gratiæ creatæ.*

Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol juſtitia. Cur ſoli comparatur Chriſtus Jeſus? & cur dicitur Sol juſtitiæ, & non potius Sol lucidus, cum juſtitia ſit qualitas tantùm competens ſubjecto capaci virtutis ſpiritualis? ſed attendo ad myſterium; rectè dicitur Chriſtus Sol, & Sol juſtitiæ, ſcilicet gratiæ; quæ eſt principium, & origo juſtitiæ, & juſtificationis animæ: & per hoc datur intelligi; quòd gratia non eſt quid increatum, ſcilicet ipſe Spiritus ſanctus ſed qualitas creata informans, & juſtificans animam; ſicut enim ab iſto ſole materiali influitur lumen in aëre, per quod aer formaliter illuminatur, ſic à Chriſto fonte gratiarum influitur lumen ſpirituale, quod eſt gratia; emittitur in animam; quod ipſam formaliter illuminat, aſſimilat Deo, & reformat; & gratificat, & vivificat: dicitur etiam Sol Juſtitiæ, quia juſtè omnibus ſine exceptione extenditur timentibus Deum. *Lib.2.d.26 a.1.qu.2.*

35. *Qui in hac vita non ſaltant ad cantum, & ſonum tibicinum Chriſti, in alia vita calcabuntur, & conculcabuntur à ſanctis.*

Egrediemini, & ſalietis ſicut vituli de armento; & calcabitis impios cum fuerint cinis ſub planta pedum veſtrorum in die qua ego facio: Egrediemini, & ſalietis; & ſaltabitis ſicut vituli de vinculis relaxati, legunt ſeptuaginta, & Hebræus: Nota, quod hæc verba diriguntur à Deo timentibus nomen ſuum; ſed qualis eſt hæc promiſſio?

quale præmium bonorum operum eſt hæc promiſſa ſaltatio ad modum vitulorum; metaphorica eſt hæc locutio, quâ Deus dat intelligere, quod ſicut ad relaxationem è vinculis vituli, & ad præceptum cuſtodis ſaltant inceſſanter præ gaudio, ità juſti, qui timuerunt in hac vita Deum, qui ad cantum,& ſonum tibicinum, ſcilicet Prædicatorum, & Prælatorum ſaltaverunt, & ſalierunt in altum per profectum, & progreſſum ſpiritualem de virtute in virtutem, etiam egredientes de carcere hujus vitæ ſalient ad cœlum, & calcabunt ſuis pedibus omnes reprobos, qui ſimili modo in hac vitâ noluerunt ſaltare, & ſic juſto Dei permittente judicio conculcabuntur non ſolùm pedibus dæmonum, ſed & impiorum beatorum in judicio, ſcilicet contemnentur, & deridebuntur. *In Luc. c.7. v.31. & in ſap.c.3.& in Thren.c.3.*

36. *Conculcatio reproborum iterum expenditur.*

Et calcabitis impios cum fuerint cinis ſub planta pedum veſtrorum in die, qua ego facio, dicit Dominus exercituum: Nota, quod hic Deus per Prophetam exprimit miſeriam damnatorum, & reproborum, & è contra lætitiam juſtorum, dum de iſtis dicit ſalietis, &c. ideſt lætabimini non ſolùm de gloriâ veſtrâ, ſed & de damnatione iniquorum ad gloriam juſtitiæ divinæ, de iniquis dicit, quod calcabuntur, ſcilicet & in hac vitâ in corporibus à tranſeuntibus, & in animabus in inferno à dæmonibus,& in judicio ſimul, & corpora, & animæ, conculcabuntur à ſanctis triumphantibus, & ſimul etiam à Chriſto judice, & tunc mendicus Lazarus triumphabit de divite damnato; ſic & martyres de perſecutoribus Tyrannis, & conculcabuntur impii, & deridebuntur ab iis, quos in hac vita conculcaverant. *Ser.1.Dom.9.Pent.in ſap. cap.3.& in Thren. cap.3.*

37. *Sicut ante prædicationem ſuam Chriſtus premiſit Ioannem Præcurſorem, ut præpararet corda hominum ad ſuſcipiendam prædicationem Evangelii;* ſic antè judicium univerſale præcedere faciet Eliam, ut convertat corda Judæorum ad Chriſtum, ut fiat unum ovile, & unus Paſtor, undè totus mundus tunc credet in Chriſtum, & qui non convertentur anathemate eos feriet æternæ damnationis gladio; ſic expreſsè hic per Prophetam promiſſio fit Judæis dicentem: *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis: & convertet cor Patrum ad filios. & cor filiorum ad Patres eorum; ne fortè veniam, & percutiam terram anathemate:* O utinam convertat Deus corda noſtra virtute verborum ſuorum ad cor ſuum, ut unum cum ipſo fiamus, & in æternum ſic uniti maneamus. *in Luc.c.1.v.7.& c.9.v.19.in Ioan.cap.1. v.22.& in Luc.c.7.v.22.*

Explicit poſtilla S. Bonavent. in Malachiam ad gloriam Domini noſtri Ieſu Chriſti, &c.

EXPO

EXPOSITIO SERAPHICI DOCTORIS S. BONAVENTURÆ IN LIBRUM PRIMUM MACHABÆORUM.

PROLOGUS.

PRIMO nota, quod licet iſti libri apud Hebræos non ſint inter canonicos adnumerati, in Eccleſia tamen Catholica recepti ſunt, licet eorum Author ignoretur, & quia in ipſis agitur de bellis, & victoriis, & laudibus victoriarum ad litteram, per quæ bella ſpiritualia, & iuſtorum victoriæ ſignificantur, & ideò in ipſis præfiguratur Chriſtus, ut exemplar conſtantiæ, quam docuit, & quam tribuit ſanctis ſuis. *Op. Principium Sacræ ſcripturæ.*

CAPUT PRIMUM.

1. *Gloriæ mundanæ vanitas, & fugacitas qualis.*

ET factum eſt poſtquam percuſſit Alexander Philippi Rex Macedo, qui primus regnavit in Græcia, egreſſus de terra Cethim, Darium Regem Perſarum, & Medorum, conſtituit prælia multa, & obtinuit omnium munitiones, &c. & ſiluit terra in conſpectu ejus, &c. & exaltatum eſt, &c. poſt hæc decidit in lectum, & cognovit, quia moreretur: Nota, quod non ſine maximo myſterio ſacra Scriptura proponit magnitudinem, potentiam, divitias, & regna Alexandri magni, & tandem ipſum deſcribit in lectulo jacentem infirmum, & morti proximum, ex quo cognovit ſe non eſſe Deum, ſicuti ſe crediderat ſuperbia elatus ob tot victorias, & triumphos de tot potentatibus reportatos, & ideo in lecto jacens infirmitatibus aggravatus, & morti proximus cognovit ſe hominem ſimilem cæteris hominibus, ſubjectum caſibus, & miſeriis hujus vitæ, ut hinc ediſcamus, quod mundana gloria quantumcumque grandis, ut tanta oſtenſa eſt in tanto, & famoſo, & belligero, & triumphatore Rege, nihil aliud eſt, niſi putridum lignum de nocte lucens, ſi ſtercus viliſſimum, & fugaciſſima pariter vanitas, veluti fumus, qui quantò plus in altum ſe erigit, tantò ſemper plus deficit, donec penitus evaneſcat: Ubi eſt ergo gloria Alexandri, & tot aliorum potentatuum? omnes iſti perierunt, & ad inferos deſcenderunt, & alii in loco illorum ſurrexerunt; ad quid igitur hanc vanitatem appetimus, & non potius ad veram gloriam Chriſti, & æternam adſpiramus. *Sermon. 1. de S. Andrea; & ſerm. 4. de uno Confeſſore.*

2. *Diviſio cauſa ruinæ.*

Et diviſit illis regnum ſuum, &c. & multiplicata ſunt mala in terra: Vide, qua conſequentia infertur multiplicatio malorum in terra, nempè ex diviſione regni Alexandri in varias partes, & reges, regnanteſque, quia ſic ſic eſt, diviſio eſt cauſa interitus, & ruinæ, affertque omnia mala: ſicut è contra unio, & unitas cauſa omnis boni; hinc in diviſione dierum Sacra ſcriptura *Gen. c. 1.* omnibus diebus tribuit ſuam laudem, & benedictionem dicens, & vidit Deus, quod eſſet bonum, exceptâ ſecundâ die, quia binarius deſtruit unitatem, & principium eſt diviſionis. *In Luc. c. 11. verſ. 14. & ſerm. 2. de Apoſtol. & lib. 2. d. 14. p. 1. dub. 3.*

3. *Ambitionis, & ſcandali mala expenduntur.*

Et obtinuerunt pueri ejus regnum, & impoſuerunt ſibi omnes diademata, &c. & multiplicata ſunt mala in terra. Vide iterum unde orta ſunt tot mala in terra, non ſolum ex diviſione, ſed magis tamquam ex mala radice ex ambitione regnandi, ex quâ poſteà prodierunt infinita ſcandala ſuper terram; undè verè ambitio radix eſt iniquitatis, ſubtile malum, ſecretum virus, peſtis occulta, doli artifex, mater hypocriſis, livoris parens, vitiorum origo, criminum fomes, virtutum ærugo, tinea ſanctitatis, excæcatrix cordium, & tandem ruina mundi, & deſtructio Eccleſiæ. *Op. Phar. lib. 1. c. 24. ſer. 2. ſeptuag. & Pſalm. 118. cap. 5. verſ. 5.*

4. *Radix peccatrix Tyrannicè dominans mundum eſt avaritia, & amor pecuniæ: Ubi de damnis cupidi Prælati.*

Et exiit ex eis radix peccatrix, Antiochus illuſtris filius Antiochi Regis, &c. in diebus illis exierunt filii Iſraël iniqui, &c. Cur appellatur iſte Rex Antiochus radix peccatrix; ſcilicet radix gignens omnia ſcelera; ſed ecce myſterium: Antiochus interpretatur ſilentium paupertatis, ſeu inimicus paupertatis, ſignificatque id, quod paupertati ſpiritus Chriſti contrarium eſt, nempè hominem cupidum pecuniæ avarumque, & ſicut ex Antiocho proceſſerunt innumera mala, & ſcelera, ſic ex cupiditate pecuniæ, & avaritiâ omnia ferè mala gignuntur, quod maximè ſuccedit in Prælatis cupidis, avariſque: & hæc eſt cauſa, quare Seraphicus Pater ſanctus Franciſcus in ſua regula tam firmiter prohibuit ſuis fratribus contrectationem pecuniæ. *Op. Expoſ. Regul. c. 4. in fine: & ſer. 24 Pentec.*

5. *Cur Deus permittit malos inter bonos, etiam in Religionibus ſanctioribus, & quando ſint à ſocietate bonorum eliminandi.*

In diebus illis exierunt ex Iſraël filii iniqui, & ſuaſerunt multis dicentes; eamus, & diſponamus teſtamentum cum gentibus. Si iſti impii exierunt ex Iſraël, ergo erant Iſraëlitæ Deum colentes; quomodò exierunt? exierunt de ſocietate bonorum, & in pravos mores Gentilium ceciderunt; ut videas, quod etiam inter bonos miſcentur mali, etiam in Religionibus ſanctiſſimis; & hoc Deo permittente ob altiſſimos fines; nam ſicut in conventu Angelorum antè confirmationem, & in ordine Apoſtolorum ſob magiſterio Chriſti reperta ſit pravitas: quis ordo bonorum in terra audeat ſibi arrogare hanc prærogativam, quod peccatum in eo non ſit? quia & ſi plurimi per Dei gratiam immunes ibi ſint, non tamen omnes; *vos mundi eſtis ſed non omnes*, ait ſuis diſcipulis Chriſtus *Joan. c. 13.* Hoc autem bonis expedit, & hoc ut mali ſint eis majoris meriti occaſio, quibus compatiantur in malis ſuis, contrà quos zelus eorum inardeſcat, quos corrigere laborent, quibus fieri ſimiles pertimeſcant, qui eis ſint tentationis materia, à quibus etiam perſecutiones ſuſtineant, & ex quorum conſideratione confuſi humilientur, quia tales non ſunt ad nonneantur gratiarum actionis ei, qui cuſtodit eos, ne tales efficiantur, ſi ergò bonis deeſſent prædictarum virtutum occaſiones, merita ipſorum tantò fierent etiam minora; dicente Paolo Apoſtolo *Gal. c. 6. quæ ſeminaverit homo, hæc & metet;* nec tamen diligendi ſunt mali, ſeu fovendi, ſed tolerandi, maximè quorum occulta ſunt mala, & alios non inficiunt, & eſt ſpes de converſione eorum; ubi autem iſta defecerint, ibi ſine gravi detrimento ſuſtineri, non poſſunt, & ideo eliminandi ſunt è conſortio bonorum, ne putetur eorum pravitas bonis placere; & interim etiam dum tolerantur puniendi ſunt ſtimulis admonitionum, correctionum, confuſionum, & caſtigationum, augendi etiam ſunt fomentis exhortationum, conſolationum, orationum, & promiſſionum, ſi fortè convaleſcant de infirmitate, & fortes fiant. *Op. de ſex alis Seraph. c. 3. op. Determin. ſuper Reg. q. 4. 16. 17. & 19.*

6. *Mali ſunt extrà Eccleſiam veluti excommunicati.*

Exierunt ex Iſraël filii iniqui, &c. Quid eſt exierunt ex Iſraël, niſi ex Eccleſia? licet enim Eccleſia, & Religio contineat bonos, & malos materialiter, tamen mali poſſunt dici extrà Eccleſiam, quia peccatum mortale eſt veluti excommunicatio, quæ ſeparat ab Eccleſia malos; unde dicebat Origenes, quòd Excommunicatio alia eſt, quæ fit in foro Eccleſiæ, & eſt publica; alia in foro conſcientiæ, quæ fit ob peccatum mortale, quia privantur tales communibus ſuffragiis Eccleſiæ, participatione Sacramentorum, & conſortio ſanctorum; Unde peccatum mortale ponit animam in ſtabulo diaboli, & ligatur à diabolo in collo, pedibus, manibus, & lingua. *in Pſal. 8. ſer. 1. feria 3. Paſcha, & ſer. 3. Dom. 11. Pent.*

7. *Clericorum, & Religioſorum mala exempla quàm perniciosa, ſunt enim veluti prædones Eccleſiæ.*

Exierunt ex Iſraël filii iniqui, &c. Si ex Iſraël erant iſti iniqui, ergò erant Deo dicati, ejuſque cultui addicti, & per hoc ſignificatur, quod ſicut iſti iniqui fuerunt in cauſa deſolationis civitatis, & multarum abominationum contrà legem Dei; ſic & Clerici, Religioſique iniqui ſunt veluti prædones Eccleſiæ, ipſam per mala opera, & mala exempla devaſtantes, & excidium afferunt populorum, & civitatum. *in Thren. c. 1. & c. 4.*

8. *Quàm pernicioſa malorum ſocietas ubiquè ſed maximè in Religionibus.*

Exierunt ex Iſraël filii iniqui, & ſuaſerunt multis, &c. Ecce origo ruinæ totius populi Iſraël, nempè ſocietas malorum, qui ſuaſerunt multis tranſitum ad Gentilium ſuperſtitiones: ut videas quod ſemper ubiquè pernicioſiſſima eſt ſocietas malorum, ſed præcipuè in Religionibus, iſti enim cauſa ſunt omnium tranſgreſſionum Regulæ, & rituum antiquorum. *Ser. 3. Dom. 3. poſt oct. Epiph. & op. Determ. ſuper Regul. q. 19. in Luc. c. 22. v. 55. c. 23. v. 11.*

9. *Religioſi quærentes converſationem ſæcularium ruina Religionum.*

Exierunt ex Iſraël filii iniqui, & ſuaſerunt multis, &c. Si exierunt undè? & quo perrexerunt? exierunt ex converſatione, & contubernio bonorum, & ad ſæcularia tranſierunt; iſtique ſunt Religioſi, qui nauſeantes vitam ſolitariam bonorum, & exercitia ſpiritualia, tranſeunt ad converſationem ſæcularium, & ſe occupantes in rebus temporalibus, quæ corda diſtrahunt, affectum devotionis extinguunt, mores alterant, interius occaſiones vitiorum inducunt, ſubintrare faciunt non bonas, & malas conſuetudines, aliis ſunt in ſcandalum, & ideò Religiones vituperantur ab iſtis impiis, & infinita mala introducuntur in Religionibus. *Op. Determin. q. 19.*

10. *Religio eſt ſchola virtutum, & væ illis, qui ipſam reddunt ſcholam vitiorum.*

Et dedit illis poteſtatem, ut facerent juſtitiam gentium, & ædificaverunt gymnaſium in Ieroſolymis ſecundum leges Nationum, & receſſerunt à teſtamento ſancto, &c. Vide ad qualem perverſitatem præcipitati ſunt iſti impii ædificantes gymnaſium diaboli in civitate Jeruſalem, ubi priùs vigebat cultus Dei; gymnaſium hoc erat locus, ubi exercebantur juvenes vel in litteris, vel in ludis, vel in aliis exercitiis; impii verò inſtituerunt gymnaſium diaboli, & gentilium, in quo juventus ſe exercebat in impuritatibus; hinc moraliter ediſcamus, quod Religio figurata in Jeruſalem eſt ſchola virtutum, in qua omnes, ſed præcipuè juventus ſe exercet in Dei obſequio in laudibus divinis, in ſui mortificatione, in obedientia, & in cæteris virtutibus; væ igitur illis, qui tale gymnaſium Chriſti, in diaboli gymnaſium convertunt, diſcedentes ab antiquorum ſtatutis, & obſervantiis virtutis emittam abhorrentes, in mores potius ſæculares deducuntur. *Op. Determin. q. 19. & op. de Prof. Religioſ. lib. 2. c. 52. op. Diæt. tit. 4. c. 2. & op. de ſex alis Seraph. c. 7. & op. de Inform. Novit. p. 2. c. 2.*

11. *Diabolus intrat in animam per portam cupiditatis, & ſuperbiæ.*

Et Rex aſcendit Ieroſolymam in multitudine gravi, & intravit in ſanctificationem cum ſuperbia, & accepit altare aureum, &c. Ecce porta, per quam Antiochus intravit in Jeruſalem cum exercitibus ſuis, eamque devaſtavit, ſimulque prophanavit templum, & omnia ſacra, & ſuper omnia primo loco ſurripuit altare aureum; nempè per ſuperbiam, & cupiditatem, & auri famem; quia Antiochus, ut ſuprà dictum eſt, interpretatur ſilentium paupertatis, ideò ſignificatur, quod rejiciens Religioſus à ſe paupertatem, quam promiſit, recipiendo, & poſſidendo bona terrena, & deſerens paupertatem ſpiritus per ſuperbiam, & elationem ſui, iſte aperit portam diabolo, in cujus poſſeſſionem, & exercitum ejus ſe transfert; & hoc eſt poſteà, quod & Religionem, & Clericatus ordinem vileſcere facit apud Deum, & homines, ô quot mala ex tam perverſa radice; nec hoc mirum, cum paupertatem collocaverit Chriſtus pro fundamento primario totius fabricæ religioſæ. *Op. expoſ. Regul. c. 4. in fine: & in Luc. c. 8. v. 31. & c. 14. v. 33.*

12. *Feſtivitatum celebratio aliis in deriſum, aliis in honorem eſt.*

Sanctificatio Ieruſalem deſolata eſt ſicut ſolitudo, dies feſti ejus converſi ſunt in luctum, ſabbatha ejus in opprobrium honores ejus in nihilum. Nota, quod inter alias calamitates Jeruſalem illatas ab Antiocho hæc fuit maxima, dum templo prophanato abſtulit facultatem Iſraëlitis celebrandi feſta, & offerendi ſacrificia Deo vero & ideo ſolemnitates ejus converſæ ſunt in opprobrium: myſticè hæc eadem dicuntur de iis Chriſtianis, qui prophanantes dies feſtos peccatis incumbunt, & Eccleſias deſertas relinquunt, vel ſi ad feſtum celebrandum conveniunt, hoc ſolùm faciunt opere exteriori, non cultu interiori permanentes in ſuis ſordibus; iſtis feſta redundant in opprobrium, quia talis celebratio deridetur à diabolo, ſicut ex oppoſito illis, qui & opere exteriori, & interiori ea celebrant, redundant in honorem, & in meriti maximum lucrum. *in Thren. c. 1.*

13. *Paſtor malus Idolum eſt deſolationis Eccleſiam Dei deſtruens.*

Ædificavit Rex Antiochus abominandum Idolum deſolationis ſuper altare Dei, & per univerſas civitates Iudæ in circuitu ædificaverunt aras. Cur appellatur hoc Idolum abominandum deſolationis? Nota hoc fuit ſcelus omnium graviſſimum ab impio Tyranno commiſſum, dum in templo ſuper Altare collocavit Idolum, & ibi quotidie juſſit offerri porcos, ex quo dilatata eſt hæc prophanatio ad alias civitates Iudeæ: ſed myſticè an Gloſſa datur nobis intelligi per hoc Idolum poſitum in Altari, ideſt in ſublimitate Prælatus qui ſuaſu diaboli, & perverſis artibus in Prælaturam collocatur, nam verè eſt Idolum; habens quidem ſpeciem Prælaturæ, ſed non veritatem; dicitur autem Idolum deſolationis quia cauſa ipſius deſolatur omnis cultus Dei, & ex ipſius exemplo malo ſubditi peſſimi fiunt: ô caveat Deus tantum malum in Eccleſia; *Sic Gloſſa: Vide op. Pastor. lib. 1. c. 12. & op. de ſex alis Seraph. per totum & in Ioan. collat. 90.*

CAP. II.

14. *Prælatus ad exemplum Chriſti debet eſſe ſecundùm diverſitatem opportunitatis agnus, & leo; & zelo commoveri pro lege Dei videns mala in ſubditis.*

Et ſurrexit Mathathias, & dixit, væ mihi, ut quid natus ſum videre contritionem populi mei, & ſancta in manus exterorum, &c. & ſciderunt veſtimenta ſua, & filii ejus, & planxerunt, &c. Nota quod Deus in tempore opportuno providit hunc Sacerdotem, & ducem populi, ut zelo zelaret ſanctas leges Dei, & liberaret ſimul cum filiis populum, & civitatem: myſticè autem figurabat Chriſtum, & quemcumque alium Prælatum à Deo populis datum: Mathathias enim interpretatur à Deo datus, vel donum Dei; & ſicut ille ex pietate veluti agnus compatiens tot calamitatibus ſuorum inceſſanter plangebat: attamen ſe veluti Leonem oſtendit arma arripiens cum ſuis ſequacibus, ut eriperet populum à tot miſeriis, & vindicaret ſe de hoſtibus Dei: ſic & Prælatus à Deo datus duo hæc habeat, ſcilicet manſuetudinem, pietatemque ut agnus, & ſimul fortitudinem, & zelum, ut Leo, nam pietas ipſum commovebit ad compatiendum afflictis, & Zelus ipſum armabit contrà vitia; per primum ſe oſtendit Patrem; per ſecundum judicem, & vindicatorem Dei offenſatum. *Serm. 5. Hexam. & in Eccleſ. c. 4. & Pſal. 118. c. 4. v. 6. & op. de ſex alis Seraph. c. 4. & ſeq. & ſerm. 4. Dom. 4. Pentec.*

15. Diabolus,

15. *Diabolus, & ejus miniſtri ſe transfigurant in Angelos lucis, ut ſecuriùs decipiant.*

Et venerunt illuc, qui miſſi erant à Rege Antiocho, ut cogerent eos, qui confugerant in civitatem Modin immolare, & accendere thura & à lege Dei diſcedere; & reſpondentes, qui miſſi erant dixerunt Mathathiæ: Princeps, & clariſſimus, & magnus es in hac civitate & ornatus filiis, & fratribus; ergo accede prior, & fac juſſum Regis, &c. O quàm benè, vel potius peſſimè adimpleverunt munus ſuum illi impiiſſimi miniſtri Regis ſceleratiſſimi, intendentes inducere hunc ſanctum virum, & filios, & fratres ad Idololatriam; & nota ait Gloſſa modum: *Princeps, & clariſſimus & magnus es in hac civitate, &c.* ſicque intendebant per adulationem, & recordationem ſuæ nobilitatis, & potentiæ eos decipere: ſic facit diabolus, qui non valens per apertas tentationes ſervos Dei dejicere in peccata, per quandam adulationem quærit eos ſubvertere infigendo eorum memoriæ ſua merita; ſic Gloſſa: Vide igitur fraudulentiam Dæmonis, qui ſervis Dei bonis non ſe offert in ſua figura tentando eos apertè de immunditiis, ſed ſub ſpecie boni Angeli: ſicque primò ſola bona proponit, poſtea mixta malis, tandem falſa bona, ſed vera mala, & poſtremo cum irretierit eos, & illaqueaverit inſolubiliter apertè caput venenatum erigit, & in aperta peccata eos dejicit, ſicut ſcorpio, qui blandam faciem habet, ſed caudam venenatam qua occidit; ô quot, ô quot ſervi Dei fuerunt decepti tali modo. *Vide op. de Profect. Relig. lib. 2. cap. 5. & in Collation. Patrum.*

16. *Judex & Prælatus propter Zelum Dei, & juſtitiæ non reſpiciat ad faciem cujuſcumque.*

Et ut ceſſavit loqui, acceſſit quidam Iudæus in omnium oculis ſacrificare Idolis &c. & vidit Mathathias, & doluit, &c. & accenſus eſt furor ejus ſecundùm judicium legis, & inſiliens trucidavit eum ſuper aram, & virum, quem miſerat Antiochus &c. & Zelatus eſt legem. Ecce exemplar perfectiſſimum Prælati verè Zelantis legem Dei in perſona Mathathiæ, qui cum conſtanter recuſaſſet obedire præceptis impii Regis, videns Judæum idololatrantem publicè trucidavit eum, & ipſum miniſtrum Regis, hoc attendant Prælati, & diſcant ſe teneri vindicare peccata maximè publica, & punire peccatores non ex odio perſonæ, ſed ex amore juſtitiæ & relevare oppreſſos, & punire opprimentes ſine acceptione perſonarum. *Luc. c. 18. v. 5.*

17. *Propter Zelum veritatis ſectandæ, & prædicandæ relinquenda ſunt omnia & nihil pavendum.*

Et exclamavit Mathathias voce magna in civitate &c. omnis, qui Zelum habet legis ſtatuens teſtamentum exeat poſt me; & fugit ipſe, & filii ejus in montes, & reliquerunt quæcumque habebant in civitate. Vide hìc diſcrimen inter amatores temporalium, & Zelatores veritatis; nam Mathathias, & filii ejus, & alii ſequaces Zelo divinæ legis, & veritatis ducti, ne inficerentur in cupiditatibus mundanis. relinquentes omnia, armati ſcuto paupertatis fugerunt ad montes, glorioſiùs reputantes illi beati viri cum veritate dejici, quàm magnificari cum falſitate; ô quàm glorioſum eſt mori pro veritate, quæ & ſi non convertat audientem, coronat tamen prædicantem: ô Deus utinam hodie eſſent multi Mathathiæ, & Apoſtoli, qui non tacerent veritatem Principibus, & Prælatis. *Ser. 4. Dom. 4 Pent.*

18. *Qui vult perfectè vincere mundum, & diabolum fugiat contubernia hominum*

Tunc deſcenderunt multi quærentes judicium & juſtitiam, in deſertum, & ſederunt ibi &c. Sed quomodò ad deſertum ſecedunt, & non potiùs ad urbes ad quærendum judicium, & juſtitiam, in quibus reſident Judices? ſed optimè hoc ſtat; videbant, quòd in urbibus, & in converſatione hominum ſolùm occaſiones peccati ſibi occurrebant, ideò ut perfectè triumpharent de hoſtibus, & de mundo ad deſertum incedebant, quia qui vult Deo perfectè ſervire fugiat homines, ad deſertum ſe conferat, ſedeat ibi & cum Deo in judicio, & juſtitia tractet. *Luc. c. 1. ad finem.*

19. *Ignavia multorum poſt perceptam gratiam fidei, vel Religionis, & eorum, qui Zelum Dei habent ſine ſcientia notatur.*

Et conſtituerunt cum eis prælium in die ſabbathi, &c. Hic narratur, quòd multi in deſertum reducti propter Zelum legis, & obſeſſi ab hoſtibus in die ſabbathi, propter Zelum obſervantiæ talis diei feſti noluerunt ſe defendere, ſed ſe occidi omnes permiſerunt, & quia talis Zelus Deo non placet, quia eſt ſine ſcientia, & conſilio, ideò per hoc ait Gloſſa ſignificantur tum illi, qui Zelum Dei quidem habent, ſed non ſecundùm ſcientiam, & ordinem charitatis; item & illi, qui poſt perceptam Dei gratiam fidei, vel vocationis religioſæ deſidioſè vivunt, credentes eis ſufficere intrare in deſertum, abſque eo quòd arma arripiant, & pugnent viriliter contra diabolum & mundum; nam iſti citò, & facile à tentationibus, & diabolo dejiciuntur, & decipiuntur. ſi, Gloſſa: *de hac materia vide op. de ſex alis Seraph. c. 1. ad 3. & Pſal. 118. c. 6. v. 15.*

20. *Servi Dei in pugna ſpirituali numquam feſtum, vel quietem habeant, ut ſemper feſtum, & quietem poſſideant.*

Et intulerunt illis bellum ſabbathis, & mortui ſunt, &c. Nota; quòd hic nobis exhibetur pulcherrimum documentum; quia enim iſti ut celebrarent feſtum noluerunt pugnare, ideo omnes occiſi ſunt; per hoc addiſcere debent ſervi Dei ſi volunt ſemper habere feſtum, quod numquam debent habere feſtum, & ceſſare à pugna cum diabolo; & ſi enim aliquando videtur ceſſare à tentando, hoc non eſt clementiæ, vel laſſitudinis ſed fraudis, ut nos in otio inveniens faciliùs trucidet, & vincat. *Op. de profect. Relig. lib. 2. c. 56.*

21. *Chriſti*

21. *Chriſti oſtenſio in cruce patientis ad pugnam excitare debet ſuos milites pro zelo legis divinæ.*

Et appropinquaverunt dies Mathathiæ moriendi, & dixit filiis ſuis, &c. nunc ergo filii æmulatores eſtote legis, & date animas veſtras pro teſtamento patrum veſtrorum, &c. Nota, quod iſte magnus vir propinquus morti fecit ſuum teſtamentum, & in eo inculcavit filiis ſuis imitationem, nempè zelum legis, & ut eſſent parati ad dandum ſeipſos, & vitam pro conſervando cultu Dei, & templi, & quia figurabat Chriſtum, ideò voluit oſtendi continuè ſuis fidelibus pendens in cruce, & veluti propinquus morti, ut ipſum videntes Chriſtiani accendantur ad ſui imitationem, & accendatur in eis zelus pro conſervando cultu divino, & reverentia debita ſuæ domui & ut poſtponant omnia ſua, etiam vitam ad hoc obtinendum; hinc è cruce ad animandos ſuos milites inclamat inceſſanter: Nunc ô filii eſtote æmulatores legis, & date animas veſtras pro teſtamento patris veſtri. *Ser. 4. de una Virgin. & in Ioan. c. 2. v. 17.*

22. *Sanctorum vita, & exempla proponuntur in Eccleſia ad excitationem, & imitationem.*

Abraham nonne in tentatione inventus eſt fidelis, &c. Ioſeph. &c. Phinees, &c. David, &c. Elias, &c. Vide quomodo ad excitandum zelum, & imprimendum virtutis ſtudium in pectore filiorum, Mathathias proponit exempla ſanctorum Patrum, quia eorum exempla ſunt efficaciſſima ad hunc finem, ideò ab Eccleſia celebrantur facta egregia ſanctorum, qui nos præceſſerunt, ut ſtimulum ad virtutem in nobis excitent, & ad ipſorum imitationem provocemur; & hinc eſt, quod Eccleſia celebrat feſta diverſorum ſanctorum, ut fideles excitentur non tantùm ad ipſos collaudandos, ſed magis ad ipſorum imitationem, tamquam in ſpeculo nobis propoſito, ut hinc ab uno addiſcamus virtutem humilitatis, ab alio conſtantiæ, & fortitudinis, ab alio patientiam, ab alio puritatem, ut tandem ad ipſorum ſocietatem pervenire poſſimus. *In Luc. c. 10. v. 4. & ſer. 4. Dom. ſeptuag. & ſer. 4. Dom. 18. Pentecoſt. & ſer. 11. in Pentecoſt. in Thren. c. 1.*

23. *Opera miſericordiæ, quàm largiter remunerentur à Deo in hac, & alia vita.*

David in ſua miſericordia conſecutus eſt ſedem regni in ſæcula. Nota, quod dum Mathathias proponeret filiis varia exempla virtutum ſanctorum Patriarcharum, & remunerationem ab ipſis à Deo conſecutam memorat ſpeciali modo miſericordiam David, & adeptionem ſedis regni in hac, & alia vita; ut hinc ediſcamus, quod miſericordiæ opera à Deo remunerantur, & hic, & in Cœlo; & non ſolùm temporaliter per adeptionem gratiæ in præſenti, & etiam multorum bonorum temporalium, ſed & pro tempore mortis per adeptionem fiduciæ quia ſola miſericordia comes eſt defunctorum, & item per adeptionem remiſſionis in judicio, quia qualem miſericordiam proximo impenderis, talem à Chriſto in morte, & in judicio receperis, & tandem miſericordia facit hominem regem in Cœlo, ſicut David per ipſam ſedem regni accepit in ſæcula; quis igitur eſt, qui non emeret coronam imperii pro uno denario? certè melius ferrum habemus de corona æterna; quam acquirere poſſumus pro bona voluntate, ſi aliud non habemus; quam etiam ſi mille marchas auri, pro ipſa corona imperii expenderemus in opera miſericordiæ; incomparabiliter enim plus valet corona gloriæ, quam omnes coronæ, & denarii totius mundi; hæc autem per miſericordiam comparatur; ô quanta beatitudo, & felicitas pro parvis magna recipere, æterna pro brevibus, pro perituris ſemper viventia, & habere Deum debitorem. *Ser. 2. Dom. 1. poſt oct. Pentec. & ſerm. 3. Dom. 12. Pentecoſt.*

24. *Iuſti non ceſſant benefacere ob obloquentium murmurationes.*

A verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria ejus ſtercus, & vermis eſt: Nota illud (*à verbis viri peccatoris, ſcilicet Antiochi*) dat per hoc intelligere Spiritus ſanctus, quod viri impii in juſtos armantur verbis, ſcilicet oblocutionibus, & murmurationibus, & etiam factis, & perſecutionibus; bona enim in mala convertunt inſidiantes; & in electis maculam imponunt, undè advertit, quod cum non poſſit fieri, ut abſque morſu hominum hujus vitæ, curricula quis pertranſeat, malorum ſolatium eſt bonorum vitam carpere, quia de peccantium multitudine putant culpam minui ſuorum peccatorum; ideò propter talium verba, & oblocutiones non debet homo juſtus relinquere opera miſericordiæ; quia à Deo ſolo præmianda ſunt. *In Luc. c. 5. v. 30.*

25. *Perſecutiones, & tormenta juſtis ab impiis illata reputanda ut verba, non ut verbera.*

A verbis viri peccatoris ne timueritis, ſcilicet Antiochi Regis: Quomodò dicitur à verbis viri iniqui, & non potiùs à factis, à perſecutionibus ab expoliationibus, à ſuppliciis, à mortibus? cum talibus mediis, & ſuppliciis atrociſſimis Iſraelitas perſequeretur? ſed optimè dicebat iſte ſanctus à Deo illuſtratus, à verbis viri peccatoris; quia à diligentibus Deum non magis timentur ſupplicia, tormenta, expoliationes, mors corporalis, quàm verba aſpera, utraque enim ſunt tranſitoria, & veluti verba, ſeu potiùs nugæ, ideò non ſunt timenda; mors enim, exilium, luctus, dolor, mors non ſunt ſupplicium, ſed tributum vivendi: unde ſicut ſi mutuo acceperis bovem, aut equum, operaris inſtanter, & dicis fortè cras tolletur à me, quare non facis hoc in corpore? non ſunt ergò timenda à ſpiritu, quæ fiunt in carne, & ità quaſi extrà, ut in veſtimento, ſic corpus eſt veſtimentum Animæ, & ſi veſti tuæ injuria fit, injuriam quidem ſentis, damnum autem in perſona non pateris. ſic perſecutiones tranſeunt veluti verba, nec attingunt ſpiritum diligentium Deum, ergo corporalia damna non ſunt timenda, ſed tantum ſpiritualia; & hinc ait Spiritus ſanctus à verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria ejus ſtercus, & vermis & per hæc oſtendit non eſſe recedendum à lege Dei, nec timore pœnæ, nec amore gloriæ mundanæ. *In Luc. c. 12. v. 4.*

26. *Gloria mundana ſtercus & vermis.*

Quia gloria ejus ſtercus, & vermis. Quid intelligit per ſtercus & per vermem? cur his comparat gloriam viri peccatoris, ſcilicet Antiochi Regis potentiſſimi? ob duos effectus hoc dicitur ſtercus, & vermis: ſtercus quo ad divitias, quia maculat; vermis quo ad delitias, quia pungit conſcientiam: Verè ſtercus eſt gloria mundana, licèt appareat glorioſa, & lucida, ſicut lignum putridum de nocte apparet lucidum, ſed de die putridum; ſic gloria mundana in nocte hujus vitæ apparet lucida, ſed in morte, & in judicio, ubi omnia patebunt, apparebit putrida; quid ergo ſtercore deteſtabilius? & vermis quid in animalibus verme vilius? quid reſtat homini poſt hanc vitam, niſi vermis, & poſt vermem fætor, ſtercus & horror: cur ergo homines naturaliter appetant ſemper nobilia, & fugiant vilia, mirum certè eſt, quòd non naturaliter fugiant hanc vanam gloriam viliſſimam, quia hodiè extollitur, & cras non invenitur, & tranſit velut umbra: Vndè tales vermes ſunt lampyridi, ſivè cincidelæ vel noctilucæ ſimiles, quæ volando de nocte lucet, & in die latet, totaque apparet nigra: ô ſi hoc attenderent ſuperbi, qui ſic modò ambulant glorioſi, quomodo apparebunt viliſſimi nigri, & putridi, certè, quòd deteſtarentur gloriam hujus mundi *Ser. 1. de S. And. ſerm. 1. de S. Cathar. in addit. & ſer. 2. de Cathedra in addit.*

27. *Spes in Deum roborat animum: ſpes mundana infirmat.*

Omnes qui ſperant in Deum non infirmantur. Quomodo non infirmantur? ergò ſperans in Deo infirmitatibus non ſubjicitur? ſed attende ad myſterium: infirmitati humanæ, & timori mundano non ſubjicitur, quia ſpes in Deum eſt veluti columna domum animæ firmans, & veluti galea caput armans, & anchora navem ſuſtentans; undè in Deum ſperans omnia poteſt: è contra ſpes mundana infirmitatem affert, quia eſt fragilis, & vacua, & quaſi de arundine, & facit ædificium ruinoſum. *Op. Diet. tit. 5. c. 4.*

28. *Conſilium donum Spiritus Sancti cum fortitudine copulatur, & quomodo in Prælatis relucere debeant.*

Ecce Simon frater veſter, ſcio, quòd vir conſilii eſt, ipſum audite ſemper & ipſe erit vobis Pater; & Iudas Machabæus fortis viribus à juventute ſua ſit vobis Princeps militiæ, & ipſe aget bellum populi. Nota, quòd non ſine myſterio inter filios ſuos Mathathias morti vicinus nominat hos duos, ſcilicet Simonem, & Judam Machabæum, ut ipſi regerent populum, & agerent bellum pro lege Dei, & hoc quia primus vir conſilii eſt, & ſecundus fortis, ut appareat, quòd iſta duo dona debent relucere maximè in Prælatis, non enim ſufficit, ut ſint viri conſilii, niſi etiam fortes, & ut ſint fortes ſine conſilio; ſic enim iſtis duobus donis omnia rectè geruntur: Ad conſilium autem rectum requiritur ſapientia, amicitia & juſtitia, prima facit rationabiliter operari, ſecunda fideliter, & tertia ſalubriter, habens pro ſcopo Religionem: fortitudo autem conſiſtit in veritate fidei, in firmitate ſpei, & in charitate Dei, quæ omnia coaptantur ſanctuari, & virtutibus ſanctorum Simonis, & Judæ. *Ser. 1. de S. Simone & Iuda in addit.*

29. *Patrum benedictio in filios maximè in tempore mortis Deo valdè chara & filiis proficua.*

Et benedixit eos, & appoſitus eſt ad Patres ſuos. Nota, quòd ſicut iſte amantiſſimus Pater antequam diſcederet ex hac vita benedixit filios ſuos & hoc orando pro eis Deum, & ab ipſo Deo petendo proſperitatem temporalem, & magis ſpiritualem, ejuſque aſſiſtentiam, quod & Chriſtus fecit in ultima Cœna, & ante ſuam Aſcenſionem in Cœlum, ut notat Gloſſa; ſic & ex hoc diſcere debent Patres, qualiter in fine vitæ ſe gerere debeant cum filiis ſuis, hoc enim eſt complementum perfectæ educationis debitæ in filios: *Vide ſer. 1. Dom. 24. Pent.*

CAP. III.

30. *Chriſtus reſurgens ex mortuis triumphator de inimicis figuratus in Iuda Machabæo.*

ET ſurrexit Iudas Machabæus filius ejus pro eo, & adjuvabant eum omnes fratres ejus, & univerſi, qui ſe conjunxerant patri ejus, & præliabantur &c. & ſimilis factus eſt leoni in operibus ſuis, & ſicut catulus leonis, &c. Nota, quòd in hoc ſtrenuiſſimo viro figuratus eſt Chriſtus Jeſus, qui poſt mortem reſurrexit tertia die, ſic etiam catulus leonis ſtatim natus tres dies dormit, & ad rugitum Patris ſurgit; ſurrexit ergo Chriſtus virtute divina, & quia Judas interpretatur glorificans? Machabæus percutiens, vel protegens; Chriſtus in reſurgendo glorificavit Sanctos Patres eripiendo eos de inferno, & percuſſit diabolum auferens ei poteſtatem mundi, quam prius habebat. *Ser. 5. in Paſcha.* Addit hic Gloſſa, quòd poſt Reſurrectionem, & Aſcenſionem ſuam ſurrexerunt fratres ejus, ſcilicet Apoſtoli, & alii credentes procedentes per varias partes Orbis, & in lætitia tolerantes perſecutiones, & martyria, & diſſeminantes fidem per Orbem terrarum gerebant fideliter prælia Domini, & dilatabant gloriam Chriſti, per quod ejus fama extenſa eſt per omnem circuitum. *Ibid. Pſal. 18. c. 2. v. 16. Luc. c. 5. v. 15.* Idem & dicendum eſt de ſacerdotibus Eccleſiæ qui in ordinatione aſſumuntur, ut coadjutores Chriſti ad populum fidelem defendendum à Tyrannida hoſtium infernalium, & ad dilatandam Dei gloriam. *Op. Apolog. Paup. reſp. 4. c. 3.*

31. *Principes ſæculares, Prælati Eccleſiaſtici, ſacerdotes, Doctores, & Prædicatores aſſumpti ut Chriſti coadjutores ad impios perſequendos, & bonos fovendos.*

Et adjuvabant Iudam omnes fratres ejus, & univerſi, qui ſe conjunxerunt Patri ejus, & perſecutus eſt iniquos, &c. & omnes operarii iniquitatis conturbati ſunt, &c. Nota, quod ut dictum eſt Judas ſignificabat Chriſtum, cui conjuncti ſunt poſt ſuam Reſurrectionem, & Aſcenſionem Apoſtoli, Doctores, Sacerdotes, Prædicatores, & etiam Principes ſæculares, qui fidem amplexi ſunt; ad hos ſpectat loco Chriſti vindicare, & punire omnes operarios iniquitatis perturbantes pacem publicam, ut ipſorum metu malorum audacia refrænetur; hoc etiam debent facere ſpiritualiter Doctores, & Prædicatores, qui armati galeâ fidei, & accincti gladio divini verbi debent protegere caſtra Domini, & impugnare verbo, & exemplo ſuperbos, invidioſos, luxurioſos, avaros, & omnes impios, in eiſque malam vitam extinguere, ut bona, & ſancta vita reſuſcitentur, & tali pacto dilatare gloriam Jeſu Chriſti crucifixi. *Op. Eccleſ. Hierarch. p.2. c.3. & ſer.1. de uno Doct. in addit.*

32. *Pauci juſti in Deo confidentes plus poſſunt, quàm plurimi mali: quia victoria hoſtium ſtat magis in Dei virtute, quàm hominum.*

Facile eſt concludi multos in manu paucorum: Sic dixit Judas ſuis commilitonibus, qui metuebant multitudinem exercitus inimicorum; ſed quomodò jam facile eſt per paucos triumphum reportare de multis fortiſſimis militibus? ſubdit, *quia ipſi veniunt contrà nos in ſuperbia, nos verò pugnamus pro legibus, &c.* Ecce quid eſt, quod reddit paucos fortiores pluribus, nempe confidentia in Deum, & aſſiſtentia Dei pro cujus honore arripitur pugna; nam fiducia in Deum reddit fortiſſimos etiam debiles, nec poteſt mundana potentia contrà Chriſtum, & ejus ſequaces; quod experientia patet in paucis Iſraëlitis, qui facillimè trucidarunt numeroſiſſimos, & potentiſſimos exercitus inimicorum. *In Luc. c.14. v.31.* Idem & patet in pugna, quam arripit ſervus Dei contrà diabolum fortiſſimum, nam humilitate, cognitione ſui, fiducia in Deum facilè ſuperatur, quia fortitudo è Cælo venit. *In Luc. c.11. v.4.*

33. *Qui fortitudine Ieſu Chriſti armatus eſt inſuperabilis eſt toti mundo.*

Non eſt differentia in conſpectu Dei liberare in multis, & in paucis, quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, ſed de Cælo fortitudo eſt: Hæc dicebat iſte magnus vir lumine cæleſti illuſtratus, ſciebat enim, quod nihil poteſt tota potentia mundi, & inferni contrà confidentes in Deum, & qui muniti ſunt virtute ab alto; hoc patet in tot puellis, ut Catharina, Cecilia, Agnete, Lucia, Barba, & beata Clara, aliiſque ſimilibus, & in tot etiam pueris, vel ſenibus, qui triumpharunt de tot Tyrannis, & tormentorum generibus, quia eorum fortitudo non hominum, ſed Dei erat. *Op. Diat. tit. 5. cap. 7. in Luc. c.11. verſ.4.*

34. *Chriſtus aperit theſaurum ſuum, & dat ſtipendium ſuis militibus, diabolus item, ſed differenti modo.*

Et Rex Antiochus congregavit exercitum regni ſui, & aperuit ærarium ſuum, & dedit exercitui ſtipendia in annum, & mandavit ut eſſent parati ad omnia: Ecce quid facit diabolus, ut multiplicet exercitum ſuum, & ut ſuos milites confirmet in ſua ſequela, aperit ærarium ſuum, & dat ſtipendia, ſed tamen ſolùm in annum; quid eſt hoc? ſed attende ad myſterium; milites diaboli ſunt ſuperbi, avari, luxurioſi, & omnes iniqui, iſtis aperit ærarium impietatis, & ſtipendia exhibet per annum, ideſt per tempus hujus vitæ, ſcilicet delectationes, voluptates, divitias, & res temporales, eoſque conatur implere, ne deficiant à ſua militia, ſtipendia quidem impietatis, quæ terminant in mortem, & pœnam æternam: Chriſtus è contrà aperit theſaurum ſuarum gratiarum, & ſtipendia dat bonorum ſpiritualium non per annum, ſed per totam æternitatem duratura; aperit item ærarium ſuum per miſericordes res temporales pauperibus diſpenſantes, eis promittens ſtipendia æterna in Cœlis: *Ser. 10. in Rogat.* Ex quibus verè infertur, quòd ſtipendium à diabolo ſuis exhibitum eſt congeries laborum, afflictionum, & anguſtiarum, cum quibus iſta temporalia inſeparabiliter aſſociantur; e contra ſtipendia Jeſu Chriſti ſuis exhibita ſunt gaudia, conſolationes, & dulcedines, quæ in Dei ſervitio habentur; Vide *in Luc. c.16. v.13. & c.19. v.31. & 10. & 33.*

35. *In oratione maximè communi multorum armatur homo contrà hoſtes, & certam victoriam tribuit.*

Et congregatus eſt conventus, ut eſſent parati in prælium, & ut orarent & peterent miſericordiam, & miſerationes, & poſteà ſubdit Judas: *Accingimini, & eſtote filii potentes; & eſtote parati in manè, ut pugnetis adverſus Nationes has:* Nota, quomodò Judas congregavit omnes ſuos milites in unum, & ſubdit, *ut eſſent parati in prælium, & ut orarent*; ad quid copulat hæc duo? ſi eos congregavit, ut orarent, hoc fit in Eccleſia, non in campo prælii? ſed hoc totum eſt ad noſtram inſtitutionem; dicit, *ut eſſent parati in prælium, & ut orarent*; ut per orationem ſibi pararent ſcutum validiſſimum, & per orationem impetrarent fortitudinem, & victoriam, ſciens, quod oratio multorum, & maximè in tempore tribulationis Deo eſt chariſſima & efficax, & ideò poſt orationem eos ut Dux incitavit ad prælium, dicens: *Accingimini, &c. op. Diat. tit.4. c.1. & tit.2. c.3. & ſer.2. & 3 Dom.1. Quadr. & ſer.3. Dom.20. Pentec. & ſer.2. de S Ambr. & ſer.1. de S. Lucia & ſer.4. de una Virg. & op. Eccleſ. Hierarch. p.1. c.1. & p.2. c.3.*

CAP. IV.

36. *Idem argumentum de oratione.*

ET *venit Gorgias in caſtra Iudæ &c. & cum dies factus eſſet apparuit Iudas cum tribus millibus virorum tantùm, qui tegumenta, & gladios non habebant, & viderunt caſtra gentium valida &c. & ait Iudas &c. ne timueritis multitudinem eorum &c. & nunc clamemus in Cœlum & miſerebitur noſtri, &c.* Vide iterùm ſpem, & fiduciam in Deo hujus ſtrenui militis, qui in Deo confidens, & in virtute orationis cum paucis viris ferè exarmatis, ſed oratione efficaciſſima roboratis, voluit ſe opponere exercitui tam valido, & tot millium hominum compoſito, & ob id tali medio victoriam glorioſiſſimam obtinuit; daturquè nobis inſtructio, quòd propter tentationum impetum, & formidinem & propter multitudinem hoſtium tentantium clamandum eſt ad Deum in oratione, non enim tot capillos habet homo in capite, quot inimicos tentantes, quia multiplicati ſunt ſuper capillos capitis noſtri, ergo clamore orationis fugandi ſunt, quia orationis clamor in terra fit, ſed ejus virtus ad Cœlum pervenit, & à Deo auditur, ex quo patet, quàm magna ſit virtus orationis, quæ effuſa in terris, in Cœlo operatur, & ob id oratione, & mortificatione confunditur, & ejicitur diabolus cum exercitibus ſuis. *Ser.3.Dom.2.Quadrag.*

37. *Clamor orationis optimus eſt nuncius apud Deum.*

Et nunc clamemus in Cœlum, & miſerebitur noſtri Dominus, & memor erit teſtamenti Patrum noſtrorum, & conteret exercitum iſtum ante faciem noſtram hodiè, & ſcient omnes gentes, quia eſt qui redimat, & liberet Iſraël. Nota ordinem, & vim verborum Judæ: *Clamemus in Cœlum* ait, ſed quomodo prætendit ut ipſorum clamor ſit tam grandis, ut perveniat ad Cœlum? addit *& memor erit Deus teſtamenti, &c.* ergone Deus indigebat hoc clamore ad excitandam memoriam teſtamenti Patrum ſuorum? ſed optimè dicebat iſte vir à Deo illuminatus; ſciebat enim, quòd Deus quidem vult gratias nobis, & miſericordias ſuas conferre, ſed priùs vult à nobis rogari; ob id ſciens, quòd clamor orationis eſt optimus nuncius ad aures Dei, ipſum excitans, & movens ad aperiendum ſuos theſauros gratiarum, ideò dicebat clamemus in Cœlum, ſcilicet ad Deum in oratione; idem continuè nobis dicitur clamemus in Cœlum; & propter quid? quatuor ſunt, quæ clamare faciunt; ſcilicet aqua, ignis, gladius, ſcilicet bellum & beſtia, clamemus propter aquam tempeſtatum, & tentationum, quæ in mari hujus vitæ ſuſcitantur à Dæmonibus, ne in ipſa ſubmergamur; clamemus propter ignem infernalem peccati ad Deum, ut nobis donet aquam lachrymarum ad ipſum extinguendum, ne æternaliter in eodem igne ſine remedio crememur; clamemus ad Deum propter gladium judicialem, ne nos æternaliter feriat; clamemus propter beſtiam, & lupum infernalem, nam continuè contra nos armatus venit ut nos devoret; clamemus in oratione, ut ipſum a noſtris regionibus fugemus, ſic Deus noſtri miſerebitur, & conteret inimicos noſtros. *Ser.2.& 3.Dom.2.Quadrag.*

38. *Tuba orationis fugantur Dæmones, & Dei auribus muſica dulcis redditur.*

Et nunc clamemus in Cœlum &c. & exierunt de caſtris, & tuba cecinerunt, qui erant cum Iuda; & congreſſi ſunt, & contritæ ſunt gentes. Nota ordinem hujus pugnæ: primò invitat Judas ſuos, ut clament in Cœlum, ſecundò exierunt de caſtris ſui milites; tertiò tuba cecinerunt, & hinc ſecutum eſt prælium & victoria; ergo ne clamor eorum factus eſt ſolùm cum tubis? & cum tali clamore victoriam obtinuerunt? maximè; in quo apparet, quàm ſit apud Deum efficax oratio, quæ exprimitur nomini ſoni tubæ: Tuba enim in una parte recipit flatum, & in alia emittit longè ſonum: ſic oratio flatus fit in terra, & ſonus auditur in Cœlo, & cum ſit tanta talis ſoni efficacitas, etiam dulcis redditur auribus Dei, & Angelorum, & habet vim repellendi, & conterendi inimicos; ô quàm magna eſt virtus orationis, quæ effuſa in terris, in Cœlo, & ad Cœlum penetrat *Ser.3. Dom 2. Quadrag. Luc.c.18.v.1.& c.9.v.38.*

39. *Ex concupiſcentiis noſtris veniunt omnia bella, ideò mortificanda ſunt.*

Non concupiſcatis ſpolia, quia bellum contra nos eſt. Ad litteram iſte magnus Dux prohibet ſuis militibus, ne poſt primam victoriam ad capienda inimicorum ſpolia ſe conferrent, quia adhuc novum bellum contra alios imminebat; ſed myſticè dat nobis intelligere, quòd ubi concupiſcentia viget, ibi bella graſſantur, nam ex concupiſcentiis noſtris proveniunt omnia bella & lites, & hinc eſt, quòd in mundo ſemper fuerunt & erunt bella & lites, ideò qui de inimicis vult victoriam reportare, qui in pace vult vitam degere, concupiſcentiam debet refrænare, & mortificare. *Luc.c.21.v.9.Idem & Gloſſa.*

40 *Clamor pœnitentiæ, & confeſſio peccatorum fugat hoſtes.*

Et clamemus in Cœlum &c. & aſpicientes inimici Iudam, & exercitum paratum ad prælium, timuerunt valdè, & fugerunt omnes in campum alienigenarum. Notandum, quòd ſemper ad iſta prælia Judæ, & Iſraelitarum præceſſit clamor ad Deum, & ſonitus tubæ, & hinc ad aſpectum Iudæ, & ſui exercitus timentes hoſtes in fugam ſe verterunt ignominioſiſſimam: myſticè per Iudam intelligitur anima pœnitens, & parata confiteri corde contrito peccata: Iudas enim interpretatur confitens, & per hoc intelligitur, quòd ſicut fur fugatur clamore; ſic clamore confeſſionis fugantur hoſtes, & Dæmones; undè videntes fideles ad confeſſionem peccatorum accedentes, tunc tremunt, & vincuntur, & fugantur. *Op.Diet. tit.2.c.1.*

41. Tem

41. *Templum ſpirituale animæ, vel Deo, vel diabolo dedicatum, & quomodo: ubi de prophanatione Eccleſiarum.*

Aſcenderunt in montem Sion, & viderunt ſanctificationem (: deſt templum *deſertam, & Altare prophanatum, & portas exuſtas, & in atriis virgulta nata ſicut in ſaltu, vel in montibus, & paſtophoria diruta: & ſciderunt veſtimenta ſua, & planxerunt planctu magno, &c. Tunc Iudas elegit ſacerdotes ſine macula, &c.* Nota, quòd Judas poſt reportatam victoriam de hoſtibus, ad templum ſanctum Dei ſe convertit, & vidit abominationes, quas in templo ſancto fecerant gentes, & ipſe, & ſui ſequaces toti ſe occupaverunt ad mundandum, & ornandum templum, deputans ſacris miniſteriis ſacerdotes ſine macula, & habentes voluntatem in lege Dei: in quo facto multa myſteria digniſſima nobis enodantur; & primò quod præcipua cura Principum, & Prælatorum eſſe debet circa viſitationem diæceſum, & reintegrationem cultus Dei, & proviſionem ſanctorum miniſtrorum Eccleſiæ: ſic Gloſſa: ſecundò, quod uniuſcujuſque cor eſt templum vel Deo dicatum, vel à diabolo prophanatum, & tunc ſanctificatio deſerta efficitur, quando ſicut in templo materiali deficit frequentatio colentium Deum, ſic cor hominis, priùs gratiâ Deo ſanctificatum per peccatum deſeritur, deſertumque dicitur frequentatione Dei, & Angelorum; tunc altare prophanatur, quando cor, in quo ſolebat immolari hoſtia laudis, per peccatum polluitur; tunc portæ exuruntur, cum incentiva vitiorum per ſenſus ad animam ingrediuntur; tunc virgulta in atriis naſcuntur, cum multitudo ſuperfluarum cogitationum in corde generatur; tunc paſtophoria diruuntur, cum ſecreta mentis per illicita deſideria diſſipantur; ô quot templa Chriſtianorum inveniuntur ſic prophanata, unde & Angeli exclamantes, & Eccleſia plorans poſſunt cum Propheta *Pſal.* 78. dicere. *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam*, ſcilicet dæmones, *& polluerunt templum ſanctum tuum*; undè & timere debent illam Apoſtoli ſententiam, *quicumque violaverit templum Dei, diſperdat illum Deus.* 1. *Cor.c.*3. & hæc de templo diabolo dedicato: templum autem Deo ſacratum eſt, quod interius ardet charitate, & exterius lucet honeſtate. *Ser.*1. *de dedic.*

42. *Non ſufficit boni propoſitum, ſed requiritur executio, quæ eſt conſummatio perfecta, quam à nobis exigit Deus, ut de unoquoque dicatur*, quod hic de Juda, & ſociis, *& conſummaverunt omnia opera, quæ fecerant:* in *Pſ.*118.*c.*6.*v.*7.

CAP. V.

43. *Sanctus Pater Franciſcus figuratus in Iuda Machabæo in inſtitutione trium ordinum contra exercitus diaboli.*

ET vidit Iudas, quia cæpit bellum, & clamor belli aſcendit ad Cælum, &c. & venit tribus ordinibus poſt eos, & exclamaverunt tubis, & clamaverunt in oratione, & percuſſerunt hoſtes plaga magna: Nota, quòd hic datur figura patens in Iuda diſponente ſuum exercitum in tres ordines, ſivè partes, ut ſimul ordinatim pugnarent contrà hoſtes, de ſancto Franciſco; qui videns periculum patens hominum, & multos proſterni ab hoſtibus inferni inſtituit tres ordines, ut ſimul oratione, prædicatione, pœnitentia, & aliis piis operibus pugnarent contrà hoſtes, & in tuto inducerent homines exiſtentes in hoc mundo: primus ordo eſt Fratrum Minorum; ſecundus eſt Pauperum Dominarum; & tertius pœnitentium; & his ordinibus continuè pugnat contrà diabolum, mundum, & carnem. & ſpolia opima quotidie reportat de ipſis. *Serm.*3. *de S. Franciſc. in addit.*

44. *Tres ordines vitæ activæ ad pugnandum cum hoſtibus enodantur.*

Et venit cum tribus ordinibus, &c. Nota, quòd in hoc facto myſticè exprimitur pugnæ ordo, quæ in vita activa exerceri debet ad pugnandum contrà hoſtes: in primo ordine collocari debet meditatio ardens maximè Paſſionis Chriſti, per quam accenditur anima ad exercitium virtutum, & ad debellandum vitia: in ſecundo eſt carnis mortificatio, qua caro percutitur, & affligitur; in tertio oratio, qua aſcenditur ad Deum ad impetrandum auxilia ejus. *Ser.* 2. *de Rectoribus in addit.* Vide ergò hic, quòd Iudas his ordinibus tranſiit torrentem, & fugavit Timotheum cum ſuo exercitu; ſic Chriſtus ut ſuos ſequaces inſtrueret tranſiit torrentem Paſſionis, & per ipſum fugavit diabolum, ipſumque vicit, ſic & omnes ſui ſequaces. *In Ioan. collat.* 79. Datur etiam in hoc facto forma Prælatis præcedendi ſuas oves contrà ferocitatem dæmonum, & hoſtium, ſicut Iudas videns timiditatem populi, ipſe prior tranſivit torrentem. *In Luc. cap.*8. *v.*25. *& c.*19. *verſ.*28.

45. *Meditatio Crucis, Paſſionis, & ſanguinis Chriſti effuſi in cruce mirabiliter accendit animam ad pugnam vitiorum.*

Et elephantis oſtenderunt ſanguinem uvæ, & mori ad acuendos eos in prælium: Nota, quòd hæc eſt natura Elephantis, niſi viderit ſanguinem, vel aliquid habens ſanguinis colorem non accenditur ira, & furore; at ſi hunc videt, tunc ira maxima accenditur, & omnia devorat ſibi occurrentia, & ideò in bellis antiqui ipſis utebantur, ut ira accenſi irruerent in hoſtes, & claſſes exercituum in confuſionem ponerent, & eos occiderent: hinc myſticè datur intelligi, quod homini ignavo debet oſtendi ſanguis Chriſti, nempè ipſi proponi meditatio Paſſionis, & ſanguinis à Chriſto pro ſalute mundi effuſi; talis enim meditatio efficaciſſimam virtutem habet accendendi in anima ardorem amoris Dei, & excitandi ad pugnam contrà hoſtes, victoriamque obtinendi. *In Luc.c.*17.*v.*6. *& c.*22.*v.*20.*op. Comp. Theol. lib.*4.*c.*2. *& ſer.*2 *Dom.*22. *Pentec. & ſer.*3. *de S. Andrea; & ſer.*2. *de Rectoribus in addit.*

CAP. VI.

46. *Contemplatio illuminat, & inflammat animam, ſimulque ipſam armat contrà omnes tentationes.*

ET refulſit ſol in clypeos aureos, & areos, & reſplenduerunt montes ab eis, ſicut lampades ignis: Nota, quod hoc dicitur ad litteram de illuſtratione facta per reverberationem radiorum ſolis in clypeis aureis, applicari poteſt animæ contemplativæ, cui Sol ſapientiæ æternæ refulget in clypeis, quando ejus mentem ſublimat ad percipiendum fulgorem veritatis æternæ, & ſimul ipſam inflammat amore cæleſtium, & armat contrà omnes tentationes. *Ser.20. Hexam. & in Luc.c.9.v.28.*

47. *Diabolus ad capiendas animas præcipuè utitur miniſterio, & ſcandalo impiorum.*

Et comprehendit Rex Antiochus Bethſuram, &c. & ſtatuit illic baliſtas, & machinas. & ignis jacula, & tormenta ad lapides jactandos: Ecce quomodo capta civitate Ieruſalem Antiochus, ut etiam fortalitium, in quo erat templum ſacrum in ſui poteſtatem veniret obſidione ipſum cinxit, & ut ſecuriùs expugnaret providit varias machinas bellicas, tum ad muros concutiendum, tum inſtrumenta ad ignem Græcum jaciendum, tum petrarias, & magonellos, tum inſtrumenta ad mittendum ſagittas venenatas, quæ non legitur adhibuiſſe ad capturam civitatis: undè myſticè intelligimus, quod diabolus figuratus in Antiocho totum ſuum majorem conatum dirigit non in populum, ſed in ſanctiora loca, & ſacerdotes, & Religioſos, & juſtos omnes; & cùm per ſe ipſum non poſſit eos capere utitur machinis ad hoc aptis; nempè utitur hominibus ſuis coadjutoribus, qui ſcandalo, perſuaſione, muneribus, malis exemplis bonos quoſcumque attrahat ad ſe, & mediante miniſterio perverſorum ſcandaloſorum innumeras ruinas affert Eccleſiæ Dei. *Ser.2. de S. Stephano in addit.* hinc autem ſubdit ad conſolationem bonorum, *quod exiſtentes in templo ſacro fecerunt & ipſi machinas adverſus machinas hoſtium*; ut detur intelligi, ait Gloſſa, quòd juſti animarum ſalutis zelantes, variis mediis, & induſtriis ſpiritualibus ſe ſe opponere debent toto conatu artibus diaboli, & ſuorum ſequacium, & ſicuti illi ſunt perſecutores, & piſcatores, venatoreſque diaboli, ſic iſti ſunt piſcatores, & venatores animarum pro Chriſto: *Ser.3. Dom.4. Pentec.* Hoc manifeſtum fit in Eccleſia, in qua Deus omnibus temporibus neceſſitatum publicarum miniſtros ad id idoneos miſit in mundum; ut quando Lutherus, & Calvinus inſurrexerunt contrà fidem, & Deus miſit tot ſanctos celebres, ut ſe miniſtris diaboli opponerent; uti ſanctum Carolum, ſanctum Ignatium, S. Franciſcum Xaverium, Cajetanum, Thereſiam, & tot alios nunc vel canonizatos, vel beatificatos, & varias Religiones de novo fundatas.

CAP. VII.

48. *Prælatus malus excidium Eccleſiæ, & præcipuè malè intruſus ad Prælaturam.*

ET vidit Iudas omnia mala, quæ fecit Alcimus, & qui cum eo erant filii Iſraël multò plus, quàm gentes: Nota, quòd in iſto capite traditur pax Iſraëlitarum contracta cum Rege Antiocho, qui tamen promiſſis, & juramento firmatis non ſtetit, ſed intruſit ad ſummum Pontificatum Alcimum peſſimum virum, à quo plura mala paſſa eſt civitas, quàm ab ipſis gentilibus, & hoſtibus, & quæ poſtea Iudas vindicavit: Et per hoc datur intelligi, quòd Prælatus intruſus per artem diabolicam, & malam, ad prælaturam, eſt totale excidium Eccleſiarum, & locorum, & per iſtos Eccleſia paritur majora mala, quàm ab ipſis hoſtibus manifeſtis Eccleſiæ: & ideò, addit Gloſſa, ſuperiores majores exemplo Judæ debent reprimere, & ejicere à ſtatu Prælaturæ, tales factioſos; ſic enim fecit Chriſtus contra ſacerdotes inhonorantes templum Dei. *In Thren.c.1. & in Luc. c.19.v 45.*

49. *Eccleſia locus eſt tantùm ad orationem, & cultum Dei electus, & non ad prophanas actiones; ideò ſeveriſſimè à Deo puniuntur prophanatores.*

Tu Domine elegiſti domum iſtam ad invocandum nomen tuum in ea, ut eſſet domus orationis, & obſecrationis populo tuo; fac vindictam in homine iſto (Nicanore) & exercitu ejus, & cadant gladio: Nota, quod cum Nicanor Dux exercitus Antiochi deſpexiſſet ſacerdotes, & templum, & ſibi propoſuiſſet velle ſuccendere templum ſacrum Dei, & ſacerdotes, & miniſtri templi ad Deum confugerunt ipſum orantes, ut illibatum ſervaret idem templum, & ſeverè puniret prophanatores ſuperbos; quod & fecit Deus, quia Iudas inito prælio cum Nicanore cum tribus millibus viris trucidavit cum Nicanore totum exercitum, ita quòd nec unus remanſit vivus: Hic autem ad profectum noſtrum notandum primò, quod meritò dicitur templum ſanctum à Deo fuiſſe ordinatum ad hoc, ut eſſet locus orationis, adorationis, & cultus Dei, & ideò ſuper omnia flagitia Deo diſplicent prophanatores Eccleſiæ, & in ipſa prophanas actiones gerentes, propter quod Deus ipſos ſeveriſſimè punit, & flagellat in hac, & aliâ vitâ, ut fecit cum Nicanore, & exercitu ejus; ſecundò, quod oratio fuſa in templo certiſſimè exauditur, & magis (cæteris paribus) ipſi eſt chara, quàm fuſa in aliis locis. *In Luc. c.19.v.46. in Ioan.c.4.v.23. & ſerm.1. & 4. de dedication.*

50. Oratio

50 *Oratio Deo fuſa in Eccleſia debet priùs exponi coram Deo in templo cordis.*

Tu Domine elegiſti domum iſtam ad invocandum nomen tuum. &c. Cur tam citò, & facilè Deus exaudivit orationem iſtorum ſacerdotum? ſed attende, quòd prius conſtituerunt cor ſuum templum ſacratum coram Deo, & ideò hæc oratio priùs in corde interiùs fuſa eſt, poſtea in templo verbis apertis; ut intelligamus, quòd qui vult exaudiri à Deo debet proprium cor conſtituere, & conſecrare Deo per munditiam, & ſanctitatem, & ibi preces, & ſacrificia offerre, ſic enim poterit ſecurè ſe offerre Deo in Eccleſia, & ejus oratio infallibiliter exaudietur. *Ioan. cap. 4. verſ. 23.*

CAP. VIII.

51. *Qualis fidelitas exigitur à Deo in obſervantia ſuorum mandatorum.*

ET cuſtodient mandata eorum abſque dolo. Nota, quòd in iſto capite agitur de confœderatione facta à Iudæis cum Republica Romana, in quâ promiſerunt utique ſe ſervaturos eſſe capitulationes factas ſine dolo, & cum fide plena; ex quo rectè infertur, quòd ſi transgreſſiones confœderationis promiſſæ inter homines tam exoſæ ſunt, & omnibus diſplicent; multo magis abominabilis Deo erit tranſgreſſio mandatorum ſuorum, fractio fidelitatis. & promiſſionis à nobis factæ in baptiſmo, & quam continet fides catholica: ideò meritò à Deo tales fractores ſeverè puniuntur, veluti infideles. & inimici. *Pſal. 118. c. 8. v. 15.*

CAP. IX.

52. *Fletus factus à Iudæis pro morte Iudæ invitat nos ad flendum pro morte Chriſti.*

ET Iudas cecidit, & cæteri fugerunt. & fleverunt eum omnis populus planctu magno, &c. Meritò Iudas mortuus plangitur à populo Iudæorum, cum per ipſum Deus fecerit ſalutem toti Iudeæ; id enim debebatur virtutibus, & operibus glorioſis ſuis: ex hoc diſcere debemus, quòd majori jure nos debemus flere mortem Chriſti, qui tot pœnas pro peccatis noſtris ſuſtinuit, qui tandem vitam cum morte commutavit, ut nobis vitam conferret, ideò verè crudelis eſt homo, qui tot beneficia à Chriſto toti humano generi collata novit, & veluti incudo durus exiſtit, & ingratus. *Serm. 2. Dom. 9. poſt Pentec.*

53. *Mortuorum exequiæ celebrandæ ſunt, maximeque juſtorum.*

Et Ionathas, & Simon tulerunt Iudam fratrem ſuum, & ſepelierunt eum in ſepulchro patrum ſuorum, & fleverunt eum omnis populus, &c. Vide, quòd exequiæ mortuorum celebrantur, & canonizantur à ſacra ſcriptura; ut detur nobis intelligi, quòd defunctorum corpora non ſunt contemnenda, maximeque juſtorum, & fidelium; quibus tamquam organis, & vaſis ad omnia bona opera uſus eſt Spiritus Sanctus, & ideò rectè in Eccleſia introductæ ſunt cæremoniæ, & varii ritus ad ſepulturam, & exequias defunctorum celebrandas. *Ioan. c. 19. v. 40. ubi citat S. Auguſt.* qui de hac materia tractat *lib. 1. de Civit. Dei c. 12. & 13. & lib. de cura pro mortuis c. 2.*

54. *Quare mortui ſepeliuntur intra ſepta Eccleſiæ ſacra.*

Et ſepelierunt eum in ſepulchro patrum ſuorum in civitate Modin. Scilicet in ſepulchro ad hunc finem ſacrato; & hinc ſanctus mos eſt, ut in Eccleſia, vel intra ſepta ejus in loco ſacrato, & benedicto. ſepeliantur corpora fidelium, & hoc ne Dæmones eis nocere poſſint. *Ser. de dedic. in communi.*

55. *Sola miſericordia, & opera bona ſunt comites defunctorum.*

Et lugebant Iudam dies multos, & dixerunt, quomodo cecidit potens, qui ſalvum faciebat populum Iſraël. Vide, quòd in hac commiſeratione populi pro morte Judæ ſolùm fit mentio operum ejus bonorum, ut videas, quòd defuncti ſecum ad aliam vitam non ferunt bona temporalia, potentiamque, ſed ſolùm miſericordiam, & opera bona, quæ ſola ſunt comites defunctorum. *Luc. c. 12. v. 24. ſer. 2. Dom. 1. poſt oct. Pent.*

56. *Multi Chriſtiani Chriſtum doloſè deſerunt ceſſante timore alicujus tribulationis.*

Et factum eſt poſt mortem Iudæ emerſerunt iniqui in omnibus finibus Iſraël, & exorti ſunt omnes; qui operabantur iniquitatem v. 23. & ſuprà etiam dicitur, *quòd multi ſubtraxerant ſe de caſtris videntes multitudinem exercitus hoſtium, &c.* Per hoc patet, quòd in tempore felicitatis multi fingunt ſe ſequi Chriſtum, ſed tempore tribulationis, vel ceſſante timore diabolico deſerunt Judam, ſcilicet Chriſtum, & ſequentes diabolum in iniquitatum cœno ſe immergunt. *Pſal. 118. c. 8. v. 1.* quaſi dicat: Datur intelligi in hoc facto, quod multi ſunt cum Juda cum Chriſto in Quadrageſima, in tempore, quo ſperant aliquam fœlicitatem vel ut appareant ſimiles cæteris juſtis, ſed poſtea poſt Paſcha Chriſtum deſerunt, quia confiteri recuſant, vel facta confeſſione citò redeunt ad priſtinas iniquitates, quando vident ferè omnes ſequi gloriam mundanam contra Chriſtum; item datur intelligi quòd mortuo bono Prælato oves diſperguntur, & mali dominantur, ita Sanctus Bernardus.

57. Nuptiæ

57. *Nuptiæ inter animam, & diabolum expenduntur in principio, medio & fine.*

Et converſa ſunt nuptiæ in luctum, & vox muſicorum in lamentum. Nota hiſtoriam: Filii Jambri Principis Madaba ducebant ſponſam filiam unius ex Principibus magnis Chanaam cum ambitione magna, cum tympanis, & muſicis, & armis multis, & Jonathas cum ſuis ſurrexit ex inſidiis, & occidit eos, & reſidui fugerunt in montes, & converſæ ſunt nuptiæ in luctum: hæc eſt figura expreſſa nuptiarum, quæ inter animam filiam Dei, & diabolum celebrantur: Jamber enim interpretatur dies amaricans, ſignificatque Luciferum, qui ante lapſum fuit dies, poſt lapſum amaricans totum mundum, hujus ſocii, & filiæ ſunt alii Dæmones, ſcilicet homines impii non naturâ, ſed imitatione: Chanaam mundum ſignificat, cujus Principes ſunt Dæmones. Anima ergo peccatrix, & filia, & ſponſa diaboli eſt, quæ nunc à diabolo adducitur cum tympanis, & mundanis gaudiis, ſed Jonatha, ideſt Chriſto in morte, vel judicio ſuperveniente, mala ſocietas damnatione percutitur. ô nuptiæ maledictæ, in quibus nec in nuptiis Chriſti non aqua in vinum, ſed vinum temporalis laſciviæ in aquam æterni fletus convertitur, Eia, eia lætare, lætare juvenis infelix in adoleſcentia tua, ut deſertore te pariter cum ætate temporali lætitia, ſuccedant, quæ te abſorbeant æterna ſupplicia. *Ser. 1. Dom. 2. poſt oct. Epiph.*

58. *Aliæ nuptiæ convertuntur in gaudium, aliæ in luctum.*

Converſæ ſunt nuptiæ in luctum, &c. Nota, quòd non omnes nuptiæ convertuntur in luctum: nam illæ, quibus vocatur Chriſtus Jeſus, ejuſque Mater, ſcilicet quæ cum timore Domini celebrantur, convertuntur in gaudium; & aqua tribulationum convertitur in vinum dulciſſimum conſolationis; illæ verò, quibus advocatur diabolus, quæ non celebrantur in timore Domini, iſtæ convertuntur in luctum. *Ser. 2. ibid.*

CAP. X.

59. *Sine purpura corona non poteſt obtineri.*

ET miſit ei purpuram, & coronam auream, &c. Hæc fuerunt dona, quæ Alexander Rex Syriæ Jonathæ ſummo ſacerdoti miſit, ut his ſuaſus fideliter pacem ſecum ſervaret; de qua hiſtoria vide Gloſſam: myſticè autem datur nobis intelligi, quòd veri Dei cultores debent & purpuram, & coronam appetere, ſed non coronam ſine purpurâ, purpura enim coronæ convenit; purpura autem cum ſit ſanguinea ſignificat martyrii, pœnitentiæ, pœnarum, & afflictionum tolerantiam per quæ ad coronam aſcenditur & pervenitur, ſed nos miſeri prætendimus coronari, ſed non purpurari, quod eſt impoſſibile. *Ser. de S. Paulo in addit.*

Caput Undecimum, nihil habetur.

CAP. XII. & XIII.

60. *Qui non extendit manum fortiter contra diabolum: Diabolus contra ipſum ſuas crudeliter extendit: ubi de inſidiis dæmonis.*

VIDIT Triphon, quia venit Ionathas cum exercitu multo, ut extenderet in eum manus, & timuit, & excepit eum cum honore c. 12. v. 42. & occidit Ionatham c. 13. v. 23. Nota, quod myſticè Jonathas interpretatur columba veniens, & ſignificat animam fidelem habentem exercitum, hæc debet mittere manus contra Triphonem, ideſt diabolum, ne ipſa contrà ſe mittat manus ſuas, quod facit decipiendo, proponendo honores, & dignitates, & utendo ſuo exercito, ſcilicet hominibus impiis, ut interiorem, & viila præcipitet, & occidat ſpiritualiter eamdem animam fidelem. *Ser. 1. de S. And. in addit.*

CAP. XIV.

61. *Felix Religio, & ſtatus quicumque ubi viget obedientia vera mater omnium bonorum; ubi de recto regimine Prælatorum.*

ET ſiluit omnis terra Iuda omnibus diebus ſimonis, & quæſivit bona genti ſuæ, & placuit illis poteſtas ejus, & gloria ejus omnibus diebus. Nota, quòd in hoc capite agitur de bono regimine ſimeonis ſummi Pontificis, de quo obſervatur, quòd habuit maximum zelum circa cultum Dei & populi ſui promotionem in bonum; habuit & fortitudinem, & conſtantiam in compreſſione adverſariorum, & malorum, & ſic fuit Deo devotus & charus populo ſuo utilis, & adverſariis terribilis; & hæc ſunt, quæ in bono Prælato requiruntur; Traditur etiam in hoc capite felicitas, quæ in Religione, imò & in omni ſtatu provenit ex obedientiâ ſanctâ: Simon enim interpretatur obediens: de qua multa hic myſticè dicuntur, ſed præcipuè tria: debet enim eſſe Deo grata ſine murmure audientia ſic dicitur, *ſiluit terra*, ideſt cum quiete, & ob amorem Dei facta: ſecundò pura, ideſt ab intentione proprii, vel carnalis commodi, undè dicitur, *quæſivit bona genti ſuæ*, ideſt non ſibi, ſed aliis quæſivit bonum contra illos, qui libenter obediunt ſine murmuratione; ſed ubi inveniant commodum, & utilitatem propriam, tertiò debet eſſe ſollicita, undè dicitur, *placuit illis poteſtas ejus*, contra illos qui quidem obediunt, ſed ita negligenter indevotè, & confusè, & inordinate, quòd nulli placent, vir enim obediens debet habere poteſtatem ſuper ſeipſum, & proprias inclinationes; quia verus obediens loquitur victorias vincens

exterius

exteriùs omnia ſua membra, & interius volunta-tem, ideò mandatum non procraſtinat, ſed præ-parat aures auditui, linguam voci, manus operi, greſſus, & pedes itineri, & ſe totum intra ſe col-ligit, ut mandatum peragat imperatoris; quæ om-nia in Simone hic propoſito relucent, ſcilicet ſi-lens à murmuratione, purus intentione, placens executione: ſilens ore, purus corde placens ope-re; & hinc conſequuntur tot bona enarrata in hoc capite ſub regimine boni Simonis, ſcilicet obedientis, nempè vitæ longævitas, pacis ſecuri-tas, mentis jucunditas, temporis fertilitas, glo-riæ ſublimitas, populi libertas. *Ser. 3. Dom. infrà oct. Epiph. & Ecclen. c. 3. & Gloſſa; aliiquè Expoſi-tores communiter.*

CAP. XV.

62. *Chriſtus, & diabolus naves bellicas pro-vident mundo, ille ut malos debellet, iſte ut bonos corrumpat.*

VOLO vendicare regnum, & reſtituere illud, ſicut erat antea, & elegtam feci mul-titudinem exercitus, & feci naves bellicas; volo autem procedere per regionem, ut ulciſcar in peſtilentes, qui corruperant regionem noſtram, & deſolaverunt civitates. Nota, quòd hoc fuit ſcri-ptum, quod fecit Rex Antiochus Syriæ Simoni ſummo Sacerdoti, cui in principio amicum ſe oſtendit, & poſtea inimicum: myſticè autem datur nobis intelligi id, quod facit Chriſtus, ut regnum Eccleſiæ regat in pace, & omnia vitia diſperdat; & è contra: quod facit diabolus, ut omnia bona corrumpat: Chriſtus ergo fecit ſi-bi naves bellicas in Eccleſia, ut per ipſas debel-latet omnes peſtilentes corruptores; iſtæ naves bellicæ ſunt varii ſtatus, ſcilicet conjugalis, vi-dualis, & virginalis; item ordines Religioſi Franciſci, Benedicti, Auguſtini &c. quorum na-ves ordinavit ad præliandum contra diabolum, mundum & carnem oratione, carnis maceratio-ne, & ſpirituali colluctatione, ne regio noſtra, ſci-licet Eccleſia corrumpatur à diabolo, à mundo, & à carne: vult autem ut toto tempore vitæ no-ſtræ ſemper perſeveret pugna, quia licet bona ſit manus noſtra, bona vita, tamen non ſumus ſe-curi de victoria, undè contrà corruptores iſtos perſeverandum eſt in pugna: diabolus è contrà & ſibi providit naves ſuas bellicas, ſcilicet va-rios ſtatus impiorum hominum diabolo ipſi, mun-do, & carni obſequentium, ut per malam vitam, & fæda exempla Eccleſiam, & bonos corrum-pant, & ideò ſicut Rex Antiochus ſe amicum populo Iſraël oſtendit in principio, tamen in progreſſu fuit perverſiſſimus inimicus; ſic diabo-lus, ejuſque ſequaces amicos ſe fingunt bono-rum, ut ipſos facilius fraudulenter corrumpant. *Ser. 3. Dom. 3. poſt oct. Epiph.*

63. *Obedientia eſt ſcutum defendens animam ab omni peccato, & reddens eam Deo charam.*

Attulerunt autem & clypeum aureum mnarum mille, &c. Nota, quod Simon, ut confœderatio-

nem conſervaret cum Romanis, eis miſit dona-rium clypei aurei mnarum mille, quo medio ob-tinuit auxilium, & protectionem ipſorum: my-ſticè autem per ſcutum aureum Simonis obe-dientis intelligitur virtus obedientiæ, quæ rectè clypeo aureo comparatur, quia hæc virtus eſt ſuper omnes aurea, & excellentior, quia ſicut aurum ſupereminet cæteris metallis, & virtua-liter continet pretium aliorum; ſic vera obe-dientia fert ſecum exercitium ſcuti fidei, oratio-nis, æquitatis, miſericordiæ, & omnium alia-rum virtutum, quæ ſine obedientiâ Deo placere non poſſunt, & cum qua defenditur homo ab omni deceptione; virtus quidem ſuper omnes Chriſto chara, quia eſt ipſius ſchola, in qua toto tempore ſuos exercet. *In ſap. c. 18. op. Diat. tit. 4. c. 2. in Luc. c. 19. v. 32.*

CAP. XVI.

64. *Chriſtus primus transfretavit torrentem Paſſionis, ut ſuos ſequaces animaret ad imitationem.*

ET admovit caſtra contrà faciem hoſtium, & vidit populum trepidantem ad transfretandum torrentem (ubi erat exercitus inimicorum) & transfre-tavit primus, & viderunt eum viri, & tranſierunt poſt eum. Notà, quod hic enarratur quid fecerit Joannes filius Simonis conſtitutus Dux exerci-tus Iſraëlis, qui ut ſe opponeret trepidationi ſuo-rum, eoſque animaret, primus pertranſiit tor-rentem, qui medius erat inter ipſos, & exerci-tum hoſtium, & hoc ut prælium iniret contrà ipſos hoſtes: Et id myſticè innuit, quod fecit Chriſtus Dux omnium fidelium: nam ut timo-rem omnem excuteret à ſuis ſequacibus, & ut fortiter, & libenti animo ſe accingerent ad bel-landum contrà diabolum, mundum, & carnem, & patienter tolerarent omnes perſecutiones ini-quorum, ipſe primus trans torrentem Cedron abiit, & in horto ſubiit ipſe noſtros timores, & hinc poſt ipſum tranſeuntes per torrentem paſ-ſionum ad victoriam perveniamus, & deindè ad hortum felicitatis æternæ. *In Ioan. collat. 79.*

65. *In conviviis diaboli, & ſuorum ſequa-cium omnia mala conſequuntur.*

Et ſuſcepit eos (ſcilicet Simonem, & filios ejus) filius Abobi in munitiunculam, quæ vocatur Doch cum dolo, quam ædificavit, & fecit eis convivium magnum, & cum inebriati eſſent, occiderunt eum, &c. Ecce quid facit diabolus, & quid ipſius ſectatores: Abobi interpretatur pater incanta-tor, & hic eſt diabolus, qui nititur incantare illuſionibus ſuis mentes hominum, ſic Gloſſa; & hoc præcipuè facit in conviviis potatorum, in quibus committuntur omnia mala, & ſæpe mor-talitates, & ſicut iſti Iſraëlitæ ad tale convi-vium vocati mortem reportarunt; ſic diabolus multos ſub ſpecie amicitiæ, & familiaritatis fo-vendæ decipit, & ad mortem conducit. *In Luc. c. 14. v. 12.*

Digitized by Google

LIBER SECUNDUS MACHABÆORUM.

CAPUT PRIMUM.

66. NOTA primò, quod iſte ſecundus Liber Machabæorum eſt recapitulatio proſecutæ hiſtoriæ, deſumptæ, ex quodam magno volumine à Iaſone Cyreneo conſcripto diviſo in quinque libros partiales, quæ compilatio facta eſt tempore Demetrii ſecundi auctoritate Iudæ,& ſenatus, in qua multa ſupra enarrata repetuntur cum ſolemnitatibus variis à Iuda inſtitutis, & cum additione multarum aliarum rerum, ſic ex Gloſſa.&c.

67. *Chriſtus & Eccleſia triumphans,& militans gaudent pro liberatione animarum Purgatorii.*

Fratribus,qui ſunt per Ægyptum Iudæis,ſalutem dicunt Fratres qui ſunt in Ieroſolymis Iudæi. & qui in regione Iudææ, & pacem bonam; benefaciat vobis Deus, &c. Nota, quod hæc eſt Epiſtola, quam Iudæis morantibus in Ægypto ſcripſerunt Iudæi civitatis Ieruſalem, & totius illius regionis, in qua ſalutem præcantur ipſis à Deo, & proponunt eis varia accidentia, & ſolemnitates ab eis inſtitutas; rogantes eos ipſas ſuſcipere, & ſolemnizare: ſed myſticè nobis pulcherrima myſteria innuit hæc Epiſtola; nam per Ægyptum ſignificatur locus mæroris, undè rectè poteſt figurari Purgatorium; per Ieruſalem Eccleſia triumphans; per eos, qui in Iudæa, ſcilicet in loco confeſſionis,& pugnæ Eccleſia militans;ſed quid ſignificat Epiſtola ab his miſſa ad Ægypti habitatores? rectè poteſt dici, quòd Eccleſiæ, militantis, & triumphantis deſideria ardentiſſima ad hoc principaliter tendunt ut animæ, exiſtentes in pœnalitatibus Purgatorii liberentur,& hoc eſt idem. quod Baruc. c.4. dicit Eccleſia ad animas exiſtentes in Limbo, & Purgatorio: *emiſi vos cum luctu, & ploratu, reducet autem vos mihi Deus cum gaudio, & exultatione*, quia cum iſtæ felices animæ liberantur à pœnis, tunc redundat utrique Eccleſiæ maximum gaudium, & exultatio. *Ser.1.Dom.2.Adv.*& Ugo Card.ſuper hunc textum: *in Apoc.c.14. & alii Doctores.* Et hinc infertur,quod non ſolùm in Eccleſia militante, ſed & in Cœlo fiunt orationes, & ſupplicationes pro liberatione illarum ſanctarum animarum.

68. *Sacræ ſcripturæ verba ſunt litteræ nobis in Ægypto hujus mundi degentibus è Cœlo emiſſæ.*

Fratribus, qui ſunt per Ægyptum Iudæis, ſalutem dicunt fratres,qui ſunt in Ieroſolymis Iudæi, & qui in Regione Iudææ, & pacem bonam; benefaciat vobis Deus,&c. Nota etiam, quod cum hæc epiſtola fuerit miſſa à civitate Ieruſalem ad habitatores in Ægypto, quia Ieruſalem ſignificat cæleſtem civitatem, & Ægyptus mundum, datur nobis intelligi,quod è Cœlo nobis emiſſa eſt epiſtola continens myſteria cæleſtia.& ea,quæ in illa ſuperna civitate fiunt & hæc eſt Sacra Scriptura cœlitus nobis emiſſa, propter hæc ſicut exules, & peregrini lætantur de litteris charorum ſuorum de patria ſua miſſis, ità conſolantur amici Dei de ſcripturis divinis, quæ ſunt litteræ emiſſæ de patria noſtra; ergò ſignum eſt, quod ad cæleſtem patriam non pertinent, qui has litteras ſervare, vel audire nolunt, idem & dicendum de libris tractantibus de rebus ſpiritualibus. *Ser.3.Dom.2.Adv.*

69. *Voluntatis divinæ conformitas omnia bona ſecum portat.*

Det vobis omnibus cor,ut colatis eum, & faciatis ejus voluntatem corde magno,& animo volenti, &c. Notanda iſta verba à Spiritu ſancto dictata, & ordo ipſorum; primò copulant ſimul cultum Dei toto corde,& executionem, vel conformitatem voluntatis ſuæ,cum divina; ut videas quòd nec perfectè coli poteſt Deus ſine hac conformitate voluntatis;& quòd hæc conformitas eſt radix, & fundamentum, cauſaque omnium bonorum; unde hac ſuppoſita ſubdit; *adaperiat cor veſtrum in lege ſua,&c.* quia fert illuminationem mentis; *& faciat pacem.* nempè fert remiſſionem peccatorum, & reconciliationem cum Deo, ideò addit,*& reconcilietur vobis,* prætereà & defendit ſimul à technis, & tentationibus diaboli, undè ſubdit, *nec vos deſerat in tempore malo*, ſcilicet tentationis, ſubdit ſacer textus, *& nunc ſumus orantes pro vobis*, quia tales exaudiuntur à Patre in neceſſitate, filio conjunguntur in familiaritate, à Spiritu ſancto deducuntur in bonitate, & tandem à Trinitate admittuntur ad immortalitatem; ô beati, qui faciunt Dei voluntatem. *Ser.3.Dom.8.Pent.*

70. *Cultus Dei conſiſtit in actibus interioribus, & exterioribus.*

Ut colatis eum,& faciatis ejus voluntatem corde magno,& animo volenti; adaperiat cor veſtrum in lege ſua,& in præceptis ſuis, &c. Vide, quod ad cultum Dei requiritur, ut colatis eum: ſcilicet adimplendo Dei voluntatem libenter, & non coactè,

coactè, adaperiat cor veſtrum in lege ſuâ: quid eſt adaperite cor in lege Dei? niſi colere Deum in corde,& ore,& opere,& hæc eſt cuſtodia perfecta legis divinæ,ut habeatur in ore, foveatur in corde,& opere percipiatur, & exequatur; ideò cultus Dei perfectus exigit actus exteriores & interiores, ſed principaliter interiores. *Vide Pſ.118.c.10.v.6. op. de dono piet. c.2. & in Ioan. collat.47.*

71. *Liberatio à periculis exigit gratiarum actionem Deo.*

De magnis periculis liberati magnificè gratias agimus Deo. Ecce quid à nobis faciendum eſt, cum liberamur à periculis, debemus enim Deo gratias agere toto corde, & qui hæc non facit valdè ingratus Deo eſt. *Luc.c.1.v.71.*

72. *Alii excavando puteum cordis inveniunt ignem ſanctum in bonum, alii aquam craſſam in malum.*

Ibi erat puteus altus, & ſiccus, & non invenerunt ignem, ſed aquam craſſam. Nota, quòd ſacerdotes requirentes ignem ſacrum, qui à ſuis majoribus abſconſus fuerat in puteo alto, & ſicco ipſum non invenerunt, ſed aquam craſſam: myſticè datur nobis intelligi, quòd inter homines excavantes puteum cordis, ſcilicet in corde exquirentes peccata ibi abſconſa, alii excavant ignem, alii aquam craſſam; ignem excavant, qui excogitant, & exquirunt peccata ſua ad ipſum per pœnitentiam purganda, iſti enim amore Dei, & contritione perfecta accenduntur igne Spiritus Sancti; alii verò recogitant vitam præteritam non ad contritionem, ſed ad delectationem, & iſti inveniunt aquam craſſam, non ignem, in qua ſe involuunt, & ſemper magis coinquinant. *Op.Diat.tit.2.c.1.*

73. *In plenitudine temporum apparuit Chriſtus ſol afferens ignem, & calorem illuminantem, & inflammantem.*

Utiquè & tempus affuit, quo ſol refulſit, qui priùs erat in nubilo accenſus eſt ignis magnus, ita ut omnes mirarentur. Ecce figura Adventus Chriſti in carnem; quandò enim tempus adfuit, ſcilicet plenitudo temporum, ſol qui erat priùs in nubilo, ſcilicet cognitus tantùm in figuris, apparuit clarè veniens Verbum in carne habitans inter nos, & tunc ignis magnus accenſus eſt illuminans omnem hominem, & inflammans corda hominum amore divino, ità ut omnes mirarentur. *In ſap.c.5.*

74. *Oratio, & auxilium à nobis ferendum his, qui in captivitate infidelium miſerrimè vivunt*; ſic & orabat Nehemias pro captivis Iſraëlitis in ſervitutem Idololatrarum redactis: *Libera eos, qui ſerviunt gentibus,& contemptos, & abominatos reſpice, ut ſciant gentes,quia tu es Deus noſter*;ex hoc addiſcere debemus qualiter à nobis iſti miſeri adjuvandi ſunt. *Pſal.118.c.9.v.13.*

75. *Tempore oblationis ſacrificii omnes orent; & ſimul cum ſacerdote, & Chriſto offerant.*

Orationem autem faciebant omnes ſacerdotes; dum conſummaretur ſacrificium; Ionatha inchoante, cæteris autem reſpondentibus; & Nehemia erat oratio, hunc habens modum: Nota, quòd hic multa myſteria nobis enodantur; & primò quòd tempore divini ſacrificii omnes debent incumbere orationi; & qui alia facit, ipſe aſſiſtens eſt corpore, non corde: ſecundò quòd omnes aſſiſtentes ſunt veluti ſacerdotes ſimul cum Chriſto principali offerente,offerentes ſacrificium in nomine ipſius Chriſti; ergò caveamus tunc temporis ab omni irreverentia, & prophanis actibus. *In Luc.c.1.v.10.*

Ex capite ſecundò, nihil eſt notandum, niſi quod advertit Seraphicus Doctor de compilatione hujus libri in præfat. *in Lucam.*

CAP. III.

76. *Ex Prælatorum, & ſacerdotum ſanctâ vita dependet omnis pulchritudo Eccleſiæ.*

IGITUR *cum ſancta civitas habitaretur in omni pace, leges etiam adhuc optimè cuſtodirentur, propter Oniæ Pontificis pietatem:* Vide quomodò tanta bonitas, & obſervantia populi tribuitur pietati ſummi ſacerdotis, ut intelligant Prælati Eccleſiaſtici, & ſacerdotes omnem pulchritudinem Eccleſiæ, ordinem, juſtitiam, & ſanctitatem populi dependere ab ipſorum bonitate, pietate, & exemplari vita, quia debent eſſe forma gregis Chriſti. *Ser.1. de Apoſt. & ſer.4.Dom.2.Quadrag.in Luc.c.1.v.6.& Gloſſa hic.*

77. *Contemptores Dei, & maximè loca ſacra inhonorantes à Deo flagellantur in hac, & alia vita.*

Apparuit enim equus terribilem habens ſeſſorem; & cum impetu priores calces Heliodoro eliſit: Alii etiam apparuerunt duo juvenes,& ex utraque parte flagellabant,&c. Nota, quòd iſte Heliodorus ſic à Deo viſibiliter flagellatus erat miniſter Regis templi ſancti prophanator, & contemptor, & perſecutor ſacerdotum; idquè Deus apertè demonſtravit, ut ait Gloſſa, quod Dei contemptores, & maximè ſacerdotum, & locorum ſacrorum non ſolùm in alia vita,ſed & in hoc mundo à Deo flagellantur, vel per ſe, vel per Angelos. *Serm.2. Dom.21. Pentecoſt. & ſerm.3. feria 2. Paſchæ.*

CAP. IV.

78. *QUI de proximo, & maximè de Prælato malè loquitur ex malitiâ, Patriæ eſt proditor*; ſic dicitur de Simone, qui publicè de ſancto Pontifice Onia male loquebatur, tamquam peſſimo accuſatore, & proditore. *Pſ.118.c.2.verſ.7.*

79. *Peccator adhærens diabolo peccando conſimilis ei fit.*

Sacerdotes autem contempto templo, & ſacrificiis neglectis feſtinabant fieri participes palæſtræ. & conſimiles per omnia eſſe cupiebant, quos hoſt-s. & peremptores habuerant: Ecce ad qualem miſeriam pervenerat Reſpublica Hebræorum, nam tunc temporis non ſolùm populus, ſed & ſacerdotes relinquentes templum, & ſacrificia toti dediti erant oblationibus & ludis, quæ à Gentilibus fiebant in honorem Herculis: Nota autem, quod dicit ipſos cupientes eſſe fieri conſimiles, per quod datur intelligi, quod homo Chriſtianus ſciens dæmones eſſe hoſtes, & peremptores noſtros, tamen peccando voluntariè ipſis adhæret, & conſimilis dæmonibus fit. *in Luc.c.15.v.15.*

80. *Væ Prælatis, qui ob avaritiam relinquunt malos in regimine permanere*; nam duriſſimum judicium de ipſis fiet à Deo, ſicut factum eſt de Menelao iniquiſſimo Prælato, qui per ſimoniam intruſus fuerat ad principatum. *v. 27. ſermon.2. in Cathedr.*

CAP. V.

81. *SOLET Deus ante aliquam imminentem ruinam civitatum, & regnorum præmittere ſigna horribilia patentia*, ut contigit in everſione Jeruſalem ſub Antiocho, quæ ſigna varia in hoc capite deſcribuntur *v.1. & ſeq.* & hoc facit Deus, ut excitet homines ad pœnitentiam. *In Luc. c.21. v.10. Vide lib.2. d.14. p.2.a.2. qu.3. & op. Comp.Theol.lib.3.c.9.*

82. *Chriſtus Ieſus figuratus in Iuda Machabæo, qui ne conquinaretur cum reliquis iniquis ſeceſſit in deſertum, inter feras vitam degens, & veſcens fœni cibo:* Sic Chriſtus in deſertum ſeceſſit ad confundendam ſuperbiam humanam, & ad excitandum nos ad ſui imitationem. *Serm.2. Dom.1. Quadrag.*

CAP. VI.

83. *Prophanatio qualis, & qualiter fiat Eccleſia Dei à malis ſacerdotibus.*

TEMPLUM luxuria, & commeſſationibus gentium erat plenum, & ſcortantium cum meretricibus ſacratiſque ædibus mulieres ſe ultro ingerebant inferentes ea, quæ non licebat. O ad qualem miſeriam juſtitia Dei redegit populum & templum Jeroſolymitanom; ſed id fuit figura eorum, quæ in Eccleſia Dei aliquando contingunt ob malos ſacerdotes. & miniſtros, in qua, quæ relicta ſunt bona temporalia ad uſum, & victum miniſtrantium, expenduntur in peſſimos uſus, ſcortationes, & varia ſcelera, ô vere iſti ſunt latrones reddentes Eccleſiam ſpeluncam latronum. *Ser.1.de dedicat.*

84. *Circumciſio ſpiritualis in nobis requiritur à Deo in ſignum amicitiæ, & qualis.*

Duæ mulieres delatæ ſunt pueros ſuos circumcidiſſe, quas ad ubera infantibus ſuſpenſis cum publicè per civitatem circumduxiſſent, per muros præcipitaverunt: Notandum, quòd in hac ſæva perſecutione infinita mala paſſi ſunt Judæi, à Rege Antiocho, inter quæ proponitur hæc crudelitas in his verbis contra iſtas duas mulieres; ſed tamen ad profectum noſtrum datur intelligi, quòd cum exigat Deus à nobis circumciſionem ſpiritualem in ſignum amicitiæ cum Deo, circumciſionem, inquam, noſtrorum affectuum, non tamen debemus hos natos, & affectus ſuſpendere ad ubera, ut fecerunt iſtæ duæ mulieres ſcilicet ad nimiam ſpem de divina miſericordia, ita quod totam noſtram ſalutem collocemus in divina ſola miſericordia, abſque eo quod ipſi quoque velimus cooperari: nam iſta nimia ſpes facit nos liberiùs incedere per civitatem, ſcilicet liberiùs peccatis illaqueari: ſic enim unde deberemus iactari, inde inciperemus jugulari: pœnitentia enim vera requirit, ut fidentes in divina miſericordia, non tantùm de præteritis peccatis doleamus, ſed & cooperando, à futuris caveamus, & in bonis operibus nos exerceamus: nam qui malè agere non deſiſtunt, vel otioſi vivunt, varia ſpe indulgentiam de Dei pietate ſibi promittunt, quam rectè acquirerent, ſi ab actione mala ceſſarent, & operibus bonis inſiſterent, ex quorum defectu ſequitur præcipitatio per murum, ſcilicet in multitudine, & congerie novorum ſcelerum; cauſa igitur quare profundius præcipitat peccator poſt pœnitentiam, quia non fuit pœnitentia perfecta. *Serm.2. de Circumciſione.*

85. *Diabolus quantò altiùs ducit ſuos ſequaces, eo pejus præcipitium eis intentat.*

Duæ mulieres, &c. per muros præcipitaverunt. Ecce quod facit diabolus, ſuos enim circumducit per civitatem, ut liberius peccent, procurans eis libertatem omnem, eoſque in altum quærit elevare, ut miſerabilius præcipitium eis inferat, nempè ut matrem cum puero occidat, ſcilicet fidem cum anima extinguere faciat. *Ser.2. de Innocent.in addit.*

86. *Maxima Dei miſericordia, quando ponit obicem peccare volentibus*, ſic facit textus hic, ubi adnotatur, quod dum Deus permiſit iam ſævam perſecutionem in Judæos, qui in varia crimina ſe præcipitaverant, id fuit maximæ Dei miſericordiæ ponere obicem ipſis peccare volentibus; unde ſignum eſt, quod Deus tales omninò non

dere

Digitized by Google

derelinquit; quando igitur Deus peccatorem flagellat, ſignum eſt, quod adhuc eſt divinæ miſericordiæ ei aperta porta; Et hinc ſubdit *v.* 13. & 14. *Non enim ſicut in aliis nationibus Dominus patienter expectat, ut eas cum dies judicii advenerit in plenitudine peccatorum puniat*; ô Deus caveat nos à tali expectatione, & patientia, ſed dignetur nos in hac vitâ punire, ne in æternum nos cruciet. *in ſap. c.* 6.

87. *Martyrii ſanctorum gloria expenditur in Eleazaro.*

Igitur Eleazarus unus de primoribus ſcribarum vir ætate provectus, & vultu decorus, &c. glorioſiſſimam mortem magis, quàm odibilem vitam complectens, voluntariè præibat ad ſupplicium: Nota, quod non ſine maximo myſterio ab Eccleſiâ proponuntur egregia facinora ſanctorum Machabæorum, & præcipuè hujus Eleazari, ut nos ipſi confundamur de noſtra ignavia, & ad eamdem nos excitemur, & gloriam martyrii ipſorum, & tot aliorum, qui pro Chriſti fide animam dederunt, cognoſcamus; quæ gloria præcipuè in tribus relucet, nempè in ſuſtinendo mortem glorioſam, quia horruerunt odibilem vitam, & quia habuerunt mentem virtuoſam; primum habetur ibi eligens magis glorioſiſſimam mortem; ſecundum ibi quàm odibilem vitam; & tertium ibi, quia voluntariè præibat ad ſupplicium; mors enim ſanctorum glorioſa fuit, quia aſſumpta fuit pro Deo, pro fide, pro juſtitia, pro lege Dei ſervanda, & ideo fructuoſa propter exemplum ad proximum, & pretioſa quoad Deum, & hinc conſequenter patet, quod odibilis eſt vita contrà Deum ſervata à doloribus occupata erroribus, & non conducta in ſanctis operibus; & tandem mens virtuoſa ſanctorum elucet, quia prompta fuit ad ſuſtinendam pro Deo adverſitatem, ad exhibendam pro Deo pietatem quoad proximum, & ad faciendam Dei voluntatem, & in his gloria Martyrum maximè elucet, ſed præcipuè in hoc, quod paſſi ſunt cum lætitia cordis. *Ser.* 2. *de uno Martyre in addit. & ſer.* 2. *de plur. Martyr.*

88. *Fortitudo animi Deum diligentium qualis.*

At ille glorioſiſſimam mortem magis, quàm odibilem vitam complectens, &c. Vide quali fortitudine iſte magnus vir prædictus eſſet, quæ rectè ſuo nomini competit; Eleazarus enim interpretatur Deus meus adjuvans feſtinanter, quia à Deo adjutus verè fortitudinem politicam habuit qua animum ſuperiorem habuit ſuprà periculi metum, nihilque niſi turpia timebat tolerans fortiter omnia proſpera, vel adverſa; ô qualis vis, & quàm grandis, & invincibilis eſt quâ à Spiritu ſancto armantur ſui milites. *Ser.* 1. *Hexam.* ſic & reſpondit miniſter Imperatoris Eudoxiæ, minanti exilium, & mortem ſancto Joanni Chriſoſtomo; nihil facis ô Imperatrix cum Chriſoſtomo, nihil enim aliud timet præter Deum, & peccata.

89. *Exemplum bonum quàm Deo charum maximè in Prælatis, & quàm neceſſarium.*

Quamobrem vita fortiter excedendo ſenectute quidem dignus apparebo, adoleſcentibus autem exemplum forte relinquam. Vide quali intentione iſte ſanctus mortem elegit; nempe pro lege Dei vitam expoſuit, & ad ædificationem proximi, & hoc eſt ad quod majores, ſeniores, ſacerdotes, & Prælati debent aſpicere; tenentur enim paſcere inferiores exemplo ſanctæ converſationis, verbo prædicationis, & fructu orationis, & qui oppoſitum facit quantum in ipſo eſt ſubditos occidit. *Op. Phar. lib.* 1. *c.* 11. & 12.

90. *Proprium eſt innocentum ſuſtinere adverſa lætanter è contra reorum cum triſtitia.*

Fortiter vita excedendo ſenectute dignus apparebo, &c. Nota illud verbum fortiter, ideſt patienter, addit infrà & lætanter ſecundum animam hæc patior; hoc enim proprium eſt innocentiæ, amore Dei informatæ lætanter pati adverſa quæcumque; ſicut è contra proprium eſt reorum, & iniquorum pati cum triſtitia, & mœrore, quia patiuntur propter ſuas iniquitates, & ſcelera. *Ser. de S. Agatha, & Pſal.* 140. & *ſer.* 1. *Hexam. & op. Eccleſ. Hierarch. p.* 4. *c.* 4. & *op. Comp. Theol. lib.* 5. *c.* 36.

91. *Sacra ſcriptura dicitur lingua ſancta, & pura, & quare.*

Ac fortiter pro graviſſimis, ac ſanctiſſimis legibus honeſta morte perfungar: Nota, quod Eleazarus luce cæleſti illuſtratus appellat legem Dei graviſſimam, ac ſanctiſſimam; graviſſimam inquit ideſt honeſtiſſimam, & meritò nam ob id dicitur ſacra Scriptura lingua ſancta, & honeſta, quia nihil boni, vel turpis omittit, quo poſſit homo addiſcere quid ſibi faciendum, & quid omittendum; attamen in narrando turpia utitur figura, circuitu, & circumlocutione, & eadem fœda narrat per verba tranſumpta, & accommodata non per verba propria fornicationis, vel alicujus alterius turpis ſceleris, & ideò meritò vocatur lex diſciplinæ, ac ſanctiſſima, graviſſima, & honeſtiſſima. *Op. Princip. Sacra ſcript.*

92. *Scire, quod Deus omnia videt, & adſpicit ad tolerantiam pœnarum maximum robur Martyribus.*

Domine, qui habes ſcientiam ſanctam, manifeſtè tu ſcis, quia cum à morte liberari poſſem, duos corporis ſuſtineo dolores: Ecce quid robur maximum ingerebat animo Eleazari in tormentis conſtituto; nempè ſcire, quòd Deus ipſum aſpiciebat, ejuſque patientiam, & hæc eſt maxima conſolatio Martyrum, & fidelium pro Chriſto mala tolerantium, ſcire namque, quod Deus aperte videt an dura, an ſuavia, an juſte, an injuſte, an impatienter ſuſtineantur mala. *Ser.* 4. *Dom.* 4. *poſt oct. Paſcha.*

93 *In Antiocho figuratus eſt Antichriſtus.*

Contigit autem ſeptem fratres unà cum matre ſua apprehenſos compelli à Rege contra fas edere carnes porcinas, flagris idest virgultis ad invicem ligatis, & taureis cruciatos, idest flagellis de corio tauri factis. Nota, quod non ſine myſterio hic enarrat Sacra ſcriptura, myſterium horum ſeptem fratrum, cum matre ipſorum, quia in matre ſignificatur ſancta Eccleſia mater omnium Martyrum, & in ſeptenario numero univerſitas Martyrum pro fide certantium; in Antiocho autem figuratur Anti-Chriſtus, qui ſicut Antiochus conabitur omnes leges in unam falſam reducere; ſic autem Antiochus conatus eſt legem Dei Judæorum totaliter deſtruere, & cæteras etiam aliarum nationum ad ſuam reducere. *Ser. 5. Hexam. & Gloſſa.*

CAP. VII.

94 *Aliquando non licet ſine peccato facere aliquod opus de ſe etiam licitum.*

CONTIGIT *autem ſeptem fratres unà cum matre ſuo apprehenſos compelli à Rege contrà fas edere carnes porcinas, &c.* Cur iſti celebrantur ut Martyres, qui ne ederent carnes porcinas, mortem ſuſtinuerunt, cum eſſet licitum tempore neceſſitatis ipſas edere, nec enim hoc præceptum obligabat tali tempore? & quæ major neceſſitas, quàm ſervare vitam, & mortem vitare? ſed attende ad hanc doctrinam veram; primò non eſt licitum facere aliquid alioquin licitum, quando id à diabolo ſuadetur, ut patet in Chriſto, qui ſuadente diabolo noluit facere panem de lapidibus, quod tamen bonum erat: ſecundò ſi proponatur aliquod opus contrà legem Dei, etiamſi eſſet aliàs licitum, ut comedere carnes porcinas, Judæis vetitum, non tamen in tempore neceſſitatis, ideò rectè ut Martyres honorantur ob Eccleſia; tertiò quando bonum eſt cum ſcandalo aliorum, ut patet: *Cor. c. 8.* quarto quando bonum fit ad oſtentationem; quintò quando bonum impedit obedientiam ſuperiorum. *Op. Comp. Theol. lib. 2. c. ult.*

95. *Lex Dei non ſolùm in memoria conſervanda, ſed etiam in digitis liganda.*

Parati ſumus magis mori, quàm patrias Dei leges prævaricari: Nota iſta verba, & transfer mentem cum illis. *Prov. c. 7. & legem meam liga in digitis tuis*; cur in digitis vult Deus ligari legem ſuam? quia non ſufficit legem Dei in memoria conſervare, ſed requiritur, ut etiam in digitis ligetur, ſcilicet cum operibus obſervetur, ità ut citiùs à corpore, quàm à lege ſolvatur vita, ſic dicebant iſti ſancti Machabæi; *Parati ſumus magis mori, quàm patrias Dei leges prævaricare*; Videat ergò unuſquiſque ſi paratus ſit pro amico Jeſu Chriſto ponere animam ſuam, quàm vivere, & relinquere legem Dei; eligat igitur homo magis Deo dilecto mori, quàm offenſo vivere; hoc eſt experimentum veræ dilectionis. *Ser. 3. Dom. 17. Pentecoſt. & ſer. 2. de uno Doct. in addit.*

96. *Qui pro Chriſto perdit animam, & corpus, ipſam ſalvabit integram.*

Tu quidem ſceleſtiſſime in præſenti vita nos perdis, ſed Rex mundi defunctos nos pro ſuis legibus in æterna vitæ reſurrectione ſuſcitabit: Ecce quomodo ſtant ſimul perditio, & ſalvatio ſervorum Dei; nam qui perdit animam, & corpus pro Chriſto, ipſam ſecurè ſalvat, quia poſt mortem ſalvat in Cœlo animam, & in reſurrectione generali corpus integrum, & perfectum, & beatificatum recuperabit: perde igitur te ò homo pro Chriſto, ſi vis ſalvus eſſe. *Ser. 2. Dom. 3. Pentec. & in Luc. c. 9. v. 24.*

97. *Juſti linguam, & manus extendant ſi Deo placere cupiunt.*

Poſt hunc tertius illuditur, & linguam poſtulatus citò protulit, & manus conſtanter extendit, & cum fiducia ait; è Cœlo iſta poſſideo, ſed propter Dei leges nunc iſta deſpicio. Vide conſtantiam tanti militis Dei, qui non ſolùm linguam, ſed & manus promptè extendit ad tormenta, ut hinc diſcant fideles, quod ſi volunt Deo placere debent extendere linguam in confeſſione peccatorum, & manus in ſatisfactione, & mortificatione, ut linguâ, & manu luant quod peccarunt iiſdem organis. *Serm. 1. de Sanct. Andrea in addit.*

98. *Spei in Deum efficacia mirabilis in pectore etiam feminco expenditur.*

Suprà modum autem mater mirabilis, & bonorum memoria digna, quæ pereuntes ſeptem filios ſub unius diei tempore conſpiciens bono animo ferebat propter ſpem, quam in Deo habebat ſingulos illorum hortabatur, &c. Ecce grande prodigium in hac matre, quæ verè pluſquam martyr poteſt appellari, dum ſeptem filiorum mortem crudeliſſimam forti, & conſtanti, & læto animo toleravit, ſed quid eſt, quod tantam conſtantiam ejus cordi inſeruit? reſpondet ſacer textus propter ſpem in Deum, ò mirabilis efficacia ſpei in Deum; hæc enim in quacumque tribulatione animam confortat, & cor roborat; mentem elevat; & ſuprà omnia creata erigit in Cœlum. *Op. Comp. Theol. lib. 5. cap. 22. Vide Diat. tit. 5. cap. 4.*

99. *Totum ſe debet homo Deo, quia totum ab ipſo recipit, & ob id ejus providentia totum ſe committere.*

Dixit hæc mater ad filios; neſcio qualiter in utero meo apparuiſtis, neque enim ego ſpiritum, & animam donavi vobis, & vitam, & ſingulorum membra non ego ipſa compegi, &c. O utinam hæc verba hujus viraginis frequenter animo volveremus; quia dat nobis intelligere, quod ſicut totus homo eſt à Deo, totum ſe debet etiam ipſi Deo; & ideo ſi diligimus patrem carnalem, quia ab eo partem tantùm ſubſtantiæ accepimus, ergò magis debemus diligere Deum Patrem ſpiritualem, & Creatorem à quo totum accepimus tam carnis, quàm animæ, ergò & in ejus providentiâ

videntiâ totos nos debemus collocare, cum id, quod habemus, & ſumus ſit totum ipſius Dei; ô miſer ego quantum diligere deberem Deum meum, qui me fecit, cum non eram, & de nihilo fecit me, non lapidem, non arborem, non aliquod de animalibus, ſed hominem voluit me eſſe, dedit mihi vivere, ſentire, & intelligere; & cum hæc omnia, & alia multa conſidero, dolore pariter, & rubore confundor, dolore, quia animam perdo; rubore, quia patrem tam magnificum non agnoſco; amemus ergo Deum noſtrum, & relinquamus omnia propter ipſum, & in amore noſtro nullum Deus habeat ſocium. *Serm.8.de Apoſtolis: in Luc.c.12. v.25. & cap.10. verſ.38.*

100. *Patientia juſtorum in tribulationibus magis elucescit.*

Exemplum hujus veritatis habemus in matre iſtorum ſeptem filiorum, quæ ipſorum mortem non ſolùm in patientia ſuſtinuit, ſed & appetiit & ad mortem eos ſuis monitis quantum potuit animavit, dicebat enim *fili mi miſerere mei, qua te in utero novem menſibus portavi, &c. peto nate, ut aſpicias ad Cœlum, &c.* unde ſicut aurum purum ab omni ſcoria ſeparatum, quantumcumque ſit in igne excoctum, nec auget valorem, nec minuit pondus, ſed fit amplius fulgidum, ſic & iſta mulier, ſic & juſtus patientiâ verâ armatus. *Ser.2.de plur.Martyr.*

101. *Ad cæleſtium bonorum deſiderium omnia creata nos debent excitare.*

Peto nate ut aſpicias ad Cælum, & terram, & ad omnia, quæ in eis ſunt. Cur huic filio poſito in agone mortis mater proponit, ut non ſolùm aſpiciat ad Cœlum, ſed & ad terram, & alia creata? nonne iſta ſunt potiùs incentivum diſtrahendi animam à cæleſtibus? ſed attende, quia iſta mulier intendebat totum cor filii elevare ad deſiderium amœnitatis Cœlorum ex conſideratione amœnitatis iſtorum terrenorum, & ut eſſent ipſi veluti ſcala ad aſcendendum mente in Cœlum. *Vide ſerm.3.in Aſcenſ.& ſer.1. & 2. de uno Martyr.*

CAP. VIII.

102. DEUS *ſuorum ſervorum ſæpè famam virtutum diffundit, ut major ſibi gloria redundet*; ſic dicitur hic de Juda Machabæo, qui pro legis divinæ obſervantia contrà hoſtes ſtrenuus erat, & viriliter pugnabat; ſic etiam de pluribus ſanctis legitur. *Serm. de Sanct. Eliſabeth.*

103. *Cum diabolo; & cum infidelibus numquam debent fideles reconciliari:* maximè quando hæc reconciliatio periculum labendi in peccata ſecum portat: ſic de Juda Machabæo legitur, quòd rogabat Judæos, ne hoſtibus unquam reconciliarentur. *Ser.4.Dom.5.Pent.*

104. *Sanctus Franciſcus figuratus in Iuda Machabæo, qui dato ſigno pugnavit contra Nicanorem, & occidit ſuper novem millia hoſtium.* Iſte fuit Beatus Franciſcus, in quo reluxit ſignum divinæ potentiæ dux factus Fratrum Minorum, tres ordines inſtituit, ſcilicet Fratrum Minorum, pauperum Dominarum, & pœnitentium; & per primum ordinem pugnavit contra Nicanorem, ſcilicet diabolum, & interfecit homines diaboli per ſe, & ſuos, carnalem eorum vitam gladio verbi Dei trucidando; hinc autem dicitur *ſuper novem millia*, ſcilicet qui ad novem ordines Angelorum aſſumendi ſunt. non ſolùm autem ad iſtos novem ordines duxit multos, ſed & ſuper ipſos elevari fecit diverſos ſanctos, & hoc fecit dato ſigno adjutorii Dei per gratiam miraculorum à Deo ſibi collatam, quia fuit vir mirabilis in ſignis, & prodigiis. *Ser.3.de S.Franc.in addit.*

CAP. IX.

105. SUPERBUS *quo magis in altum ſe erigit, eò fortiùs, & turpiùs cadit.* Exemplum hujus veritatis patens tribuit ſuperbus Anthiochus, qui in ſuperbiam elatus, poſt multas crudeliſſimas clades Judæorum, & ſanctorum, videns ipſos ſibi rebellaſſe, juſſit agitari currum ſuum ſine intermiſſione agens iter Jeroſolymam verſus; & congeriem ſepulchri Judæorum eam facturus, apprehenſus diro dolore viſcerum de curru cecidit cum maximâ membrorum colliſſione; ſic Deus facit cum omnibus ſuperbis, eos cadere faciens, qui in ſublime ſe nimis erigunt. *Ser.1.de S.Thoma.*

106. *Iracundia quàm grande malum; item & ſuperbia.*

Ignem ſpirans animo Anthiochus in Iudæos tam fœdo morbo vexatus eſt, ut de corpore impii vermes ſcaturirent, ac viventes in doloribus carnes ejus effluerent; odore etiam illius, & fætore exercitus gravaretur. Vide quale malum eſt ira; nam qui iracundia ſpirat in alios, graviter in anima infirmatur; vermes etiam ſcaturiunt, ſcilicet agitationes, & motus, & amaritudines iræ, fœtor etiam morum gravis eſt ipſi iracundo, & cæteris. *Ser.1.Dom.20. Pent.* Idem & dicendum de ſuperbo, qualis fuit iſte vir peſſimus. *Ioan.collat.53.*

107. *Tribulationes habent vim convertendi ad Deum quantumlibet perverſum.*

Sic contigit in hoc peſſimo Antiocho, qui multis doloribus graviſſimis oppreſſus poſt tot ſcelera, & immanitates, tandem exiit in hoc dictum etiam ipſo lumine naturali notum; *Iuſtum eſt ſubditum eſſe Deo, & mortalem non paria Deo ſentire*; licet hæc oratio eſſet accepta Deo. *Luc.c.12.v.57.& ſer.1.de S.Thoma.*

108. *Pœnitentia, quæ non habet pro objecto Dei offenſam, ſed fugam temporalis pœnæ, Deo inviſa.*

Orabat hic ſceleſtus Dominum, à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus. Cur negatur miſeri-

cordia

Prophetæ,& ſacerdotes,ut veluti Reges ſubjugent reprobos,& malos eos puniendo; & Prophetæ ipſos cibo verbi Dei informando; & ſacerdotes eos orationibus adjuvando; ſi Prælati hæc fecerint,facilè ſubditi majorum conſuetudinem ſequentur. *Ser.2.de Prælatis in addit.*

114. *Exterior diſciplina in Religionibus non eſt deſpicienda.*

Statuimus templum illis reſtitui, ut agerent ſecundùm conſuetudinem majorum. Nota, quòd myſticè Jeruſalem eſt Religio,in qua debent conſuetudines antiquæ majorum obſervari;nam in Religione non ſolùm eſt cavenda inobſervantia præceptorum, & votorum,& ſtudium devotionis conſervandũ, quæ duo principaliter obſervari debent, ſed etiam cavenda negligentia exterioris diſciplinæ,quam majores, & fundatores Religionum inſtituerunt pro decore Religionis,& habitationis profectus ſpiritualis; quæ licèt non ſit abſolutè neceſſaria, quaſi aliter vivere non poſſit Religioſus,tamen ſic magis convenit propter honeſtatis conformitatem, & uniformem fratrum converſationem, ne pro libito quiſque vivat,& faciat, undè fortè alii turbantur, & ideo talium obſervantiarum deſertio, habetur in obſervantibus Religionibus pro ſigno neglectæ conſcientiæ,& interioris levitatis: his tamen ſtantibus notent Prælati in iſtis obſervantiis exterioribus, & maximè quæ in ſe indifferentes ſunt, ſed propter aliud ſtatutæ,ne nimis ſcrupuloſi ſint;licet enim debeant in omnibus obſervari, tamen ſi aliquando ex ſubreptione oppoſitum evenit,dummodo in deſuetudinem non abeant, non debent ſe,& alios turbare,ſed diſſimulare;in iis verò, quæ immediatè ſpectant, & conferunt ad cultum Dei, & obſervantiam votorum,& præceptorum magis ſint ſolertes,& cauti,ne omittantur ſine maxima neceſſitate.*Op.de ſex alis Seraph. c.3. vide op. Diſcipl. in Præfat.*

CAP. XII.

115. *Malorum ſocietas quàm pernitioſa ſervis Dei.*

I*OPPITÆ rogaverunt Iudæos aſcendere ſcaphas, &c.* Nota, quòd Ioppitæ infideles invitarunt Iudæos ad aſcendendum ſecum in navibus,quod & iſti fecerunt,ſed eos doloſè ſub ſpecie amicitiæ demerſerunt in mari:myſticè Ioppe interpretatur pulchritudo,&Ioppitæ ſignificant amatores pulchritudinis mundi, Iudæi verò confitentes & Religioſos Dei ſervos;datur ergò intelligi, quòd Religioſis, & ſervis Dei imminet totalis ruina ex adhæſione, & familiaritate cum mundi amatoribus,quia periculoſiſſima ſemper eſt, & fuit malorum ſocietas.*Ser.3.Dom.3.poſt oct. Epiph.*

116. *Renuntiatio rerum temporalium, & maximè in beneficium mortuorum ſignum fortitudinis cæleſtis.*

Vir fortiſſimus Iudas collatione facta, duodecim millia drachmas argenti miſit Ieroſolymam offerri pro mortuorum peccatis. Cur copulat facet textus fortitudinem præexcellentem Iudæ Machabæi cum oblatione drachmarum pro mortuis? cur non potius fortiſſimus appellatur in proſtratione hoſtium,ſed reſpondetur, quòd iſte magnus vir, verè ſe fortiſſimum oſtendit,cum divitias,aurum, & argentum,& omnia mundana contempſit,nec ſibi ea appropriavit, ſed ſe ſpoliando alios fratres ditavit; verè enim eſt maxima fortitudo animi deſpicere totum mundum,&omnia quæ in eo ſunt pro Chriſto.*ſer.5.de uno Martyr.*

117. *Suffragia mortuis exhibere quàm ſanctum, & ſalubre opus.*

Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio, pro defunctis exorare,ut à peccatis ſolvantur. Nota, quòd in his verbis Spiritus Sanctus excitare intendit viventes ad porrigendum ſuffragia animabus exiſtentibus in Purgatorio,& ut id impetrent efficaciùs; dicit, quòd ſancta,& ſalubris eſt cogitatio, ſeu opus ſanctum,& ſalubre:cur ſanctum? Sanctum quia ſancitum, & ordinatum eſt ab Eccleſia, ſanctum item, quia eſt effectus charitatis, ſanctum item, quia eſt opus ſummè charum Deo,& Sanctis, & Eccleſiæ, & ſalubre,quia utile eſt, & pro ipſis defunctis, & pro porrigentibus ſuffragia; hoc opus enim affert meritum, & valet ad impetrandum à Deo bona ſpiritualia, & temporalia ultra liberationem ipſarum animarum *Vide ſerm.de animabus per totum;& lib.4.d.45.a.2.per totum, & Gloſſa hic.*

CAP. XIII.

118. *Cor ara Dei eſt,in qua ignis cum cinere ſemper ſervandus.*

M*ULTA erga aram Dei delicta commiſit Menelaus, cujus ignis, & cinis erat ſanctus, ipſe in cineris morte damnatus eſt.* Nota hic de ara,in qua ignis, & cinis ſanctus ſervatur, quia hæc ſignificat cor noſtrum, quod vult Deus ſibi tantùm dicatum,& tunc dicatum eſt, & conſervatur, quando in ipſo ignis, ſcilicet fervor gratiæ Spiritus Sancti fovetur, ſed tamen adverte, quòd ad hoc requiritur cinis, ſcilicet humilitas, hac enim ſolùm virtus, & amor in Deum poteſt conſervari.*Ser.2.in die Ciner.*

119. *Qui aram Dei, & Altare prophanat à Deo ſeveriſſimè punitur.*

Hic quia multa erga aram Dei delicta commiſit, cujus ignis, & cinis erat ſanctus; ipſe in cineris morte, ideſt ſepulchro damnatus eſt. Vide quàm verum eſt, quod per quæ quis peccat, per hæc & punietur; & maximè qui contra aram, & templum ſacrum Dei peccat, & juſtiſſimè à Deo punitur; & ſæpè deficientibus ei ſepultura in loco ſacro, vel aliis ſpiritualibus auxiliis factis; hoc patet ex textu: myſticè autem datur intelligi, quòd qui peccat contrà aram Dei, ideſt conſcientiam,meritò,& juſtè à Iudice Deo damnatur,quando incineratur in corpore & anima in inferno præcipitatur. *Ser.2.in die Cin.*

120. *Iniqui oſtendunt proximo in malum ſua bona,alii vitia in damnum proximi.*

Et Rex mente effrenatus veniebat nequiorem ſe patre ſuo Iudæis oſtenſurus. Ecce ad quale præcipitium

 redig.

redigitur mente perditus in vitiis, nam ſunt aliqui mali, qui oſtentant quidem virtutes proximo, quod verè eſt malum, ſed tamen peſſimum eſt velle oſtentare vitia in damnum proximi, & hoc eſt proprium ſcandaloſi. *Ser.2.Dom.22.Pentec.*

CAP. XIV.

121. *Signum Sanctæ Crucis robur animæ adjicit, & victoriam contra hoſtes parit.*

ET dato ſigno eis de adjutorio Dei, ipſe Dux in prima acie commiſit bellum, & facto ſibi adjutore omnipotente, interfecerunt ferè quatuordecim millia hominum, & reliquos fugere compellerunt. Quodnam hoc ſignum fuit, quod ſuis Judas dedit de victoria obtinenda? certè hoc ſignum fuit aliquod ſignum externum, ſed non exprimitur ob brevitatem hiſtoriæ, crediturque fuiſſe revelationem factam à Deo de tali victoria, ipſam notificaſſe exercitui: myſticè tamen ſolùm proponitur ſignum datum, ut alluſio fieret ad ſignum ſanctæ Crucis, quæ eſt vexillum Chriſtianorum, & ſicut dictum eſt à Chriſto Conſtantino, *In hoc ſigno vinces.* Sicut rei eventus ſæpè probavit: hoc igitur ſigno milites Chriſti, & fortiores fiunt, & triumphant de hoſtibus omnibus. *Ser.in Exaltat.S.Crucis.*

122. *Mali abſtinent ſe à malis operibus non propter odium ad malum, nec propter timorem Dei, ſed propter timorem hominum, & iſti ſunt impii Deo exoſi.* Sicut legitur de Nicanore impio, qui à cladibus ſe abſtinuit ob timorem Judæorum viriliter pugnantium. *Pſalm.118.c.11.v.4.*

123. *Capilli, & inteſtina reſurgent cum corpore in die reſurrectionis.* Quod habetur hic in perſona cujuſdam juſti, qui in faciem hoſtium projecit ſua inteſtina, invocando Deum, & hæc ſimul cum corpore reſurgerent. *Lib.4.d.44.p.1.a.1.q.2.* Et quia iſte ſe occidit voluntariè, ne in manus Gentilium traderetur; hic diſquirunt Doctores an quis licitè ſe poſſit occidere, de quo vide hic Gloſſam ordinariam, & Lyrani. *Vide lib.3.d.38.dub.2. & ſer.6. de decem præceptis.*

CAP. XV.

124. *Verbum Dei mirabiliter fortificat animam contra diabolum, mundum, & carnem.*

MACHABÆUS autem confidens in Deo ſuos armavit, non clypei, & haſtæ munitione, ſed ſermonibus optimis, & exhortationibus, expoſito digno fide ſomnio, &c. Ecce qualibus armis ſuos milites corroboravit iſte Dux contra ſuos hoſtes, ſcilicet verbi Dei prædicatione, excitatione fidei, & ſpei in Deum, & exhortationibus ſpiritualibus; diſcant hic Prælati, & Rectores animarum qualiter armare, & roborare ſuos ſubditos poſſint contra perſecutiones inſurgentes, contra carnis laſciviam, mundi oblectamenta, & Dæmonum impulſus, nempè prædicatione verbi Dei, & exhortationibus ſanctis, ſic eorum virtus erit fundata ſuper Chriſtum petram ſolidam. *Ser.4.Dom.Pentec. & Pſal.118. c.2. v.5. & op.Comp.Theol lib.5.c.36.*

125. *Ille magnus eſt apud Deum qui, apud ſe parvus eſt.*

Apparuit Iudæ alius vir ætate, & gloria mirabilis & magni decoris, &c. Quid eſt, quòd reddit hominem ætate, & gloria mirabilem? Nota, eſt id, quod reddit hominem parvum apud ſe, & humilem, hic enim eſt apud Deum magnus; & ſic mirabile eſt quòd ſimul, & ſemel ſit ſuperior, & inferior, primus, & ultimus, nihil, & aliquid, magnus, & parvus. *Ser.2.de S.Nicolao in addit.*

126. *Qui ſe, & ſua pro proximi utilitate ſpirituali, & corporali impendit.* De hoc dicitur; quòd hic de alio ſancto viro. *Hic eſt Fratrum amator, & populi Iſrael, qui multum orat pro populo, & univerſa ſancta civitate. op. meditat c.48.*

127. *Verbum Dei gladius acutus quo triumphatur contra diabolum, & vitia.*

Accipe ſanctum gladium munus à Deo, in quo dejicies adverſarios populi mei Iſrael. Nota, quòd myſticè hic gladius eſt verbum Dei, dicitur à Deo Doctoribus, & Prædicatoribus, Accipe hunc gladium Sanctum, quia verbi Dei virtute dejiciuntur omnes hoſtes Dei, & vitia occiduntur in fidelibus, & ſimul Eccleſia munitur contra omnes perſecutiones. *Ser.3.Dom.infrà oct.Nativ. & ſer.5. de uno Doct. in addit.*

128. *Lingua qualiter puniatur in inferno.*

Linguam etiam impii Nicanoris præciſam juſſit particulatim avibus dari. Nota, quòd inter ſigna vindictæ oſtenſa à Juda contra impium Nicanorem, voluit, ut ejus lingua, qua tam male uſus fuerat contra Deum, & totum Iſrael, præcideretur, & particulatim avibus daretur, & meritò. Hinc diſcamus, quòd lingua in inferno punitur diriſſimè, eo quia linguâ impius impugnat divinam majeſtatem, veritatem, bonitatem, & charitatem, omniumque morum honeſtatem: Majeſtatem per verba jactantiæ, & blaſphemiæ: veritatem, per verba mendacia; bonitatem per verba blandientia, & deceptoria: charitatem per verba litigatoria; & per verba impudica morum honeſtatem. *Luc. c. 16. v.23.* O caveat Deus à malis effectibus linguæ, ut ſimus perfecti, & Deo obtemperemus, & vivamus ſecundùm Dei voluntatem, & beneplacitum, & in hoc eſt conſummatio in hoc libro: & ſic his expoſitis nobis apparuit rota in medio rotæ, ſcilicet vetus teſtamentum in medio novi, ut ait Seraphicus Doctor *in proœm. Brevil.* quæ magis in expoſitionibus novi Teſtamenti, Deo favente, & Seraphico Doctore adjuvante, in ſequentibus apparebit ad gloriam Domini Ieſu Chriſti, ejus Beatiſſimæ Matris, & ejuſdem Seraphici Doctoris Sancti Bonaventuræ.

INDEX

INDEX GENERALIS

CONCEPTUUM, ET RERUM MAGIS NOTABILIUM,

quæ in tertio tomo Gloſſæ Seraphicæ continentur; comprehendente omnes libros Teſtamenti veteris à Proverb.uſque ad Machabæos; in quo numerus citatus eſt marginalis cujuſque libri.

NOTANDUM EST, QUOD PROV. INDICAT librum Proverbiorum: Eccle. vel. Ecclen. Eccleſiaſte. Cant. Cantici Canticorum: Eccli. Eccleſiaſtici: Iſa. Iſaia. Hier. Hieremia: Thren. Threnorum Baruch. Ezech. Ezechielis: Dan. Danielis: Oſ. Oſea, Ioel; Amos: Abdia: Ion. Iona: Mich. Michea, Nahum, Abac. Abacuc. Soph. Sophonia, Agg. Aggæi, Zacch. Zaccharia, Mal. Malachia. Machab. Machabæorum.

A

ABSTINENTIA qualis virtus, ejuſque effectus mirabiles. In Dan. n.3.& 6. & 94. In Eccleſiaſticum. n.109. ſeq. In Prov.n.425. Ezech. n. 58. Quàm Deo chara. Hier.n.551. Alia virtuoſa, alia vitioſa. Zach.n.34

Abſtinentia à Chriſto; Crapula à diabolo ſuadetur. Prov.n 695

Abundantia rerum temporalium quàm periculoſa. Prov.n.779

Acetum ſpirituale bonorum, & malorum quale. Prov.n.330

Acidia quale vitium, ejuſque effectus peſſimi. In Prov.n.300.ſeq.405. ſeq.& 549.599. 656. 674. Eccli.n.310.& 411

Activa vita ſemper laborat, ſimulque in Deo quieſcit. In Ezech. n. 263. in Zacch. n. 17. V. Contempl. V. Vita activa.

Ada, peccatum quomodo redundavit in poſteros. Ezech.n.138

Adæ funiculi, quibus Deus nos trahit, quales. Oſeæ.n.76

Adoleſcens malus totam ſuam vitam diabolo dedicat. Thren.n.9

Adoratio Dei exigit actum interiorem, & exteriorem. In Iſai.n.796. ſeq.

Adoratio Crucis qualiter facienda. Iſai. n.216

Adventus dies inſtituti ab Eccleſia ad præparationem celebritatis Nativitatis Chriſti. Amos. n.12. Malach.n.20

Adverſitates quàm utiles. Hier.num.191. V. Tribulatio.

Adulatio quale malum, fugienda maximè à Prælatis. Prov. num. 315. 5ta. 788. & 835. Iſa. n. 63

Adulterium quàm grave ſcelus. Prov.n.141.& 166. Eccle.n.320

Ædificia ſuperflua in Religionibus, quam damnoſa. Iſa.n.626. Fundata in Dei offenſa, & proximi ruinoſa. Eccle.n. 16, & 300. Amos num.101 Abac.n.24.ſeq. V. Fabrica.

Æſtas ſpiritualis eſt juſtorum; hyems peccatorum tempus. Cant.n.97. ad 99

Æternitatis itinera enarrantur. Abac.n.36

Agnes Virgo civitas ſancta. Iſa n.662

Agnus eſt, Chriſtus Ieſus. Iſa.n.555

Agricultura ſpiritualis qualiter exercenda. Eccli. n.98.& 530.ſeq.

Agricola ſit Prælatus, Prædicator, Pater. Hier. n.9.ſeq.

Alas Aquilæ alii habent, alii alas milui. Zacch. n. 26. Hier. n.41

Alexandri magni infirmitas, & mors oſtendit fugacitatem hujus vitæ. Machab n.1

Altarium prophanatio, & Eccleſiarum à Deo ſeverè punitur Machab. n 119

Altaris miniſtrorum munera, & obligationes quales. Iſa.n.674.ſeq.

Altare myſticè eſt crux, & crucifixus. Iſa. n.182. & 787. Thren. n. 49. Item fides catholica. Thren. n.50. Item cor, & anima vel benedictum, vel maledictum. Thren.n 51. Iſa. n.182. & 787

Altitudo cordis alia à Deo elongat; alia approximat. Ezech. n.202. Hier.378 Prov. n.692

Ambitio excidium mundi. Prov. 611. Machab. n.3. Tota in ſpumam reſolvitur. Oſeæ n 69

Amicus verus, & fictus quis Eccli. 75. 78.& 501. ſeq. Thren.n.41. Prov.546. & 583. Verus eſt Deus, & Angeli. Eccli. n.75. 77. ſeq. & 505. ſeq. Mich.n.33. Fictus eſt diabolus, mundus, & caro Ezech.n.162. ad 164. Thren.n.41. Prov. n.3.6.146.583. Cum inæqualibus cavenda Eccli.n.176 Amicus Chriſti quis. Prov. n. 544. ſequentibus. Amicus iniquus verus inimicus. Eccli n.76

Amor communicat cordi qualitates objecti amati. Oſeæ. n.61. gignitur ex ſimilitudine. Eccli.n.181

Amor in Deum languorem, & gladium dulcem in anima portat.Cant.n.77.ad 82. Dulcia reddit omnia etiam amara. Cant. n 306. Fortior morte,& inferno. Cant.n.318. Mortem ſpiritualem deſiderabilem affert. Cant. 319 Attrahit ad nos Dei oculos, & amorem,Eccli.n.612. & n.478.Prov,n.203.& 592. Sit purus ſine admixtione carnalitatis.Iſa.n.29.ſeq.Idem ad ſolam Dei gloriam reſpicit. Iſa. n. 166. Amoris Dei diſcrimen in hac, & alia vita. Iſa. n. 443. Menſuratur ex odio ad peccatum.Prov.n.202. Quot bona animæ adferat. Prov. n.221. Excitatur ex conſideratione Dei amoris in nos. Prov.n.685. Mel eſt animæ dulciſſimum.Prov. n. 714. Ignitam reddit animam. Prov. n.866. Dei amoris funiculi quales. Oſe. n.76. Amor Dei ſit filialis, non ſervilis. Malach. n.3

Amor proximi quid exigat,& ejus effectus.Prov. n.313.& 398

Amore, an odio quis dignus nemo ſcit. Prov. n.618

Amos Propheta erat Paſtor ovium. In Amos prol.

Angelos ex omnibus ordinibus Deus mittit ad hominis utilitatem. Iſa.num.120. & 264.Ordo Principatuum eſt ad Principum,& Prælatorum cuſtodiam. Iſa. n.447. Angelus cuſtos datus à Deo cuique homini contra malum à Lucifero deſtinatum. Eccli. n. 455 Angelica cuſtodia quale beneficium Dei in nos.Eccle.n.235.Dan. n.67.ad 69.81.90.ſeq.95.100.Hier. n.391. Angeli cuſtodes ſunt muri Eccleſiæ, ſepes animarum,& locorum.Eccli.n 504.Iſa. 813.Dan. ſupracit. Zacch. n.44. Conveniunt ad exequias juſtorum. Cant. n. 334. Angelorum charitas, protectio, & potens aſſiſtentia in nos qualis. Iſa.459.Dan.n.30.99.& 107. Zacch. n.4. ad 6. Eorum cuſtodia in quonam ceſſat, & in quonam perſeverat.Hier.n.392. Aſſiſtunt obedientibus,reſiſtunt inobedientibus. Dan. 123. Inimicitia eorum quomodo contrahatur Hier. n.344

Angelorum triſagium Sanctus, Sanctus, Sanctus multiformiter expenditur. Iſa. n. 104 ad 115. Angeli in morte Chriſti quomodo dicuntur fleviſſe.Iſa.459.Augetur eis ex noſtro profectu gaudium accidentale; & quomodo ex noſtris peccatis dicuntur triſtari.Hier. n.393. Omnes Angeli ſimul conſtituunt unicam ſpeciem ſpecialiſſimam.Dan. n.81. In judicio erunt triſtes vel pro nobis,vel contra nos. Dan. n. 82. Ante adventum Chriſti erant terribiles in homines, poſt facti ſunt benevoli.Dan n.96. Eorum amicitia ſollicitè quærenda.Dan.n.101. Aliquando inter Angelos aliqua diſparitas judicii orta eſt, ſed virtuoſa Dan.n.104. ſub dominio, & præceptis Mariæ Virginis omnes ſunt conſtituti. Zacch,n.3.Alii ſtant coram Angelo, alii retro. Zacch. n.11. Non fuerunt creati in gratia ſanctificante.Oſe.n.18

Angelus cuſtos ſit quiſque homo ſuæ animæ:Malach. n.15. Vir ſit Angelus cuſtos uxoris. Malach.ibid

Anima vel eſt templum Deo conſecratum, vel diabolo; Machab.n.41. Ezech.n.76. Qualiter ſanctificatur,& conſervatur. Hier.n.4.Animæ ordinatæ in Deum qualis felicitas. Cant. n. 247. In ipſa exercetur Hierarchicus ordo Angelorum. Ibid. ſponſa, & habitaculum. & ſedes Dei per gratiam, ejuſque pulchritudo qualis. Cant.n.38.48.171.Sap.n.32.& 106. Iſa. n.104.662 7 8.841. Hier.n.121.Thren. n.109 ſeq.Prov.n.253. Ezech.189. Cant. n. 160. Iſa. n.480. Ad deſponſationem cum Chriſto invitatur. Oſe. n. 5. 9. ad 13. Quærens Chriſtum creaturas relinquat.Cant. n.34.ſeq.Cooperans tractui divino elevatur ad ſuperna. Cant.n.118. Videns ſe derelictam pulſet ad Chriſtum. Cant.n.120. Ejus felicitas qualis in quærendo Chriſtum.Cant.n.133.In oratione,& contemplatione fit pulchra, & ad viſionem Dei admittitur. Cant. 154 ſeq. 160. & 173. Ejus aſcenſus gradus ad perfectionem quales. Cant. n.176.& 258. 269. ad 272. In oratione vulnerat cor Dei. Cant. n.180. orans habet mel, & lac ſub lingua, & vox ejus ſuavis. Cant.185. & 232. Pura eſt hortus deliciarum. Cantic. n.192.ad 196.

In oratione liquefactio ſpiritualis qualis. Cantic.226.ſeq.Contemplativa aurora,luna,ſol,&c. Cant. 258. In oratione terribilis fit ut caſtrorum acies,&c.Cant.262.gradus contemplationis. Cant.n.269. ad 272. Invitatur ad vulnera crucifixi, & ad Cœli contemplationem. Cant. n.273. Iſa.463. Quàm Deo fit chara per humilitatem, obedientiam, rectamque intentionem. Cant. 277. Contemplativæ felicitas qualis. Cant. n.309. Aſcendentis in Cœlum deliciæ. Cant. 311. Anima corona Chriſti, & ab ipſo coronata.Iſa.n.811. Ejus ſanctificatio in domo Dei,& orationis.Hier.n.4.& 121.Invitatur ad meditationem dolorum Chriſti.Thren,n.22.In gratia eſt aurum optimum Thren. n.104. Ejus capacitas ſolo Deo poteſt repleri, & quare. Prov.n.792.In ſap.n.11.Eccli.n.359

Anima Deo dicata ſit columba pura Cant.n.156. Ut columba intret, & nidificet in vulneribus Chriſti.Cant.273.Iſa.n.509.ſeq.& 790 ad 792. Anima pura civitas eſt Chriſti.Iſa.n.662.Hier. n.17. Prov.n.653. Amos. n.15. Vinea eſt Chriſti. Hier.198. Domus Dei, & orationis. Hier. n.121. Navis Chriſti onerata mercibus cœleſtibus Prov. n.891. Animæ à Prælatis negligentibus perditæ a diabolo inveniuntur. Hier. n.387

Eclipſatur per peccatum Iſa.n.357.Thren.n.104. ſeq. Per peccatum fit ſedes,& habitatio diaboli. Iſa.n.204.& 233.Hier.n.17.121.Contemptibilis redditur Deo,& Angelis.Thren. n.3. Ipſius in agonia miſeriæ. Thren. n. 4. Deſerens Deum projicitur in ſtercus diaboli.Thren.104. & 108. In peccato depicta eſt figuris Dæmonum.Ezech. n.76. ſtatim ac peccat deſtinatur, ad ignem inferni, Ezech. n.127. Eſt nummus depictus imagine diaboli. Ezech. num.154. A Chriſto inceſſanter invitatur à peccato ad gratiam. Oſe.n.9.ſeq Dum peccat ligatur. & ſuſpenditur à diabolo.Oſe.n.27. In peccato portat venenum ſub lingua. Cant. n. 185. Ideò dignè non poteſt Deum laudare.Iſa.517

Anima invitatur ad ſcholam irrationalium. Cant. n. 36. In morte invitatur à Chriſto ad gloriam, ſi juſtitiam ſervavit.Cant.n.177. Animæ ſecuritas,

ſecuritas, & pax conſiſtit in bellando. Cant. n.176. Inſtituitur ad confectionem unguenti pretioſi. Eccli. n. 519. In oratione aperiat os cordis. Eccli.n.546. humilis eſt vas admirabile. Eccli.n.580. Fiat Maria ut Chriſtum concipiat. Iſa.n.178. Animæ fames, ſitis, ſaturitas qualis. Iſa. n. 710. ſeq. A pluribus minus æſtimatur quàm beſtia. Hier. n.39. Animæ medicina ſolùm præſtatur in hac vita. Hier. n.139 Plangens in nocte miſera, in die felix. Thren. n 3. Animæ quadruplex facies. Ezech.n.10. habeat duas pennas ad volandum in Cœlum ſimul junctas. Ezech.n.12. Anima libratur, & ponderatur à Deo. Prov.n.229. Ejus ornamenta qualia ad ingreſſum in Cœlum. Ezech.n.125. Plus æſtimetur ejus ſalus, quàm corporis. Ezech.134, Aggæi. n.15. Eſt nummus inſculptus imagine ſanctiſſimæ Trinitatis. Ezech. n.187. Fit Paradiſus ex gratia Dei. Iſa.n.267

Animalia irrationalia docent nos varia arcana utilia. Prov.n.871. Cant.n.36

Animalia deſtruentia ſegetes quid nobis ſpiritualiter indicent. Joel.n.1

Animalia Ezechielis ſe invicem alis percutientia quid ſignificent. Ezech.n.42

Antichriſti perſecutiones quàm crudeles, duratio, & finis earum. Dan. n.151. Antichriſti tempore deficiet magna ex parte prædicatio Evangelii. Prov. n. 841. per ipſum multi martyrio coronabuntur. Dan.n.121. Occidetur à Sancto Michaele. ibid.

S. Antonii Patavini Sapientia qualis, & ſanctitas. Eccli.n.502. Figuratus in Elia. Eccli.627. Vas auri ſolidum. ibid. n.640

Apis mellificans, & purgans eſt Chriſtus. Iſa. n.139

Apis Spiritualis eſt Maria Virgo, & anima juſti. Eccli.145. ſeq.

Apoſtata eſt qui deficit à ſtatu perfectionis contra ſua vota. Prov.n.152

Apoſtoli, Ex miniſtri Chriſti ex præda, & prædicatores diaboli facti ſunt præda. & Prædicatores Chriſti. Iſa. n.237. Sunt Cœli rore pleni. Iſa. n.588. Prov.n.227. ſunt nubes volantes per totum mundum. Iſa.789. ſunt ſtellæ. Baruc.n.21. Ipſorum doctrina quam Eccleſiæ proficua. Prov. n. 96. ſunt incendiarii mundi à Chriſto miſſi Zacch.n.62. Aſſiſtent Chriſto in judicio Zach. n.21

Aqua Sapientiæ, qua potamur à Chriſto multiplex. Eccli.n 202. ad 207. Iſa.n.710

Aquarum cœleſtium, & terreſtrium diſcrimen. Hier n.170. In Dei ſervitio aqua convertitur in vinum. Prov. 275. Qualis extinguit ignem inferni. Ezech.n 166. ſeq.

Aquilæ myſticæ ſunt juſti. Iſa.n 545. Item aquila eſt ſyndereſis. Ezech.n 50. Item eſt conſcientia. Ezech.125

Aranearum telæ ſunt bona temporalia. Oſe. n.52

Aratrum in agricultura Chriſti in manu tenendum. Eccli.n.530. ſeq. ducitur à Chriſto. ibid. 531

Arbor bona eſt homo in gratia; mala homo in peccato. Dan.n.38. Hier.n.284. Myſticè eſt crux Chriſti. ibid. Dan. n.40. eſt & fides catholica. ibid.39. Maria Virgo ibid.41. ſeq.

Arbor foliis onuſta ſine fructibus à Deo maledicta Joel.n 4

Arcangelus Michael apparuit Danieli. Dan. n.95. Arcangelorum miniſteria aptantur Virginibus. Dan. n 95

Arcus fœderis myſticè eſt Chriſtus in Nativitate, in cruce, & Euchariſtia. Eccli.n.594. ſeq. Eſt & Maria Virgo. Eccli.595

Argentum. Vide Aurum.

Ariditas ſpiritualis animæ alia bona, alia mala. Iſa.n.289

Arrogantia reddit hominem contemptibilem Deo, & hominibus. Hier.n.383. Prov.494

Artifices, & temporaliter laborantes inſtituuntur circa orationem, Eccli. n.543

Aſcenſum in altum ſuadet diabolus, ut præcipitet. Machab.n.85. & 105

Aſinus Chriſti, & diaboli quis. Iſa.n.290. & 666. Zacch.n.48

Avaritia grande malum, ejuſque effectus peſſimi. Eccli.n.155. & 187. 592. 265. & 398. Iſa. n.45. & 84. Oſe. n.56. Amos n.41

Avarus ſemper pauper, & miſerabilis. Eccli. n.398. Inſatiabilis. In Ecclen. n.19. Prov. 864. ſeq. Ejus cæcitas qualis. in Ecclen. num. 19. 45. & 55. Abac. n. 20. Ejus vita plena afflictionibus, & ſpinarum puncturis. Ecclen. 41. ſuo jejunio cibat diabolum. Ecclen. n.56. Quàm cavenda à Judicibus, & Prælatis. Eccli. n. 293. Ignis eſt infernalis. Iſa.462. Avari ſubjecti iræ Dei. Iſa. 455. Aſini ſunt ſilveſtres. Hier. 209. Avaritiæ ſchola docet omnia vitia; aperit portas omnibus vitiis. Machab. n.114. Hier.n.954 Expellit omnem pacem. Prov.n. 479. Depauperat hominem, & ſpiritualiter, & temporaliter. Prov.360 Iſa.455. Infelicitas avari in morte qualis. Ezech.n 68. Avari pœna in hac, & alia vita Ezech.n.178. Avarus telas aranearum texit. Oſe.n.52. Avari pellem pauperibus auferunt; Juſti propriam eis tribuunt. Mich. n. 6. Avaritia inebriat hominem, & ſimilis eſt inferno. Abac. n.10. Tyrannicè dominatur mundo. Machab.n.11

Aureola Doctorum qualis. Dan.n.108

Aurium uſus bonorum, & malorum qualis. Eccli.n.41

Aures aperit Chriſtus ad audiendum verbum Dei, diabolus claudit. Iſa.n.643

Aurum contemnens protegitur à Deo. Dan. 29. Auri abundantia quàm periculoſa. Iſa.45

Aurum, & Argentum ſterquilinium terræ. Ezech. n.68

Auſteritas, vitæ quàm Chriſto chara. Iſa.422

Averſionis à Deo, converſionis ad Deum effectus. Prov. n.612

B

B*Abylonem* fugiat qui vult ſalvari. Hier. n.389. & 401

Baptiſmi Sacramentum eſt, in quo Chriſtus ſibi deſponſavit Eccleſiam, & continuè deſponſat animam. Oſe.num.11. ad 13. In ipſo infunduntur omnes virtutes. ibid 13. Qualis ſanctificatio per baptiſmum adveniat. Hier. num.4. Iſa.23. & 71

Baptiſmus pœnitentiæ, & lachrymarum quales

effectus in anima, &c.Hier. n.64. & 146. ſeq. Iſa.n.23. & 71

S.Bartholomæus dedit pro Christo pallium ſuæ pellis.Cant.231

Beatitudinis cœleſtis viſio,& dulcedo expenditur. Iſa. n 452. 825. 844. 847. Sap. n.71. Dan. 85. Ioel.40

Beatorum laus erit etiam vocalis, Iſa. n.107. Eorum laudes in Cœlo expenduntur. Iſa. n. 106. ad 110.& 671. Hier. 248. Eorum convivium paratum à Christo quale.Iſa.338.781

Beatorum corpora in Cœlo erunt ſeptempliciter lucidiora ſole.Iſa.n 429

Beati eſuriunt panem,quibus frangendus à nobis. Iſa.n.748

In *Bello* ſtat pax noſtra hujus vitæ. Cant. n.276. Bellandum ſemper contra vitia. Eccle. n. 56. Joel.n.37 Machab.n.62. Iſa.n.415

Bellum contra proximum exercentes ſunt gigantes in malo. Baruc. n.18

Bellum ſemper fuit inter bonos, & malos, ſpiritum,& carnem. Abac.n.37

Bellum in nobis ex concupiſcentia.Machab.n.39. Ubi eſt peccatum,ibi bellum; vbi gratia, ibi pax Abac.n.38

Bellum juſtum plus oratione, quàm armis exercendum.Machab.n.27.& 3..ad 35

Dei *Benedictio* affert omne bonum, benedictio diaboli omne malum. Prov. n. 315. Eccli. n.163. Iſa.61. Cur per crucem in Eccleſia datur benedictio.Iſa.631

Benedictio noſtra ad Deum eſt gratiarum actio. Machab. n.110. Ad benedicendum Deum cur, & quomodo invitantur omnes creaturæ inſenſatæ. Dan 32

Benedictio Patrum in filios quàm utilis, Deoque chara. Machab.n.29

Beneficia Dei quanta, & à nobis ſæpè recolenda. Eccli.n.417.& 231.ad 235.In Ecclen.n.95. Iſa. n.821

In *Bethlehem* cur voluit Christus naſci. Mich. n. 14. Hæc eſt Eccleſia, ſcilicet domus panis. ibid.n.15

Blaſphemia ſummè irritat Deum. Iſa.n.493

Bonitas vera quid ſit; ejus effectus. Prov. n.373. ſine bono honeſto alia bona ad nihil valent. Eccli.n.190

Bonum omne à Deo, malum à nobis. Iſa. n. 187. Bona cœleſtia ſatiant; terrena faſtidium generant.Eccli. 359. Ex bono ſemper bonum, ex malo malum oritur. Prov.365

Bonum non eſt bonum,niſi rectè fiat.Abac. n.14. Boni, & Juſti ſunt reliquiæ ex malorum conſortio,excerptæ. Iſa.189

Bona temporalia quàm vana.ſap.n.65.ſeq.Dantur à Deo ut per ipſa tendamus, ad ſpiritualia. Cant.n.30 Inter corporalia ſanitas alia excedit; inter ſpiritualia puritas. Eccli.n.426.Bona ex juſtitia acquiſita ſunt immobilia,ex injuſtitia ſunt mobilia. Prov.n.375. Bona temporalia acquirens acquirit non ſua, ſpiritualia verò acquirendo fiunt noſtra. Abac.n.21. Qui bonus eſt ſibi bonus,qui malus, ſibi malus eſt. Prov. n.286

Botrus Cypri Christus in Cruce,& in Euchariſtia Cant.43.ſeq.

Butyrum, & mel à nobis Christus exoptat. Iſa. n.137

Byſſus à nobis priùs induendus, poſteà purpura. Prov.918

C

C*Adere* retrorſum eſt impiorum, antrorſum Iuſtorum.Iſa n.385.& 582

Calceati, & diſcalceati pedes quid. Cant. n.278. Calceamenta ſunt exempla Sanctorum. Cantic.277. Religioſi cur alii calceati, alii diſcalceati.Iſa.n.286

Calix triplex à Deo propinatur, ſcilicet dulcedinis in gloria: amaritudinis in inferno; mixtus in hac vita. Ezech n.166. Hier. n. 286 Calix Paſſionis plenus à Christo potatus, nobiſque partem tantum bibendam exhibet: Hier. 286. Calix aureus, ſed plenus veneno ſunt mundi voluptates.Hier.n.390

Calumniator proximi à Deo ſeverè punitur. Proverb.861.Oſe.82

Camelus Chriſti,& diaboli quinam.Iſa.num.290. & 783

Canaam ſemen ſunt proximum lædéres,Oſe.n.82

Canticum Canticorum qualis liber. In Cant. Præfat.

Cantus Chriſti, & cantus Luciferi qualiter differant.Iſa.n 246

Cantores in choro quomodo pſallere debeant:ubi Choriſtæ fusè inſtruuntur:Amos.n.24 ſeq Vide Officium divinum.

Capitis ornamentorum vanitas expenditur. Iſa. n.375

Capitulum ſpirituale in anima ad ſimilitudinem capitulorum regularium oſtenditur.Prov.n.194

Captivitas peccatoris ſub jugo diaboli plangenda expenditur.Hier n.203

Captivorum exiſtentium, apud Infideles redemptio opus excellentiſſimum.Mach.n.74

Carbo ignitus anima in gratia eſt; Carbo niger exiſtens in peccato.Thren.n.110

Carmelitana congregationis privilegia expenduntur.Iſa.409

Carnalitatis viæ ſpinoſæ.Oſe.n.7. Caro, mundus, & diabolus concordes ad ruinam hominis. Oſe .n.27. Carnalia oblivionem Dei inducunt. Oſe. n. 86. Carnalium vita in amaritudinem terminat. Prov.n. 436. ad 440. Carnales ut porci in ſterquilinio vitam agunt. Proverb. n.358

Caſtitas quàm Deo, & Angelis pretioſa, ejuſque prærogativæ, & fructus expenduntur. Dan. n.95.Sap.48.ad 51. & 92

Caſtitas in muliere quàm laude digna. Eccli. n.388. Ejus cuſtodia exigit ſpeciale Dei auxilium.Sap.n.104. Ad ipſam cuſtodiendam exigitur ſenſuum cuſtodia Prov. 125. Cant. 192. Lilium eſt inter ſpinas.Cant.n.60.ſeq.

Catena fortiſſima eſt conſuetudo peccandi detinens hominis profectum maximè in oratione. Iſa.n 757

S.Catharina Virgo, & Martyr fuit columba Deo. chara.Cant.256

Cella vinaria eſt Eccleſia, & Euchariſtia. Cant. n.73.ſeq.

Ceremoniæ exteriores in cultu Dei fusè expenduntur.Hier.n.119. V.Cultus.

Certamen inter Deum vocantem, & peccatorem reſiſtentem expenditur. Hierem.n.40. & 132

& 132. Quale inter Deum, & juſtum. Iſa. n.739

Charitas eſt Regina, & Abbatiſſa omnium virtutum in conventu animæ, ubi Chriſtus, eſt Abbas, & prior. Cant. n.72

Charitas in Deum, & proximum, eſt una met virtus, ejus effectus. Ibid. & n.77. ad 80. & 318. ſeq. & 322. Eccli. n.151. Et virtus ordinans omnia in anima. Cant n.71. fundamentum totius ædificii ſpiritualis. ſap. n.12. Hier. 295. Ezech. 139. ſeq. Charitatis negotiatio quàm lucroſa. Cant. num. 323.. Qui illam non habet, nihil habet. Cant. 282. Omnia amara reddit dulcia. Cant. 306. & 322. Ejus ordo qualis. Eccli. n.189. In lege naturæ involuitur. Eccli. n. 234. Ideo ſcripta in corde hominis. Hierarch. n.336

Charitatis proximi exercitio reſpondetur charitati Dei in nos. Eccli. n.252. Eſt curſus, quo aſcenditur in Cœlum. Eccli. n.630. Charitatis veſtem ſcindens væ Dei ſubjectus. Iſa. num. 627. Ejus initium, progreſſus, & finis expenditur. Hier. n.311. Ad ordinem charitatis quiſque debet initiari. Hier. 111. Charitatis vinculo liberatur homo à captivitate. Hier. n.358. Ecclen. n.48. Debet vigere maximè in Prædicatoribus Prov. 136. Eſt rota dans vitam animæ, & virtutibus, & actibus noſtris. Ezech. n.17. Eſt aquila grandis extendens ubique ſuas alas. Ezech. n.125. Eſt nota, & menſura præmii debiti operibus noſtris. Zacch. n.10. Exceſſus vitioſus in charitatis exercitio qualiter fiat. Ecclen. n 62. Regulam ſumat ex ſeipſo. Eccli. n.438. Ejus carentia fons omnium malorum. Oſe. 65. ſola introducit in Cœlum Ezech. n.252

Caupones in Dei ſervitio quidam ſunt in bono, quidam in malo, Iſa. n.29. ad 31

Chori diſciplina, & frequentia ſervanda fusè traditur. Eccli. n.526. Hier. n 164

Chriſtiani nomen quale excitamentum ad ſalutem conferat. Iſa. n.159. Hoc nomen quàm nobile, Iſa. n.712. & 810. Prov. n.665. Chriſtianæ perfectionis munera expenduntur. Hier. n.120. 137. & 164. Prov. 79 ad 84 & 87. Iſa. 648 Chriſtiana ſapientia quale bonum. Prov. 79. Ejus proprium eſt bellum exercere contra carnem, mundum, & diabolum. Zacch. n.17. Non copulans opera nomine mendax, eſt, & indignus hoc nomine. Hier. n.135. Chriſtianorum illuſiones in Chriſtum, & idololatria expenduntur. Iſa. n.736. ſeq. Chriſtianorum peccata graviora peccatis Infidelium. Mich. n.32. Non incedant induti pluribus coloribus in veſtibus. Hier. 197

Chriſto varia nomina in ſcriptura attributa ad explicandam multiformitatem perfectionum ipſius. Iſa. n. 150. ſed præcipuum eſt nomen Ieſus. Vide Chriſti attributa.

Chriſtus hujus nominis mirabilia exponuntur. Iſa. n.802. Dedit ſuum nomen Chriſtianis. Iſa. n.721. Jeſus: hoc nomen verè dicitur oleum, ſeu unguentum effuſum. Cant. n.3. Eſt ſigillum ponendum in corde, & portandum. Cant. n.317. Eſt vaſculum continens virtutem divinam pro curandis infirmitatibus. Cant. 317. Eccli. 517. 616 & 622. Iſa. n.584. Eſt liber grandis, & memoriale vivum continens omnia myſteria fidei. Iſa. n.146. 174. 228. & 349. Ezech. n.34. Hier. 168. Eſt nomen extractum è theſauro divinitatis, & in Chriſto inſculptum. Iſa. 613. 723. 802. & 809. Abac. 40. ſeq. Valet ad remiſſionem peccatorum. Hier. n.210. Turris fortiſſima contra inimicos. Prov. n.567

Chriſti Incarnatio quam deſiderata à Sanctis Patribus. Cant. n.1. & 239. Iſa. n.254. 686. & 823. Aggæi. n.12. Miraculum, omnium miraculorum fuit. Eccli. 494. Baru. 23. Qualis amor in Incarnatione. Cant. n 90. Ejus ſaltus è Cœlo in uterum. Cant. 91. Sanctos extra ſe rapit præ admiratione. Abac. n.30. & 33. In Incarnatione omnia bona nobis è Cœlo portavit. Sap. 89. & omnia medicamenta ſalutis Eccli. n.368. Humilitas qualis ipſius in deſcenſu è Cœlis. Iſa. 242. Incarnatio finis, & conſummatio omnium ſermonum ſacræ ſcripturæ. Eccli. n.602. Quidem humilitatem, & charitatem redolet. Cant. n.268. & 301. Qualem felicitatem attulit Eccleſiæ. Iſa. n.33. Hier. 329. Ejus humanitas, & divinitas in butyro, & melle ſignificata. Iſa. 137. Factus eſt noſter ſocius in Incarnatione. Iſa. 135. ſeq. Chriſti adventus qualia myſteria aperuit. Iſa. 527. ſeq. & prodigia operatus eſt. Iſa. n.4-2. & 481. quàm pretioſa, & proficua: tempuſque propriè Dei dicitur. Iſa. 228. & 235. quia in conciſtorio SS. Trinitatis decreta. Iſa. 257. Pacificavit hominem cum Deo, & Angelis. Iſa. 369. In Incarnatione deſponſavit ſibi Eccleſiam. Cant. n.159. Oſe. n.11. ad 16. In utero Matris confecit medicinam ſalutis. Eccli. n.600. V. Chriſtus in ordine ad Mariam.

Ejus conceptio miraculoſa expenditur. Iſa. n.133. Conceptio myſtica in anima proponitur. Iſa. 178. præfigurata in deſcenſu in horologio Achaz. Iſa. 504. Opus à mera Dei gratia dependens. Iſa. 586. Effectus hujus adventus. Iſa. 799. 805. 816. Cur nomine deſcenſus, inclinationis Cœlorum, defluxus diſruptionis proponitur. Iſa. 824. Opus novum dicitur. Hier. 328. ſeq ſol nube tectus. Ezech. n.205. Chriſti adventus multiplex. Abac. num. 18. Malach. n. 20. & 22. Aliis in ſalutem, aliis in ruinam. Abac. n.38. ſeq & 40. Aggæi. n.9. Zacch. n 81. Venit è Cœlo ſacco obvolutus. Iſa. n 490. Longo tempore à Judæis expectatus, ſed poſteà derelictus, & contemptus. Hier. 389 Ejus adventus liberavit genus humanum à captivitate Thren. n.2. Dan. 36. 59. Venit Juſtus ad ſatisfaciendum, ut ſalvator ad ſalutem. Zacch. 46. Præfiguratus in veteri teſtamento. Dan. 83

Chriſtus ſolem ſe oſtendit in ſuo ortu, progreſſu, & occaſu. Eccle. n.10. Natus ut ſacco obvolutus à Judæis ſcindendo. Iſa. n. 490. Expoſuit carnem humilibus edendam. Iſa. 531. Præſepe lectus Chriſti. Cant. 145. Cur in media nocte natus. ſap. 156. In Nativitate poſitus eſt in ſignum, & quale. Iſa. 134. & 211. ſeq. Prodigia viſa in ejus Nativitate expenduntur. Iſa. 169. ſeq. 676. & 690. Chriſtus natus parvulus damnat ſuperbiam; egenus avaritiam; de Virgine luxuriam. Iſa. 179. Chriſtus parvulus lapis concidit ſtatuam Nabuchodonoſor, ſcilicet mundi vanitatem. Dan. 11. Generatio æterna, & temporalis expenditur. Iſa. 843. Dan. 97. Ad ejus celebritatem inſtitutum tempus Adventus. Joel. n.32 ad 34, Amos. n.12. Apparuit parvulus, ut nos parvuli ſiamus. Iſa. 170. & 178. A

puero

puero incepit Paſſionem. 172. Parvulus admirabilis. Iſa. 176. Parvulus factus, ut diabolum deciperet, caperet, & ſpolia ejus diripetet. Iſa.167.& 177.Hier.n.63

Chriſtus ortus eſt flos candidus, & rubicundus. Cant.2.34 ſeq. Iſa. 199. Parvuli pulchritudo expenditur Sap.91. Ut puer pomo pœnitentiæ facile placatur.Ezech.211.ſeq.Iſa.476. Abbreviatus in carne eſt, ut per carnem ſe ad nos extenderet,& ad ſe attraheret. Iſa.761. Poſitus in præſepio, ut panis cœleſtis. Iſa. 7. Myſteria Nativitatis plura expenduntur.Mich. n.14. Ut ruſticanus natus,primò à ruſticanis voluit agnoſci.Mich.14.Unde primò Paſtoribus,poſteà Regibus annunciatus. Iſa.163.Parvulus triumphavit de diabolo. Mich.17. In Nativitate arcus fœderis. Eccli. num.594. Natus poſitus eſt in ſignum bonis, & malis. Iſa.134.& 132

Chriſti adoratio Magorum myſtica proponitur. Iſa. 784.ſolùm à Regibus dignè adoratur. ibid. 784. ſolùm Reges munera ei deferunt grata. Iſa.784

Chriſto ingrediente in Ægyptum omnia Idola corruerunt.Iſa.273.Ejus cum Maria, & Ioſeph fuga in Ægyptum, paſſiones, neceſſitates, labores expenduntur. Iſa.274

Chriſti receſſus in deſertum expenditur. Machab. 82

Chriſti transfigurationis myſterii beneficium expenditur.Sap 154

Chriſti ingreſſus in die Palmarum myſteria expenduntur.Cant.n.156.Zacch.n.45

Inſtitutio Euchariſtiæ. Vide infra Chriſtus in ordine ad Euchariſtiam.

Chriſti venditio jam facta à Iudæis à Chriſtianis renovata Zacch. n. 58. Chriſtus cœpit ſuam Paſſionem à puncto conceptionis. Cant. 206. Iſa. 172. Ejus acerbitas expenditur. Zacch.77. Chriſti Paſſio,illuſiones,abjectiones, humiliationes,pœnæ,labores, dolores fusè expenduntur.Iſa.n.679. & deinceps. 736. ſeq. 808. 817. 819.ſeq.821.Hier.186.ſeq.196. 257. 264. 285. 293.389.Thren.22.30.72.ſeq.ad 81. 88.91. 97. ad 101.& 117 Prov.106.395.Ionæ.13.ſeq.& 17. Sudor ſanguineus expenditur. Ezech. 169. Paſſionis fructus.Nahum.15. Zacch.65.ſeq.ad 69.76.ad 80

Chriſtus tripliciter coronatus.Cant num.153.ſeq. Ejus caput madidum ſanguine expoſuit. Cant. 219. Ut agnus ductus ad occiſionem. Iſa.689. Variæ circumſtantiæ Paſſionis expenduntur, 698.Se nudum oſtendit, ut à nobis indueretur veſte charitatis. Iſa. 754. Nudatus ut ſtultus. Iſa 74.Suo ſanguine emundat nos. Ezech. 230. Paſſio decreta à Patre ex amore, à Iudæis ex odio Zacch. 77. Iſa. 694. In horto agonia expenditur. Machab. 64. Flagellatio facta à Iudæis,& à Chriſtianis fusè deſcribitur. Iſa.644. Ejus patientia expenditur. Iſa. 496. Magis à peccatis noſtris afflictus, quàm à Iudæis. Iſa. 641. Aliis in ſalutem, aliis in damnationem. Hier n.188.Zach.77 Chriſti perſecutiones ceperunt à ſacerdoribus.Hier.291. Suo ſanguine levat peccata: Ezech. n.116. Mich. 28. & 38. Nau. 20. Zacch. 49. Exigit autem concurſum noſtræ voluntatis.Dan.n.51.

Chriſtus in Cruce conſummationem perfecit omnium virtutum,ſcripturarum, & myſteriorum.Iſa.190.& 394.In cruce ſe ſalvatorem perfectiſſimum oſtendit.Iſa. 223. 587 ſe in Altari crucis tamquam Agnum obtulit. Iſa.282.689. & 787. Ad crucem cum ipſa portavit omnes virtutes,& ovem perditam. Iſa. 315. ſe extendens in cruce citharam benè ſonantem oſtendit. Iſa.319. & 700. In cruce velut in lecto ſe extendit. Cant. 54.& 151.In cruce ſimul affligebatur,amore deliciabatur. Cant.310.In cruce fuit Botrus expreſſus.Cant.45.ad 47 Thren. 32. E cruce ad crucem trahit, & invitat ex omnibus partibus terræ,omnes & invenitur ſolùm in cruce. Cant. 10. 15. 85. 30.& 95. ſeq. Iſa.38.569 689.783.Hier.312.Baruc.n.12.Prov. 210.ſeq.246.ſeq.Ezech.229. E cruce amplexatur ſuos. Cant. 86. Ezech. 243. E Cruce ſol, & mons influens ad omnes inferiores partes. Iſa. 34. In cruce arcus eſt fœderis Eccli. 195.Fons aquarum viventium. Hier.239

Chriſtus in cruce liber grandis ſcriptus intus, & foris.Iſa.144.ad 149. Chriſti crux liber grandis.Iſa.149.404.477.686.Ezech.33.ad 35.Chriſtus quale ſignum in cruce. Iſa. 211. ſeq. 132. & 214. 619. Ezech. 162. Crux nos attrahit ad notitiam crucifixi, tamquam ipſius liber, & imago. Iſa. 149. 216. Qualis veneratio cruci debetur;ubi de Sacramentalibus Iſa.216. Crux portanda cum Chriſto.Iſa.217.In omnibus locis ſculpenda. Iſa. 217. Crucis ſignum quam mirabile, & virtuoſum. Iſa. 228. Hoc ſigno congregat Chriſtus ſuos in unum. Iſa.219. Chriſtus in cruce Agnus Dei.Iſa.255.Crux eſt Altare; ſic & Chriſtus in cruce, ubi de titulo. Iſa. 282. 787. Crux Chriſti clavis aperiens Cœlum. Iſa.313. ad 317. Crux ſignum triumphale Chriſti.Iſa.316.Crucis exaltatio expenditur. Iſa. 317. 628. 631. Ezech. 132. Cum cruce apparebit in judicio, & cum vulneribus. Iſa. 374. Ex cruce expectat peccatorem. Iſa. 419.Crux nobis oſtendit viam Cœli. Iſa 424

Chriſtus baculo crucis percuſſit caput diaboli. Iſa.432. 634. Abac.42. Per crucem omnia benedicuntur. Iſa.631. Crucis virtutum prædicatio quàm utilis. Iſa. 630. Per crucem copioſa fuit Redemptio.Iſa.667. Crux imago crucifixi. Iſa.686. oneratus peccatis noſtris, ſe exoneravit in cruce,& per crucem.Iſa.696. In cruce extendit dexteram fidelibus,ſiniſtram incredulis. Iſa.831. Crucis, & Paſſionis fructus quales. Hier. 184. Per torcular crucis ſeparat bonos à malis. Thren.n.33. In cruce ſe expoſuit ſagittis in ſignum amoris. Thren.77. Chriſti crux lignum vitæ. Prov. 91. ſeq. Chriſtus fructus crucis. Dan. 40. Aſcendens in crucem nobis oſtendit iter ad cœlum. Mich.5. Crucis tituli myſteria panduntur.Abac.16.Iſa.282.in cruce, & per crucem declaratus ſummus imperator. Abac. 16. in cruce abſcondit ſuam fortitudinem.Abac.34.Exponitur crucifixus, ut excitet nos ad pœnam.Machab.21. Per crucem gloria Chriſti extenſa per totum mundum. Iſa.777. in cruce firmavit pacem cum hominibus. Ezech. 241. crucis, & crucifixi aſpectus ſanat animam.ſap. 54. Per quæ homo peccavit, Chriſtus fuit punitus ſap. 123. Chriſtus in cruce ſe oppoſuit inter Deum, & peccatores.Ezech.53

In Chriſto à malignitate Iudæorum excavata, à charitate nobis aperta. Iſa. 46. & 48. Cur Chriſtus quinque vulnera in corpore ſervavit. Iſa. 724. 817. Sunt fontes ſalutis, ex quibus promanant flumina gratiarum. Cant. 221. Sap. 121. Iſa. 224. ad 226 Zacch. 67. ad 71. Per ipſa veluti per feneſtras nos aſpicit Deus. Cant. 92. ſunt portæ Paradiſi apertæ. Eccli. 199. continent omnia medicamenta. Eccli. 518. Sunt omnibus aperta, ad quæ invitatur anima ut columba. Cant. 108. Eccli. 461. Iſa. 510. 790. ad 79:. Hier. 202. 3 7. Zacch. 76. Recuſans in eis nidificare ſignum reprobationis. Naum. 17. ſunt litteræ à nobis legendæ. Iſa. 675. Ezech. 36. In ipſis nos conſcriptos ſervat. Iſa. 614. Ex ipſis attrahitur cibus dulciſſimus. Iſa. 35. lacque dulciſſimum. Iſa. 846. Chriſti ſeptiformis ſanguinis effuſio expenditur. Zacch. 68. & 69. Oſtenſio vulnerum in judicio qualem pœnam afferet reprobis, & qualem gloriam bonis. Zacch. 80. ſculpenda à nobis in corde, & brachiis. Cant. 313. ad 3 5. ſunt quinque lapides ad triumphandum de diabolo Iſa. 51. Chriſti corpus cella vinaria. vulnera portæ. Cant. 74

Chriſti paſſionis meditatio ſuadetur: Chriſtus nos amavit uti Mater piiſſima. Eccli. 349 Chriſtus invenitur ſecurè in Paſſionis meditatione. Cant. 29. 31. & 148. Quàm utilis, & proficua. Cant. 42 45. 67. & 308. Iſa. 48. ad 52. Amos. 43. Quàm Chriſto chara. Cant. 108. Iſa. 319. In meditatione non ſeparanda humanitas à divinitate. Iſa. 154. Quales effectus pariat in anima. Hier. 186. ſeq. 377. Iſa. 448. Crucis, & crucifixi meditatio mel dulciſſimum. Prov. 715. Zacch 65. ſeq Machab. 44 ad 46. 52. & 64. hæc meditatio jungenda eſt laudibus vocalibus divinis in officio. Iſa. 319

Chriſti charitas in nos multipliciter expenditur. Ecclen. 48. Cant 301. Hier. 193. Iſa. 624. Chriſtus amore languebat in nos. Cant. 82. amore vulneratus. Cant. 82. Iſa. 10. ebrietas ex vino amoris in Chriſto, & ſanctis qualis. Hier. 276. ſeq. Amor fecit æſtimare mortem ſomnum. Hier. 332. Attrahit nos funiculis charitatis. Hier 312. ſeq. Oſe. 76. Qualis in Paſſione elucet. Cant. 322. exigit à nobis dignam gratitudinem. Sap. 3. Chriſtus verus amicus. Eccli. 75. & 77. Quam pius miſeris ad ipſum confugientibus. Eccli. 155. Prov. 542. ſeq. Qualiter à nobis reamandus. Prov. 544. ſeq. Trahit ad ſe vinculis amoris. Ezech. 57

Chriſti ſepultura glorioſa. Iſa. 213. Thren. 91. ad 102. celebratio funeris Chriſti, vel mortorii ſuadetur. Eccli. 525

Chriſti Reſurrectio figurata in Iona extracto è ventre piſcis. Ioan. n. 20. Abſtulit diabolo omnem poteſtatem. Hier. n. 72. ejus myſteria expenduntur. Oſe. 33

Chriſti Aſcenſio expenditur. Mich. 5. Abac. 40. Iſa. 602. 817. Figurata in horologio Achar. Iſa. 504. ſedens ad dexteram Patris aſſiſtit Eccleſiæ. Iſa. 616. & 553. Aſcendit in cœlum, ut à nobis ardentius quæreretur. Prov. 83

Euchariſtiam veluti cellam vinariam inſtituit. Cant. n. 71. In ipſa eſt botrus cypri. Cant. 45. ſeq. Ex ipſa, & ad ipſam trahit animas amantes. Cant. 15. & 211. cum ipſis ex ipſa alloquitur dulciter. Cant. 18. Lectus eſt dulciſſimus Chriſti. Cant. 146. In ipſa factus favus mellis nobis. Cant. 207. Manducandus proponitur à nobis cum labore. Cant. 210. Eccli. 354. in Euchariſtia veluti in Bethlehem ſe exponit. Cant. 303. Iſa. 7. eſt ſigillum in Euchariſtia à nobis recipiendum. Cant. 316. In Euchariſtia ſolem ſe exhibet. Eccli. 463. ſeipſum medicum, & medicinam conſtituit in Euchariſtia. Eccli. 514. ad 516. In Euchariſtia ſtella in medio nebulæ. Eccli. 637. In ea fit noſter ſocius. Iſa. 135. Aliis eſt in ſalutem, aliis in mortem. Iſa. 155. Hier. 293. Thren. 62. Cur ſub velamine ſpecierum abſconditus. Iſa. 270. & 595. Ezech. 2. Per Paſſionem nobis præparavit Euchariſtiam. Iſa. 687. Meditatione Paſſionis fit præparatio ad ipſam Hier. 185. In anguſtia poſitos Chriſtus ſua carne reficit. Hier. 262. Captivus in Euchariſtia exhibetur, ut ab ipſo vi amoris extorqueamus divitias. Hier. 293. communicans ſe collocet ad dexteram. Ezech. 265. ſeipſum Chriſtus igne amoris diſtillavit, & cibum dulciſſimum confecit. Ioel. 26. Hoſtia nobis à Patre parata. Soph. 3. Arcus fœderis in Euchariſtia. Eccli. 595. Chriſtus ſui picturam victam exculpſit in Euchariſtia. Eccli. 536. Crux ſignum Principatus ejus, ſicut & Paſſio. Iſa. 172. Carnem ſuam tantùm humilibus exponit. Iſa. 531. Chriſti panis, & vini qualitates expenduntur. Prov. 268. ad 279

Chriſtus botrus ex Maria vite productus. Cantic. 47. Faſciculus myrrhæ inter ubera Mariæ. Cant. 44. Chriſti pulchritudo menſura pulchritudinis Mariæ, & è converſo Mariæ pulchritudo, &c. Cant. 50. ſeq. & 233. ſeq. 239. & 242. Prov. 923. Chriſti lectus, & ferculum charum uterus, & brachia Mariæ. Cant. 53. ſeq. & 144. & 150. Totus innixus Mariæ Cant. 118. Vt in horto deliciarum. Cant. 144. Chriſtus flos campi candidus, & rubicundus omnibus expoſitus ex agro Mariæ. Cant. 56. ad 58. Iſa. 199. inter Chriſtum & Mariam omnia communia Cant. 246. inter Chriſtum, & Mariam fluxus, & refluxus dolorum. Cant. 296. Chriſtus candidus natus ex candida Matre. Sap. 95. In Mariæ utero confecit nobis medicinam ſalutis. Eccli. 600. Fructus ventris Mariæ expoſitus in ortu. Iſa. 69. Qualia miracula in Maria ex incarnatione. Hier. 329. Qualem benedictionem in Mariam portavit intrans in eam. Hier. 330. Fructus oris, & ventris Mariæ. Prov. 403

Chriſtus in incarnatione deſponſavit ſibi Eccleſiam. Cant. 109. 159. Oſe. 11 ad 16. Iſa. 67

Chriſtus caput Eccleſiæ. Eccle. 75. Fundavit eam humilitate, & paupertate ex latere ſuo Ecclen. 77. Iſa. 658. & 779. Eccleſia lectus, in quo requieſcit, ſic & anima pura. Cant. 141. ad 149. & 53. ſeq. 205. 214. 243. ſap. 106. Vt caput, & fons in Eccleſiam, & animam qualia flumina donorum immittit. Cant. 201. 219 Iſa. 202. 408. Zacch. 18. Mich. n. 12. Hortulanus animæ, & Eccleſiæ. Can. 243. ſeq. 298. Eccleſiam cœlum conſtituit. Eccli. 324. Vineam ipſam plantavit. Iſa. 741. Hier. 32. ſe fecit ejus umbraculum in cruce. Iſa. 73. & columnam lucis, & nubis. Iſa. 72. Fundamentum, & lapis angularis Eccleſiæ. Iſa. 399. ſequen. Dan. 12. Zacch. 18. Aſſiſtit perpetuo ſuæ Eccleſiæ. Iſa. 533. 626. Magiſter

Eccleſiæ conſtitutus.Iſa.642. & 712. Eccleſia, & congregatio juſtorum hæreditas Chriſti. Iſa. 709. Chriſtus faber fabricavit Eccleſiam. Iſa. 708. Eccli.538. Munivit Eccleſiam cuſtodia Sanctorum, & Angelorum. Iſa. 813. Lignum vitæ plantatum in Eccleſia. Proverb. 89. 93 ſeq.

Chriſtus caput bonorum, diabolus malorum.Ecclen. 39. ſeq. Ejus regnum eſt in Eccleſia. Dan.13.ſeptem ſacramentis ditavit eam.Zacch. 27.ſeq. Pugna amoroſa inter Chriſtum, & animam puram. Cant. 15. Chriſti vox ad animum qualis. Cant.94.106.& 112.& 302. Opera Chriſti facta in Eccleſia quàm magnifica. Ecclen. 37. Iſa. 701. Qualis dolor Chriſti in amiſſione animæ.Hier.194

Chriſti varia attributa expenduntur.Iſa.554. Ipſi curvatur omne genu. Iſa.597. Chriſtus ſol extendens ad omnes partes Univerſi ſuos influxus.& radios. Zacch.n.32. Cur dicitur ſol juſtitiæ, & non potiùs pietatis. Zacch. 34. Ecclen.10.Illuminat in nocte hujus vitæ.Sap. 96. Eccli 453.572.578. 585. Iſa. 162. diverſimodè ſecundùm capacitatem inferiorum.Iſa 562.ſeq. 570.619.775. ſeq. Zacch.30. Machab.73. Magiſter ſcholæ Eccleſiæ, ſtat ut talis in medio; ubi de doctrina Chriſtiana. Eccli.217.Oſe.32. Quas lectiones doceat Sap.98.Eccli.33. ſeq. ad 37.& 79.ſeq.85.199.ad 201. Iſa.464. Hier. 111. 149.160. Qualis Metaphiſica, Mathematica, Phiſica, Logica, Philoſophia moralis hujus ſcholæ.Eccli. 209 ad 223. Docet benè agere, non benè loqui.Iſa. 24.138. Mittit Prædicatores ad inſtruendos fideles diſcipulos, & irrigandam Eccleſiam. Eccli. 367. 369. 598. ſolùm ejus doctrina percipitur à pueris, ſed ablactatis. Iſa. 379. 158. 170. 163. Caput muſicæ cœleſtis. Iſa. 110. 246. clavis eſt intelligentiæ ſacræ ſcripturæ. Iſa. 403. Prov. 4.1

Sua doctrina aqua clara; mundi turbida. Hier. 28. Docet fletum. Hierem. 160. Thren. 94. Doctrina Chriſtiana, & Evangelica qualis. Hierem.337. neceſſaria ad ſalutem. Thren. n.1. Baruc. 8. ad 11. & 22. Joel. 27. Zacch. 43. Hier. 171. ſeq. In ejus ſchola paupertas, & pauperes ſoli æſtimantur. Proverb. 590. ſeq. Docet alios, ut iſti alios doceant. Dan. 109. Docet unionem; diabolus diviſionem. Oſe. 91. Mich. 12. Medium eſt omnium ſpeculationum, & operabilium. Zacch. 18. Prædicat pacem, ſed à nobis exigit bellum. Iſa. 275. In ejus ſchola obtinentur omnes ſcientiæ. Iſa. 145. ſed tamen ſolùm humilibus infunduntur.Iſa.164.ſeq.

Chriſtus liber ſcriptus intus, & foris.Ezech.33. ad 35. Iſa.145. ad 149. 477.Naum.2

Chriſtus medicus animarum, & corporum; Theriacam confecit contra venenum diaboli. Sapien. 146 Amos. 16. ſequent. Vitam ſuis inſpirat. Eccli. 50. Venit curare noſtras infirmitates in ſe illas ſumendo. Cant. 82 Eccli. 521. Ipſe medicus, & medicina in Sacramentis. Zacchar. 67. ad 71. Iſa. 800. Eccli. 600. Oſe. 32. Eccli. 368. 513. ad 518. Ex butyro, & melle compoſita. Iſa. 137. Medicus, & Chirurgus. Iſa. 430. Aggæi. 11. Exigit ſalarium ex ſua cura, & quale. Iſa. 597. Totus eſt in curando infirmitates noſtras. Iſa. 800. Sanguine ſuo nos curat. Iſa. 818. In mundo ſemper exhibuit medicos, & medicinas ſpirituales. Hier. 145. & hoc maxime poſt Incarnationem.Hierem. 238. & 347. ſolus ipſe medicus. Thren. 580. ad hanc medicinam alii ſanantur, alii infirmantur.Oſe.43. Qualem diætam ſuis imponit. Joel.16

Dux, & caput ſuorum militum benigniſſimus, diabolus crudeliſſimus. Iſa.176.ſeq. 333. 446. 469. Rex, & legiſer. ibid. 467. Poteſtatem diabolo abſtulit. Iſa. 565. 572. 583. ſequent. Hierem. 2. Qualis ejus poteſtas. Iſa. 583. ſummus Pontifex Eccleſiæ. Iſa.699. Dan.72. Brachium eſt Patris, quo omnia operatur. Iſa. 535. & 577. 613. ſeq. habet claves vitæ, & mortis.Ezech. 239.Dan.84.& 99. Faber,qui fabricavit mundum. Eccli. 358. Paſtor venit quærere oves perditas. Iſa. 688. Hier. 56. 241.317. Eccli. 253. Iſa. 291. 536. Zacch. 77. Mare gratiarum.Ecclen.16. Firmamentum Eccleſiæ,& mundi.Eccli. 402. & 575. Ezech. 21. & 91. Piſcator, & venator animarum.Iſa.156. Alios miſit ſimiles in mundum. Iſa. 278. Hierem. 230. Abac. 11. Princeps pacis. Iſa. 275. 180. 190. Vitis; nos palmites. Ezech. 127

Chriſtus Judex conſtitutus à Patre vivorum, & mortuorum. Iſa.431. 692.Ezech.4. Prov.923. Ezech.12. Dan.82.& 78.Joel.30. ad 34. Aſpiciendus à nobis ut judex.Iſa.63. Ejus aſpectus bonis erit in gaudium, malis in pœnam. Iſa. 116. 672. Ejus juſtitia proponitur Judicibus imitanda, 206. In hac vita patiens tacet, in judicio loquetur. Iſa.68. In judicio examen ſtrictius erit ſuper Religioſos.Hier.164. ſolus ipſe timendus.Hier.167. Nunc eſt agnus, tunc erit leo,& Iudex ſeverus Hier.183. Prov. 167. ſeq. Nemini parcet ſine pœnitentia. Proverb. 170. Naum.n.19. Dividet bonos à malis.Prov.635. In judicio inferet concluſionem proportionatam noſtris antecedentibus operationibus. Ezech. 70.Eſt menſurator meritorum noſtrorum Ezech.248.Malach.21.ſeq.

Chriſti viſio in hac,& alia vita quàm dulcis. Eccl n.94.qualem præparationem exigat. Cant. 154. ſeq. Iſa.463

Chriſti oſculum eſt tantùm ad os purum. Cant. 2. ejus tractus multiplex expenditur. Cant. 8 ad 13. ejus odor ſolus quàm efficax ad trahendum animum. Cant. 10. & 299.Eccli. 341. 343. Chriſtus Prior, & charitas Prioriſſa in conventu virtutum. Cant. 72. Chriſtus non invenitur inter creaturas. Cant. 34. ſequen. Oſe. 29. nec in lectulo nec in deliciis, nec inter cognatos, ſed in paupertate, humilitate, & in templo. Cant. 122. ad 123. & 230. Iſa. 478. & 713. Quomodo quærendus. Cant. 128 ſequen. 290. ſequen. Abſconditur, ut ſtudioſiùs quæratur. Cant. 123. 200. In hac vita invenitur de nocte, in alia de die. Cant. 121. Invenitur à quærentibus ipſum per ipſum. Sapien. 76. Inventus detinendus perpetuo. Prov. 88. Invenitur per Mariam. Prov. 212. & 149

Chriſtus libenter requieſcit inter lilia puritatis Cant.

Cant.219 In obediente. Cant 149. Item in infirmaria. Cant. 3 . Item in oratione, & contemplatione. Cant 29.& 3 . & 88.ſeq. Item in deſerto Religionis. Hier 348

Chriſti deliciæ eſt in noſtris deliciis. Cant. 87. Chriſti ingreſſus in animam præpeditur à noſtris defectibus. Can.93.124. Ejus perfectiones proponuntur à nobis imitandæ. Cant 137. ſeq. Chriſti imago in nobis pingenda. Cant. 137. ſeq. Pinxit ſeipſum in corpore Sancti Franciſci. Eccli. 534. Chriſtus, & Franciſcus plagati duo ſunt Seraphim viſi ab Iſa a. Iſa. 115. Reformavit mundum per Franciſcum. Iſa. 302. Quale vinum propinat toletantibus tribulationes. Cant. 304. Chriſti, & mundi ſequaces quàm diſſimiles. Sap.26. ſeq. In Chriſto videtur Pater. & Spiritus Sanctus. & omne creatum. Sap.90. Chriſti ſocietas omnia bona afferr, mundi verò omnia mala. Sap.99.ſeq.

Chriſtus ducit, & deducit ſuos per vias rectas. ſap. 113. ſolvit ligatos à diabolo. Sap.1 5 Chriſtus, & diabolus inceſſanter pulſant ad noſtrum cor. Sap 16. Chriſti pauperes veſtra ſunt pretioſiſſimæ. Eccli. 156. Chriſtus dictavit ſuam vitam Evangeliſtis. Eccli.291. Chriſti ſequela quam glorioſa. Eccli. 2 . Chriſtus vitis myſtica. Eccli.347. Noſter fidejuſſor. Eccli.417.49 . diligentes protegit. Eccli.478. Ejus deliciæ generant ſatietatam, ſimulque famem, & ſitim. Eccli. 356.& 359

Chriſtus agricola, qui in colendo campum Eccleſiæ tenet aratrum regiminis in manu nos invitans ad laborem. Eccli.53 a Teſtamento legavit nobis pacem. Eccli.619. Ter Sanctus prædicatus à Seraphim. Iſa.105. Exigit à nobis butyrum, & mel. Iſa.157. Bonis eſt apis mellificans, malis pungens. Iſa.819. Exaltatus ad Principatum Eccleſiæ ob obedientiam. Iſa 173. Prædicatio ejus ordinata ubi major indigentia erat. Iſa.160 Per ipſam reduxit lupos in agnos, & lupos, & agnos pacificè cohabitantes. Iſa.207. Ejus prædicationis mirabilia expenduntur. Iſa. 208. Ejus artes, & ſtudia ordinata ad ſalutē hominum. Iſa.227. Piſcatores, & venatores diaboli convertit in ſuos. Iſa.837. & 278 Fructus ſuæ, & ſuorum prædicationis. Iſa.275.61 . ſeq.624. 669 Cur à trigeſimo anno cepta. Exech.1. Retia Chriſti, & diaboli qualia. Ezech.103

Chriſti Parochiani in Parochia cœli ſepeliuntur. Iſa. 240 Ejus cantus quàm differens à cantu diaboli. Iſa. 4 . ſuis dat libertatem; diabolus captivitatem. Iſa 250. Diſcalceatus ipſe, & Apoſtoli inceſſerunt. Iſa. n.286. Noſter cuſtos principalis. Iſa.192. Quomodo quærendus. Iſa. 293. Habet claves cœli. Iſa.310. ad 314. Quale convivium paravit ſuis in cœlo. Iſa.338. Mutus animæ, & Eccleſiæ eſt. Iſa.142. Pugnat contrà malos armis tribulationum Iſa.360 Omnia ſua opera ordinata ad deſtructionem peccati. Iſa. 372. Ejus adventus fecit ſurdos audire, & mutos loqui. Iſa. 410. In converſione iniquorum qualia prodigia in eis operatur. Iſa.223. Via. veritas, vita, & ſocius noſter eſt. Iſa. 426. Ignem è cœlo portavit, ut deſtrueret peccatum. Iſa. 461. Ezech 3. Abac. 26. Inceſſanter dictis, & factis vocat ad pœnitentiam. Iſa. 487. 521. ad 523. & 600. Ejus benignitas in peccatores expenditur. Iſa. 555. ad 557

Chriſti ſocietas reddit juſtos immobiles, & ſecutos. Iſa. 168.571. 646.673. Hier.8.& 18. Thren. 87. Chriſti labores in peccatis noſtris quales. Iſa.5.6. ſe fecit ſervum ſervorum diaboli, & ejus cloacarum expurgatorem. Iſa. 575. Prov. 522. comparatur Aquilæ, gallinæ, vulturi, paſſeri, pellicano, nycticoraci, herodio. Iſa. 602. Ezech.126

Chriſtus in ſe fuit contemptibilis, & ſimilem familiam elegit. Iſa.510. Ejus ſequacium, felicitas qualis Iſa.622. Propè eſt bonis in bonum, malis in pœnam. Iſa. 52.716

Chriſti miniſtrorum obligationes quales, maximè in Altaris miniſterio. Iſa 6 4 &6 7. Chriſti multiplex voluntas expenditur. Iſa.693. Chriſtus invitat ſuos ad comedendum, & bibendum Iſa. 710 Pater in ipſo exercuit juſtitiam rigoroſam, Iſa 786. Chriſtus eſurit à nobis panem Iſa.748. & 775. Chriſtum deſerens privatur omnibus bonis. Iſa.770. Hier.25. Thren. 34. Chriſti veſtigia adorare eſt ipſum Imitari. Iſa.79 . Juſti ſunt ſemen Chriſti, impii ſemen diaboli. Iſa. 807. minus æſtimatur à multis, quàm beſtia. Hier 39

Chriſti ſanctificatio corporea qualis. Hier. 3. Ejus ſagittæ quales, & quales diaboli. Hier.73. Oves Chriſti paucæ hœdi diaboli multi. Hier. 90. Non intrat in cor amore mundano plenum. Hier. 91. Oſtium cœli, & omnium bonorum. Hier.116. ſine Chriſti amore omnia vana, & vacua. Hier.174. Chriſtus bonis, & malis propinat diverſimodè calicem. Hier 286. Chriſti lex eſt reddere bonum pro malo. Hier. 242. 258. Extendit manum gratiæ prævenientis peccatoribus. Hier.335. Chriſti, & diaboli, qualis pugna. Hier.167. A Chriſto ſeparati ſummum omnium malorum Thren.14. Prov.84. Ezech. 114. 1 8. Ipſum habens, habet omnia bona. Thren.83. Prov.244.& ſeq 215. & 298. Amos. 30. Jugum Chriſti à juventute accipiendum. Thren. 5. Chriſtus lætitia Patris. Prov. 2. 8. ad 190

Chriſtus quales theſauros ſuis exhibet. Prov.292. ſe exemplar in reverentia debita Parentibus oſtendit filiis. Prov. n. 401 Chriſtus finctus eſt oris, oratione, & abſtinentia obtinetur. Prov.402. Ab aliis quæritur benè, ab aliis malè. Prov.432.& 589 Chriſtus in pauperibus vel honoratur. vel inhonoratur. Prov.455. Chriſti miniſtri ſunt oculati, diaboli verò ſunt monoculi. Prov 461. Chriſtus vulnerat, ut ſanet, diabolus blanditur ut feriat. Prov.775.ſeq.

Chriſtus ſtat in medio colloquentium ſancta, diabolus in medio malè colloquentium. Prov. 787. ſeq. Elevat ſuos ſervos ad contemplationem gloriæ Exech.26. Chriſti viſitatio multiplex in bonum bonis, in malum malis. Ezech. 79. Chriſtus ſolus cum Matre ſine peccato. Exech. 81. ſcribit omnes in libro vel vitæ, vel mortis. Ezech. 83. omnia ejus opera ordinata ad noſtram ſalutem. Ezech. 129. 134. Dan. 93. Abd 1. Minatur, ne nos puniat. Exech. 146. Abſtulit poteſtatem diabolo. Exech. 199. Aperuit tumulos mortuorum per gratiam. Ezech.238. Ab imperfectioribus ad perfectiora in ſuis ſervis procedit. Dan. 4. Quales cibos ſuis miniſtrat. Dan. 4. Qualiter ſuos tentat. Dan.5

Digitized by Google

Index Generalis.

Chriſtus lapis bonos tegens, malos comprimens. Dan.52. ſolus poteſt tollere captivitatem peccati. Dan.72. In cœlo Chriſti corona ſunt Sancti, & Angeli. Dan. 76. Multi quærendo perdunt Chriſtum, quia malè quærunt. Oſe. 29. In oratione animo luctatur cum Chriſto. Dan.79. Chriſtus mortem deſtruxit, & Infernum momordit. Dan. 91. Chriſtus unionem, diabolus diviſionem induxit. Dan.91. Chriſtus totus in excitando peccatores à ſomno peccati. Ioel. 2. convocat nos ad bellum. Ioel. 37. infirma eligit, ut confundat ſapientes. Amos. 1. Abd. 3. Mel eſt juſtis, abſynthium impiis. Amos. 29. Salvator miſſus à Patre, at alios Salvatores mitteret in mundum. Abd. 1. & 5. Vindicator peculiaris injuriarum ſuorum ſervorum. Mich. 4. Exigit in nos judicium ſuper nos, miſericordiam in proximum, & progreſſum ſollicitum ad perfectionem. Mich. 19. Chriſti præſentiæ exercitium ſuadetur. Mich. 25

Chriſtus pugnat cum ingratis. Mich. 18. Venit, ut extingueret ſuo ſanguine ignem infernalem peccatorum. Mich. 18. Chriſto in hac vita non revelans pudenda in Confeſſario, confunderetur in judicio, &c. Naum. 31. Ejus locus eſt medium, ut nos ad talem locum invitet. Abac. 31. Soph. 15. Ejus aſpectus quàm efficax. Abac. 35. habitat inter myrtheta. Zacch. 3. Uſus eſt in hac vita veſtibus vilibus, ut ipſum imitaremur. Zacch. 15. Ornatus eſt omnibus donis. Zacch. 18. Chriſti equi, & diaboli quinam. Zacch. 28. & 53. Chriſti corona multiplex. Zacch. 29

Chriſtus docuit ſuo exemplo benignitatem Prælatos. Zacch. 57. & ſubditos obedientiam. Zacch 75. Per Chriſti virtutem ſolam ejiciuntur ſpiritus immundi. Zacch. 72. Pro Chriſti fide ſalvanda totum perdendum etiam vita. Zacch. 75. Ad Chriſti ingreſſum in animam qualis præparatio. Malach. 19. & 21. Confligitur continuè à peccatoribus. Malach 29. Exigit à divitibus pro penſione ex tot beneficiis eleemoſynam. Malach. 59. Chriſto armatus poteſt in omnia. Machab. 22. & 30. ad 53. Quale ſtipendium tribuit ſuis militibus, & quale diabolus Machab. 34. Multi Chriſtum ſequuntur tempore tribulationis, ſed in proſperitate ipſum deſerunt. Machab. n. 56. Chriſtus naves bellicas ordines regulares poſuit ad bellandum contra diabolum. Machab. n. 62.

Cibus juſtorum ex vulneribus Chriſti ſuaviſſimus. Iſa. 635. Cibus juſtorum regius: impiorum ſtercus diaboli. Ezech. 59. cibi quales apponuntur in menſa Chriſti. Dan. 4

Cibus peccatorum diabolus eſt, & immunditiæ. Iſa. 635

Cibus Dæmonis eſt peccator. Hier. 261. cibus electus diaboli eſt Religioſus malus. Abac. 12. cibi aliquando groſſiores, & viliores reſpuendi, & lautiores ſumendi. Eccli. 510

Cilicium quale exigat Deus à nobis, & quale reſpuat. Iſa. 285

Circumciſio qualis exigatur in nobis à Deo. Hier. 60. Machab. 84

Cithara ſit pœnitens, & ſonet, & cantet coram Domino Iſa. 120

Cithara Chriſtus in cruce. Iſa. 319. & 700

Cithara ſalutatio angelica, & Laus B. Virginis. Iſa. 319

Civitas myſtica Chriſti eſt Eccleſia, & anima juſta. Ecclen. n. 75. ſeq. Iſa. 662. Hier. num. 17. & 539

Civitas Babylonica diaboli eſt anima peccatoris. Hier. 57

Clamant ad Deum alii in bonum, alii in malum. Ion. 16. Mich. 12

Clamor Chriſti ad hominem qualis. Iſa. 521. ad 527. Clamor Prædicatoris ad auditores qualis. Hier. 61. Clamor animæ ad Deum in oratione qualis. Hier. 62. Thren. 64. Machab. n. 37. ſeq. clamor peccati ad divinæ juſtitiæ aures qualis. Thren. 65. clamor pœnitentiæ quàm efficax. Machab. 40

Clavis cœli, & inferni data Chriſto, & à Chriſto Sacerdotibus, & quomodo. Iſa. 310. ad 514. clavis cœli eſt crux. Iſa. 513. & 515. clavis poteſtatis principaliter in ſummo Pontifice. Iſa. 514

Clementia qualis virtus. Eccli. 517

Clericorum obligationes expenduntur. Eccli. 614. Iſa. 518. Ezech. 242. Clericorum multiplicatio nimia quàm noxia Eccleſiæ. Iſa. 165. Oſe. 54. Malè viventes reprehenduntur. Iſa. 469. ſunt libri, in quibus laici legunt vel bonum, vel malum. Iſa. 471. clericorum, ſacerdotumque mala vita quàm Deo abominabilis. Hier. 23. Ex patrimonio Chriſti malè viventes ſubjecti flagello Dei. Hier. 56. Ezech. n. 62. ſeq. clericorum diſcordia, & invidia ruina Eccleſiæ. Hier. 130. Thren. 42. clerici boni ſunt aurum Dei pretioſum, mali ſtercus diaboli, vel argentum reprobatum. Thren. 103. Hier. 188

Clericorum bonorum pulchritudo Eccleſiæ malorum deſtructio Thren. 40. 109. ſeq. Machab. 7. ſunt cœli luminoſi Hier. 71. clericorum negotiationes damnantur. Ezech. 191. Malè viventes ſunt abominabiliores malis ſæcularibus. Oſe. 53. ſæpè in juſtitia ſeparantur à Laicis. Iſa. 574 clericorum tonſura quid ſignificat. Hier. 129. Chriſtus quàm diſtrictè eos judicabit. Hier. 164. Aſſumant hoc munus ſolùm ob Dei gloriam. Hier. 384. Diſciplinam Cleri deſtruit gula, ſuperbia, & luxuria. Proverb. 758

Cæcitas ſpiritualis ſignum reprobationis. Iſa. 402

Cœlum & ſtellæ ſunt ſigna naturalia eventuum futurorum, ſubjecta tamen divinæ poteſtati. Iſa. 505

Cœli Eccleſiæ ſunt ſacerdotes. Iſa 539. ſunt Apoſtoli, & Prælati. Iſa. 588. Hier. 206. Prov. 257. Ad cœlum nos invitant omnes creaturæ. Iſa. 540. cœli via nobis à Chriſto oſtenſa. Sap. 111. ſeq. cœlitum laus qualis etiam vocalis expenditur. Iſa. 107. & 130. cœleſtis gloriæ magnitudo expenditur. Baruc. 15. In cœlum ingreſſus quomodo habeatur. Ezech. 369. & 550. cœlorum ordo quid nobis innuat myſticè. Hier. 338

Cogitationum bonarum, & malarum effectus expenduntur Eccle. 8. ſeq. Can. 252. Sap. 5. Hie. 67

Collationes, & colloquia ſpiritualia inter Religioſos quam proficua. Prov. 787. colloquia mala quàm noxia. Prov. 788

Columba

Index Generalis.

Columba Deo chara eſt anima ipſi dicata, & purè ſerviens. Cantic,256. Iſa. 509. & 790. ad 792

Columna nubis,& lucis Chriſtus,& B.Virgo Maria. Iſa.72.ſeq.

Comeſtio in bonum, & in malum quid ſit. Iſa. 303

Comedere peccata in bonum; & in malum quid. Oſe.23

Communio Euchariſtica quàm pium,& ſanctum opus.Iſa.303. V. Euchariſtia.V.Chriſtus in ordine ad Euchariſtiam.

Compaſſio de Chriſto patiente quàm fructuoſa. Iſa. 650. Vide Chriſti Paſſionis meditatio.

Compaſſio pauperum : Vide Eleemoſyna : magna vox, & oratio ad Deum eſt.Dan.66

Conceptus, & partus juſtorum, & impiorum expenditur.Iſa.362. ad 364 & 492

Concionatores inſtruuntur in ſuo munere. Eccli. 208.V.Prædicator.

Concordes ſoli in hac vita in cœlum intrabunt,& in unum congregabuntur. Iſa. 730. Hier.343. Baruc.18

Concordia quam Deo chara Eccli. 372. conſervantur regna,diſcordia diſſipantur. Prov.801. Oſe.3. & 68. propter ipſam venit Chriſtus in mundum.Mich.12

Concordes ſoli ſunt intra Eccleſiam,diſcordes foras.Ioel.22

Concupiſcentia eſt ignis ſemper ardens. Eccli.410. Deſpicit ſpiritualia, æſtimat terrena. Eccli. 42. Eſt aqua turbida.Hier.27.Eſt fomes,& infirmitas peſſima.Hier.175. Non ſatiat, ſed accendit appetitum, & mala innumera parit. Prov. 160. 178. 180. Totam familiam animæ invertit,Prov.786.Concupiſcentia mortificanda.Prov.329

Condonatio inimicorum quàm Deo chara. Eccli. 406.ſeq.

Confeſſio alia peccatorum, alia laudis. Iſa.222. Dan 21

Confeſſario detegenda omnia peccata. Eccli. 45. Ne revelentur toti mundo in judicio. Naum. 21. Eſt medicus à Lepra curans. Eccli.107. caveat ab acceptione perſonarum.Iſa.n 90. In impoſitione pœnitentiæ inſtruitur. Iſa.371. 391. Inſtruitur in inveſtigatione peccatorum. Prov. 366. Ezech.74. Caveat ab aſpectu mulierum. Abac.6

Confeſſionis conditiones expenduntur. Eccli.55. Iſa 603. Quàm ſanctè ordinata. Prov. 83. ſeq. Oſe. 71. Neceſſaria perfectæ converſioni. Eccli.240.Oſe.94. Frequentanda.Eccli.242.Prov. 816. Eſt medicina animæ. Eccli. 259. Silentium in confeſſione pernicioſum. Iſa. 117. confeſſio integra quàm Deo chara. Iſa. 576. Affert pacem inter Deum, & peccatorem. Iſa. 741.Qualis erubeſcentia in ea requiratur.Hier. 29.& 97. Vera parit benedictionem Dei, mala maledictionem. Prov. 307. Dan. 116. 312. & 362. Vera reformat hominem Prov. 489. In ea palliare peccata quàm malum. Prov. n. 812. ad 815. Eſt ſacrificium Deo charum. Oſe. 94. Quam valida contra hoſtes. Machab. 40. Ejus effectus quales.Ioel n.18.ad 28

Confidentia in Deum ſuadetur, cjuſque effectus quales. ſap.21.& 23. Eccli. 327. Iſa. 543. 550. 591. 702.& 765. Hier. 232. ſeq.236. 266. 371. Prov. 65. 460. 528. ſeq. 817. ſequent. Dan. 217. 120. Abac. 17. & 19. Machab. 112. ſapien.60

Confidentia in creaturis,& in ſeipſo quàm vana. Iſa.435.765.Hier. 38 232.ſeq.236.331. Thren. 215.Prov. 528. ſeq. 534. 559. 756. 827. ſequen. Dan.58

Confidentiam in Deo ſuadet ſpiritus ſanctus, in ſeipſo & mundo diabolus.Iſa.488

Conflagrationis ignis præcedet judicium. Malach.24

Conformitatis voluntatis noſtræ ad divinam effectus mirabiles expenduntur. Cant. 66. Iſa. 726. 841. Prov.396. 460.Dan.79.Machab.69

Congregationes ſacræ congregentur in domo diſciplinæ, & quomodo.Prov.649.ſeq. Congregationes.& confraternitates ſacræ in Deo concordes ſunt acies terribiles contra diabolum. Cant.247.261. Earum exercitia qualia. Eccli. 25. ſeq. Nulla poteſt ſubſiſtere ſine unione. Hier. 295. cum pace ſunt Paradiſus, cum diſcordia infernus. Prov. 575. Eccli. n.236. congregationes malorum quàm abominabiles. Eccli. 25. ſacræ inſtitutæ ſub vexillo crucis. Iſa. 219. concordia in unum diverſarum nationum effectus potentiæ Chriſti. Baruc. num.35

Conſcientia pura lectus Chriſti, impura lectus diaboli.Cant.53.2.& 5. Eccli.4.3. ſap.100.cuſtoditur.ſi eſt munda ab Angelis,& virtutibus. Cant.138.ſeq. V.*Cor.*

Conſcientiæ mundæ felicitates quales. Ecclen. 51. ſeq.Prov.134. Eſt myſtica vinea excolenda,Cant.332.Eſt domus, in quam intrare debet ſervus Dei.Eccli.453

Conſcientiæ bonæ quale gaudium; malæ qualis vermis,& mœror.Prov.471.473.519 conſcientia qualis theſaurus vel bonorum,vel malorum. Prov.650.796

Conſilium donum Spiritus Sancti eſt,ejuſque effectus quales.Eccli.82

Conſiliarius qualis eligendus in dubiis. Eccli. 180.503 ſeq. In vita ſpirituali præcipuè. Eccli. 74 457.459.Hier.204.A bonis ſumendum conſilium. Prov.377

Conſilium proprium ſequi quàm malum. Iſa. 746

Conſilium peritorum, & aliorum audire quàm laudabile.Prov.6. Ad alios conſulendum quænam neceſſaria.Prov.347.ſumendum præcipuè in oratione à Deo.Prov.782. Conſilium juniorum ſæpè non contemnendum. Dan. 182.Conſilium cum fortitudine eſt in Prælato. Machab. 28. conſilium contra Deum, & ſine Deo vanum, & fallax. Prov. 663. ſeq.

Conſolationes temporales vanæ, divinæ veræ. Ecclen.34 Zacch. 58. divinæ aliquando ſubtrahuntur ad majorem profectum.Prov 840

Conſtitutiones Regularium quàm ſedulo obſervandæ Prov.310

Conſuetudo veluti altera natura.Prov.669.In peccato malum peſſimum.Hier.207

Contemplativa vitæ natura, conditiones, qualitates conſolationes, & effectus expenduntur. Cant. 16. 23. 29. 31. 52. 65. 70. 77. 120. 148. 170. 213. Eccli. 245. 327. 529. 538. 591.Iſa. 37. 92. ſequen. 100. 327. ſequen. 466. 760. 782. 844. Proverb. 727. Ezechiel. 261.

Oſe.80.Joel.41.Machab.46.Prov.140. Dan.97

Contemptores Dei, & Sacrorum à Deo ſeverè puniuntur. Machab. 77. Dei contemptus quale malum.Iſa.388

Contentiones vitandæ maxime cum potentioribus. Eccli. 113

Contritionis conditiones exprimuntur. Iſa. 512. ſeq.Thren.65.& excellentia.Hier.126.Ejus effectus. Eccli.17. 407.Joel 18.ad 21.Ejus amaritudo vertitur in dulcedinem. Iſa.649. Prov. 431. Contritio alia ſancta, alia vitioſa, ut eſt damnatorum. Eccli.395.curat vulnera animæ. Thren. 57. contritio generat humilitatem, & humilitas contritionem. Proverb. 397.Eſt vulnus cordis ſanans à vulnere peccati. Prov. 633. Aridam animam in ſtagna aquarum convertit. Iſa 485. Dat vitam animæ. Ezech. 140

Converſatio ſancta veſtis candida;mala veſtis ſordida.Ecclen. n. 72. converſatio mulierum vitanda.Eccli. 25.128

Converſatio hominum qualis vitanda, qualis ſectanda. Hier.376. cum malis vitanda ſollicitè. Prov 137.exterior indicat qualitates intentiones.Pro.311 381.553.791.Religioſi vitent ſollicitè converſationem mundanorum. Machab. n.18

Converſionis noſtræ ad Deum perfectæ ordo traditur.Zacch. n 2.Hier. 69. & 91. Joel.15. ſeq. converſionis ad Deum, & averſionis à Deo effectus. Prov 612. Perfecta exigit fiduciam in Deo,'& operum efficaciam. Oſe. 81. Quænam ipſam impediunt. Joel. 17. converſi ad Chriſtum dicuntur reliquiæ Iſrael.Mich.26.ſit ſollicita.Prov.105

Convivium aliud Dei,aliud diaboli. Iſa 341. Machab. 6. Dan. 54. ſeq. Prov. 475. Quale à Deo in cœlo ſuis paratum. Iſa.338. convivium Euchariſtiæ à Chriſto nobis, & à Maria paratum, Iſa. 340. Quale in hac vita juſtis exhibetur. Iſa.339

Cor noſtrum vel eſt locus, & ſedes Chriſti, vel diaboli. Cant.205. Sap.6. & 7. Eccli. 303. Iſa. 408. cordis oſtium Chriſto aperiendum de die, non de nocte.Sap. 77. ſolum in cordis templo poteſt inveniri Chriſtus. Sap. 100. ſeq. & recipi. Malach.21. cor mundum mundat omnia noſtra; infectum inficit. Aggæi.13.cor duplex Deo exoſum. Eccli.22.cor in ore ſtultorum, & os in corde prudentium. Eccli. 309. Cor ſuppleat. ubi non attingunt opera. Eccli.248 In corde pingatur figura crucifixi.Eccli.535.Oratio fiat in cordis templo.Iſa.20.366.& 754.cor lectulus parvus non valens ſimul continere Chriſtum; & diabolum,vel mundum.Iſa.493. Soph.2. cor ſuum Deo aperiunt juſti. abſcondere conantur impii. Iſa.407. corde profundo coram Deo quid ſit. Iſa 408. Juſti toti ſunt ad cordis munditiam.Hier.66

Cor hominis Altare vel benedictum, vel maledictum;Deo,vel diabolo conſecratum. Thren. 52. In ipſo offerenda omnia ſacrificia. Ezech. 257. ſeq. Machab. 41. cor mundandum ſicut vas aquæ, non ſicut olei lactis, mellis, vel vini. Thren. 68. In cordis tabula deſcripta ſunt Dei mandata. Prov. 63. Ad cor magis aſpicit Deus, quàm ad opus externum.Prov.469. 472. hocque eſt, quod à nobis petit Deus.Prov.704. Et hoc integrum,non dimidiatum. Dan. 25. E cordis fonte exeunt opera omnia bona,& mala.Prov.707. ſolùm à Deo poteſt expleri,& ſatiari. Prov. 792. Aggæi. n.5..cordis templum deſcriptum imaginibus vel Dei, vel diaboli. Ezech.76

Cor ad adventum Spiritus Sancti in bonis ex lapideo fit carneum; in malis ex carneo fit lapideum. Ezech. 231. ſeq. cor affixum terrenis cooperitur ſtercore.Oſe.30

Cor exiſtens in peccato mortali ſedes diaboli, & locus ignis infernalis. Mich. 25. & 27. Ideo alii in corde ferunt ignem ſanctum gratiæ, alii ignem infernalem & aquam craſſam. Machab. 72. Ignis cœleſtis in ipſo cum cinere perpetuo ſervetur. Machab. 118. Prius in Altari cordis,poſteà in Eccleſia offeratur oratio,& ſacrificium,Machab.50 cor juſti ſepulchrum Chriſti glorioſum. Iſa.213. diviſum ſignum mortis. Oſe.n.67

Corona juſtorum, & impiorum qualis. Sap 22. Thren. 120. Iſa. 375. corona præmii eſt ſolùm perſeverantium. Cant. 291. Aurea, & aureola quid ſit. Eccli.616. Corona Chriſti multiplex. Cant. 153. ſeq. 157. ſeq. Corona fidei qualis. Thren. 119. corona à Chriſto non datur ſine ſanguine, ſcilicet tolerantia paſſionum. Machab 59. Iſa.811

Corporis glorioſi dotes, fulgor, & aliæ qualitates expenduntur.Sap.39 & 40.Iſa.544

Corporale in Miſſa quid ſignificet. Prov. 928. corpus quomodo aggravat, & diſpergit animam. Sap.109. corpora ſolùm juſtorum innovabuntur. Iſa. 837. Ideo corpora damnatorum appellantur cadavera. Iſa 852

Correctio, & diſciplina efficax medicina. Eccli. 24. Prov.774. ad 776. Quàm neceſſaria in Eccleſia,& maximè in Religionibus Eccli.n.397. Prov.831.Qualiter facienda. Eccli.274. maximè à Prælatis.Prov.825

Correctionem accipere ſignum prædeſtinationis. Eccli.179. Prov.284. 470. 483. 735.810

Corvus deturpans Eccleſiam eſt qui procraſtinat pœnitentiam.Soph.n.11

Crapula & ebrietatis effectus peſſimi quales. Ecclen.36.Prov.648.695.& 700. Ezech.124. Eccli.569.Iſa.303.ſeq.

Creator dum offenditur, offenduntur omnes creaturæ.Sap.72

Creatura omnis de ſe vana eſt,& ad nihilum tendens.Ecclen.n.1.& ſeq.Eſt umbra,& ſomnium. Iſa.765.Hier.70

Creaturæ omnes relinquendæ, ut ad Deum feratur anima.Cant.34. ſeq. omnes in judicio pugnabunt cum Chriſto contra impios. Sap.72. Abac. 23. Omnes creaturæ ſubjectæ Dei imperio.Sap.161. creatura omnis liber eſt ducens ad Dei notitiam. Sap.137. Machab. 101. Prov. 21. omnes obediunt Deo excepto homine. Hier.84. Per creaturas Deum offendit homo, & per eaſdem punitur.Iſa.330.Dan.19

Credere citò obloquentium dictis ſignum eſt levitatis.Eccli.270.ſeq.

Crux ſanctificata fuit ex contactu Chriſti. Sap. 539. Qua adoratione adoranda. Iſa 216. Lectulus floridus Chriſti. Cant. 54. Ferculum noſtrum Cant.151. ſeq. Navis ducens ad portum ſalutis.Sap.138. Liber eſt grandis.Iſa.149.

Vexillum

Vexillum Chriſtianorum, ſub quo inſtitutæ ſunt omnes Religiones, & congregationes ſacræ. Iſa. 214. 219. Signum principatus Chriſti. Iſa. 172. Clavis eſt cœli. Iſa. 313. 315. Crucis Chriſti exaltatio expenditur. Iſa. 317. Ezech. 131. Crux ſola nobis oſtendit viam ad Cœlum. Iſa. 414

Crux gloria Chriſti per totum mundum. Iſa. 777. Lignum eſt vitæ. Prov. 91. ſeq. Medium unicum inveniendi Chriſtum. Prov. 210. 246. Crucis myſteriorum mediatio mel dulciſſimum. Prov. 715

Crux arbor cæleſtis vitæ, ejus folia, flores, fructus, & effectus mirabiles fusè expenduntur. Dan. 40. Crucis ſignum imprimitur in anima in baptiſmo, & extrema unctione. Ezech. 84. ſeq. Crucis ſigno cur conficiantur ſacramenta. Ezech. 87. Quid rebus benedictis per crucis ſignum ſuperaddatur. Ezech. 89. Crucis ſignum liberat à morte à Dæmone, aliiſque adverſis. Ezech. 86. ſeq. Machab. 121. Cur ponitur in principio Canonis Miſſæ. Ezech. 87. Crucis ſigno ſignatus eſt S. Franciſcus, ut alios ſignaret Ezech. 88.

Cultus Dei exterior ſine interiori parum valet. Hier. 116. ſeq. 166. Machab. 70. Ubi de cæremoniis exterioribus, aliiſque actibus, & ritibus, & templorum magnificentia; cultus ritè factus quàm Deo charus. Dan. n. 60. Cultus Dei ſit præcipua cura Principum, & Prælatorum. Machab n. 41. Cultus Dei ubi deficit, ibi nulla poteſt eſſe felicitas. Zacch. 38

Curia Principum abundat malignis, & invidis. Dan. 61.

Curioſitas quale malum. Ecclen. 25. ſeq. Proverb. 692. 813. In ſcientiis quàm vana. Ecclen. 34

Currus diaboli, eſt peccatum ſcandali. Iſa. 82. Avaritia. 83. Laſcivia, hypocriſis, veſtium pompa, ambitio Iſa. n. 85

Curſus animæ ad Deum currentis qualiter fiat. Cant. n. 13. ſeq.

Cuſtodia Prælatorum in ſuas oves qualis debeat eſſe. Iſa n. 791

Cuſtodia Chriſti in nos qualis. Iſa. 291. ſeq. Angelica quale privilegium. Eccli. n. 235

Cuſtodes Fratrum Minorum quales. Iſa. 291

Cuſtodiæ ſenſuum maximè oculorum defectus quanta mala pariat. Dan. 123

D

D*amnatorum* pœnæ in inferno expenduntur. Iſa. n. 230. 239. maxima eſt carentia viſionis Dei. Iſa. 354

Damnatis ſocietas amicorum majus eſt tormentum. Iſa. n. 210. Damnati ſunt in majori numero quàm electi. Iſa. 8. damnatorum odium in Deum, beatos, & damnatos, ipſorumque paſſiones animæ quales. Iſa. 239. Ipſorum corpora & animæ in olla inferni à diabolo coquuntur. Hier. 11. ſeq. 262. Iſa. 306. Ipſorum corpora quàm mirabilia. Iſa. 852. damnatorum vermis qualis Iſa. 853. ſeq. Pœnæ augentur ex multiplicatione damnatorum. Prov. 14. Iſa. 269. damnationis cauſa eſt peccator, ſalutis eſt Deus. Oſe. 88. Zacch. 208. damnati quali pœna torquebuntur ad aſpectum vulnerum Chriſti. Zacch. 80. damnati non ſunt plangendi. Ezech. 170. ſunt paleæ ignis infernalis. Hier. 282

Daniel quo tempore vixit, & ſcripſit. Dan. in Prol.

Decalogus liber eſt ſcriptus intus; & foris. Ezech. 36

Declinare à caſu recto in obliquum eſt Iudicium iniquorum. Hier. 114. Thren. 90

Defunctus. V. Mortuus.

Delectationes mundanæ quàm vanæ. Ecclen. 34. earum finis eſt planctus. Prov. 4.6

Deliciæ ſpirituales, & mundanæ incompoſſibiles. Cant. 225

Delicatè vivere quàm periculoſum maximè in mulieribus, & virginibus. Hier. 227

Deſertum myſticè eſt Eccleſia, in qua invenitur Chriſtus. Iſa. 478. deſerti, & ſolitudinis laudes. Iſa. 805

Deſideriorum ſanctorum actus quàm utiles orationi. Iſa. 344

Deſolationes univerſales ſolet Deus prænunciare ſignis manifeſtis. Ezech 50

Deſperatio quale peccatum. Hier. 254

Deſponſatio Chriſti cum Eccleſia expenditur. Can. 159. V. Chriſtus in ordine ad Eccleſiam. Oſe. 5. ad 13

Deſponſatio animæ cum Chriſto quomodo fiat. Iſa. n. 68. Oſe n. 1. ad 13

Detractionis vitium quàm grande malum, quàm Deo exoſum. Eccli. 68. ſeq. Iſa. 378. Hier. 150. Prov. 511. & 666. Sap. 14

Detractorum malignitas expenditur. Eccli. 169. eorum lingua eſt tertia, & peſſima. Eccli. 412. ſeq. eorum peſſimus ſtatus qualis. Eccli. 462. Sæpè puniuntur à Deo in amiſſione famæ. Iſa. 456. ſunt ſimiles diabolo. Prov. 153. Quàm ſollicitè vitandi, Prov. 722. eorum lingua ventus Aquilo. Proverb. 743. Sunt canes crudeles. Proverb. 754. peiores ſerpentibus Ecclen. 86. Faciunt transformationes magicas. Prov. 429

Devotio eſt vinum, quòd ex oratione exhauritur. Cant. 294. ejus diſſipatio unde oriatur. Ecclen. 78. ſeq. Qualiter excitanda in oratione. Iſa. 344. & qua cautela ſumenda eſt conſolatio ex devotione. Prov. 740

Dei prædeſtinatio æterna, & temporalis expenditur. Ecclen. 29. Creavit omnia in numero, pondere, & menſura. Sap 126. Eccli. n. 247. Dei amor, & miſericordia in nos expenditur multipliciter. Ecclen. 48. Sap. 121. 127. 148. Eccli. 20. & 231. 243. ſeq. 456. 542. 582. 587. 612. Iſa. 353. 394. 419. 443. 535. 559. 598. 71. Hier. 40 45. 50. 51. 92. 144. 218. 239. 311. 313. Thren. 82. Prov. 252. ad 259. Oſe. 9. 26. 88. 95. Joel. 15 31. Amos. 2. Ion. 1. Mich. 1. Malach. 1. Ezech. 150. ejus amorem in nobis invocat. Cant. 295. Tempus miſerendi eſt hæc vita, in alia puniendi, & præmiandi. Iſa. 235. Ezech. 123

Deus ſolus poteſt replere vacuitatem animæ, Sapien. 11. Ecclen. 4. ſeq. 55. 66. Dei virtus communicata verbis ſanctis. Ecclen. num 67. Dei manus, pedes, & os quomodo oſculanda. Cant. n. 6. ejus tractus animæ eſt neceſſarius Cant. 8

Dei voluntati conformitas quam proficua. Cant. 66. Iſa. 716. Prov. 745. Dan. 36. 79. Dat tempo-

talia

ralia in ordine ad ſpiritualia bona. Cant.84. Amplexatur ſuos amicos dextera. Cant. 86. 208.ſeq.Alloquitur animæ in oratione,& communione. Cant.88.226. ſeq. Oſe.9. ſeq. Oratione vulneratur ejus cor. Cant. 80. ſeq. Ejus comparationes ſedulo ampleaandæ.Cant.224. converſatio cum Deo quàm proficua,alienatio noxia. Cant. 288. Quomodo poſſit quæri, & inveniri à nobis. Sap.1.Iſa.713. Hier. 386.Oſe 73. & 77. exigit in nobis ſedem,& locum purum.Sap.6. ſeq.52. Dei, & mundi ſequacium diſſimilitudo qualis.Sap.26.àd 34

Deus quomodo nos tentat. Sap. 32. Dan.5. in Deum confidentia ſuadetur.Sap. 43. Eccli. 21. 527.601.Iſa.418.Hier.38. 341.84.& 115. Prov. 65.295. Malach.17.32.ſeq. Machab. 27 & 98. Dei amor magis in opere conſiſtit. Sap. 75. Deus pulſat ad cor, eique aperiendum ſine mora.Sap.77. Oſtendit in hac vita ſuum regnum juſtis. Sap.112. ſeq. ejus cognitio quale bonum. ſap. 545. ſuos ſervos magnificat. ſap. 162. Fons eſt omnis ſapientiæ, & bonorum. Ecclen 66. Eccli.1. Deus vult ſolus eſſe in anima.Eccli.11.Iſa.19.ſeq.Qualis præparatio exigatur in anima ad Dei adventum.Eccli.23.32. Ad ipſum appropinquamus deſcendendo, elongamus aſcendendo. Eccli.32. Videtur ludere cum hominibus, alios deprimendo, alios extollendo. Eccli. 550. 164. Iſa. 328. & à ſiniſtra ad dexteram tranſire faciendo. Eccli. 165. Prov. 231. Divinæ præſentiæ exercitium ſuadetur Eccli.198.358. ſeq.Hier. 28.Baruc.17. Prov.67

Dei timor quale bonum Eccli. 200. Deus juſtorum laudes acceptat, malorum reſpuit. Eccli. 219. Apud eum pluris unus juſtus æſtimatur, quàm cæteri omnes. Eccli. 223. ejus aſpectus quàm utilis. Eccli.228. Non aſpicit quantum, ſed ex quanto. Eccli.283 Prov 469. Ordinat malum ad bonum. Eccli.464. Faber eſt. Eccli. 538.539.de Deo loqui quàm gratum ipſi.Eccli. 603. ab omnibus laudandus. Eccli. 604 Invitus punit peccatores. Iſa 31. Ab ipſo omne bonum,à nobis omne malum.Iſa.187

Deus vult dare, ſed vult rogari. Iſa. 283. 421. Zacch.51. ſine Deo nihil ſtabile,cum Deo omnia ſtabilia. Iſa.331. ſeq. ejus viſionis privatio maxima eſt omnium aliarum pœnarum. Iſa. 354. Poſt tribulationes immittit conſolationes. Iſa. 342. contemperat cum miſericordia juſtitiam.Iſa. 353. Ab ipſo omnia bona recognoſcenda. Iſa.358. ejus miſericordia, & gratia aliis eſt in ſalutem, aliis in Perditionem. Iſa. 365.Prov.744.cum juſtis loquitur lingua propria,cum malis lingua aliena.Iſa.382.ſeq Deus dicitur requieſcere, cum non requieſcimus. Iſa. 384. Malè laudat Deum, qui tantùm ore,&c.Iſa 405. ejus lex quàm amabilis. Iſa. 558.Deus cum vocat ad ſe,offert etiam omnia neceſſaria ad executionem. Iſa 560. Deo gloriam auferens furti reus eſt. Iſa. 564. ejus ſanctitas manifeſtata in ſuis operibus.Iſa. 573 ejus ſervitium quid exigat. Iſa. 579. ſeq. A nobis laudes exigit ad gratiarum actionem. Iſa.574. ejus providentia univerſalis expenditur. Iſa. 575. Nullum deſerit prior. Iſa. 636. cum ipſo omne bonum, ſine ipſo omne malum. Iſa.637

Deus locus eſt hominis, & centrum, ſine eo eſt extra locum,& ſubjectus morti.Iſa.639. Propè eſt invocantibus eum Iſa. 714. Propè bonis, longè à malis. Iſa. 716. Deus fideliſſimus in promiſſis. Iſa. 704. 719. Ezech 701. inter Deum, & juſtum pium certamen. Iſa 739. Omnes vocat ad pœnitentiam. Iſa. 738. Dei ſervitus, & diaboli quàm differens. Iſa. 794. 807. Dei adoratio, & cultus ſtat in interiori, & exteriori. Iſa. 796. Dei viſio quale bonum. Iſa.n.827

Dei oculi fixi in humiles, &c. Iſa 842. cum aliquem vocat ad aliquod munus, ei tribuit omnia neceſſaria. Hier. 7. Mittit peccatores ad ſcholam tribulationis. Hier. 89. Dei ſchola quid doceat. Eccli. 6. Deum pauci ſequuntur, multi diabolum. Hier. 90. ejus juſtitia indeclinabilis. Hier.214.Dei ſchola,ad quam nos invitat.Hier.89

Deus placatur ſacrificio cordis,non externis actibus tantùm. Hier. 559. ſeq. certamen inter Deum vocantem, & peccatorem renuentem. Hier.132. corripit cum miſericordia. Hier.578. Vel ſub Dei dominio, vel diaboli neceſſariò vivere debet homo. Hier. 229. Dei pœnitentia qualis. Hier.253.Deus utitur Dæmonibus, & impiis ad puniendum, & probandum bonos. Hier.297. contemptor Dei mandatorum ſeverè punitur.Hier.164. Percutit, & vulnerat, ut ſanet. Hier. 89 Dei vocatio multiplex. Prov. 29. ad 35.Qualis fueris cum Deo,talis erit tibi Deus.Prov.36 ad 38.808. ſeq.Ezech.223. 227. Qualis Dei ira,aliis terribilis,aliis dulcis.Prov. 77. Dei viæ dulces, mundi aſperæ. Prov.85. ſeq.127

Deum habens,omnia bona habet. Prov. 78.104. 244. ſeq 298. 384. 474. etiam inter dæmones ſecurus.Ezech.198.Naum.6. Abac 45. Zacch. 7. Dei amor in anima quales effectus gignit. Prov.201.ad 203. 225. Vult amari, & timeri Malach.3.Machab.99.105. Deus delicioſè inhabitat in juſto 232.ſeq 134.ad 239. Non ſinit ſuos dilectos fame perire.Prov. 296. dicitur propriè eſſe cum juſtis, impropriè verò cum impiis.Prov.214. 481. Dei gloria eſt finis omnium operum Dei,& Sanctorum.Prov.492. ſeq.Deus ſtatera juſtitiæ ponderat bona,& mala, bonos,& malos. Prov. 488. 504. Ideo ipſe eſt vindicator pauperum oppreſſorum. Prov. 680. Vult in nobis cor ſolum. Prov.469.7 4. delectatur maximè unguentis noſtris. Prov. 783. ab ipſo conſilium quærendum in oratione Prov. 782. docet ſuos miniſtros, ut & ipſi alios doceant. Dan. 109. ſigna qualia hoſpitis Dei, & qualia diaboli. Ezech.120

Dei zelus totus eſt ad ſalutem hominum. Ezech. 244. ſeq. in Dei curia admittuntur tantùm pueri, decori, eruditi, & diſciplinati. Dan 2. Quales cibos eis apponit. Dan. 4. A Deo eſt regnorum tranſlatio.Dan 8. Dei providentiæ ſe committens nullam jacturam pati poteſt.Dan. 36. Amos. 7. Ubi de providentia in nos. Ion. n.1. Abac. 1. 4. cum ſit invincibilis vinci poteſt oratione. Oſe. 79. Flagellat nos ad noſtrum profectum. Amos.6 ſeq. & 45. ſuperbos deprimit, humiles exaltat. Abd. 2. cum iram exercet in nos dicitur egredi de loco ſuo Mich.n.1.Deus æmulator boni in bonis,ultor
in

in malis. Naum.3. Dei patientia in expectando peccatores. Naum. 4. V. Dei miſericordia. Malach.28. Dei ira terribilis, quando non iraſcitur contra nos in hac vita. Abac.32. Oſe.16. Ezech.150

Deo velle ſervire, ſimul & mundo impoſſibila eſt. Soph.2. Quod ad Deum non ordinatur totum eſt vanitas Soph.16. inſpirationes Dei acceptandæ cum tota ſollicitudine. Agg.8

Dei cultus ſuper omnia curandus. Agg. 2. Machab. 20. Ubi non viget divinus cultus, ibi nulla eſt felicitas. Zacch.38. Dei prædeſtinatio, & reprobatio an ſit ex prævifis meritis. Malach. n.1 Igots Dai qualis in aoima. Malach.25

Dei immutabilitas eſt ad conſolationem bonorum, terrorem malorum. Malach. 27. Deo ſo totum debet homo. Machab. 99. Deus quàm liberalis in magnificando ſuos ſervos ad ſui gloriam. Machab. 102. Deus ſemper providit eccleſiam miniſtris aptis in tempore, quo graſſantur hæreſes. Macbab. 42. Deus ambabus manibus occupatus in exornaoda Maria Virgine. Caot.85. In ipſam reſpexit ſuper omnes. Eccli 229

Dei odium ad peccatum expenditur. Sap.241. ſeq. Iſa.16. & 12. Hier.125. 390. Ezech. 148. ſeq.

Deus in teſtimonium malignitatis paccati relinquit in mundo ſigna patentia deſolatioonum locorum. Sap.110. Odit in homine peccatum, & amat natotam. Eccli. 222. ob peccatum ſæpè relinquit peccatorem in manu conſilii ſui, & in ſua miſeria Eccli.220. Maximè irritatur ſuperbia, & arrogantia noſtra. Iſa.259. Punit nos per creaturas, quia per illas ipſum offendimus. Iſa.330. ſine Deo telam ordiens laborat in vanum. Iſa.415. Deo quàm exoſi, qui Dei præcepta deſerunt, ut mandata hominum exequantur. Iſa.406

Deum deſerens, ut bonum aliud obtineat, quàm ſtultus, & miſer. Iſa. 769. ſeq. ſina Deo nihil proſperum, cum Deo omne bonum. Hier. 44. 163. 382. 34. 47. 396. ſeq. Abac.9. & 25. Ob odium ad peccatum non ſolùm punit Deus peccatores, ſed & loca. Hier.342. Deum relinquens pro vinaciis. & ſiliquis mundi quàm ſtultus, & miſer. Oſe.13.49.57. A Deo fugiens in graviſſima mala incidit. Ion. n. 4. ſine Deo ædificare eſt laborare ad ruinam. Malach. 2. Deus ob peccatum mortale privat animam omni bono. Ezech 121. Deus utitur virga malorum ad puniendum electos, poſtea eam projicit in ignem. Iſa.186

Dextera eſt Dei, & rerum ſpiritualium, ſiniſtra mundi, & temporalium. Iſa. 243. Prov. 128. Cant.84. ad 86

Ao in gratia creari. Ezech. 185. in Dæmonibus qualia dona remanſerior. Ezech.182. ſeq. 193. ſeq.

Diabolus non poteſt nocere, niſi permiſſus à Deo. Eccli.2-7. Abac. 5. à Chriſto ſpoliatus eſt poteſtate. Iſa.168. 237. Virtute etiam verbi divini aufertur ejus poteſtas. Iſa.209.432. Ezech.199. Dan.84. diaboli vincula qualia, quibus ligat hominem. Sap.115. Hier. 349. 360. Prov.142. ad 144. Pulſat ad cor noſtrum inceſſanter. Sap. 216. Quales cibos ſuis præparat. Eccli.277. Iſa. 635. Prov.288. ſeq Dan.55. Oſa.24. Abac.12. & 27. diabolus iniquus mercator vilia, & parva pro pretioſis exhibens Eccli. 286. Ezech. 175. diabolus deridet Religioſos retrò redeuntes in ſervitio Dei. Eccli.287. Thren.85. diaboli Doctores quales. Eccli. 305. diabolus quas ſtrages peccato facit in anima. Eccli.526. Obſervantia mandatorum Dei ipſum torquemus. Eccli.495

Diaboli filii, & ſemen ſunt peccatores. Iſa. 807. diabolus piſcator, & venator animarum. Iſa.156. Hier.79. & 159. Prov.243. Ezech. 203. Abac. 11. ejus piſcatores, & venatores ſunt ſcandaloſi. Iſa.178 Thren.96. Ezech. 165. Dan. n.17. Machab.47. & 62. ejus jugum deſtruitur operibus miſericordiæ. Iſa.191. ejus ſuperbia qualis. Iſa. 201. ſeq.243. Ezech. 190. ſeq diaboli ſedes eſt anima in peccato mortali; Ubi de poſſeſſione diaboli. Iſa.204. 244. 276.290. 306. 389. 408. 659.666. ſeq. Hie. 299.362.375. Dan.28. Mich.17

Super diabolum peculiarem poteſtatem accipit vincens, & reſiſtens ejus tentationi. Iſa.238 Qui diabolum non proſternit, proſternitur ab ipſo Iſa.251. diaboli cantus qualis Iſa.246. Primùs rupit ſilentium in Cœlo. Iſa. 145. ejus milites, & militia qualis, Iſa. 333. ejus fraudulentia in tentando expenditur Iſa.446. Prov. 207. 185. 378.764.775. ſeq. Ezech 191. Dan. 2. Oſe 47. Quanta ejus crudelitas in hominem. Hier. 82. ſeq.107.114. 141. 362. Prov.413.819. Dan. 74. Totus ipſius conatus eſt contra Eccleſiam. Iſa. 494. Ioel. 4. ſemper à pœnitentia avertere hominem quærit. Iſa.482

Diaboli porta, per quam intrat in animam eſt peccatum. Iſa. 498. ejus confuſio in die judicii qualis. Iſa. 581. Quibus flagellis flagellat ſuos. Iſa. 614. diabolus faber exſufflans flammas vitiorum. Iſa. 708. Eccli. 158

Diaboli, & Dei ſervitus qualiter differunt. Iſa. 794. diabolus portat peccatores capite verſo ad terram ſicut gallum gallinaceum ad infernum, & veluti coquus coquit animam, & corpus in lebete inferni. Iſa. 306. Hier. 13. ſeq. 261. Ezech. 161. Dan. 10 ejus ſagittæ quales directæ ad animas. Hier. 3. 259. diaboli vinea qualis. Hierem. 32. Vindemiator. Hier. 90. diaboli dominio voluntariè nemo licitè poteſt ſe corporaliter ſubjicere etiam prætextu tolerantiæ paſſionum. Hier. 299. Qualiter trahit ad ſe homines. Hierem. 313. ligat peccatores, & eruit oculos eorum. Hier. 349.360. Non poteſt in juſtos. Hier.362. Pugna ipſius cum Chriſto. Hier. 367. diabolus quærit arripere animas à Paſtoribus derelictas. Hier.187. diabolus miſcet venenum cum divitiis. Hier. 390. Dæmonum obſeſſio in mortua qualis. Thren.4.120. Abac.5

Diabolus caput iniquorum. Threo. 7. deridet feſtorum obſervantiam exteriorem ſine interiori devotione. Thren. 14 eius logica qualis. Thren. 62. diabolo ſe, & ſua donat peccator. Prov.131. ad 134. diaboli gratia vana, & fallax. Prov.946 diaboli tabernæ ſigna qualia. Ezech.120. ejus amicitia ficta Ezech.161. 164. diabolus fert ſecum ignem infernalem. Mich. 27. Ezech.195. Luxuria locus diaboli. Ezech. 200. Ideò dicitur Spiritus immundus Zacch. 71. Infatuat hominem. Dan.13. diabolus leæna, Urſus, Pardus, fera crudeliſſima contra hominem. Dan.74.

Diabolus inducit diviſionem, Chriſtus unionem. Oſe.91. Ejus tentoria ſunt peccatores. Abac.37. Baculo crucis percuſſus. Abac.42. Ejus veſtis eſt peccatum. Soph.5. Dæmonum pila peccator Soph.6. Sanctiores acriùs tentat. Zacch.12. Machab.47. Ponitur ad dexteram à peccatore. Zacch.13. ſeq. Inermis eſt, & armatur armis peccatorum contra ipſos. Zacch 14. ejus loquacitas perverſa debet obtundi. Zacch. 16. 25. diaboli equus eſt peccator. Zacch.28. diabolus ſe transfigurat in Angelum lucis, ut ſecuriùs decipiat. Machab.2. Quale ſtipendium ſuis militibus tribuat. Machab. 34. Vincitur oratione. Machab. 56. ſemper aſcenſum in altum ſuadet, ut præcipitet facilius. Machab. 85. & 105

Diei Dominicæ Palmarum myſteria expenduntur. Cant. 156. Dominica cur loco Sabbathi poſita. Hier. 247

Diæta qualis ſuis ordinat Chriſtus, & qualis diabolus. Joel.16

Diffidentia in Deum quale malum. Eccli. 527

Dii in bonum, & in malum quinam. Iſa.495

Dilectio proximi oſtenditur in ore, & opere. Prov. 398. V. Charitas.

Diſcalceati, & nudi myſticè quinam. Iſa.286

Diſciplina, & ſapientia quid ſit. Prov. 2. à nobis amplexanda. Prov.74. 241. 318. Eccli. 14. in Religionibus, & Eccleſia quàm neceſſaria. Machab.114

Diſcipulus Chriſti quis, & qualis. Eccli.85

Diſcordes Eccleſia non recipit. Joel.22

Diſcordia doctrina diaboli, concordia Chriſti. Baruc. 18. Oſe. 91. Diſcordia ruina Regnorum, pax felicitas. Machab.2. In Clericis ruina Eccleſiæ. Thren.42. Diſcordia oritur ex ſuperbia. Prov. 412

Divinatio ars diabolica, & quot ipſius ſpecies. Eccli. 473

Divitiæ ſunt meræ vanitates, & veluti ſomnia. Ecclen.4. Eccli.470. Baruc.13. Prov. 585. Mali effectus ex divitiis expenduntur. Eccli. 153. Prov.759. 824 859

Divitiæ veræ quales. Iſa.458. Prov. 585. Divitiarum contemptus ſuadetur. Eccli. 61. Divitiæ malè acquiſitæ, & cum Dei offenſa mobiles, & ruinoſæ. Eccli. 66. 153. 188. Iſa. 78. ſeq. Hier. 86. 235. 270. ſeq. acquiſitæ cum juſtitia ſunt à Deo, cum injuſtitia à diabolo. Eccli. 185 373. Prov.640. 676

Divitibus ſuadetur eleemoſyna. Eccli. 142. 193. Prov.584

Divites alii habent alas Aquilæ alii milui. Hierem.41

Divitum crudelitas tempore penuriæ expenditur Hierem. 263. Thren.43. Proverb. 839. Malach.29

Dives pauper: & pauper dives quis. Prov. 408. Dives ſit affabilis, pauper humilis. Prov. 579. Divitiæ benè utentibus quàm proficuæ. Prov. 409. Dives quis à Deo deſpectus, quis dilectus Prov.590. ſeq. divitibus proponit pauperes ad ſuam ſalutem. Prov. 667. divitum vitia expenduntur. Amos.26. Penſio, quàm exigit Chriſtus à divitibus, eſt eleemoſyna. Malach 20

Doctrina Chriſtiana munimentum Eccleſiæ. Can. 162. Eſt lac exhibitum à Matre Eccleſia filiis ſuis. Cant.293. A Chriſto propinatur ſuis, ut ab iſtis aliis communicetur. Dan.109. ſap.108. Ejus qualitates expenduntur, & addiſcenda à pueritia, & exigit cooperationem. Eccli. 79. ad 82.202. ad 206. Tradenda à Prælatis, Prædicatoribus, & Curatis. Eccli. 294. Iſa. 749. Prov.22. 113. ſeq. 287. Cuſtodienda in corde exemplo Mariæ Virginis. Eccli. 305. Qui eam reſpuit Deo exoſus. Eccli.306. Tantùm ipſam percipiunt ablactati. Iſa.379. Quàm neceſſaria ſaluti. Thren.n.1. Ejus poſſeſſio quale bonum. Prov.79.81. ad 84. 105. 141. Doctrina bonorum panis vitæ; perverſorum panis mendacii. Prov.690

Doctrina Chriſti aqua clara, mundi turbida. Hier. 28

Doctores Eccleſiæ ſibi priùs diſcant. Eccli. 257. ſint lux in ſe, & in aliis. Iſa.563. Hier. 104. Væ illis, qui cum omnia ſciant, ſeipſos neſciunt. Prov.383.443

Docere alios viam ſalutis, quàm ſublime opus. Ubi de aureola Doctorum. Dan.108

Dolus, doloſitas Deo abominabilis, ſimplicitas quàm chara. Prov.821.835

Dominium ſui quàm glorioſum, maximè in Prælatis. Prov.n.514. ad 517

Domus Dei, & diaboli ſigna qualia. Sap. 23. Domus conſcientiæ eſt in quam debet intrare homo. Eccli. 453

Domus animæ, & familia ordinanda à nobis Iſa.499

Domus orationis Eccleſia; & anima, quomodo fiat ſpelunca latronum. Hier.119. ad 121. Prov. 253. ad 256

Domus exaſperans qualis. Ezech.51

Dotes corporis glorioſi quales. Sap.39. ſeq.

Dormire in peccato quàm periculoſum. Iſa. 660. Prov.149. ſeq. Ion.n.8

Dormitatio in Dei ſervitio quàm malum. Prov. 149. ſeq.708

Dormire in latus dextrum, vel ſiniſtrum quid myſticè ſit. Ezech.55

Duplicitas cordis Deo quàm exoſa: ſimplicitas chara. Prov.580

E

Ebrietatis corporalis effectus peſſimi expenduntur. Eccli.268.709. Iſa.89.280.303. ſeq. 377. Hier.272. Ecclen. 36. Joel 3. Prov. 705. ſeq.709

Ebrietatis moralis mundanorum quàm noxia. Iſa 280.371.401

Ebrietas ſpiritualis Chriſti, & Sanctorum ex vino amoris qualis. Hier. 276. ſequen. Cant. n.70

Eccleſia eſt congregatio fidelium, aliaque eſt militans, alia triumphans; ſed militans eſt fundata ad ſimilitudinem triumphantis à Chriſto Sap.107. Iſa.229. Eſt dilecta ſponſa Chriſti, ejuſque qualitates. Eccli.380. Iſa. 537. 658. Mich. 11. Nata eſt ex latere Chriſti. Iſa. 779. Ejus deſponſatio cum Chriſto. Cant. 159. 109. 141. ſeq. 147. Oſe. n.12. ad 16. Sola locus eſt ſalvandorum. Iſa.70. Eſt una. Cant.255. In principio fuit parvula, poſteà facta eſt grandis. Cant.326. Iſa.705. Ejus virtutes expenduntur. Eccli.189. Nata, & dilata in die Pentec. Sap.12. Vinea eſt data in cuſtodiam Epiſcopis, & Sacerdo

ſacerdotibus. Cant. 329. Iſa. 84. Hier. 32. 198. Ezech. 127. cœlum lucidiſſimum eſt. Eccli. 314. Pictura viva Chriſti. Eccli. 336. Viris fœcundiſſima. Eccli. 346. Luna lucida. Eccli. 590. 657

Eccleſiæ murus eſt Chriſtus. Iſa. 343. item columna nubis, & lucis. Iſa. 72. ſeq. Eſt hortus conclusus. Cant. 193. ejus pulchritudo, ordo, fœlicitas, fortitudo. Cant. 38. 161. 172. 259. Eccli. 593. Thren. 10. Prov. 88. Eccleſia domus ſapientiæ ædificata à Chriſto; columnæ ſunt Sacramenta, & dona Spiritus Sancti. Prov. 134. ad 256. Iſa. 783. Hier. 176. Ejus claves reſident in Chriſto; in ſummo Pontifice, & in ſacerdotibus, & quomodo. Iſa. 310. ad 314 ejus dominium datum eſt Petro, & ſucceſſoribus. Iſa. 346. eſt veſtimentum Chriſti compactum ex filis Fidelium. Iſa. 627. Fundata in lapidibus pretioſis, ſcilicet fide, ſpe, & charitate. Iſa. 706. Ezech. 246. Dan. 82. ſeq. locus eſt ad orationem, & laudes divinas tantùm deſtinatus. Iſa. 729. Machab. 49. ejus muri, turres, & fundamenta ſunt Doctores, Prælati Sancti, & Angeli. Iſa. 707. 813. ſeq. Cant. 146. Zacch. 44

Eccleſia quo magis humiliata, & contempta, eo ſurgit glorioſior. Iſa. 798. Thren. 122. Cant. 19. 276. Navis, & civitas eſt à Chriſto gubernata, & ſacerdotibus. Ezech. 176. 278. Ecclen. 75. Hier. 339. continet merces cœleſtes. Prov. 889

Eccleſiæ quare divitiæ temporales conceſſæ. Ecclen. 59. Qua cautela utendæ, & earum pericula. Oſe. 63 Zacch. 56

Eccleſiæ munimentum eſt ſacra ſcriptura, & doctrina Chriſtiana. Cant. 162. item Sacramenta, & præcipuè Eucharistia. Cant. 166. 260. Proverb. 254. ad 256. ejus perſecutiones expenduntur. Dan. 73. 86. Iſa. 516. uſque ad finem, & tunc ejus fœlicitas qualis. Dan. 86. Cant. 309. ejus veſtis qualis. Proverb. 917. Mercatura qualis in ipſa exercearur. Prover. 927. ejus ſponſus, eſt Epiſcopus, & Prælatus. Prover. 924. Recipit tantùm concordes, ſanctos, & ad ſanctitatem inhiantes. Iſa. 70. Joel. 22. & 23

Eccleſia eſt domus panis. Mich. 15. eſt hortus roſis refertus. Eccli. 548. Eccleſiæ fœlicitas qualis ex bonitate Prælatorum, miniſtrorum, & filiorum, & qualis infelicitas ex malitia ipſorum. Iſa. 28. 296. 323. 781. 830. Hierem. 118. ſequent. 148. 156. 176. 203. 310. Thren. 8. 20. ſequent. 48. 58. Dan. 112. Joel. 4. ſequent. Agg. n. 2. Iſa. 516. Eccleſiæ emiſſiones ſunt Paradiſus tendentibus ad perfectionem. Cant. 200. Eccleſiæ prophanatio, & contemptus quàm grave ſcelus, Deoque exoſum. Agg. num. 3. Machab. 49. 77. 83. 219. Hierem. 119. Iſa. 355. Ezech. 256. Dan. 56

Eccleſia à fidelibus frequentanda. Eccli. 454. In ea ſola eſt remiſſio culpæ, & relaxatio pœnæ. Iſa. 520. intrans in eam priùs fundat orationem in Altari cordis. Iſa. 734. exigit ordinem in miniſtris. Hierem. 309. ejus ubera ſunt Prædicatores. Cant. 28. in ea qualiter exercendus eſt cultus divinus. Agg. num. 2. Quare celebrat feſtivitates Sanctorum variorum. Machab. 22. Ad Eccleſiam dirigat oculos mentis orans ipſam orans. Dan. 63. Ipſam Chriſtus providit armis, turribus, equite & omnibus neceſſariis ad pugnandum; ipſique aſſiſtit peculiari modo. Zacch. 53. & 63. Varii ſtatus ſunt naves bellicæ contra diabolum Machab. 62. Quarè in Eccleſia ſunt ſepulturæ mortuorum. Machab. 54. Quàm gaudet pro liberatione animarum Purgatorii. Machab. 67

Eccleſiaſtici miniſtri Altaris inſtruuntur. Iſa. 674. ſeq. eorum functiones exigunt debitam præparationem. Ezech. 142. Miniſtrorum exemplaritas qualis. Cant. 225. Quo ad gradus altiores aſcendunt, eo humiliores debent eſſe. Ezechiel. 253. Eccleſiæ fletus pro SS. Innocentibus, & pro peccatoribus, & pro animabus Purgatorii expenditur. Hier. 322

Eccleſiaſten liber, & Eccleſiaſtici qualiter differant. In Eccleſiaſticum. Prol.

Eclypſis animæ per peccatum qualiter fiat. Iſa. 333

Educatio mala filiorum immolat ipſos diabolo. Hier. 124

Electio facta à Deo in aliqua dignitate fert ſecum qualitatum communicationem neceſſariarum. Hier. 7

Eligere ad prælaturam indignum quàm malum. Prov. 747. 750

Eligendorum qualitates expenduntur. Cant. 236. ſeq. Iſa. 56

Eleemoſyna eſt actus juſtitiæ ſimul & miſericordiæ. Eccli. 196. Eſt tributum Deo debitum ob facultates divitibus traditas. Malach. 29. Prov. 363. 303. 326

Eleemoſynæ laudes, & effectus mirabiles expenduntur, ſicut & viri eleemoſynarii. Ecclen. 20. 90. ſeq. Prov. 69. ad 73. 101. 303. 316. 354. 360. ſeq. 584. 601. 637. 645. 649. 670. 807. 829. Oſe. 38. Eccli. 30. 43. ad 48. 60. 110. 195. 414. ſeq. Iſa. 750. Dan. 47 ad 50

Conditiones ut ſit Deo grata, expenduntur. Prov. 107. 497. Eccl. 94. 479. ſeq. 487. 756 758. 521. Quo ordine facienda. Eccli. 170. ſequent. 419. Iſa. 748

Eleemoſyna alia corporalis, alia ſpiritualis. Eccli. 435. Prov. 364. Iſa. 730. ad 733. Dan. 50. ſola in die judicii exorabit pro nobis. Prov. 171. Benedictionem parat. Ibid. 303. 316. 670. Eſt mercatura lucroſiſſima, & uſura pia. Prov. 601. 807. 829. Divitias auget, & conſervat. ibid. obtinet remiſſionem peccatorum. Eccli. 110. Sacculus theſauri cœleſtis. Eccli. 237. 425. ſola comes defunctorum. Eccli. 415. Negans eleemoſynam, maximè in tempore neceſſitatis maledictionem Dei ſibi parat. Prov. 303. 316. ſeq. 363. ſeq. 670. Chriſtum in paupere perſequitur. Malach. 29

Eleemoſynam poſſe accipere, & non poſſe petere, impium eſt dicere. Eccli. 560. Eleemoſyna apud Deum, & apud homines eſt meritoria. Eccli. 442. 521. Prov. 637. 645. 649. 631. 670. fit cum oratione, & jejunio. Eccli. 94

Eleemoſynarius priùs ſibi, poſteà aliis faciat eleemoſynam. Eccli. 429. A pauperibus in æterna tabernacula recipietur. Eccli. 193. Iſa. 759.

ejus corpus in gloria lucidius erit. Iſa. 759. Aperit Cœlum. Prov. 913. Veſtiendo pauperem ipſum cooperire dicitur propria pelle. Mich.6. Artificioſè dicitur circumvenire, & veluti cogere Deum. Oſe. 77. Quomodo fieri poſſit à nobis ipſi Chriſto, B. Virgini; Sanctis; & Seraph. S. Franciſco multipliciter, & piè explicatur. Iſa.750.ad 755. Sine eleemoſyna alia opera non valent. Hier. 81

Eleemoſyna Deo abominabilis qualis. Prov.670. 497

Elias ſua prædicatione præcedet judicium univerſale. Malach. 57

Emanuel, dicitur Chriſtus, quia factus eſt noſter ſocius. Iſa.n.135

Energumeni tenentur ſollicitè procurare liberationem ab obſeſſione diabolica, & cavere ab errore aliquorum id non curantium ſub ſpecie conformitatis ad voluntatem divinam, vel plus patiendi pro Chriſto. Hier.299

Epiphania triplex myſterium continet; vocationis Magorum, tranſmutationis aquæ, & baptiſmi Chriſti. Iſa 215

Epiſcoporum annuli, & baculi argentei myſteria. Hier.2-2

Equus Chriſti ſaltat de virtute in virtutem verſus Cœlum, equos diaboli de vitio in vitium in infernum. Zacch.28.53.ſeq.

Erubeſcentia privatio incentivum ad peccatum. Hier.49. Bona, & mala qualis. Hier.97

Evagatio, & curſitatio per domos vitanda à Religioſis. Eccli. 411

Evangeliſtæ quatuor figurati in quatuor animalibus viſis ab Ezechiele. in Ezech n.7

Evangelia quatuor ſunt quatuor rotæ continentes rotam totius ſcripturæ. Ezech 92

Evangelium exhibet mundo Chriſtum Ieſum. Ezech.253. ideò Evangelium Chriſtus miſit annunciare per totum mundum. Zacch. 27. ejus prædicatio, & nunciatio gravis fuit mundo, & carni, ſed levis Spiritui, & juſtis. Zacch. 41. Evangelium eſt apotheca omnium bonorum. Zacch.42. Naum. 10. Cur legitur à parte Aquilonis. Iſa.248

Euchariſtia eſt panis vitæ & intellectus. Eccli. 205. In ea Chriſtus eſt ſigillum intra nos collocandum. Cant. n. 316. Eſt turris fortiſſima Eccleſiæ. Cant.167. Botrus eſt Cypri, eſt ibi Chriſtus. Cant. 45. ſeq. Et lac, & mel Paradiſi animæ. Iſa.840. Cant. 207. Eſt memoriale vivum omnia mirabilia Dei continens. Eccli. n. 461. Iſa.350. Zacch. 50. Eſt nebula, in cujus medio ſtat Chriſtus. Eccli.617. Arcus fœderis eſt. Eccli 590.6 8. ſolium Dei majeſtate plenum. Iſa. 98. Nubes levis eſt. Iſa. 271. convivium omnibus bonis refertum. Iſa.340. Euchariſtiæ velamine ſeipſum Chriſtus manifeſtat. Iſa.595. Fructus Paſſionis Chriſti. Iſa. 682. Mamilla regalis. Iſa 798. in ipſa Chriſtus factus captivus amoris Hier. 291. cur elevatur in Miſſa. Hier 295. Eſt frumentum germinans virgines. Zacch. 50 ex ipſa mirabiliter magnificatur Deus. Malach.7. cibos diſtillatus ex viſceribus Chriſti. Ioel. 26. qua reverentia tractanda. Iſa 122

Euchariſtia præparata in utero Mariæ Virginis. Cant 2?4. & hoc cum concurſu ipſius Mariæ. Eccli. 206. Hier. 331. exhibetur à Maria tamquam panis, & vinum ipſius. Prov.280. ſeq.610

Euchariſtiæ ſumptio ſuadetur pluribus rationibus. Ecclen. 0. odore ſuo trahit animas. Cant. 25.211. Iſa.5?3. Sap.15?.ſeq.

Ejus effectus expenduntur in cella vinaria. Cant. 7?. Prov. 424. Zacch. 10. Ezech.119. Quale ſolatium animæ redundat in hoc exilio. Cant. 80. ideò inſtituta ad ſublevandas noſtras anguſtias. Hier.262. in ea maximè Chriſtus alloquitur animæ puræ. Cant. 88. ibi Chriſtus puer ſe exhibet pueris. Cant. 305. Lignum eſt vitæ. Prov. 94. Tollit famem caninam, & ſitim temporalium. Prov. 291. 299. ejus deliciæ ſuperant omnes alias. Proverb. 520. Aliis panis vitæ; aliis mortis. Prov. 689. Iſa. 857

Euchariſtiæ ſumptionis bonæ, & malæ effectus varii. Iſa.87. Prov. 689. Hier. 182. 295. 373. Ezech.78.224 Non datur canibus. Prov. 283. Malach.5. Qualis præparatio ſequitur. & poſt ſumptionem qualis cuſtodia. Prov.686. ad 688. 753.282. ſeq. & 790

Exaltatio, & humiliatio in ſchola Chriſti ſemper mutuò ſe conſequuntur. Prov.569

Examen ſæpè faciendum ſuper inſpirationes divinas. Agg n.1

Excæcatio, & obduratio quomodò dicitur eſſe à Deo. & ab homine. Sap n.28

Excommunicati ſepulti in loco ſacro à diabolo exſepeliuntur. Hier.131

Exempli boni vis qualis. Cant. 189. ſeq. Iſa.721. Ezech.n.43. Prov.99.192. Machab.89

Exempla mala Prælatorum, & Religioſorum ſunt ruina Eccleſiæ. Hier.130

Exequiæ juſtorum concurſu Angelorum fiunt. Impiorum concurſu Dæmonum. Cant.354

Exit à ſe qui peccat. Ad ſe revertitur, qui convertitur. Dan.115

Extremæ-unctionis effectus expenduntur. Proverb. 550

F

FAber Chriſtus; faber diabolus. Iſa.708. Eccli. 538

Fabricans cum peccato, & ſine Deo, fabricat ad ruinam. Eccli. 116.300. Iſa.415. Malach.2. Dan. 15. Ezech. 118

Fabrica ſpiritualis ſine glutino charitatis non poteſt ſubſiſtere. Hier.295

Fabricans cum ruina, & damno proximi, fabricat ad ſui excidium. Iſa.455. Hier.270. Prov. 400. 540. Mich.3. ſeq. 10. 24.50. Abac. 21.24. ſeq. Amos.20

Fabricans cum Deo. & juſtitia fabricat ad æternitatem Prov 420. Malach.n.2

Fama bona quale bonum. Prov 666

Fame numquam Deus permiſit perire. Proverb. 297

Fames canina propria iniquorum. Prov.297

Fames bonorum cœleſtium. & terrenorum qualiter differat. Prov. 780

Fato impii adſcribunt ſua ſcelera. ſed malè. Prov. 582

Ferculum Chriſti fuit Sancta Crux, item B. Virgo Maria. Item S. Ioſeph Cant.150. ſeq.

Feſtorum inſtitutio quare aliqua ſecundùm curſum

ſum ſolis, alia ſecundum curſum Lunæ. Eccli. 464
Feſta alia Dei, alia mundi, alia diaboli. Iſa. 21
Feſtorum obſervantia qualis à Chriſto requiratur in nobis. Iſa. 21. 727. Hier. 246. ſeq.
Feſtorum obſervantiæ fructus quales. Iſa. 722. Hier. 249. ſeq. exigit cultum interiorem cum exteriori, ne derideatur à diabolo. Thren. 14. Naum. 11. Sanctorum feſta celebrantur ab Eccleſia, ut excitet fideles ad eorum imitationem. Machab. 22. feſtorum tranſgreſſio quæ mala pariat. Hier. 247. ſcandalum, eſt Judæis. Thren. 14. ſeverè à Deo punitur. Amos. 20. aliis ſunt in ſalutem, aliis in malum. Machab. 12. cur dies Sabbathi in Dominicam mutata. Hier. 247
Feſtum, qui vult habere, numquam feſtum habeat. Machab. 20
Feſtum numquam haber, qui Deum deſerit. Oſe. n. 57
Figulus eſt Deus faciens hominem ex terra. Eccli. 539. item Prælatus. Eccli. 540
Fidei altitudo, & ſublimitas expenditur. Eccli. n. 3. 576
Fides tota eſt de divinitate, & humanitate Chriſti. Eccli. 326. eſt liber grandis. Iſa. 147. eſt Altare ſacrum. Thren. 50 Dan. 39. Annulus eſt deſponſationis animæ cum Chriſto. Oſe. n. 11. ſeq. Ejus effectus quales in anima. Eccli. 19. Iſa. 207. Hier. 155. Abac. 19. Dan. 39. Prov. 120
Fides eſt oſtium intelligentiæ myſteriorum cœleſtium. Iſa. 129. Eccli. 651. eſt virga radicata in corde emitt. n. flores, & fructus. Iſa. 201. fides ſine operibus parum juvat. Eccli. 59. Hier. 128 Oſe 35 Pro fide Chriſti omnia deſpicienda. Zacch. 72. ad fidei menſuram patrantur miracula. Hier. 75
Fiducia in Deum in tempore neceſſitatis qualia prodigia operatur. Prov. 295. ſeq. 367. 721. Machab. 27. 12. 98
Fides quale argumentum receperit per adventum Chriſti in carnem, & per miſſionem Spiritus Sancti. Joel n. 28
Fidelitas juſti ad Deum, & homines qualis. Prov. 823
Fidejuſſor ſit cantus in obligando ſe pro aliis. Prov. 682
Filiorum obligatio honorandi, & obediendi Parentibus qualis. Eccli 28. 30. ſeq. Prov. 30. ſeq. Prov. 701. Chriſti obedientia ad Parentes exemplar filiorum. Prov. 408. Qualis felicitas eis advenit ex honore præſtito parentibus; & qualis infelicitas ex inobedientia. Eccli. 28. 30. ſequen. 206. Proverb. 698. 896. 826. Filii iræ Dei ſubjecti, qui maledicunt Parentibus factis, licèt non verbis. Prov. 860
Filiorum bonitas redundat in lætitiam Parentum; malitia in mœſtitiam. Prov. 291. 527. 556. 703. 834. 850
Filiorum educatio Parentibus ſtrictè præcepta. Prov. 677. 697. 781. 840. Filios malè educantes Parentes immolant diabolo. Ezech. 118. Hier. 124
Filia quàm ſedulò cuſtodienda pluſquam maſculus à Parentibus. Eccli. 385
Filiatio divina recuperatur per pœnitentiam. Hier. 316
Filius non portabit iniquitatem Patris; quomodò verum. Hier. 334
Filiorum gloria eſt imitatio virtutis Parentum. Eccli. n. 527
Flagella à Deo immiſſa ſunt liber, in quo diſciplina cœleſtis addiſcitur. Naum. 1. Amos. 6. ſeq. Iſa. 288. Væ iis, qui ex flagellis divinis non meliorantur Agg. n. 14. ſunt amara exteriùs, dulcia interiùs. Hier. 11. Ad flagella publica Deus ſolet præmittere ſigna ad excitandum homines ad pœnitentiam. Machab. 31. ſæpè immittuntur à Deo ob peccata ſacerdotum. Hier. 106. Flagella divina amplexanda ut debita peccatis noſtris. Mich. 34
Fletus eſt prima lectio in ſchola Chriſti. Hier. 160
Flentes in hac vita gaudebunt in alia. Hier. 315. 324
Fletus de nocte vitandus, de die amplexandus. Thren 3
Flos campi Chriſtus Jeſus. Cant. 56. ad 58. item humilitas. Cant. 55
Fœlicitates mundi ſunt ſomnium. Iſa. 400
Fontes aquæ vivæ à Chriſto exhibiti quales. Iſa. 710
Formica ſchola docet ſapientiam, & prudentiam. Prov. 148
Fornicatio mala eſt, quia eſt prohibita à Deo. Oſe. n. 1. & 2. Cum affectu fornicationis ſemper eſt mala. Oſe. 1
Fornicatio ſpiritualis animæ Chriſtum relinquit. Oſe. 5
Fornicationis ſpiritus omnium Dæmonum peſſimus. Oſe. 25
Fortitudo qualis induenda in Dei obſequio. Prov. 302. Donum eſt Spiritus Sancti, Turris fortiſſima contra viria, ejuſque effectus quales. Prov. 566. 884. 919. Dan. 14. Machab. 88. Sit maximè in Prælatis. Machab. 28
Foveam aliis parans, ipſe in eam incidit juſto Dei judicio. Prov. 57. 21. 766. 794. Eccli. 404
S. Franciſcus veluti alter Chriſtus, & viva pictura Jeſu Chriſti. Eccli. 424. 514. Dan. 35. Prov. 872. Maximus, & minimus. Eccli. 613. Stella matutina mundi. Eccli. 638. Alter Seraphim ſex alis præditus. Iſa. 99. Uulnera ſua inceſſanter offert Chriſto. Iſa. 115. Ex Paſſionis Chriſti ferventiſſima meditatione transformationem in Chriſtum reportavit. Iſa 50. Eccli. 648
Extendens ſuas manus ad crucem per imitationem reportavit vulnera Chriſti. Iſa. 831. Fuit in corpore, & anima ſigillum vivum Crucifixi. Ezech. 126 ſignatus eſt à Chriſto, ut alios ſignaret, & vocaret ad pœnitentiam. Ezech. 88. fuit Angelus miſſus à Chriſto in Spiritu, & virtute Eliæ. Malach. 17. ejus charitas, & amor in Deum qualis. Cant. 321
Tres ordines tamquam tres exercitus ſimiles Apoſtolis inſtituit contra hoſtes. Machab. 43. 304. ipſi obedientes redditæ ſunt creaturæ irrationales. Dan. 70. Ordinem inſtituit, ut maximè prædicationi, & peccatorum converſioni incumberet. Oſe. 39. Qualem laborem impoſuit ſuis fratribus. Sap. 102. Eos miſit in mundum

dum, ut peccata populorum comederent. Oſe. 23. Prædixit Chriſtianis obſidentibus Damiatam eorum ruinam. Eccli. 304

S. Franciſci funis, & ſocietatis cordigerorum qualitates, & myſteria expenduntur. Iſa. 66. Hier. 359. Prælatos ſui ordinis docuit viam, & vitam imitandam Seraphim. Iſa. 99. Qualem auſteritatem veſtium ſuis Filiis impoſuit. Iſa. 285. Cur diſcalceatis pedibus voluit ipſe, & ſuos Filios incedere. Iſa. 236. ſeq. Poſitus eſt, & ejus ordo in mundo ad reformationem ipſius mundi. Iſa. 302

S. Franciſcus Xaverius miſſus alter Apoſtolus in tempore extremæ neceſſitatis Eccleſiæ. Machab. 47

Fraudans alium fraudabitur ipſe juſto Dei judicio. Eccli 507

Fumus ſunt omnia terrena. Sap. 66. ſeq.

Funiculi charitatis, quibus nos trahit Chriſtus, quàm fortes. Hier 358. Oſe. 76

Funis S. Franciſci *V*. Franciſcus.

Fures rerum alienarum ſunt ſimiles diabolo. Iſa. 387

Furtum in principio dulce, ſed in fine amarum. Prov. 622. ſeq.

Fuſum nendo in digitis teneat quilibet volens ſalvari. Prov. n. 910

G

G*Abriel* quare miſſus ad annunciandam Incarnationem Prov. 416

Gallus eſt Prælatus, & Prædicator excitans à ſomno peccatores. Hier. 314

Gallus gallinaceus eſt peccator dum à diabolo portatur capite verſo ad terram ad forum Inferni. Iſa. 506

Gaudium ſpirituale, & mundanum qualiter differant. Iſa. 30. Prov. 4 37. Dan. 22. 62. Gaudium verum eſt à ſolo Deo, & ex puritate cordis. Eccli. 218 425. Cum gaudio ſpirituali offeratur ſacrificium, & eleemoſyna. Eccli. 487

Gemens in hac vita, lætabitur in altera. Iſa. 771

Gemitus creaturarum inſenſibilium ob peccata hominum qualis. Hier. 192

Gloria cœleſtis magnitudo, felicitas, & dulcedo expenditur. Cant. 29. Iſa. 412. 486. 847 Baruc. 25. Proponitur ad excitandum nos ad bona opera. Iſa. 486. ejus meditatio quàm efficax. Proverb. 857. Baruc. 29. Hierem. 323. ſeq.

Gloria cœleſtis Sanctorum eſt una in omnibus. Hier. 343. Non datur ſine toleraotia paſſionum. Machab. 59. Anima in gloria eſt Chriſti corona. Iſa. 821. Ad gloriam cœleſtem non ſunt condignæ omnes pœnæ hujus vitæ. Iſa. 703. In gloria eſt laus vocalis. Iſa. 107

Gloriæ mundanæ vanitas expenditur. Baruc. 33. Machab. 26. ſap. 66 ſeq. Iſa. 519

Gloria mondana, & ſpiritualis qualiter differant. Dan. 21. 62

Gloriatio vana de donis Dei retonditur. Eccli. n. 2

Grammatica diaboli. & malorum Judicum qualis Hier. 114

Gratiam ſe habere nemo ſine Dei revelatione poteſt ſcire. Ecclen. 68. ſequent. Proverb. 616

Gratiæ Dei neceſſitas abſoluta ad benè operandum. Prov. 501. Hier. 33. 177

Gratia præveniens præparat ad bonum opus. Prov. 486. Eſt manus à Chriſto extenſa ad nos. Hier. 355. Iſa. 660

Gratia ſanctificans neceſſaria ad opus meritorium. Hier. n. 33. Eſt aurum pretioſum nobilitans animam. Thren. 114. ſeq. Qualem pulchritudinem afferat animæ. Thren. 109. ſeq. Theſaurus eſt omnium bonorum. Prov. 58. 105. 292. 294. ſola ſatiat animam. Prov. 160. Sola ſalutem affert. Proverb. 518. Aqua eſt mundans animam ab omni ſorde. Iſa. 442. & liberans à naufragio. Prov. 890. Facit animam Paradiſum. Eccli. 553. Iſa. 267. Ezech. 188

Alii mirabiles effectus expenduntur. Iſa. 441. Dan. 38. affert ſecum omnes virtutes. Iſa. 260. Eccli. 559. Eſt ros cœleſtis irrigans, & fœcundans animam. Iſa. 586. ad 588. Dan. 96. Elevat animam ad portam Cœli. Ezech. 96. Transformat animalia in Cherubim. Ezech. 95. Datur ad proportionem diſpoſitionis. Ezech. 266. Baruc. 28. Prov. 59

Gratiam apud Deum quærens, eam invenit etiam apud homines. Prov. 499. Gratia libertatem, peccatum captivitatem affert. Prov. 837. A gratia cadens in ſtercora cadit. Thren. 108. Iſa. 373. Ad gratiam majore deperdita jam per peccatum reſurgere poteſt per pœnitentiam. Baruc. 28

Gratia Dei ſecuritatem, & fœlicitatem affert; gratia diaboli, & mundi vanitatem, & infelicitatem. Prov. 946. Eccli. 221. Gratia aliis eſt in ſalutem, aliis in ruinam. Iſa. 365. Ezech. 184. Gratia Dei ſemper omnibus præſto. Iſa. 27. 418. Gratia aperit oculos cæcorum; peccatum obtenebrat oculos videntium. Iſa. 367

Gratitudo meretur nova beneficia; Ingratitudo perdit accepta Prov. 490

Gratiarum actionem exigit à nobis Deus pro beneficiis. Machab. n. 71. Hæc eſt benedictio Deo à nobis exhibenda. Machab. n. 130. Iſa. n. 574

Gula vitium origo, & fomes luxuriæ. Hier. 80. Eccli. 436. 439. Iſa. 302. ſeq. Ejus peſſimi effectus expenduntur. Prov. 412. 608. 644. 863. Naom. 8. Guloſi æternam famem, & ſitim patientur. Ezech. 69

H

H*Abitus* mali deponendi à ſervis Dei. Thren. 160

Hedera Jonæ figura felicitatum mundi. Ion. 28

Heretici ſunt ſerpentes propinantes filiis venenum. Thren. num. 106. Ideò vitandi. Prov. 130

Hierarchiarum actus in Angelis, & in Eccleſia. expenduntur. Eccli 584. Dan. 75

Hieremias qualis Propheta; ejus miſſio ad prædicandum, ſanctificatio in utero. Hier. Præfat n. 1. & 2

Hymnus

Hymnus Seraphim Sanctus, &c. expenditur. Iſa 104.ſeq.

Hypocriſis; hypocrita. Quàm Deo exoſum, & vile,& turpe hoc vitium. Iſa. 744. Proverb.763. Ezech.101. Oſe.46

Hypocritæ ſe lavant exteriùs, non interiùs Hier.66.Naum. 24. eorum benedictio vertitur in maledictionem. Prov.785

Hyems peccatoris qualis. Cant.97.ad 99

Hominis in ſtatu innocentiæ privilegia expenduntur. Eccli. 230. ſeq. Ezech. 71. Hominis ortus, & finis, & hujus vitæ, miſeriæ expenduntur. Sap. 68. ſeq. Eccli. 552.564 Iſa. 529. Hier.250.ad 252. Ezech. 17. Machab.26. ſtatim incipit à ploratu prophetans vitam ſuam futuram. Sap.85. In ventre Matris ejus miſeriæ. Sap.84. 136. Vivit peregrinus. Eccli.224. Sap.69. Subjectus motui perpetuo, & morti continuæ.Hier.150. ſeq. Ideò intra ſe continet motiva humiliationis.Iſa 47.Prov. 68.Ejus vita tota eſt perpetuò girans.Ezech.17

Homini beneficia à Deo collata expenduntur. Eccli.231. Homo ſolus inter creaturas inobediens Deo. Iſa.5.Hier.84, ejus infelicitas antè Chriſti adventum. Iſa. 10. & 13. Quomodo transformari poteſt in Seraphim. Iſa.103. ſeq. Homo per Chriſtum ſatisfacere poteſt Deo pro peccatis ſuis.Iſa.427

Homo vas luteum plenum theſauro, vel cœleſti, vel infernali.Hier.152. hominum converſatio vel ſectanda,vel fugienda. Hier.376. homo ſit unus homo, & ſimplex, ſimulque quadruplex animal. Ezech.6.homo non eſt,qui non poſſidet Deum,Prov.78

Homo vel noctua, vel aquila ſit. Prov. 693. Per Incarnationem quàm exaltatus.Ezech.20.homo liber ſcriptus intus, & foris mandatorum Dei. Ezech. .6. Vivat inter Cœlum, & terram.Ezech.72. Hominis tranſmigratio bona, & mala qualis.Ezech.99.ſeq.Quo majora dona à Deo recipit, eo humilior ſit.Ezech. 191. Dan.44. Statim ac peccat traditur in poſſeſſionem diaboli. Dan.22.homo naſcitur arbor ſylveſtris;ſit frugifer inſertione virtutis. Dan. 38. Benè Incipiens ſine perſeverantia, nihil facit. Dan.41.Relinquentis Deum pro temporalibus ſtultitia. Oſe.19. Item gementis pro amiſſione temporalium plusquam æternorum. Ioel. 10. Item recurrentis ad Deum pro amiſſione temporalium,non æternorum.Zacch.51.Homo ſe totum Deo debet, ideò totum amorem ſuum in ipſo collocare debet.Machab.99

Humana malitia, & divina bonitas certant ad invicem.Sap.127

Honoris mundani procuratio quàm mala. Eccli. n.90

Horarum canonicarum officium cur inſtitutum ab Eccleſia. Ecclen.59.Dan.62

Horologii Achaz myſteria explicantur. Iſa. 504

Hortulanus animæ eſt Chriſtus.Cant.143

Hortus concluſus animæ quis. Cantic. 192. ad 196

Hoſpitalitas pauperum ſuadetur. Iſa. 751

Humilitas alia eſt virtuoſa, alia vitioſa, & hæc eſt vel aſinina vel vulpina. Eccli. 175. 178. 276

Humilitatis excellentiæ. Eccli. 33. ad 37. 99.ſeq. Iſa.829. Hier.35.ſeq.42.Prov.611.852.Ezech. 191

Humilitatis odor trahit Chriſtum. Cant.40.114. 277. Eccli.342.Iſa. 164. Flos eſt campi Eccleſiæ.Cant.55.A Deo exaltatur, ſuperbia deprimitur. Eccli.34.75. 284 Iſa.53. 241. ſeq. 804. Hier.7.190.Prov.733 847. Ezech.130. Abd.2. Machab. 125. Fundamentum eſt ædificii ſpiritualis. Eccli.249. Iſa.436. Prov.733.Ezech. 73. Contendit cum Deo piè, & ſanctè. Eccli. 358. ſola in altum evehit animam. Iſa. 497

Humilis ſimul niger, & formoſus, Cant.20. humiliatur à Deo homo, ut ſe humiliet Iſa. 453. Qualiter exercenda coram Deo. Dan. 23. Fundamentum humilitatis eſt intra nos. Michæum.29

I

J*Acob* neceſſario ſit, qui vult remiſſionem peccatorum.Iſa.236

S. Jacobus Apoſtolus quàm Deo dilectus. Eccli. 612

Iactantia de peccato quàm Deo exoſa.Eccli.158. Iſa.519.Oſe.69

Idololatria Chriſtianorum multiplex.Iſa.757

Iejunium quale Deo placitum. Baruc. 2. Zacch. 34. & 40. effectus mirabiles jejunii. Dan.3. 34. Iſa.445.756.Ioel.6

Jejunium quatuor temporum cur inſtitutum. Zacch.40. Eſt diæta à Deo impoſita peccatoribus. Joel.16

Ieſus nominis virtutes.V.Chriſtus.Ecclen.57. Eccli. 517. Memoriale vivum mirabilium Dei. Iſa.349

Ieruſalem cur locus electus Paſſioni Chriſti. Iſa. 808

S.Ignatius Loiola miſſus tempore opportuno majoris neceſſitatis Eccleſiæ, maximè ut fundaret Religionem ſocietatis Ieſu contra hæreſes. Machab.47

Ignis eſt avaritia torquens avarum in hac, & alia vita.Iſa.856. Ignis concupiſcentiæ qualis. Eccli.410. ignis tribulationis Sanctos non exurit.Eccli.647. Ignis inferni. V. infernus. Ignis conflagrationis antè judicium conſumet omnia corpora. 471. & expurgabit loca ab infectione peccati. Ezech. 148. Malach. 24. Ad ignem otioſè ſtare quam malum. Hier. 354. Ignis à Chriſto è Cœlo allatus qualis.Ezech. 3. Prov. 514. Ignem tribulationis in hac vita fugiens, in alia cruciabitur igne Inferni. Ezech.153. Ignis luxuriæ qualis. Ezech. 167. Joel.12

Ignis peccatorum, ſi non extinguitur aqua pœnitentiæ in alia vita torquebit. Ezech. 567. ſeq. Ignis inferni ſunt vitia. Ezech.195. ſeq. Ignis acerbitas in fornace Babylonica. Dan. 18

Ignis concupiſcentiæ qualiter extinguitur. Dan. 28. ſeq. Ignis amoris Dei devorat omne malum, & triſte. Ignis peccati devorat omne bonum. Amos.22. Zacch 64. Ignis omnia bona temporalia devorans eſt ſubſtantia injuſte acquiſita; item mala voluntas;item malorum ſocietas Mich 74 ad 28. Ignis infernalis, quem diabolus portat in animam peccato deforma-

tam

tam qualis. Amos.27. Ignis peccati ſolo Chriſti ſanguine extinguitur. Amos.27.& 28. Ignis Chriſti,& ignis diaboli diſcrimen. Malach.25. Zacch.14. Soph.14

Ignis Purgatorii, & ignis tribulationis expenditur. Malach.24

Ignorantia eorum quæ ſpectant ad ſalutem, quàm damnoſa. Iſa.80

Imago Crucifixi liber dictans virtutes ejus. Iſa. 686

Imagines ſactæ ſunt vigiles vigilantes ad noſtram cuſtodiam. Hier.12

Imago Chriſti in nobis pingenda. Cant.237. ſeq. viva in Euchariſtia,& in S. P. Franciſco. Eccli. 534.538

Imaginum ſacrarum cultus à Chriſto inſtitutus. Eccli.538

Impatientia quale malum. Ecclen.81. maximè in Prælatis quàm noxia. Eccli.129

Imperium Romanum propter peccata in partes diſciſſum. Iſa.288

Impiis nulla eſt pax,eorumque pax tantùm eſt in malo. Iſa.742. 127. Tranſeunt ex Inferno hujus vitæ ad Infernum alterius. Iſa. 850. Sap. 22. Phreneſim continuè patiuntur. Ecclen. 35. Concipiunt; ſed non pariunt, & abortus faciunt & homicidia ſpiritualia. Iſa.362. ad 364. Laborant ſemper fame canina. Prov. 297. ſunt coadjutores diaboli in decipiendo bonos. Dan. 1.& 17. eorum ſigna ſunt tabernæ diaboli. Ezech.120

Incarnatio Verbi quàm deſiderata à SS. Patribus. Cant. n. 1. Iſa.254. Fuit dies deſponſationis Chriſti. Cant. n.157

In ipſa relucet juſtitia, & miſericordia. Cant. 1. Quare annunciata per Gabrielem. Prov. 416. Fuit exaltatio humanitatis. Ezech.20. ejus decretum factum in conſilio empyrei. Iſa. 257. Convenientius facta in perſona Verbi Prov. 225

Indigentia alia virtuoſa, alia vitioſa. Eccli.560

Infernus eſt olla ſuccenſa, in qua diabolus coquit animas, & corpora damnatorum. Hier 13. inferni ignis virtus in torquendo animas expenditur. Iſa.855. 434. Pœnæ quare æternæ. Iſa. 853. Quàm multiplices. Iſa 230 & 239.460 474. Infernus eſt ſylva combuſtibilium. Eccli. 411. Sepultura Parochianorum diaboli. Iſa. 240

Inferni pœnarum conſideratio quàm proficua. Iſa.556

Infernalis ſtatus eſt vita peccatoris. Iſa.506. Quàm acerbæ erunt deriſoribus legis divinæ. Proverb. 607. Maxima pœnarum eſt carentia viſionis Dei. Iſa.354

Infidelitas qualem cæcitatem animæ affert. Hier. 135

Infirmorum viſitatio, & ſubventio ſuadetur. Eccli. 211

Infirmi primò ad Deum, poſtea ad medicos recurrant. Eccli.520. Infirmitates ſpirituales hominis antè Chriſti adventum expenduntur. Iſa. 10. Infirmitatis effectus boni expenduntur. Eccli.231

Ingratitudo vitium peſſimum ſuper omnia Deo exoſum. Iſa. n.2.75. ſeq. Maximè in Religioſis. Iſa.3 Hier.214

Ingratus ſua malignitate pugnat contra Dei miſericordiam. Hier. num. 40. 267. Eccli. 102

Inimicis benefacere grande bonum. Prov.742

Injurias condonare eſt conforme juri naturali. Prov.530. eſt aſſimilari Deo. Ezech. 213. Eccli.73.406. ſeq.

Injuſtitia eſt regnorum deſtructio. Eccli.134

Innocentia reddit creaturas obedientes homini. Dan.70

Inobedientia quàm Deo exoſa. Iſa. 550. Prov. 35. Ion.11

Inſpiratio divina qua ſollicitudine recipienda, & quàm id meritorium, & fructuoſum. Iſa.129. 380. ſeq. Agg. num. 1. eas contemnens ſignum reprobationis. Iſa. 125. 380. ſeq. Amos. num.3

Intellectus donum Spiritus Sancti quale. Eccli. 215

Intentio eſt quæ qualificat opera. Prov. 911. Eccli.192.317. 343. 510. Intentioni quid addat actus exterior. Prov. 410. Intentio recta quale bonum, quàm Deo chara. Cant.227. Prov.491. 493

Interceſſio Sanctorum. V. Invocatio.

Invidia malignitas inexplicabilis, invexit ruinam totius mundi, & mortem Chriſti. Sap. 29. ſeq. Prov.254.5.8. Vagatur per omnia peccata ea qualificans. Eccli.n.70. ejus malignitas expenditur. Eccli.169.87.191. 437. Ezech. 160. Dan. 61. Ubi de invidia in curiis Principum, ibid. 65. eſt peſtis, & ruina Cleri, & Eccleſiæ. Thren.42

Invitatoria Eccleſiæ,& mundanorum qualia. Sap. 21. Invitat Deus ad domum diſciplinæ. Eccli. 649. ſeq.

Invocatio, & interceſſio Sanctorum quàm pia, & utilis. Hier.123

S. Ioannes Evangeliſta quàm Deo dilectus. Eccli. 612. Ad quam ſublimitatem elevatus. Iſa. 677. Aquila eſt volans in altum. Ezechiel. 11

S. Ioannes Baptiſta magnus, & maximus. Eccli. 620.627. Fuit vox Chriſti. Iſa. 521. Quomodo paravit viam Domini. Iſa.484. ejus ſanctificatio in utero. Hier.2. Iſa.612. Fuit lux miſſa in mundum. Iſa. 619. Angelus legatus Chriſti. Malach.16

S. Ioſeph ſponſus Mariæ Virginis fuit ferculum nobiliſſimum Chriſti Cant. 150. ejus dotes expenduntur. Prov. 926. ejus fuga in Ægyptum cum Maria,& parvulo expenditur. Iſa.274. Dicitur Iuvenis ob puritatem, qua vixit cum Sponſa. Iſa. 812. ejus cum Maria ſollicitudo qualis in cura familiæ. Prov.887

Ira alia virtuoſa, alia vitioſa. Prov.476.761. 770. ad 771

Ira peſſimum vitium. Eccli.119.409. Prov.532. ſeq. Machab. 126. Ira aufert uſum rationis. Thren. 55. Ianua omnium vitiorum. Prov. 846. 865. ejus peſſimi effectus expenduntur. Prov. 329 477

Iracundus incendiarius diaboli, Eccl.409

Irregularitatis cenſura quare impoſita ſacerdotibus etiam ob peccata involuntaria. Ezech. 261

Irriſor proximi maximè in tribulatione quàm Deo exoſus Eccli.n.95

Iudas Machabæus figura Chriſti. Machab.30

Iudæorum

Iudæorum reprobatio expenditur. Iſa. 4. & 76. Oſe. 4. Ob iſtam reprobationem coguntur portare ſignum infamiæ eos diſcernens ab aliis. Thren. 102. Eorum tribus ſunt confuſæ. Iſa. 70. eorum cæcitas, & velamen. Iſa. 401. ſeq. Apud omnes nationes abominabiliores. Oſe. 52. in fine mundi ad Chriſtum convertentur. Oſe. 3

Iudicum probitas ſalus reipublicæ, improbitas ruina. Iſa. 772. Eorum ignorantia quàm noxia. Hier. 56. crudeles in pauperes ſeverè à Deo puniuntur. Hier. 87. iniqui declinant à caſu recto in obliquum. Hier. 114. Thren. 90. Exerceant juſtitiam ſolùm amore juſtitiæ. Sap. n. 1. Ideò primò in ſeipſos exerceant ipſam. Sap. 4

Iudicum conditiones quales. Eccli. 130. Hier. 269. 294. caveant ab avaritia. Eccli. 293. Iſa. 91. Prov. 552. 671. Amos. 30. & ab acceptione perſonarum. Machab. 16. ſeq. ſint ſolliciti in expeditione cauſarum. Eccli. 490. defendant pauperes oppreſſos. Iſa. 25. Hier. 268. condemnans juſtos, abſolvens reos iræ Dei ſubjectus. Prov. 536. Dan. 119. Zacch. 60. In Iudices iniquos clamor pauperum aſcendit ad aures Dei. Prov. 838. Amos. 18. Zacch. 60

Iudicium ſit mixtum cum miſericordia. Zacch. 35. Iſa. 353

Iudices iniqui totam rempublicam conturbant. Abac. 3

Iudicium temeratium quàm ſollicitè vitandum. Hier. n. 234. Prov. 53. 615

Iudicia alia Dei, alia hominum. Prov. 487

Iudicium à Chriſto faciendum aliud eſt particulare in morte cujuſlibet, & aliud univerſale in fine mundi. Iſa. 334. ſeq. Qualis anguſtia in utroque. Ioel. 14. Soph. 9. Prov. 167. ad 169

Iudicii univerſalis ſtrages, & anguſtia qualis. Soph. n. 1. & 9. Ezech. 243. Malach. 23. examen quàm rigoroſum. Soph. 7. Iſa. 334. ſeq. Prov. 293. 504. ordo deſcribitur. Iſa. 339. Ezech. 4. Ioel. 38. ſeq. ſigna præcedentia expenduntur. Naum. 5. Iſa. 336. 848. Ioel 30. ſeq. Vox Chriſti (ſurgite ad judicium) omnibus erit terribilis. Hier. 287. Fiet in valle Joſaphat, & cur. Ioel. 31

Chriſtus cum cruce, & vulneribus apparebit. Iſa. 374. Ioel. 34. ab omnibus videbitur. Zacch. 80. impii, & juſti adſtabunt. Iſa. 546. Ezech. 155. Incipiet à ſanctuario Dei. Ezech. 90. Iuſti erunt in aere cum Chriſto; impii in terra cum Dæmonibus. Dan. 82. Ioel. 33. in reprobos armabuntur cum Chriſto omnes creaturæ. Sap. 72. Mal. 26. Potior viſitatio erit à ſanctuario ſcil. à Clericis, & Religioſis. Hie. 164. Ezec. 90. Ad judicium præcedet Elias. Mal. 37. Sancti aſſiſtent Chriſto in judicando orbem. ſap. 42. Chriſtus cætera in ignem projiciet, ſolumque tempus examinabit. Thren. 31

Iudicii extremi meditatio, & præparatio ſuadetur. Abac. 44 & 14. Soph. 9. Ioel. 7. Prov. 804. Iſa. 63

Iudicium particulare unuſquiſque in ſe conſtituat. Soph. 8

Iumentum diaboli peccator. Iſa. 666

Iuramenti cõditiones expenduntur. Hie. 59. Eccl. 315

Iuſtitia habitus quid; hicque remanebit in patria. Sap. 17. aliaque eſt virtus generalis, alia ſpecialis, Iſa. 449

Iuſtitiam ſolam nobis prædicat tota ſacra ſcriptura, & à nobis exigit Deus. Iſa. 596. hanc in nobis exigit, ut ſuam miſericordiam pro noſtra juſtitia conferat. Iſa. 715. ſolaque affert pacem animæ. Iſa. 449. 735. hancque exegit Pater in Chriſto. Iſa. 726. juſtitia multiplex ad Deum ducens. Sap. 70. Prov. 457

Iuſtitia, & judicium non ſolùm eſt commiſſa Iudicibus, ſed & cuilibet homini, ut in ſeipſo eam exerceat. Mich. 13. Iſa. 725. 444. Sap. 4. Iuſtitia, & miſericordia obvientur ſibi in domo Iudicum. Ecclen. 62. Iſa. 353

Iuſtificatio, & ſanctificatio qualiter fiat per juſtitiam. Hier. n. 4. Iuſtitia parva reddit maxima; injuſtitia e contra. Prov. 500. Iuſtitiam, miſericordiam; & ſollicitudinem quærit Deus à nobis Mich. 19. juſtitiæ noſtræ quomodo dicuntur pannus menſtruatæ. Iſa. 826

Iuſtus eſt Chriſti hæreditas. Iſa. 709. indutus incedit veſtibus Chriſti. Iſa. 661. in utero concipiunt Ieſum. Iſa. 857

Iuſti vivunt, & moriuntur in manu Dei, impii in manu diaboli. Sap. 31. ad 34. Eccli. 566. Iſa. 276. juſtorum proprium eſt ſemper Deo adſtare veluti in cœlo degentes, ipſumque cum Seraphim ſemper laudare. Eccli. 644. ſeq. Iſa. 111. ſeq. 130. ſunt reliquiæ à Deo ex multitudine malorum excerptæ. Iſa. 189. ſunt ſedes Spiritus Sancti. Iſa. 204. Prov. 732

Iuſtus eſt civitas perfectiſſima. Iſa. 662. Tranſit ex hac vita à tribulatione ad lætitiam Iſa. 611. Iuſtorum, & impiorum regio eſt diverſa. Iſa. 664. Cur juſti in hac vita affliguntur, & impii proſperantur. Iſa. 732. Iuſti licet tranſeant per tribulationes, tamen ex hac vita tranſeunt de Sabbatho, ad Sabbathum. Iſa. 8.0. Iuſtorum, & impiorum liber, felicitates, & infelicitates expenduntur. Iſa. 835. 840. ſeq. juſtorum eſt ordinare omnia ad profectum proprium. Hier. 24

Iuſti ſe elõgando à Deo ipſi appropinquant: impii approximando ſe elongant. Hier. 190. Iuſti in hac vita triſtitiam quærunt, impii lætitiam. Ecclen. 58. Iuſtus cor habet ad dexteram, impius ad ſiniſtram. Eccle. 80. Ezech. n. 94. Iuſti bibunt vinum cum lacte, impii cum felle Cant. 208. ſeq. Iuſti Deo chari, chariores, & chariſſimi quinam. Cant. 209. Iuſti calceatis pedibus, impii diſcalceatis incedunt. Cant. 278. Iuſti palmæ comparantur. Cant 289. Iuſtorum vita, & mors condemnatio eſt impiorum. Sap. 57. 59. 65. Ex juſtis quinam aſſiſtent ut conjudices cum Chriſto. Sap. 42

Iuſti, & iniqui in mòrte alternæ mutationi ſubjacebunt. Sap. 64. Iuſti vivunt veluti impaſſibiles ſicut lux. & ſol. Sap. 93. Eccli. 401. habitant in Cœlo, impii in terra. Eccli. 644. ſeq In corde continent theſauros cœleſtes, impii ſpinas. Eccli. 642. Iuſtis omnia benè ſuccedunt, & comedunt fructus ſuorum operum. Iſa. 58. ſeq. Probantur à Deo per malos. Iſa. 186. Eorum viæ ſine offendiculo, impiorum ſpinoſæ Iſa. 347. Iuſti in equis aſcendunt in cœlum, impii deſcendunt ad infernum, illi dominantur equis; iſti dominati ab equis. Iſa. 439. ſeq. Zacch. 28. Iuſti veluti aquilæ. Iſa. 545. Zacchar. 26

Iuſtis mors numquam eſt improviſa, ſed tantùm impiis. Iſa. 507. Iuſti cadunt antrorſum; impii

impii retrorſum. Iſa.590. Ezech 13. 28 Dan. 98. Iuſtis tribulationes ſunt in ſalutem, impiis in damnationem. Hier.191.307. Thren.99. Iuſti ſunt triticum, impii paleæ. Hier. 281. Juſti verè divites, nec unquam fame pereunt. Prov. 296. 2 8. Iuſtorum vita longa, impiorum brevis. Prov. 321. ſeq. Utriuſque vitæ fructus, labores, & terminus quales. Prov. 337. 335. 359. 388. ſeq. 435. Juſtorum lingua, os, & verba qualia, & impiorum. Prov. 334. 404

Juſti recta via incedunt, impii obliqua veluti vulpes. Proverb. 434. Iuſti pacem cum proximo, & bellum cum ſeipſis ſervant. Prov. 498. 616. Iuſti trahunt ad Deum peccatores, ut & ipſi ab ipſo trahantur in cœlum. Proverb. 713. Iuſti cadunt de die, impii de nocte. Proverb. 720. Iuſti calcant temporalia, ut ad cœleſtia aſcendant. Impii è contra. Proverb. 777. ſequent. Iuſti induunt ſe priùs byſſo, poſtea purpura, impii è contra. Proverb. 902 918

Iuſti quocumque ſe vertant ſemper ad perfectionem incedunt, quia ſemper converſi ſunt oculis ad Deum. Ezech. 13. 15 18. 19. 55. Zacch. 18. Malach. 35. Ideo habent oculos per totum corpus. Ezech. 53. Iuſtorum, & impiorum cibus qualis. Ezech. 9. Iuſtus eſt homo homo, impius eſt homo, & beſtia. Ezech. 110. Iuſti oſculantur virgam Dei eos percutientem, Ubi de conformitate ad divinam voluntatem, de tolerantia paſſionum, & perſecutionum. Amos. 31. Ion. 12. 27. Naum. 14. 18. Zacch. 9. 26. Machab. 24. ſeq. 100. Thren. 90. Hier 3:7

Iuvenes quàm ſolliciti debeant eſſe in reſpondendo Deo pulſanti & vocanti. Sap. 77. ſuadentur ad diſcendam doctrinam Chriſtianam. Eccli. 79. ſeq. Qualia ſemina jacient, talem fructum in ſenectute colligent. Eccli. 374. Iſa. 261. Iuventus Deo oblata quàm ipſi chara, & proficua Thren. 66. ſeq. 85. Prov. 208. 218. 266. Cultui Mariæ Virgini impenſa quam proficua. Prov. 212

Iuvenis impius ſenex eſt vitioſus. Sap. 53. 55. coram ſenibus, ſervent ſilentium, & modeſtiam. Eccli. 97

Iuventutis volubilitas qualis. Iſa. 261. Infirmitates ſpirituales juventutis expenduntur. Iſa. 542. Iuventus impenſa in obſequium diaboli, ipſi totam vitam dedicat. Thren. 9

Iuventutis captivitas diabolica ruina Eccleſiæ, & locorum. Thren. 39

Iuventutis obedientia, & diſciplina quam utilis. Prov. 417. ſeq 604. ſeq. Verecundia, & timor caſtus. Dan. 118. Iuniorum conſilium aliquando ſumendum à Prælatis. Dan. 122

L

L*Abor* aſſumptus ſub ſole, & ſuprà ſolem qualis. Ecclen. 6 Abac. 25. 47. Laborum fructus juſtorum expenditur. Sap. 47. Prov. 723. 822. Zacch 74. Labor ſtultorum qualis. Sap. 44. Qualis aſſumendus in ſtudio ſapientiæ. Sap 102. Laborandum in hac vita pro æterna. Eccli. num. 652. Labor à S. Franciſco ſuis impoſitus qualis. Sap. 102

Labor, & inquietudo perpetua avarorum. Ecclen. 4. Labor eſt malorum. quies propria Juſtorum. Iſa. 541

Lac B. Virginis exhibitum Filio. V. Mariæ Uera.

Lac quale Deus, & Eccleſia propinat ſuis filiis. Cant. 108. ſeq 293

Lachrymæ pœnitentiæ quales eſſe debeant. Thren. 65. ſunt baptiſmus purgans animam. Hier. 146. ſeq. 215. ſunt vinum Chriſto gratum. Prov. 6. 0. ſolæ valent extinguere in hac vita ignem infernalem. Ezech. 166. ſeq.

Lætitia. V. gaudium.

Lana, & linum neceſſaria ad veſtiendam animam. Prov. 886

Laus juſtorum potior qualis. Eccl. 434. Ad laudandum Deum quænam requirantur. Iſa. 51-. ſeq. Laus vocalis erit in gloria. Iſa. 107. ſanctorum, & Angelorum laus in cœlo qualis. Iſa. 108. ſequen. ad 110. laus Dei propria eſt Angelorum, juſtorum, & Religioſorum Deo chara. Iſa. 108. ſequen. ad 114. Oſe. 94. Laudans Deum ore, & non corde etiam fruſtra laborat Iſa. 04. Hier. 105. Amos. 24. Laus in ore proprio eſt ſtultorum. Prov. 769. Laus aliorum juſtos non movet, nec vituperium. Prov. 793

Lectio, & meditatio vitæ Sanctorum quàm proficua. Hier. n. 102. Baruc. n. 1. & 3. lectio ſacra in menſa Religioſorum quare introducta. Eccli. 36

Lectus Chriſtus eſt anima pura, & plus omnibus Maria Virg. Cant. 3

Lex à Deo homini data quale bonum. Eccli. 233. Prov. 415

Lex vitæ diſciplinæ, & modeſtiæ qualis. Eccli. 615. Baruc. n. 24

Lex Dei quàm amabilis. Iſa. 558. ejus obſervantiæ fructus qualis. Prov. 58. 600. liganda in corde noſtro. Prov. 157. 113. leges humanæ, ut ſint juſtæ à lege divina ortum habeant. Prov. 199. ſeq. Sint cum juſtitia, & miſericordia. Prov. 193. lex Dei, & diaboli qualis. Prov. 535. legum tranſgreſſio rempublicam conturbat. Abac. n. 3

Liber grandis nobis expoſitus à Deo eſt Chriſtus Ieſus. Iſa. n. 141 ad 146. 477. Ezech. 33. 35. eſt nomen Ieſu, Ezech. 3. Naum. 2

Liber grandis, eſt ſacra ſcriptura nobis è cœlo miſſus. Iſa. 147. 477. Ezech 37. item eſt fides catholica. Iſa. 147. item ſumma mandatorum Dei. Ezech. 36. item Maria Virgo. Iſa. 148. item mundus, & omnis creatura. Iſa. 149

Liber ſacræ ſcripturæ ſine Chriſto non poteſt legi. Iſa. 203

Liber vitæ & mortis qualis. Iſa. 835

Liber ſunt Clerici, in quo laici legere debent. Iſa. 471

Liber conſcientiæ aperiendus in die judicii continet omnia opera bona, & mala. Sap. 13. liber docens myſteria cœleſtia eſt tribulatio, & flagellum. Naum. n. 1

Librorum ſapientialium Salomonis titulus expenditur in Præfat. ad Cant. ad Ecclen. & Prov.

Liberum arbitrium cur datum homini. Prov. 636

Lignum vitæ Chriſtus eſt; lignum mortis peccatum, & diabolus. Prov. 89 93

Lignum vitæ eſt ſapientia cœleſtis. Prov. 90. item Crux Chriſti. Prov. 91. ſeq.

Lilium myſticum eſt B. Virgo Maria. Cant. 59. item caſtitas. Cant. 60. ſeq.

Lingua

Lingua cuſtodia quale bonum, & quomodo habenda.Eccli.186.Prov.319.ad 324. 481. 485. 557.651.654.851.maximè à mulieribus Deo dicatis ſervanda.Prov. n. 930. ex corde eructat. Prov.411
Linguoſus,& litigioſus quàm ſollicitè vitandus. Eccli.115
Lingua mollis,& dulcis Deo chara, & hominibus.Prov.462.509
Lingua tertia maledicta omnia mala inducens eſt detractorum,ſuſurrorum,& ſcandaloſorum. Eccli.412.ſeq.Zacch.25
Lingua detractoris virga magica. Prov.429. Linguæ mala expenduntur. Hier.150.155.256. linguæ ſanctæ bona qualia.Hier. 156. Prov. 334. 392.ſeq. Zacch 25
Linguæ flagellum in ordine ad Chriſtum,&juſtos quale.Hier.n.256. lingua bona,bona arbor, & lignum vitæ; mala arbor mala,& lignum mortis;utriuſque fructus quales.Prov.392.ſeq 465. 576.767. lingua canum ſanat, ſerpentium vulnerat,Ubi de detractione. Prov.830
Linguæ ſapientis, & ſtulti diſcrimen. Prov. 463. libertatem linguæ dare quale malum. Prov. 851.linguæ malæ pœnæ in inferno paratæ quales.Zacch. 118
Liquefactio ſpiritualis animæ ex dulcedine divina expenditur.Cant.217.ſeq.
Lis litigioſus quàm ſollicitè vitandus. Eccli. 115
Littera è Cœlo nobis miſſæ ſunt verba ſacræ ſcripturæ.Zacch.68
Lixivium ſpirituale ad lavandam animam qualiter faciendum·Hier.n.108
Locus quietis animæ eſt Deus. Sapien. 32. Cantic.29
Loqui de Deo quale bonum. Eccli. 603. 628. Locutio Dei ad animam qualis. Cant. 226. Iſa. 129. loqui tempore, & loco congruo debemus.Eccli.289.309. locutio ad ignem vitanda. Hier.354. loquacitas, & multiloquium cauſa multorum malorum quàm vitandum ab omnibus;& maximè à Prælatis. Ecclen.53.Eccli.115. 129.272.289 309. V.*Lingua.*
Loqui immunda quale malum. Iſa. 129. A mulieribus maximè Deo dicatis vitanda loquacitas. Prov.930
Logica diaboli, & damnatorum qualis. Thren.61. Sap.64
Logica Chriſti qualis.Ezech.70
Lucerna. Vide *Lumen.*
Ludere quomodo dicitur Deus cum hominibus. Prov.231
Lumbos præcingere quid ſit, Iſa.448.Hier.16
Lumen. lucerna,lux eſt Chriſtus;& etiam Doctores Eccleſiæ. Iſa.561.ad 563. ne extinguatur, quid exigit Prov.908
Luxuria ex gula naſcitur. Hier. 80. luxuriæ peccata fœtent naribus Dei, & Angelorum. Iſa. 470. Joel.24. Naum. 21. luxuria exſiccat oſſa corporaliter, & ſpiritualiter. Iſa. 530. Ezech. 204.Dan.114.117.Morbus.eſt inſatiabilis.Eccli. 317. Apoſtatare facit à Deo.Eccli.268.Eſt olla plena igne inferni,& etiam ignis infernalis, Prov.163.Ezech.148.167.Oſe. 45. luxuriæ mala,& effectus peſſimi expenduntur. Prov. 59. 154.163.864
Luxurioſi ſemper jacent in ſterquilinio.Prov.358.
Luxuria ſanguiſuga.Prov.864. propria Aſinorum, & equorum diaboli. Ezech. 161. locus proprius diaboli.Ezech.200. Intrat per ſenſus, & maximè per oculos.Dan.114 eſt ſagena magna diaboli, in qua includit totum fere mundum.Abac.13

M

MAgdalena. V.Maria Magdalena.
Maledictus, qui facit opus Dei fraudulenter,& negligenter.Hier.373. ſeq.
Maledictionem Dei affert peccatum.Hier.179
Mali ſunt extra Eccleſiam. Machab. 6. Malos inter bonos cur Deus permittat.Machab.5
Malum ad bonum ordinare proprium eſt Dei. Eccli.465
Malum omne eſt à nobis,bonum à Deo.Eccli.187
Malorum ſocietas quàm pernicioſa.Machab.115. Mich.26
Manda, remanda explicatur in bonum,& in malum,Iſa.380.ſeq.
Mandatorum Dei obſervantia ſuadetur multipliciter.Iſa.606
Mandata hominum æſtimare; mandata Dei contemnere quàm Deo exoſum. Iſa.406
Mane, Thecel. Phares exponitur pro morte miſerabili peccatoris.Dan.58
Manſuetudo qualis virtus, quam Deo chara, ejus effectus. Eccli.141.Prov. 454
Manum mittere ad fortia quid.Prov.911.Manum apertam ad pauperem qui habet, & Cœlum apertum invenit.Prov.913.Manus, & oculos, & totum corpus extendunt juſti ad Chriſtum. Machab.97
Manus dexteræ, & ſiniſtræ levatio quid myſticè. Ezech.223.227
Mare myſticè eſt mundus.Ecclen.18. Eccli. 601. Item Chriſtus Ieſus. Ecclen. 16. Item ſacra ſcriptura.Ecclen. 15
Mare mundus, in quo piſces majores comedunt minores. Abac.n 8 in hunc mittit Chriſtus piſcatores,ſicut & diabolus. Abac.n.9
Maria fiat anima, ſi vult ſpiritualiter concipere Chriſtum.Iſa.178
Maria Magdalena Laudes à Chriſto recenſentur. Prov. 938. cognovit Chriſtum hortulanum ſuæ animæ.Cant.243
Mariæ nomen oleum effuſum, ſicut nomen Jeſu. Cant.2.Nomen eſt ſuaviſſimum etiam Angelis, & Beatis.Cant.136
Abyſſus immenſurabilis,Eccli. n.4. Ager fertilis Prov.900
Apis mellificans. Eccli. 145. Arbor digniſſima. Dan.41.Joel.25.Arca continens theſauros cœleſtes Eccli.643
Arcus fœderis.Eccli.596. Aurora.Can.263.Oſe.37
Balſamum aromatizans.Eccli 343
Campus frugifer. Cant.58. Cedrus libani. Eccli. 340
Cella vinaria Spiritus Sancti, & Chriſti Ieſu. Cant.75.ſeq
Cinnamomum.Eccli.243. cœlum puriſſimum, & altiſſimum.Eccli.4.325.391.Iſa. 230. 589. Columba.Cant.257.Columna lucis, & nubis. Eccli.391.Iſa. n.72. Conſiſtorium cauſarum Dei, & hominum. Prov. 195. 258. Crater plenus dulciſſimo nectare.Cant.283

Index Generalis.

Crux Chriſti myſtica. Cant. 290. Cuſtos Eccleſiarum. Cant. n. 28

Domus ſanctiſſima Dei. Eccli. 391. Iſa. 97. Prov. 237. Baruc. 16

Eleemoſynaria magna Dei. Prov. 914

Ferculum nobiliſſimum Chriſti. Cant. 150. Flos campi. Cant. 59. Firmamentum mundi. Eccli. 577. Fons Paradiſi, & fontana gratiarum irrigans orbem. Eccli 370 366. Hier. 440. Prov. 139. Fundamentum. Eccleſiæ. Eccli. 391

Hortus voluptatis concluſus. Cant. 197. ad 199. Ezech. 233

Hortus conſitus Cedro, Cypreſſo, Palma, Roſa, Oliva, Platano, & Balſamo. Eccli. 340. Iris cœleſtis, & arcus fœderis. Eccli. 596

Lectus, & ferculum Chriſti floridum. Cant. 34. 44 150. Libanus candidiſſimus. Eccli. 343. Liber vitæ, & legis divinæ Eccli. 365. Iſa. 148. Lilium inter ſpinas. Cant. 64. Luna pulcherrima. Cant 264. Eccli. 591. Lucerna, & lux puriſſima. Iſa. 619. Prov. 906. Mare gratiarum, & mare amarum. Thren. 60 Ecclen. 21. ſeq. Mons ſuper omnes montes. Iſa. 55. Dan 11

Navis plena mercibus, & Negotiatrix pia. Prov. 905. 895. ad 898. Nubes levis Chriſti. Iſa. 272 Oliva fructifera. Eccli. 340. Petra deſerti. Iſa. 256. Puteus aquarum viventium. Cant. 199. Paradiſus delicioſiſſimus. Cant. 197. ad 199. Roſa. Eccli. 340. ſol. Cant. 65. Eccli. 391. 579. 528. Sedes, ſolium, thronus excelſus Dei. Eccli. 7. 328. Iſa 94. 258 Ezech 14. Stella matutina. Eccli 637. Terra benedicta. Eccli. 4. Iſa. 589. Cant. 102. Terebinthus. Eccli. 344

Triclinium SS. Trinitatis. Prov. 261. Turris fortiſſima, & altiſſima. Cant. 263. 287. 328. Vas admirabile. Eccli. 379. Prov. 730. Vexillifera omnium virtutum. Cant. 76. Vinea electa. Prov. 901. Virga florida, & fructifera. Iſa. 192. ad 194. 198. Virga ferrea contra Dæmones. Iſa. 295. Virga vigilans. Hier. 12. Vena aquarum viventium. Eccli. 370. 366. V. Fons Vitis fructifera. Eccli. 341. Cant. 47

Maria Virgo concepta fuit ut puriſſima aurora, & ſol ſine ulla macula. Cant. 266. 323. Eccli. 386. 491. Hier. 2. ſeq. ſola ſine peccato inter puras creaturas. Prov. 619. Cant. 174. quia ſuper omnes fuit pura, ideò digna Mater Dei. Sap. 95. Ante omnem creaturam præordinata fuit. Prov. 224. ejus impeccabilitas expenditur. Prov. n. 921. 593. 619

Mariæ Annuntiatio expenditur. Cant. 108. 183. 218. Provet. 416. in puncto Incarnationis introducta in cellam vinariam Spiritus Sancti. Cant. 17. In annuntiatione deſponſata eſt Maria cum tota Trinitate. Oſe. 15. Humilitate traxit in ſinum Filium Dei. Cant. 40. ejus vox Ecce ancilla Domini, quam dulcis auribus Dei. Cant. 113. 251. Iſa. 740. Mariæ uterus hortus delicioſus Verbi. Cant. 241. Ezech. 133. Mariæ venter crater vino. & acervo tritici Euchariſtici plenus. Cant. 283. ſeq. Hier. 331. In ipſa ut in Cœlo collocatus, eſt ſol mundi. Malach. 33. Mariæ venter requies Dei factus. Eccli 332. In utero ſtellam matutinam recondit. Eccli 637. Seminatum eſt ibi granum frumenti. Ezech. 234. Fructus ventris Mariæ qualis. Ezech. 268. Iſa. 69. In ejus utero parata eſt medicina noſtris malis. Eccli. 600. Prov. 218. Meruit accelerationem Incarnationis. Iſa. 214. Mater facta eſt Agni Dei, Iſa. 256. In conceptione Verbi qualia miracula experta fuerit. Hier. 329. & tunc omnem benedictionem nobis paravit. Hier. 330. In Maria incœpit commercium inter Cœlum, & terram Prov. 184. coronavit Chriſtum corona carnea. Cant. 153. 157. In ipſa Verbum ſibi conduxit uterum, & mentem. Prov. 260. Maternitas divina qualem ſanctificationem ei attulit. Cant. 7

Mariæ partus, & nativitas Chriſti expenditur. Iſa. 843. Ejus fuga in Ægyptum. Iſa. 2-4. In Mariæ ſinu Chriſtus faſciculus myrrhæ. Cant. 44. Item ut ſignaculum gratiæ. Cantic. 320

Maria tota innixa Filio, & Filius ei innixus. Cant. 118

Maria exhibens lac Chriſto totam Eccleſiam irrigavit. Cant. 168. ſeq. 184. Nobis præparavit Euchariſtiam. Cant. 107. 283. ſeq. Eccli. 106. Prov. 262. 280. ſeq 401. Maria in Chriſto genuit omnes filios gratiæ. Cant. 298. Mariæ, & Chriſto omnia communia Cant 246. ſuo lacte mitem reddidit Deum. Cant. 286. Ex maternitate divina facta eſt Mater noſtra. Eccli. 201. Maria veſtivit Chriſtum ab ipſo veſtita. Prov. 921. Chriſtus ſecundum humanitatem traxit nobilitatem, pulchritudinem, & alia dona naturalia. Prov. 191. Cant. 233. 242

Maria mare gratiarum. Ecclen. 21. ſeq. Plenitudo gratiarum Mariæ expenditur. Eccli. 326. Iſa. 96. ſeq. 197. Prov. 352. ſeq. Varia ejus privilegia expenduntur. Eccli. 7. 333. Mare gratiarum fontis ipſarum immittit ad omnes. Eccli. 366. 384. 386. 534. Hier. 40. 92. In ipſa exoranda Deus binis manibus occupatus. Cant. 85

Mariæ merita ſuper omnes creaturas. Prov. 943. Cant. 137. §. 2. ejus divitiæ ſpirituales expenduntur. Prov. 929 ad 942. conventum omnium virtutum, Cant. 137. §. 4. & 6 281. ejus fides, & ſpes qualis. Prov. 907. Mariæ humilitas, paupertas, & pœnitentia expenditur cum ſuis effectibus. Cant. 21. 40. 281. Eccli. 36. ſeq. 381. 591. Iſa. 242. 842. Prov. 847. 903. 919. Mariæ charitas, & amor qualis. Cant. 32. 137. §. 3. Vulneravit ipſum Deum ſagitta amoris. Cant. 182. quales effectus charitas in Maria produxit. Cant. 239. Languebat amore. Cant. 232. 314. Hier. 204. Ejus lex tota eſt clementiæ. & charitatis. Prov 934. Charitatis gladius ſuum cor vulneravit. Cant. 81

Mariæ puritas, & virginitas expenditur. Sap. 46. 50. 95. 97. Eccli. 343. 387. 555. Iſa. 133. Ezech. 219. Mariæ ſcientia, & cognitio omnium ſcientiarum perfectiſſima. Cant. 87. Doctrix Apoſtolorum. Dan. 110. conſervabat omnia myſteria Chriſti in corde. Dan. ibid.

Mariæ oratio, & ſolitudo qualis. Iſa. 479. Cant. 287. ſeq. ejus oratio indignationem Dei mitigat. Cant. 114. Iſa. 828. Vulneravit ſua oratione Deum. Cant. 182. Acceleravit, & impetravit Incarnationem. Iſa 823

Mariæ exemplorum odor qualis. Cant. 191. ejus obedientia qualis Cantic. 167. Mariæ verba expenduntur. Cant. 187. ſeq Prov. 403. ejus ſilentium, & parcitas in verbis qualis. Prov. 932. Eccli. 385. Dulcedo ejus verborum. Prov. 933. quales ſuis verbis effectus produxit in

Eliſabeth

Digitized by Google

Eliſabeth, Ioanne, & Zaccharia. Cant. 335. ſeq. Mariæ pulchritudo expenditur. Cant. 49. 161. ejus pulchritudo comparatur cum Chriſto. Cant. 233. 242. 247. Prov. 947. Mariæ dolores expenduntur, fuit mare dolorum. Ecclen. 22. Thren. 60 quales ad pedes crucis Cant. 26. ſeq. 68. ſeq. 81. 231. ejus dolores meditandi. Eccli. 352. Thren. 22. & 56. quales in amiſſione Filii. Cant. 33. 126. 230

Maria crux mentalis Chriſti, & ipſa crucifixa in Chriſto. & cum Chriſto. Cant. 290. Inter ipſam, & Chriſtum crucifixum fluxus & refluxus dolorum qualis. Cant. 296. Ipſa ſola cum Chriſto calcavit torcular Paſſionis Chriſti. Iſa. 820. ejus fletus pro Filii paſſione nos invitat ad flendum. Hier. 112. Mariæ dominium in Dæmones; fuit amarum mare contra Dæmones. Ecclen. 23. Terribilis eſt contra Dæmones. Cant. 267. Eſt virga ferrea contra ipſos. Iſa. 195

Mariæ aſſumptio in Cœlum; coronatio ſuper omnes Angelos, & gloria expenduntur. Cant. 178. ſeq. 266. 311. Ezech. 24. Prov. 951. Gloriæ ejus magnitudo expenditur. Eccli. 339. 350. Prov. 352. ſeq. ejus gloriæ aſpectus deſideratus ab Angelis. Cant. 215. In Cœlo dulcius eſt poſt Chriſtum ipſam videre glorioſam. Cant. 176. ſuos inebriat gloria in Cœlo. Prov. 196. cum Angelis cantat Triſagium Sanctus Iſa. 113. Ipſam laudant Angeli Triſagio Sancta, Sancta, Sancta. Iſa. 114. ejus caro non fuit ſubjecta corruptioni. Iſa. 531. ideò in Cœlum aſſumptum ejus corpus. Cant. 150

Maria advocata particularis peccatorum. Cant. 136. Prov. 934

Maria protectrix, & cuſtos omnium Eccleſiarum, & animarum. Can. 28. 330 ejus munus eſt colligere ad Chriſtum omnes hædos, & perditos. Cant. 17. Vitam ſuis filiis inſpirat. Eccli. 51. ex ipſa, & per ipſam omne bonum nobis provenit. Eccli. 317. Ezech. 129. Ioel. 23. Fons irrigans totam Eccleſiam. Eccli. 370. gratia replet omnes fideles. Eccli. 384. columna nubis, & lucis Eccleſiæ. Iſa. 72. Eccli. 391. refrigerat omnem æſtum iræ Dei. Eccli. 586. Propter Mariam non eſt damnatum genus humanum. Iſa. 28. Per Mariam relevata eſt fames, & ſitis hominum. Ioel. 15. Ejus benedictio attulit benedictionem toti mundo. Iſa. 284. eſt miſericordiæ, & pietatis divinæ ſolium. Hier. 217. ſua virginitate generat virgines, & filios gratiæ. Cant. 198. extendit ſuam protectionem ad maximos peccatores. Eccli. 371. ejus miſericordia ad totum extenditur. Prov. 183. ejus lex eſt tota clementiæ & miſericordiæ. Prov. 934. eſt bellatrix noſtra. Hier. 366

Maria cur in omnibus divinis officiis laudatur, & invocatur ab Eccleſia. Cant. 257. Mariæ cultus verus proprium eſt prædeſtinatorum. Can. 18. 198. Eccli. 331. Prov. 715. 885. Habitat cum juſtis ſuis devotis, non cum impiis. Eccli. 338. Prov. 812. Maria materia ſingularis Deum laudandi. Dan. 33. Mariæ devotio in quo conſiſtat. Eccli. 352. Prov. 248. quàm dulcis. & utilis. Prov. 115. Eccli. 355. Hier. 123. 156. Affert mundo benedictionem. Iſa. 284. Refugium eſt peccatorum. Hier. 217. Mariæ devotio, laus. & cultus ſuadetur. Eccli. 363. Prov. 12. 115. De ejus Roſario aliqua myſteria notantur. Eccli. 549. Prov. 319. gyrum Cœli circuit ad noſtram ſalutem. Eccli. 597

Maria eſt medium inveniendi Chriſtum, & vitam Prov. 212. ſeq. 249. ex Maria opulentiſſima omnes divitiæ, & opulentia. Prov. 216. 222. 586. 939. 942

Mariæ deliciæ ſunt eſſe in adjutorium filiorum hominum. Prov. 140. Prævenit auxilio devotos ſuos. Prov. 251. Devotio Mariæ exerceatur quotidie. Prov. 250. in manus Mariæ offerantur noſtra vota, & ad ipſius manus ſint intenti oculi noſtri. Prov. 264. ſeq. Mariæ veſtes ornant prædeſtinatos Prov. 885. 916. Eleemoſynaria Dei. Prov. 914. Mariæ laudes promunt filii ejus. Prov. 936. Priùs ſurgant à peccatis. Prov. 936. Maria ubique, & ſemper laudanda. Prov. 950. quam & Spiritus Sanctus ut ſuam ſponſam laudat. Prov. 937. Maria præeunte devoti ſequuntur. Cant. 12. ejus ſtudium eſt elevandi peccatores ad gratiam, & Deum, Cant. 136. Cur ei dicatum Sabbathum Prov. 907

Maria ex ſpeciali privilegio dicitur filia ſingularis Patris æterni. Cant. 280. in ipſam ſuper omnes reſpexit Deus. Eccli. 229. Quomodo dicitur creata antè omnem creaturam. Eccli. 314. ſeq. Prov. 224. Mariam quænam reddant commendabilem. Eccli. 348. Maria omnium maxima. Eccli. 621. Ejus magnitudo infertur ex parvitate mundi. Sap. 129. Gloria eſt Dei. Ezech. 42. Mariæ obtemperant exercitus Angelorum. Dan. 103. Regina eſt, & Domina Angelorum, & cœli. Malach. 3. mulier fortis eſt Prov. 881. ſeq. ejus pretium eſt ſuper omnes creaturas. Prov. 884. ejus exercitia manualia qualia erant. & quàm ſollicita in gubernatione familiæ. Prov. 887. ſeq. faciebat veſtes ad ornatum templi. Prov. 920. Quid ſit in Mariam peccare. Prov. 252. facta eſt bellatrix noſtra. Hier. 366. Per Mariam ædificata eſt Eccleſia. Prov. 426. Mariæ collum, nares, oculi, caput, & comæ qualia myſticè. Cant. 287. Maria ſponſa ſponſum Joſeph felicitavit. Eccli. 380

Mariæ imagines figuratæ in virga vigilante, & oculata, in quibus Maria vigilat ad noſtrum ſolamen. Hier. 12

Mariæ imaginum coronatio quàm pium opus. Cant. 178. ſeq.

Martyr antonomaſticè dicitur in ſcriptura juſtus, & quare. Prov. 399. Martyrium, & Martyrum ſtatus quàm glorioſus. Machab. 87. 92. Martyres diaboli quales. Sap. 44

Matrimonium; tempore menſtruorum non poſſunt petere debitum uxorati. Iſa. 826. Ezech. 136

Medicus eſt Chriſtus ſanans omnem infirmitatem. Eccli. 113. 521

Medicina multiplex ſpiritualis, & corporalis à Chriſto exhibita. Eccli. 514. Hier. 145. Medicus vel potiùs medicaſter, & doloſus eſt diabolus. Eccli. 522. Medicis datur inſtructio in ſua arte. Eccli. 512. Medici honorandi. Eccli. 511

Meditatio myſteriorum fidei, & crucifixi quàm Deo chara, quàm animæ proficua. Cant 41. ſeq. Iſa. 211. ſeq. Thren. 80. ſeq. Zacch. 66. Machab. 44. ad 46. Prov. 486. 715. in meditatione Paſſionis non ſeparetur humanitas à divinitate,

Iſa. 154. Meditatio noviſſimorum ſuadetur. Eccli.239.165.iſa. 613. Thren.18. Eccli. 165. 256. 400.Meditatio beneficiorum Dei, & miſeriarum hujus vitæ ſuadetur. Thren.13

Medium locus eſt Chriſti ad quod vocat nos. Abac.35

Medium eſt locus Iudicum.Iſa.772

Mel animæ eſt meditatio crucifixi.Prov.715.Mel, & lac ſub lingua Mariæ Virginis, & juſtorum Cant.184.ſeq.

Memoria noviſſimorum frequenter habenda. Eccli.165.256.408. Hier.250.ſeq. Thren.18. Memoria qualium rerum erit in Damnatis. Eccli.166. Memoriale vivum continens omnia mirabilia Dei eſt Euchariſtia, & nomen Jeſus. Iſa.510

Mendacium quàm Deo exoſum. Eccli. 190. 506. Sap 15. Aliud eſt in verbis,aliud in factis.Hier. 135. Eccli.96

Mendicitas bona,& mala quænam.Prov.614

Menſa Religioſorum quaſi diſciplina tractanda. Eccl. 436

Menſtruum V.*Matrimonium.*

Menſura. Ad menſuram culpæ erit viſitatio Judicis, & ſententiæ,Iſa.253

Menſura apud Deum in multiplicatione peccatorum datur, Amos. 33. 36 Zacch. 23. ſecundum menſuram factam cum proximo, & eadem remetietur tibi.Iſa. 370

Mercatorum pericula expenduntur. Eccli. 395. Prov.710

Mercator falſus malus Prælatus. Prov. 626. item hypocrita.Prov.627. Mercatura ſpiritualis bona,& mala expenditur. Eccli. 321. ſeq. 238. Prov 904.mercatura cum Chriſto quàm lucroſa,cum diabolo quam perniciosa. Eccli. ibid. Iſa. 637. Thren. 21. Proverb. 161. 220. 621. 626. ad 628. 904. Ezechiel. 175. 177. Joel. 35

Mercenarii alii Deo chari, alii abominabiles. Hier. 369

Meretricum procacitas. Infamia,iniquitas, & fœtor expenditur, & quàm vitandæ. Prov. 129. 171 358.Naum.n.21.una eſt ſufficiens inficere totam civitatem.Amos. 35 Eccli.126

Meritum V.Gratia.V.Opus.

Meritum non tollitur ob recalcitrationem ſenſualitatis præciſè Iſa 695

S.Michael apparuit Danieli. & cur non alius Angelus miſſus eſt,Dan. 95. ejus dignitas expenditur.Dan.102. Protector, & Defenſor Eccleſiæ,& noſter,Dan.103.107. Miniſter, & ſervus obediens Mariæ Virgini.Dan.103.Occidet Antichriſtum. Dan. 111

Militia Chriſti & diaboli qualis,& utriuſque ſtipendia qualia. Machab. 34. Iſa. 335. 496. Milites Eccleſiæ ſunt Prælati. Cantic. 142. ſeq.

Milui alas habent impii, aquilæ juſti. Zacch. 26

A Minimis peccatis ad maxima progreditur tentatio diaboli.Prov.185

Miniſtri Altaris inſtruuntur. Iſa. 674. ſeq. V. Miſſa.

Myrrha eſt meditatio Paſſionis Chriſti.Cant.41. ſeq.

Miſeria hujus vitæ expenduntur. Eccli. 552. 364

Miſericordia opera qualem mercedem acquirunt à Deo Eccli.216. Prov 443.637.641.649. 913. Ezech. 135. Triumphant de diabolo. Iſa. 191. Quàm lucroſa ſit ipſorum negotiatio. Eccli. 238.Prov.554

Miſericordes chari Deo, & hominibus, Avari exoſi.Eccli. 185

Miſericordiæ tempus eſt hujus vitæ; alia vita eſt tempus juſtitiæ.Iſa.234. item tempus incarnationis tempus eſt miſericordiæ, Iſa.235. Miſericordiam non obtinet qui non eſt Iacob. Iſa. 236. Miſericordia cum juſtitia miſceatur à Iudicibus. Iſa. 353. Miſericordia Dei ob peccata convertitur in ſeveritatem.Iſa.368. Miſericordiam qualem exhibebit homo in proximum, & pauperes, talem recipiet à Deo.Sap 48. Machab.23. Prov.446.419.255

Miſericordia in pauperes dives recuperat animam jam diabolo venditam. Prov. 496. Eſt ſacrificium grande Deo oblatum.Oſe.40

Miſſa mirabilia myſteria qualia. Zach. 30. Malach 7. offeratur ab aſtantibus cum ſacerdote. Malach. ibid. Machab 75

Miſſæ oblatio extinguit pœnas Purgatorii. Dan. 18. Extinguit iram Dei. Prov.646

Mola ſumenda à pœnitente ad faciendam bonam farinam.Iſa.602

Molendinum mundi qui intrat, pulverulentus fit. Hier. 161.

Monialis inſtruitur in exercitio virtutum, & maximè in ſilentio. Proverb. 930. Eccli. 385. Item in receptione dotis Novitiarum. Eccli. 394

Mons contemplationis ad quem invitatur anima. Iſa.31

Mors quomodo dicitur eſſe à Deo facta.Sap. 16. propria eſt ex peccato, ejuſque ſtipendium. Naum. 19.Sap.16.18.acceleratur peccato. Sap. 18. Ecclen.44. Mors continua eſt vita noſtra. Ecclen. 44. Sap. 58. Eccli. 427. Mors Sanctorum dies eſt natalitius ipſorum. Sap. 33. Iſtis numquam improviſa.Eccli.507.Hier.225.Mors impiorum peſſima. Sap. 58. Eccli. 524. Iſtis dies eſt calamitatis, & miſeriæ. Iſa. 298. bis ſemper eſt improviſa.Iſa.416.Ipſorum mors eſt antè mortem. Eccli. 362. Hierem.223.Amos. 37

Mortis memoria ſuadetur.Eccli.112.601.Exſufflatur longè à nobis à diabolo. Iſa. 708. mortis judicium conſiderandum. Eccli.565.Hier.250. ſeq.Thren.18. mortis dies eſt dies viſitationis generalis calamitatis. Iſa. 184. Dan. 60. Ejus anguſtia, & præſentia Dæmonum qualis.Hier. 15. Quàm terribilis. Hier. 139. ſeq. Thren. 4. 116.Amos.25.mors juſtorum honorata, impiorum infamis. Eccli. 567. Intrat per feneſtras ſenſuum. Hier.161.Naum. 16. Quomodo dicitur à Chriſto deſtructa,& diſciſſa. Oſe.90. Diverſa ſors juſtorum,& impiorum.Amos.27.eſt uncinos rapiens nobis omnia. Amos 36.Naum. 19 Mortui præſentia grandis prædicatio. Eccli.128

Mortuorum famam lacerare quàm impium. Amos.4.Sap..4

Mortuorum funeris celebratio opus Deo charum. Eccli. 523. Machab. 53. Eorum ſuffragia Deo chara. Machab. 116. & ſequentibus.

Mortuorum

Mortorium, & funeris Chriſti celebratio ſuadetur. Eccli. 515

Mortuorum ſpiritualium reſuſcitatio qualiter fiat. Ezech. 236. ad 238. Mortuorum comes eſt miſericordia. Machab. 55 Quare ſepeliuntur intra ſepta Eccleſiæ. Machab 54. Ante mortem nemo laudandus Eccli 167

Mulierum aſpectus, conſortium, & colloquia quàm ſollicitè vitanda. Ecclen. 65. Eccli. 114. ſeq. 297. 378. 382. 570. Prov. 164. 178. 641. Abac. 56

Mulierum gemma pretioſa eſt verecundia. Eccli. 101. & pudicitia. Eccli. 388 ſilentium ipſis ſuadetur. Eccli. 381. Mulier bona maximum, & ratum bonum eſt Prov. 577. 877. ſeq. ſapiens, & fortis, qualis. Prov. ibid. & 910. Mulier liber, exprimens magnalia Dei. Eccli. 364. Mulieris prudentia, & diſciplina qualis. Eccli. 379. Mulier juvencula ſollicitè à parentibus cuſtodienda. Eccli 383. ejus proprium cuſtodire domum. Prov. 445. otioſitatem fugiat. Prov. 909. ſeq.

Mulierum vanitates, & peccata expenduntur. Iſa. 61. Vagatio damnatur. Prov. 176. Mulier mala laqueus venatorum Prov 186. Mulieribus non eſt fidendum ſecretum. Mich. 133. Mulier fortis eſt Eccleſia. Prover. 880. Et B. Virgo Maria. ibid. 881. Item divina Sapientia. ibid. 879. Mulierum non eſt docere publicè in Eccleſia. Ioel. 29

Mulier peccatrix publica. V *Meretrix.*

Multiloquium vitandum. Eccli. n. 281

Multitudo, & multiplicatio nimia Clericorum, & Religioſorum affert Eccleſiæ triſtitiam. Eccli. n. 165

Mundi felicitates, & divitiæ ſunt ſomnium, & omnia vanitas, & inſtabilitas. Ecclen num. 3. ſeq. 18. 37. Sap. 66. ſeq. Iſa. 401. Hier. 205. 209. Baruc. 3. ad 14. In ſtatua Nabuchodonoſor. Dan. 9. In hedera Ionæ. Jon. 28. ejus gloriæ vanitas qualis. Dan. 59. Oſe 28. In Alexandro magno Machab. n. 1. ſunt ſtercus, & vermis. Machab 26. In motu perpetuo ſtat. Ecclen. 84. Dominatur à ſpiritu vertiginis. Iſa. 179

Mundanorum, & juſtorum diſſimilitudo in vita qualis. Sap. 26. ſeq. Prov. 81. ſeq. Mundo, & Deo ſimul ſervire impoſſibile. Sap. 1. Mundanum gaudium in fletum terminat. Prov. 416. ſeq. 439. Mundus in comparatione Dei momentum ſtateræ. Sapien. 128. Mundana ſapientia ſine Deo nihil valet. Hierem. 163. Prov. 442

Mundus eſt taberna, & quale vinum ibi venditur. Prov. 609

Mundus ſuo ordine exprimit ordinem Eccleſiaſticum. Prov. 716

Mundi viæ ſpinoſæ: Dei ſuaves. Oſe. 7. Prov. 85. ſeq.

Mundana gloria catena, & captivitas importabilis Dan. 59. ejus bona non ſatiant, ſed irritant. Oſe. 24 Mundi, carnis, & diaboli concordia contra hominem. Oſe. 27. ejus amicitia proditoria. Mich. 33. Mundi contemptus ſuadetur. Naum. 2. Zacch. 10

Munera excæcant oculos Iudicum. Prov. 671

Murmuratio quale vitium, quàm Deo exoſum. Sap. 14. V. Detractio.

Murmurare de Prælatis quàm Deo exoſum. Machab. 78

Murus Eccleſiæ eſt Chriſtus Iſa. 343

Muſca malarum cogitationum bonum odorem devotionis, & orationis diſſipant. Ecclan. 78. ſeq.

Muſicorum vitia notantur in cantu divinorum officiorum. Amos. n. 25

N

Nativitas hominis alia eſt à Deo, alia à diabolo. Eccli. 566

Navis eſt Eccleſia, quæ gubernatur à Chriſto Ezech 176. 178. Prov. 889. Navis eſt conſcientia exoneranda in hoc mari per pœnitentiam: Jon. 11. Prov. 891. Navis eſt vita noſtra ſubjecta tempeſtatibus Ion. 7. item eſt pœnitentia ducens ad portum ſalutis. Eccli. 791. Prov. 892. item Sancta Crux. Prov. 893. item obedientia. Prov. 894. item Maria Virgo. Prov. 895. ſeq.

Naves bellicæ ſunt Religiones, & ſtatus varii Eccleſiæ ad bellandum, &c. Machab. 62

Negligentia gravis in Dei ſervitio maledictionem affert. Hier. 373. ſeq. Negligentia in Dei ſervitio quàm noxia. Thren. 45. Prov. 565. In Dei inſpirationibus quàm Deo exoſa. Cant. 214

Negotiatio. Vide Mercatura. Negotiatores boni, & mali; item negotiatio bona, & mala qualis. Iſa. 321. ſeq. Prov. 47. 904. Ezech. 175. 177. 192

Ninivitarum pœnitentia, converſio; Ionæ prædicatio ipſis facta, expenduntur. Ionæ. 22. ad 25

Noviſſimorum meditatio ſuadetur. Eccli. 408. 165. 230. 256. Iſa. 651. Thren. 18

Novitiorum obedientia qualis eſſe debeat. Eccli. 31

Nox eſt peccatum. Iſa. 770

Nubes levis eſt Chriſti humanitas. Iſa. 270. eſt Maria V. Maria.

Nudi & diſcalceati qui ſint. Iſa. 287

Nugæ omnes ſunt, quæ non ordinantur in Deum. Soph. 16

Nummus eſt anima imagine SS. Trinitatis ſculpta. Ezech 181

Nuptiæ Chriſti cum Eccleſia; & anima expenduntur. Oſe. 11. ad 16. inter animam, & diabolum quales. Machab. 57. Aliæ convertuntur in gaudium, aliæ in luctum. Machab. 58

O

Obduratio, & obſtinatio non eſt à Deo, ſed à nobis. Eccli. 40

Obedientia eſt navis onuſta mercibus cœleſtibus ducens ad portum ſalutis. Sap. 140. Prov. 894. lectus eſt chariſſimus Chriſti Cant. 149. 277. Fructus ejus multiplex. Prov. 104. 660. ſeq. Machab. 61. 63. Eſt ornamentum, & fundamentum Religionis, & Religioſi Cant. 39. Sap. 05. Machab. 61. qualis eſſe debeat. Cant. 209. Eccli. 65. Eſt ſcutum defendens animam ab omni peccato, & deceptione, Machab. 61. & 63

Obedientia ad rectum ordinem univerſi neceſſa-

tiâ

tia,eſt in ſubditis, filiis, & noviiiis. Sap. 105. Eccli.31. Baruc.6. Præſtanda eſt etiam Prælatis malis in iis, quæ non ſunt contrà Deum. Hier. 198. Obedientes ſunt Dei filii chariſſimi.Eccli.49.65.Iſa.4.ſeq. Hier. 7.ſunt equites nobiles Chriſti. Machab. 109. Obedientia eſt vinculum ferreum,ſi diſplicet, ſi placet eſt aureum.Eccl.84.Ezech.57.Obedientes ſunt Deo accepti,inobedientes derelicti.Iſa.4. ſeq. obedientia eſt ſapientum, inobedientia eſt ſtultorum.Iſa.445.Prov.41.& 60

Obedientiæ conditiones expenduntur. Machab. 61. Prov.103.124

Obedientia Deo ab omnibus creaturis excepto homine præſtatur. Hier.84. Baruc.20

Oblatio ex corde impuro, vel ex re aliena Deo exoſa. Eccli.479.ſeq.

Oblatio Deo facienda ſit maſcula,non fœminea. Malach. 8. ſit cum obſervantia mandatorum Dei.Eccli.484

Oblationes faciendæ in templo cordis. Iſa. 20. ſine cooperatione operum ad nihilum valent. Eccli.95. Factæ manibus plenis ſanguine Deo exoſæ.Iſa.22

Oblivio mortis, & noviſſimorum quàm pernicioſa.Thren.18

Oblivio, & cæcitas ex luxuria provenit. Prover. 59

Occultum nihil eſt, quod non reveletur. Proverb. 765

Oculorum cuſtodia quàm neceſſaria. Eccli. 124. ſeq.Hier.161.Prov.638. Dan.113.ſeq. Thren. 95.oculus dexter,& ſiniſter quis,& væ illi, cui eruitur oculus dexter.Zacch.61

Odium Dei ad peccatum quale.Sap.141

Odio,an amore quis dignus, incertum. Proverb. 618

Odor Chriſti trahit animas currentes ad ſe.Cant. 9.ad 14

Odor boni exempli quàm efficax. Cantic. 189. ſeq.

Officium, V.Horæ Canonicæ. V Pſallere.

Officium divinum in choro qualiter cantandum. Eccli. 616. Indevotè ſolutum Deo exoſum. Amos.24.ſeq.

Officii divini recitatio cur præcepta, & quomodo facienda. Hier.164.Iſa.821 Ab aliis recitatur cum fructu; ab aliis ſine fructu. Hier. 105. officii divini recitationi jungenda eſt meditatio Paſſionis, & myſteriorum Chriſti. Iſa. 319

Olla igne plena eſt infernus. Hier. 13. item cor peccatoris. Hier.14

Opera noſtra ſunt menſura præmii, vel pœnæ. Prov 948.Qualia erunt,talis erit fructus. Oſe. 71.ſeq.Prov.305. ſeq.419. ex operibus laus. vel vituperium redundat. Prov. 494. Ipſa ſola ſunt comites mortuorum. Machab. 55. opera bona rectè facta, non templa magnifica, aliaque externa placant Deum. Hierem.119. ſeq. Prov. 469. Zacch. 34. ſequen. Malach. 30. Iſa.79

Opera bona facta in mortali non ſunt meritoria vitæ æternæ, & ad quid valent. Hier 33.Eccli. 472. opera noſtra abſcondantur in vulneribus Crucifixi.Hier.201. Operum miſericordiæ negotiatio. quàm lucroſa. Eccli. 226. 238. Iſa. 191.Malach. 23. opus exterius quid addat interiori. Prov. 410. plus reſpicit Deus ad cor, quàm ad opus exterius. Prov. 459. opera non verba vult à nobis Deus. Prov.n.448. opus externum ſine cordis concurſu vanum apud Deum.Prov.472

Operandum ſtrenuè, nec differendum ad craſtinum. Prov. 768. in operibus propriis, non in alienis collocanda eſt ſalus. Zacch.32. Opera noſtra bona quomodo dicuntur velut pannus menſtruatæ.Iſa.826

Oratio eſt actus Religionis inſtituta ad glorificandam Dei potentiam,ſapientiam, & bonitatem. Eccli. 492. Alia mentalis, alia vocalis. Hier.57. hinc Deo ſuper omnia chariſſima, & Angelis. Cant.132.ſeq. Eccli. 489. Cant.110. eſt cibus de cœlo deſcendens. Sap. 153. Iſa. 756.773

Orationis conditiones expenduntur. Ecclen. 59. ut ad Deum aſcendat quid exigat. Cant. 171. 249. in ea clamandum fortiter ad Deum. Iſa. 283. Hier. 62. Exigit extenſionem manuum. Eccli. 648. Quomodo exercenda in ea devotio.Iſa.347. ſit cum gemitu columbæ, & cantu hirundinis. Iſa 509. ſit cum jejunio, & eleemoſyna.Iſa.756. Prov.402.Eccli.415. Præexigit obedientiam, & mortificationem. Hier. 91. 305. exigit perfectam fiduciam in Deo. Hier.341.356

Orationis vis, efficacia,& effectus expenduntur; per eam invenitur Chriſtus. Cant.131.ſeq.vulnerat cor Dei. Cant. 181. ſola penetrat arcana Dei. Hier. 279. & ad aures omnipotentis. Hier.346.Thren.64. Elevat animam in Deum. Thren.68.Vincit Deum invincibilem.Oſe. 79. Turris eſt fortiſſima defendens animam ab hoſtibus. Cant. 165. Multorum in unum eſt terribilis Dæmonibus. Cant. 247. 261. 327. Dan.31. Eſt fons vini devotionis. Cant. 294. ejus vis ad placandum, & attrahendum Deum quanta Sap.158. Iſa.501.714. 503. 827. Offerenda in cordis Altari, & cubiculo. Iſa. 366. 734

Oratio matutina,& nocturna valdè apta ad illuſtrationes divinas. Iſa.531. Hier. 122. Thren. 66.Prov. 206. 209. Eccli.num.543. orationem noſtram expectat Deus, ut exaudiat. Iſa. 421.859. per ipſam evitantur mala prænuntiata à ſideribus, & cauſis naturalibus. Iſa. 503. ipſa anima contrahit piam pugnam cum Deo.Iſa.739

In oratione Deus aliquando ſe oſtendit iratum, & veluti ſurdum ad experimentum animæ. Iſa.822.Oratio SS. Patrum, & Mariæ in ordine ad incarnationem qualem vim, &c.Iſa.823. Qualiter dicantur orationes noſtræ veluti pannus meſtruatæ. Iſa. 826. Anima fidenter aliquando conqueritur cum Deo. Hier.189. in juventute facta valdè Deo chara.Thren.66.ſeq. Unicum remedium in tribulationibus. Hier. 289. Pro proximis neceſſitatibus facta Deo valdè chara.Thren.70. Amos. 31. Negotiatio lucroſa. Prov.480. Elevat ad perfectionem, & ad Deum.Prov.573. conſumit ignem vitioſum, & accendit animam igne cœleſti. Dan. 27. 92

Oratio reddit homines cœleſtes.Dan.14. Fit efficacior facta in ſacco, cinere, & jejunio. Dan. 87. Efficaciam ſuam habet in ſola Dei miſericordia.

cordia. Dan. 90. Eſt clamor grandis ad aures Dei, maxime facta in tempore tribulationum. Dan.121.Ion. 50. Abac.8. Zacch.51.Fundatur in ſolitudine cordis. Oſe.10. Machab. 50. Refugium eſt tribulatorum.Ioel.n.1.& 13. Ion 8. 9.15. Petitio in oratione ad quæ extendi debet.Amos.52. Eſt clamor factus in terra ex ore cordis in Cœlum pertingens.Machab.57. Iſa. 283.Hier.62. Malach.57. Eccli.546. Eſt tuba fugans Dæmones.Machab.38. Eſt muſica dulciſſima auribus Dei, & Angelorum. Malach. 38.Cant.332.ſeq.accenditur mirabiliter meditatione Paſſionis Chriſti. Machab. 44. ad 46. Iſa.270

Orationis locus magis proprius eſt Eccleſia, & maximè tempore ſacrificii Machab.49.75.oratio ſanctificat locum etiam prophanum. Ion: 55. fit ex amore, & timore filiali. Mich. n. 7. prius aſpiciat ad neceſſitates ſpirituales poſteà ad corporales. Zacch.51 oratione plus vincuntur bella,& hoſtes,quàm armis.Malach.35.ſeq. orationi aliorum in tempore tribulationis fiat recurſus, ſed ſimul cooperando, & orando. Zacch 32.Ion.10.Iſa.491. Orans,ſi non exauditur, caveat ab impatientia; ſed perſeveret. Abac.1.omne tempus aptum orationi. Eccli. 260. ideo frequentanda.Eccli. 27.

Orationem omittens,& ab ipſa ſe elongans quàm decipitur.Mich.2. Eccli.438.773.Quid ſit tentare Deum in oratione.Eccli. 264. qualis præparatio præmittenda. Eccli. 262. ſeq. operarii artifices in ſuo miniſterio qualem orationem facere debent. Eccli. 543. Cur pauci proficiunt in oratione. Hier.92 ejus efficacia peccatis impeditur.Threo.94. Qualis frangit iram Dei, & & qualis non. Prov. 465. ejus odor inficitur cogitationibus malis. Ecclen. 79. de oratione quadraginta horarum, ejuſque efficacia Ion: n.25

Ordines cur aliqui dicuntur ſacri, & non omnes, cum omnes ſint ſancti.Iſa.674.Hier. 4. ordines ſacros recipere ob intuitum bonorum temporalium quàm malum.Oſe.29.Malach.n 6

Ordines tres à S. Franciſco inſtituti ſunt tres exercitus contra hoſtes,&c.Machab.43

Ordo ſervandus in miniſteriis Eccleſiæ & Religionum.Hier.309

Os in corde prudentis reſidet,& cor in ore ſtulti. Eccli 309.Prov.404 431.463.465.oris ſigillum quale habendum. Eccli. 314. os cordis aperiendum in oratione.Eccli.546

Os juſtorum apertum ad ſapientiam promendam;os impiorum ad ſtulta,& immunda.Prov. 931.os immunda loquens fœtet Deo, & Angelis.Iſa.119.In ore, & lingua diabolus concludit omnia mala Zacch.25

Oſculum Dei manuum,pedum, & oris quid ſignificet.Cant.1.6

Oſtium omnium bonorum eſt Chriſtus. Hier. 116

Otium quam ſedulò fugiendum;non enim datur corona otioſis,ſed operantibus. Sap.118. Prov. 613. otioſitas eſt ſchola docens omnia mala. Eccli.468. Prov. 935. otioſitas ad ignem tempore frigoris quanta mala pariat, maximè in Religioſis.Hier.354

P

PAlea in inferno comburendæ ſunt reprobi. Hier. 282

Palmæ ſunt juſti. Cant.289

Palma eſt ſancta Crux Chriſti,& Mariæ,ad quam invitantur fideles.Cant.n.290.292

Palmæ proprietates prædicant gloriam Paradiſi. Cant.291

Palmarum Dominicæ myſteria expenduntur. Cant.156

Panis,& vinum Chriſti, & diaboli qualiter differant,& quales ſint. Ecclen. 71. Prov. 268. ad 279

Panis vitæ, & intellectus, & aqua ſapientiæ eſt Euchariſtia. Eccli. 205.confectus eſt à Maria. Ibid.& 206

Panis vitæ eſt doctrina Chriſti.Eccli.202.Ipſo reficit non otioſos.Ibid. 204. Prov. 822. Refecit mirabiliter S. Ioannem Evangeliſtam. Eccli. 203.Frangendus à Prædicatoribus. Eccli.749. Ejuſque fructus quales. Dan. 127. panis frangendus pauperibus,& quomodo.Iſa.748. Panis multiplex petitur prælatis à ſubditis. Thren. 56. Panis Euchariſtiæ mittendus ad animas Purgatorii. Dan.528. panis diaboli non ſatiat, ſed torquet. Oſe. 24. Deus flagellas homines panis baculo.Ezech.60

Papa Pontificatus. Patriarchatos Eccleſiæ à Prophetis prædictus.Iſa.281

Parabola quid ſit, & quomodo in Scriptura uſurpata. Prov.1

Paradiſus deliciarum ex gratia Dei redundat in anima.Ezech.188. Eccli. 553. Eſt ſtatus Religioſus Iſa.841

Paradiſi flumina indicant flumina gratiarum ex Maria.Eccli.366

Parentum obligatio in educatione filiorum expenditur.Eccli.104.ad 106.567.422. ſeq. Prov. 536.569.602. 875.eorum gloria, & honor eſt ex educatione bona filiorum Pro.517.gaudeant &corde habeant probitatem filiorum;non multitudinem.Eccli.222.Offerant Deo filios, ſicut pater dedit nobis Filium.Iſa.171. eos puniant. Prov. 421. parentum male exempla ruina ſunt filiorum.Hier.130. Malè educantes filios peiores ſunt Gentilibus & ſerpentibus. Thren.106. ſeq. parentum honor,& obedientia præcipitur filiis. Prov. 15. 555. obedientiæ talis fructus quales. Eccli.28.30.ſeq.

Parentum improperium quomodo redundat in filios Eccli.29

Parochorum ædificantium, & ornantium domos proprias,& deſerentium Eccleſias impietas expenditur.Agg.n.3

Parochianus Chriſti,& diaboli,quinam. Iſa.240

Parvuli tantum admittuntur in ſchola Chriſti. Iſa.464.ſeq.

Parvus apud ſe,magnus,eſt apud Deum.Machab. 125

Paſſionis calicem plenum bibit Chriſtus, nobis tantùm partem relinquens bibendum Hier. 285

Paſſiones tolerare cum lætitia eſt juſtorum, iniquorum vero cum triſtitia.Mach.59.& 90

Paſſiones animam excæcant.Prov.558.Unde ſemper frænandæ ſunt.Prov.706

Paſtor bonus eſt Chriſtus,ejuſque imitator malus, quis.Hier.56

Paſtor eſt unus in Eccleſia, ſic & ſit unus in Religionibus.Ezech.212

Paſtor ſeipſum pa cens oves fame mori relinquens idolum eſt deſolationis Machab.13.ſubjectus iræ Dei. Zacch.60.Joel.9.Ejus bonitas, vel malitia cauſa ſalutis, vel ruinæ Eccleſiæ. Hier.1 8.ſeq 87. eorum obligationes expenduntur.Eccli.53 294

Patrum peccata quomodo puniantur in filiis. Ezech. 133.138

Patres male educantes filios, eos immolant diabolo.Hier.1 4

Patrum benedictio in filios, maximè in fine vitæ quàm Deo chara ſi iiſque utilis.Mach.29. Patres explorent inclinationes filiorum.Prov.6.0

Patientia in adverſis pro Chriſto qualem benedictionem,& fortitudinem ingerat in animo, & coronam in alia vita Mach b.112.59.Prov.624. patientiæ,& impatientiæ effectus expenduntur. Eccli.15.Prov.603

Paulus Apoſtolus vas admirabile electum. Eccli. 580.640

Paupertas qualis vitioſa, qualis virtuoſa, Deoque chara.Eccli.183.ſeq.393. coacta quàm pericuLoſa.Prov.859

Paupertatis ſpiritûs excellentia expenditur.Eccli. 433.Prov.383.Iſa.605.hæc magis deſideranda, quàm divitiæ. Eccli 420. Amara reddit dulcia. Prov.779

Paupertas ſpiritûs fundamentum Eccleſiæ.& perfectionis Ecclen.77. pauperes à Chriſto exaltantur. Iſa. 705. eorum clamores in Cœlo à Chriſto audiuntur,& exaudiuntur.Hie.87.Pro. 838.pauperes Deo exoſi,divites dilecti,& quomodo. Prov.445.Pauper dives,& dives pauper quis.Prov.408

Pauper cum Deo dives eſt,dives ſine Deo pauper eſt.Prov.473.805.Pauperes ſint humiles, divites affabiles; unde pauperes ſuperbi Deo abominabiles.Prov.579.Eccli.373.ſint grati divitibus ſubvenientibus.Eccli.417.ſint paucis contenti Eccli.18. facilius ſatiantur divitibus. Ecclen.55. pauperum oppreſſores Dei iræ ſubjecti.Prov. 488.526.696.Amos.5. Hier.41. pauperem non audiens, non audietur à Deo.Prov. 644.pauperes Chriſti nobili veſte induti.Eccl. 156.Recipient in cœlo divites.Ezech.193.pauperum ſubventio quàm Deo chara,& divitibus proficua.Eccli. 418.60.Prov 64 .Hier.41.pauperem honorans Chriſtum honorat,& è contra.Prov.455.in judicio pauperes judicabunt,& conculcabunt divites crudeles Iſa.198.Prov.810

Pauperes Deus proponit divitibus ad ſalutem utrorumque. Prov.667. pauper pauperem perſequens quàm Deo abominabilis.Prov.802. in pauperes maximè diabolus exercet crudelitatem,non in divites. Prov. 819. Non otioſè vivant; ſed laborent pro victu, &c. Amos. 34. Pauperum clamor ad aures Dei pervenit.Eccli. 299.488

Pax alia vera,alia ficta; Vera eſt ſummum omnium bonorum hujus,& alterius vitæ. Iſa 345. 618 Hier.96.Ezech.106. vera fructus eſt juſtitiæ.Iſa.449.735.hanc nobis Chriſtus teſtamento reliquit.Eccli.619. per Chriſtum facta inter homines,Deum,& Angelos.Iſa.369. ejus bona expenduntur. Eccli.381. Ubi non viget cultus Dei, ibi nulla eſt pax.Zacch.38.pax vera non eſt impiis,ſed tantùm juſtis. Eccli.563.Iſa.357. 742

Pax univerſalis erit in toto orbe antè diem judicii. Iſa.42

Pax vera in hac vita via eſt ad aliam in æterna vita. Iſa. 720. Prov. 521. inter rationem, & ſenſualitatem qualiter facienda.Hier.302. pax nulla cum diabolo,& infidelibus habenda.Machab. 103. pacem foventes ſunt Gigantes virtute. Baruc. 18. Pacis inimici ſunt Gigantes Deo exoſi. Baruc.18 Prov.533

Peccator peccando primò ſibi infert malum. Eccli.18. Iſa.647. Hier 379. Jon. 6. Quo ordine ruit in interitum. Eccli.282.458. Prov. 15.58. Ezech. 174. infelicitates exiſtentis in peccato mortali. Baruc. 9. Joel. 12. ad 14. peccatoris conſuetudinarii infelicitates expenduntur.Sap. 132. Eccli. 137. 295. Iſa. 161. 157. Hier. 207. Computreſcit in ſentina diaboli. Ioel. 8. Iter peccati laborioſum, & aſperum; virtutis facile. Eccli.293. Hier. 278. Prov. 123. Oſe. 6. ſequent.

Peccator lupus, & canis rabidus. Eccli. 301. aſpis venenoſa. Iſa.766 Beſtia. Ezech. 110.Dan. 52. Ioel. 8.Fit phræneticus, & ſtultus.Ecclen. 35. Iſa.769. Hier. 48. Oſe.58. Prov. 447. 712. ejus vita in gyrum continuum eſt. Eccli. 462. Ioel.n.8. Ut mortuus plangendus. Eccli. 524. Hier. 109. Obſcuratur peccando ut luna ſine lumine. Eccli. 592. Regio peccatoris eſt noctis, & tenebrarum. Iſa. 164. ſe ſubjicit ut jumentum pedibus diaboli. Iſa. 185. 659. 666. Ezech. 163. Eſt pila Dæmonum. Iſa. 308. Soph.6

Peccator deſerens Deum in infinita mala ſe præcipitat. Iſa.331. ſeq. Terremotui continuo ſubjectus fit. Iſa.342. tergo Deo vertit,& tamen à Deo vocatur.Iſa 423. ſe voluntariè in captivitatem diaboli collocat. Iſa. 408. 485. Hier.78. 82. ſeq. 141. 203. Thren. 7. Prov. 142. 144. Dan. 22. Prov. 837. Revertentis ad vomitum recidivando pericula, & mala expenduntur. Eccli.292.Iſa.161. 505. Hier.43. 350. Thren. 38.59.

Peccatoris ſtatus eſt ſimilis inferno.Iſa. 249.506. 517. 833. Hier.14.34.40.380. Ezech. 167. 195. ſeq. peccator cibus eſt Dæmonum. Iſa. 547. peccatoris, cibus eſt diabolus. Iſa. 645. Hier. 158.162.peccator in foro Dei excommunicatus. Iſa.603.763. ſeq. Hier. 19.ad 21.53. Thren. 34. Dan. 46. Remanet ſine corde.Iſa.599. ſurdus, & mutus.& cæcus. Iſa. 552. ſe, & omnia ſua ſpontè vendit diabolo.Iſa.6 7 667. Prov. 131. ad 137. peccans jugum Chriſti, & pactum in baptiſmo factum confringit.Hie.31.ſæpè prævenit tentationem diaboli. Hier. 47. privatus erubeſcentia in omnia mala præcipitat. Hier. 49. excæcatur. Hier. 349. 381. Oſe. 48. Meretur ſui deſtructionem. Thren. 82. ſepultura, ejus eſt peccatum. Thren. 97. peccans teſtam facit,& diabolo exhibet, ut ligetur. Prov. 142.144

Peccatoris ſomnus quàm noxius. Prov. 149. ſeq. dormit in latere ſiniſtro.Ezec.55. Ioel. . Ion 6. 8.repletur vento. Prov. 304. ad modum vulpis incedit.Prov.434.proceſſio peccatorum, ut in dia

die palmarum. Prov. 439. Ezech 81. proſperitas vana. Prov. 379. peccatores omnes una generatio dicuntur, filiiq; diaboli. Prov. 561. Ezech 115. peccatorum ſanguis clamat vindictam. Naum. 10. peccator priùs emit infernum, & pœnas, poſteà eas conſiderat. Prov. 899. percutiuntur à Deo baculo panis. Ezech. 60. Peccator non eſt homo humo, ſed homo beſtia. Ezech. 110. denudatur à diabolo in hac vita veſte gratiæ; veſtietur in judicio veſte ignominiæ. Ezech. 122. 165

Peccator jumentum, & equus diaboli, quo utitur ad bellandum contra Eccleſiam. Ezech. 163. Malach. 55. ſeq poſſidetur à diabolo Soph. 12. Iſa. 290. In hac vita impinguatur à diabolo ut porcus, ut ab ipſo in inferno decoquatur Ezec. 165. Hier. 261. etiam in hac vita aſſatur, & coquitur à diabolo. Hier. 261. Dan. 80. Projicit poſt tergum Deum, & in ſinu portat ignem infernalem. Ezech. 167. ſeq. 195. ſeq. Amos. 4. 27. Mich. 25. 27. ſeq. Hier. 14. Cordis ejus induratio expenditur. Ezech. 252

Peccans à ſe exit. Dan. 215. feſtum numquam habet. Oſe 57. ejus infelicitates in morte. Ezech. 263. Dan. 58. Amos 37. Ecclen. 74 Prov. 36. 38. 151. ſuſpenditur à diabolo auxilio mundi, & carnis. Oſe. 27. excæcatur. ligatur, occiditur. Hier. 360. 362. fugiens à Deo incidit in omnia mala. Ion. 1. Iſa. 573. 398. ejus confuſio multiplex. Hier. 19. 382. Vendit Chriſtum exemplo Iudæ. Zacch. 58. peccator cubile Dæmonum. Iſa. 408. 475. 498. ſimilis damnatis. Ezech 196

Peccatores quæruntur à Maria Virgine. Cant. 37. 356. A Deo inceſſanter vocantur. Iſa. 423. 738. ſeq. Hier. 45. Ezech. 210. Oſe. 9. Amos. 2. Non deſeritur à Deo, niſi ipſe prius deſerat Deum. Iſa. 636. ſeq. paccator per confeſſionem, & contritionem accedit ad Deum. Cant. 135. Iſa. 603. 609. Thren. 92. Ezech. 307. 312. 362. 574. Hier. 325. ſe debet collocare in valle humiliatis. Hier. 55. ſeq. Conſideret ſui ſtatus infelicitatem. Hier. 46. 54. mittatque vota ſua ad Deum veluti nuncios Iſa. 552. Initium converſionis eſt cognitio peccati. Hier. 54. ſurgat de die. Hier. 88. Mich. 14. Ad funem fidei extendat manus. Hie. 357. in converſiona debet ſeipſum in furca, vel in cruce jugulare. Mich. n. 19

Peccatum ſummè ſuper omnia deteſtatur Deus. Sap. 141. Iſa. 17. Hier. 125. Iſa. 188. 470. Thren. 3. 35. Prov. 506. Abac. 7. Soph. 5. peccatum unicum, & ſolùm malum eſt. Hier. 50. Eccli. 245. Iſa. 372. Thren. 15 Oſe. 49. Ion. 6. pœna eſt ſui. Prov. 247. Separat à Deo, muruſque, &c. Iſa. 763. ſeq. 780. Thren. 93. Ezech. 52. Hier. 19. ad 21. ejus malitia oritur ex averſione à Deo, & converſione ad creaturam. Hier. 25. Ideò reddit creaturas inimicas. Dan. 70. Aſſimilat diabolo. Machab. 79

Peccatum mortale maledictio, & excommunicatio eſt Dei, & maledictionem Dei affert. Sap. 45. 133. ſeq. Hier. 119. Zacch. 38. Machab. 6. Prævertit in malum quod Deus fecit in homum. Sap. 143. Fons eſt mortis, & hæc eſt ſtipendium ipſius Sap. 18. Mors eſt animæ. Sap. 130. Eccli 312. Dan. 117

Peccatum ejicit hominem extra conſortium ſalvandorum. Dan 46. Eſt ignis devorans, & deſtruens omnia bona. Eccli. 215. Prov. 551. 561 Dan. 18. Amos. 2. Iſa. 38. Mich. 25. ad 28. loca etiam, & terras fœdat & inficit. Hier. 342. Ioel. 24. Amos. 11. peccatum ſolo flatu inficit ut ſerpens. Eccli. 296. Eſt romphæa his acuta. Eccli. 298. Eſt nibil, & in nihilum redigens. Ecclen. 2. Ezech. 197. Replevit mundum ſpinis. Iſa 141. graviſſima, & mortalis infirmitas, & multiplex. Iſa. 15. peccati mortalis ſtrages in anima expenduntur. Eccli. 326. 472. Iſa. 27. 289. 557. Hier. 88. 137. 157. Thren. 23. 28. 104. 510. Baruc. 4. Prov. 439. Ion 6. 11. ponit animam in poſſeſſionem diaboli, & in ſtatu infernali. Iſa. 133. 249. 251. 290. Prov. 131. ad 133. ſervitus peccati quàm miſeranda. Ezech. 224. Eſt funis, quo homo trahitur ut beſtia. Prov. 18. 837. Ezech. 49

Peccatum mortale ſtercus eſt diaboli. Hier. 158. In hoc ſtercore jacet homo ut beſtia. Hier. 287. Joel. 8. Tradi in poſſeſſionem peccati quale malum. Ezec. 224. peccata publica quales ſtrages locorum afferunt. Iſa. 16. 54. 288. 552 Hier. 81. Thren. 57. Ezech. 64. ſeq. peccata afferunt ſterilitates, peſtes, aliaque mala. Iſa. 325. Hier. 48. 140. 292 200. 226. Thren. 57. Ezech. 311. 148. Dan. 80. Oſe 20. Amos. 20. 41. Prov. 640. Mel miſericordiæ divinæ convertunt in fel ſeveritatis. Iſa. 368. ejus damna poſt mortem expenduntur. Iſa. 417. Ezech. 166. Excæcat animam. Eccli. 157. Iſa. 567. Ezech. 193. Mich. 36. Eſt vallis, & ſepulchrum cadaverum. Hier. 340. clamor eſt grandis ad aures Dei. Thren. 63. Ion. 3. Obtruncat vitam juvenibus. Prov. 40. ejus delectatio amariſſima. Prov. 55. ad 57. Amos. 28. Dives omnium malorum theſaurus eſt. Prov. 294. Ezech. 48. inficit animam, & corpus. Prov. 551. ſtultitia mira eſt. Prov. 712 Oſe. 58. Ecclen. 10. Vas exterminationis, quod quiſque portat in manu ſua. Ezech. 81. Ignis eſt inferni. Ezech. 195. ſeq.

Peccata ſpiritualia pernicioſiora corporalibus. Naum. 13. peccati onus graviſſimum. Zacch. 24. peccatum omne ex ſuperbia oritur. Mal. 32. per quæ quis peccat per hæc & punitur. Sap. 123 ad 125. Hier. 508. peccatum peccatis addere quàm malum. Iſa. 83. reddit vacua opera bona. Hier. 58. in peccatis datur menſura à Deo præfinita. Amos. 33. & 36 Zacch. 15

Peccata venialia, & levia ſedulo cavenda ob peſſimos affectus, &c. Eccli. 267. 311. 209. Prov. 185. ſunt vulpeculæ devaſtantes vineam animæ. Cant. 117. Portant ad gravia. Thren. 313. Ezech. 75. Ab ipſis maximè Religioſi cavere debent. Iſa. 123. Cant. 93

Peccati remiſſio eſt à Chriſto ut Deus, & homo eſt. Iſa. 577. cum humilitate, & ſine præſumptione petenda, & expectanda. Eccli. 63. Cant. 833. Joel. n. 1. Nullum impunitum remanet. Eccli. 227. Cur pro uno mortali à SS. Cann. ſeptennis pœnitentia impoſita. Ezech 54

Pecunia obediunt omnia. Ecclen. 89. non poteſt ſatiare animam Ecclen. 55

Pentecoſtes myſteria expenduntur. Hier. 25

Perditio venit ex nobis; ſalus à Deo. Oſe. 18. perdere temporalia pro Chriſto eſt ipſa invenire. Machab. 96

Peregrinatia eſt vita hominis. Eccli. 824. Peregrinatio

natio ſpiritualis ſuadetur; & etiam corporalis ad loca ſacra. Zaech. 41. Ecclen. 7

Perfectio de virtute in virtutem cuilibet ſuadetur. Eccli. 67. 83. 356. ſeq. Cant. 263. Iſa. 40. ſeq. 425. Baruc. 25. Triplex via, purgativa, illuminativa, & unitiva. Thren. 11. ſeq. Prov. 565. 568. Facilis, & dulcis, eſt Prov. 111. 116. ad 118. 121. in via perfectionis alii roborantur, alii laſſantur. Eccli. 557. in hoc itinere quò quis magis ſatiatur, eò amplius, eſurit feliciter: Eccli. 359. Nunquam quieſcendum. Eccli. 482. 541. Deponendæ ſordes malorum habituum, Thren. 17. perfectionis viæ à paucis calcantur. Thren. 31. ipſas arripiens, poſteà deſerens à diabolo deridetur. Thren. 15. Prov. 565. 568. Dan. 10. Eccli. 287. ordo, & gradus perfectionis expenduntur. Cant. 297. Hier. 309. Ezech. 454

Perfectionis iter exigit tranſitum ab activa ad contemplativam, & è converſo ſecundùm opportunitatem. Ezech 15. Undè vel eundo, vel revertendo, vel ſtando, ſemper juſtus procedit ulterius. Ezech. 15. 16. Oſe. 20. in hoc itinere non quieſcere eſt quieſcere, & quieſcere eſt laborare. Iſa 41. Prov. 723. perfectio Chriſtianorum qualis. Oſe. 19. perfecti ſunt numero minores in Eccleſia imperfectis. Cant. 154. Maximè perfectio elucet in tribulationibus. Machab. 100

Periculum qui amat peribit in illo. Prov. 550. Eccli. 174

Perjurii peccatum quàm grave ſcelus. Prov. 587. 741

Perſecutiones juſtis illatæ non verbera, ſed verba reputantur. Zaech. 15. perſecutiones ſunt propriæ iniquorum in innocentes Sap. 155. A Deo ſeverè puniuntur. Prov. 862. perſecutiones fugere, aliquando juſtis licitum. Zaech. 9. perſecutiones ſunt claves, quibus aperitur Dei porta miſericordiæ. Machab. 86

Perſeverantia in via perfectionis neceſſaria abſolutè. Eccli. 67. 160. ſeq. Iſa. 261. Dan 41. Mich. 33

Perſonarum acceptio Deo exoſa. Prov. 988. V. Acceptio, &c.

Pedibus diſcalceatis incedebant Chriſtus, & Apoſtoli. Iſa. 286

Proceſſiones nudis pedibus ſuadentur. Iſa 286

Pedum ſordes lavandæ à ſequentibus Chriſtum. Thren 17

Petri Apoſtoli electio, & aliorum Apoſtolorum expenditur. Agg 16. Petro Apoſtolo poteſtas tradita expenditur. Iſa. 346

Phares, Mane, & Thecel ad funeſtam mortem peccatoris applicatur. Dan. 58

Phariſæorum, & Scribarum origo, eorúmque profeſſio qualis. Iſa. 154

Phyſonomia corporis ſignum fallax inclinationum internarum. Eccli. 144 278

Pictor ſit quiſque diſcipulus Chriſti. Eccli. 533. ad 531. Pictura viva Chriſti Eccleſia. Eccli. 536

Pietatis donum Spiritus Sancti, ejuſque effectus expenduntur. Prov. 119

Piger vult, & non vult, & pigritiæ effectus quales. Prov 403. ſeq. Ecclen. 83. Quàm noxia in Dei ſervitio. Prov. 599. 656. 674. 724. 759. ſeq. 786

Pila Dæmonum, quâ inter ſe ludunt, ſunt peccatores. Soph. 6. Iſa. 306

Piſcatores Chriſti, & diaboli quales. Iſa. 156. 237. 278 Hier 230. Abac. 18

Piſces Chriſti, & diaboli quinam, & eorum locus. Ezech. 267

Piſces grandes comedunt in mari hujus mundi, & devorant parvos. Abac. 10

Pithonis qui. Iſa. 159

Planctus Chriſti, & Mariæ nos invitat ad imitationem. Hier. 111. ſeq.

Pluvia ſpiritualis, & temporalis tempore ariditatis à Deo petenda. Zacch. 51

Pœnæ hujus vitæ non ſunt condignæ gloriæ. Iſa. 703. Sap. 36

Pœna peccatorum oppreſſiva ablata eſt à Chriſto, non verò promotiva. Iſa. 683

Pœnitentia alia vera, alia falſa, & ficta; prima eſt ſalvandorum, ſecunda eſt veluti damnatorum. Iſa. 221. 239. Eccli. 485. Hier. 133. 215. ſeq. Sap. 61. Machab. 108. Pœnitentia vera alia eſt virtus, alia ſacramentalis; prima ad ſecundam debet præcedere. Ezech. 140. ad 144. Eſt de dictamine naturæ. Iſa. 599. Ad veram pœnitentiam quænam conditiones exigantur. Eccli. n. 13. 2. 8. 83. 486. Iſa 512. Machab. 84. Ioel. 18. ad 21. Hier. 97. 110. 142. 146. 354. Prov. 28. 752. Ezech. 56. ſit perſeverans, & perpetua. Prov. 752. Ezech. 56

Pœnitens in ſeipſo, exerceat judicium, & ſe ipſum condemnet ad ſuſpendium. Iſa. 725. pœnitentia exterior cum interiori ſummè placet Deo. Prov. 27. Iſa. 300. ſeq. 489. Thren. 36. Ion. 24. ſeq. exterior ſine interiori nihil valet. Joel. 19. Ad pœnitentiam multipliciter invitat Chriſtus, & quocumque tempore, quam diabolus diſſuadet. Iſa. 302 487. Cant. 2. 272. ſeq. Ezec. 144. 110. 212. Zaech. 33. Pœnitentia noſtra unitatur cum pœnis Chriſti. Iſa 683. Ipſa ſola eſt, quæ placat Deum. Ezech. 110. ad 112. Ion. 4. 11. ſola nos liberat à manu juſtitiæ Dei. Eccli. 24

Pœnitentiæ neceſſitas expenditur. Iſa. 550. ſeq. Hierem. 290. Neceſſariò facienda vel in hac, vel in alia vita. Ezech. 155. ejus neceſſitas ad præparationem communionis Prov. 753

Pœnitentia eſt ſepes animæ & radix totius meriti. Eccli. 498. Hier. 138. Medicina efficax contra omnia mala. Eccli. 600. Hier. 55. Ion. 4. 22. ad 25. Baptiſmus perfectus. Iſa. 23. 71. 153. Hier. 64. 108 147. Invenit ſecurè Chriſtum. Iſa. 294. Ezech. 211. Facit aſcendere animam de profundo inferni ad Cœlum. Iſa. 441. 482. 506. præponitur ſæpè innocentibus. Iſa. 718. Hier. 51. pœnitentiæ amaritudo convertitur in dulcedinem cœleſtem. Iſa. 114. ſeq. Prov. 26. Affert gaudium in cœleſtibus Iſa. 623. Placat Deum. Hier. 64 253. Tollit erubeſcentiam, & infamiam peccatorum. Iſa 701. Eſt navis ducens ad portum Cœli. Iſa. 793 Prov. 892. Qualem ſanctificationem animæ portat Hier. 4. recuperat filiationem Dei. Hier. 316. Qualem felicitatem animæ confert. Hier. 319. 369. Ezech. 214. Tranſmutat hominem in cœleſtem. Proverb. 380. principium eſt vitæ novæ ſpiritualis. Ezech. 140. ſola poteſt extinguere ignem inferni. Ezech. 168. Neceſſaria ad remiſſionem peccatorum. Ezech. 141. ad 144. Ion. 11. 21. ad 24. Prov. 170

Pœnitentia eſt porta ſemper aperta ad gratiam. Ezech. 264. Vera Deum oblivíſci facit peccatorum, falſa recordationem inducit. Oſe 55. Jonæ prædicatio, & Ninivitarum pœnitentia expenditur ad mores. Jon. 4. 11. 21. ad 24 clamor pœnitentiæ pervenit ad aures Dei miſericordiæ, Machab. 10. Pœnitens poteſt reſurgere ad majorem gratiam illa, quam perdidit. Baruc. 28. Amos. 14. Pœnitentia non eſt differenda, quia talis dilatio eſt periculoſa. Eccli. 64. ſeq. 241. Iſa. 83. Hier. 350. Soph. n. 11

Pœnitentiæ propoſitum ſine executione maledictum Eccli. 48

Pompa veſtium quàm vana Eccli. 147

Pontifex V. *Papa.*

Porta omnium bonorum eſt Chriſtus. Hier. 116. Porta ad vitam, vel ad ſalutem eſt mors. Hier. 16. Porta, per quam intrat mors ad nos, ſunt ſenſus. Hier. 16. Naum. 16. Porta ad vitam ſemper pro hac vita aperta eſt pœnitentia, Ezech. 164

Potentes potenter tormenta ſuſtinebunt. Ezech. 107

Poteſtas præſidentiæ eſt à Deo. Ecclen. 83

Præcepta qualia diſpenſabilia, qualia non. Oſe. n. 1

Præceptorum Dei obſervantia ſacrificium Deo charum. Eccli. 444. Iſa. 606. ad 608. Prov. 61. ad 66. ſola meretur præmium vitæ æternæ. Iſa. 16. ſeq. Eccli. 458. præcepta ſunt aurea, ſi amantur, ſunt ferrea vincula, ſi timentur. Eccli. 84. præcepta Dei imprimenda in corde, & liganda in memoria. Iſa. 157. Peov. 63. Hier. 364. præcepta naturæ legis in quocumque ſtatu obligant. Eccli. 231. Prov. 21. eorum tranſgreſſio cauſa omnis interitus. Iſa. 67. Machab. 51. præceptorum Dei obſervantia ſuadetur, ejuſque fructus proponuntur. Prov. 61. ſeq. 98. 102. 521172. Cant. 300. præcepta legis veteris dicuntur non bona in comparatione novæ legis. Ezech. 147

Prædatores diaboli per Chriſtum prælati quinam. Iſa. 137. V. *Piſcator.*

Prædeſtinatio eſt ex prævifis meritis. Malach. num. 1

Prædicatorum munus expenditur. Eccli. 301. 194. Cant. 116. Eccli. 544. Iſa. 43. 121. 124. 152. 220. 414. 414. ſeq. 635. 801. Hier. 98. 107. 116. 214. 283. 385. 395. Prov. 262. 678. 751. Ezech. 46. 260. Dan. 110. Soph 8. Machab. n. 17. ad 19. prædicatores, & Doctores ſunt ubera Eccleſiæ. Cant. 185. Sap. 83. ſunt vox Chriſti clamantis. Iſa. 522. 743. Hier. 61. Ezech. 23. ſunt legati miſſi à Chriſto. Abdiæ. n. 1. Malach. 18

Peædicatores verbo Dei baptizant animas. Cant. 253. Prædicatio eſt potior munus in Eccleſia, & numquam defuit in mundo. Jon. 10

Prædicator à Chſiſto exeat, & ad ipſum redeat. Ecclen. 17. abjiciat affectum terrenorum. Eccli. 428. Thren. 21. Mich. 35. Copulent ſanctam vitam prædicationi. Eccli. 194. 307. 471. 557. Iſa. 43. 158. 534. Hier. 4. Ezech. 1. & 9. Prov. 374. 595. Ad ſolam ſalutem animarum reſpiciat. Prov. 135. ſeq. Ezech. 39. ad 41. 118

Prædicationis verbi Dei fructus expenduntur. Eccli. 401. Iſa. 140. 801. 849. prædicatio verbi Dei Eccleſiam vineam florentem reddit. Cant. 104. munit eam. Cant. 162. prædicator capera conetur vulpes. Cant. 135. ſeq. prædicator priùs diſcat, poſtea doceat. Eccli. 259. Ezech. 32. recipiat priùs in ſe rorem cœleſtem Cant. 216. Iſa. 151. a 10. Hier. 18. 121. Præcogitet quid dicandum Eccli. 307. Dan. 45. Ad orationem confugiat. Eccli. 341. ſe accommodet capacitati auditorum. Eccli. 449. Iſa. 451. 749. ſit gallus excitans à ſomno peccati. Hier. 314

Prædicatoris præmium grande. Eccli. 361. Hier. 227. Dan 108. Non prædicet, niſi mittatur à ſuperioribus. Iſa. 124. 131. Hier. 280. Ezech. 1. 29. Prædicatio in die judicii erit in teſtimonium contra reprobos. Iſa. 414. ſeq. Prædicatoris, munus eſt auferre ſpolia, diabolo. Iſa. 615. Prov. 729. item generare filios. Chriſto. Iſa. 718. Prædicatio veluti nova Incarnatio. Hier. 1. Prædicationem contemnere, & rejicere ſignum reprobationis, & maledictionis Dei. Iſa. 414. ſeq. Hier. 127. Ezech. 31. Prædicatores non curſitent per domos. Eccli. 307. Hier. 212. Tacentes, & non corrigentes ob fines terrenos à Deo puniuntur. Hier. 300. Oſe. 64. Prædicator vel eſt carbo ignitus per charitatem, vel niger per peccatum. Ezech. 14. Prædicator reddet rationem in judicio de verbi Dei prædicationis modo, & perditione animarum. Ezech. 32. 47. ſubjectum omnium concionum ei exhibetur. Ezech. 260. Joel. 14. Prædicatori aliquando aufertur Spiritus prædicandi ob demerita auditorum. Amos. 39. ſeq.

Prælatura quàm neceſſaria in recta diſpoſitione mundi. Sap. 105. Prov. 348. 799. Prælatorum, & Principum munera, & obligationes expenduntur. Sap. 3. Eccli. 47. 57 59. 103. 130. 446 ad 448. 466. 508. Iſa. 15. 28. 30. 99. 291. 295. 444. 676. 815. Hier. 10. ſeq. 164. 206. 268. 272. Prov. 31. 145. ſeq. 531. 672. 873. Ezech. 185. 209. 115. Dan. 69 Zacch. 75. Machab. 16. ſeq. 28. 30. ſeq. 48. 61. 76. ad 80. 113. 124

Prælatis datur aſſiſtentia Angeli Cuſtodis, & alterius de ordine principatuum. Iſa. 447. ſint in ſe volubiles, ut ſubditos moveant Ezech. 19. debent eſſe lux illuminans ſe, & ſubditos. Iſa. 565. 778. ſunt fidejuſſores Deo pro ſubditis. Prov. 349. impatientia ipſorum peſtis eſt regiminis, ubi de patientiæ neceſſitate in regimine. Prov. 368. 441. 452. ſeq. 572. prælati in tempore calamitatum publicarum tenentur ſe opponere oratione &c. iræ Dei Hie. 189. Ezech. 103. Prælati miſceant cum juſtitia miſericordiam, & pietatem. Eccli. 485. 606. Hier. 178. Nec nimis auſteri, nec nimis indulgentes. Eccli. 571. Prov. 569. 651 Ezech. 216. Zacch. 57. Nimia auſteritas ruina populorum. Soph. 11. Prælati, & Principes indigent ſpeciali aſſiſtentia Dei, ideò magis ad ipſum confugere debent in oratione, quàm ſubditi. Sap. 82. Eccli. 132. 457. 459. Dan. 62. Tenentur ædificare Eccleſiam, & gignere Chriſto filios. Hier. 301

Prælati duriſſimo judicio Dei, pauperi miſericordiæ ſubjacebunt. Sap. 74. Iſa. 305. 307. Hier. 206. Amos. 8. Requiritur in eis virilitas, & conſtantia. Eccli. 57. 91. Prov. 914. Mich. 9. eorum mala exempla & crimina graviora, quàm ſubditorum. Eccli. 92. 133. Hier. 77. Deficientes à proprio munere ſunt caupones diaboli. Eccli. 391. eorum impatientia, & loquacitas quàm perniciosa. Eccli. 117. Qualis Prælatus, talea

ſubditi.Eccli.131.Iſa.12.322, Prov.16. Ezech. 206.Caveant à vanitate, & ambitione. Eccli. 149.ſunt milites cuſtodientes Eccleſiam.Cant. 141.ſeq. Iſa. 334. ſunt ſepes vineæ Eccleſiæ. Eccli. 499. ſunt figuli & tenentes aratrum in agro Dei. Eccli. 530. 540. Hier. 9. ſequent. qualitates eligendorum ad Prælaturam. Iſa.55. ad 57

Prælatorum digna proviſio, & electio eſt à Deo petenda.Eccli 132. Mala electio perniciosa, & eligentibus,& electo. Eccli.404.Iſa. 55. ad 57. Mala electio ſignum patens iræ Dei ſuper electis.Iſa.231. Thren. 20. Prov. 747. 750. Prius corrigant ſeipſos poſteà alios. Eccli. 430. ſint humiles, & affabiles. Eccli. 445. Ezech. 255. Caveant ab adulatoribus. Iſa.621.à pompa veſtium. Iſa 643. 663. Opprimentes ſubditos ſepelien ur ſepultura Aſini. Hier. 271. Medium teneant in regendo.Iſa.772. Prov. 167. 337. ad 339. 563. Prælatorum bonorum præmium grande. Eccli. 4 0. Malis eſt obediendum in his, quæ non ſunt contra Deum Hier. 298. Prælatorum malorum pœna imminens à Deo expenditur.Eccli. 568. Iſa.308. 307. 448. 4 3. 551

Prælati mali ſunt idola.Iſa.305. 366. Malè declinant in ſchola.Chriſti.Hier. 114. ex bonitate, vel malitia pendet ſalus, vel ruina Eccleſiæ, & Reipublicæ.Iſa.28 66.64.448.478.668.732. ſeq.81 .Hier.130.208.269.,87. 397 Thren. 8. 29.54.Prov.626.8 1.822.833 Ezech. 105.108. ſeq.158.ſeq.Naum.25. Machab.76. ad 80. 89. prælaturam ambiens punitur à Deo, ut Lucifer,Iſa.247.Hier.67.Machab.48. eis imputantur peccata ſubditorum. Ezech.209.Ignorantia in prælatis quàm noxia. Hier. 76. prælatus ſit agnus in propriis injuriis, & Leo in injuriis contra Deum. Hier. 183. ſcandaloſus attrahit flagella publica locis.Hier.291.Prov.38. Ezec. 108.Conſulem ſe cum aliis,& ſubditis.Prov.6. 757. Deo ipſi priùs obediant.ſi volunt ſubditos obedientes.Prov.731

Prælati quærentes quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti, Deo abominabiles.Ezech.215.Avaritia eorum incuſatur. Ezec.218.Zacch.56. Machab.4. eorum pietas qualis in infirmos corpore,& ſpiritu. Ezech. 217. Viſi ent oves ſuas. Ezech.2 22.247. ſint Angeli cuſtodes ſuorum. Dan 69 Abac.15. Machab. 111. eorum zelus qualis in ſalute animarum. Ezech.51.219. 221. ſeq.ſint patres ſubditorum.Zacch.1.A Deo vocatus felix;à propria ambitione infelix.Oſe.50. ſint Cœli toridi. Zacch. 29. prælatus ſit vitis frondoſa; & ſimul fructifera.Oſe 66. ſit ſuſtentaculum Eccleſiæ. Zacch. 54. Negligentia ipſorum damnatur. Zacch. 1. prælati benigni in munera offerentes, & duri in alios,Deo exoſi. Mich 8

Præmium æternum expectant juſti, temporale impii.Malach.n.31.V.Opus. V. Gloria.V. Beatitudo.

Præſciti aſportantur ad infernum capite ad terram verſo,& manibus ligatis,ſicut gallus gallinaceus.Eccli.306

Præſentiæ Dei, exercitium ſuadetur multipliciter,quàm neceſſarium, utile, & facilè volenti tendere ad perfectionem. Eccli.198. 318. ſeq. Iſa.646.Baruc.17.Prov.67.464.Mich. 23. Hier. 281. Contra hoc exercitium maximè pugnat diabolus.Prov.181

Præſepe Chriſti lectulus cuſtoditus ab Angelis. Cant.145

Præſervatio à peccatis maximum Dei beneficium. Eccli.491

Principum poteſtas à Deo ordinata ad rectam diſpoſitionem mundi. Sap.105 Prov.348 Ecclen. 83. Invecta eſt in mundo propter peccatum. Prov. 799. Mali aliquando dantur à Deo ob peccata ſubditorum. Oſe. 89. principes ſint humiles. Hier.2 4 ſeq ordinent ſuum regimen ad ſalutem animarum ſubditorum. Prov. 386. eorum gloria, & ignominia in quibuſnam conſiſtit. Prov. 451. Veri rectè gubernantes à Deo honorati, mali deſpecti. Prov. 590. ſeq. Ipſorum munus in ſubditos quale. Prov.795. 797. principis munus eſt punire delicta cum moderatione, Prov.629. 632. Nec ſint nimis ſeveri.Prov.874. & oppreſſos ſublevare. Prov. 632.eis neceſſaria eſt prudentia. Prov.820. Ipſorum amor contrahatur probitate vitæ, non malis operibus.Prov.672

Principes impii legibus injuſtis, & nimium oneroſis aggravant ſubditos. Iſa. 183. eorum violentia in ſubditos grande malum. 818. Cum iis quali cautela loquendum. Eccli. 179. principum vita brevis ob peccata, & injuſtitias. Prov. 800. principum iniquorum ſtatus peſſimus.Prov.839 eorum mala vita, & ſcandaloſa ruina locorum, & Eccleſiæ. Dan.112. Oſe. 28.44

Principes excoriantes, & ſugentes viſcera ſubditorum tributis injuſtis,& nimis oneroſis,ſubjecti iræ Dei. Mich.6. princeps puer Deo exoſus quis. Ecclen.87.ſint nutritii Eccleſiæ lactantes ipſam bonis terrenis. Iſa. 632. Ditantes ſe ex ruina ſubditorum ſubjecti ruinæ, & flagellis Dei.Hier.2 0.ſeq.

Prophanatio rerum ſacrarum Deo quàm exoſa. Dan.56

Prophetiæ auctoritas Hieremiæ quanta.Hier. Præfat.& n.1

Prophetia de 70. hebdomadibus de Chriſti adventu expenditur.Dan.93

Promiſſiones Dei infallibiles. Iſa.704. 719

Promittens Deo, & non obſervans ab ipſo deridetur. Prov.736

Proſperitatis impiorum effectus iræ Dei. Iſa. 732. Hier.191.399. ſunt veluti rota volubilis. Hier. 204.ſeq. Prov. 379. Quàm periculoſæ. Hier. 365 375. Oſe.63

Proximi dilectio à Deo præcepta quàm ipſi chara.Eccli.612.Thren.70.Prov.64.147.proximum male tractans quàm Deo exoſus. Eccli. 316. ejus vitia non detegenda. Eccli.273

Proximo qualis fueris, talis tibi erit Deus. Eccli. 407.proximo parans foveam, & ruinam cauſans,in ipſam juſto Dei judicio incidit, & à Deo ſeveriſſimè punitur.Ecclen.85. Eccli.116. 404. Hier.308. prov. 17. 21. proximi in ruina fabricans,fabricat ſibi excidium.Hier.270.ſeq. Ezech.137.proximi vitia obſervantes Deo exoſi.prov.717

Prudentia qualis virtus, ejus effectus. Sap. 73. prov.3.ſeq.80. 148. 1 4 416. 507.66 .ſeq.

Pſalmodia quare à Deo inſtituta in Eccleſia.Eccli. 626. Quàm Deo, & Angelis chara, & nobis utilis.

utilis. Cant. 332. ejus fructus, & effectus Hier. 320. Qualiter exercenda in choro. Hierem. 164

Puerorum vita prognoſticum eſt curſus totius vitæ. Sap. 103

Pueritia moralis in bonum quàm Deo chara. Iſa. 158. Dan 2. 28. Oſe. 65. Puer ſenex Deo exoſus. Sap. 135. Puer centum annorum maledictus à Deo. Iſa. 838. Puerorum inſtitutio quàm neceſſaria. Prov. 113. eorum ſervitium quàm Deo charum, & procurandum à Parentibus. Prov. 206

Punitio delictorum quàm neceſſaria in Republica, & Religionibus. Prov. 606. 929 649

Pugna neceſſaria ad coronam obtinendam. Sap. 214. Hier. 366

Pugna, & certamen pium inter Deum, & ſuos ſervos expenditur. Iſa. 739 Pugna inter Deum vocantem, & peccatorem recuſantem expenditur. Hier. 135

Pulchritudo animæ, & Eccleſiæ qualis. Cant. 48. 52. 160. ſeq.

Pulchritudo corporis an poſſit eſſe objectum ducendæ uxoris Prov. 445

Pulvinar cur ponitur ſub libro Evangeliorum. Cant. 307

Purgatorii fornax accenſa à juſtitia Dei ad purgandam ſcoriam, & pœnam peccatorum. Dan. 18. Relaxatio pœnæ damni, & ſenſus fit. Iſa. 520. Prov. 555. ejus ignis, & pœnarum acerbitas expenditur. Dan. 18. 54. 71. 128. Hier. 24. Iſa. 705. ſuffragium animabus ibi exiſtentibus ſuadetur. Iſa. 748. Hier. 70. Dan. 18. 128. Macha. 67. purgatorii pœnæ quomodo evadendæ. Hier. 103

Q

Q*Vadrageſimale* jejunium cur à Chriſto inſtitutum. Ion. 52

Qualis fueris cum Deo, talis erit tibi Deus. Ezec. 223. Dan. 88

Qualis fueris cum proximo, talis erit tibi Deus. Eccl. 407. Iſa. 370 Prov. 37. Amos. 2. 29. 35. Machab. 386. Ioel. 36. Abdiæ. n. 4. Mich. 30

Non quantum, ſed ex quanto Deus reſpicit noſtra vota. Eccli. 583

Quatuor temporum jejunium cur inſtitutum, & quomodo obſervandum. Zacch. 40.

Quærendus eſt Chriſtus Medicus ad ſanitatem, & vitam. Amos. 16. ſeq.

Quærunt alii Chriſtum benè, alii malè. Iſa. 435. Alii quærunt Jeſum propter Jeſum, alii propter bona temporalia; & hoc eſt quærendo Jeſum perdere ipſum Jeſum. Oſe. 29. 54

Qualiter quærere, & invenire poſſit homo Chriſtum. Iſa. 713. Hier. 186

Quies bona, & quies mala, & vitioſa qualis. Iſa. 716

R

R*Apina* quale vitium, quàm Deo exoſum. Iſa. 806. Rapina eſt ignis devorans omnia bona raptoris. Mich. 3. ſeq. 10. 14. 30. Abac. 22

Recidivantium ſtatus peſſimus Iſa. 161

Rectitudo qualis exigitur in Dei ſervitio. Iſa. 579. Recti diligentes Deum quinam ſint. Cant. 18. Rectum non eſt rectum, niſi rectè fiat. Zacch. 34

Redemptio Chriſti. V. Chriſti Adventus.

Redemptio captivorum opus eſt Deo ſummè charum. Machab. 74

Regeneratio ſpiritualis animæ qualiter fiat. Ecclen. 9

Regia alia vivorum, alia mortuorum. Ecclen. 164

Regularis ſilentii fructus exprimitur. Iſa. 450. ſeq. V. Silentium.

Religiones à Chriſto per ſanctos fundatæ ſunt tempore neceſſitatum majorum Eccleſiæ, maximè in graſſantibus hæreſibus. Machab. 49.

Mendicantes à Chriſto inſtitutæ in auxilium Paſchorum. Oſe. 23

Religio eſt Paradiſus. Hier. 22. Cœlum ornatum ſtellis. Eccli. 236 Iſa. 841 Hier. 71. Vinea, florens Eccleſiæ ſi ſit obſervans. Cant. 105. Hier. 32. domus diſciplinæ. Eccli. 610. hortus concluſus. Cant. 193. Thren. 48. tabernaculum Chriſti, & quomodo diſſipatur. Hier. 176 palæſtra, & ſchola virtutum, luduſque ſanctus Hier. 310. Machab. 10. deſertum, in quo Chriſtus habitat. Hier. 48. Mons Iſrael. Ezech. 516 Religioſus bonus eſt thronus, in quo Chriſtus ſedet. Dan 77. Eſt aurum pretioſum. Thren. 103. 110. 114. religiones ſunt naves bellicæ à Chriſto ordinatæ ad bellandum. Machab. 62. Via ſecura ducens ad Cœlum Religio. Hier. 100. Religio ſponſa eſt Religioſorum, idcò amanda. Prov. 138

Religioſorum ornamentum eſt obedientia. Cant. 39. Machab. 61. ſint Angeli veloces ad obediendum. Iſa. 265. opera bona inficiuntur per voluntatem propriam. Iſa. 746. paupertatis voti obſervantia quàm neceſſaria, & qua ablata ſtatim graſſantur omnia vitia. Machab. 11 Caſtitas qualiter obſervanda. Cant. 192. Votorum obſervantia ſuadetur. Prov. 151. ſeq. Agg. 4. Flere debent propria, & aliena peccata. Thren. 5. Communis vita quàm ſedulo obſervanda. Ecclen. 46. collationes ſpirituales frequententur. Prov. 787. Noviciorum inſtitutio maximè in mortificationibus qualis. Prov. 843. ſeq. progreſſus per iter perfectionis de virtute in virtutem expenditur. Cant. 158. Iſa. 4. 8 417. Ezech. 231. Si volunt ſemper habere feſtum, numquàm feſtum habeant. Machab. 20. eorum vita qualis eſſe debeat. Hier. 101

Religioſi cum ſæcularibus exerceant officium Seraphim. Iſa. 121. in tractandis ſacris qualis pietas. Iſa. 121. ſeq. Obſervantia diſciplinæ religioſæ conſtitutionum quàm neceſſaria. Iſa. 683. Prov. 310. 467. etiam in minimis. Prov. 560. Eccli. 267. Iſa. 768 ſint Seraphim ſtantes, & volantes ad Deum. Hier. 101. Iſa. 265 rectas faciant ſemitas Dei. Iſa. 525. Ad gloriam ſolam Dei aſpiciant in operibus tam propriis, quàm aliorum extraneorum. Iſa. 166. eorum exercitium ſit meditatio, & oratio, & lectio ſacra. Hier. 102. 122. 377. Amplectantur ſedulò inſpirationes divinas. Abac. 15. Religioſus vel bonus bonus, vel malus malus. Hier. 284. Bonus quàm pulcher apud Deum. Thren. 109. Qualis ordo in miniſtrandis officiis, & exteriori diſciplina in Religione. Hier. 309. Ezec. 2, 8. Oſe. 70.

Machab.

Machab. 114. in menſa lectio ſacra adhibeatur. Dan. 53. Eccli. 436

Religioſa mulier qualis eſſe debeat. Prov. 930 omnes actiones Religioſorum ordinentor ad unionem cum Deo. Ezech. 254. Cuſtodia ſenſuum ſuadetur. Dan. 124. Eccli. 3.8. Correctio defectuum neceſſaria. Eccli. 397. Religioſorum nimia multiplicatio quàm noxia, & quali cauteiâ recipiendi ſunt Novitii. Eccli. 394. Iſa. 165. Oſe. 54. Religioſus caveat redire ad vomitum terrenorum. Cant. 220. à converſatione ſæcularium. Sap. 101. A malorum ſocietate. Eccli. 269. Iſa. 44. Ab evagatione oculorum. Eccl. 308. Non poteſt invenire Chriſtum inter cognatos, & notos. Cant. 23. ſub ſpecie ſolitudinis, & contemplationis non omittat actus charitatis in proximum. Cant. 250. Religioſus vel eſt ſol, vel lunaticus. Eccli. 403. ſunt libri, in quibus laici legunt vel benè, vel malè, ubi de exemplo, &c. Iſa. 471

Religioſorum deſerentium ſuam profeſſionem infelicitas expenditur. Iſa. 318. 409. 412. Hier. 22. Religioſi deceptio ſe gloriantis tantùm de externa virtute expenditur. Iſa. 594. Hier. 23. 119. ſeq. 180. 131. Religioſorum deceptio quanta in ædificiorum ſuperfluorum ædificatione. Iſa. 626. Peccata publica ipſorum ſunt ruina locorum. Hier. 116. 130. Ezech. 63. 228. Machab. 7

Religioſus pluribus coloribus indutus à Deo reprobatus. Hier. 597. ipſorum arrogantia quàm abominabilis apud Deum, & homines. Hier. 383. Religioſi mali ſunt cibus delicatus diaboli. Abac. 12. lugere faciunt Eccleſiam Dei. Thren. 51. 40. Prov. 290. ex horto deliciarum tranſmutantur in deſertum ſpinis plenum. Thren. 48. redduntur contemptibiles apud Deum, & homines. Thren. 103. 110. 514. Prov. 250. Ipſorum negotiationes corporales, temporales, & ſpirituales malæ damnantur. Ezech. 191. Religioſi relinquentes ſtudium ſapientiæ cœleſtis pro vanis, & terrenis quàm decepti, & miſeri. Oſe. 21. Thren. 11. Abominabiliores redduntur ipſis malis ſæcularibus. Oſe. 53. Deſidioſi ſubjecti tentationibus diaboli. Machab. 19. Ezech. 172. Cur Deus permittit malos vivere inter bonos. Machab. 5. Quàm pernicioſa converſatio ſæcularium. Machab. 9. Ezech. 172. Prov. 355. Hier. 376. Quàm Deo exoſi, qui Deo ſimul, & mundo ſervire volunt. Soph. n. 2

Religionum ruina, & deſtructio eſt omiſſio orationis. Mich. 2. Item gulæ vitium, & luxuriæ. Prov. 758. Item diſcordia, & invidia. Thren. 42. Religionis relaxatæ miſeriæ expenduntur. Soph. 10. Iſa. 296. Benè incipientes, & poſteà retrocedentes deridentur à Dæmonibus. Thren. 25. Prov. 151. ſeq. 755. Hier. 212. Qualis confuſio Religioſi, qui in perfectione, & zelo ſuperatur à ſæcularibus Iſa. 9. 318. 409. otioſi, & tepidi ſunt peſtis Religionis. Eccli. 306. 311. otioſitas ipſorum ad ignem quàm periculoſa. Hier. 354. Caveant, ne vitii pallio tegant virtutem, & virtutis pallio tegant vitium. Iſa. 87

Religioſorum bonorum, & malorum quale diſcrimen. Prov. 467

Religionum Prælati ſint Seraphim ſex alis prædití. Iſa. 99. ſunt & muri, & turres ipſarum. Iſa. 814. Machab. 65. ſtrictiùs ſæcularibus judicabuntur à Chriſto. Hier. 164. Religioſis, & Religionibus detrahentes ſeveriſſimè à Deo puniuntur. Ezech. 22. Religioſi inter ſe aliquando diſſentiunt ſine culpa, imò cum merito. Dan. 104. Religioſorum tonſura cur majus illa Eccleſiaſticorum. Hier. 129

Reliquiæ expoſitæ in cuſtodiis ſunt columbæ volantes in feneſtras in noſtrum auxilium. Iſa. 792. Reliquiarum ſanctarum tranſlatio quàm pium opus Baruc. 7. Reliquiæ ſacræ ſunt pœnitentes converſi ad Chriſtum. Mich. 16

Remiſſio injuriarum quàm excellens opus Deo charum. Eccli. 406

Renuntiatio temporalium pro Chriſto actus eſt maximæ fortitudinis. Machab. 116

Reprobatio præſcitorum eſt à Deo, ex prævisis demeritis. Malach. 1

Requies virtuoſa, & vitioſa qualis. Iſa. 716

Res temporales augens cum proximi damno, quærit, & invenit ſibi ruinam. Iſa. 455

Reſurrectio mortuorum expenditur. Ezech. 173. 235

Retia Chriſti, & retia diaboli qualia. Ezech. 203. Thren. 27

Retrorſum incedunt impii, antrorſum juſti. Hier. 116

Revelationibus non eſt leviter credendum. Eccli. 270

Regnum quale paratum à Chriſto ſuis electis. Sap. 71. Regnum Chriſti in Eccleſia quale. Dan. 13. Regnum Chriſti quàm ſtabile, mundi quàm vanum. Agg. 15. regnorum tranſlatio, & deſtructio à ſolo Deo eſt. Dan. 8

Rex & princeps per ſe, & non per alios regat populos. Iſa. 617

Rex quilibet homo debet eſſe judicans, & bellum gerens. Iſa 616

Riſus in hac vita fletum cauſat in alia. Prov. 326. ſeq.

Ritus Eccleſiaſticus, de pulvinari ſub libro Evangeliorum in Altari, & de repetitione Introitus in Miſſa, & de inſtitutione horarum canonicarum expenditur. Cant. 307. Iſa. 822. ſeq.

Romæ dominium datum eſt Petro à Chriſto. Iſa. 346

Ros cœleſtis, eſt Chriſtus ejuſque doctrina. Iſa. 386. ad 588

Roſæ Eccleſiæ non ſolùm florem, ſed & fructum emittunt. Eccli. 548. ſeq.

De Roſario Mariæ Virginis aliqua myſteria expenduntur. Iſa. 549

Rota peccatorum, & mundi qualis, quàm volubilis. Eccli 462. Hier. 204. ſeq. Ezech. 57

Rota in medio rotæ eſt Teſtamentum vetus in novo. Ezech. 16

S

S*Abbathum* quare dicatum Mariæ Virgini. Prov. 907

Sacrarum rerum prophanatio quàm Deo diſpliceat. Dan. 56

Sacerdotii Judaici tranſlatio ad Evangelicum expenditur. Iſa. 509

Sacerdotii Evangelici dignitas, clavis, & aliæ qualitates, & excellentiæ expenduntur. Claves quales. Iſa. 310 ad 314. ſunt cœli extenſi. Iſa. 530. ſunt Angeli cuſtodes viſibiles deputati ad cuſtodiam, & regimen populorum. Malach. 13. ſunt

ſunt Chriſti coadjutores ad gerenda prælia Domini.Machab.30.ſeq.

Sacerdotum munus quale.Ezech. 46.repleantur ſpiritu,& devotione pro ſe,& aliis. Hier. 321. debent ſuſtentare o bem terrarum. Eccli. 160. In oblatione ſacrificii quomodo ſe gerere debent.Eccli.617.641. Ez ch. 242.Iſa. 122. ſeq. Malach.4.11.ſeq. Tonſuræ myſteria explicantur. Hier.129.Mali ton'uram, & raſuram pilorum ordinant in dedecus Eccleſiæ.Ezech.62

Sacerdotum peccata maximè publica, ruina Eccleſiæ,populorum,& locorum. Ezech.156.ſeq. Hier.255.106.120.130.Dan. 112. Oſe.23. Machab.72. Sacerdotum mala vita, & cupiditas quàm Deo abominabilis.Hier.23 130.180. 231. Oſe.28.41. Iſa.315.Ezech 62.78. 261. Malach. 5.9.ſeq.14.In judicio ipſi priùs, & ſtrictius ſæcularibus judicabuntur. Hier. 164. ſacerdotes Judæi fuerunt primi perſecutores Chriſti. Hier.291

Sacramentorum Legalium, & legis Evangelicæ diſcrimen expenditur.Iſa.14. & 19. Sacramentorum legalium inefficacia, & efficacia Evangelicorum qualis. Iſa. ibid..& 656. ſacramenta Evangelica medicamenta ſunt contra omnem morbum hominum.Iſa 14.809 Eccli. 514. ſunt oculi Chriſto vivificati ab ipſo Zacch. 18.ſeq ſunt memoralia Paſſionis,& charitatis. Chriſti. Eccli.634. Qualis veneratio eis debeatur. Iſa. 216. ſacramentum extremæ unctionis quales effectus in anima, & corpore producat. Prov.550

Sacrificia, & oblationes Deo charæ quales conditiones exigunt. Prov.6 9. priùs offerantur in corde,quàm in Altari.Iſa 20

Sacrificium Deo charum qualis eleemoſyna. Pro. 637.641.657. & quale ſacrificium ejus, qui ſua Deo offert,& ſeipſum tradit diabolo.Prov.658. Sacrificium Deo charum obſervantia mandatorum Dei,& pœnitentia. Eccli.484. Mich.19

Sagitta vulnerans ſine vulnere,Chriſtus.Iſa. 613. Hier.73.155

Sagittæ diaboli quales.Hier.155.73

Saltus juſtorum qualis.Malach.95. ſaltatrices diaboli damnantur. Eccli. 122

Salus propria ſuper omnia alia curanda, deindè ſalus aliorum. Prov. 97. ſalus propria non in meritis aliorum, ſed in propriis innitenda. Zacch 32. plus animæ, quàm corporis curanda. Ezech.134. ſalus noſtra à Deo, perditio à nobis venit.Oſe.88

Salvandorum triplex ordo deſcribitur.Ezech.113

Sanctificatio in utero Mariæ Virginis, Hieremiæ, & Joannis Baptiſtæ qualiter differant. Hier.n. 2. ad 4. ſanctificatio per baptiſmum qualis. Hier. 4. ſanctificatio ſpiritualis animæ à Deo exigitur in nobis. Hier.4

Sanctorum veteris, & novi teſtamenti quale diſcrimen. Iſa.789

Sancti ſunt thronus cryſtallinus Dei. Ezech. 25. Prov.731. A nobis laudandi.Eccli. 605.610. A Deo multipliciter magnificati.Eccli.613.eorum arma aurea, & aureola qualis. Eccli. 616. Sancti ſunt muri, & turres locorum. Thren. 53. Iſa.343. Eccli.506. eorum interceſſio, & preces quàm utiles & neceſſariæ locis, & perſonis. Hier.213. Iſa.491. Hier.74. 123. Prov. 165. ſancti à contemplatione ad actionem pro Dei gloria tranſeunt. Eccli. 657. in bello viventes ſepeliuntur in pace.Eccli.609.ipſorum memoria eſt perpetua, iniquorum delecta. Eccli.609. Cur de quolibet ſancto dicitur non eſt inventus ſimilis illi,&c. & multæ filiæ congregaverunt,&c.Eccli.611

Sanctorum charitas in Eccleſiam, & loca ſibi commiſſa qualis.Hier.277

Sanctorum virtutes potiores expenduntur. Eccli. 618. ſunt vaſa aurea, & ſolida gratiæ. Eccli. 640. ſanctis qualis eleemoſyna à nobis facienda.Iſa.752. Sancti ſunt ſtellæ nos illuminantes. Baruc.21

Sancti, & eorum reliquiæ ſunt nubes volantes, & columbæ ſuper nos. Iſa.792.Sanctorum Reliquiarum tranſlatio quàm ſancta Baruc.7.& 21 ſancti ſunt ſcripti in libro vitæ; impii in libro mortis. Iſa.835. ſanctitas ſola meretur laudes. Prov. 3 8. Sanctitas corporea qualis in Maria Virgine. Hier.3

Sancti Antonii interceſſio quàm efficax. Proverb. 50. In ſanctis quàm ſit mirabilis Deus. Dan.37 eorum innocentia reddit creaturas ſibi obedientes.Dan 30.In Cœlo ſunt corona Chriſti nobiliſſima.Dan.76.eorum feſtivitates celebrantur in Eccleſia ad excitandum nos ad imitationem. Machab. 21. ſanctorum Martyrum gloria expenditur. Machab.81. Apud ſanctos odibilis eſt vita non conducta in pœnitentia.& ſanctis operibus.Machab.87. ſanctorum devotio,& invocatio ſine bonis operibus ; & emendatione parum juvat.Ezech.112

Sandalia Chriſti,Apoſtolorum,& S.Franciſci expenduntur.Iſa.286.Hier.74

Sanguis Chriſti cur dicitur novi, & æterni teſtamenti.Zacch.49

Sanguine plenas manus habere quid ſit.Iſa.21.In ſanguine fabricare,quid ſit. Zacch.24

Sanitas inter bona corporalia aliis ſupereminet. Eccli.226

Sapientia Chriſtiana, & cœleſtis quid, & qualis. ejus ordo,& quale diſcrimen inter ipſam,& ſapientiam mundanam. Prov.42.ad 48.51.79.81. ad 84.87.90.109. 217. 241. 285. 547. 655. 663. ſeq.699.711.784.853.879. Sap. 86. Eccli. 214. 376.390.Hier.68.ſeq. Baruc. 14.19. Zacch. 43. Qui verè eſt ſapiens, ſibi eſt inſipiens. Prov. 655.Qui ſibi ſapiens eſt, verè inſipiens. Iſa.8 ; Zacch.43. ſapientia mundi vera inſipientia eſt. Hier.136.Iſtam præponere ſapientiæ Chriſtianæ quàm malum.Thren.11. ſeq. ſapiens habet oculos in capite, ſtultus in finibus terræ. Ecclen.40.Prov.554 570

Sapientia donum ſpiritus ſancti, & cœleſtis non poteſt haberi ſine Deo. Prov. 665. ſeq. ſolùm addiſcitur in ſchola diſciplinæ,& Chriſti,edocetque benignitatem,obedientiam, &c. Sap.8. ſeq.86.ſeq Eccli.1. 2.4. ſolis pueris communicatur.Eccli.330

Sapientia cœleſtis,& incarnatio nobis attulit omnia bona.Sap.89 Eccli.353 Prov.427. Qualis in ſenibus, Prælatis,& Presbyteris requiritur.Eccli.375.Sapere ad ſobrietatem quid ſit.Pro.738

Saturitas animæ alia bona,alia mala.Iſa.712

Scandali peccatum quàm grave, & exoſum Deo. Iſa. 8. 82.411.Ezech.30. ſeveriſſimè à Deo punitur.Iſa.381. ſcandaloſi lingua peſſima.Eccli. 411.ſeq.ſcandalizans proximum ipſum Chriſto

furatur, & tradit diabolo. Eccli. 481. Iſa. 82. ſcandaloſi ſunt auxiliarii diaboli, Venatores, latrones. & graſſatores viarum. Iſa. 82. Hier. 47. 79. Machab. 4. Ezech. 145. 156. 163. Prov. 179. Thren. 96. ob ſcandala, & maximè ſacerdotum puniuntur civitates flagellis publicis. Hier. 85. 255. Oſe. 28. Ezech. 156. ſeq. Ad evitandum ſcandalum qualia opera vitanda. Machab. 94

Schola Chriſti priùs docet operari. poſteà intelligere. Iſa. 4. 138. Baruc. 11. Prov. 590. ſeq. Hier. 160. ſchola Chriſti. eſt ſchola tribulationum. Hier. 89. 154. ſchola diaboli docet avaritiam, & omnia mala. Hier. 95. 154. ſchola doctrinæ Chriſtianæ frequentanda. Prov. 541. ſchola tribulationis quàm felix. Hier. 101

Scientia divina; & humana qualiter differant. Ecclen. 27. Baruc. 14. ſcientiæ practicæ morales præcellunt ſpeculativas. Ecclen. 33. ſcientia Sanctorum qualis ſit. Sapien. 112. 117. Eccli. 38. ſeq. 42. 87. Oſe 21. ſcientia animæ qualis. Prov. 581. Ezech. 149. Scientias mundanas ſectantes, divinas contemnentes reprobantur à Deo. Iſa 406. 437. Oſe. 21. ſcientiarum mundanarum ſine Deo fructus peſſimi exponuntur. Prov. 466. Hier. 396. ſeq. ſcientiæ omnes ad Deum deducere poſſunt animam. Iſa. 100

Scribarum, & Phariſeorum origo qualis. Eccl. 154

Sacra Scriptura continet vetus, & novum teſtamentum copulata ad invicem. Iſa. 101. Sacra Scriptura liber eſt grandis. Iſa. 147. Ezech. 37. Ejus ſenſus mirabiles expenduntur. Ezech. 5. Prov. 267. Cant. 22. Eccli. 250. Eſt epiſtola nobis in hoc exilio è Cœlo miſſa Machab. 68. Ipſius expoſitio qualia bona Eccleſiæ afferat. Iſa. 27. 210. 266. 803. Prov. 158. 725. Ecclen. 15. Can. 194. 251. Dan. 80

Sacræ ſcripturæ ſtudium ſuadetur. Ezech. 37. ſine Chriſto non poteſt exerceri. Iſa. 401. Prov. 309. Nihil ei addendum, vel detrahendum. Prov. 858. Quare dicitur lingua ſanctæ Machab. 91. Inter ſacram ſcripturam, & cæteras ſcientias diſcrimen quale. Prov. 394. Hier. 165. ſeq. 171. ad 173. Sap. 136. Cæteræ omnes ſcientiæ dependent quoad veritatem à Sacra Scriptura. Eccli. 271. Verba ipſius qualem efficaciam contra diabolum habent. Prov. 856

Sacræ Scripturæ modeſtia in enarrando turpia mirabilis. Eccli. 615. Tota reſonat pœnam malis, gloriam bonis. Amos. 9. & 21

Scrupuloſi dicunt bonum malum, & malum bonum. Iſa. 86

Secreta non committenda mulieribus. Mich. 33. ſecretorum revelatio propria ſtultorum. Pro. 115

Sæculares invitantur ad domum diſciplinæ. Eccli. 649

Sedere à latere ſiniſtro, & dextero quid ſit. Iſa. 143

Semen jaciendum bonorum operum in hac vita pro alia, & quale ſeminaverit homo, hoc & metet. Ecclen. 93. Iſa. 554. 580. Hier. 60. Oſe. 17. Agg. 4. Prov. 356. 365. Eccli. 89. 374

Semita in Scriptura ſignificant conſilia Evangelica, propriaque ſunt Religioſorum. Iſa. 525. Hie. 103

Semitæ juſtorum ſunt ſine offendiculo. Iſa. 347

Senectus venerabilis, & vituperabilis qualis. Prov. 513. Sap. 53. 55. Eccli. 373. ſenectutis miſeriæ quales. Ecclen. 96

Senſuum cuſtodia ſuadetur. Prov. 125. Dan. 113. ſeq. 114 Naum. 16. Hier. 161. Eccli. 309

Senſualitas eſt ſerpens propinans lac mortis. Thren. 106

Senſualitatis dominium quàm pernicioſum animæ. Eccli. 378. ſubjicienda eſt rationi. Prov. 842. ſeq.

Septuageſima inſtitutio ejuſque myſteria enodantur. Hier. 302

Sepulchrum aliud materiale, aliud infernale, aliud cœleſte. Iſa. 213. Hier. 131. Sepulchrum Chriſti cor mundum. Iſa. 213

Sepultura peccatorum cum lapide ſuppoſito qualis. Thren. 97

Sepulturæ quare intra ſepta Eccleſiæ. Machab. 54

Sequela Chriſti, & mundi diſcrimen. Eccli. 322

Sectatores carnis, & diaboli infelices. Proverb. 175

Seraphim in noſtrum auxilium deſtinati. Iſa. 120. Myſticè ſunt juſti, & Religioſi. Iſa. 111. 121

Serpens mundus, diabolus, & caro nobis propinans venenum. Sap. 146

Servitus invecta eſt in mundum propter peccatum. Prov. 799

Servi alii ſunt Dei, alii diaboli, nec datur medium; fœlicitas qualis illorum, infœlicitas iſtorum. Can. 117. Iſa. 612. 677. 800. 836. 844

Servi Dei pauci veri. Eccli. 323. 326. ſervus Dei unus eſt homo, & quadruplex animal. Ezech. 6. Deflent miſerias mundanorum. Eccli. 297. In via Dei rectà incedunt, impii tortuosè. Iſa. 579. eorum miniſterium eſt in orando, colendo terram cordis, in ſeminando, & poſteà lachrymis rigando. Iſa. 580. Cadunt antè, impii retrò. Iſa. 582. Ezech. 23. pugnant piè cum Deo. Iſa. 739. volant ad Deum. Iſa. 790. Imitantur crucifixum extendendo brachia ad pœnitentiam, & orationem. Iſa. 832. habent pedes rectos; quadruplicem faciem, alas & manus, & pennas ſimul junctas. Ezech. 8. ad 12. Aliquando eis licet fugere perſecutiones. Zacch. 9. ſervitium Dei exigit ſollicitudinem. Prov. 684. eorum circumſpectio ad quatuor partes mundi qualis. Ezech. 18. radant pilos de capite. Ezech. 61. habeant oculos per totum corpus, & ſint filii dexteræ non ſiniſtræ. Ezech. 93. ſeq. Intrent continuò in vulnera Chriſti. Hier. 377. ſervus Dei eſt homo, homo, ſenſus diaboli homo beſtia. Ezech. 110. ſervi fideles remunerantur à Dominis; protervi corriguntur. Eccli. 469 Prov. 842

Sigillum SS. Trinitatis eſt anima noſtra. Ezec. 184. 187. Item Prælatus. 185. Item S. P. Franciſcus. Ezech. 186

Signum S. Crucis robur animæ, & victoriam de inimicis adjicit. Machab. 121. V. Crux. V. Chriſti Crux.

Signa tabernæ diaboli qualia, & ſigna domus Dei. Ezech. 120

Silentium aliud bonum, aliud vitioſum. Iſa. 527. Eccli. 280. ſeq.

Silentium regulare quale bonum, ejuſque fructus optimi expenduntur. Iſa. 450. ſeq. Eccl. 385. 451. ſeq. Prov. 319. ad 324. 557. 746. Hierem. 226. Thren. 87

Silentium Prædicatorum juſtorum, & contemplativorum

tivorum quale. Iſa. 327. 418. quàm neceſſarium mulieribus, & maximè Monialibus Eccli. 385: prima fractio ſilentii facta eſt à Lucifero in Cœlo Iſa. 245

Similitudo cauſa eſt amoris. Eccli. 181

Simplicitas coram Deo quale bonum; duplicitas quàm exoſa. Eccli. 310 343. 344. ſeq. 560. 822. 835. Simulatio. V. Simplicitas.

Synagoga deſolatio expenditur. Iſa. 830. Amos. 13.

Synderesis conſcientia eſt aquila ſemper volans: Ezech. 10

Sobrietas quàm neceſſaria ſervis Dei. Ezech. 58

Societas malorum quàm periculoſa, & ſedulo vitanda. Eccli. 116. 175. 269. Iſa. 44. 118. 527. Prov. 43. ſeq. 642. 694. Mich. 26. Machab. 8. 115. Ezec. 162. Hier. 376. Societas malorum hominum fert ſecum ſocietatem Dæmonum. Iſa. 269. etiam in inferno pernicioſiſſima. Iſa. 230. cavenda maximè in Religionibus. Iſa. 44. Societatem malorum habere, & eſſe bonum maxima eſt laus. Iſa. 126

Socium rejicere in fruitione bonorum peſſimum ſignum. Eccli. 159

Societas bonorum quàm utilis. Eccli. 86. cum Chriſto quàm felix. Hier. 8. Societas B. Virginis de Carmelo libanus. Iſa. 409. ſocietas Jeſu à Chriſto inſtituta maximè contra hæreſes; & in tempore majorum neceſſitatum Eccleſiæ. Machab. 47

Solis, & lunæ motus poſitus in ſigna, & tempora; quomodo. Eccli. 589. ſol repræſentat myſterium SS. Trinitatis. Eccli. 583. Item Chriſtum Ieſum. Eccleo. 10. Item Mariam Virginem. Ecclen. 13. Solis, & ſtellarum obſcuratio vera, & moralis qualis in die judicii, & qualis in anima per peccatum Iſa. 336. ad 338. ſol, & luna poſt diem judicii augebunt lumen ſeptemplicitar. Iſa. 429. ſolis deſcenſus in horologio Achaz myſteria qualia. Iſa 504

Sol in meridie multis occidit Amos. 37

Solitudo bona, & mala qualis. Thren 86. ſolitudinem animæ Deus exigit, ejuſque bona qualia. Oſe. 10. 83

Sollicitudo in Dei ſervitio neceſſaria. Cant. 94. 107. Prov. 188. ſeq. Mich. 21. ſeq. ſollicitudo nimia in temporalibus, & divitiis damnatur. Prov. 691

Somnium, & ſomnius ſunt bona mundana. Sap. 66. ſeq. Eccli 470. Iſa. 400. ſomniorum obſervatio damnatur. Eccli. 473. ſeq.

Somnia, quæ ſunt à Deo, à diabolo, & à natura expenduntur. Eccli. 474

Spei effectus mirabiles, leves omnes tribulationes reddit. Sap. 33. ſeq. 43. fortitudinem mirabilem animæ confert, & conſolationem ſpiritualem. Iſa. 418. ad 421. 457. 591. 633. Prov. 395. 367. 414. 721. Abac. 17. Machab. 27. 32. ſeq. 98. 112

Spinæ loco frumenti ſæpe gignuntur propter peccata. Iſa 140. V. Sterilitas.

Spinis repletæ ſunt viæ peccantium. Oſe. 6

Spiritus Dei elevat ad Cœlum; Spiritus mundi, & diaboli deprimit ad infernum. Ezech. 96. Spiritualis vita vera ferè derelicta. Thren. 11. Triplex eſt purgativa, illuminativa, & unitiva. Ezech. 254. Thren. 11. ſeq. Spiritus Sancti Adventus in die Pentecoſtes expenditur. Hier. 25. Sap. 12. Prov. 219. Thren. 15. Spiritus Sancti Adventus in animam effectus mirabiles expenduntur; Ubi de gratia divina. Cant. 202. ad 204. Sap. 88. 94. Eccli. 216. Iſa. 188. 204. 339

Spiritus Sanctus aperit os ad benè, diabolus ad malè loquendum. Sap. 120. Spiritus Sancti bonitas in ſui communicatione. Sap. 110. ſeq. Spiritus Sanctus in Chriſto, ut in capite bonum infudit omnia ſua dona Iſa 203. ſeq. Cur ſua dona ad ſeptenarium reducta. Iſa. 201. Requieſcit in corde juſtorum per communicationem iſtorum donorum. Iſa. 204. Maturat noſtra opera pro alia vita. Prov. 106. ejus ignis devorat omnia terrena. Soph. 14. Non acceptator perſonarum. Joel. 26. Inermes, debileſque fœminas reddit fortes contra diabolum. Zacch. 64. Innovat cor. Ezech. 231. Ventus eſt dans vitam mortuis. Ezech. 136

Spiritus Sanctus; & Prædicator; & decantator laudum Mariæ Virginis. Prov. 917

Spiritus fornicationis omnium peſſimus. Oſe. 25

Spolia ſcientiarum ethnicorum à SS. Doctoribus rapiuntur ad ſalutem animarum. Sap. 119

Sponſo, & ſponſæ & uxoratis omnia bona, & mala debent eſſe communia. Cant. 245. Sponſa Chriſti anima. Oſe. 5. V. Anima ad Deum. V. deſponſatio.

Stateras, & menſura falſificare quale malum temporaliter; & ſpiritualiter. Prov. 325. ad 319. Statera doloſa Prælatorum qualis. ibid. animæ cum Deo. ibid. ſtatera qualis, qua Deus examinabit opera noſtra in judicio. Prov. 504

Statua Nabuchodonoſor vanitatem mundi repræſentat Dan. 9 ſeq.

Stellæ ſunt ſancti Iſa. 619

Stercus ſunt omnia iſta terrena. Oſe. 30. In ſtercus projicitur qui ſpiritualem vitam, & gratiam abjicit. Thren. 108

Sterilitas terræ ex peccatis oritur. Hier 48 Iſa. 140

Studium aliud bonum, aliud malum, & ſtudentes inſtruuntur. Hier. 118. Sap. 102

Stultitia in malum ſumpta eſt peccatum, & ſtultus eſt peccator. Oſe. 19. 58. Eccleo 30 ad 31. 50. 64. Stulto quid reſpondendum. Prov. 749. Stulti ſunt qui laborant ſine Deo Sap. 44

Stultitia in bonum eſt ſanctorum apud mundanos. Oſe. 59

Subditorum munus, & obligatio & obedientia ipſorum expenditur. Sap. 3. Eccli. 377. Iſa. 445

Suffragia oblata pro animabus Purgatorii ſunt velut epiſtolæ per Angelos miſſæ, &c. Machab. 67

Superbia vitium peſſimum, fons, & origo omnium vitiorum, Deoque ſuper omnia exoſum. Eccli. 139. 133. 140. Prov. 208. 411 ſeq. 494. 508. 538. Machab. 106. Ezech. 80. 179. 190. Thren. 46. Ejus effectus peſſimi. Ecclen. 50. Eccli. 118. Iſa. 834 Prov. 340. ad 342. 865. Dan. 51. Oſe. 78

Superbia à Deo deprimitur, humilitas exaltatur. Eccli. 71. 136. 284. Iſa. 558. Hier. 6. 199. Prov. 611. 847. Dan. 46. 57. Abdiæ. 2 Machab 85. 105. ſuperbiæ fœtor qualis apud Deum, & homines. Ioel. 24. Hie. 308. aufert uſum rationis. Naum. 9. Abac. 29

Superborum cibus eſt ventus. Oſe. 78

Suppeditur peccator à diabolo, mũdo, & carne. Oſe. 17

Suſanna caſtitas, confidentia in Deum, aliaque mirabilia expenduntur. Dan. 117. ad 119

Suſpicio mali in proximo cavenda à ſervis Dei. Prov. 70. 28

Suſurratio quàm grave ſcelus.Prov.762.ſeq.Ezec. 180.Eccli.412. ſeq.

T

TAberna mundi quale vinum exhibet. Prov. 605.ejus ſigna qualia.Ezech.120

Telam qui orditur ſine Deo ruinam quærit. Iſa. 414. Tela moraliter multiplex orditur ab hominibus. Iſa. 508. Telæ aranearum ſunt bona terrena.Oſe.31

Templum eſt domus Majeſtatis ſolùm ſacris rebus dicatum. Iſa. 785. ejus irreverentia à Deo ſeverè punitur.Iſa.519. Ezech.1 6 Agg.3.ejus magnificentia, & ornatus ſine operibus bonis D.o non placet.Hier.119. ſeq.166. Templum ſpirituale Dei eſt anima, & cor Deo conſecratum.Iſa. 788. In ipſo priùs offerenda noſtra vota. Iſa.20. Violatio ipſius quàm Deo exoſa. Ezech. 156.vel Chriſto, vel diabolo dicatum neceſſariò. Machab. 41. in eo ſolùm recipitur Chriſtus.Malach.21. Templorum fabrica, nitor & reverentia cum ſanctis operibus quàm Deo chara. Agg.2. Qui templum ſacrum deſertum relinquit, & domus proprias ornat, quàm Deo exoſus.Agg.3

Temporalia bona dantur à Deo, ut per ea ſpiritualia, & cœleſtia acquirantur. Oſe. 8. Auferuntur à Deo ob ingratitudinem.Oſe.8. Temporalia cruciant, ſpiritualia delectant. Prov. 440.ſæpè Deus ipſa dat hoſtibus,amicis autem tribulationes.Abac.4

Temporalia bona multiplicans, multiplicat non ſua ſpiritualia multiplicans, multiplicat ſua. Abac.21

Temporalia bona augens cum culpa, & offenſa proximi, & Dei, ea auget ad ſui ruinam. Mich.3.ſeq. Prov.80.14.,0.Abac.11.14.Prov. 400 410 Iſa 64. Temporalia bona cum injuſtitia ſunt mobilia; cum juſtitia ſunt immobilia. Prov.375. Temporalium bonorum vanitas expenditur.Abac.4.Prov. 440. 779. Ezech. 124. Impii ad temporalia tantùm inhiant, non ad ſpiritualia.Iſa.131

Temporis opportunitas in vocatione Dei, & in omnibus actionibus obſervanda diligenter.Ecclen. 42. Eccli. 54. quàm ſollicitè cuſtodiendum. Eccli. 53. Tempus hujus vitæ bonis bona eſt dies,malis mala.Eccli.194. Tempus purgationis,& pœnitentiæ eſt vita præſens; tempus mortis eſt collectionis. Cant.100. Ecclen. 43. In tempore non ſuo moriuntur impii. Ecclen.64.Temporis examen in judicio quàm diſtrictum.Hier.13. Tempus Dei tempus eſt incarnationis.Iſa.252.135.Tempus aliud loquendi,aliud tacendi Prov.735

Tentatio quale bonum. Eccli.51. 476. Prov. 171. 845.tentationi,& tentatori reſiſtens triumphat de diabolo.Iſa.138.in tentatione recurrendum ad Deum.Iſa.321.tentationes aliis ſunt in bonum,aliis in malum.Hier.65

Terra in æternum ſtat ut teſtis vanitatis mundi. Ecclen.8.fundamentum orbis terrarum. Prov. 128 terrarum deſolationes ſunt propter peccata.Iſa 16. ſeq. terra loco frumenti ſæpè gignit ſpinas propter peccata.Iſa.140. Terra propter peccata poſſeſſoris dicitur in Deum peccare. Ezech. 811. terrenorum vanitas expenditur. Sap.66.ſeq. terrenis cor affigens ipſum cooperit ſtercore.Oſe.30

Terræmotus,grandines,aliaque flagella temporalia ſunt gemitus terræ & aëris ob pondus peccatorum.Hier 191. Iſa.3,0. terræ motibus continuis ſubjacet cor terrenis affixum.Iſa.351.ſeq.

S.*Tereſia* miſſa à Deo tempore maximæ neceſſitatis. Eccleſiæ. Machab 47

Teſtamentum vetus continetur in novo, ut rota in medio rotæ. Ezech. 16

Teſtis falſus Deo abominabilis.Prov.660. 803

Thecel quid ſignificet.Dan.58

Theologia totus eſt gyrus cœli.Eccli.329

Theſaurus repletus bonis, vel malis eſt conſcientia.Prov.650

Theſauri quales Chriſti, & quales diaboli. Prov. 292.294 theſaurus virtutum reconditur in terra cordis.Ezech. 46 48. Item eſt cuſtodia linguæ.Prov.651

Thronus Dei ſunt juſti.Ezech.25.Item Maria Virgo.Ezech.24.Iſa. 92. ad 94 Item Euchariſtia. Iſa.98

Timor Dei alius ſervilis, alius filialis. Iſa. 361. Ezech.67

Timor Dei filialis donum pretioſiſſimum; ejus effectus expenduntur.Ecclen.63.97. Cant.196. Eccli.9 477.109. 597. 445.460. 559. Iſa. 368. Hier.167.169 344 Prov.7 ad 10.194.327. 369. 450.478.484.675.718.817.Malach.3. Ezec.97. In juvenibus grande bonum.Dan.118.Vagatur per omnes virtutes,& in beatis. Iſa.205

Timens magis homines, quàm Deum in omnia mala præcipitat.Dan.185. Prov.848. Ex timore ſervili clamans ad Deum non exauditur, ſed ex filiali.Mich.7

Tonſura Clericorum,& Religioſorum qualia myſteria indicat.Hier.129.164.384

Torcular Paſſionis à Chriſto calcatum vinum gratiæ expreſſit.Iſa.819

Tranſitus,& tranſmigratio hominis eſt à ſtatu naturali ad Chriſtum,vel ad diabolum.Eccli.351. Ezech.99.A gratia ad peccatum quàm infelix. Iſa.173

Tribulatio eſt ignis alios conſumens, alios purificans.Sap.38. Iſa.604.732. Thren.99.Oſe.84. tribulationis hyemem in juſtis ſequitur æſtas. Cant.97.ad 99.Iſa. 651. 342. dulces tribulationes reddunt memoria Paſſionis Chriſti.Cant. 304.tribulationibus Deus ſuos probat.Eccli.12. etiam per impios.Iſa.186

Tribulationum toleratarum pro Chriſto fructus dulces expenduntur. Cant.168. 304. Eccli.18. 399.ſeq.451.Iſa.186.731.Hier.11.307. Dan.16. 31. tribulationum ſchola, eſt ſchola Chriſti. Hier.89.191 201.110.Thren.26. tribulationum gladio Deus pugnat cum peccatoribus,ut convertantur, & fœlix qui ſe ſinit vinci. Iſa. 360. Thren.27.Prov.748.& ut ſcoriam peccatorum expurgat. Prov. 523.Amos.45.Mach.107. Oſe. 6. In tribulationibus vocationis Dei contemptus ſignum reprobationis.Iſa.299. Hier. 815. Oſe.84

Tribulationis torcular ſeparat bonos à malis. Thren.13.In juſtis ſunt temporaneæ, in reprobis ſunt æternæ.Hier 307.& veluti nihil æſtimantur. Machab. 25. Tribulationis publicæ tempus exigit, ut ad clamorem confugiamus orationis.Hier.189.Ion.8. ad 10

Tribulatio ſignum divini amoris, ideò par enter toleranda. Prov.75.77.;318. 614. Ezech. 123. Dan.5.26.Naum.6.Machab.86

Tribuat Deus juſtos in hac vita, impios in alia. Prov.370.Oſe.26.Iuſti ex tribulationibus proximi exhauriunt proprium profectum. Naum. 22

Triclinium Sanctiſſimæ Trinitatis Maria Virgo. Prov.261

Trinitatis SS.myſterium expenditur.Dan.75.Eccl. 583.Iſa.104

Triſagium Sanctus,&c.expenditur,ejuſque virtus. Iſa.106

Turris fortiſſima noſtra eſt Maria Virgo. Cant. 164. Item Eucharistia. Cant.166. Item oratio. Cant.165. Item obedientia. Cant.167. Item doctrina Chriſtiana. Cant. 162. Item exercitium virtutum. Cant.163. Item donum fortitudinis. Prov. 566. Item nomen Ieſu. Prov. 567

Turturis gemitus eſt animæ contemplativæ. Cant. 38.103

V

V*Agatio*, & curſitatio per domos vitanda maximè à Prædicatoribus, & Religioſis. Eccli.411.307 Hier.212

Vana gloria de bonis à Deo receptis quale vitium, & malum. Iſa.319. Furtum eſt apud Deum. Iſa. 564

Vanitas naturæ, culpæ, miſeriæ, & pœnæ qualis. Ecclen. 2. Vana ſunt omnia præter amare Deum. Hier.174. Vanitas ſcientiarum mundanarum qualis. Hier. 171. ad 174. Vanitas mundi qualis. Baruc. ſeq.23. Sap.66. ſeq. Vanitas objectum ſtultorum. Vanitas ſapientum. Prov.25. Eccli.39

Vbera Eccleſiæ Prædicatores. & Doctores. Cant. 285

Venatio, Venator animarum in bonum eſt Chriſtus in malum diabolus; & utrorumque ſequaces. Iſa.156.237. Hier.79.230. Thren.96

Venialia peccata quàm ſedulo cavenda. Eccli.267. V.peccatum Veniale.

Ventus, & umbra ſunt bona tranſitoria. Sap. 66. ſeq. Ventus, & aura vivificans Spiritus Sanctus. V.Spiritus Sanctus.

Verbi Dei prædicati virtutes mirabiles expenduntur. Ecclen. 67. Eccli. 5. 401. Iſa.217. ad 270. 266. 268. 409. Hier. 265. Machab. 124. 127. Prov.5.20.849.ſeq.Agg. 8. Reddit Eccleſiam florentem. Cant.104. ejus prædicatio eſt veluti nova Incarnatio, & Redemptio. Hier.1. 304. Prov.314. Ignis eſt, & malleus. Hier. 283. Lux eſt animæ. Prov.159. 241.562. 630. panis eſt reficiens Ezech.57.237. Dan. 127. occidit anima peccata. Oſe.39. Fœcundat velut imber Eccleſiam, & animas. Joel.27. Ex ipſo corde Dei, & ore Chriſti procedit. Ezech. 38. Verbi Dei auditores inſtruuntur. Eccli.117.254. 304. Iſa 5. Liber eſt legendus. Iſa.147.396. Aliis eſt in ſalutem, aliis in damnationem. Hier.333. Baruc.8. Prov.11.678.ſeq.787.ad 789. Zacch.22. 36. Eccli. 360. 449. Verbum Dei contemnere, & rejicere ſignum reprobationis. Iſa.125. 415. Ezech.31. Tempore Antichriſti prædicatio deficiet magna ex parte. Prov. 841. Privatio ejus locis quàm pernicioſa. Amos.39.ſeq.

Verborum qualitas indicat cordis qualitates Eccli.72. Verba ligant homines. Eccli. 73. Prov. 509. Verba dulcia proferant divites pauperibus. Eccli. 255. Verba immunda quàm Deo exoſa. Thren.50. item otioſa. Prov.319. ad 324. Non verboſos, ſed operantes vult Deus in ſuo ſervitio. Eccli.58. Prov.448

Verbi divini miſſio temporalis, & æterna expenditur. Prov.223.225.ſeq.Eccli.333. Cant.1

Verecundia in juvenibus grande bonum. Dan.158

Veritas juſtorum & in verbis, & factis. Iſa. 344. Quàm Deo chara, mendacium quàm exoſum. Eccli.306. Apud impios odium parit. Hier.342. ſola deſideranda, & prædicanda ſine reſpectu terreno. Prov.702. Machab.16.ſeq.

Vertiginis ſpiritus eſt in via mundi, ſtabilitatis in via Dei. Iſa.179

Veſtis propria exuenda, ut veſtis Chriſti recipiatur à volentibus ipſi ſervire. Iſa.661. Veſtis candida, & ſordida interior; & exterior qualis. Ecclen.72. Ezech.889 Soph.5. Veſtem duplicem habent ſervi Dei. Prov.915.917. Veſtes ſervorum Mariæ quales. Prov 916

Veſtium pompæ vanitas expenditur. Eccli. 147. ſeq. quàm Deo exoſa maximè in Religioſis. Soph.4.ſeq. Zacch.86. Veſtium auſteritas Deo chara, & ideò à S. P. Franciſco ſuis præcepta. Iſa 287

Veſtis prima ſit byſſus, poſtea purpura. Prov.918

Via alia ducit ad Cœlum, alia ad infernum. Hier. 99.103. Eccli.458. Prov.652. 668. Via virtutis eſt in medio Iſa.86. Via ad Cœlum qualis Sap. 311.ſeq. Quomodo dirigenda, & paranda. Eccli.505. Iſa.347.424. ſeq. 324. Hier. 103.117. Thren.10. Prov.85.ſeq.116.127 8. 8. Via ad infernum eſt via peccati ſtercoroſa, & ſpinoſa. Eccli.127. Hier.153. 278. Thren. 10. Prov. 85. ſeq.116.869. Oſe.7. Iſa.347. Via, & vita ſpiritualis triplex, purgativa, illuminativa, & unitiva, & à paucis calcata. Thren.11.ſeq.

Victoria de hoſtibus per ſpem in Deum obtinetur. Machab.27. ad 33

Victoria infœlix, in qua homo vincendo ſubjicitur peccato. Iſa.360

Victus frugalitas ſuadetur. Eccli. 419

Vidua in bonum, & in malum qualis. Hier.221

Vigilantia Paſtorum ſuper oves qualis. Hier.31

Vigilia in hac vita præparat feſtum in alia. Eccli. 431. Iſa.771. Prov.206 ſeq.

Vinculum diaboli quale. Sap.111. Eccli.266. qualiter ſolvendum. Iſa.747.757. Hier.78

Vincula Chriſti aurea pœnitentiæ, obedientiæ, &c. qualia. Ezech.56. Hier.78

Vindicta alia bona, alia vitioſa. Eccli.405

Vinea Chriſti & diaboli qualis. Hier.32. Vinea à Chriſto plantata eſt Eccleſia, & anima, ejus dotes, cultura qualis, & agricolæ expenduntur. Iſa.77.ad 77. Hier.118

Vinum Chriſti, & mundi quales; & utriuſque diſcrimen. Iſa.59.ſeq. Prov. 269.ſeq.609. ſeq. Vinum dulciſſimum Chriſti eſt tribulatio cum meditatione Paſſionis Chriſti, & pro ipſo tolerata. Can.305. item charitas, & amor Chriſti, ejuſque doctrina. Cant.305. Prov.271. ad 279. 610. Vinum miſcere cum aqua quid in bonum & malum. Iſa.19 Vini corporalis, & ſpiritualis; mundi potatio quàm damnoſa. Iſa. 280. Prov. 390

Vinatia uvarum ſunt ſiliquæ mundi. Oſe.19
Viola flos præcipuus in viridario Eccleſiæ. Cant. 55
Vir diligenter cuſtodiat uxorem,& filias.Prov.867
Virga paſtoralis,& prædicationis qualis.Hier.10. ſeq.
Virga vigilans Maria V. Mariæ figuræ.
Virginitatis laudes efferuntur.Eccli 388.555.Hier. 51.ſeq.Dan.95
Virtus ſtat in medio, vitium in angulis.Prov.188. Fons,eſt omnium laudum tollens omnem notam nativitatis infimæ.Prov.522 944. Dan.38. Contrahit familiaritatem Dei, & Angelorum. Prov.48. 585. Iſa.68. virtus aliquando tegitur pallio vitii,& vitium pallio virtutis.Iſa.87
Viſio, & viſitatio Dei quale bonum. Cant. 224. Iſa. 815. Quàm æſtimandæ, & examinandæ. Ezech 104 Dan.7
Vita temporalis noſtra quàm miſera.Jon.7.Eccli. 194.197.427. Ecclen 44.73. Sap.20. Vitæ obtruncatio grande beneficium.Sap.54.ſeq.
Vita ſpiritualis alia activa, alia contemplativa; utriuſque ſtatus,& perfectio expenditur.Ezec. 44.140.254 Thren.11 ſeq Cant.100.Mach.44
Umbra,& ventus ſunt hæc bona tranſitoria. Sap. 66.ſeq.
Unguentum ſpirituale qualiter conficiendum. Eccli.519.Hoc exigit Chriſtus à nobis.Prov.785
Unitas qualis virtus.Hier.345. quàm ſedulo amplexanda.Iſa.730.V.Charitas.Concordia.
Vocatio Dei contempta,ſignum reprobationis, accepta ſignum prædeſtinationis. Iſa.299. Prov. 30.ad 31.100.102.Oſe.9
Voluntas mala fons omnium peccatorum; bona omnis boni.Mich.25.Prov.396. Oſe.51. Iſa. 746.Machab. 41.Ezech.212
Voluntatis divinæ conformitas quot mirabilia operetur in anima.Cant 66. Machab. 69. Beatitudinem confert animæ, & Deum ad ipſam unit. Iſa.716.840. Prov.396. Conformes ſunt digna corona Chriſti.Dan.79
Vomitus corporalis vitioſus qualis guloſorum. Iſa. 378. Vomitus ſpiritualis detractorum qualis. Iſa.378
Voracitas cibi, & vini quàm mala.Eccli. 443. 436. 439
Voti redditio Deo facienda.Ecclen.54
Vox dulcis Dei auribus eſt oratio.Cant.110
Vox,& verbum Dei quàm dulce.Cant.111.ſeq.
Vox Mariæ. V. Mariæ verba. Vox Chriſti multiplex. Iſa. 521. ad 522. vox Chriſti clamantis eſt S.Ioannes Baptiſta,& Prædicator.Iſa.523
Uſura quàm Deo exoſa.Agg.7. Attrahit flagella divina ublica. Ezech. 152. Uſura ſpiritualis eſt eleemoſyna lucroſiſſima.Eccli.195
Vulnus dulce cordi Dei facit anima juſta. Cant. 180. ad 182
Vulpis more tortuosè incedit peccator.Prov.434. Iſa.408
Uxor alia providetur à Deo, alia à diabolo ſuadente.Prov.598
Uxor bona maximum bonum, mala maximum malum.Prov.577.ſeq.597.Uxorati omnia communia habeant.Cant.24.. Caveant à Zelotypia. Eccli. 122.. An in ducenda uxore peccet qui ad ſolam pulchritudinem aſpicit.Prov.945

Z

Zelotypia in uxoratis quàm mala.Eccli.122
Zelus juſtitiæ qualis exigitur in Prælatis, & Judicibus. Machab. 16. ſeq. Zelus animarum grande ſacrificium.Ezech. 51. Qualis exigitur in Prælatis, ſacerdotibus, & Prædicatoribus. Ezech. 51. Zelus bonus,& vitioſus qualis.Eccli.356
Zelus indiſcretus, & ſine ſcientia quale malum. Jon.26. Machab.18

FINIS.

ERRATA PRINCIPALIORA, QVÆ IN HOC TERTIO TOMO irrepſerunt, hîc adnotantur.

In Libro Proverbiorum.

PAgina.9.num.76.linea 1.Externus.cor.æternus.p.12.n.93.l.2.quia,cor.qui.p.21.n.184.l.6.terra.cor.terræ.p.22.n.186.l.3.montis.cor.motis.p.42.n.359.l.7.ſenſu.cor.ſenſus.p.61.n.502.l.6.quantumuibet.cor.quantamlibet.p.65.n.524.l.15.ginis.cor.ignis.p.77.n.618.l.9.veſtrit.cor.culpis.p.77.n.613.l.9.quia.cor.quale ſubd tos.cor.ſubditi.p.1b.n.851.l.29.habuerat cor.habuerant.p.93.n.742.l.18.ipſos poſitus.cor ipſum poſitum.p.93.n.741.l.19.ipſorum.cor.ipſius p.94.n.742.l.26.ſuo.cor.tuo.p.94.n.742.l.27.ſibi cor.tibi.p.120.n.917.l.18.ſi.cor.ſint.p.120.n.917.l.26.ſed,cor.ſedet.p.125.n.947.l.17.imagit.cor.magit.p.123.n.932.l.9.praua,cor.pauca.

In Cantica.

P.140.n.2.l.10 dulcius.cor.dulciùs.p.142.n.15.l.4.incedit.cor.incedit.p.148.n.43.l.4.Petrus.cor.Bottus.p.153.n.98.l.5.arripie.cor.arripere.p.161.n.146.l.9.periit.cor.apertsi.p.163.n.158.l.11.opprobolæ,cor.opprobrioſæ.p.165.n.171.l.10.flagrabat.cor.flagrabit.p.165.n.176.l.4.elevatæ.cor.elevatur.p.169.n.201.l.12.timebit.cor.nihil timebit.p.173.n.214.l.13.fit.cor.fit.p.175.n.234.l.4.pulcherrima.cor.pulcherrimus ex arbore pulcherrima Maria p.187.n.312.l.26.ſanitatis.cor.ſanctitatis.p.188.n.320.l.3.eſt,cor.&.p.189.n.329.l.2.Principis.cor.Epiſcopis.

In Sapientia.

P.197.l.2.damnorum.cor.damnatorum.p.203.n.92.l.4.hoc etiam de.cor.hoc etiam dicitur de.p.209.n.110.l.12.qui.cor.quia.p.209.n.119.l.6.dixit.cor.dicit.p.210.n.120.l.18.operit.cor.aperit.p.210.n.124.l.3.corpoſè.cor.corpore.p.210.n.124.l.4.lideo.cor.ideo.

In Eccleſiaſtic.

P.224.n.58.l.6.ſimili.cor.ſimilis.p.ibid.n.61.l.18.ſomnium.cor.ſomnium.p.236.n.145.l.2.factum.cor.favum.p.253.n.165.l.14.judicis.cor.Iudicii.p.261.n.332.l.8.mente.cor.mentem.p.265.n.554.l.2.eiuatur.cor.evortur.p.268.n.375.l.20.fatous.cor.fatui.p.285.n.485.l.9.punile.cor.ponire.p.293.n.546.l.12.verſum.cor.verſus.p.302.n.389.l.3.ut.cor.&.p.302.n.60.l.13.proditi.cor.præditi.p.303.n.612.l.23.furit.cor.foit.

In Iſaia.

P.312.n.19.l.9 reſpiciebat.cor.reſpuebat.p.313.n.33.l.15.convertes.cor.converter.p.318.n.51.l.6.confeſſo.cor.confoſſo p.318.n.51.l.16.boni.cor.botri.p.356.n.279.l.13.te.cor.ſe.p.357.n.285.l.12.quia.cor.quia voluit,ut p.373.n.375.l.10.proprietates.cor proſperitates.p.373.n.379.l.2.diſcipulo.cor.diſcipulor.p.421.n.676.l.17 admirando.cor.admiranda.p.431.n.729.l.3 adducant.cor.adducam.p.438.n.772.l.23.tenent.cor.tenent.p.445.n.817.l.12.Boſea.cor.*Boſra*.p.447.n.823.l.24.mex.cor.meræ.p.449.n.838.l.16.qui.cor.quia.

In Ieremia.

P.462.n.37.l.11.onda.cor.nudus.p.462.n.37.l.12.pulchram.cor.pulchrum.p.466.n.57.l.2.vir.cor.cur.p.471.n.90.l.11.una.cor.uva.p.477.n.120.l.33.placent.cor.placant.p.481.n.240.l.14.curator.cor.uteiur.p.483.n.154.l.12.introducit.cor.introduxit.p.485.n.154.l.22.conſentit.cor.conſenſit.p.487.n.173.l.13 fames.cor.fomes.p.493.n.208.l.13.reſtricti cor.reſtrictæ.p.502.n.262.l.9 ubi.cor.tibi.p.503.n.257.l.31.ſupernatorulius.cor.ſupernaturalibus.p.503.n.ibid.l.36.bertetur.cor.verteretur.p.508.n.297.l.9.confirmabum.cor.confirmatum.p.512.n.317.l.10.cuaſam.cor.cauſam.p.519.n.369.l.9.collat.cor.collocat.

In Thren.

P.528.n.21.l.13.renunciat.cor.renunciant.p.537.n.104.l.10.ſpleadorum.cor.ſplendorem.p.538.n.108.l.14.inficicat.cor.inficias.

In Ezechiel.

P.548.n.3.l.4.electio.cor.electro.p.ibid.n.4.l.7.electa.cor.electro.p.550.n.24.l.7.aſpectu.cor.aſpectui p.554.n.30.l.8.facilemque.cor facilitatemque.p.557.n.71.l.3.vincinno.cor.cincinno.p.558.n.76.l.33.tibi.cor.ſibi.p.577.n.201.l.41.profundam.cor.profundum.p.580.n.215.l.36.cauſam.cor.cauſam.p.581.n.223.l.14.te.cor.ſe.p.587.n.236.l.39.habet.cor.haber.

In Oſea.

P.611.n.6.l.1.unitates.cor.vanitates.p.621.n.6.l.23.averſos.cor.averſus.p.624.n.20.l.23.peccatoris.cor.peccatis.

In Ioel.

P.626.n.1.l.19.immondantia.cor.inundatia.

In Amos.

P.638.n.23.tenebræ.cor.tenebra.p.636.n.9.l.21.nſſa.cor.olla.

In Ages.

P.677.n.4.l.18.operas.cor.opèra.

In Zacharia.

P.690.n.37.l.18.medicùs.cor.medina.p.690.n.60.l.21.erat.cor.truet.

In Malachia.

P.696.n.3.l.1.condigna.cor.indigna.p.706.n.26.l.13.ſudex.cor.Iudex.

In 2. Machab.

P.719.n.88.l.3.prædictus.cor.præditus.

Digitized by Google

RESTAURO del LIBRO ANTICO
Cav. G. DI GIACOMO
PESCARA

NOV. 1969

Google